ANNALIUM

SACRI ORDINIS

FRATRUM SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS

A' suæ Institutionis exordio

AUCTORE F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Ejusdem Instituti in Florentina Universitate Sac. Theol. Magistro

TOMUS SECUNDUS

Ejusdem Ordinis Seriem complectens ab Anno MCCCCLXXXXVII.
Usque ad Annum MDCIX.

EDITIO SECUNDA

Cum Notis, Additionibus, & varijs castigationibus, operâ, ac studio

F. ALOYSIJ MARIÆ GARBIJ DE FLORENTIA

IN UNIVERSITATE FLORENTINA S. THEOL. MAGISTRI,

Ejusdemque in Alma Universitate Pisana Professoris



Necnon Consultoris S. Officij Pisarum,

Et ejusdem Ordinis Servorum in Etruria

PRIORIS PROVINCIALIS.

Cujus accedit eorundem Annalium continuatio ab Anno MDCX.
Usque ad Annum MDCXXXIII.



LUCÆ, MDCCXXI.

TYPIS SALVATORIS, ET JOAN-DOMINICI MARESCANDOLI
SUPERIORUM PERMISSU.

CANDIDO, ET BENEVOLO LECTORI

FR. ALOYSIUS MARIA GARBIUS.



X quo curam ſuſcepi iterum in lucem edendi Ord. Servorum B.M.V. Annales, eoſdemque ad noſtra uſque hæc tempora proſequendi, ſingulari animi mei jucunditate animadverti ejuſdem Ordinis Alumnos quoſcunque, maximè verò cordatos, longè melioris notæ, ac verè filios, non mediocri deſiderio incenſos, eoſdem undequaque perfectos præ manibus habendi, ac ferè dixerim more cujuſque impatientes; ſua enim cuique placere omnibus natura inſitum eſſe univerſi conſentiunt. Quamobrem nulli parcens incommodo, pro ingenij mei modulo, priorem Tomum publici juris duobus ab hinc annis feci, ſtatimque alterum adornandum aggreſſus Tibi, Candide, ac benevole Lector, modò propono, *l. 5. Ep. 5.* *Tantò magis*, dicam ipſe, quod de Cajo Fannio ſcripſerat Plinius ſecundus, *reliquos perficere cupiens, quantò frequentiùs prior ille lectitabatur. Neque enim* (addere placet cum eodem) *mediocriter me ad nova opera tu Lector hortaris*. *lib. 4. Ep. 26.* Cui planè conſonus Poeta cecinit *Excitat auditor ſtudium*. Neceſſe verò non eſt, ut ad Opus hoc promovendum quis me valdè ſolicitet; quamvis enim longè potiori jure, quàm Plinius, *Id non commodè facturum eſſe confidam*; probè tamen intelligo, quod idem Capitoni reſpondit, ut hiſtoriam ſcriberet ſuadenti; *l. 5. Ep. 8.* *Mihi* nimirùm, *inprimis pulchrum videri, non pati occidere, quibus æternitas debeatur, aliorumque famam cum ſua extendere. Me autem nihil æquè ac diuturnitatis amor, & cupido ſolicitat*; *res homine digniſſima*.

Hunc igitur Tomum alacriori animo accipe, qui non ea ſolùm complectitur, quæ Gianius jampridem ediderat ab anno 1497. uſque ad 1609. unà cum notis, additionibus, & caſtigationibus meis, verùm etiam alia quæcunque Ordini præfato Servorum B. M. V. acceſſere memoranda ad annum uſque 1633. centeſimum ſcilicet, & ultimum quarti ſeculi ejuſdem Ordinis annum, ac proptereà quamplurima hactenus inedita, & communiter incomperta, quod ſanè legendi ſtudium excitabit.

Plura

Plura de Viris, ac Mulieribus ſanctitatis opinione illuſtribus comprehendit, quæ tamen in obſequium S. Sedis Apoſtolicæ nonniſi humana fide credenda eſſe iterum profiteor, quod in priori Tomo profeſſus fueram. Nimius quandoque fortè videbor nauſeabundo cuidam, & emunctæ naris Lectori minima quæquæ de ipſis referendo, quæ cæteroqui maximo habenda in pretio eſſe non vereor, quandoquidem notiſsimum eruditis arbitror illud Damidis, qui apud Philoſtratum notabatur ab invidis de Apollonio minima quoque ſcripſiſſe, videlicet; *Convivium illud Deorum eſſe, & Convivas Deos, quorum famulis maxima eſt cura, nequa etiam minima Ambroſiæ particula pereat.* Illud potius affequi velim in ſcribendo, quod idem Plinius Tacito reſpondit, ut ejus Avunculi, alteriùs nempè Plinij, vitam ſcriberet cupienti: *Video morti ejus, ſi celebretur à te, immortalem gloriam eſſe propoſitam. Quamvis enim ipſe plurima opera, & manſura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus ſcriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos verò quibus utrunque.*

In vita Apollonij l. 1. c. 13.

l. 6. Ep. 16.

CEN-

CENTURIA TERTIA
INDEX LIBRORUM, ET CAPITUM.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

CENTURIA QUARTA.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

De

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

De

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

Illu-

Vidit Dominicus Maria Martini J. U. D., & Præpofitus Ecclefiæ S. Mariæ Filicorbi.

IMPRIMATUR

Jo: Baptifta Santuccius Vicarius Generalis.

Francifcus Palma Illuftrifsimi Officij fuper Jurisdictione Præpofitus.

CENTURIÆ TERTIÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,
AUCTORE

F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Ejusdem Instituti M. Theologo,

Liber Quintus

CONTINENS AB ANNO MCCCCXCVII. USQUE AD MDXVI.



M. Andreas de Perusio postquam in Priorem generalem secundo, & vigesimo loco fuisset electus, postero Anno Alexandriæ moritur.

CAPUT PRIMUM.



NOSTRA his temporibus vehementer interest, ut generalia Comitia elapso triennio interturbata eò accuratius instaurarentur, quò funestè illud discrimen ob interitum Antonij Generalis graviter admodum noster Ordo passus fuisset: unum tamen illud omnium confirmabat animos, nempè optimi successoris Andreæ de Perusio nuper ab Alexandro Pont. comprobata Virtus. Is igitur universæ Religionis administratione susceptâ .1. ex Apost. Vicario in cõmuni Conventu Perusij Prior generalis eligitur, cui etiam facta fuit accessio Congregationis nomine per M.Stephanum Placentinum.2.Theologum, & Oratorem percelebrem, qui tunc & ipse in Capitulo Congregatorum Placentiæ fuerat Vicarius generalis electus, cujus etiam subscriptio erat in lit. pat. 3. *Estote parati*. Non defuit Alexander Pont. Comitia illa Perusij .4. amplissimis Indulgentiarum earundem privilegijs condecorare, quibus Innocentius prædecessor præteritum Capitu- A lum Veronæ jam antea cohonestaverat; quemadmodum etiam (nequid pro nostræ Reipub. bono desiderari posset) idem Pont. M. Matthæum de Florentiâ, qui tunc erat Prior .5. Servorum de Bononiâ, tanquam Virum sibi à D. Protectore laudatissimum, Diffinitorem generalem Provinciæ Romandiolæ die 4. Martij constituit in defuncti M. Joannis Baptistæ Mutinensis locum, qui mense Februario defecerat. Antiquitùs enim id usu B habebatur, ut futuri Diffinitores Capituli Gen. ante Annum in singulis Comitijs Provincialibus designarentur. Absolutis igitur Comitijs, quorum hæc summa fuit, ut quæ priori tempore per Antonium Gen. prædecessorem statuta fuissent, eadem sancita, & rata haberentur in posterum, P. Andreas lustrando Ordini totus sese paratum accinxerat. Perveneràt interim Florentiam Andreas Generalis, ut nonnulla .6. inter Cives Ædiles C Annunciatæ, & Fratres exorta diffidia, aut omnino comprimeret, aut quoquomodo sedaret. Instabant enim Ædiles Conventus Annunc., & pro ipsis Senatus Florentinus, ut Fratres reformarentur, unde & graves mittuntur literæ ad Summum Pont. super hoc negocio, quæ Florentiæ dantur in publico Pa-

 latio

latio die 17. Novembris 1497. Joanni quoq; Michaelio Cardinali Protectori ejusdem tenoris literas mittunt ; & quasi res maximè urgeret, hoc idem officium Alexandro Braccio Oratori valdè commendant per alias literas eodem die datas, in quibus illud vehementer inculcant, quòd Bracclus apud Alexandrum Pont. curet impetrare quidquid per ipsosmet Ædiles contra Fratres Annunciatæ efflagitatur. [Eventus autem proximè demonstravit, quod hujus Cœnobij Patres eâ reformatione non indigebant, quâ ipsos indigere adeò vehementer jactabant Ædiles. Detectis enim calumnijs, .7. veteres illi Ædiles post varias velitationes amoti fuere , et novi creati, qui muneri suo tantummodò præessent, non autem disciplinæ Patrum fovendæ, atque tuendæ, quod ad ipsos spectare nullimodè exploratum cuique est , maximè verò eo temporis , cùm illud Cœnobium ex consuetâ Alabanti disciplinâ religiosis moribus floreret, & optimis regeretur Administris.] Dum igitur his diffidijs P. Andreas Generalis Florentiæ distineretur, Sodalitium S. Sebastiani non minùs ob veterem fidem, quàm ob proximas ædes nobis conjunctissimum , promeruit, ut eorundem Privilegiorum , quæ olim à B. P. N. Philippo per proprias literas par. impetraverat, nunc ab Andrea Generali confirmationem, & extensionem obtineret per consimiles literas, quas etiam nunc apud se religiose conservant Florentiæ datas die 2. Februarij Anni Florentino more exeuntis 1497. cum suâ subscriptione *Gratias ago tibi Domine*. Anno prætcrea revoluto dum P. Generalis per singulas Provincias Comitia celebrando, Religioniſque dirigendæ semper invigilat, Brixiam pervènit , & Comitijs Congregationis interfuit, in quibus secundò eligitur Vicarius Generalis Philippus Cavatia Venetus, de quo refert Albrisius quòd cùm plurimi de ejus tyrannicâ nimis, & .8. ambitiosâ administratinne conquererentur; ipsum etiam tentarunt ab officio deponere , impetratis ad hoc quibusdam literis ab Apostolicâ Sede, quibus tres Visitatores electi sunt, in quorum arbitrio singula reponebantur. *Ve*rum quid non potest Ambitio cum maximâ ignorantiâ copulata ? Egit Cavatia suis artificiosis dolis, & fortasse muneribus , ut citò rebus invicem pacatis eodem in Magistratu , & authoritate perseveraret, & Antonius Placentinus, qui præteriti diffidij auctor fuerat, de futuro Magistratu clam sponsione acceptâ non absque omnium Patrũ injuriâ ab Apostolicarũ literarum executione cessavit. Sic summatim Albrisius de Philippo Cavatiâ . Hæc dum inter Congregatos agitarentur , accidit Florentiæ , ut Bartholomæus Florentinus Marchio, & familiaris Nuncius Eleonoræ Lusitaniæ Reginæ cum Literis ad Patres Annunciatæ .9. Ulissipone datis die 30. Augusti Florentiam perveniret , allatis secum tribus, argenteis magni ponderis septuaginta Mar- E carum Lampadibus pro Sacello Annunciatæ, quas pia Mulier, ut Joannis Coniugis quondam Portugalliæ Regis Votum impleret, ultrò transmiserat , Munus sanè, quod eâ tempestate, & regiam ostentaret munificentiam, & christianam jugiter præseferret pietatem, quod vel nunquam antea Florentia vidisset, adeò ut Fratres in publicis S. Joannis Baptistæ Lustrationibus super .10. ornatissimum plaustrum Lychnos illos populo sæpè conspicuos facere cogerentur. Interea non absque mærore omnium auditum est Florentiæ, quòd Andreas noster Antistes gravi morbo Alexandriæ laboraret, quarè Magister Joannes de Passiniano Prior Annunciatæ ejus olim discipulus, & tanquam filius illuc celeriter advolavit, ut F Generalem inviseret, et, si fieri posset, in Patriam reduceret. Verùm id frustra tentatum: Nondum enim illuc pervenerat, quando bonus Pater itinerum, laborum , necnon senectutis gravedine pressus lento , sed acuto febris morbo die 12. Novembris non absque omnium nostrûm .11. jacturâ è medio tollitur. Vir quidem, ut eum celebrat Poccianrius, ingenio singulari, eminenti scientiâ, & hujus Ordinis magistratu à prudentissimo Antonio prædecessore æquè dignus judicatus, ac res ipsa eventu declaravit : Quo enim tempore Pater iste præfuit, Ordinem in timore Dei rexit, instituta prædecessoris executioni mandare studuit , Sacrorum rituum , cæremoniarum, & legum observantissimus exti- G tit, quique multa , quæ pro Religionis dignitate tuendâ proposuerat animo , ni tam brevì diem obijsset, ad optimum finem perduxisset; quemadmodum Monasterium Perusij munificentissimis ædificijs (utinam modò subsisterent) exornandum curavit. Aderat ejus funeri Alexandriæ inter alios M. Stephanus de Castronovo ejus Socius in illâ Provinciâ Januensi , cui ad præscriptum Constitutionum .12. Officium, & Sigillum illius interregni obvenerat , quamvis aliter postea per Summum Pont. ad preces Joannis Cardin. Protectoris definitum fuerit. Superveniente verò Decembri simulacra .13. Regum Navarræ, Hungariæ, & Daciæ vetustate collapsa, & sumptuoso opere denuò instaurata H per tibicines, & Præcones in Templum D. Annunciatæ delata , tholo iterum usque ad nostram ætatem suspensa manserunt.

Argentei Lychni è Lusitania Sacello Annunc. oblati.

Obitus, & laudes Andreæ Gener.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1 *Pocciantius in Chron. contra illos, qui asserunt hæc Comitia Ferrariæ habita.*

2. 3 *Albrisius in Catal. Vicar. Gen. & ejus subscriptionem vidit in lit. pat. quas ipse grati animi ergò direxit ad D. Galeottum Marchionem Soraneæ.*

4 *Vidit Author in Archivo Perusij Bullam amplissimam illarum Indulgentiarum.*

5 *Habentur utriusque literæ Alexandri Papæ,*

pæ, et Joannis Prot. in Archivo Conventûs Florentiæ.

6 *Habentur hæ literæ ad Pontif. et Alexandrum Bracciumin Regesto apud Magistratû, qui dicitur*, Le Riformagioni.

7 *Judicium Authoris tum in varijs illius temporis monumentis, tum ex Diarijs Conv. Annunc. fundatur.*

8 *Philippus Albrisius in Catalogo Vicar. General. Congreg.*

9 *Liter. ejusdem Reginę vidit Author in Archivo Conv. Florentiæ.*

10 *Ex Diarijs Expensarum Conven. Florentiæ.*

11 *Ex* Poccianit.in Chron. *sed specialiùs ex monum. in pergameno m. s. Aretij, et monumen. Conv. Annunciatæ de Florentiâ.*

12 *Ex literis D. Joan. Protect. ut in sequen. Capit.*

13 *Ex Diarijs Expensarum Convent. Florentiæ.*

De Joanne Saxone Cardinali, alijsque in omni virtutum genere Viris hac tempestate disertissimis.

C A P. II.

Florentissimus omnigenæ sapientiæ per totum Ordinem eâ tempestate colebatur illustrium Virorum Virgineus Servorum Ager, dum non modò per Italiam, verùm etiam inter Germanos, Hispanos, Gallos, Lusitanosque summâ eruditione præstabant Patres. Unus enim .1. Hieronymus Fuscus de Faventiâ unà cum M. Simone de Januâ, & Benedicto de Placentiâ Socijs, Isabellæ, & Ferdinandi Regum Aragoniæ, necnon Joannis, & Eleonoræ Portugalliæ Regum usque adeò religiosis exemplis, doctissimisque potissimùm concionibus commoverant animos, ut alteri Patres Servorum in sua Regna ultrò invitarent; alteri sua donaria, & vota (ut dictum est) propensiùs ad Imaginem Annunciatæ, locorum distantiâ, & itinerum difficultate non obstantibus, Florentiam dirigerent. Unus quoque Archangelus de Fulgineo in Galliarum Regno cum doctissimis Socijs ab Antonio pro ijs reducendis Provincijs præmissus Ludovico duodecimo post Carolum octavum Francorum Regi pro Concione tam gratus, ut ejus suasione aurea paramenta .2. sumptu quidem regio (ut paulò infra videbitur) eidem sacratissimæ Annunciatæ pro Voto offerret. Unus similiter inter Saxones Joannes .3. qui ob sapientiam, affluentemque in eo eloquentiam illius Ducis adeò sibi animum devinxerat, ut generosus ille Princeps F. Joannis prudentiâ in rebus arduis regeretur, & ejus religiosâ operâ tam in sacrorum administratione, quàm in consiliorum secretis libentissimè uteretur. Quàm verò ipsum diligeret, rei eventus probavit; nam cùm illum præcipuâ legatione in

Ordo Servor. extra Italiam quantum claris viris florebat.

Italiam ad Alexandrum sextum Oratorem A destinasset, Pontifex urgentissimis ejusdem Ducis supplicationibus Joannem ad Cardinalatûs apicem sub tit. S.Crucis provexit. Hanc verò dignitatem P. Joannes brevi in ampliorem Cœli gloriam, deposito mortalitatis onere commutavit. Et hunc sextum Ordinis nostri Cardinalem hactenus præter veterum Patrum non contemnendam traditionem, & picturas, vetusta quoque monumenta interscribunt: Ex quibus refrigeat tandem illorum sententia, qui, quòd non videant in album aliorum Cardinalium apud Panuinium, seu Ciacconium hujusmodi nostrates interpositos, minorem monumentis nostris, quæ certissima sunt, adhibendam esse fidem arbitrantur, cùm tamen in hujusceomodi rebus dubijs B expendendis magis adhærendum sit proprijs, quàm cômunibus Scriptorum testimonijs, fatius enim; quò, qualesq; sint è suâ familiâ, agnoscunt domestici, quàm alieni Scriptores. Verum si (ad rem nostram) de præcipuâ quorundam ingeniorum, morumque præstantiâ indicem pro his temporibus attexere vellemus, plures simul occurrunt, inter quos primùm Mors ipsa Cæsarionem Ferrariensem .4. hoc anno Kal. Februarij defunctum proponit; in quo quidem præclarissimo Viro, an pietas, an sapientia primas habuerint, dubium; sed veritas ipsa ex eius marmoreo monumento in Ecclesia Ferrariæ omnem prócul ambiguitatem auferet.

Joannes de Saxonia sextus ex Ord. Servor. S. R. E. Cardin.

M. Cæsarionis Ferrar. summa pietas.

C Cæsarion Ferrariensis Servorum Matris Dei Religiosus Antistes; Dei viventis percelebris Præco; publici Carceris pius Ædificator, obijt Ann Domini MCCCCXCVIII. Kal. Febr.

Hic namque cùm Carceres publici atrocissimi, & tetro in loco essent, suasione, & ope salubriores effici curavit. Pestilentiæ tempore Nosocomium publicum, quod Lazaretum vocant, suâ authoritate, & industriâ à fundamentis erexit, & multa pia opera cùm D proprio marte, tum Estensium Ducum, quibus à sacris inserviebat, authoritate, ope, & favore confecit; tum etiam quòd concionando, & orando plurimùm valeret, testis ipsa Roma, quando Oratoris munere eâ in Curiâ pro suo Ordine fungeretur. Hujus autem vestigia imitantur his ipsissimet temporibus Oratores plures in Romanâ Curiâ successivè florentes, Franciscus de Veronâ .5. qui gloriosè post Andream de Perusio Philosophiam in Sapientiâ interpretabatur, & Oratorem jugiter pro suo Ordine agebat in Romanâ Curiâ. Jacobus Philippus Androsilus de Ferrariâ .6. qui hunc in eodem officio consequitur: Præcones quoque adsunt non infimæ notæ, Calvanus

Viri doctissimi ex Ord. Ser. per varia Europæ Gymnasia Lectores.

vanus ille de Paduâ, aliàs tantopere celebratus: Thomas de Spoleto, qui suâ eloquentiâ Cœnobium illud ampliavit: Hieronymus de Franciscis Venetus; Joannes Baptista de Castellaccio; Barontus, & Nicolaus de Pistorio; Joannes Petrus Leono Venetus; Mathæus, & Timotheus Florentini Concionatores, & alij plerique varij declamatores. Verùm ut de nonnullis eminentioris præstantiæ quædam recenseamus, adest his ipsis temporibus Michael de Flandriâ .7. alterius Stephani Belgæ Germanus, qui Philosophiam, & Dialecticam in Lovaniensi Gymnasio primùm, mox Herfordiensi scitè satis interpretabatur. In Patavino Studio M. Albertus de Florentiâ Astronomicæ facultatis interpres primarius; In Ticinensi Gymnasio Hieronymus Papiensis civis, qui Mathematicarum, Theologicarumque simul facultatum arcana publicè exponebat; Necnon Christophorus Ticinensis, qui ob suorum Carminum elegantiam publicis ejusdem Academiæ suffragijs Poeta laureatus fuit. Bernardinus Moronus .8. qui Divinam Scripturam pari modo Mediolani explicabat: Philippus *Mucagatta* nuncupatus .9. a Castellaccio, qui Dialecticam Taurini profitebatur, quam etiam subtili commentario explicavit,

Philippi Mucagattæ opuscula

& præsertim Anno 1494. Venetijs in Porphyrium, & sex Principia Gilberti imprimi curavit, in quibus authoritates Boetij, Alberti magni, & Averrois uberrimè interposuit, & subtiliter, sciteque ad textum aptavit. Is deinde in Canticis Salomonis egregium compilavit opus; ac in Empyricum quendam Medicum protulit invectivam multis doctrinis refertam, & Sabaudiæ Duci, cui nuncupaverat, gratissimam. Haud minùs laudibus extollendus sequitur Gasparinus ille .10. Borrus professione quidem Venetus, sed natione Mediolanensis, cujus variæ literarum facultates vix enumerari possunt: Is enim excel-

Gasparini Veneti studia, & lucubrationes, & mores

lens Orator, Poeta gravis, & facundus: Dialecticus, & Metaphysicus Lector in Perusino Gymnasio: Mathematicarum, Astronomiæ in primis eruditus, Divinarum facultatum, & præsertim scholasticæ disciplinæ eminenter, cùm pro se, tum ad alios edocendos, instructus; qui que nova semper molitetur ingenij sui monumenta die, noctuq; totus in studijs, honorandoque Ordini tam privatè, quàm publicè, tam literis, quàm moribus semper assiduus. Scripsit M. Gasparinus Poemata multa Sermonum, & Odarum de laudibus Beatissimæ Virginis, & Beatorum nostrorum, quæ Poemata summâ cum ipsius laude examinata, & probata per Vitum Theologum nostri Ord. M. Thomam de Cremonâ Anno 1498. Brixiæ die 25. Octobris è prælo diligentâ, & operâ F. Simonis à Castellaccio promulgata fuerunt. Scripsit identidem opusculum astronomicum, quod Hieronymo Donato Patritio Veneto nuncupavit. Scripsit quoque super sententias Magistri, quas diu publicè multis in locis, Venetijs præsertim, interpretatus fuit. Demum in Cœnobio Pa-

E radisi, quod tunc erat Mediolani, Quadragesimales Conciones, & multa de Sanctis divinæ contemplationi intentus simul consarcinaverat, quæ, si diutius vixisset, ut Juvenis decessit, & collimare simul, & typis mandare potuisset, quod neq; aquam fecerunt illi, qui postmodum lucubrationibus ejusmodi ditati non mediocrem ex alieno penu sibi honorem vindicarunt. Omitto quas habuit, & frequentes, & plausibiles in præcipuis Italiæ Urbibus publicas disputationes, quarum nonnullas in superioribus Comitijs generalibus præteritorum temporum recensuimus. Hujus verò Religiosi mores quàm ab omni ambitu alieni, quam rectitudinis, ac tranquillitatis amantes fuerint, vel ex eo quis conijciat,

F quod nunquam tam præclarum Virum reperiat, aut inter aliorum contentiones versari, aut dignitates, & fastuosa illa Congregationis munera, sibi proculdubio, quàm plerisque alijs debita affectasse, solùm aliquando ob suam integritatem, & cogente D. Protectore fuit Visitator Provinciæ Tarvisinæ, à quo etiam munere citò se expedire curavit. Occurrit denique deplorandus simul, & præcipuâ laude commendandus Paulus Attavan-

M. Pauli Florent. studia, & opuscula.

tes .11. Florentinus Sacræ Theologiæ, & utriusque Juris Doctor insignis, qui postquam varia fortunæ ludibria tanquam ingens vicissitudinis rerum exemplum passus fuisset, Mense Majo hujus Anni gravi morbo oppressus Florentiæ, cùm esset Thusciæ Præfectus, vi-

G am universæ carnis ingreditur: Vir certè, in quo Encyclopedia illa virtutum omnium adeò nidificavit, ut felicissimos inde partus (iniquâ etiam obstetricante, & abortum procurante fortunâ) ediderit, quorum ad nostram notitiam hi pervenerunt. Breviariũ Canonici Juris; Quadragesimale primum, quod Mediolani excussum an. 1479. ad magnũ Magistrum Hospitalis S. Spiritûs de Urbe dicavit; et incipit: *Vereor in dimidio dierum meorum.* Id verò non iniuriâ inscribitur, *Thesaurus Concionatorum*, quòd in eo reconditi sint omnigenæ scientiæ, & sapientiæ thesauri probatissimi. Commentaria in. 12. Prophetas, & Apocalypsim: Sermones de Sanctis: Expositio in Orationem Dominicam ad . . .

H Ducissam Mediolani: Explicatio in septem Psalmos cum interpretatione Litaniarum, & Collectarum ad . . . . . Ducissam Ferrariæ: Aliud Quadragesimale, quod ab Authore proprio Paulina inscribitur, & ejusdem obitu, dum imprimebatur, imperfectè relictum: Gesta Beatorum nostrorum, inter quæ potissimùm fuit Opusculum de laudibus, & miraculis B. P. N. Philippi, necnon vita Beatorum Joachini, & Francisci Senensium, quorum alterum Christophoro Generali, alterum verò Pio II. Summo Pontif. nuncupavit: Dialogus de Origine, & progressu Ord. Serv. ad Petrum Medices Cosmi Senioris filium, qui in pergameno m. s. eleganti stylo incipit,

Effla-

Efflagitanti à me sæpenumero , &c. & ibi introducitur Marianus Servita Episcopus Cortonensis de rebus sui Ordinis cum Petro colloquens in Agro Caregio ; & hic liber habetur in Bibliothecâ Mediceâ S. Laurentij. Floruerat etiam proximis illis temporibus M. Ambrosius de Raconisio, ut aliàs dicebatur .12. qui opus egregium de peccato originali composuit, cujus initium est *Peccatum meum contra me est semper* . Edidit & Quadragesimale perspicuum ; Opusculum tum versu, tũ solutâ oratione de laudibus B. M. V. Versus quoque cecinit elegantes de laudibus S. Crucis, & de Judicio finali. Hunc fuit imitatus M. Ludovicus Berlandus Papiensis Doctor de Raconisio, qui Versus duomillia, & centum viginti de Incarnatione, & Resurrectione Domini uberrimè cecinit. Dum verò his, & plerisque alijs peritissimis Viris floreret Ordo, non deerant ex alterâ parte, qui sanctissimis incumberent moribus, & serviendo Deo magnoperè invigilarent. Ex quibus hac tempestate ad Cœlum evolavit B. Francisca de Cumis .13. Hæc suscepto secundi Ordinis Habitu Mantuæ die 4. Februarij Anni 1482. inter sacras Virgines Monasterij Mantuæ cooptata, sanctissimam, & optimis exemplis refertam vitam duxit, semper ad majorem religiosæ disciplinæ perfectionem tendens; quod exitus admirabili modò probavit. Cùm enim extremum Vitæ persolvisset die Jovis 4. Junij Anni 1498. accidit, ut sequenti Anno dum Ecclesia, & locus in ampliorem formam redigeretur, oporteret Monialium Ossa ex priore in alteram foveam intra septa Monasterij interioris Ecclesiæ transferre; quare Corpus B. Franciscæ, quasi tunc fuisset tumulatum, recens, & olens repertum fuit, ac insuper (quod fuit mirandum) manu tenens Lilium virens, ac si è terrâ tunc vernans collectum fuisset. Quare Moniales unà cum Patribus nostris, Episcopo assentiente, statuerunt Corpus illud seorsum sub Altare interioris Ecclesiæ in Arcâ ligneâ recondere quousque ventum est ad Annum 1557. quando D. Valentinus de Valentinis Mantuanus graviter ægrotans, & hujus Beatæ meritis convalescens maximâ cum devotione curavit illud Corpus honorificentiùs in Arcâ marmoreâ recondi cum ejus Imagine his suppositis verbis.

Ambrosius de Raconisio, & Ludovicus Berlandus insignes Poetæ.

D. Frãcisca de Cumis obitus.

Miraculum de recenti Lilio B. Franciscæ.

LA B. FRANCESCA DA COMO.

Ejus verò Imago quomodo sit repręsentanda, eventus ipse probavit, adeò ut integro monacali habitu nostro Servorum induta veneranda Mulier virgo cum recenti Lilio, & calculorum Coronâ manu gestans confingi possit.

Imago B. Frãciscæ de Mantuã.

Quòd verò plura ediderit miracula unum illud apertissimè testatur, quòd in veteri quodam Diario Expensarum illius Monasterij hanc legimus particulam. *Die 15. Septembris 1500. emitur liber pro conscribendis miraculis, & gratijs B. Francisca de Cumis, Sorore Annâ de Medsolano mandante, quæ tunc erat Prior Monasterij Mantuæ*. Hunc verò Librum non A vidimus, quòd dicerent Sorores aliquando ad manus cujusdam Ducissæ Ferrariæ delatum intra aulam defecisse. Per eos quoque dies dum M. Stephanus de Castro novo interregnum .14. defuncti Generalis Andreæ ex officio ad præscriptum Constitutionum nostrarum administraret, nescio quo pacto M. Thadæus Tancredus de Bononiâ Vir alioquin præstantis doctrinæ, & de Cœnobio S. Joseph, quòd à fundamentis renovari curaverat, optimè meritus, Romam accitus die 27. Januarij 1499. procurante D. Protectore Joanne Cardin. & Alexandro Pont. mandante per Apost. literas sub die prim. Februarij in privatâ Congregatione quorundam Provincialium, graviorumque Patrum Vicarius generalis B Apostolicus Ordinis declaratur usque ad futurum Capitulum generale, districtèque mandatur eidem M. Stephano, ut sigilla argentea, Libros, cæteraque Generalis insignia consueta cum totâ administratione in manus Thadæi deponat. Primùm igitur Tancredus suscepto Magistratu ad visitandum Ordinem, & provincialia Comitia celebranda se contulit, & præsertim Capitulo Congregationis Rohadi, ubi electus fuit Vicarius Congreg. Antonius de Portâ Placentinus mutuâ omniũ gratulatione, & charitate, Fratrumque satisfactione interfuit. Inter visitandum autem cùm Senis diversaretur placuit literas .15. participationum spiritualium bonorum Confratribus nostris Sanctissimæ Trinitatis die 4. C Junij conferre cum suâ subscriptione *Jacta cogitatum tuum in Domino*.

Thadæus Tancredus jussu Alexãdri Papæ Vic. gen. Apostolic. Ord. Serv.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *SImon in Chron. m. s.*
2 *De his infra ad annum 1501.*
3 *Pocciantius in Chron. & ex alijs monum., & tabulis Parmanis.*
4 *Ex monum. Conv. Ferrariæ.*
5 *Id indicant monum. Conv. Veronæ.*
6 *Ex monum. Ferrariæ ut supra.*
7 *In regesto Generalis Alabanti, & ex privilegio Doctoratûs, quod habetur in Archivo nostro de Parmâ.*
8 *De hoc infra ad annum 1508.*
D 9 *Ex monum. Conv. Castellaccij, & m. s. F. Simonis.*
10 *Ex eodem F. Simone, qui singula de Gasparino collegit.*
11 *Antonius Possevinus in Apparatu sacro, & Pocc. in Chron. & Pocc. in Chron. ad an. 1471.*
12 *Ex relationibus F. Gregorij Alasiæ de Cœnobio Raconisii, qui hæc ibi vidisse testatur.*
13 *Singula ex monumentis ejusdem Monasterij scrutatus fuit Author [Obitum B. Francisca refert ad Annum 1496. Hippolytus Donesmundus in hist. Mantuanâ pag. 84. quod in hoc cap. dictis non obstare videtur, cùm non præcisè anno 1498. obiisse dicatur, sed hac tempestate, quæ planè plures annos com-*

comprchendit.]

14 *Habentur hujus determinationis literæ Alexandri Pont. & Joannis Cardin. inter monum. Conv. S. Joseph.* E

15 *Ejusdem literas in pergameno vidit Author Senis.*

Recensentur Loca quædam Ordini Servorum concessa.
C A P. III.

[BEergomum Civitas est Cenomanorum clarissima, Episcopalis, in Ditione Venetorum, ampla, valde munita, Mediolanum inter, ac Brixiam ab Orobijs Populis unà cum Como, & Foro Licinij, teste Catone, condita. Hic autem Ordo Servorum nedum locum haber pro Fratri- F bus apud S. Gothardum, de quo satis ad annum 1450., verùm etiam pro Monialibus sub invocatione S. Mariæ *del Paradiso*. Hujus originem non satis exploratam habemus, eò quòd ob incendia, & gravissima Bellorum discrimina ejusdem monumenta perierint. Illud tamen antiqua fert traditio, ad nos usque non interruptâ serie propagata, quòd ubi modò est Ecclesia, Domus ibi quædam erat, quò se receperant piæ aliquot Virgines, eamque pretio comparatam procedente tempore PP. Nostris de Clusoro in Diœcesi Bergomensi operam omnem adhibentibus in exiguum quoddam Oratorium redegerunt, in quo humile vestium genus indutæ sanctis operibus, & exercendis Virtutibus addictæ in G unum coeuntes vitam ducebant sanctissimam Deo, & hominibus dilectæ. Hanc verò Domum, Monasterij humile quidem principium fuisse, quod longè augustiùs excitari à fundamentis cœpit Anno 1292. Episcopo Bergomi eo temporis Roberto Bongo, ex quo Sablonetâ eò tunc venerant duæ Ordinis nostri Sorores, nomen uni Illuminata, Albaverde alteri, quarum vitæ sanctimoniâ, & rerum gerendarum peritiâ, aliæ, & quidem non paucæ, commotæ Divino obsequio ibi se manciparunt, vitâque sanctissimè ductâ beatam mortem obierunt. In Libro tamen quodam m. s., quem se vidisse ex Monialibus altera Senior, quas alloquebar, testata mihi fuit anno 1715. Augusto labente; hæc præ H cæteris erant idiomatæ Latino conscripta à D. Andreâ Collonuio Monialium ibidem olim Confessario. *In Ecclesiâ noviter instructâ sub vocabulo, sive Titulo Ecclesiæ S. Mariæ Paradisi, ubi hoc proximè transacto anno non Ecclesia, sed domus habitationis Laicorum aderat, existente in Contratâ, & de infra Ecclesiam, & Monasterium Fratrum S. Petri de Bianzano ad Portam S. Catharinam Bergomi acquisita per DD. Moniales Ordinis S. Gothardi, seu Servorum B.M.V. à paucis diebus citra pro ipsâ Ecclesiâ sic instruendâ, & Monasterio noviter in ipsâ Domo fabricando, celebrata fuit prima*

Mona-sterium S. M. Paradisi de Bergomo

Missa die 5. Februarij 1498. & fuit etiam tunc super stratâ publicâ ante ipsam Ecclesiam in honorem S. Mariæ in terris plantata Crux lignea, & magna per Reverendissimum D.D. Laurentium Gabrieli Episcopum Bergomensem procul ab ostio ingressûs ipsius Ecclesiæ per Brachia tria, vel circa, astantibus etiam plantationi Magnificis Rectoribus Bergomi, magnâque personarum multitudine, me præsente.

Ego Presbyter Andreas Collonius fideliter extraxi, & pro fide meo signo munivi.

Præterea in Libro quodam m. s. apud hoc Monasterium adhuc existente legimus, quæ sequûtur de verbo ad verbum fideliter extracta.

JESUS MARIA.

Notum sit omnibus inspectantibus. Ego Soror F *Peregrina de Mediolano in Monasterio S. Mariæ regularis Observantiæ concessa à Vicario Generali ejusdem Ordinis, &c.* Postea sequitur Idiomate Italico: *Per la quale autorità fummi disegnato, e raccomandato da questa magnifica Communità, e Città di Bergamo questo Luogo, e Monastero intitolato S. Maria del Paradiso nella Parrocchia di S. Alessandro della Croce, & quamvis indigna, dal predetto P. Vicario Generale F. Filippo Cavazza fui costituita in governo, e Priora del predetto luogo, e Monastero il dì 5. Febbraro 1498.* Quæ quidem omnia leguntur etiam in alio quodam m. s. ibidem existente, anno 1663. exarato, ubi speciatim habetur, quòd d. Soror Peregrina Mediolano Bergomum venerat, duce eodem G P. Vicario Generali. Insuper, quòd Peregrinæ nomen impositum ipsi fuit, cùm S. Habitum induit longè antequam huc advenisset. Denique quòd hujus Monasterij regimini Præfecta ipsum septem annos, & ultra sanctissimè administravit, non sine magnâ ejusdem utilitate, ac pluribus exhibitis heroicæ virtutis exemplis. Cùm igitur hæc ita sint, opiniones hujusmodi ad invicem diversas conciliando, antiquam nempe traditionem cum relationibus hisce m. s. dicere licet, quòd anno quidem 1292. ædificari cœperit hoc Monasterium, prout antiqua fert traditio, sed humillimo prorsus exordio, diùque in summâ humilitate, & paupertate perseveraverit, H donec anno 1498. in ampliorem formam redactus, ut diximus, hic Locus opibus, & alio quocunque amplitudinis genere adeò excrevit, ut inter clarissima Bergomi Monasteria recenseatur. Locus hic dicitur *del Paradiso*, quia denominationem hanc habebant Patres nostri de Clusono, de quibus ad annum 1488. qui Monasterio huic erigendo operam omnem navarunt. Celebris verò fuit ob insignem vitæ sanctitatem, quâ diversis temporibus ab ipso usque exordio plures aliæ Virgines præter Peregrinam modò memoratam floruere, cujus mors pretiosa fuisse dicitur, attentâ celebri Sanctitatis ejus opinione circumquaque diffusâ, singillatim verò nil dicere

Soror Peregrina de Mediolano monasterii hoc sanctissimè regit.

Conciliantur supradictæ opiniones.

cere licet de rebus ab eâ præclarè gestis, quia ob supradictum incendium monumenta quæcunque desiderantur. Verùm de hisce claris Virginibus iterum ad annum 1613. Quæ de Loci hujus origine hîc diximus constant etiam ex libris memorabilium Civitatis, ex Historiâ Joannis Pauli Bonetti, qui adhuc addit unanimem Civium consensum pro hujus Monasterij constructione habitum fuisse eodem anno die octavâ S. Joannis Evangelistæ. De his quoque scribit Donatus Calvi in suâ Ephemeride die 3. Januarij lib. 1. pag. 16.

Conv. S. Sebastiani de Montilio

Eodem anno 1498. prope *Montilium* Montis Ferrati Oppidum in Diœcesi Casalensi locum quendam, & Ecclesiam Ordo noster accepit ab illius Oppidi Incolis, dono sibi datam, & S. Sebastiano Martyri dicatam ob teterrimam pestem universa per Italiam undequaque vastantem, nomine Ordinis recipiente P.M. Joanne Jacobo Campesi de Papiâ Ordinis nostri eo temporis Provinciæ Genuensis Procuratore, & annuentibus DD. Antonio, & Mafieto Braydâ, Joanne Bartholomæo, & Pantaleone de Palmerijs, Joanne Jacobo, & Petro Antonio de Malpassutis, Joanne Leonoti de Cocastellis, Stephano Meschiavino, & Joanne Jacobo de Cocconitis hujus Oppidi feudatarijs, prout constat ex publ. Instrumento rog. Ser Joanne Antonio Peliâ de eodem loco anno prædicto, quod asservatur in Archivo Ducali Casalensi. Verum Locus iste varias, & deplorandas subijt vices propter varia Bellorum ingruentium discrimina.

Conv. S. Mariæ Portûs Buffoleti

Nobilis Vir in Portu *Buffoleti* Veneræ Ditiônis Benedictus Ricci testamentariâ dispositione hæredes reliquerat Fratres Ordinis Servorum, qui construerent Ecclesiam apud eundem Portum in loco, qui dicebatur *Altariolum* ob Imaginem quandam perantiquam B. V. M. ibidem existentem, mandans, ut sibi poneretur sepulcrum juxta Aram Majorem, ubi Sacellum est ejusdem Virginis Mariæ, in cujus rei memoriam in proximo pariete leguntur sequentia.

Benedictus Riccius hanc Basilicam cum Cœnobio à fundamentis vivens construi jussit, Fratribus D. Mariæ Servorum dedicavit, ijsdemque omnia sua Bona contulit.

Ponitur solemniter primus lapis Eccl.

Quamobrem, ut suprema hæc Benedicti voluntas impleretur, die Jovis primâ martij hujus anni 1498. in loco, qui dicitur *Rivalis*, primus lapis hujus Ecclesiæ positus solemniter fuit sub invocatione B.M.V. consecrandæ, præsentibus D. Petro Superantio Patritio Veneto Potestate cum universâ Communitate, & Clero, necnon P. Bartholomæo de Venetijs Conventûs nostri de Patavio Priore, P. Constantino hujus Loci designato Priore, P. Joanne Mariâ de Raconisio apud Brugnatiâ, et Petro Paulo apud Purlilias Conventuum A nostrorum Prioribus.

Consecratur Eccles.

Consecrata deinde solemniter fuit eadem Ecclesia sequentibus annis, quemadmodum unicuique innotescere potest hujus rei memoriam legenti in lapide ibidem impressam.

Templum hoc anno quinto supra millesimum, & quingentesimum die 8. Mensis Junij D.O M. Virginique Sanctissimæ sacratum extitit, restauratum verò fuit 1596.

Conv. S. Prosdocimi unitur Conventui Portûs Buffoleti.

Portus hic Buffoleti intra fines est Marchionatûs Tarvisij sub Diœcesi Cenetensi. B Ejusdem nostri Conventûs membrum est Locus alter, qui dicitur S. Prosdocimi, de quo ad annum 1463., prout declaratum fuit in generalibus Comitijs Parmæ habitis die 26. Maij anno 1579. qui cæteroqui Prioratus antea erat in eadem Diœcesi Cenetensi prope Portum hunc Buffoleti.

Conv. S. Feliciani de Orgianâ.

Eodem pariter anno 1498. D. Rolandusq; Iacopini de Villâ à *Segranâ* Presbyter Ordini Servorum donat die 11. Maij Ecclesiam S. Feliciani de *Orgianâ* cum omnibus suis juribus, ejusdem Ordinis nomine in Urbe Vincentiæ recipiente P. Antonio de Veronâ. Ibique constituitur Prior P. Theodorus de Brixiâ. Consequentibus verò temporibus Locus hic unitus, veluti membrum, Conventui fuit Coloniæ Venetorum, C de quo ad annum 1445.

Universitas Jurisperitorũ, & Medicorũ Papiæ solemniter adit Ecclesiã S. Primi quotãnis

Ut autem Chronologiæ servetur Ordo, obiter saltem hîc referre juvat, quòd enixè petente P. Stephano de Cantio Provinciæ nostræ Lombardiæ Priore Provinciali, Universitas Jurisperitorum, & Medicorum Papiæ unanimi consensu decreverat anno 1407. die 10. Januarij Ecclesiam nostram S. Primi illius Civitatis quotannis in die Festo Purificationis B. M. V. cum quibusdam oblationibus solemniter adire.

Monast. Conceptionis de Ferrariâ Sorores de Viterbio, & Mantuæ ædificant.

Quænam fuerit origo Monasterij Sororum Ordinis nostri sub Tit. Conceptionis de Ferrariâ luculenter apparet ex ejusdem Monasterij Monumentis, quòd scilicet duæ ex Sororibus Ordinis nostri de Viterbio, quarum altera Soror Marina dicebatur, Ferrariam D venerunt, ut ibi Monasterium ædificarent. Convenientes autem in unum, sibique tres alias Sorores de monasterio Mantuæ sui pariter Ordinis adjungentes, Herculi primo Duci Ferrariæ supplicarunt, ut sibi per ipsum liceret, Monasterium in amplissimâ illâ Civitate à fundamentis excitare. Nam ex prædictis Monumentis innotescit, quòd Sorores memoratæ eidem Duci gratias agunt per literas Mantuæ datas die 17. Junij anno 1499. Innotescit quoque, quòd locum illis designaverit Hercules; colligitur adhuc ex Diarijs expensarum, quòd Ferrariam missæ fuere Sorores de Monasterio Mantuæ die 10. Julij ejusdem anni. Interim cùm de loco fundan-

do

do ageretur, Soror Eugenia de Oppido Cestiæ cum alijs Sororibus nostri pariter Ordinis apud S. Nicolaum, qui dicebatur *del Cortile*, diversabatur. Verum anno 1502. die 22. Maij Dominicâ SS. Trinitatis hujus Monasterij primo præfecta Regimini ipsum cum cæteris ingressa fuit, qui Locus etiam eo temporis dicebatur, sicuti hodieque dicitur: *La Cà Biança*. quæ postea titulum obtinuit Conceptionis B.M.V., quem prædicta Soror Eugenia ex Indulto Apostolico sanctissimè Instituit, & plures annos administravit, donec tandem feliciter in Domino obdormivit. De Loci hujus Ecclesiâ majori iterum nobis agẽdum erit ad annum 1537.

Conv. S. Mariæ de Consolatione Ferrariæ.

Idem Hercules Ferrariæ Dux pietate ductus erga B. V., & laudabili opinione, quam jampridem conceperat de P.M. Marino Baldi de Venetijs, Vicario Generali deinceps Congregationis Servorum de Observantiâ, quippe quem maximo omnium plausu Ferrariæ Concionantem audiverat, eidem, ejusque Congregationi locum dono dedit, ubi dicebatur *Terra nova*, in quo Cœnobium ædificaretur, & Ecclesia, sub Tit. B. V. *de Consolatione*. Quamobrem anno 1500. die 12. Maij cùm P.M. prædictus in Comitijs Generalibus Congregationis in Monte Bericæ apud Vincentiam habitis pium hoc Herculis votum significasset, & facultatem à Patribus ibidem congregatis petijsset Locum hunc recipiendi, Monasterium, & Ecclesiam ædificandi nomine ejusdem Congregationis; Patres habitâ diligenti consideratione, attentâ Ordinis evidenti utilitate, & pluribus ejusdem P. M. meritis perpensis, ejusdem petitioni annuerunt, quinetiam locum hunc perpetuò ipsi administrandum concessere, de quibus apparet publicum Instrumentum in pergameno per pub. Notarium Sylvestrum Guidonis Gõdi Venetum, actum in eodem Monte Bericæ in ijsdem Comitijs, ac die prædictâ. Quæ quidem omnia in eodem pergameno confirmavit Joannes Cardinalis S. Angeli Protector his verbis:

P. M. Marino Baldi facultas conceditur à Patribus fundandi prædictum Monasterium.

Nos Joannes Episcopus Portuensis Cardinalis Sancti Angeli, ac suprascripti Ordinis Protector. Cognoscentes omnia, & singula in præinserto Instrumento contenta cedere, & in dies magis cessura in Laudem Altissimi, & gloriosissimę Virginis eius Matris, ac pariter honorem, & augmentum ejusdem Religionis, præmissa omnia, & singula in eodem præinserto Instrumento contenta, tenore præsentium laudamus, approbamus, & confirmamus, in quorum fidem præsentem notulam minoris nostri Sigilli impressione munitam per infrascriptum Secretarium nostrum fieri fecimus. Romæ in Domibus nostris die 29. Decembris 1501.

Confirmatur à Joanne Cardin. Protect. & à Julio II. Papa.

Ego Franciscus de Caudis Secretarius &c. de mandato &c. scripsi, & subscripsi.

Item hæc omnia D. Antonius Ursus Episcopus Agiensis de mãdato Julij Papæ II. confirmavit die 15. Septembris anno 1504. Romæ in suis Ædibus, Julius enim Breve speciale direxerat in confirmationem prædictorum ad eundem Episcopum, necnon ad P.M. Marinum præfatum sub dat. Kal. Februarij ejusdem anni. Eo temporis Vicarius Generalis erat Congregationis P.M. Benedictus Mariani de Venetijs. Facultate hac acceptâ prædictus Marinus comparatis pretio Domibus, & alijs ad hoc opus perficiendum adornatis, Ecclesiam, & Conventum ædificare statim cœpit, quem laudabiliter administravit usque ad diem 22. Maij anno 1518., quo vitâ functus est, postquam ædificium maximè promoverat. Ut autem celebriorem redderet Ecclesiam privilegium Pœnitentiarij eidem impetravit ad instar Basilicæ Vaticanæ. Impetravit etiam ab Ecclesiâ Servorum de Venetijs insignes Reliquias sanctorum, easque varias, annuente D.D. . . . . Episcopo Tyburtino Apostolicæ Sedis Legato à Latere in amplissimâ Venetorum Ditione, quod sanè constat ex Instrumento in pergameno rog. Natale Regiâ Veneto Canonico Cenetensi pub. Notario in solidum cum Bonifacio Soliano pariter Veneto Notario die 8. Julij anno 1503. Asservatur hoc Instrumentum in hoc Ferrariæ Conventu. Locum hunc nedum Hercules prædictus Dux, verùm etiam cæteri ex eâ eminclarissimâ progenie, tum opibus, tum alio Beneficiorum genere, haud mediocriter fovere, & promovere consueverunt, prout constat ex publicis Instrumentis, quæ in eodem Conventu asservantur. Marcus Antonius Guarinius in historico suo de Locis pijs Ferrariæ Compendio hucusque dictis addit, quòd memoratus Marinus hujus Loci fundator Venetijs obijt anno prædicto 1518. cùm sacras ibi Conciones haberet. Ejus verò Corpus Ferrariam translatum, in Ecclesiâ primò S. Pauli repositum, in Ecclesiam hanc nostram deinde insigni pompâ, universo Populo insequente, tanti Patris, quem maximè dilexerant ob eximiam ejusdem pietatem, ac doctrinam, obitum deplorante translatum fuit. De hac Ecclesiâ iterum ad annum 1506. quo de origine dicendum erit Sacræ Imaginis miraculis illustris S. M. de Consolatione amplissimæ hujus Civitatis, & ad Ann. 1531.

In Loco, qui dicitur *Bassanello* ad ripam Padi extra Oppidum Sermeti in Territorio Mantuano, Thomas Danielis filius Pendaglia pietate ductus situm, seu potiùs Prædium dono dedit P. Eliæ filio Comitis Gherardi de Gambarâ Brixiano, Baccalaureo, & Concionatori Ordinis Servorum, ut ibidem cum Cœnobio, in quo nostri degerent FF., ædificaretur Ecclesia B.M.V. consecranda sub Tit. *della Madonna del Popolo*, de quibus habitum fuit Instrumentum die 12. Maij anno 1500. Rog. Ser Francisco Plectâ pub. Notario Mantuano, accedente consensu Thaddæi de Tancredis Ordinis nostri Prioris Generalis, qui eidem P. Eliæ facultatem concessit eundem Locum pro Ordine Servorum recipiendi, vi-

Conv. S. Mariæ de Sermeto.

ces

ces suas illi committens per literas patentes Coloniæ Venetorum datas in Conventu SS. Felicis, & Fortunati die 16. Junij ejusdem anni, instante D. Marchione per literas patentes ejusdem Generalis datas Venetijs in Conventu S. Mariæ Novellæ apud Judaicam die 20. Maij ejusdem Anni. In hoc loco inter Sacras Reliquias parva quædam adest Capsula cum schedulâ perantiquâ, in quâ scriptum est: *De Tunicâ B. Barbettæ de Forolivio*, quæ planè indicant ejusdem Patris sanctitatem. Memorandum etiam omnino est, quòd Ven. Soror Anna Juliana Gonzaga Archiducissa Austriæ varia, eaque preciosa ad usum Ecclesiæ donaria contulit P. Joanni Paulo Rinaldi ejus olim Confessario Conventûs hujus Alumno, cui proinde addicta ibidem asservantur, & egomet anno 1715. Mense Julio summâ animi jucunditate, ob singularem venerationem erga prædictam Ven. Sororem, ibidem pariter aspexi. Eodem anno 1500. D. Laurentius Mozzanica Comes Turani in Ditione Mediolanensi eo temporis Commissarius Generalis Regis Galliarum Ecclesiam in eodem Oppido Turani à fundamentis erexit, atque complevit ad honorem B. V., & S. Laurentij Martyris, eamque Ordini Servorum donavit, recipiente P. Antonio de Aquaneis de Mediolano, prout patet ex Instrumento, de quo rog. fuit Melchior de Gaddis pub. Notarius Mediolanensis die 2. Maj anno 1500., & ex alio Instrumento ejusdem Notarij die 14. Junij proximè sequentis, quo Idem P. Antonius possessionem hujus Loci recepit. Ecclesiam hanc eodem pariter anno die 10. Augusti D. Erasmus Episcopus . . . . ritu solemni consecravit. Locus alter Ordini nostro eodem anno apud Narniam accedit, sive Narnam Straboni, priùs Nequinum Plinio teste, Umbriæ Civitatem ad Montis radicem, & Narem Fluvium subterfluentem, à quo nomen accepit, Româ distantem per quadraginta milliaria, quæ se genuisse gloriatur Nervam Imperio, & Summo Pontificatui Joannem. Hujus autem Conventûs hanc esse originem antiqua fuit traditio. Extra Portam Urbis, quà per Flaminiam Roma aditur, non procul ab Arce, quam condidit Eugenius IV., Imago quædam erat B. V. ab immemorabili tempore in Patiete depicta, ibi verò Frater quidam Ordinis nostri vulgò dictus: *Il Fraticciuolo*, à quo deinde ipsa imago denominari cœpit: *La Madonna del Fraticciuolo*, prout indicant vota apud eandem Sacram Imaginem appensa; in Ædiculâ quâdam degens transeuntes aquâ benedictâ aspergere, & victum eorundem subsidio sibi comparare consueverat, quinetiam parvum Sacellum eidem S. Imagini Piorum ope construere cœpit, ex quo miraculis illustris eo temporis evasit. Instituta subinde Societas quædam sub Tit. S. Mariæ Gratiarum, quo nomine appellati tunc pariter cœpit sacra eadem Imago, ejusque sacellum ob

Conv. S. Laurentij de Turano.

Consecratur Ecclesia

Conv. S. Mariæ de Narniâ.

Construitur Sacellum B. V. Imagini miraculis illustri.

A affluentiam, raritatemque gratiarum, & Populorum concursum, eleemosynas à Christifidelibus oblatas administrare solebat, & Locus ipse in ampliorem formam excrevit. Interea P. M. Cyriacus de Fulgineo Ordinis nostri vir doctus, & eloquens, societatis hujus Confratribus ejus eloquentiâ commotis id enixè petentibus Locum nunc pro Ordine Servorum recepit, quem cæteroqui Confratres administrarunt usque ad annum 1562., quo Ordinis nostri Fratribus ipsum liberè administrandum tradidere, integritatem maximè, ac doctrinâ cum summâ auctoritate conjunctam suspicientes Feliciani Capitonij, sive Amuccij Viri celeberrimi, quem deinde ad Archiepiscopatum Avenionensem S. Pius V. evexit. Ecclesiam hanc, & Sacram B. V.

B Imaginem venerabundi quotidie adierunt, & adeunt omnes, præsertim verò in diebus Rogationum, & Ferâ 2. Pentecostes, qui bus universa Civitas cum Clero eò processionem, seu lustrationem instituere consuevit. Anno autem 1592. aliò translata fuit Ven. hæc Imago, prout ad eundem annum dicemus.

Hisce pariter temporibus Ordini nostro accessere duo Loca in Ditione Tarvisinâ. Alter quidem dictus S. Mariæ Gratiarum *Bigolim* Vallis Dupladinis in situ fertili, amœno, ac saluberrimi aeris ab Incolis erectus, & Ordini nostro donatus anno 1491. Alter verò dictus S. Rochi prope Feltriam Venetorum Urbem in Alpibus Tridentinis, non Rhæti-

C cis, quod scribit Ortelius, Venetias inter, ac Tridentum in Vico, qui dicitur Ormeum. Utrumque verò Locum consequentibus annis Tarvisino nostro Cœnobio S. Catharinæ aggregavit Augustinus de Aretio Generalis, anno videlicet 1547. prout constat ex Literis ejusdem sub dat. Bononiæ die 17. Julij ejusdem anni in ejus Regesto pag. 173. & è Monumentis prædicti Conventus S. Catharinæ, maximè priore Locum, eò quòd Ordini Servorum ipsum comparaverit P. Bartholomæus de Tarvisio. Apud *Castellettum* Diœcesis Cremonensis, cujus Loci Dominio potiti olim fuere DD. Comites de Ponzonis Patritij pariter Cremonenses, modò verò potiuntur DD. de Allijs Patritij & ipsi Cremonenses,

D jampridem tenuit Ordo noster sedem, majorem videlicet Ecclesiam, eamque Parochialem, in qua visere licuit olim Beatorum nostri Ordinis Imagines in pariete depictas, etsi compertum adhuc non sit, quo tempore primùm, quove modo tenuerit. Hoc tamen exploratum habemus ex hujus Cœnobij monumentis, quòd anno circiter 1500. è memoratâ majori Ecclesiâ in aliam, quam modò tenent, translati fuere PP., eamque unà cum suo fundo Comites prædicti ipsis dono dedere. Hisce temporibus floruisse testatur Tonduzius in Historiâ Faventiæ pag. 38. Fratrem quendam Philippum Faventinum Ordinis nostri scientijs maximè instructum, idcoque

Administratur hic Locus à Societate sibi instituta.

Ad hanc Ecclesiâ plures fit solemnis Processio.

Conv. S. Mariæ Grat. Bigolini, & S. Rochi Feltrensis.

Conv. S. Mariæ Castellettonis de Castelletto

Philippus Faventinus Vir doctissimus

Cathedris in eodem Ordine insignioribus prælatum fuisse.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

O*Mnia, & singula in hoc Cap. contenta è monumentis eorundem Conventuum colliguntur.*

Thadæus vigesimustertius Generalis, dum reformandæ Congregationi invigilat, Alexander Pont. Jubileum toti Ordini, & Ecclesiæ Annunciatæ de Florentiâ impertitur.

CAP. IV.

QUO tempore universus Orbis pro expiandis erratis ad sanctissimum Romanæ Urbis Jubileum properabat, noster quoque Ordo pro Comitijs Generalibus consueto doctissimorum Patrum apparatu celebrandis Bononiam proficiscebatur. Ibi igitur die 22. Maij in Priorem generalem summo omnium consensu .1. eligitur Thadæus Tancredus de Bononiâ, & per manus M. Francisci de Senis .2. qui ibi cum M. Jacobo de Florentiâ Provinciali præerat pro suâ Provinciâ Thusciæ primus Diffinitor, consuetis insignibus officij receptis, confirmatur vigesimustertius totius Ordinis Generalis, cui adhibetur pro Romanâ Curiâ Orator, & Procurator Jacobus Philippus Ferrariensis .3. Adfuit in his Comitijs .4. Benedictus Marino Venetus Vicarius generalis cum suis de Congregatione nuper Vincentiæ electus. Vir profectò eâ præfecturâ dignior habitus, quò & observantiâ morum, & doctrinæ copiâ plurimùm pollens in concione valdè eminebat, sed inprimis religiosæ observantiæ percupidus. In his porrò Comitijs, quid sancitum fuerit, ex monumentis non colligimus. Hæc tamen duo deprehenduntur ex ipsius prudentiâ Generalis ordinata .5. Primùm ut Conciones per Adventum m. s. Ambrosij Spleræ Tarvisini nuper diligentiâ, & studio F. Simonis à Castellaccio repertæ, & M. quondam Nicolai de Senis Sermones de Sanctis tandiu expectati cuderentur, curâ imprimendi demandatâ Magistris Carolo juniori, & Philippo de Faventiâ, qui tunc domesticum Bononiæ Gymnasium regebat. Alterum ut gesta Religionis .6. hactenus usque ad annum 1492. per præfatum P. Simonem collecta in posterum per M. Jacobum Philippum Ferrariæ, necnon per P. Philippum Mariam de Bononiâ, quem vulgari agnomine *Sgamaita* vocabant, pro rei veritate describerentur. Maximâ quidem illius temporis usi sunt diligentiâ Patres nostri pro conservandâ singulis temporibus rerum nostrarum memoriâ. Hoc eodem anno .7. [P. M. Ambrosius Klumps de Saxoniâ ex Nuncio Germaniæ ad Episcopatum Novariæ assumptus

Monumēta Ordinis pro condēda Historia præcipiuntur colligi.

fuit ab Alexandro VI.] Item Cœnobium
E Mantuæ fortuito incendio funditus ferè evertitur, sed brevi in augustiorem formam, Patrum studio, & præcipuè Clementis Bonardi operâ reficitur. Non sic Conv. de Casulis .8. quem sacrilegus ille, & omni scelere armatus Cæsar Valentinus, dum Etruriæ imperio evertendo, & suæ inexplebili tyrannidi subjugando operam navat, à fundamentis igne, & ferro tam impiè destruxit, ut ne vestigium quidem superesset, nullo habito respectu, quòd Ecclesia illa tunc maximæ devotionis Annunciatæ Dei Matri dicata foret; Non sic inquam Cœnobium illud tam citò, & tam immaniter eversum, nisi post multos annos in arduo, difficilique loco vix restaurari utrumque potuit. [Quod sanè humile, &
F angustum ab initio fuit juxta Portam Vallis, quæ respicit Urbem Collensem, intra Mœnia Oppidi apud Oratorium S. Nicolai, qui deinde Ecclesię, antiquato Titulo Annunciatæ, prioris nostræ Ecclesiæ proprio, nomen dedit. Verùm procedente tempore Locum hunc, atque Cœnobium in ampliorem, & elegantiorem formam a fundamentis redegerunt PP., ibique commorati fuere, donec ex Decreto notissimo Innocentij X. inde recedere coacti fuerunt, quemadmodum ad annum 1652. dicendum nobis erit.] Januis interea Sacratissimi Jubilei post expletum Annum in Urbe clausis, impiger Joannes Protector, & de nostrâ omnium salute semper solicitus .9. ex speciali favore tertio Kalen.
G Febr. à Summ. Pontif. impetravit eandem Jubilei veniam pro omnibus Fratribus, & Sororibus nostri Ord. Servor., prout constat ex sequentibus Literis.

Beatissime Pater.

[UT *Animarum saluti devotorum Religiosorum Fratrum Servorum B. Marię Ordinis S. Augustini, ac devotarum in Christo Filiarum Monialium, & Sororum sub dictæ Religionis habitu, & curâ Altissimo famulantiū ubilibet consistentiū consulatur, supplicat Sāctitati vestræ devota illius creatura Joannes Episcopus Portuensis Cardinalis S. Angeli d. Ordinis Protector, quatenus eis specialem gratiam faciat, ut ipsi, & quilibet eorum tam masculus,*
H *quàm Fœmina, qui pro assequendâ Indulgentiâ huius Sacri Jubilei Anni Centesimi nuper decursi, sive paupertatis, sive Religionis, & honestatis causâ, aut quavis aliâ causâ ad Urbem se conferre nequiverunt; cumprimùm in Civitatibus, Oppidis, sive locis, in quibus eos, vel eorum qualibet moram trahere contigerit, quatuor Altaria Conventuum, in quibus morantur, aut aliarum Ecclesiarum, per eos, aut eorum quemlibet, seu earum quamlibet eligenda, septem diebus continuis, vel interpellatis visitando, & ante illa septies Orationem Dominicā, & toties salutationem Angelicam devotè dicendo, ipsam plenissimam Jubilei anni proximè decursi Indulgentiam, devoto corde contriti, & ore*

con-

confessi fuit, consequantur, quam consequerentur, si quatuor Basilicas Urbis, & extra eam ad id in proximo Jubilei anno deputatas, quæ visitari debeant infra d. Jubilei annum, visitassent personaliter, aut quilibet eorum, earumve visitasset, & omnia alia adimplevissent, seu adimplevisset, quæ pro d. plenissimâ Indulgentiâ consequendâ requiruntur, fecissent, seu fecisset, indulgere digueminis de gratiâ speciali, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæteris que contrarijs quibuscunque.

Fiat ut petitur &c., et salubriter consulatur.

Et cum plenissima Indulgentia præmissa anni Jubilei proximè decursi pro omnibus, & singulis tam masculis, quàm Fœminis, ut præmittitur. Et quod quilibet eorum, earumve possit sibi eligere Confessorem, qui eos absolvat, prout absolvere poterant in d. proximo Jubilei anno decurso Pœnitentiarij in Basilicâ Principis Apostolorum de Urbe deputati. Et quòd præsentis supplicationis Transumpto manu alicujus Notarij publici subscripto fides plenaria ubique adhibeatur. Et quòd præsentis supplicationis sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat.

Fiat.

Dat. Romæ apud S. Petrum 3. Kal. Februarij Anno Nono.]

Strata marmorea Annunciatæ Peregrinorum frequẽtia consumpta reficiuntur.

In Ecclesiâ pariter Annunciatæ idem seorsim pro omnibus utriusque sexus fidelibus Florentinæ diœc. concessum; quò ubi præter consuetam omnium aliorum temporum frequentiam, talis fuit concursus, ut oportuerit hoc anno 1501. totum lateritium Ecclesiæ stratum consumptum .10. ex sectis denuo lapidibus reparare, atque inprimis marmoreum porphyreticumque Sacelli Annunciatæ pavimentum novum ex solido marmore rursus post primum à Petro Medices ante ãnos quinquaginta stratum restaurare; Argumentum certè permagnæ devotionis Populorum erga sacratissimam illam Imaginem; Cui etiam nuper accesserat dives illa Christianissimi Regis Ludovici oblatio duorum Pluvialium, &

Aurea Paramẽta Ludovico 12. Rege Franc. Annunciatæ oblata.

Dalmaticarum cum Planetâ pro solemni officio, & sacrâ celebrandâ Sinaxi, sumptu planè regio digna supellex, quam cyrthati auri ponderosâ texturâ, phrygioque ornatam opere spectabant omnes. Magno enim hæc aurea paramenta Florentinorum plausu Mense Majo præteriti Anni 1500. recepta, & per præcipuum Regis Oratorem delata fuerant, quæ deinde super ornatum plaustrum veluti Annunciatæ trophæum in S. Joannis Lustrationibus Populo (ut tunc moris erat) exposita fuerunt, & usque ad hanc nostram diem veluti regiæ illius pietatis testes in eo Sacrario asservantur.

Hoc eodem anno Capitulum Patrum Congregationis celebratum est Brixiæ, in quo Philippus Cavatia Venetus tertiò Vicarius Generalis præficitur. De hoc autem Vicatio sic refert Philippus Albrisius Mantuanus suo Catalogo Vicariorum Generalium.

Hujus Philippi Cavatiæ perfidiam, pravamque congregationis administrationem cum amplius Patres ferre non possent, omnes libertatis habendæ gratiâ in eum pariter insurrexerunt. Habitoque primorum consensu Thadæus Tancredus Prior generalis Venetias pro liberandâ à tirannide Congregatione rogatus accessit. Cujus adventum, & ejus causam cùm Philippus agnovisset, juri stare recusavit: è Conventu igitur recessit sperans, & profanorum, sive Secularium subsidio, & Curiæ Romanæ authoritate in honoris dignitate persistere. Interea Prior generalis suo fungens officio Philippum Cavatiam, & ejus sequaces tanquam profugos, & juris arbitrium fugientes, ac contumaces à nostrâ Congregatione perpetuo exilio abdicavit. Constituitque ex primoribus quatuor Visitatores, qui totam Congregationem omni authoritate eis impertitâ percurrerent, & cadentes in moribus in rectam adducerent, quorum authoritas ad tempus usque Conventûs congregandi firma persisteret. Hoc autem tempore Philippus Cavatia plurima, & Venetijs, & Romæ egit, ut in Congregatione reciperetur. Sed frustra singula tentavit. Tandem Paduæ inter Conventuales miserrimè obijt. Eo igitur expulso (inquit Albrisius) *mores cæperunt ad integritatem reduci, & tota Congregatio visa est resipiscere.*

Conv. de Casellis

[Extra Oppidum, quod dicitur .13. *Caselle* in ditione Ducum Sabaudiæ, Communitas Ecclesiam sub Tit., & in honorem B. M. V. extruxerat. Hanc verò, annuente Archiepiscopo Taurinensi, in cujus Diœcesi sita est, ac Thadæo de Bononiâ Ordinis nostri Generali recipiente, eidem Ordini cum annuis proventibus die 25. Julij anno 1501. largita fuit. Cùm autem solo æquanda fuisset ob ingruentia Bella, consequentibus temporibus Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ adiere PP. ibique sedem statuerunt, quemadmodum ad annum 1549. erit nobis dicendum .13. Spoleti quoque in Umbriâ hoc eodem anno 1501. die 4. Julij P.M. Thomæ Spoletani operâ, ac studio, quippe qui Concionator egregius, ac Vir doctissimus apud Concives suos plurimùm valeret, Conventui illi nostro S. Lucæ, de quo ad annum 1273., Hospitale quoddam sub tit. S. Crucis cum hortalitijs accessit, ut in ampliorem formam redigeretur, redactum autem longe elegantiùs, ac magnificentiùs modò videmus, prout ad annum 1720. dicemus.]

Solo æquatur Eccl. & aliam adeunt PP.

Conv. de Spoleto unitur Hospitale S. Crucis.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 *POcciant. in Chron. licèt prætervertat Annum horum Comitiorum, ut optimè observavit Author ex varijs monum. & Diar.*

2. 3 *Ex Diar. & monum. Conv. Annunc. de Flor.*

4 *Albris. in Catal. Vic. Gen. Congr.*

5 *Ex monum. Conv. S. Joseph de Bononiâ.*

6 *Quamvis Author nullibi unquam potuerit ip-*

sius Landrophili monum. Ord. nostri collecta videre, loquitur tamen ex aliorum sententiâ, & præsertim Pocciant. qui illa sæpe in Chron. citat. de F. autem Philippo Mariâ copertissimũ habet Author ex Diar. Conv. Annunc. de Fl. illum consultò duos menses Florentiæ commoratum, ut evolveret monum., quæque pro suâ conscribendâ Historiâ, quæ habetur in Campione Bonon. usque ad annum 1542.

7 *Albri. in Catal. Vic. Gen.*

8 *Ex monum. Communitatis Oppidi Casularum.*

9 *Habetur hæc concessio inter monum. Convent. Bononiæ.*

10. 11 *Ex monum. Conv. Florent. in quibus apparent pecuniæ pro iis reficiendis pavimentis. Et insuper hospitalitas, & expensa pro Bajulo paramentorum Regis Franciæ.*

12 *Ex Histor. Francisci Guicciard. singula.*

13 [*Ex Monumentis illorum Conventuum.*]

N O T Æ.

1 [AMbrosii Spiera, cujus Conciones per Adventum hic num. 5. Typis imprimendæ statuuntur, Quadragesimale celeberrimum, quod primò Venetiis imprimi curavit anno circiter 1477. Leonardus Spiera, ut ad annum 1455. dictum est in hac Centuriâ III. iterum prodijt in lucem anno 1488. emendatum quàm maximè per R.P. Magistrum Marcum Venetum S. Theologiæ Doctorem Ord. Servorum B. M.V. Summâ curâ, ac diligentiâ Boneti Locatelli impressum pariter Venetijs 10. Kal. Martii sumptibus D. Octaviani Scoti, cujus exemplar vidi Pisis in Bibliothecâ PP. D. Annunciatæ de Florentiâ, cum sequenti Elogio.*

Siquis ades doctus Ambrosi nomen adorans,
Et libros properas velle videre novos.
Hos eme, queis manibus noctúque, diéque retêtis,
Edisces, valeant quid documenta Dei.
Et quo prædicanda modo sint nomina Christi,
Et quæ te pariter Virgo beata docet,
Cunctáque præterea, quę ad Sũmi culmina Cœli
Deducunt, facilem dantque, parantque Viam.]

Dum Clemens de Mantuâ Vicar. General. unà cum Tancredo Priore Gener. studiorum, morumque reformationi intendunt, Imago B. V. inter Lunenses admiranda deprehenditur.

C A P. V.

POstero anno Venetijs Conventu habito an. 1502. Clemens de Mantuâ cōcionatōr clarissimus, & Theologus in disputando acerrimus, postquam Congregationis supremam recepisset administrationem .1. curavit, ut electa Juventus; cui studendi facultas priùs ab inerudito Cavatiâ interdicebatur, cùm naturâ comparatum sit, ut simili quisque gaudeat, cœpit excitare Juvenes, ut optimis studijs operam navarent, adeò ut brevi plerique ad summam literarum perfe-
E ctionem pervenerint. Quibus planè auspicijs etiam Generali Tancredo aspirante, qui his Comitijs interfuit, non nisi bene de Congregationis progressu sperari cœpit. Hanc igitur occasionem nactus Thadæus Generalis tantam Venetorum, & totius Congregationis gratiam, & benevolentiam sibi comparavit, ut Leonardus Lauredanus Princeps Serenissimus .2. ultrò in ejus commendationem has Literas ad Joannem Protectorem daret.

REverendissime in Christo Pater. Cùm in reformatione Divæ Mariæ Servorum de Observantiâ hujus Civitatis nostræ Pater Generalis Ordinis prædicti non minùs graviter, & virtuosè, quàm religiosè se gesserit, universæque Urbis satisfactione, & gratiâ omnia
F *ad perfectum, & optimum reduxerit terminum, Reverendissimæ dominationi vestræ Ordinis prædicti Protectrici gratulamur, commendamusque ipsum Rev. Patrem religiosum profectò dignum summâ laude: Certissimi, quod si in cæteris Orbis regionibus visitationem Ecclesiarum ipsius Ordinis perseverabit immortalem procul dubio reddat Reverendissimam Dominationem vestram tum æternâ gloriâ, & dignitatis, & patriæ, & familiæ exaltationem. Hoc significandum Reverendiss. Dominat. vestræ censuimus, ut quæcunque in hac Urbe aguntur ad honorem suum spectantia literis nostris innotescât.*
Datum in nostro Ducali Palatio XV. Martij Indictione V. 1502.
Leonardus Lauredanus Dei gratiâ
G *Dux Venetiarum.*

Hoc eodem Anno Thadæi jussu Venetijs in magnis, & conspicuis tabulis pro nostris Ecclesijs imprimuntur Indulgentiæ tam pro Vivis, quam pro defunctis à Summis Pontif. Ordin. nostro concessæ. Iis Ipsis quoque temporibus accidit, ut in Oppido Castulonensi, quod inter Lunenses de Terzerio vocant .3. Diœc. Sarzan. Imago quædam B. V. in ædibus eorum, qui de Bertozzis dicebantur lugere visa fuisset, eò quòd à puerulis nescientibus quid agerent, ludibrio percussa fuisset; quo quidem miraculo deprehenso translata fuit in Ecclesiam primariam S. Leonardi, donec in alio præcipuo sacello prope fontem
H locaretur. cumque pluries inde clam recederet, & in pristinum locum de Bertozzis ultrò reverteretur, D. Peregrinus de Porcellottis vir pius, qui Ecclesiam illam regebat, oratione præmissâ, oraculoque accepto, Imaginem illam in quodam tabernaculo, ubi nunc est, collocari, & Patribus nostris commendari curavit, ubi deinceps multas gratias, & miracula edidisse municipes illi jurejurando testati fuerunt; ex quibus præcipua hæc enumerantur.

Admirabilis Imago B. M.V. in oppido Castulone de Terzerio.

Benedictus de Zerbinellis ad carceres Castulonis damnatus, voto facto, liberatur. Camillus Turianus adhuc puer à leprâ mundatur.

tur. Marcus Lapicida ab Orturano sub ruinâ cujusdam cavernæ oppressus, B.V. intercessione incolumis evasit. Angelinus Matthæi confracto crure, post votum emissum statim ambulare cœpit, ac si nihil mali passus fuisset. Petrus Sylvestri vulnere accepto, ex quo intestina diffluerent, nec spes ulla salutis esset, per merita ejusdem B. V. sanatus fuit. D. Marcellus Matchio à Corlago, dum in arce Mediolani carceratus detinetur, ex alto muro, ut evaderet, præcipitem se dedit absque ullâ corporis læsione, & id meritis ejusdem B.V. Elisabet Philippini puellula fortuitò orbata uno oculo liberatur. Joannes Matthæus Pasquini de Collesino, dum in Pannoniâ militaret, à mortali ictu sclopi ejusdem B. V. intercessione liberatur. Andriola uxor Dominici Turriani, cum dolores partûs diu sustineret, voto emisso fundandi Altare in eadem Ecclesiâ B. V. facilè, & sine doloribus fœtum enixa fuit. Stephanus de Nocetis de Bagnono cùm gravi morbo Pustularum adeò laboraret, ut jam vitam ageret, voto facto & vix adimpleto per ejus genitricem Aldam, ut nudis pedibus B. V. inviseret, statim convalescere cœpit. Laurentius Dominici Turriani de mense Aprili 1607. cùm in Corsicam adnavigaret, maximâ obortâ tempestate non procul à loco, qui dicitur *Pietra Carbonara*, dum vehementer periclitaretur, emisso voto de nonnullis oblationibus ad eandem B. V. statim cessavit procella, & secundo vento ad portum Corsicæ pervènit. Dominicus quoque Antonii de Nolâ cùm in festo S. Petri ad Corlagum inter choreas fistulâ caneret, vulnere gravi in umbilico accepto, unde intestina profluerent, nomine ejusdem B. V. devotissimè implorato, sanus evasit. Matthæa uxor Joannis de Menenis à Groppo, cùm primum ederet partum, nec lac ad ipsum alendum ministrarent ubera, gratiam lactis recepit. Nuperrimè autem an. 1617. die 26. Julij Jacobus Matthæi de Uspiano, cùm pluries sub quodam plaustro à duobus Bobus robustis, & calcitrantibus oppressus, & semimortuus remansisset, invocato ejusdem B.V. præsidio, liberatus fuit. Die quoque 28. Maij Anno 1618. Baptista filius Joannis infans annorum quatuor gravi lapide circiter librarum triginta, qui è tecto 25. brachiorum altitudinis ceciderat, percussus, & à patre summis precibus eidem Imagini commendatus, convaluit. Multa alia hujusmodi gratiarum signa sub die 20. Januarij Anno 1619. per Notarium, & testes eo in loco collecta fuerunt.

Conv. S. Mariæ Castilionij de Terzerio.

[Itaque 4. Castilionenses de Loci hujus, ac S. Imaginis veneratione impensè soliciti die 21 Aprilis anno 1501. ex publico decreto constituerunt locum hunc administrandum tradere PP. D. Annunciatæ de Florentiâ, prout constat ex instrumento, de quo rog. fuit prædictâ die Joannes de Bartholomæis pub. Notarius. Hinc PP. D. Annunciatæ Januario proximè sequentis anni 1502. P. Aurelium eò miserunt, ut in Ecclesiâ Castilioni sacras Conciones per Quadragesimam haberet, cui proinde nomine Ordinis, ac Patrum præfatorum recipienti die 13. Februarij ejusdem Anni Francischinus Communitatis illius Consul unanimi populi consensu, assentientibus d. Ecclesiæ Operarijs, & annuente Episcopo Lunensi, & Sarzanensi possessionem realem tradidit, ibique PP. permansere usque ad annum 1652. quo inde recedere coacti sunt vi Bullæ notissimæ *Instaurandæ*, ac Presbyterum secularem jure proprio designare cœperunt.]

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *A Lbrisius de Vic. Gen. Congr.*

2 *Litera Ducis Leonardi Laured. inter monum. Conv. S. Joseph de Bonon.*

3 *Ex autenticis relationibus multorum testium Opp. ejusdem Castilion.*

4 *Ex monumentis ejusdem Conventûs.*

Aliorum Conventuum refertur Origo.
C A P. VI.

Conv. & Eccl. S. M. Vallis Viridis de Corneto

[AD eundem annum 1502. referenda pariter videtur Conventûs illius origo, quem in loco, qui dicitur *Vallis Viridis*, prope, et extra Cornetum in Provinciâ Romanâ tenet Ordo Servorum. Ut autem eandem originem altius repetamus sciendum est, quòd ibidem in Ecclesiâ quadam vetustissimâ depicta erat B. V. M. Imago, quæ pluribus, & insignibus miraculis circa annum Domini 1483. coruscare maximè cœpit. Quamobrem Urbis illius Communitas accedente piorum Christifidelium ope, qui sacram illam Imaginem adire frequenter venerabundi consueverant, ac B. Virginis præsidium implorare, Ecclesiam pene collabentem in ampliorem, & elegantiorem formam, qualis etiamnum visitur, redigere decrevit. Hinc Dominicus Ruvere S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis sub Tit. S. Clementis Communitati prædictæ Ecclesiam hanc, & omnia ejus jura liberè concessit ad hoc potissimùm, ut iterum longè augustior erigeretur, piorum, ut diximus, subsidio, ob innumera, & jugi tenore collata gratiarum genera, maximè verò, quòd à pestiferâ lue vindicata eadem Civitas nuper fuisset; quæ planè constant ex Literis patentibus in pergameno Romæ datis die 26. Januarij 1483. quæ in hoc Conventu asservantur.

Eccles. prædicta Cõmunitati donatur

Constat autem ex Libro Reformationum illius Communitatis, quòd die 13. Septembris 1502. *P. Provincialis Servorum cum duobus Magistris S. Theologiæ exposuit eidem Communitati, qualiter ejus Religio cupit habere Ecclesiam Vallis Viridis, prout dictæ Religioni promissum fuit;* Verba hæc ipsa sunt, quæ inter Acta Consilij illius Communitatis die prædictâ inserta leguntur. Subindeex iisdem Actis

Imago B.V. ibi est miraculis illustris

Communitas Eccles. hanc Ordini Servor. donat.

Actis patet, quòd Consiliarij approbandam proposuere à D. Cardinali Farnesio primùm, E qui forte tunc erat in eâ Regione Legatus Apostolicus, deinde verò à Summo Pontifice Sixto IV. per speciale Diploma concessionem hujus Ecclesiæ, quam Ordini nostro Servorum Communitas prædicta fecerat; hinc meritò colligere Nobis licet, quòd hoc anno 1502. locus iste Vallis Viridis Ordini prædicto contigerit.

Procedente verò tempore cùm Populi erga B. V., ejusque Sacram Imaginem hanc magis in dies, ac magis augeretur devotio, & Deiparæ beneficentiam pari quoque ratione experti magis omnes fuissent, publico Communitatis illius voto statutum fuit, ut singulis annis Dominicâ secundâ post Pascha solemnis Processio fieret ad hanc Ecclesiam, F ibique dies illa insigni celebritate recoleretur, quod sanè adhuc hisce temporibus fieri videmus eâ prorsus lege, quam hic describere placet.

Dom. 2. post Pascha celebratur Festum solemniter.

Feriâ 2. Dominicæ Resurrectionis ante Meridiem Urbis hujus Magistratus Ecclesiam hanc adit, cæteroqui publicis insignibus, ac solemni habitu minimè indutus, ibique interest Missæ, quæ privatim celebratur, quâ absolutâ, præmissâ S. Spiritus invocatione, in eadem Ecclesiâ eliguntur Præfecti, vulgò dicti *i Signori* trium Universitatum, quæ Cappam non induunt, quarum altera est tum rusticorum, tum Civium, qui terras arare, vel arandas curare solent. Altera, quæ dicitur *de Vaccari*, è Civibus conflata, qui Vaccarum, G aliorumque hujusmodi Animalium greges possident. Tertia demum, quæ dicitur *de Casenghi*, è gregariis hominibus conflata, qui bestias possident Clitellarias.

Feriâ deinde 5. vel 6. post Dominicam in Albis Aratores, sive primæ universitatis Præfecti sulcum producunt per tria milliaria à principali nostræ hujus Ecclesiæ Portâ per lineam rectam usque ad mare, quod ipsa respicit. Quoniam verò non eâdem semper viâ singulis annis procedunt, propterea quòd eam semper tenent, in quâ vividior tritici species apparet, quæ proinde vulgò dicitur *il più bel verde*, ne latum quidem unguem à rectâ lineâ devient, Arbores etiam cędunt, et, si opus fuerit, muros quãdoque Hortorum, H & Vinearum demoliuntur, quin ullus de hac re conqueratur, vel alio quocunque tritici præjudicio exinde proveniente, non modò quia libera hæc procedendi facultas vel ex consuetudine, vel de jure invaluerit, verùm etiam, & quidem maximè, quòd unusquisque ex hoc Sulco sibi prospera auguretur, eò quòd ab immemorabili tempore communis processerit traditio, quòd pars illa præjudicium nullum in tritico subierit, per quam sulcus iste productus fuerat, qui Sabbatho proximè sequente absolutè completur.

Ipsâ Sabbathi die Dominicam secundam post Pascha immediatè præcedente persolutis in Ecclesiâ Cathedrali Vesperis, D. Episcopus cum Clero, & Magistratu, pręcedente Sacro Labaro, ab eadem Ecclesiâ processionaliter egrediens cum tribus Canonicis Pluviali Indutis Ecclesiam hanc nostram adit; antequam verò ipsam subeat, Clericus Labarum deferens cum ipso se sistit, ubi positus ad hoc cernitur lapis, quo pariter tempore Patres hujus Cœnobij Labarum pariter præferentes processionaliter obviam ipsis occurrunt, & Labarum ibi pariter sistunt, ubi positus alter ad hoc cernitur Lapis aliquantulum à prædicto lapide dissitus.

Tunc verò genua flectentibus omnibus facie versus Ecclesiam conversâ Archidiaconus, sive prima dignitas Cathedralis præcinit Hymnum *Ave Maris Stella*, cujus priori Stropha Choro absolutâ, surgentes omnes ad Ecclesiam procedunt, primùm sanè Servitæ, deinde Clerus, & Magistratus cum Episcopo, qui Vesperis intervenit, quæ solemniter ibi celebrantur, postquam Clerus idem, & Magistratus eò subierit, quibus persolutis iterum Hymnum prędictum cantantes Urbẽ processionaliter repetunt, quin tamen ipsos ulteriùs associent Servitæ.

Dominicâ deinde proximè sequente Clerus, & Magistratus cum Episcopo eodem ordine ad hanc Ecclesiam redeunt, ubi è Canonicis alter, cui pariter duo alij Canonici inserviunt, Missam solemniter celebrat, eo tantùm discrimine, quòd Magistratum adeuntem Ecclesiam præcedunt, qui deferunt Bravia equorum cursui ipsâ die habendo decreta, quâ pariter alia habentur spectacula. Magistratum deinde sequuntur prędictarum Universitatum Præfecti equitando, quorum alter propria singulis Universitatibus Vexilla defert, alter Cereum trium librarum, alij verò, & quidem plures pariter equitando, ferè tercentum, evaginato gladio insequũtur.

Quo tempore solemniter Missa celebratur, tres etiam privatim celebrantur ad tria singula Altaria, quę ad tres prędictas Universitates pertinent, earundem Præfectis ad proprium Altare Missam audientibus unà cum Socijs illius Universitatis, qui inquam Pręfecti cereum prędictum offerunt Sacerdoti, qui Missam privatim celebrat, post Offertorium, singulis ejusdem Universitatis Socijs unà cum Pręfecto Sacerdotis Manipulum osculari contendentibus, quod tamen vix pauci assequuntur, eò quòd nimia populi frequentia illuc omnes accedere prohibeat. Vexillifer item Civitatis cereum cõsimilem Sacerdoti offert, qui Missam solemniter celebrat ad Aram principem B. Virgini nuncupatam in gratiarum actionem eidem sanctissimę Dominę, quòd Civitatem illam ab omni malo vindicavit, quem sanè animi sensum Vexillifer olim exprimere verbis solebat. Missâ solemni completâ Urbem repetunt omnes eodem ordine, quo supra, quo pariter ad celebrandas secundas Vesperas Ecclesiam iterum adeunt,

unt,

unt, quo ad primas processerunt hoc solùm discrimine, quòd post Vesperas Urbem repetentes Hymnum concinunt non *Ave Maris Stella*, sed *Te Deum laudamus*, eâque ratione completur hujus diei celebritas. Cęterùm quatuor dies ipsam pręcedentes, & quatuor consequentes liberum ibidem habetur Emporium, quò plurimi ex varijs partibus confluere solent. Quod anno prędicto 1483. quo statutam fuisse diximus hanc celebritatem, B. Virginis pręsidio Civitas hęc pestem evaserit, deducere certò licet ex alterâ Cathedralis Ecclesię campanâ, in quâ impressus cernitur hic annus cum hisce verbis *Patriæ liberatrici*, nempe B. Virgini, quę consequentibus etiam annis eandem à terręmotibus, & alijs incommodis liberavit.

Conv. S. Salvatoris de Monte ferrato. Eodem pariter anno 1502. die 12. Maij Clemens de Mantuâ Vicarius Generalis Congregationis de Observantiâ per Literas patentes mandaverat P. Hieronymo de Viglevano, ut Locum reciperet, & Ecclesiam, quâ concesserat D. Vincentius Beccaria Vicarius Papiensis apud Oppidum valde conspicuum S. Salvatoris in Ditione Montis Ferrati S. Antonio tunc nuncupatam, postea verò dictam S. Marię Servorum. Quamobrem Hieronymus die 21. Septembris ejusdem anni Festo S. Apostoli Matthei, cum Clero, Populo, ac Fratribus nostri Ordinis positâ ibidem Cruce Vesperas solemniter câtavit possessione Loci receptâ. Consequentibus tamen annis Ecclesia in ampliorem formam, ac decentiorem evasit. Viterbij quoque eodem anno institui cœpit Monasterium S. Mariæ de Pace, cujus hæc fuerunt exordia. Cùm Baptista de Antiquis de Viterbio suscepto B. V. Habitu in Tertio Servorum ejusdem Virginis Ordine professionem anno 1480. emisisset, proprias Ædes Patribus nostris condito Testamento legavit, ut in iisdem Sorores omnes ejusdem Tertij Ordinis unà simul habitarent. Quoniam verò progressu temporis piures Sorores ibidem convenerant, hoc anno 1502. die 8. Septembris Nativitati Deiparæ nuncupato P. M. Joannes de Fulgineo Provincialis Patrimonij unà cum PP. Augustino de Viterbio, & Cyriaco de Fulgineo, & alijs PP. institutâ per Urbem solemni processione Sorores illas omnes comitatus unà cum Venerandâ Sorore Benedictâ, quam eduxerat è Monasterio Spoleti, cui ipsa præerat, & quam huic recens instituto Monasterio præficiebat, ut ejus prudentiâ, vitæque sanctimoniâ Locus hic ad normam Sororum Claustralium omnino redigeretur, universo Populo Viterbiensi insequente, ac plaudente, non sine singulari pietate, & sacris titibus eò introduxit, & Monasterio huic Tit. indidit S. Mariæ de Pace. Accedunt, & alia Ordini Servorum Monasteria pro Monialibus, unum quidem Bononiæ, alterum verò Carpij in Ditione modò Mutinensi. Cùm frequentissimus ad Urbem fieret Christifidelium concursus

Monast. S. Marię de Pace Viterbij.

Baptista de Antiquis Fûdator.

Soror Benedicta è Monasterio Spoleti Viterbiû adit, ut Monasterium illud gubernet.

A anno 1500. assequendi Jubilei studio, duæ ex Sororibus Tertij Ordinis Servorum de Placentiâ, seu potius Oeniponte, prout asserunt modò Moniales, quarum altera dicebatur Leonida, eodem desiderio incensa, eò pariter adiere. Bononiæ verò tum euntes, tum redeuntes apud Clarissimos Patritios de Gratis except ę perhumaniter fuere. Interim de Monasterio in amplissimâ illâ Civitate sibi excitando meditabantur, eâque ratione, verè laudabili, Ordinem Servorum B. M. V. propagare, quod et in alijs Civitatibus quotidie fieri intelligebant. Cùm verò studium hoc innotuisset Bononiensibus, Locum quendam, sive sacram Ædiculam extra Portam majorem in suburbijs S. Homobono consecra tam minus arduum fuit hisce Sororibus consequi anno 1503. Tancredo pariter de Bononiâ Ordinis nostri Generali opus hoc maximè promovente. Hu c Loco administrando præfecta Soror Leonida Sororem aliam nomine Cæciliam de Placentiâ sibi sociam obtinuit rerum gerendarum peritiâ celebrem quæ deinde regendo Monasterio ritè formato, & instituto electa, sanctissimis illud Legibus instruxit, quandiù vixit administravit, & eò perfectionis cum Leonidâ evasit, ut plurimæ Virgines è clarissimis Bononię Familijs, de Castellis videlicet, de Malvezzis, de Rubeis, de Bianchis, de Gratis, & alijs suscepto B. V. Habitu iisdem in eo Monasterio sese instituendas tradiderint, & Monasterium illustrarint. Procedente autem tempore Dominibus quibusdam pretio comparatis intra Mœnia Urbis in Regione S. Stephani prope Batacanum receptæ Sorores Monasterium à fundamentis excitarunt, eodem Tit. S. Homobono servato, quod & in ampliorem formam, & Claustralibus maximè propriam evasit, non mediocrem opem ferente nepte quadam Gregorij XIII. è clarissimâ Boncompagnorum Familiâ, cùm ibi educanda diversaretur, antequam Duci Guastallæ in Matrimonium copularetur, & eò semper celebritatis excrevit ob vitę sanctimoniam, & eximiam pietatem, quam Sorores illę præseferre semper studuerunt, ut ex ijs quędam accersitę postmodum fuerint Monasterio ejusdem Instituti apud Guastallam fundando, & sanctissimè instituendo, prout reipsâ perfecerunt, & Monasterium adhuc permanet undequaque absolutum, quod Ordinis nostri Patres diu moderati fuere. Apud Carpium autem Oratorium quoddam sub Tit. S. Sebastiani cum Domibus, & Officinis, ubi degebant Tertiarij quidam S. Francisci, P. Simon de Raymundis Vercellensis Ordinis nostri coemerat, ut ibi Sororibus nostris Monasterium ædificaret. Itaque mandante P. M. Marino de Venetijs Congregationis Servorum de Observantiâ Vicario Generali Sorores nostræ de Mantuâ dilatandi Ordinis studio eò miserunt ad prædictum Simonem Sorores Benventutam, Catharinam, quæ erant pariter

Monast. S. Homoboni de Bononiâ.

Soror Cæcilia de Placêtiâ, & Leonida Monast. hoc maximè illustrât.

Transfertur Monast. intra Mœnia.

Gregor. XIII. Neptis maximum fabricæ subsidiû confert.

Moniales S. Homob. Monast. erigunt Guastallæ.

Monast. S. Marię de Carpio instituunt Moniales de Mantuâ cum P. Simone Raymûdi

B C D

ter de Mantuâ, & Elisabetham, necnon Benedictam de Urbino, quæ cùm eò pervenissent die 28. Septembris hujus anni 1503. in ædibus prædictis, & apud Oratorium S. Sebastiani receptæ, Sororem Benvenutam In Priorissam sibi delegerunt. Consecrata verò fuit solemniter Ecclesia per D. Hieronymum Vaccherio Carpensem ex Ordine Minorum de Observantiâ Episcopum Guardiæ sub Tit. S. Mariæ de Angelis, & S. Sebastiani die 21. Maij 1527. In hoc Monasterio plures recensentur Sorores, quæ sanctissimum vitæ genus duxere, præ cæteris autem B. Magdalena, de quâ ad annum 1546. Pro coronide hujus Cap. recolere juvat, quòd B. Lotheringus quidem sextus Ordinis nostri Generalis Cœnobium S. Jacobi de Fulgineo haud sine gravi impendio instauraverat, & amplificaverat, quemadmodum indicant monumenta certa D. Annunciatæ de Florentiâ, maximè verò ejusdem Lotheringi regestum, quod in Archivo ejusdem D. Annunciatæ servatur. Ecclesiam tamen peramplo ambitu cum testudine instauravit hoc anno 1503. D. F. Lucas Cybo ex Ordine Servorum Episcopus Fulginei, quod sanè ostendunt gentilitium illius Stemma, & circa Testudinis ipsius coronidem hæc Verba: *D. F. Lucas Episcopus Fulginas Ord. Serv. A. D.* 1503.

Instauratur Eccl. S. Jacobi de Fulgineo.

Hisce pariter temporibus floruisse leguntur in Congregatione de Observantiâ Aloysius Venerus cognomento Seraphinus, qui Perusij primùm, deinde Patavij in celeberrimâ illâ Universitate Philosophiam, ac Theologiam mirificè edoctus hoc anno in Comitijs Congregationis Mantuæ habitis præclarissimo sui periculo publicè facto Theologorum numero adscriptus fuit, in differendo acerrimus, & egregius Concionator, Congregationem, & Patriam mirum in modum illustravit. Constantinus etiam quidam Faventinus, qui Divinarum, Humanarumque Literarum peritiâ, prout scribit Maphæus, nemini secundus, eò exjstimationis processit, ut ipso inconsulto, nemo, qui ipsum nosset, aliquid in lucem edere auderet.

Aloysius Venerus, & Constantinus Faventinus.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex Monumentis eorundem Conventuum, & alijs ibi citatis.]



E *Mors & laudes Joannis Veneti Cardin. Protectoris, necnon B. Dominici de Bergomo, & quomodo Joannes Columna Card. sufficitur Viceprotector, & Cyriacus de Fulgineo sufficitur Vicarius Apost. Ordinis.*

CAP. VII.

Pestilentiæ curatis, & bellorum armis sine tempore mors improba per totam ferè Italiam debacchans, & exultans, neque etiam ijs, qui pacem sectabantur, quique potentes, & magni haberentur, ullo pacto pepercit; quòd verò ad rem nostram In primis attinet, die 10. Aprilis Joannem Michelium Patritium et. Venetum, & S. R. E. Episcopum Cardin. præcipuum, necnon de nostro Ordine benemeritum Protectorem è F medio sustulit: cujus optimi Card. pietas, & beneficia erga nos videntur quidem exposcere, ut illum grato animo prosequamur. Hic Pauli Secundi ex Sorore nepos inter purpuratos Patres Diac. Card. S. Luciæ in septisolio ab Avunculo creatus, postea S. Angeli, ac subinde presbiter S. Marcelli, mox Episcop. Card. Albanus, deinde Prænestinus, ac postremò Portuensis, necnon Episc. Patavinus, & Patriarcha Constantinop. nuncupatus ex tam multiplici titulorum variatione in tam diuturnâ triginta, & amplius annorum protectione nostrâ, Scriptoribus ipsis quandoque errandi occasionem præbuit, qui ex hoc uno tantùm Joanne plures in medium Protectores attulerunt. Vir quidem non minùs pro tem- G porum opportunitate militari sago, quàm sacrâ Tyarâ idoneus habitus, quando Innocentius octavus illum Apost. Sed. Legatum in Castris contra Ferdinandum Neapolit. Regem Anno 1486. destinavit, ut preclarè indicat monumentum in ejus marmoreo Sarcophago, cui suppositum aliud est pro D. Urso Episcopo Agiensi, apud Ecclesiam nostram S. Marcelli sequentis tenoris.

Jo: Michaelij Protectoris Servor. obitus, & laudes.

D. O. M.

Joanni Michaelio Patricio Veneto, Episc. Portuensi, S. Angeli Card. ac Patriarchæ Constantinop. Pauli II. Pont. Max. Nepoti, qui in rebus arduis, senatorijs maximè, eloquentia, integritate eminentique ingenio præstans, ab Innoc. VIII. in castris contra Ferdinandum Neapolit. Regem Legatus pacem in magnam Italiæ quietem composuit. Obijt ann. 1503 die 10. Aprilis, ætatis verò suæ an 57.
H
Antonius Ursus Venetus Secretar. Apost.

Apoſt. & Epiſcopus Agienſis familiaris pientiſſimo ſicuti Fide, ac ſingulari amore totius ſuæ vitæ tempore adſtitit, ita & in morte ab hac ſua gratiſſima ſubjectione inſeparatum ſe videri cupiens Cōditorum Domino ſuo, ſeque ſub illo tumulari Teſtamento mandavit. Qui Innocentij VIII. Alexandri VI. Pij III. Julij II. Pontificum Referendarius ſumma Integritate, Doctrina, Religione, Juſtitia. Vixit annos LXXII. Deceſſit XXVIII. Septēbris MDXI. Jacobus Urſus Frater Benemerentibus Poſ.

Quæ vero beneficia ex hujus protectione aſſecutus eâ tempeſtate fuiſſet Ordo noſter, ſupervacaneum eſt ex præteritis annis rurſus repetere; unum tamen illud munifici animi fuit inſigne, quòd penſarâ Patrum egeſtate Conventui S. Marcelli Palatium ſuæ reſidentiæ ultrò largitus fuit ad eorum inopiam relevandam. Quatuor igitur, & triginta annos tantâ integritate, tanto liberalitatis ſplendore, tanto religioſi animi ardore noſtrum Ordinem protexit Joannes, amplificarique curavit, quanto (ſiquis ſingula ejus beneficia æquâ lance perpendat) nullus unquam alius. Hujus verò Cardinalis obitum tam religioſâ præparatione diſpoſitum inſequitur viceverſâ tam infelix interitus Alexandri VI. Pont. .2. Hunc ſubinde ſecutus eſt Pius III. Pij II. .3. Nepos, qui vix Pontificatum adeptus, illud humanæ miſeriæ Symbolum, quod in ſuâ coronatione vidit, & audivit ſtuppam ſimul accendi, & extingui, cum illis verbis *Sic tranſit gloria Mundi*, brevì expertus fuit, cum in eo Pontificatu dies tantum 27. uſque ad 15. Kalend. Novemb. vixiſſet. Vir porrò omni laudatione dignus, ingenio, integritate, modeſtiâ, & religione clariſſimus, cujus obitum Urbs, & Italia tantopere ingemuit, quàm prædeceſſoris morte lætata fuerat. Per eos conſimiles dies ſecuta pariter fuit depoſitio B. P. N. .4. Dominici de Bergomo, cujus geſta utinam ſic nobis, ac ipſi Deo innoteſcerent, non enim ejus laudes ſilentio involvere cogeremur, cujus corpus in Eccleſiâ S. Alexandri de Brixiâ requieſcit. Commemorandus etiam occurrit .5. Bartholomæus de Bargalio Januēſis Theologus percelebris, quem Benedictus Juſtinianus Epiſcopus Cleri, dum Britanniæ Legatione fungeretur, in Vicarium Generalem ſuæ Diœc. elegit die 18. Januarij 1503. quo in munere Pater iſte diu ſe præclarè geſſit. Hoc ipſo Anno 1503. Comitia Congregationis .6. Mantuæ ritu celebriori, quàm antea, fuerunt habita; nam plures ibi conciones, & publicas literarum concertationes exercuerunt Viri clariſſimi, inter quos non abſque plauſibili honore Clemens de Mantuâ, & Aloyſius Seraphinus de Venetiis palmam retulerunt: Vic. Generalis electus fuit Marinus Baldo Venetus Theologus, & declamator ſingularis. Romæ interim fluctuante Curiâ ob momentaneam trium viciſſim Pontificum mutationem, res quoque noſtræ, Protectore defuncto, varias illicò paſſæ ſunt viciſſitudines; nam pro Joanne Veneto ſtatuitur Viceprotector .7. Joannes Columna, quem Sixtus IV. ex Protonot. Apoſt. Diaconum Card. S. M. in Aquirio pridie idus Maij Anno 1480. creaverat. Hujus authoritate Generali Tancredo adiungitur Vicarius Apoſt. Ordinis M. Cyriacus de Fulgineo, quemadmodum & in Curiâ loco Jacobi Philippi Ferrarienſis reperitur Orator, & Procurator Ordinis Nicolaus .8. de Peruſio. Hæ verò varietates unde ortum habuerint, monumenta non referunt; illud tamen perſpicuum eſt, M. Lucam Epiſcopum Fulginatem omni conatu Cyriacum germanum ſuum ad ſupremum Ordinis Magiſtratum promoveri curaſſe. Poſtero interim ſuccedente anno 1504. in quo parum, aut nihil ad noſtros Annales, Paduæ Patres Congregationis die 27. Aprilis inſtauratis Comitiis Benedictum Marianum Venerum ſecundò Vicarium ſibi deligunt, qui ſuâ prudentiâ .9. Apoſtolicum diploma à Julio II. qui nuper Summum Pontificatum inierat, de modo eligendorum magiſtratuum per occulta ſuffragia impetravit; mos enim fuerat inter congregatos Patres uſq; ad illum diem ſuffragia, aut dicto proferre, aut Schedulis committere, unde poſtmodum ſcandala plura, diſſenſioneſq; & odia non parva orirentur.

Mors Alex. VI. & Pij III.

Obitus B. Dominici de Bergomo

Barthol. Januenſ. Vic. pro Benedicto Juſtiniano Epiſc.

Joannes Columna Card. Viceprotector Ordin. Servor.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

1.2.3. *De Jo. Card. Protect. plura Alphonſus Ciacconius præter alia ex diar. & monument. Ord. Servorum. Alexandro verò Hiſtorici omnes, & præcipuè Franciſc. Guicciard. De Pio III. Ciaccon. & alij.*

4 *Ex tabulis Paruianis, & antiquis Beatorum Catalogis.*

5 *Ejuſdem Vicariatûs lit. pat. habentur inter monumenta Genuenſis Conventûs.*

6 *Albriſius in Catal. Vic. Gen. Congreg.*

7 *Ex varijs monum. diverſorum Cœnob. Brixiæ, Florentiæ, S. Joſeph de Bononiâ, &c.*

8 *In Diarijs Conv. Flor. expreſsè habetur de hoc Procuratore.*

9 *Albriſius ubi ſupra.*

Referuntur alia Ordinis nostri Loca.
CAP. VIII.

Conv. de Vico Nanti.

HIsce pariter temporibus alia Ordini Servorum Loca accedunt. Primùm sanè in Vico *Nanti* Diœcesis Vicentinæ PP. nostris S. Mariæ Servorum de Vincentiâ Locus quidam donatus liberè fuit anno 1504. ab illâ Communitate cum Ecclesiâ S. Salvatori nuncupatâ, quem deinde procedente tempore iidem PP. instaurarunt, amplificarunt, & prædijs quibusdam ditarunt, prout ex Campione docemur Conventûs S. Mariæ de Vincentiâ. Ex monumẽtis verò Conventûs S. Mariæ Servorum de Mediolano, speciatim ex Instrumento quodam, dequo rog. legitur die 27. Octobris 1504. Ser Archangelus de Pazotis, quod egomet vidi, exploratum habeo, quod hoc anno 1504. Ordini Servorum accessit Locus, & Ecclesia S. Mariæ de Misericordiâ *Magnaghi* in Ditione Mediolanensi, qui Duce Francisco Sfortiâ jubente Conventui prædicto de Mediolano unitus deinde fuit, qui & alia Loca reformationi Servorum subiecta esse voluit, quemadmodum dicemus ad annum 1530. lib. VI. cap. 12. Eodem Anno 1504. Julius Papa II. Ecclesiam illam S. Mariæ de Saxo in Fesulanis Montibus, de quâ ad annum 1490. lib. IV. cap. 11., Conventui, & Patribus D. Annunciatæ de Florentiâ aggregat, ac dirimit controversiam inter Fratres, & Incolas illius Loci ortam de situ, in quo ædificanda erat Ecclesia, prout ad eundem annũ 1490., Bullâ datâ Romæ sequentis tenoris.

Conv. S. Mariæ de Misericordiâ Magnaghi.

Ecclesia S. Mar. de Saxo unitur Conventui de Florent.

Bulla Julii II. pro unione Oratorij S. Mariæ dei Sasso cum Eccl. D. Annunc. de Flor.

JUlius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Digna exauditione Personarum humilium quarumlibet præsertim sub suavi jugo Religionis Domino famulantium vota, per quæ ipsarum indemnitatibus cum Divini cultûs augmento valeat salubriter provideri, libenter Apostolico favore prosequimur, illáque eis concedimus, per quæ suis commoditatibus consulatur. Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Domûs Annunciatæ, aliàs B. Mariæ Fratrum Servorum nuncupatæ Florentin. Ordinis S. Augustini Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd infra limites Parochialis Ecclesiæ SS. Gervasij, & Protasij, Plebis S. Martini de Lubaco nuncupatæ Diœcesis Fesulan. dictæ Domui perpetuò unitæ, propter miracula, quæ inibi intercessione ejusdem B. M. V. operatur Altissimus, quoddam Oratorium construi inceptum existit, ad quod ob hujusmodi miracula confluit multitudo Fidelium pias in eodem Oratorio eleemosynas, & oblationes nonnunquam offerentium, quas nonnulli Laici pro eorum libito recipiunt, & de illis disponunt in grave ipsorum Prioris, & Fratrum, ad quos dictæ oblationes de jure pertinent, præjudicium, & si d. Oratorium, quod nondum in Titulum perpetui Beneficij Ecclesiastici erectum existit, eidem Ecclesiæ perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur, profectò eorundem Prioris, & Fratrum indemnitati, & ipsius Oratorij statui decentiori opportunè consuleretur. Pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum asserentium ipsius Oratorij fructûs nulloe existere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut d. Oratorium præfatæ Ecclesiæ perpetuò unire, annectere, & incorporare, aliásque eis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica alijs uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem etiam Beneficij, cui alterum uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, eosdem Priorem, & Fratres à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon d. Ecclesiæ fructuum, redditúum, & proventuum, verum annuum valorem, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Oratorium prædictum cum omnibus juribus, & pertinentijs suis eidem Ecclesiæ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ita quòd liceat præfatis Priori, & Fratribus per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Oratorij, juriumque, & pertinentiarum prædictorũ propriâ auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac eleemosynas, & oblationes hujusmodi recipere, & in constructionem unius Ecclesiæ, seu Capellæ ex d. Oratorio erigendæ, ac reparationem d. Ecclesiæ, & eorum usus, utilitatemque convertere, Diœcesani, vel cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ. Nonobstantibus voluntate Nostrâ prædictâ, ac quibusvis alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Proviso quòd d. Oratorium debitis propterea non fraudetur obsequijs, sed illius congruè supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quarto Kal. Octobris Pontificatûs nostri anno primo.

Hujus Bullę vigore PP. prædicti D. Annunciatæ possessionem hujus Loci recepere, habito Instrumento, de quo rog. fuit Ser Franciscus Christophori de Nellis pub. Notarius

die

die 13. Novembris 1504. pro ijsdem PP. agente P. Peregrino Juliani de Florentiâ Syndico nomine P. M. Joannis Philippi Aloysij Cremonensis à Piceleone Conventûs D. Annunciatæ Prioris, P. Antonij Zenobij Viceplebani S. Martini de Opaco, aliorumque Fratrum. Administratio autem ejusdem Loci per sex Operarios habenda decreta fuit, quorum duo sint Prior D. Annunciatæ de Flor., & Plebanus S. Martini de Opaco, duo sint Cives Florentini Bona immobilia habentes in alterâ ex quatuor parochijs circumpositis, duo tandem sint eorundem Locorum Incolæ, nonnullis conventionibus hinc inde firmatis, quæ quidem omnia idem Julius II. confirmavit per alias Literas Apostolicas sequentis tenoris.

A Tergo.

Dilectis Filijs, & Conventui Domûs B. Mariæ Florentiæ Ordinis Servorum ejusdem B. Mariæ, & Antonio Zenobij d. Ordinis Professori, ac Andreæ Antonij de Cambinis, & Oliverio Simonis Gnadagni, & Nicolao Petri de Pazzis, necnon Bernardo Dantis de Castilione Civibus Florentinis.

JULIUS PAPA II.

Intus verò.

Julius II. cōfirmat conventiones pro Oratorio S. Mariæ del Sasso.

Dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecistis, quòd à paucis annis citra inceptum fuit quoddam Oratorium, nondum in titulum perpetui Beneficij erectum in loco al Sasso nuncupato Fesulanæ Diœcesis, in quo quædam Imago Virginis Mariæ Gloriosæ, ut piè creditur, antea collocata, seu depicta fuerat, & ad quam Christifideles, per certa miracula, quæ in eâ operatur Altissimus, singularem gerunt devotionis affectum, ipsique Fideles ad illud devotionis causâ confluunt, eleemosynas, & alias oblationes pro Divini Cultûs incremento, & Fabricæ ejusdem manutentione, ut plurimùm offerendo, & porrigendo. Et cum d. Oratorium infra limites Parochialis Ecclesiæ Plebis nuncupatæ SS. Gervasij, & Protasij, aliàs S. Martini de Lubaco d. Diœcesis existat. Tu dilecte Fili Antoni, qui in d. Parochiali Ecclesiâ Vicarius, seu Rector à Superiore tuo deputatur existis, unà cum Vobis dilectis Filijs Priore, & Conventu videatur d. Oratorium maximè providendum, cùm in vestrâ Parochiâ esset, eidem Parochiali Ecclesiæ, & pro tempore existente illius Vicario, seu Rectore instare quasdam Literas unionis perpetuæ de d. Oratorio nondum erecto, eidem Parochiali Ecclesiæ cum omnibus juribus, & pertinentijs suis à Nobis obtinuistis. Postmodum controversia inter Vos Antonium, & Priorem, & Conventum ex unâ, & vos dilectos filios Filios Andream, & Oliverium, ac Nicolaum, & Bernardum pro Vobis, ac vice, & nomine dilectorum Filiorum Incolarum, & Habitatorum prædictæ Plebis nuncupatæ, ac Parochianorum S. Brigidæ, & S. Miniati à Pagnollâ, necnon S. Donati Parochialium Ecclesiarum ejusdem Diœcesis, partibus ex alterâ, super appropriatione, & unione d. Oratorij. Tandem post longos, & diversos Tractatus, intervenientibus nonnullis providis, & honestis viris ad infrascriptam devenistis concordiam, videlicet.

Quòd Oratorium prædictum in honorem B. V. M. erigeretur per sex Operarios, videlicet per Priorem Domûs, & Rectorem Ecclesiæ Plebis nuncupatæ, prædictarum pro tempore existentes, & quatuor Laicos, videlicet duos Cives Florentinos habentes Bona in alterâ ex dictis quatuor Parochijs, & reliquos duos Incolas, & habitantes etiam in alterâ ex dictis Parochialibus Ecclesijs regere, & gubernare, qui quatuor Laici ad annum electi intelligantur, & eorum Officium pro uno anno durare dicatur, & non ultra juxta vestram constitutionem, & electionem, qui simul coniuncti etiam pro dictis Priore, & Vicario, seu Rectore pro tempore existentibus, plenam, & omnimodam auctoritatem regendi, & gubernandi d. Oratorium, & disponendi de eleemosynis, & alijs oblationibus tam in fabricam ipsius, quàm in alijs occurrentibus, & ad cultum Divinum necessarijs salvis infrascriptis limitationibus. Videlicet.

Quòd Capellanus, seu Capellani in d. Oratorio deputandi pro Officiaturâ d. Oratorij eligantur, seu deputentur per Vicarium, seu Rectorem d. Ecclesiæ Plebis nuncupatæ pro tempore existentem cum salario, seu emolumentis, quod declarabitur per dictos sex Operarios, seu majorem partem eorundem. Et quod Missæ, quæ in futurum exinde dicentur in d. Oratorio, dicantur, seu celebrentur per dictos Capellanos deputatos à d. Vicario, seu Plebano. Extraordinariæ autem Missæ per quoscunque Presbyteros seculares, vel cujuscunque Ordinis regulares cum ipsius Oratorij paramentis, & alijs ad legitimam celebrationem necessarijs in eodem Oratorio per quoscunque, largientes tam in pecuniâ, quàm cerâ, & alijs Bonis, & rebus in pecuniâ numeratâ redigantur, & in unâ capsâ ad id deputatâ cum tribus clavibus, quarum una penes Vicarium, seu Rectorem d. Ecclesiæ Plebis nuncupatæ, alia apud unum ex dictis duobus Civibus, & tertia apud unum ex duobus Incolis præfatis diligenter conserventur, & recludantur, & ad usum, & fabricam, ac honorem Divini Cultûs d. Oratorij juxta decretū dd. Operariorum, seu majoris partis eorundem convertantur, & disponantur, & alia fecerunt, & ordinaverunt, prout in quodam Instrumento pub. desuper confecto, cujus tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso dicitur plenius contineri. Quare Nobis humiliter supplicare fecistis, ut d. concordiæ pro illius subsistentiâ firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, & aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui piorum Locorum quorumlibet utilitatem, & commoda, ac illius Divini cultûs augmentum libenter procuramus, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, concordiam prædictam, ac prout illorum interventum, omnia, & singula in d.

* *Instrumento contenta, & inde secuta quæcunque, quatenus sint licita, & honesta auctoritate* E *Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplemusque omnes, & singulos defectûs, tam juris, quàm facti, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Literis Nostris prædictis, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Januarij 1506. Pontificatûs nostri Anno Tertio.

Conv. de Petrâ Longâ.

Locum alium à fundamentis excitavit P. M. Hieronymus Fuscus de Faventiâ in horũ Annalium Serie variè commendatus, speciatim verò ad annum 1532., in Agro quodam, qui dicitur *Petra Longa*, haud procul à d. Civitate annuis proventibus instruendum cura- F vit, in eo diu solitariam vitam duxit, ac tandem obijt, prout dicendum erit ad præfatum annum 1532. Locus iste proinde ad PP. Servorum Faventiæ jure proprio spectat. Quo anno præcisè, quove modo Locus hic incœperit nondum perspectum habemus; ad annum tamen 1505. referendum duximus, quòd hoc anno Ecclesiam eodem Hieronymo auctore sub Tit. S. Mariæ, & omnium Sanctorum solenini ritu consecravit D. Joannes Baptista de Canonicis de Bononiâ Episcopus illius Civitatis.

Consecratur Eccl. de Petrâ Longâ.

Eodem anno demum, quidquid alij senserint, qui ad annum 1493. vel 1500. hujus Loci originem referendam esse duxerunt, Ordini Servorum accessisse dicendum est Conventum S. Mariæ de *Fontanâ* G *Laudę*, seu juxta veteres *Laudis Pompejæ*, quæ colonia est, & Urbs Insubriæ ad Abduam Fluvium media inter Mediolanum ad Occasum, & Placentiam in Eurum, à Pompeio denominata, à quo deducta.

Conv. S. Mariæ de Fontanâ Laudæ.

Locum hunc à Civitate distantem per unum milliare in Campestribus ob Sacram B. Virginis Imaginem miraculis illustrem maximè celebrem, prout ad annum 1493. fusiùs diximus, qui dicitur *S. Maria della Fontana*, vulgò del *Mucchio*, seu Latinè *de Modio*, hoc anno 1505. Hieronymus de Maganis Beneficiatus resignavit spontè in manibus D. Marci Antonij de Cademustis Canonici Laudensis, & in hac parte Commissarij Apostolici, Congregationi Servorum de Observantiâ, recipien- H te pro eâdem Congregatione P. Alexandro Bagatâ de Brixiâ, qui facultatem habebat fundandi, ac recipiendi Cœnobia pro eadem Congregatione, quemadmodum constat ex Instrumento, quod ipsemet ibidem legi die 15. Augusti 1715., de quo rog. fuit Ser Jacobus Brugazi Notarius publicus Laudensis, & Curię illius Episcopalis Cancellarius die 17. Maij anno 1505. Alexander subinde Cœnobium ædificare cœpit, & quàm maximè promovit, quod successores deinde complevere. Verùm plurima subijt damna ob ingruentia Bellorum discrimina Antonio de Levâ Exercitûs Cæsarei Imperatore, ex quo factum est, ut plurima deperierint ad rem nostram spectantia monumenta. Eodem anno pro Congregatione Servorum de Observantiâ publicatæ Venetijs fuere Literæ Apostolicæ Julij Papæ II. quæ datæ fuerant anno 1504. 7. Idus Januarij, per Antonium Syrianum Patriarcham Venetiarum prout sequitur.

Bulla Julij II. pro electione Superiorum Cõgregationis de Observantiâ.

ANtonius Syriano miseratione Divinâ Patriarcha Venetiarum . . . . . . Primas, Commissarius, & Conservator Rev. Religionis Fratrum Servorum Gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Ordinis S. Augustini Regularis Observantiæ Universis, & singulis RR. Patribus DD. Vicarijs Generalibus, Visitatoribus Collateralibus, Prioribus, & cæteris Fratribus d. Ordinis cujuscunque gradûs, statûs, or- F *dinis, vel conditionis existant, quocunque etiam officio, vel dignitate fungentibus, quibus præsens tangit negotium, aut spectare, & pertinere posset quomodolibet in futurum salutem in Domino, & Nostris hujusmodi, immo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Literas SS. in Christo Patris, & D. D. Nostri Julij Divinâ Providentiâ Papæ II. ejus verò Bullâ plumbeâ ad chordulam canapis more Romanæ Curiæ impendenti munitas, sanas quidem, & integras, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, non maculatas, nec in aliquâ sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, ac suspicione carentes Nobis exhibitas, & præsentatas pro parte R. P. D. Magistri Benedicti de Venetijs Vicarij Generalis Congregationis Fratrum Servorum* G *B. M. V. Ordinis S. Augustini Regularis Observantiæ, & Fratrum d. Congregationis, noveritis Nos eâ, quâ decuit reverentiâ recepisse, quarum literarum Apostolicarum tenor sequitur, & est talis. Videlicet. - Julius Episcopus Servus Servorũ Dei Venerabilibus Fratribus Patriarchæ Venetiarum, Archiepiscopo Mediolanensi, ac Episcopo Mantuano salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie à Nobis emanarunt Literæ tenoris sequentis -- Julius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ea quę laudabili, & providâ ordinatione eorum, ad quos pertinet, pro personarum quarumlibet præsertim sub regulari Observantiâ in contemplationis suavitate Altissimo famulantium quiete, & tranquillitate, sta-* H *tuta, & ordinata fore noscuntur, ut firma persistant, & illibata, libenter, cùm à Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus. Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Benedicti de Venetijs Vicarij Generalis Congregationis Fratrum Servorum B.M.V. Ordinis S. Augustini Regularis Observantiæ, & Fratrum ejusdem Congregationis Nobis nuper exhibita petitio continebat; quòd licet Bon. Mem. Joannes Episcopus Portuensis d. Ordinis Protector, tunc in humanis agens, ordinaverat, quòd electiones Officialium Domorum d. Congregationis in Capitulis Generalibus per occulta Suffragia, seu ballottinas fierent, prout in duobus proximis annis factæ fuerunt, quia tamen certum, & determi-*

natum

natum modum electiones per occulta suffragia
hujusmodi faciendi non dederat, & quidam ex
Fratribus d. Congregationis uno, alij verò alio
modis electiones, & occulta suffragia hujusmo-
di fieri vellent, nonnullæ differentiæ exortæ
essent, Benedictus Vicarius, & Congregatio
præfati, præmissis differentijs obviare, ac ele-
ctiones prædictas per occulta suffragia de cæte-
ro certo determinato modo fieri cupientes, inter
alia statuerunt, & ordinarunt, quòd quolibet
anno celebretur Capitulum Generale in Kalen-
dis, aut Idibus Maij, ad quod teneantur veni-
re tunc Vicarius Generalis, Visitatores Collate-
rales quatuor, quorum unus tempore Officij sui
in Lombardiâ, alius in Marchiâ Tarvisinâ,
alius autem in Forojulij, alius verò in Roman-
diolâ, sive Patrimonio stare, duoque Visitatores
primi ex illis quatuor cum Generali Vicario ad
visitandum omnes Domos d. Congregationis ire
debeant, itaquòd nullus alius in Capitulo, sive
extra illud in hujusmodi Visitatorem, seu illius
Locumtenentem eligi possit. Diffinitores quoque
Capituli immediatè præcedentis, & omnes tam
Priores, quàm Discreti illarum Domorum tan-
tùm, in quibus habitant permanenter ad minùs
septem Fratres Professi, & omnes Priores omni-
um Domorum à Capitulo Generali pro tempore
electi ad d. Capitulum venire teneantur. Cæte-
ri verò Fratres d. Congregationis cujuscunque
gradûs, & conditionis existant à tali Capitulo
Generali excludantur, ac tantùm quatuor eli-
gantur in Definitores ex Fratribus Capituli,
qui fuerunt in Congregatione per quindecim an-
nos, factâ invocatione B. M. V. dicendo Ave
Maris Stella, & Orationem: Concede mise-
ricors Deus fragilitati nostræ præsidium, ac
Orationem: Deus, cui omne cor patet, nec-
non Orationem: Spiritum nobis Domine tuæ
charitatis infunde. Et expletis cæremonijs con-
suetis faciendis ante Diffinitorum electionem,
prout in Constitutionibus habetur, tunc Gene-
ralis Vicarius cum Visitatoribus Collateralibus
in loco competenti congregato Capitulo, Defini-
tores per occulta suffragia eligi faciet hoc modo;
videlicet, quòd in Bussulo tot ponantur ballotti-
næ, seu fabæ, sive aliud æquivalens, quot es-
sent Fratres de d. Capitulo præter octo, quæ es-
sent alterius coloris ab alijs, de quibus primò
Vicarius Generalis non aspiciendo, unam per
virtutem Spiritûs S. manu propriâ, sine dolo,
fraude, aut cautelâ aliquâ, & sic alij secundū
gradum unusquisque unam accipiant. Qui autem
de illis octo diversificatis in colore ab alijs ha-
buerint, cum silentio separati inter se in loco
competenti extra Capitulum stare debeant, ita
quòd alijs sub pœnâ gravissimæ culpæ nullo mo-
do loquantur eis, nec ipsi alijs, nec inter se nisi
cùm à Vicario Generali coram toto Capitulo fue-
rint requisiti. Et cùm illæ octo ballottinę leva-
tę fuerint, Vicarius Generalis singillatim uni-
cuique illorum, qui illas haberent, imponere de-
beat sub pœnis, & censuris, ut revelent, si inter
se, vel cum alijs locuti fuissent, et si id fecisse
reperti forent, tam ipsi, quàm illi, qui cum eis
locuti fuissent, à Capitulo Generali per triennium
A exclusi essent, quo facto Vicarius præfatus eis
dicere deberet incipiendo à Majori eorum, ut
proponeret eligendos ad Definitoratum, ita quòd
unusquisque eorum unum ex Fratribus d. Capi-
tuli usque ad octo, diversarum tamen nationum
proponere teneretur, ita tamen quòd nemo ex eis
seipsum proponere possit, ipsique octo sic proposi-
ti secundùm eorum gradûs successivè ballottari,
quorum qui plures ballottinas, & de tribus par-
tibus haberent, pro Definitoribus recipi; si verò
cum dd. quatuor aliquis, vel aliqui essent æqua-
les, tunc tales reballottari, qui verò de tribus
partibus duas haberent, & excederent alium
de ipsis æqualibus, pro Definitore haberi debe-
rent; Et si dd. æquales adhuc æquales remane-
rent, ulteriùs minimè reballottari, sed eorum lo-
B co proponentes alios cum prędictis conditionibus
proponere, & qui primò non pervenirent ad prę-
dictum numerum de tribus partibus, cùm semel
fuissent propositi in ballottando, idē & de ęquali-
bus post secundam ballottationem, de cætero ul-
teriùs ballottari non debere, ac facta modo præ-
dicto Definitorum electione, præfatus Vicarius
cum suis Visitatoribus Collateralibus, & Prio-
ribus quarumcunque Domorum Congregationis
hujusmodi resignent Officia sua ipsis Definitori-
bus electis; et si aliquis temerariè resignare re-
cusaret, voce activâ, & passivâ, ac omni Officio
d. Congregationis decennio privetur, & nihil-
ominus Officia ipsa pro resignatis, & renunciatis
habeantur, & in omni Capitulo pro tempore ce-
lebrando eligatur unus Vicarius Generalis ex
C Fratribus d. Capituli, qui ad minus quindecim
annis continuis in d. Congregatione fuerit, &
eo modo, quo de quatuor Definitoribus dicitur,
videlicet per occulta suffragia hujusmodi, exce-
pto quòd ubi dicitur, quòd in eorum electione
acto ab alijs in colore diversæ, in Vicario qua-
tuor duntaxat Ballottinæ poni, & quatuor pro-
ponentes, & quatuor propositi esse; in cæteris
verò omnia servari, prout in Definitoribus, ac
pari modo duo Regulatores Definitorum, prout
in Vicario ordinatum fuit, eligi debeant. Quòd-
que in quatuor Visitatores, & Collaterales hu-
jusmodi eligi non possint, nisi qui diversarum
Nationum, & per quindecim annos continuè in
d. Congregatione fuerunt, ac de Definitoribus
electis esse non possint, ac quòd Definitores, &
Vicarius Generalis, ac quatuor Visitatores Ge-
D nerales, qui pro tempore fuerint, eorum officio
functi ad eadem officia, nisi transacto quinquen-
nio, denuo eligi, & assumi non possint. Et Fra-
tres, qui biennio continuè in eadem Domo Prior,
seu Procurator fuerint, in Priorem, sive Procu-
ratorem d. Domûs, nisi transacto quinquennio à
fine depositi Officij computando, eligi non possint,
exceptis Prioribus, qui eorum industriâ, &
virtute in augmentum Congregationis prædictę
novas Domos acquisivissent, sive in futurum
acquirerent, seu id de consensu Capituli Gene-
ralis à Sede Apostolicâ impetrassent, seu in fu-
turum impetrarent, dictarum novarum Domo-
rum per eos acquisitarum perpetuum Prioratum;
ac



ac nullus Frater ejusdem Congregationis in Discretum, seu ad Officium Prioratûs eligi, aut E confessiones secularium cujuscunque conditionis audire possit, nisi per octo annos ad minùs in d. Congregatione in dignitate Sacerdotali continuè fuerit, sublatâ facultate cuicunque superiori d. Congregationis super his dispensandi. In promovendis verò ad dignitatem Sacerdotalem quoad Confessiones . . . . Prioribus, seu Discretis determinetur. Necnon in Procuratorum, & Superiorum Domorum d. Congregationis electione eadem forma, quæ in d. Vicarij Generalis electione servatur, servari, excepto quòd in Domibus, in quibus fuerint minùs, quàm septem Fratres, ponantur duæ ballottinæ diversorum colorum ab alijs; in alijs verò quatuor poni debeant, ita quod in Domibus, in quibus in electione Procuratorum, seu Superio F rum ponuntur quatuor ballottinæ diversorum colorum ab alijs, nullus nisi per octo annos, in alijs verò Domibus d. Congregationis, in quibus in electione Procuratorum hujusmodi duæ ballottinæ ponerentur, nullus in Procuratorem, aut Superiorem eligi valeat, nisi per sex annos ad minùs in hujusmodi Congregatione fuerit. In omnibus verò domibus, in quibus tredecim Fratres Professi ad minùs forent, Duo discreti, qui per sex menses continuos in illâ domo fuerint eo modo, quo Vicarius Generalis, in alijs verò Domibus, in quibus Septem Fratres ad minùs essent, unus discretus duntaxat, eo modo, quo Procuratores in Domibus, in quibus septem Fratres non existunt, eliguntur, eligi deberent. Ita tamen, quòd in Domibus, in quibus septem G Fratres non existunt, nullus in Discretum eligi possit, quodque electiones, ac omnia, & singula alia in generalibus, seu particularibus Capitulis Fratrum Congregationis, & illius Domorũ hujusmodi per occulta suffragia fieri, & tractari, & per duas partes ex tribus ad minùs expediri, & concludi debeant. Ac nullus Laicus, seu Conversus, etiamsi ad Sacerdotium eos promoveri contigerit, ad aliqua Officia ballottando eligi, & assumi, aut vota sua per ballottas, aut aliàs dare valeant. quodque Fratres dict. Congregationis ab ea ob eorum scelera, & crimina per eos perpetrata pro tempore expulsi, seu fugitivi, & exititij, seu Conventuales, aut ulterius Congregationis, & religionis, in eâdem Congregatione recipi non possint, nisi per Capitu H lum Generale. Et tales per Capitulum hujusmodi recepti decem annis voce activâ, & passivâ privati sint, nec à præfato Capitulo ad id habilitari, seu admitti quoquo modo possint, quodque nullus Frater d. Congregationis ad Lectoratûs, aut Baccalaureatûs, sive magisterij gradûs, nisi licentiâ à duabus partibus Capituli hujusmodi obtentâ, promoveri possit, seu Monasteria Monialium eidem Congregationi subjectarum ingredi præsumat sub pœnis contentis in Constitutionibus de gravissimâ culpâ, & privatione per triennium voce activa, & passivâ, & detrusione in Carcerem per mensem, exceptis Vicario Generali, & Visitatoribus, qui tantùm

tempore Visitationis, necnon Priore, seu Rectore, & Confessore maturæ ætatis earundem Monialium, qui tempore evidentis necessitatis duntaxat Monasteria hujusmodi ingredi possint. Ac Moniales aditum ingrediendi in earum monasterijs hujusmodi, exceptis casibus supradictis, dantes, & consensum præstantes, easdem pœnas incurrere debeant. Quare pro parte Benedicti Vicarij, & Congregationis prædictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut statutis ordinationibus prædictis, pro illorum subsistentiâ firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, statuta, & ordinationes hujusmodi, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplemusque omnes, & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Ac decernentes ea omnia inviolabiliter observari debere, ac per quascunque literas Apostolicas illis derogari non posse, nisi de eis specialis, & expressa mentio fiat. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibuscunque Literis Apostolicis fel. rec. Clementis VI., & Innocentij VIII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quibus caveri dicitur expressè, quòd Vicarius Generalis, & Congregatio præfati secundùm quædam statuta, & ordinationes in dd. Literis contenta, duntaxat omnia negotia d. Congregationis expedire debeant. Quibus etiamsi ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum, G non autem per generales clausulas idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ac statutis, & consuetudinibus Congregationis, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, supplctionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domi H nicæ millesimo quingentesimo quarto, septimo Idus Januarij Pontificatûs nostri anno secundo. Quocirca Fraternitati Vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus vestrum præinsertas literas, ac omnia, & singula in eis contenta, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Vicarij, & Fratrum Congregationis hujusmodi fueritis super hoc requisiti, solemniter publicantes, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate Nostrâ, Statuta, & ordinationes prædictas perpetuò inviolabiliter observari, non permittentes eos inter se, seu per quoscunque alios desuper quomodolibet molestari. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione

tione postpositâ compescendo. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquid communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1504. Septimo Idus Januarij Pont. nostri Anno Secundo. D. de Comitibus. -- Post quarum quidem Literarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem Nobis, & per Nos, ut supra, factas, fuimus nomine d. R. Magistri Benedicti Vicarij Generalis, *& Congregationis Fratrum præfatorum debitâ cum instantiâ requisiti, quatenus ad executionem dictarum literarum Apostolicarum, & contentorum in eis procedere deberemus, juxta Nobis à Sede Apostolica præfatâ traditam potestatem. Nos igitur Antonius Patriarcha Commissarius, & Conservator Apostolicus antedictus volentes mandata Apostolica Nobis in hac parte directa reverenter exequi, ut tenemur, auctoritate Apostolicâ, quâ fungimur in hac parte Vobis RR. PP. DD. Vicarijs Generalibus, Definitoribus, Visitatoribus collateralibus, Prioribus, & cæteris Fratribus Congregationis præfatæ, quibus præsentes Literæ Nostræ diriguntur, præfatas literas Apostolicas cum omnibus, & singulis in eis contentis, insinuamus, declaramus, & notificamus, & ad vestram, & cujuslibet vestrûm scientiam, notitiam, & intelligentiam deducimus, & deduci volumus per præsentes, ne allegari, seu dici quoquo modo, formâ, vel ingenio, possit per vos, vel aliquem vestrûm ignorantia, & insceientia de præmissis omnibus, & singulis in literis præfatis Apostolicis contentis, vobisque, & cuilibet vestrûm d. Apostolicâ auctoritate committimus, & mandamus in virtute S. Obedientiæ, & sub excommunicationis pænâ, unicâ pro trinâ canonicâ monitione præmissâ, quam ex nunc, prout ex tunc, & tunc prout ex nunc, ipso facto incurrere debeatis, seu quis vestrûm incurrat, & quam contra vos proferimus in his scriptis, si inobedientes fueritis mandatis, statutis, & ordinibus præfatis Apostolicis, ultra alias pœnas per Nos d. auctoritate contra hujusmodi contemptores promulgandas, & infligendas, literas præfatas Apostolicas, & omnia, & singula in eis contenta, observare, & exequi, & adimplere debeatis juxta formam, seriem, & tenorem præfatarum literarum Apostolicarum, & nihilominus de omnibus, & singulis alijs Nobis, ut præmittitur, commissis, & injunctis per Literas Apostolicas præfatas, Nobis potestatem omnimodam reservamus. Non intendentes propter hoc commissioni præfatæ Nostræ in aliquo derogare. In quorum fidem præsentes fieri jussimus, & nostri Pontificalis sigilli appensione muniri. Actum, & datum Venetijs in Patriarchali Palatio nostro die Lunæ 24. Februarij 1505. præsentibus D. Presbytero Antonio Bello Capellano Corporis Christi Venetiarum, & Ser Bernardino de Compo familiari Nostro testibus vocatis, & rogatis.*

Ego Franciscus de Morandis q. Philippi publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Cancellarius D. Patriarchæ suprascriptis omnibus, & singulis interfui rog. quia in varijs fui occupatus negocijs per alium ex Protocollo meo transcribi feci, & cum ipso originali Protocollo collationari, & auscultavi, & in his de quibus per errorem Scriptoris prætermissum erat addi, & aptari feci, videlicèt in linea secundâ additum est [*Definitoribus*] *in linea numero 39.* [*novarum*] *in linea 46.* [*hujusmodi*] *in lineâ verò 64. abrasum fuit, & aptatum* [*Fratrum*] *in reliquis verò partibus concordare fideliter reperi cum ipso Protocollo, & in fidem præmissorum manu propriâ me subscripsi, signumque meum apposui consuetum.*

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta habentur inter monumenta eorundem Conventuum hîc ut plurimùm indicata.]

De admiranda imagine B.M.V. in Sabinensi agro. CAP. IX.

IN Agro Sabinensi apud Oppid. S. Pauli extat nostri Ordinis locus, qui dicitur *La Madonna della Noce* magnæ quidem Accolarum devotionis ob præcipuum, quod ibi his temporibus de se gloriosa Dei Mater prodigium exhibuit, eò quidem dignius, ut his Annalibus interferatur, quò suæ celsitudinis consurgit laus, & nostrum in eâ exequamur obsequium. Eo igitur in loco erat 1. quædam rustica Puella nomine Joanna filia Ludovici Michaelis de S. Paulo, cui die 9. Junij Anni 1505. agrum colenti affuit in publico diverforio quidam nostri Ordinis Incognitus Religiosus, prout habitus, & Indumenta atrata cum capite cooperto indicabant, ætatis, ut præferebat aspectus, annorum circiter triginta, facie quidem macilenta, sed venusto, & rutilo aspectu venerabilis, manu gestans nigram magnorum calculorum coronam, qua frequentet uti solemus ad B. V. salutandam, & Dominicam orationem recitandam: hic igitur de repente apparens super viæ limites non ultra tres passus à Puella dissitus, nisi quod sepis agri utrunq; separabat, ea in solitudine adolescentulam ipsam consuetis verbis salutavit dicens *Ave Maria*, cui Puella terrore simul, & pudore correpta itidem annuit; tunc Frater ille, Noli vereri bona Puella hoc S. Crucis signo à me communita: Quam spem, inquit, in frugibus hujus agri collocasti Mulier? Tunc illa subtimidis verbis: Nos quidem ferendo non parum utimur sollicitudine, & plurimum certè laboris impendimus, sed ob ingruentem hanc tempestatem, spei parum, aut nihil superest. Tunc Religiosus: *Nimirum*, inquit, *id enim scelera, & peccata vestra promerentur:*

Admirabilis apparitio cujusdam Religiosi ad Puellam Sabinensem.

Dicas

Dicas mihi quæso, filia, quomodo inter vos
E *præteritæ Quadragesimę jejunium servatum*
fuit? Quod audiens Puella, tota tremens, &
vultu præ verecundiâ demisso, ac gemebunda nihil ausa fuit respondere. Tunc Frater:
Eja igitur bona Puella fac ut sequenti feriâ
sextâ omnes hujus loci municeps ad reverentiam summi Dei, & Salvatoris nostri Jesu
Christi in pane, & aquâ jejunetis; Nisi enim Sacratissima gratiarum Mater undius tertius gravem præpotentis Dei indignationem
nudis, & flexis genibus contra vos placaßet,
alluvio fluminis, quæ nuper deorsum accidit, vestros pariter agros facillimè devastaßet. Vos quidem, ô filia, vos jactatis
eße de hac terra S. Pauli, sed cor vestrum
rebellans, & durum dictis, & operibus S. Pauli
F *continuò adversatur.* Hæc, & alia hujusmodi cum dixisset Pater ille, iterum Puellæ jussit, ut hanc suam apparitionem, & monitionem populo renunciaret; cui adolescentula scitè respondit se non esse talem, ut ei fides à populo illo adhiberetur, satius fore, si ipsemet Religiosus hæc eadem ultrò nunciasset. At Pater ille, *eja, filia*, subintulit, *quomodo Concionatores hodie audiuntur? Quomodo non omninò negliguntur?* quibus dictis, ac signo Crucis eandem iterum muniens evanuit. Postera die Martis, quæ fuit decima ejusdem Mensis, Joanna procedens, ut moris est, ad publicam Oppidi Piscinam; quò solent mulieres pro abluendis linteis convenire mutatoq; interim, dum illuc pergeret, consi-
G lio, iter divertit ad foveam quandam pro abluendo, & curando quodam panno, non procul ab eo loco, ubi hesternâ die sibi prædictus Religiosus apparuerat; cumque jam diutam telam ad Solem extendisset, illicò se convertit ad milium cum sarculo in eodem agro purgandum. Fortè vetus ibi, & procera increverat Nucis arbor, super quam insidens admirādæ pulchritudinis mulier eodem instanti Joannam compellat. Erat mulier illa vultu speciosissima, atrâ tamen veste super nubem circumdata cum habitu, & reliquis indumentis, velisque induta ad instar Sororum tertij Ord. nostri; ad cujus vocem exterrefacta Joanna magnum & ipsa subito clamorem emisit: cui B.V. *Noli*, inquit, *timere, filia*
H *verùm dicas mihi; Quem fructum quęso, quem ex hesterna Servi mei apparitione, & hortatione cepistis?* Tunc Joanna tremens, & valdè pertimescens nullum respondit. At B. V. *Vade* inquit, *& Presbyterum hujus terræ S. Pauli compellare, & meo nomine dicas, ut congregato simul populo publicam edicat orationem, & ut omnes pœniteat, delicta confiteantur, injurias dimittant, & tribus diebus publicas lustrationes devotissimè celebrent, ac de cætero dies festos observent; Sacrum in illis diebus audire non postponant, cuncta Ecclesiæ præcepta observare non negligant, atque inprimis solemnes Deiparæ Virg. dies celebrare non intermittant. Hæc si feceritis; Beati. Sin minus, væ vobis, quia perpetuò calamitosam,*
ægerrimamque vitam ducetis, & semper in cassum laborabitis. Hæc verò cùm dixisset, discissâ interim veste, & nudato pectore totum corpus lividum, & flagellis laceratum, ac genua recenti sanguine conspersa ostendens, *vide*, inquit, *filia, vide afflictionem, quam pro vobis patior: Quid enim ultra facere possum pro vobis ad iram Filij mei placandam? Vade igitur Joanna, vade bona Puella, & annuncia populo huic scelera eorum, & quæ nunc ex me super hanc Nucem audisti, & vidisti.* Cumque Joanna, talibus auditis, & conspectis, admiratione simul, & terrore consternata assurgeret, suumque pannum complicare vellet, ut monita B. V. statim adimpleret; rursus audivit, *noli, filia, noli de panno solicita esse; Vade priùs, & quę audisti nomine meo referas.* Tunc Joanna mœrens, & pavida citato cursu ad Oppidum festina pervenit, ubi gemens, & exclamans singula tam hesterni, quàm præsentis diei, ut sibi contigissent, cunctis non absque magnâ animi commotione audientibus retulit, & ad agrum reversa telam, quam ibi reliquerat, eodem modo complicatam reperit. Hinc igitur excitata devotio; hinc subinde propè nucem fundata Ecclesia; hinc juxta prænarratam fratris nostri visionem locus ille Ordini Servorum perpetuò commendatus, [cujus origo proindè ad hunc Annum 1505. referenda videtur] Quòd si liceat ex his pium Commentum elicere, quis non videat infelici eâ tempestate, quandò Principes, & Reges terræ odijs inter sese simul decertabant, ferroque, & cæde singula perturbabantur, etiam Regem, & Reginam Cœlorum propter tot hominum scelera crebris prodigijs justæ indignationis signa demonstrasse? Illud obiter non videtur ab Habitûs B.V. devotione alienum, quòd cùm Pater Antonius Alabantus Generalis, & ejus prædecessores tantopere super hujusmodi sodalitijs propentiùs invigilassent, pari quoque modo S. Dei Mater in hac apparitione aliquem ex nostris BB. Patribus eo rutilo aspectu ad Joannam Virginem excitandam præmiserit, & ipsa quoque eodem lugubri Habitu, & recenti plagarum sanguine aspersa sese exhibuerit, quasi rursus in ea ex hominum sceleribus veteres, quas passa ad Crucem, fuisset ærumnæ, & dolores renovarentur, ac proinde ad eundem recipiendum Habitum puellam Joannam, & totum illud Oppidum excitaret, nostræque posteritati vivum relinqueret exemplar compingendi Vexilla Habitûs nostri sub titulo B. Mariæ Servorum, quæ passim, & undique in publicis lustrationibus, & solemnitatibus ejusmodi Habitûs in nostris Ecclesijs circumferri consuerunt. Florentiæ interim hoc anno 2. Virg. Annunciatæ præsidio factum, & ut dum Urbs illa à Bartholomæi Alviani exercitu, artibusque

Aparitio B.M.V. super Puellam Sabinensem.

Exemplar Vexilli Sancti Habitûs d B. V. præostensum.

Pandulphi Petruccij premeretur, & quodammodo obsideretur, nec ullus in eâ Julio, & Augusto Mensibus admitteretur præter illos, qui voti solvendi gratiâ ex longinquis partibus ad Annunciatæ Delubrum accederent, ejusdem tandem Genitricis Dei beneficio Alvianus cum toto exercitu non longè à Balneis S. Patris nostri Philippi sub Tuniaro monte à Florentino milite sub Herculis Bentivoli, & Antonij de Giacominis ductu die 17. Augusti partim trucidatus, partim captus, fugatusque fuit; cujus etiam vexillis, & militaribus exuvijs idem Antonius Thebalduccius, victoriâ partâ, Templum ejusdem Annunciatæ exornavit, cui etiam Patres nostri xenia, & spiritualia munuscula pietatis, & gratitudinis ergo in Castra detulerunt. Hoc eodem anno Patres Congregationis habito Veronæ Conventu .3. Vicarium suum secundo loco designant Petrum Navellum de Tarvisio.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

1 *Ex antiquâ narratione conscriptâ in Campione ejusdem Conv. Sabinæ, quam Author à Feliciano de Perusio Ord. Procur. in Curiâ receptam ad verbum in latinam transtulit.*

2 *Partim ex Histor. Florentinâ Guicciardini, & Nardij; partim etiam ex Diarijs & monumentis Convent. Annunciatæ de Florentiâ.*

3 *Albrisius in Catal. Vic. Gen. Congreg.*

Thadæo ægrotanti Generalis titulo reservato tota Ord. administratio in Comit. Romæ celebratis, quorum acta explicantur, Cyriaco Fulginati committitur.

CAP. X.

Videns optimus General. Tancredus veterem illam congregatorum observantiam obsolescere, & in declinationem abire, id vehementer ægrè ferebat, quandò nonnulli eorum, quorum Deus corda tetigerat, laxioris illius consuetudinis pertæsi ipsi Thadæo Gener. supplicarunt, ut eos à Congregatorum cœtu in tranquilliorem, & magis religiosam observantiâ segregaret; hi autem fuerunt F. Franciscus de Gotijs, F. Hieronymus de Zenarijs, & F. Eliseus de Galentijs omnibus de Civitate Cremonæ cum F. Clemente de Darlerijs à Castroleone Diœc. Cremon. Quorum votis, ut benignè, & æquè satisfaceret religiosus Gener. per .1. literas patentes in initio hujus anni 1506. die 23. Febr. Romę datas prædictos Patres ab obedientiâ Congreg. sejunctos in novam reformationis observantiam sub suâ potestate recepit: mandans, ut de cætero tali titulo nuncuparentur, nimirum *Filij de Observantiâ Servorum sub Prioris Gener. obedientiâ*, cōcedens eis Conventum Cremonæ,

Altera Congregationis reformatio, & scissio.

A Conventum Forolivii, & S. Mariæ de Corvariâ Diœc. Placent. cum potestate, & mandatis, ut loca quæcunque, & Oratoria pro suâ observantiâ amplificandâ ubique recipere sub ipsius Gener. obedientiâ redigere possent, quin & quoscunque Fratres, tam Cōgregationis quàm Ordinis in suum cœtum aggregare valerent; quæ quidem concessio, secundùm quosdam, etiam per Apostolicam Sedem firmata fuit. Hæc, & alia ad sui Ordin. profectum dum Generalis Tancredus moliretur, gravi morbo correptus, & jam senectute gravatus occasionem præbuit, ut ij, qui supremum Magistratum affectabant, faciliùs suis votis potirentur.

Nam Lucas Episcopus Fulginas alterâ ex parte pro germano apud Card. Columnam B Viceprotectorem solicitus; ex alterâ verò Fratres Congreg. optimam Tancredi Gener. deliberationem de novâ observantiâ in deteriorem partem interpretantes, & quod cuperet his artibus eorum jura, (hæc enim semper contra Generales ebulliebat perpetua suspicio) sub suam potestatem aucupari obloquentes, & contra insontem simul, & absentem Thadæum apud varios Romanæ Curiæ Prælatos insurgentes, ipsum ab officio deponi curabant, asserentes Tancredum reformatorum leges destruere, Congregationem seditiosis artibus in partes proscindere, universi Ordinis tyrannidem affectare, ac denique infirmum, fatuum, atque in suis consilijs varium, & senem difficilè posse Præfe- C cturam illam ulteriùs moderari. Hæc verò novus ipse Viceprotector audiens, & fortè propensiùs in contrariam partem declinans, cupiensque Lucæ Episcopo, & Cyriaco suffragari, hujusmodi querimonias de Tancredo indigente fortasse, qui pro se Romæ tales calumnias refelleret, & causam diceret, ad Summum Pontificem detulit, qui ut erat gravioribus Ecclesiasticæ ditionis turandæ negocijs implicatus, eidem Joanni Columnæ suas vices commisit, mandans, ut generalia .2. Comitia proximo vere haberentur Romæ, in quibus Cyriacus exemplo Antonij Alabanti, qui in locum Christophori ægrotantis olim fuerat suffectus General's, fuit & ipse pro Tancredo eâ lege Vic. Gener. totius Ordinis D constitutus, ut tota in ipsum collata fuisset authoritas, Thadæus autem nominetenus Prior Generalis haberetur; pro cujus gradûs dignitate conservandâ de mandato Viceprotectoris die 7. Julij 1506. assignatæ fuerunt taxæ .3. quinquaginta aureorum in Provinciâ Romandiolæ, cum omnimodâ facultate super Cœnobium suum S. Joseph de Boniâ, & quòd posset etiam pro suo libito in Cœnobio Servorum commorari. In eisdem etiā Comitijs nonnulla veterum Sanctionum decreta hujusmodi renovata fuerunt .4.

1 Quòd nullus Bacc. vel Lector ex gratiâ, qui non esset formarus in aliquâ facultate, & Universitate vocem activam in Capitulo haberet,

D

beret, nec Privilegijs eorundem gauderet.

2 Quòd nullus eligeretur pro Discreto, qui in eodem Conventu per sex menses non fuisset Conventualis commoratus.

3 Quòd nullus impetrare auderet ab Apostolicâ Sede licétiam accipiendi gradum Doctoratûs sine licentiâ Prioris Generalis in scriptis; quòd si secus fieret nullus talium pro Magistro in Ordine haberetur.

In eisdem etiam Comitijs literæ patentes pro confirmatione Vicar. Gener. Congreg. à Cyriaco emanarunt, ex quibus ut facilè innotescat, quam continuò Prior Gener. Ord. authoritatem super Congreg. exerceret, atque etiam, quot Cœnobia tunc temporis Congregatio possideret in Religione nostrâ, non erit inutile integrum exemplar earum his Annalibus adiungere..5.

Literæ Cyriaci Gener. confirmãtes Vic. Gener. Congreg.

F. Cyriacus de Fulgineo Sacræ Theol. humilis Professor Fratrum Servorum B. M. Ordinis S. Augustini Vic. cum plenariâ potestate Generalis.

Dilectis nobis in Christo filijs, Prioribus, cæterisque Fratribus nostris, qui de Observantiâ nuncupantur, Sal. &c. Cùm noverint dilectiones, & charitates vestræ in Generalibus Comitijs Bergomi celebratis in Conventu nostro S. Gothardi anno 1506. die 20. Maij Fratres dicti Capituli canonicè, & secundùm formam nostrarum Constitutionum, & authoritate eâdem per Sedem Apostolicam concessâ R. P. Sacræ Theol. Mag. Aloysium Scaramella Venetum, scientiâ decoratum, & virtutibus ornatum unanimiter in eorum Conventuum infrascriptorum Vic. Gen. elegisse, videlicet Conv. Servorum de Venetijs, Conv. S. Mariæ Novellæ in Judaicâ, Conv. Perusij S. Florentij, Conv. S. Spiritûs Anconæ, Conv. S. Martini Senogalliæ, Convent. Pisauri, Conv. ForoPompilij, Conv. ForoLivij, Conv. . . . . . Conv. Civitatis Prellani, Conv. Valvasoni, Conv. Utini, Conv. Prassini, Conv. Godegij, Conv. Paduæ S. Pauli, Conv. Gradischæ, Conven. S. Mariæ Montis ex Vicentiâ, Conv. Corneti, Conv. S. Mariæ Paradisi ex Veronâ, Conv. Cavalcasella, Conv. Ceresariæ, Conv. S. Barnabæ de Mantuâ, Conv. Quistelli, Conv. Ferrariæ S. Mariæ Consolationis, Conv. Carpij, Conv. Casalis majoris, Conv. Cremonæ S. Cataldi, Conv. Parmæ S. Hilarij, Conv. Soraneę, Conv. Co-
H donij, Conv. S. M. Gratiarum, Conv. Castri S. Joannis, Conv. Pronij, Conv. Viglevani, Conv. Mediolani S. Marię de Paradiso, Conv. Paudini, Conv. S. Gotardi de Bergomo, Conv. Rangę, Conv. Lavelli, Conv. Zogni, Conv. Clusoni, Conv. Montecchi, Conv. Robadi, Conv. Comoli, Conv. S. Alexandri de Brixiâ, Conv. Passirani, Conv. Materni, Conv. . . . . Conv. Laudis, Conv. Plebissaci. Ipse sic electus, ac cęteri Fratres sic eligentes humiliter supplicant, ut de benignitate amplissimâ vestræ confirmationis manus eidem concedere dignaremur. Et quia justa petentibus nõ est denegandus assensus, ideo tenore pręsentium supradictum fra-*

** Aloysius hic ille est, quẽ valdè laudari à Maphæo diximus ad Annũ 1503. cap. V.*

trem Vic. vestrum, & animarum pastorem, re-
E *ctorem, & providum gubernatorem, ac supradictas confirmationes patentes confirmamus, constituimus, ordinamus, ac pariter deputamus. Cui concedimus omnem authoritatem, & potestatem nostram in temporalibus, & spiritualibus quam dare, & concedere alijs hujusmodi Fratribus Vicarijs super Fratres observantię consueverunt, ut ea omnia agere possit, & valeat supra dictos Fratres omnes, & singulos cujuscunque gradus, & conditionis existant, quę Nos secundùm nostras constitutiones agere possemus. Eidem Vic. vestro, & animarum vestrarum pastori insuper concedentes, quòd pro manifestâ, & evidenti utilitate, & necessitate quorumcunque Fratrum prędictorum possit, & valeat licentiam dare, & authoritate nostrâ facultatem con-*
F *cedere de bonis tam mobilibus, quàm immobilibus alienandis, hoc est in evidentem utilitatem commutandi, & hoc quidem de consilio sociorum suorum, & consensu Capituli illius loci vel Conventûs, ubi commutatio huiusmodi fieri contigerit. Quare dilectiones vestras hortamur, & monemus in Domino, ac pro merito salutaris obedientię pręcipiendo mandamus, ut prędictum Magistrum à Capitulo vestro canonicè electum, & per vos confirmatum in Vic. vestrum, & animarum vestrarum pastorem spiritualem, ac gubernatorem acceptare, & suscipere debeatis. Omnibus vobis Fratribus de observantiâ cuiuscunque gradûs, & conditionis insuper mandantes, ut eidem R.P. Aloysio Vic. vestro, tanquã personę nostrę obedire, & parère sine ullâ con-*
G *tradictione in omnibus tẽporalibus, & spiritualibus studeatis, & debeatis. In quorum omnium fidem has patentes scribi fecimus, & sigilli nostri officij iussimus imprę̃ssione muniri.*

Datum Romę in Cap. Gener. in Conventu nostro S. Marcelli ann. Domini 1506. die 5. Junii. Cum nostrâ solitâ & propriâ subscriptione, idest, Conserva me Domine.

Ut autem Fratres .6. Congregationis recentem illam reformationem tam pio zelo à Tancredo superioribus mensibus Cremonæ ordinatam, veluti suæ ditioni contrariam omnino detestarentur, in his Comitijs curarunt, ut recuperatis priùs, & in pristinum redactis Cœnobijs Cremonæ, & Forolivij, quæ Tancredus F. Francisco, & socijs denuo
H concesserat, locum etiam S. Mariæ de Crovarâ authoritate Sedis Apostolicæ * ab ipsis de novâ reformatione sublatum, aut sibi, aut Conventui S. Annæ de Placent à unîri curarunt. Sed quid plura de his? Quando eodem fermè tempore ipsimet Conventus modò concedebantur, modò per contrarias Bullas adimebantur; taies enim mores ea tempestas ferebat, ut etiam idem Joannes Columna .7. Card. Viceprotector, & ejusdem Capituli Apost. Præses ex vivæ vocis oraculo Pontificis die 8. Junij hos Priores, & Priorissas ad longum tempus in eisdem Comitijs confirmaret, & primò ubi non fuissent duodecim Fratres ad decennium, dummodo

** Julii nẽpe II.*

se

se bene gessissent: Prior Conventus Pisauri, quia plurimùm laboravit in construendo Cov. & Ecclesiâ confirmatur ad vitam. Similiter etiam F. Laurentius de Perusio, quia plurimùm pro Cœnobio S. Florentij laboravit, & multa beneficia contulit, confirmatur ad decennium. In Monasterio quoque Mantuæ, quia Soror Margarita Cœnobium multis ædificijs auxit consentientibus Sororibus Priorissa ad vitam deputatur. Pariter etiam Soror Eugenia prima Priorissa Conventûs Ferrariæ per præfatam Sororem Margaritam de Mantuâ electa, quia multos annos locum probè administravit, confirmatur Priorissa dum vixerit. Hæc igitur, & alia hujusmodi in præsentibus Comitijs Gener. acta reperiuntur.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 *Habentur hę literę patẽtes Thadęi Gener. exemplatę in Regesto Augustini de Aretio Gener.*

2 *Notandus Pocci-antius, qui circa annum horum Comitiorum, & electionem Cyriaci General. non satis sibi constat; Author verò collatis rebus, & temporibus cum ipsis monum. omnia pro veritate conciliat.*

3 *Ex monum. Conv. S. Joseph de Bononiâ.*

4 *Hęc decreta habentur in pergameno m. s. Aretii.*

5 *Ex monum. & Archivo Conv. Fulginei.*

6 *Inter monum. Conv. Romę, & Placentię; de Foroliviio autem videndus Albris. in Catal. Vic. Gen. Congreg.*

7 *Ex Archivo Conv. Brixię ad verbum.*

NOTÆ.

Conv. de Ceresario, Prellano, Prassino, Plebissaco, Valvasono, S. Hilarii Parmensis, & Calibano.

[EX literis patentibus in hoc Cap. relatis, quibus Cyriacus Generalis confirmat in Vicarium Generalem Congregationis de Observantiâ Aloysium Scaramella Venetum, colligere juvat, eo temporis saltem, anno videlicet 1506. pręter alia ejusdem Congregationis Loca in iisdem literis enumerata, quorum origo spectatim ad suos annos refertur, ad eandem Congregationem pertinere sequentia; nimirùm S. Marię Servorum de Ceresario in Agro Mantuano, de Prellano, de Prassino, Plebissaco, S. Marię Gratiarum de Valvasono, S. Hilaris Diœcesis Parmensis, licet nil aliud de iisdem exploratum habeamus. Quibus accenseri potest, utpote ad eandem Congregationem spectans, Locus alter in amœnissimo Vico Calibani positus Pisauro distans per duo milliaria, Urbinum versus inter Montana, cujus fundamenta iecit hoc anno 1506. die 2. Maii P. Ambrosius de Florentiolâ (distat hęc Pisauro sex circiter milliaria Ariminum versus) eo temporis Prior Conventûs S. Marię Montis Granarii, de quo ad annum 1459. id enixè petentibus DD. Ludovico, & Vincentio de Carris Pisauriensibus, qui ob eximiam erga B. V. pietatem situm illum proprio ęre coemptum

P. Ambrosius de Florentiolâ fundamẽta iecit Conventûs de Calibano

donarunt, ad hoc ut ibi Conventus, & Ecclesia
A *construeretur, ut Ordinis nostri PP. Divina peragerent Officia, Deo, ac Deiparę diligenter inservirent, & Locus ipse Conventui nostro de Pisauro subiectus, & unitus perpetuò foret. Consecrata deinde fuit Ecclesia Kal. Octobris 1509. sub Tit. D. Annunciatę per D. Paulum de Alexandris Episcopum Vallis.*

Consecratur Ecclesia Calibanë

Thadęum Tancredi Generalem, de quo hic, Landrophylus in Oratione habitâ anno 1500. in Comitiis Generalibus pag. 12. Virum appellat singulari prudentiâ, consilio, & pietate pręstantissimum.

Laudes Tancredi Gen.

Conventum S. Marię de Crovarâ, quem ut diximus hic num. 6. PP. Congregationis uniri curarunt Conventui S. Annę de Placentiâ, Augustinus de Aretio Generalis anno 1547. eidem
B *Conventui S. Annę re ipsâ univit, prout constat ex literis patentibus in eius Regesto pag. 176. Locum hunc, quem Tancredus Generalis Patribus illis concessit, de quibus hic num. 1., P. Franciscus de Gosiis Cremonensis primò administravit, valde postea celebrem ob admirabilem quandam B. V. Imaginem, quò proinde frequentissimus fit Populi concursus.]*

Conv. S. Marię de Crovarâ celebris ob Imaginẽ B. V. unitur Conv. S. Annę de Placentiâ.

Pius obitus, & pręclara gesta B. Joannis Angeli de Mediolano explicantur.
CAP. XI.

C QUantum jacturæ inferat Religiosis ambitiosa impetitandi, regnandíque libido, & quomodo vicissim conferat pijs hominibus probata humilitas duo, quæ sese hoc eorum tempore, veluti opposita paralella offerunt explicanda, manifestè declarant exempla Petri Novelli de Tarvisio, & Joannis Angeli de Mediolano; nam de ambitiosa ipsius Petri affectatione, infelicíque simul eventu hæc habet Philippus Albris: 1. *Petrus Novellus de Tarvisio expleto sui Magistratûs tempore Religionem contempsit, & impetratâ Abbatiâ à Pont. Max. eo die, quo fuerat exiturus, obiit Padue in Conv. nostro, quam rem & ipse moriens dixit adeò miraculosè fuisse ostensam, ut unusquisque moneretur in suâ vocatione permanere, quemadmodum Apostol. docuit.* En igitur quàm districtè pu-
D niatur illorum ambitio, qui proprijs votis adversantes, ad imperium magis, quàm ad obedientiam sese in Religione tenere natos esse præsumunt. Talem profectò scandali occasionem haudquaquam præbuit optimus ille Religiosus. 2. Joãnes Angelus de Mediolano, cujus pium obitum, & egregia humilitatis exempla hoc eodem anno explicanda occurrunt. Is igitur Protasio patre Mediolani nobili ex genere de Porris natus ab ipsis incunabulis Reginæ Cœli addictus fuit, & adhuc puer optimæ indolis christianis moribus operam dedit, donec hujus nostri Ord. suscepto Habitu magnum futuræ sanctitatis specimen dedit; nam Religiosam vitam, quam ado-

Gesta, & Mors B. Joannis Angeli Mediolanensis.

lescente ætate aggressus fuerat, sacris deinde initiatus, perpetuò coluit. Auditâ interim famâ eorum, qui in Senatio Monte districtiùs B. V. inserviendo vitam ducebant, Mediolanensi Patriâ posthabitâ in Etruriam profectus vitam eremiticam viginti annos in assiduis vigiliis, pijs meditationibus, & alijs carnis macerationibus exegit; donec P. Anton. Alabantus Conventûs Annunciatæ Prior, novis ædificijs instaurato Novitiatu pro pueris educandis Joannem Angelum ad illud officiũ Magistri Novitiorum è Senario Florentiam transferri jussit. Fo igitur in officio, quantùm pueris illis SanctoVirg.Habitu initiatis adjumento fuerit, non multò post indicarunt, qui ejus disciplinam,& mores amplexati fuerunt. Cumque Alabantus postea ad supremum Ordinis Magistratum in Comitijs Verralæ fuisset assumptus, & districtiùs Cœnobium Annunciatæ reformare cuperet, Joannem Angelum, qui ad Eremum Clanti colendum jam profectus fuerat, iterum ad eundem Novitiatum administrandum eâ lege revocavit, ut si jam assiduis gravatus infirmitatibus eidem officio non posset omninò vacare, saltem semel in die ad statutam horam pueros illos adiret, & perfectione regularis vitæ eos instituerct, atque Religiosis motibus confirmaret. Contigit autem, ut anno 1487. non mediocris inter Fratres Senarij oriretur altercatio de novo ejusdem Loci eligendo Præfecto, adeò ut Alabantus Gener. qui Florentiæ aderat, in

Cent.3. l.3.c.20. Senarium ad eas compescendas lites,ut aliàs dictum fuit,se celeriter conferret. Instauratis igitur eo in Loco Comitijs, Fratres inter sese valdè diffidentes, de repente unum Joannem Angelum diu renuentem unanimi omniũ consensu in suum Priorem elegerunt. Quo in officio illud satis compertum habetur, Religiosum Virum jam suæ sanctitatis apud Villicos illos præclara signa dedisse, quippe qui multos ex varijs infirmitatibus laborantes, & spiritibus immundis detentos solo Crucis signo cum oratione adhibito, liberavit. Verùm famâ hujusmodi signorum ex ijs locis usque ad Urbem Florentiam paulatim percrebescente,sibi etiam viventi accolarum devotione tabulæ gratiarum, & miraculorum, quas etiam vidimus, dicabantur.

Joannes Angelus, ut vanam mundi gloriam subterfugeret, vix primo Prioratûs Senarij absoluto anno, iterum ad Eremum Clanti profectus, ibi de Patrum Ann. de Flor. consilio ejusdem loci Priorem egit. Verùm neque ibi suæ sanctitatis splẽdor delitescere potuit, eâdem famâ per illas oras sanctitatem illius promulgante adesse S. Eremitam ex Ord.Ser. qui languores omnes, & Energumenos solo Crucis signo cum oratione adhibito, sanaret, quamvis ipse ferè semper ex diutinâ pœnitentiâ languesceret. Quare Vir Dei eandem famam declinans inde etiam recessit, ac Mediolanum versus profectus fuit. Quo in itinere tali, ac tantâ usus est humilitate, ut tunicâ ex telâ nigrâ proprijs manibus consutâ

E cum farcinulis super humeros indutus, Conversus potius eleemosynas quærens, quàm vir doctus, & Sacerdos appareret. Hujus rei testes adhuc sunt ijdem sacculi, quos nos apud sorores nostras summâ cum veneratione conservatos vidimus, & venerati fuimus apud Castrum Piceleonis Abduæ fluminis. Sed quid plura? præstat potius de ejus sequentibus gestis aliorum, quàm nostra dicta adhibere, & præsertim Philippi Alexandrini Ord. Serv. qui in suo Catal. Sanctorum Italiæ hæc ulterius prosequitur de Joanne Angelo. Mediolanum reversus eandem vitæ austeritatem retinens in cellâ, quæ paucis abhinc annis adhuc monstrabatur, seorsum ab alijs habitavit non absque mirabilium miraculorum

F ostensione. Cum enim racemum ex vicinâ vite abstulisset, idque Fratres indignè ferentes audisset, illum in eundem locum retulit, qui sic viti copulatus est,ac si nunquam fuisset abscissus. Apud Cavacurtam Laudensis Diœcesis pagum, ubi ejus interula parturientibus opem ferens asservatur,illum aliquando orantem à terris elevatum visum ferunt. Illud quoque admirandum, quòd cùm in morbum incidisset, & sanguis per venæ sectionem extrahendus esset; accidit, ut advenlente eo, qui sanguinem mitteret (Eusebius illi nomen erat) nullus, qui ei inserviret ex Fratribus, omnibus in processionem per Urbem profectis,adesset, cumque is aliquem, qui lumen, vas, & alia ministraret, perquireret, conti-

G nuò duo adolescentuli egregiâ formâ, quos ille Novitios ex Habitu arbitrabatur,adfuere, illique ministrarunt, peractâque phlebotomiâ disparuerunt. Denique S. Vir assiduis macerationibus confectus, cùm pelle tantùm, & ossibus constare videretur, 9. Kal. Novemb. obdormivit in Domino anno sal.1506. In quo tumulando aliud mirum contigit: nam quò magis corpus illius in eandem cæterorum Fratrum conabantur inferre sepulturam, eò immobilius, & gravius videbatur, ut propterea in privato tumulo supra terram illud condere coacti fuerint. Quo tempore per diem, & noctem innumera languentium multitudo ad sacrum cadaver cucurrit, multis sanitatem referentibus, campanis Eccle-

H siæ Servorum sponte sonantibus. Corpus adhuc integrum in æde Servorum servatur, ad quod hac die venerandum tota penè civitas Mediolanensis confluere, & vota nuncupare solet. Hæc Philippus. Ejus verò imago, quã Ticini, & alibi depictam vidimus, adinstar Religiosi Viri poterit effingi, qui pelle tantûm, & ossibus macie consumptus apparet genibus flexis coram Crucifixo orans, capite radijs circumfuso. Ejus dies festus in diem 24. Octobris sui obitûs colendus esset,cùm tamen à Patribus ad majorẽ B.gloriam, & plorũ devotionem Dominicâ quartâ ejusdem Mensis ritu solemni celebratur, [modò autem Dominicâ infra oct. S.P. N. Philippi.] In cujus etiam

eriam honorem cecinit quidam hoc elegans Hexastichon.

Angelus est nomen, mirari desine, si re
Ipsâ actus fuerint, Angelicique modi:
Si botrum viti copulat; si cernitur orans
Elatus terrâ, unde parabat iter:
Si adsunt Cœlicolæ ægroto, & (mirabile dictu)
Tympana sponte sonant ipso obeunte sua.

Altero verò ineunte anno 1507. nihil ulterius occurrit præter Comitia à Patribus Congregationis Utini habita, in quibus Stephanus Placentinus rursus præficitur Vicar. Generalis.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

1 IN *Catal. Vic. Gener. Congregat.*
2 *De hoc B. plura Poccantius, quamvis certum ipsius obitûs tempus non bene pro veritate attigerit, Author autem ex variis monum. Conv. Mediolani, & Florentiæ plura congessit, quæ ab aliis non fuerunt observata. De Prioratu Senarii, de Prioratu Clauti, de Magistro Novitiorum Florentiæ, &c. ex diariis ipsius Convent. Annunciatæ. De miraculis in Monte Senario ex m. s. quibusdam antiquis in Archivo D. Annunc. de Florentiâ.*

N O T Æ.

Quo ãno obierit B. Joannes Angelus.

[*NOvi planè quòd Michael Poccianius ad annum 1496. B. Joannis Angeli obitum refert, quem alii, sed pauci sequuntur, verùm singularis nimirum opinio hæc est, quam proinde Gianius hic non probat, qui plurimùm studuit veritati huic explorandæ, & Philippo Ferrario Alexandrino celeberrimo planè scriptori, & in hac re potissimùm cæteris præferendo adhæret, cui pariter & ipse adhærendum censeo. Hinc valde miror, quòd Joannes Baptista Cornu in Epilogo Vitæ huius B.Viri, quem è Philippo prædicto in Catalogo Sanctorum Italiæ se transcripsisse testatur, obitum ejusdem ad annum referat 1496., non 1506., cùm Philippus ibidem obiisse Joannem Angelum asserat anno 1506., non 1496. Consonat nobiscum etiam Comes Galeatius Gualdus Prioratus in relatione Mediolani 1. parte Joannem Angelum obiisse scribens die 24. Octobris anno 1506.*]

Refertur aliorum Ordinis Nostri Conventuum origo. C A P. XII.

Conv. Fontanæ

[OPpidum quoddam est, cui nomen *Fontana* à Foro Cornelii Æmiliæ, seu Galliæ Togatæ Urbe distans decem milliaribus versùs Apenninos, quod unà cum Tossignano, alio videlicet ejusdem Regionis Oppido, Feudum constituit S.R.E., eoque modò potitur Dux Altaemps ex Baronibus Romanis. In hoc autem
A Oppido Fontanæ Locum quendam tenet Ordo Servorum, cujus modò recensenda est origo. Laurentius Presbyter, & Paulus filii Petri Magnani de hoc Loco summopere cupientes, quòd ibidem reciperetur Ordo Servorum, proprias Ædes ad opus hoc perficiendum obtulere. Viri primarii ejusdem Oppidi in publico Consilio eorundem Fratrum Laurentii, & Pauli petitioni annuentes unanimi consensu decreverunt, construendum esse in eorum Ædibus, prout optabant, Ordini Servorum Cœnobium, alendisque Fratribus portionem quandam tradendam esse reddituum ad Hospitale S. Antonii Abbatis, & Societatem B.V. spectantium, quæ constant ex pub. Instrumento, de quo rog. est
B Gabriel Rizzi pub. ejusdem Loci Notarius die 5. Aprilis 1506. Post hæc FF. Servorum de Observantiâ, qui eo temporis in Conventu degebant Rivieræ in Territorio Tossignani ab Oppido Fontanæ distantis duobus circiter milliaribus, piis hisce votis annuentes, Ædes prædictas sibi dono datas, & suæ Congregationi à memoratis Laurentio, & Paulo, adiere, recipiente eorum nomine P. M. Petro de Tarvisio, ut ibi Cœnobium construeretur, accedente quoque consensu Virorum illius Communitatis, & assistentiæ Judicis D. Joannis Antonii Urbani Civis Imolensis, de quo pariter habitum fuit Instrumentum, rog. eodem Gabriele Rizzi die 20. Junii 1507. Itaque anno 1507. expensis
C Communitatis ædificari cœpit Ecclesia in Ædibus præfatis Magnanorum, & anno 1511. eò redacta fuit, ut ibi Divina peragere licuerit, quæ tamen completa solummodò est anno circiter 1526. Cœnobium deinde usui Fratrum accommodatum constitui pariter cœpit, & anno solùm 1545. perfectum fuit. In hac Ecclesiâ Lignea quædam B. V. à deil Imago, quæ Venetiis huc vulgò dicitur translata, miraculorum gloriâ percelebris, quod olim publicè testabantur vota ibidem appensa per omnes illius Sacelli parietes, quæ carie fortè consumpta paulatim periere, non ideo tamen deferbuit Christifidelium erga Sacram Imaginem hanc devotio, ita quidem, ut extremâ quacunque necessitate urgente Communitas publicis votis ejus opê
D imploret, Clerus, ac Populus eam processionaliter adire semper consueverit, quinetiam quandoque Imago eadem Communitate ipsâ mandante circumducta per Oppidum solemniter fuerit, quam sibi semper propitiam experiuntur ad hæc tempora usque, quibus scribimus, cujus capiti proinde argenteam imposuere Coronam expensis Communitatis fabrefactam, quæ jugiter subsidia tribuit pro conservandâ Ecclesiâ, quam ipsamet ædificavit. Anno demum 1560. consecrata ritè fuit die 5. Aprilis à D. Francisco Guerini Episcopo Imolensi sub Tit. Nativitatis B. M. V. Eodem anno 1507. cùm amplissima Bononiæ

Imago B. V. gratiarum copiâ illustris

Eam adeunt etiam processionaliter Populi.

Consecratur Eccles.

niæ Civitas gravissimâ fame premeretur, terræmotibus frequenter, ac vehementer quassaretur, necnon instestinis Civium dissensionibus maximè dilaceraretur, D. Joannes Stephanus Ferrerij Episcopus pro suâ erga Deum pietare, & Episcopali solicitudine operam omnem adhibuerat, ut Dominum sibi, ac Populo suo placabilem faceret, ejusque cæteroqui justissimam indignationem averteret: Celebri verò commorus opinione, quæ de PP. Servorum Congregationis de Observantiâ, ac de eorum viræ sanctitare, morum innocentiâ, et disciplinæ regularis studio undequaque pervagabatur, optimè consulrum putavit eos Bononiam adducere, spe maximâ fretus, quòd ipsi viræ purioris exemplis, orarionum ope, sacris Concionibus, alijsque sanctis operibus Populos ad pœnitentiam magis in dies, ac magis excitare, viria quæcunque funditùs eriam eradicare, Deique iram placare potuissent. Itaque annuente quoque amplissimo illo Senaru Locum illis in Civirare rradere staruir, reque ipsâ veterem Ecclesiam Parochialem S.Georgij vulgò dictam in Poggiale designavit, cui proinde renunciaverar D. Hercules Alamandini ejusdem Ecclesiæ Rector, habito Instrumento, de quo rog. fuit die 22. Octobris 1507. Thadæus Fronti pub. Notarius. Interea cùm singula ad Loci possessionem Parribus adeundam necessaria pararentur, ne ullo unquam temporis momento Civitas beneficio destitueretur, quod ab eorundem Patrû operâ sese accepturam sperabat, Locus humilis quidam illorum usui traditus fuir prope Mœnia Civiraris extra Portam S. Felicis secus Torrentem Ravonem, quà Mutina aditur, ubi Virgilius Ghislieri ab Antonio Masinâ Parte 1. Bononiæ perlustratæ pag. 156. dicitur reædificasse Oratorium, quod aliàs ab anno usque 1302. constructum fuerat B. Virgini nuncupatum, vulgò dictum *del Pilastrello*. Ibique Patres Divina, prout fas erat, peragebant, & alia pietaris opera exercebant sanctissimo Episcopi consilio accommodata. Anno autem 1508. adveniente, ejusdem Episcopi operâ, & Simonis Vercellensis Congregarionis prædictæ Procurat. Generalis in Curiâ studio Apostolicæ Julij II. Literæ accessere sub Dat. Romæ anno eodem 1508. 13. Kal. Maij, quibus rata habetur, & confirmatur renunciatio prædicta Herculis Alamandini, subindeque die 10. ejusdem mensis memorari PP. corporalem Ecclesiæ hujus S. Georgij possessionem adiere, nomine eorundem PP., suæque Congregationis recipienribus P.M. Srephano Borgognoni de Placentiâ eo temporis Congregationis illius Vicario Generali, & P. Constantino de Brixiâ, qui pariter eiusdem Loci constitutus primò fuit Prior. Procedente verò tempore Architecto Thomâ Martelli celeberrimo Patres Ecclesiam iterum à fundamentis longè magnificentiùs ædificare cœperunt, cui primum lapidem riru solemni posuit die 5. Octobris Anno 1589. Gabriel Card. Paleotti Archiepiscopus Bononiæ, quæque tandem anno 1633. absolura undequaque fuir, inrer celebriores Bononiæ Ecclesias jure optimo habita, ob Sacras præsertim Imagines ibidem positas, quas clarissimi Pictores delinearunt, Ludovicus, & Annibal Caracci, Franciscus Albani, Alexander Tiarini, Joannes Jacobus Semenri, Hieronymus Rocca, Joannes Andreas Sirani, Hercules Procaccini, Flaminius Torre, omnes de Bononiâ, Simon Cantarini de Pisauro, quibus accedit Gabriel Brunelli Sculptor eximius parirer de Bononiâ, qui Sraruas BB. Peregrini, & Joachimi Ord. Servorum egregiè formavit; sacrâ supellectili, Sanctorumque Reliquijs haud mediocriter instructa. Quin eriam ibidem quiescir corpus Ven. Servæ Dei Sororis Monicæ Beltrami Tertij Ord. S. Francisci, de quâ ad annum 1627. ibi deinde Societas erecta fuit sub Tit. Purificationis B.M.V Confratrum, & Consororum, tum claritate generis, tum frequentiâ percelebris, postmodum aggregata Archiconfrarernitati SS. Conceptionis Romæ in Ecclesiâ S. Laurentij in Damaso Instirutæ, cujus etiam Tirulum priori omisso suscepir, universo Populo plaudente, quamobrem certatim omnes eidem nomen dare jugiter student, ut Indulgentias, aliosque Spirituales Thesauros eidem Archiconfraternirati concessos consequi possint. Pari quoque rarione Cœnobium longè augustius excitare non dubitarunt, quod anno 1680. complerum maximè fuit, ac conspicuum evasit. Ipsum verò valde illustrarunt non pauci ejusdem Alumni, sive doctrinâ, sive sanctirate præclari in horum Annalium serie opportunè recensendi.

Conv. S. Georgij in Poggiale Bononiæ

Julius Papa II. confirmat resignationem Eccles. S. Georgij in Poggiale.

PP. Congregat. recipiût possess. d. Eccl.

Nova ædificatur augustior Eccles.

Cùm adeò feliciter Ordinis nostri res Bononiæ sese haberent, Senis quoque in Etruriâ honorifica non pauca accessere. Plura sanè Privilegia Ecclesiæ, & Conventui Senarum ab ipso sui exordio ad hæc usque tempora conrulerant Summi Pontifices, Sedis Apostolicæ Legari, Respublica Senensis, & alij. In primis enim Honorius IV. è clarissimâ Gente Sabelliâ Summus Pontifex Conventum hunc, ejusque Bona sub Apostolicæ Sedis protectione recepit, & Collegium Ponrificium esse declaravit, Bullâ datâ apud S. Sabinam die 11. Martij, anno sui Pontificatûs secundo. Nicolaus iridem IV. indulsit, quòd Interdicti tempore Divina ibi adhuc celebrarentur Officia, Bullâ datâ Romæ apud S. Mariam majorem die 10. Martij anno sui Ponrificatûs secundo. Bullâ pariter darâ apud Urbemveterem die 1. Septembris, anno sui Pontificarûs quarto, quadraginta dies de Indulgentiâ largitur omnibus ac singulis, qui Ecclesiam hanc visitaverint diebus Festis Nativiraris B.M.V. SS. Clementis, & Augustini, & seprem sequentibus diebus. Joannes XXI. seu XXII. Bullâ datâ die 27. Julij, anno sui

Privilegia Conv. Senaru.

Ponti-

Pontificatûs decimotertio confirmavit privilegia aliàs concessa, sed ab Episcopis Senarum eo temporis ab executione suspensa, administrandi Sacramenta, annunciandi verbum Dei, curam Animarum exercendi, &c. Matthæus Episcopus Portuensis Apostolicæ Sedis Legatus quadraginta dies de Indulgentiâ concessit omnibus, ac singulis opem ferentibus pro constructione Ecclesiæ S. Mariæ Servorum de Senis. Frater Rogerius Episcopus Senensis inhibuit ædificare Ecclesias, nisi ab hac nostrâ distarent per spatium 140. Cannarum die 23. Augusti 1308. quod privilegium confirmavit Arnaldus Card. S. Mariæ in Porticu Sedis Apostolicæ Legatus, anno 5. Pontificatûs Clementis V. quæ susiùs retulimus ad annum 1420. Hoc autem anno 1508. DD. Cardinales Episcopi Oliverius Ostiensis, Georgius Portuensis, Raphael Sabinensis, Joannes Antonius Prænestinus, & Guilielmus Albanensis. Item Ludovicus Joannes Tit. SS. Quatuor Coronatorum, Dominicus Tit. S. Marci, Jacobus Tit. S. Clementis, Petrus Tit. S. Cyriaci, Franciscus Tit. SS. Nerei, & Achillei, Joannes Stephanus Tit. SS. Sergij, & Bacchi, Franciscus Tit. SS. Joannis, & Pauli, Franciscus Tit. S. Susannæ, Nicolaus Tit. S. Priscæ, Adrianus Tit. S. Chrysogoni, Franciscus Tit. S. Adriani, Ludovicus Tit. S. Vitalis, & Gabriel Tit. S. Agathæ Presbyteri Cardinales. Denique Joannes Tit. S. Mariæ in Dominicâ, Fridericus Tit. S. Theodori, Julianus Tit. S. Angeli, Alexander Tit. S. Eustachij, & Ameneus Tit. S. Nicolai in Carcere Diaconi Cardinales, enixè petentibus Viro nobili Æneâ Piccolomineo de Castellâ Aragoniæ Pij II. & Pij III. Nepote, necnon ejus Filio Jacobo, qui Ordinem Servorum eximiâ veneratione prosequebantur, concessere singuli centum dies de Indulgentiâ in perpetuum omnibus ac singulis, qui verè pœnitentes, & ritè confessi visitarent hanc Ecclesiam S. Mariæ Servorum de Senis diebus Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Visitationis B.M.V. necnon die Dedicationis, & opem ferrent pro ejusdem Ecclesiæ Fabricâ, Bullâ datâ Romæ anno 1508. die 20. Maij Pontificatûs Julij II. anno quinto. Quotannis Ecclesiam hanc, vel ab anno 1449. invisere solemniter cœpere, & cereos afferre, & adhuc nostris temporibus invisere solent Reipublicæ Proceres in honorem B. Joachimi, olim quidem in sero Sabbathi S. cùm solemniter celebrabatur Missa ex Indulto Callisti III. deinde verò hoc privilegio Missæ cessante, die 2. Paschatis, mox Dominicâ in Albis, ac denique ipsâ die Dominicâ infra Octavam Ascensionis, quâ longè frequentior est tum Procerum, tum Populi concursus. Dominicâ quoque infra Octavam Conceptionis B.M.V. invisere quotannis eandem Ecclesiam adhuc solent, Missæ solemni interesse, & quandoque sacræ Concioni, necnon plures cereos albos offerre pluribus habitis ante, & post Festum prædictum lætitiæ significationibus, seu campanarum sonitu, seu Tubarum Excelsi Senatûs clangore, voto jampridem interposito, prout ex Instrumento constat, quod in Archivo illius nostri Cœnobij asservatur, de quo iterum susiùs ad annum 1533.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

OMnia in hoc Cap. contenta constant ex monumentis in eodem citatis.]

De tribus Card. vicissim Ordinem protegentibus, & quomodo Cyriacus in Comitiis Fulginei, absoluto præ ægritudine, & senectute Tancredo, Gener. eligitur. CAP. XIII.

AD magnæ Navis totius Ecclesiæ commotionem non est mirandum si Julij Pont. tempore quando varijs bellorum calamitatibus, quas prædecessor cum suo Cæsare Valentino infeliciter excitaverat, tota ferè Ecclesiastica Ditio periclitabatur, etiam parva nostri Ord. Cymba varijs fluctuationibus quassaretur, adeò ut vix intelligi possit, quis Cardinalium his temporibus nostræ Protectionis certum regeret clavuum. Valdè enim dissentiunt Scriptorum monumenta, ex quibus percipi possit, quis post Joannem Venetum ab anno 1503. per quinquennium fuerit Protector, & à quo Pont. destinatus. Nam 1. alij Card. Borgiam (quisquis ille ex tot Borgijs fuerit) Protect. Servorum, licèt suboscurè nimis: Alij verò magis aperte Joannem Columnam, ut supra dicebatur, usque ad diem sui obitus, qui Romæ hoc anno intercessit 6. Kal. Octobris, Protectoris vices exercuisse ferunt: Alij mense Decemb. Bernardinum .2. Carvagial Hispanum Card. S. Crucis (nescio quo pacto, etiã Borgiâ Romæ superstite) Ordinis Protectorem faciunt, & hunc re verâ his temporibus ex plurimis monumentis, & rebus gestis hunc Ordinem protexisse constat. Poterit autem horum Protectorum ambiguitas per seriem temporum facilè declarari; si fortè dicamus ab Alexandro VI. post Joannem suffectum fuisse Borgiam, donec Julius de Bernardino Carvagial provideret, qui quidem in legatione Germanicâ ad Maximilianum Imperatorem diu absens potuit Romæ in sui locum hanc nostram protectionem Joanni Columnæ commendasse, quo deinde mortuo, Bernardinus è Germanicâ legatione reversus munus suæ protectionis per se ipsum exercere cæpetit; nam mense Decemb. plures dies in Cœnobio Annunciatæ per transitum Florentiæ summo cum illius Reipublicæ honore diversatus fuit; verùm de his certior veritas posteritati maturiùs indaganda relinquatur. Cyriacus interea .3. ut Religionem visitando suâ potestate fungeretur, privilegium per Tãcredum

Joannes Carvagial Hispanus Card. S. Crucis Protect.

credum filijs de novâ observantiâ super Cœnobium S.M. de Crovariâ in Diœc. Placent. concessum, iterum ratum habuit, & per lit. pat. Mediolani datas die 17. Maij cum suâ subscriptione *Conserva me Domine* viam aperuit Fratribus, quâ facile possent de Ordine ad Congreg. & è converso recedere: quâ in re dum Cyriacus optimo consilio ad integram Ordinis totius ineundam unionem seduló intendit, in gravem offensionis lapidem magnarum contentionum impingit, ut infra probabit eventus. Hoc etiam tempore Magistris Jacobo de Castello, Tito de Dossis, & Sebastiano Florentinis Patribus curantibus, magna ornamentorum .4. incrementa suscipit Templum Annunciatæ de Florentiâ: nam Bartholomæus Angeli excellens faber lignarius Atam majorem mun fico, & eleganti opere, pro custodiendo sacratissimo Christi Corpore, veluti triumphali Arcu cælatutis, picturis, & auro complevit. Andreas jugiter Sartius, Pictor imitandus, non æquandus, & quem ars ipsa pingendi Magistra dignum æternâ laude aiuit, Petistylium atrij Ecclesiæ picturis egregijs exornavit. Similiter etiam F.Thomas nostri Ord.Florentinus, qui in componendis imaginibus, simulacris, & votis eâ in Ecclesiâ offerendis, necnon arte pictoriâ plurimùm callebat, miro artificio super prospectum, & faciem Ecclesiæ gypso, argillâ, & auro magnam ipsius Annunciatæ imaginem cum Angelo depinxit, quam nostro hoc ævo aperti aeris, temporisque injutiâ vix conspicere liceat. Is ipse Pater Thomas miro artificio hoc eodem tempore Statuam Innocentij VIII. complevit; Imagines Ducis Lotharingiæ, Principis Burgundiæ, Regumque Pannoniæ, Peloponnesi, Navarræ, Daciæ, necnon Francisci Sfortiæ, & Biancæ, Mediolani Ducum, partim restauravit, partim de novo composuit. Organa etiam magna miro ornamento per Dominicum Lucensem dulcisonâ modulatione confecta fuerunt, quin & super portam majorem Ecclesiæ musivo opere per excellentem virum Davidem Imago Annunciatæ perfecta fuit. Quando & Chorum in eam, quâ nunc est, formam M. Jacobus Priot marmoreum stratum ad Deum laudandum confici curavit. Hæc igitur omnia Bernardinus Protector demiratus mirificè commendavit, munificâ pecuniæ largitione juvit. Nec minùs liberalium artium studijs, quàm ejusmodi artificum ornamentis refulgebat hoc rempore Cœnobium illud, in quo præ cæteris M. Albertus Regens simul, & Florentini Senatûs Theologus maximum de se in Palatio Reipublicæ coram eodem Protectore plurimas tam Physicas, quàm Mathem. & Theologicas assertiones strenuè defendendo. Florebant etiam hoc tempore alij Viri doctissimi, inter quos superioris notæ habebantur Bernardinus Moronus, qui Ticini summâ cum laude librum Geneseos è primariâ Cathedrâ interpretabatur, cujus etiam lucubrationes de septem diebus creationis Mediolani fuerunt his temporibus, non sine maximâ authoris laude, typis excusse. Arimini quoque magno in precio habebatur Hieronymus Fuscus de Faventiâ, qui suis doctissimis concionibus per totam Quadragesimam hujus Anni Ariminensium liberalitate collabentem Ecclesiam & Cœnob. restituere valuit. Aderat etiam Angelus Aretinus vir profectò acutissimi ingenij, & maximæ doctinę; Hic (nescio .6. quo pacto) ex Ordine ad Congregationem recesserat. Florebat etiam Philippus Mantuanus de Albericis, & hi duo maximum de se specimen in Comitijs Congregationis Placentię habitis per publicas disputationes egregiè prębuerunt; Sub quibus responsales fuerunt magnę expectationis Juvenes Deodatus de Brixiâ, & Jacobus de Calvisano Baccalaurei: In ejusmodi autem Congregat. Conventu fuit electus Vic.Gener. M.Jo. Petrus Leono Venetus tanto Civium applausu, & munerum copiâ (inquit Albrisius) ut mirum omnibus videretur. Anno .7. interea revoluto Cyriacus Vic. Apostolicus Fulginei generalem Cõventum haberi statuerat, quo maximus Fratrum concursus adventarat. Ei vero Comitio præfuit M. Lucas Cybo Episcopus Fulginas, ita nuncupatus propter adoptionem sibi concessam ex mera Innocentij VIII. liberalitate ad propriam familiam. In his igitur Comitijs, postquam Cyriacus fuisset omnium votis Prior Gener. electus, consenserunt Patres Diffinitores, ut Thadæo Tancredo adhuc viventi de honesto commeatu provideretur, & tale decretum in hæc verba statutum fuit.

M. Albertus Reipub. Florent. Theolog.

C D E F

Nos verò pensitatâ decrepitate R. P. Mag. Thadæi de Tancredis Bonon. olim Gener. ne à quoquâ impietatis accusaremur, ut suis necessitatibus consulere possit, præsentium tenore, & authoritate officij nostri, necnon de consensu omnium RR. PP. Diffinitorum decernimus in perpetuum, ut taxa pecuniaria Conventuum vestrorum Bonon. S. M. Servorum stratæ Majoris, & S.Joseph officio Generalatûs deputata præfato R. P. Magistro Thadæo, quoad vixerit, absque ullâ contradictione quorumcunque officialium Ordinis, consignetur. In quorum fidem, &c.

Datum Fulginei in Eccles. S. Jacobi die 26. Maij 1509. in Capitulo nostro Gener. ibidem solemniter celebrato cum nostrâ, & Diffinitorum subscriptione.

Ego M. Titus de Florentiâ Diffinitor Thusciæ.

Ego M. Jacobus Philippus Landrophylus Ferrar. Marchiæ Tarvisinæ Diffin.

Ego F. Joannes Jacob. de Alex. Diffinit. Romandiolæ.

Ego F. Matthæus de Florentiâ Diffin. Istriæ.

Cæteri verò diffinitores numero tres ibi desiderantur.

Ego F. Lucas Cybo Episcop. Fulginei Præsidens Capit.

Et

Et ita præ senectute Thadæus Tancredus officio Gener. fuit absolutus, quòd octuagenario major perpetuâ ægritudine laboraret usque ad ann. 1514. prout infra de eo plura.

Hoc eodem tempore Patres de Congregatione cùm Mantuam convenissent, in suum Vicarium secundo loco elegerant M. Clementem .8. Bonardum Mantuanum, qui postquam integro quadriennio Parisijs liberalibus disciplinis, & Sacræ Theologiæ operam navasset, in Patriam reversus magnam de se apud Marchionem Gonzagam, & alios nobiles existimationem conceperat. Is igitur ægre ferens suam Congregationem à Tancredo, & Cyriaco Generalibus labefactatam fuisse, & quodammodo proscissam, cum Cardinali Protect. magnopere conquestus fuit, quòd Generales propriâ authoritate plurimos Fratres suæ Congregationis sub specie strictioris observantiæ ad Cœnobium Crovariæ distraherent. Unde maxima libertas discedendi ab obedientiâ Vic. Gener. in suâ Congregatione jam exoriri cœpisset.

[Cùm hoc Anno 1509. Piceleonis Arcem occupassent Veneti, ædificia quæcunque solo penitus æquarunt, ob Arcis tuendæ studiū, inter Mœnia, & Fluvium *Serto* posita, ac proinde Monasterium, quod ab anno usque 1497. excitatum incolebant Ordinis nostri Sorores, prout ad eundem annum diximus. Quapropter Ecclesiâ, & Monasterio destitutæ, id à Communitate, quam supplices adiere .9. consequi potuerunt, ut Locum intra Mœnia reciperent apud Ecclesiam, & Domum Disciplinæ S. Mariæ, quæ dicta deinde fuit SS. Trinitatis, ibique permanserunt, donec Locum illum adiere die 24. Junij ejusdem anni 1509. in Contratâ positum, quæ dicitur *del Sabbione*, in Monasterij formam redactum, in quo adhuc hisce temporibus, quibus hæc scribimus, degunt, & egomet summâ animi voluptate anno 1715. die 14. Augusti perspexi. Fabricæ promovendæ plurimùm contulere, præter alios, Hospitalia S. Juliani, & S. Mariæ, quæ deinde dicta fuit SS. Trinitatis, prout modò adnotavi, habitâ deliberatione die 5. Augusti ejusdem Anni. Progressu verò temporis in ampliorem formam excrevit hæc Fabrica, excrevit & celebris de Monialium ibi degentium sanctitate opinio, quamobrem plurima illis contigere subsidia; eò autem perfectionis devenere, ut inde recedere noluerint, cùm anno 1706. mense Octobri ob ingruentia Bellorum discrimina Monasterium gravissima à Tormentis bellicis subiret incommoda, quantumlibet hoc Integrum Ipsis foret, quinetiam illis, qui iisdem præerat, hoc suadere niteretur; spe enim maximâ Deo, ac Deiparæ innixæ, eorumque voluntati conformes ibidem perseverarunt, & nihil prorsus incommodi in se reverâ subierunt. Eodem anno 1509. apud Cutilianum Oppidum in Territorio Pistoriensi Monasterium pro Monialibus Ordinis nostri excita-

Monast. secundū pro Monialibus Piceleonis.

Monast. de Cutiliano.

tur. P. Sebastianum Vongeschi conterraneum, qui tamen Ordini Servorum in Conventu D. Annunciatæ de Pistorio nomen dederat, ob morum innocentiam, vitæ sanctitatem, & egregias alias animi dotes maximo Cutilianenses habebant in pretio, proindeque Ordinem nostrum summoperè venerabantur. Quare .10. Sebastianum enixè rogarunt, ut aliquem ex Ordinis sui Patribus eò mittendum curaret, qui Sacras Conciones hoc anno per Quadragesimam haberet. Eorum votis annuens Sebastianus P. M. Barontum de Bonaccursis Pistoriensem, tum sanctimoniâ, tum Doctrinâ, tum claritate generis conspicuum, ad id operis designavit, qui reipsâ Cutilianensium animos eloquentiæ vi, morumque gravitate adeò sibi, & Ordini nostro devinxit, ut præclarâ de eodem Ordine opinione conceptâ, Monialibus ejusdem Ordinis Monasterium ædificare statim cœperint, quò septem Sacras Virgines Habitu Servorum indutas ad recolendam memoriam Septem BB. PP. Ordinis ejusdem Fundatorum, qui Feriâ 6. Parasceves in Monte Senario Christi Domini, ejusque SS. Matris Dolorum contemplationi addicti, sacrum ab eâdem Deiparâ Habitum receperunt, Feriâ 5. Majoris Hebdomadæ, quæ fuit 4. Aprilis ejusdem anni 1509. solemni habitâ per Oppidum Processione, universo Populo plaudente, idem Barontus Inclusit, Plebano ex temporis illius Oppidi Philippo Cutilianensi. Insequente autem anno die 29. Junij ad augendum Monasterij spatium, & Monialium necessitati consulendum, Communitas Hospitale quoddam dono illis dedit, prout constat ex pub. Instrumento, de quo rog. dicitur D. Bartholomæus Laurentij Notarius, qui Mansuccius dicebatur, ejusdem Communitatis Cancellarius. Quæ sanè Virgines absoluto tempore Novitiatûs Professionem juxta Regulam Ordinis Servorum die 17. Septembris anno 1510. emisere; quarum hæc sunt nomina. Maria Clarix Angeli Priorissa, Maria Elisabeth Zingari Amidei, Maria Sancta Blasij, Maria Gentilis Benedicti, Maria Joanna Antonij Juntini, Maria Anastasia Nanni Blasij, & Maria Dea Salvatoris. His accessere duæ aliæ Virgines eodem Habitu ipsâ die hujus Professionis indutæ, quæ dictæ fuerunt Soror Maria Catharina Balthassaris, & Soror Maria Polixena Blasii, omnes de Cutiliano. Induit pariter Habitum nostri Ordinis alius quidam de Cutiliano, qui dictus fuit F. Petrus *del Sarto*. De hoc P. Baronto iterum nobis erit dicendum ad annum 1525., quo plenus verè dierum obdormivit in Domino. Eodem pariter anno 1509. in Diœcesi Reatinâ Locus alter Ordini nostro accessit .11. sub Tit. S. Mariæ de Turricellâ, quem P. Thomasinus de Como cùm Romæ ageret, à Troilâ Ursinâ pro Ordine Servorum dono datum accepit, ibique tanquam Præfectus diu perseveravit, quem Conventui

P. Barontus Bonaccursius induit primas hujus Loci Moniales solemniter.

Huic Monast. donatur quoddā Hospitale.

Conv. S. M. Turricellæ Diœc. Reat.

S. Marcelli de Urbe adnexum fuisse ex hujus monumentis Gianius in suis m. s. se deprehendisse testatur, licèt adhuc nos lateat quomodo profecerit, quove modo defecerit. Denique in Terrâ Montis Corvini Neapolitanæ Ditionis erectum hoc anno fuit. 12. Monasterium, & Ordini nostro concessum sub Tit. SS. Annunciationis, ubi adest Imago B.V. Miraculorum gloriâ illustris.]

Conv. Montis Corvini

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

1 *De Card. Borgiâ Protect. habetur inter monum. Conv. S. Marcelli, sed author dubius quisnam fuerit, quia eodem tempore plures Cardin. ejusdem familiæ habebantur, proprium ei nomen non decernit. De Columnâ Viceprotect. plura monum. Conv. S. Joseph de Bonon; de Brixiâ, de Florentiâ testantur.*

2 *De Bernard. Protect. multa habentur hoc tempore in diar. Conv. Flor., ubi pluries diversatus fuit.*

3 *Ex monum. Conv. S. Annæ de Placentiâ.*

4 *Diaria Conv. Annunciatæ de Flor., & alia monumenta singula hæc testantur.*

5. 6 *Ex variis monum. Conv. Annunc. de Flor., Faventiæ, & ex ipso Albrif. in Catal. Vic. General.*

7 *Acta hujus Capit., quæ in pergameno Fulginei habentur, hæc eadem testantur.*

8 *Albrisius ubi supra.*

[9 *Ex eodem lib. de quo ad ann. 1497. ubi de his Montalibus.*

10 *Ex Lib. R. memorabilium Conventûs nostri de Pistorio Sebastiani Vongeschi operâ conscripto pag. 132. 133. 135.*

11 *Ex Monumentis Conventûs S. Marcelli de Urbe.*

12 *Ex Monumentis illius Conventûs.*]

N O T Æ.

[*Quod in hoc cap. nu. 7. dicitur de annuo commeatu, quo necessitatibus Tancredi Generalatûs Officio perfuncti consulere PP. in his Generalibus Comitijs congregati Fulginei die 26. Maij 1509., absque ullâ contradictione cum iis conciliari ita posse videtur, quæ dicta sunt superiùs Cap. 10. nu. 2. & 3. ad annum 1506. Ibi enim dictum est, quòd de mandato Viceprotectoris die 7. Julij 1506. assignata fuere Taxa 50. aureorum pro Tancredi dignitate conservandâ, qui saltem nominetenus Prior Generalis dicendus erat cum omnimodâ facultate super Cœnobium S. Joseph de Bononiâ. Hic autem, scilicet ad annum 1509. à Patribus in hisce Comitiis nedum ratihabita quodammodo fuit prædicta Viceprotectoris dispositio, sed etiam eidem Tancredo longè superior assignata fuit Taxa, ea nimirum, quam Generalibus solvere solent Cœnobia, tum S.M. Servorum Stratæ Majoris, tum S. Joseph. Notandum insuper est ex Actis hujus Capituli ad uberiorem, & magis germanam eorum intelligentiam, quæ hic dicuntur de Comitijs hisce Generalibus, quòd D. Lucas Cybo Episcopus iisdem præfuit tanquam Commissarius, seu Locumtenens D. Cardinalis S. Crucis Ordinis Servorum B.M.V. Protectoris, cujus proinde Literas coram Patribus legi curavit, quibus præfata deputatio, atque vices ejus gerendi commissio exponebatur. Notandum item est, quòd Cyriacus, qui ab anno 1506. ad 1509. usque tanquam Vicarius Generalis, uti dictum est, universum Ordinem administrarat, coram PP. Definitoribus, & Capitulo Officio Vicariatûs renunciavit, proindeque deposuit Ordinis sigillum, qui tamen unanimi omnium consensu, uti modò dictum est, Prior Generalis absolutè electus in his Comitijs fuit, ac subinde Tancredus nomine quoque Prioris Generalis omninò privatus, quod per hoc triennium obtinuerat, etsi Cyriaco regimen, & auctoritas incumberet. Sciendum est etiam, quòd P. M. Nicolaus de Perusio Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ Officio suo renunciavit, post triduum verò iterum ad idem munus electus ipsum ritè acceptavit. Renunciarunt etiam suis Officiis Provinciales, qui per triennium in eo Magistratu fuerant, itidemque Priores, & Officiales omnes Ordinis. Num verò confirmati cum Nicolao, & Cyriaco isti quoque fuerint, an ipsis alij subrogati, ex Actis hisce nõ constat. Habita fuere hæc Comitia die 26. Maii in pervigilio Pentecostes, & in eius diebus Festis. Die verò 1. Junii, Feriâ 6. infra Octavam Pentecostes, Acta eorundem Comitiorum per Thadæum Angelilli Jacobi Promij de Fulgineo pub. Notarium, & Episcopalis Curiæ Fulginatis Actuarium exarata fuere.*]

Conciliatur quæ de Taxis Tancredi Generalis sibi adversari videtur.

Quædam notanda ex Actis hujus Capit. Gener.

Post repentinum duorum Generalium Cyriaci de Fulgineo, & Clementis de Mantuâ obitum Hieronymus Fuscus de Faventiâ sufficitur Apostol. Vicarius.
C A P. XIV.

Igitur Clemens Bonardus de Mantuâ cùm Romam pervenisset Divinum verbum explicaturus, aliorumque expectationem è summo loco Ecclesiæ .1. S. Laurentij in Damaso per Quadragesimam superasset, tantamque gratiam Prælatorum, & præcipuè Summ. Pont. Julij II. suis optimis moribus, & doctrinâ sibi conciliasset, non ei difficile fuit, ut cùm Summo Pont. die primâ Martij supplicasset de quadam revocandâ suspensione Indulgentiarum, ex ipsius vivæ vocis oraculo mandaretur Bernardino Episcopo Sabinensi Tit. S. Crucis Cardinali, & Protect. ut suo nomine Indulgentias Ordinis confirmaret, & denuo (quatenus fuisset opus) concederet, quemadmodum constat ex ipsius Cardinalis literis .2. Romæ datis die 5. Martij Anno 1510. Cùm enim Julius Summus Pont. collabentem Basilicam S. Petri à fundamentis restituere in augustiorem formam statuisset, accitoque Bramante architecto de sum-

Julius 2. Pont. revocatas Indulg. iterum Ordin. Serv. concedit

summa totius ædificij egisset, nec suppeterent pro tantâ mole pecuniæ; Julius quascunque aliorum indulgentias ad unam tantùm fabricæ S. Petri revocaverat, quas nihilominus in gratiam Clementis Mantuani restituit pro Ordine nostro, quæ quidem magnis characteribus, & amplâ formâ Venetijs impressæ hac etiam nostrâ ætate nonnullis in locis visuntur. Absoluto interim non absque plausibili Romanorum congratulatione declamandi munere, de sedandis dissidijs inter Cyriacum Gener. & Clementem Vicar. Congreg. coram D. Protect. .3. die 20. Maij actum est per consimile decretum, scilicet.

Dissidia inter Ord. & Congr. sedantur Romæ.

1 Quòd omnes Fratres Congreg. qui sine licentiâ sui Superioris à duobus annis c tra à dictâ observantiâ exiverint, & ad alia loca se transtulerint, Vicarius possit cogere ad redeundum, & pro modo culpę corrigere, & insuper mandat Cyriaco Gener. ut illos reverti compellat, nec ampliùs infra Ordinem admittat sine licent. à Vicarij General. sicut videtur superius admisisse, & licentias concessisse Tancredus Gener. prędecessor.

2 Item revocat omnes licentias, & immunitates per Gener. concessas Fratribus Observantię contra voluntatem Vic. Gener., & hoc sub pœnâ excommunicationis.

3 Item reservat alias differentias inter Gener., & Vic. in posterum examinandas, & terminandas. Datum Romę die, & anno supradictis.

Hoc igitur inter Gener., & Clemētem Vic. inito fœdere, Alter ad Comitia Provincialia Ordinis celebranda; Alter ad Conventum Congregatorum habendum apud Casalem Majorem Diœc. Cremon. profectus est. Clemens autem, quòd Romæ non sine magnâ Congregationis gloriâ conciones habuisset, quòd Indulgentias subiatas iterum obtinuisset, quòd pro afferendâ Congreg. libertate strenuè decertasset, summo omnium plausu rursus Gener. Vic. in eodem Comitio .4. confirmatur. Cyriacus interea magnis itineribus, & arduis laboribus per totam Italiam bellis, cladibus, atq depopulationibus perturbatam, Bononiæ tandem ad initium Octobris lentâ febre .5. corripitur, & dum in Patriam Fulginei citato cursu nititur properare, Faventiæ die 13. ejusdem mensis in pace quievit. Vir certè in administrandâ Republicâ magni consilij, & fortitudinis, si vita sibi diutius comes fuisset. Fortè aderat tunc Bononiæ Julius Pont., qui pulsis Bentivolijs Urbem illam in priorem libertatem asseram Ecclesiasticæ ditioni restituerat; aderat quoque apud illum Franciscus Gonzaga Marchio quartus Mantuæ Pontificalium Copiarum ductor, cujus authoritas plurimùm apud Pont. valebat. Is igitur vehementer probitati, & doctrinæ Clementis Mantuani propensus, & huic Ordini avitâ Majorum suorum devotione magnopere addictus, ejusque reformationis percupidus, præsentem hanc defuncti

A Generalis occasionem nactus, ut Clemens .6. totius Religionis clavum regeret, à Summo Pontif. per Apost. literas impetravit. Quod certè mirum fuit, & novum huic Ordini, ut supremus illius Magistratus ad Vic. Cong. devolveretur. Aberat tunc longè à Curiâ Bernardinus Cardinalis S. Crucis Protect.; qui Ludovici Regis Francorum, & Maximiliani Cæsaris suasionibus illectus, sensim à Julio sub specie salubrioris aeris discesserat Florentiam, ubi mense Septembri, & Octobri clam de Synodo generali Pisis ineundâ contra Pontificem cum Petro Soderino Reipublicæ Vexillifero consilium inierat, & suppetias acceperat: Nam Petrus cum Senatu, quòd Regis Franciæ partes sequerentur, inito fœdere .7. pro Concilio Pisis habendo cum

Bernardinus Card. S. Crucis cum Florentinis agit de Synodo Pisis ineundâ

B Bernardino Carvagiali faciiè convenerant, quem etiam caput, & Præsidentem ipsius Concilij fecerant Guilelmus Brissonetta Gallus Episcopus Cardin. Prænestinus, Franciscus Borgia Card. Hisp., Renatus Bria Galius Card. Episcopus Bajocensis, & Fridericus Sanseverinus Mediol. Diac. Card. S. Theodori. Hi enim omnes Anno intercedente 1511. Florentiâ Pisas convenerunt, & Conciliabulum in Cathedrali (Pisano tamen Clero contradicente) per quasdam Sessiones aggressi fuerunt, donec à Pisanis quodammodo pulsi Mediolanum perrexerunt, unde etiam populo furente, & Joanne Mediceo Cardin. Pontif. Legato obsistente non post multos dies discedere coacti, Lugdunum perrexe-

C runt. Per idem tempus Clemens Vic. Apost. Comitia Generalia, tum Ordinis, tum Congregationis Forolivij simul indixerat .8. Fuit igitur celeberrimus is Fratrum Conventus, quò totus Ordo tam Reformatorum, quam Conventualium convenerat. Utrinque in publicis literarum concertationibus disputatum est. Ex Conventualibus Nicolaus de Perusio Theol. Procurator Curialis, Hieronymus de Lucâ Theol. Augustinus de Salerno Theol. Augustinus de Florentiâ Theol. Ex Congregatione pariter disputarunt Hieronymus Castro de Placentiâ Theol. Hieronymus de Mandrisio Theol. Philippus Albericius de Mantuâ Theol. Deodatus de Brixiâ. Hoc in Conventu Hieronymus Castro Placent. Theol.

Viri doctissimi in Comitijs Forolivij.

D eligitur Vic. Gener. Vir & scientiarum varietate, & morum copiâ nemini secundus. Clemens verò de Mantuâ vigesimus quinrus General. totius Ordinis est salutatus. Quam quidem electionem Patres ex Ord; qui ad tanti Magistratûs apicem non immeritò anhelabant, ægerrimè tulerunt. Obijt autem Clemens decimanonâ die post susceptum officiũ, cujus repentina mors omnium animos in admirationem adduxit. Agebat is tunc annum octavum post trigesimum; & sperabatur plurimùm Integritati Ordinis profecturus, si vitâ comite, quæ animo conceperat, re ipsâ exequi potuisset. Audito igitur ejus tam subito casu, tota urbs Mantuæ maximo mœrore

Improvisa mors, & laudes Clementis de Mãtuâ Gener.

re confecta est; & Marchio in primis, qui plurimùm de reformando Ordine in ipsum E speraba. Laudarunt carmine ejus funus plurimi, qui ingenio, & dicendi arte periti habebantur. Laudavit etiam ipsum speciali, & perampla oratione è summo loco M. Vincentius Placentinus Ordinis Prædicat. In cujus etiam tumulo hoc Epitaphium appositum fuit:

Naturæ, cælique vires edoctus abundè,
Divinumque logon Cætus tunc sceptra subivi
Servorum Mariæ; cursu sed fata citato
Perfida dejiciunt super alta cacumina vectum
Impia Clementem, lustris quem Mantua septem
Ediderat cytharæ consortem clara Maronis.

F Post Clementis obitum Hieronymus Fuscus .9. de Faventiâ, qui magnam prius Julij Pont. gratiam inierat, ore tenus Vic. Apostol. Ord. efficitur. Is enim operâ, & authoritate suæ familiæ cum alijs ejusdem agnationis plurimùm in Civitate Faventiæ à Venetis ad deditionem Ecclesiæ reducendæ partes Pontif. Max nil juverat, cui etiam accesserat morum, & doctrinæ peritia, quarum ope non mediocrem omnium gratiam per Æmiliam, & Flaminiam assiduis studijs concionando egregiè sibi comparaverat. Is igitur mortuo Clemente à Pont. Vic. Apostol. decernitur. Per idem etiam tempus moritur Romæ Nicolaus de Perusio Procurator Ord., qui cùm diu primariam Philosophiæ Cathedram publicè in eâ sapientiâ exercuisset, G quos in Logicâ commentarios edere non potuit, F. Adrianus de Perusio Romæ apud Bibliopolam Academiæ Romanæ prælo mandavit. Procurator autem in Curiâ sequitur Angelus Aretinus.

B. Frãciscus de Placentiâ.

[Hisce temporibus commemorandus omnino est B. Franciscus de Placentiâ, cujus Imago, & nomen in Ecclesiâ nostrâ Urbis veteris inter alios BB. repræsentatur ad modum cujusdam Religiosi cum sarcinulis super humeros pro eleemosynis quęritandis, cujus etsi tempus ignoratur, perspicuum tamen est, Ecclesiam illam circa annum Domini 1510. restauratam, ijsdemque BB. Imaginibus ornatam fuisse per P. Joannem Jacobum de Alexandriâ ipsius Loci Priorem. Commemorandi quoque sunt duo pręcipui Pœnitentiarij sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis PP. Petronius Fontana, & Andreas Bononienses Fratres germani, quemadmodum indicat marmoreum monumentum in Ecclesiâ S. Marcelli de Urbe sequentis tenoris.

Andreas, & Petronius Fontana Bonon. Pœnitentiarij Basil. Lateranensis.

F. Andreæ Fontanæ Bononiensi Ord. Serv. B.M.V. Sac. Theologiæ Baccalaureo, & sacrosanctæ Lateranensis Basilicæ Pœnitentiario, F. Petronius Fontana Sac. Theologæ Magister ejusdem Basilicæ Pœnitẽtiarius Germano suo mœstissimè posuit. Anno Domini 1511.]

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

1 *Albrisius de Vic. Gener. Coug.*
2 *Inter monum. Forolivij.*
3 *Ex Archivo Brixiensi.*
4 *Albrisius ubi supra.*
5 *Ex ipsismet Diarijs Conv. Florentiæ deprehenditur error Pocciantij in supputandis annis, nam ibi die 14. Octobris 1510. apparet Patres missos Faventiam ad visitandum ægrotum Cyriacum Gener. quando hesternâ die defunctus fuerat.*
6 *De Clemente Vic. Apost. Albrisius ut supra.*
7 *Franciscus Guicciardinus in suâ Historiâ lib. IX. singula per ordinem de Card. à Julio deficientibus.*
8 *Albrisius ubi supra ad verbum.*
9 *De Hieronymo Fusco Poccientius, & melius ipse Fuscus in proprio Diario suorum gestorum.*

Recensentur nonnulla Ordinis nostri Loca.
CAP. XV.

Conv. S. Mariæ de Cantiano.

G [AD radices amœnissimi Collis Novelli sub Eugubinâ Diœcesi extra Terram Cantiani, valde conspicuâ in Ditione Urbinatensi per dimidium milliaris extat Ecclesia ob Sacram B.V. Imaginem maximè venerabilis, quæ propter Collem sibi imminentem vulgò dicitur *La Madonna del Col Novello*, haud procul à Viâ Flaminiâ secus Fluvium Cantianum. Hanc ædificavit Cantiani Populus Miraculorum copiâ commotus, quæ ad honorem prædictæ Imaginis B. V. M. ab immemorabili tempore ibi depictæ operabatur Altissimus, quod sanè indicant sequentia verba in superliminari Portæ Majoris ejusdem Ecclesiæ impressa.

H Ob innumera, stupendaque miracula. Hoc Templum Populus Cantiani Virgini faciendum curavit 1483.

Idem indicant etiam Vota, Tabellæ, & Monumenta quamplurima, quæ in eâdem Ecclesiâ patent. Hanc igitur Ecclesiam Populus Cantiani Ordini Servorum dono dedit die 30. Maij 1510. recipiente Patre Jacobo de Dalmatiâ speciale ad hoc mandatum habente. Præcipuâ veneratione coluntur in hac Ecclesiâ Feria 2. Pentecostes, maximè verò Festum SS. Annunciationis singulari Po-

pulo-

pulorum concursu. Consecravit autem illam sub Tit. B.V. die 8. Septembris 1515. D.Thomas de Albizis Florentinus Episcopus Callij absente Episcopo Eugubino, cujus rei Monumentum extat in Atrio à dextris prædictæ Portæ majoris sequentis tenoris.

Thomas de Albizis Florentinus Calliensis Episcopus consecravit Sacellum hoc

A sinistris verò

Die Nativitatis B.V. Mariæ mensis Septembris MDXV.

Ac Stemmati Præsulis supposita sunt hæc. CIↃIↃLXXXVIII.

Viri hujus Terræ primarij eximiâ pietate venerabantur, & induebant B.V. Habitum, proindeque plurimùm contulere Ecclesiæ, & Conventûs decori, & augmento, vitæ sanctioris etiam exemplis commoti, quæ P. Antonius quidam eo temporis ibidem Prior jugiter exhibebat. Eodem anno 1510. Communitas Opitergij, Italicè *Uderzo*, Ordini Nostro Locum tradere decrevit, quippe quæ maximo plausu Sacras exceperat Conciones, quas P.M. Joannes Maria de Leono ibi per Quadragesimam habuerat, præcipuo studio P. Aloysij de Seraphinis Veneti, de quo ad annum 1503. Annuente ergo D. Georgio Garosio Poreštate, annuente D. Francisco Patavino de Rubeis Episcopi Cenetensis Vicario, in cujus Diœcesi situs est hic locus, universo Populo mirum in modum plaudente, erecta primùm hoc anno 1510. fuit extra Oppidum ex Ligneis asseribus Ædicula quædam sub Tit. S. Mariæ Gratiarum, cujus Imago perantiqua Lignea exposita venerationi tunc fuit, quam Populi deinceps singulari prosequebantur honore, donec intra biennium nova ex lapidibus Ecclesia à Fundamentis excitata, & ad umbilicum perducta fuit, ac die 16. Junij anno 1512. consecrata solemniter à D. Hieronymo Episcopo Coronensi, Patriarchæ Aquilejensis Suffraganeo, annuente D. Marino Grignani Episcopo Cenetensi, sub eodem B. Virginis Tit., cujus Visitationis Festum ibi præcipuâ veneratione celebratur.

Conv.S. Mariæ Gratiarum de Opitergio.

Deinde hoc anno recolendus occurrit in Diœcesi Cremonensi Locus alter, quem à fundamentis excitasse dicitur P. Elias super situm quendam in Oppido Platinæ, quem largitus fuerat Bernardinus Solerius, ejusque Conventûs administrationem, ac regimen perpetuò tenuisse P. Archangelum de Brixiâ, primùm ex dispositione Clementis Bonardi de Mantuâ totius Ordinis Servorum Prioris Generalis, postmodum verò ex Indulto Leonis Papæ X., constat ex eodem Indulto sub dat. Romæ 1518. 3. Kal. Maij, quod asservatum in Archivo Servorum de Mediolano transcribere mihi licuit anno 1715. die 21. Augusti. De

Conv.S. Mariæ de Platinâ.

A hoc Loco nihil aliud exploratum habemus verè memorandum, nisi quòd originem inde traxisse feratur P. M. Ambrosius de Platinâ Vir summâ commendatione dignus, quem sanè pluribus commendat Gianius ad annum 1570.

Locus alter anno sequente 1511. sub Tit. SS. Trinitatis, qui dicitur *delle Trecce* Diœcesis Bergomensis, apparet in literis quibusdam patentibus Mediolani datis die 30. Octobris 1511. à Hieronymo de Faventiâ totius Ordinis nostri Vicario Generali Apostolico, qui P. Basilio Bergomensi perpetuam concedit administrationem hujus Loci, quippe quem Ordini nostro acquisiverat, eumque ibi Priorem, quandiu viveret, constituit, eique jus præbet Familiam sibi pro libito deligēdi,

Conven. SS.Trinitatis delle Trecce.

B dummodò in Capitulo Provinciali confirmetur. Ad eundem annum 1511. referre pariter juvat Conventum, & Ecclesiam S. Georgij apud Oppidum Cotonei, Italicè *Codogno*, Diœcesis Laudensis, ex eo solùm quòd in Lib. quodam authentico ibidem legitur D. Erasmus Trivultius die 10. Octobris 1511. legasse Monasterio, & Fratribus Servorum Libras 85. in perpetuum singulis annis, ea ratione, quòd ibi quinque Sacerdotes ejusdem Ordinis orent pro ejus Animâ Deum, & Anniversarium celebrent; In eodem autem Lib. citatur Testamentum ejusdem Erasmi rog. Ser Galeatio Vicecomite Notario pub. Mediolanensi; hinc in illius Conventûs parietibus impressus cernitur annus 1511. Ex

Conv.S. Georgij de Cotoneo.

C hoc plane Testamento, & quòd plura Trivultiæ Familiæ Insignia sint in Ecclesię, & Conventûs parietibus delineata, & quòd Principes Trivultij hujus Oppidi Dominium olim tenuerant, vulgò colligitur, & communis fert traditio, quòd iidem Trivultij Conventum hunc, & Ecclesiam à fundamentis excitarint, & Ordini Servorum concesserint. Quòd verò die 21. Septembris anno 1547. consecrata solemniter fuerit eadem Ecclesia, constans pariter est traditio, & proindè ipsâ die ab immemorabili tempore celebratur Officium ejusdem Templi Dedicationis. Cùm ab anno usque 1497., quo pestifera lues universam illam Regionem quàmmaximè premebat, Communitas Casalis Majoris,

Ab immemorabili fit Off. Dedicationis hujus Eccles.

D ut eandem prorsus evaderet, voto se obstrinxisset Ecclesiam in medio Oppidi à fundamentis excitandi B.V., ac S.Rocho nuncupandam, & ab Episcopo Cremonensi Ascanio Mariâ Card. Sfortiâ die 26. Augusti facultatem obtinuisset, quemadmodum ad eundem annum diximus, diu tamen dilata fuit laudabilis hujus Voti solutio, quam cæteroqui exhibere jugiter meditabatur. Interea animadvertens, quòd PP. Servorum de Observantiâ Ecclesiam de novo ædificare studebant, ex quo prioris Ecclesiæ verebantur excidium ob intumescētiam aquarum Eridani omnia quoquoversum perdentium, prout dictum fuit ad annum 1457., hoc anno 1511. Voto prædicto

dicto se solvere decrevit, reque ipsâ Presbyterum quendam nomine Nazarium misit ad Vicarium Generalem Cremonensis Episcopi pro assequendâ facultate Ecclesiam hanc erigendi; quâ assecutâ, Ecclesiam statim ædificandam curavit, non utique in medio Oppidi, sed ubi PP. jampridem ædificare decreverant, & ubi adhuc perseverat. Ibi sanè humilem saltem quandam ædiculam fuisse, in quâ depicta fuerat super quodam lapide Imago B.V. Puerum Jesum lactantis, qualis etiamnum visitur in præsenti longè majori Ecclesiâ, facilè colligitur ex ejusdem Loci monumentis, præsertim verò ex Bullâ quadam Patriarchæ Constantinopolis, qui enixè petentibus Episcopo Cremonæ, & Aloysio Favagrossa Veneto, anno 1480. indulgentiam centum dierum iis omnibus Christifidelibus impartitur, qui in singulis Festivitatibus D. N. J. C. & B. V. Sacram illam imaginem vulgò dictam *della Fontana* visitassent, ex quo pariter innotescit ejusdem Imaginis antiquitas, quave semper veneratione ipsam omnes prosecuti fuerint, quippe qui B.V. sibi valde propitiam ibidem experti semper fuerint, quod ad annum 1630. fusiùs exponemus. Hoc autem anno 1511. longè augustior Ecclesia cum Cœnobio pro PP. prædictis ædificari cœpit cum Cellulis quibusdam in Ecclesiâ more monastico pro confessionibus excipiendis, itaut pœnitentes intra Ecclesiam, Confessarius autem extra parietem ejusdem Ecclesiæ per fenestrellas lapideas, & cancellatas confessiones excipiat, quòd arctioris Observantiæ Patres fuisse demonstrat.

Nova construitur Eccl. Casalis Majoris.

Indulg. pro hac Eccles. concedit Patriarcha Constantinopoli.

Pro coronide & quidem præclarâ hujus capitis, & anni Monasterium accedit Sanctimonialium nostri Ordinis in Oppido Vailati in Ditione Mediolanensi Diœcesis Cremonensis, quas anno 1715. die 16. Augusti allocutus summâ animi jucunditate deprehendi sanctitate vitæ, morum innocentiâ, zelo disciplinæ Regularis insignes, cujusmodi reipsâ in iis regionibus celebrantur, & Ordini nostro addictissimas, imo arctioris Observantiæ, qualis apud Sorores nostras viget, tum Venetiis, tum in proximâ Insulâ Burani, tum prope Urbem Arcensem, de quibus ad ann. 1619. 1648 1658. 1689. & 1703. studio incensas; Hæc autem ejusdem Monasterij esse dignoscitur origo, tum ex iis, quæ scripserat Gianius; tum ex iis, quæ egomet ex variis Epistolis collegi, quas ad me misit Soror Constantia Seraphina Manusardi ex temporis Priorissa, quam de origine hac, & rel quis ejusdem Monasterij memorabilibus consulueram. Soror quædam nomine Maria Gabriella de Brignano suscepto priùs apud Caravagium (Oppidum lautum Italiæ in Ducatu Mediolanensi in confinio Agri Bergomensis distans ab Oppido Vailati per duo circiter milliaria) Sacro B. V. M. Habitu Monasterium hoc Vailati fundavit in Loco sibi ab eâ Communitate concesso, ipsumque Congregationi de Obser-

Monast. S. Mariæ Gratiarum Vailati.

E vantiâ Servorum B.M.V. addixit anno circiter 1511. pluribus aliis Virginibus ibidem congregatis, quæ magis in dies, ac magis Divino amore succensæ, P. M. Hieronymo Rotâ de Bergomo Congregationis præfatæ iisdem regendis tum in spiritualibus, tum in temporalibus Præfecto, vitæ sanctitate insignes evasere, cui tribuere licet fœcunda virtutum semina, quibus adhuc nostris hisce temporibus præstant ejusdem Loci Sorores, eximiâ proinde cœlestium Gratiarum affluentiâ instructæ, quod tantùm innuisse sit satis, ne laudare aliquem velle videamur in hac vitâ, quædam enim adhuc superstites singulari vitæ sanctimoniâ excellere dicuntur. Hæctenus dicta, vel saltem pleraque didicimus è m.s. Gianij. Aliundè verò, è veteri népe traditio-
F ne, quæ non interruptâ serie apud Sanctimoniales illas invaluit, intelleximus, quòd B. V. Deipara Sororem quandam (hanc non temerè dixerim, quam Gianius Mariam Gabriellam dicit, consonat enim locus, consonat Habitus B.V.M., & hoc modo relationes istas conciliare mutuò licet) è Monasterio apud Caravagium posito eductam, & ab iniustâ, quâ ibidem premebatur, vexatione mirabiliter vindicatam ad Oppidum hoc Vailati detulisset, ubi in Domo cujusdam mulieris de Grassis perhumaniter excepta, Deiparâ Ipsâ indesinenter favente, unà cum prædictâ Muliere per octo dies diversata, ibi cum aliâ piâ fœminâ, priori illâ omnino recedente, sui juris remansit, eâque ratione Monaste-
G rium instituit, in quo etiamnum visitur puteus, qui in Domo illâ erat in formam Monasterij deinde redactâ, quem etiam nostrâ hac tempestate tum domestici, tum exteri non mediocri veneratione prosequuntur, aquam exinde haurientes infirmis curandis ministrandam. Quinetiam Beatissima Virgo ipsam aquam adhibuisse dicitur, Monasterium illud tanquam à se fundatum, & habitum tanquam suum, speciali benevolentiâ prosequi, ejusque Sanctimonialibus benedictionem quotidie impartiri, cujus rei testimonia proferre aliquando licebit non contemnenda * Monasterium hoc Congregationis, & Ordinis Servorum Fratres ad annum usque 1604. diligentissimè administrarunt,
H ex eo autem quòd Conventus Pandini, in quo degebant, per quinque milliaria ab hoc Monasterio distet, optimè consultum putarunt D. Cæsari Spezzani Episcopo Cremonensi regendum dimittere. Plura quidem superiori seculo, scilicet decimoseptimo, incommoda subijt Monasterium hoc, & Ecclesia vulgò dicta S. Mariæ Gratiarum, propter insignia, eaque plurima Gratiarum genera, quæ à B.V. ibi collata fuisse indicant votivæ Tabellæ, Titulus autem reverà est SS. Conceptionis, cujus proinde solemnia celebrantur die 8. Decembris, ob varia Bellorum discrimina. Postmodum verò suo restituta sunt decori, & præclara Beneficentiæ argumenta expe-

** Revelationes quasdā provatas.*

experiuntur sub auspicijs Equestris, & Generosæ Familiæ Ordoñię de Rosales Hispano Insubris, quę Vailatensi Oppido cum mero, & mixto Imperio, ac titulo Comitatûs jamdiu dominatur, Regali Austriacę Domûs munificentiâ. Ex eâ Illustrissimâ Gente ortus apud Insubres inpręsentiarum primas tenet Don Didacus Ordonius de Rosales Marchio insignis Oppidi Castrileonis, Comes Vailati, ac Regius Rosæ Feudatarius Collegiali Togâ, Decurionali Sago, Urbicisque Legationibus honorificentissimis in Mediolanensi Patriâ condecoratus, qui ex Marchionissâ Donnâ Theresâ Vicecomite Excellentissimi Marchionis Don Pyrrhi supremi Mediolanensis Dominij Cancellarij Filiâ, olim sibi coniuge lectissimâ, Pater est Marchionis Don Gasparis Ordonij de Rosales masculei sexûs unicę Prolis, sub hoc Vailatensi Cœlo Majorum gloriam proprijs virtutibus opportuno tempore extensuri.

D. Comes Vailati quis sit.

A

B

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

Singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monumentis eorundem Locorum.]

Post varia Ordinis discrimina Antonius de Monte Cardin. præficitur Protector, & Angelus de Aretio 25. Gener. Servorum eligitur. CAP. XVI.

C Quas verò calamitates ex tam repentinâ duorum Gener. amissione perpessus fuerit noster hic Ordo facilè declarant, quæ sibi continuò fuerunt subsecuta incommoda; nam purpura, & galero exauthoratis Card. qui Conciliabulo contra Pont. Julium adhęserant, hanc primam jacturam pręsensit Religio suo benefico Protect. Card. S. Crucis illicò orbata. Alterum verò incommodum, quòd Julius Pont. Petro Soderino .1. Vexillifero, & subinde Florentinis valde succensus, postquam Rempublicam, & populum sacris interdixisset, Fratres etiam nostros Annunciatę dictis censurarum interminationibus mulctavit, quòd crederet eos ex diutinâ hospitalitate,

D & consuetudine cum Bernardino Protectore, qui apud ipsos plures menses diversatus fuerat, conscios, & participes fuisse eorum consiliorum, quę quotidie contra seipsum agitata Florentię suspicabatur. Iis incommodis demum accessit, quòd etiam post maximam illam Ravennatium cladem Hieronymus Fuscus Vicar. Gener. nescio quo pacto, ejurato Pontifice ad Conciliabuli Patres, quod paulò infra dicendum superest, Lugdunum aufûgit. Hęc igitur summa calamitatum nostrarum: quibus tamen non obstantibus, Angeli Aretini Procuratoris Ordinis prudentiâ factum, ut Julij Pont. indignatione pacatâ, & ad clementiam revocatâ, istiusmodi nostris miserijs occurreretur: Indictâ enim sequenti Anno

** Revelationes quasdā provocas.*

A die 19. April. Lateranensi Concilio .2. Julius inter alios eminentioris doctrinę Viros, qui sacrę Synodo interessent, Angelum nostrum Aretinum ascivit, & cum Thomâ de Vio Caiet. Ord. Prædicat. & Ægidio Viterbiensi Eremitano Viris eminentissimis pro arduis ejusdem Concilij dogmatibus enodandis deputavit. Quare potuit facilè Angelus Pontif. iram suâ dexteritate ad clementiam flectere. Interea Hieron. Apost. Vic. suo muneri invigilans, cùm percepisset M. .3. Sebastianum de Florentiâ Priorem Annūciatæ mense Sept. vitâ functum fuisse, Florentiam profectus, & interim illorum Patrum innocentiâ inspectâ super his, de quibus apud Pont. criminabantur, quod nihil eorum, quę clam inter

Angelus de Aretio, cum Thoma Cajetano, & Ægidio Viterbiensi ad Concil. Lateran. evocatur

B Senatum, & Protect. agitata fuerant de Conciliabulo, penetrassent, statim cum Procuratore Ordinis egit, ut per Apost. literas ab Inquisitore S. Crucis ab omni illatâ culpâ, & pręteritâ censurâ die 30. Novemb. absolverentur. His etiam Ord. angustijs accidit, ut hoc ipso tempore Philippus .4. Mucagatta de Alexandriâ, de quo etiam plura superiùs Cap. 2., Mediolani moreretur. Hic enim (ut de eo Pocciantius) Rethor eloquentissimus, Poeta egregius, Logicus acutus, Philosophus disertus, juris utriusque Doctor insignis, Declamator gravissimus, Theologusque pręstantissimus extitit. Cujus rei sempiterni etiam sunt testes pręter superiùs relata, scripta super philosophiam, quæ typis man-

C davit, & Antonio Alabanto Gener. nuncupavit, dum publicè hanc facultatem Senis, ac Mediolani interpretatus est; quadragesimale, quod ingenti sudore elaboravit; miscellaneæ denique quæstiones, quas posteritati admirandas reliquit. Hujus doctiss. Patris complura opuscula sub diligenti custodiâ olim asservabantur ab altero R. M. Philippo ipsius Nepote, aliquando typis mandanda. Hic postremò dum in amplâ Mediolanensium Civitate sacra Dei mysteria incredibili doctissimorum virorum admiratione pandit, extremum tandem diem obijt; ejus verò corpus ingenti totius Religionis dolore, & Mediolanensium mærore in ædibus Servorum honorificentissimæ sepulturæ traditur. Et

D quemadmodum eo tempore florebant istiusmodi Viri doctissimi, etiam plures Ordinis Bibliothecæ .5. magnis librorum voluminibus refertæ in dies augebantur. Nam Florentiæ his temporibus Bibliotheca Annunciatæ quinque magnis librorum sarcinis (à quo civium donati fuerint reperire non potui) amplificata fuit. Romæ etiam in Conventu S. Marcelli Antonius Ursus Agiensis Episcopus Fratris Andreæ Fontanæ Baccalaurei Pœnitentiarij Lateranensis, & Angeli Procuratoris Generalis operâ, ingentem librorum numerum pro bibliothecâ nostrâ largitus fuit, quemadmodum marmoreum ibi affixum indicat monumentum. Succedente interim anno

1512.

1512. Hieronymus Vicar. Gener. Comitijs Provincialibus totius Ordinis Intendit, & Hieronymum Castro Placentinum rursus in Vic. Gener. Congregationis Monticuli confirmatum suis literis patentibus more majorum approbat. Mediolani jugiter sub die 3. Junij privilegium immunitatis Fratribus S. M. de Crovariâ à prædecessoribus Thadęo, & Cyriaco concessum per .6. literas patentes cum suâ subscriptione *Confirma me Domine* iterum renovat. Est autem Crovaria sylvestre nemus ad pedes Apennini propè flumen Trebiam in Diœcef. Placentin. solitudini, & contemplationi Religiosorum aptum, ubi etiam percelebris imago B. V. hoc tempore miracula quàmplura edebat, quo facile concurrebant hi Patres, qui Deo ex corde satagebant servire. Per consimiles .7. etiam literas F. Cyprianum de Fulgineo approbat Priorem electum a Patribus in Senario, ubi eadem adhuc, tum in eligendo Priore, tum in religiosâ disciplinâ veterum Patrum conservabatur observantia; Ibi enim degebant hi Patres F. Cyprianus Prior, F. Bartholomæus à Burgo S. Sepulcri, Salvator de Mutinâ, Paulus à S. Lorino Comitis, Joannes Manzolus de Florentiâ, Hieremias de Mandello, præter Clericos, & Laicos; & hi unanimiter in Dei, & B. V. obsequium absque ullâ ambitionis labe veri Servi perseverabant. Jam Cardinales à Julio deficientes in suâ sententiâ perseverabant, & Lugduni Conciliabulum prosequebantur, quando ad Julij Pont. aures pervenerat Hieronymum Fuscum Vic. Gener. Mediolani ejsdem adhæsisse, Quapropter explorato interim per quatuor Visitatores, num ita res se haberet, & comperto, quòd Hieronymus clam reciperet, mitteretque literas Lugdunum ad Cardin. S. Crucis sub quodam quæsito Protectionis nostræ colore, Pontifex irâ percitus, & justâ indignatione furens, Angelum de Aretio ex Proc. Ord. Vic. Gener. constituit, & Jacobum Philippum Ferrar. Oratorem pro eo in Curiâ deputavit, & Angelo districtè mandavit, ut contra Hieron. exauthorandum, & carceri mancipandum ageret. Quare Angelus citato cursu Florentiam .8. advolavit, quò cùm ad diem 27. Junij pervenisset, accipit, Hieronymum hesternâ die transfugam ad Côciliabulum pertexisse, ubi etiam plures Conciones in varijs sessionibus habuisse deprehensum fuit. Interim Pontificis mandato factum, ut citò Romæ coacto Generali Comitio, tum Ord. quàm Congreg. die 25. Septembris Angelus de Aretio 9. Gener. unanimi omnium consensu inauguratus fuisset, & Augustinus Philippus de Florentiâ Procurator Ordinis decerneretur. atq; Antonius S. Vitalis Card. de Monte Ord. Protector præficeretur. Solemnis quidem hic Conventus habitus fuit, in quo plures tam de Ordine, quâm de Congreg. suæ doctrinæ exhibuerunt exemplum; Inter quos Martinus Hispanus clarissimus Theol. de Observantiâ, & Deodatus Brixiensis, qui meritò doctoratûs laureâ à Priore General. fuit insignitus, primas habuerunt. Quamobrem Angeli studio, & summâ Pontif. clementiâ omnis tandem ab hoc Ordine post tot calamitates cessavit quassatio. Opportunitate enim Concil. Lateran., in quo summâ cum gloriâ Gener. Angelus inter doctissimos Viros pro Sede Apostol., ut supra dicebatur, vehementer insudabat, non mediocris etiam huic Ordini Servorum, sicut & alijs, accesserat Pontif. gratia.

Quæ observantiam his temporibus servabant PP. Senarij.

Antonius de Mõte Card. declaratur Protector, & Angelus Aretinus Gener. præficitur.

[Interea commemorandum occurrit admirabile quoddam prodigium, quod hoc anno 1512. contigisse referunt Historici in Ecclesiâ S. Mariæ Servorum de Patavio. Hisce temporibus universa Italia, præsertim verò Venetorum Reipublicæ amplissima Ditio, ac præ cæteris ejus Urbibus Patavium gravissimis premebatur angustijs. Ut autem Populus Divinam Indignationem averteret, & Clementiam experiretur, plura præstitit Deus, ut resipiscerent omnes, & de proprijs sceleribus pœnas ultrò sumerent, inter quæ admirandum hoc fecit. Sacra Crucifixi Imago lignea in Ecclesiâ prædictâ posita mense Februario hujus anni 1512. quindecim dies continuos humorem sanguineum à vultu, & à latere emisit. Quo factum est, ut universi tum indigenæ, tum exteri tanto prodigio commoti eò turmatim accurrerent, ibique provoluti obortis Lachrymis criminum suorum veniam quàmhumillimè implorarent, & illustria pœnitentiæ specimina exhiberent. Quibus jugiter exercitis sanctis operibus placatus Altissimus, misericordiam suam erga populum illum ex animo gementem, atque dolentem aliquomodo ostēdere voluit. Hinc sacra prædicta Imago die 9. Aprilis proximè sequentis, quæ fuit fer. 6. Parasceves, iterum emittere cœpit humorem illum sanguineum ex ijsdem partibus, & usque ad Vesperas 10. Dominicæ Resurrectionis emisit, eaque sanè copiâ, ut ex eodem vas parvum quoddam impleverint *PP.*, quod adhuc summâ veneratione servatur, & Feriâ 5. Maioris Hebdomadæ quotannis publicæ adorationi exponitur, quò proinde frequentissimus fit Populi concursus, quamobrem eadem Sacra Imago deinceps semper miraculorum copiâ, & raritate illustrior evasit. Quæ quidem subinde in Actis authenticè relata fuere testibus quamplurimis adhibitis, quæ in Episcopali illius Civitatis Archivo recondita servantur, & apud Societatem, quæ eodem anno die 18. Maij in honorem, & sub Tit. SS. Crucifixi instituta fuit operâ, ac studio *P.* M. Dominici Docto *Patavini* Cœnobij celeberrimi Alumni, de quo ad Annum 1538. & alibi in his Annalibus. Quæ planè Societas numero Confratrum semper conspicua Nigrâ induit vestem, eximijs ab Apostolicâ Sede privilegijs, & Indulgentijs decorata, ac denique anno 1615. aggregata Archiconfraternitati

Imago Crucifixi Patavij sanguinem emittit.

nitati SS. Crucifixi apud S. Marcellum de Urbe, cujus aggregationis apparet Breve Pontificium dat. Romæ die 20. Februarij 1615. Hujus insignis miraculi tum in Ecclesiâ, tum in Sacrario cernitur narratio. Quocirca longè celebrior haberi cœpit Ecclesia. Anno sequente 1513. eam consecravit solemniter die 21. Decembris D. Hieronymus de Sanctis Episcopus Argol. & Episcopi Patavini Suffraganeus cum Indulgentijs consuetis, prout indicat marmoreum Monumentum. Consequentibus pariter annis illustrior adhuc evasit eadem Ecclesia ob celeberrimam quandam B. Virginis Imaginem, de quâ fusiùs ad annum 1559. & 1704. quo in ejus honorem ædificari cœpit Augustissimum Altare. Accedit etiam Societas Sororum Tertij Ordinis Nostri, & S. Habitûs Dolorum B.V.M. quarum Antesignana jure optimo censenda videtur præclara Mulier D. Fina Buzaccarinâ Francisci Principis Cartariensis Uxor, de quâ ad annum 1372. Cujus Societatis illustre Sacellum construi cœpit anno 1631. & per DD. de Papafavâ annuâ Dote instructum. Illud autem esse videtur, in quo posita fuit Imago quædam B. V. ob insigne prodigium, quod anno prædicto contigit, prout ad eundem annum referemus.]

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

1 *Franciscus Guicciardinius in suâ Hist. libro 8. satis diffusè, de nostris verò Fratribus Annunciatę ex diarijs, & monumentis ejusdem Conventûs.*
2 *Tomo 3. Concil. de Concil. Lateranensi.*
3 *Ex diarijs ejusdem Conventûs, ut supra, deprehenditur error Pocciantij, qui ponit M. Sebastianum mortuum Forolivij cum Clemente de Mantuâ Gener.*
4 *Ex Pocciantio in Chron.*
5 *Apparet in diarijs Conv. Florentię quinque magnas sarcinas librorum ad Conv. Annunciatæ delatas pro Bibliothecâ, & donatas esse.*
6 *Inter monum. Conv. S. Annæ de Placentiâ eadem literæ habentur.*
7 *Ex veteri Campione Seuarij.*
8 *Ex diarijs Conventûs Florentiæ, atque etiam ex diarijs gestorum ejusdem Hieron. Fusci.*
9 *Albrisius in Catal. Vic. Gener.*
10 *Ex monumentis illius Conv. de Paduâ.*

Angelus Gener. à Julio II. primùm ascitus, à Leone X. inter Patres Concil. Lateranen. approbatur.
CAP. XVII.

ANgelus igitur ingenio acer, & solerti prudentiâ præditus poterat simul, & Lateranensi .1. Concilio invigilare, & suæ Gener. Præfecturæ munera non prætermittere. Quare postquam tertiæ, & quartæ sessioni sub Julio cum alijs Patribus interfuisset, die 23. Februarij ineuntis anni cùm Patres, qui *Filij de novâ Observantiâ* dicebantur, suum jus in Cœnobio S. M. de Crovariâ tutarentur, Angelo Gener. supplicarunt, ut more prædecessorum per literas patentes sua privilegia .2. confirmaret. Quando tandem Maximilianus Cæsar in sententiam Pont. conveniat, ut rejecto Conciliabulo, Synodo Lateranensi adhæreret, cui denique Rex Franciæ cum alijs omnibus subscripsit. Quamobtem Julius Pontif. voti compos effectus, post difficilem Ecclesiasticæ ditionis recuperationem, post assertam Pontificiæ amplitudinis libertatem, è tot fluctibus victor emergens, hoc etiam delendæ rebellium Card. pseudo-synodi trophæum suæ virtuti adjecerat. Verum dum Lateranensi Concilio animum, & vires intendit, septuagenario major tot laboribus exagitatus, lentâ, tenacique febre correptus 9. Kal. Martij in Vaticano decubuit .3. verè Maximus Pontif. animo magnus, acer, constans liberalis, in prosperis continens, in adversis semper se ipso celsior, & qui extruendis ædificijs vehementer intentus, vastam illam, ac portentosam augustissimi templi molem in Vaticano Bramantis Architecti operâ feliciter inchoavit. Julio igitur defuncto Joannes Florentinus Medices Laurentij ex Magdalenâ Cybo filius, quem in adolescent à Innocentius Pontif. Avunculus in purpuratorum numerum legerat, post varia fortunæ ludibria, quibus extorris diu a Patria aberat; in Ravennati clade captus, Bononiam, & Mediolanum tanquam obses, & mancipium ad Gallos ducebatur, quando è manibus custodum ereptus, celeriter Romam advolasset, statimq; ad nova Patrum Comitia introductus summa omniū, & præsertim Juniorum Cardinal. consensione, dum vix consularem 37. annorum ætatem attingeret, Pontif. Max. assumpto generosi Leonis nomine idibus Martij salutatur. Quo læto nuncio Florentiæ gratulabundi Patres nostri, quorum propensio in Mediceam familiam ex acceptis jamdiu beneficijs non mediocris extiterat, .4. imaginem Leonis, & stemmata familiæ cum maximis votis pro ejus felici conservatione sumptuoso artificio fabrefactam Ecclesiæ tholo conspicuam exhibuerunt. Quæ res munifico Leoni tam grata fuit, quàm proximo anno indicarunt privilegia eidem Ecclesiæ concessa: Inter quæ unum illud hoc anno fuit, ut Indultum olim à prædecessoribus Sisto IV. & Paulo II. concessum de Missis .5. ante auroram, & post meridiem prosequendis, Leonis oraculo renovaretur, is enim, ut populorum ingens multitudo ad sacrum illud Templum singulis horis confluens divina posset audire, amplissimo Card. Soderino mandavit, ut suis literis Romę die 10. April. datis hanc Pontif. mentem Patribus testaretur. Tempore interim adveniente, quo singulis Provinciarum Comitijs Angelus Gener. præesset, Cremonensi etiam

Leo X confirmat privilegiū de celebrando Sacro ãte Annunc. & poster. ultram Annunc.

Congregationis cœtui interfuit, ubi Benedictus Marino Venetus fuit electus Genet. Vicar. Quæ verò in his Comitijs Congreg. graves inter Angelum Gener. & Patres illos contentiones intercesserint, apposité refert Philippus Mantuanus, cujus præstat hoc loco ad clariorem rerum Historiam verba referre; sic enim habet Albiisius ad annum 1513. Interfuit huic Conventui Angelus Aretinus Prior Gener. qui cognitâ quorundam Fratrum regnandi cupiditate, cum eis fœdus inivit de pace Congregat. perturbandâ. Romam igitur profectus cum Reverendissimo A. de Monte Cardin. Papiensi Ordinis Protect. egit, ut ipse visis literis à quibusdam Fratribus Venetis subscriptis, binas literas à Summ. Pont. Leone X. impetraret, quarum alteræ Priori Gener. visitandæ Congreg. arbitrium, facultatemque præbebant, alteræ verò de Venetiarum Conventu sub Conventualium ditione, ac imperio suscipiendo. Obtentis à Sede Apost. literis, Angelus Aretinus Venetias venit mense Julio; quò missis literis vocavit die 15. Benedictum Vic. Genet. Marinum Venetum, & Hieronymum Placentinum Visitatores, ac Philippum Mant. urbis Commissarium. Accesserunt igitur ad ipsum Vic. & Visitatores, quos ab officio deponens vi quadam insuetâ graviter tractavit, novosque Visitatores pro Congreg. reformandâ falso prætextu instituit, qui potiùs reformatione indigebant. Dum autem hæc Venetijs fiunt, auditâ re, tota Congregatio contra Priorem Gener. insurrexit, nolens ullo pacto ea, quæ per ipsum fiebant, veluti rata, & ratione facta suscipere. Ex Perusio recesserunt Clemens Lazaronus Brixiensis, qui ibi Prior existebat, & Martinus Hispanus Aragonensis Regens, ambo Theologi, qui Romam profecti plurimorum Card. & Alberti Carpensis Principis auxilio freti, bis Pont. Max. alloquuti sunt, opem pro Congreg. libertate implorantes. Annuit justæ petitioni Pont. Max. qui statim Anton. de Monte Cardin. Papien. Protect. Ordinis nostri hac de re alloquutus est. Missis ab optimo, & justissimo Protect. literis, Romam acciti sunt Prior Gener. & Vic. Gener. unà cum Visitatoribus. Ibi sic res utrinque apud Protect. tractata est, ut, & tanti Præsidis benignitate, & justitiæ favore Congregatio victoriam reportaret, & perfidorum calumnia vinceretur. Qui enim nostræ reipublicæ libertatem perturbare tentarunt, de pravitate convicti mulctam passi sunt, ut voce activâ & passivâ per definitum tempus privati existerent. [Patent etiam contentiones prædictæ è sequentibus Instrumentis.

IN *Christi nomine. Anno à* Nativitate *ejusdem 1513. Indictione primâ die 26. Mensis Julij tempore SS. in Christo Patris, & D.D. Leonis Papæ X. anno primo. Cùm à Sede Apostolicâ missus fuerit ad hanc Civitatem Venetiarum Reverendissimus P.D. Magister Angelus de Aretio Prior Generalis totius Ordinis S. Mariæ Servorum Ordinis S. Augustini pro pace, bonâ gubernatione, & quiete degentium in hoc Monasterio S. Mariæ Servorum de Observantiâ Civitatis Venetiarum. Considerantesque DD. Fratres Monasterij prædicti, ac Capitulum infrascriptum agenda, & concludenda cum ipso Reverendissimo D. Generali meliùs, & faciùs tractari, concludi, & terminari posse à paucioribus è Senioribus, necnon opportunè quando, & quoties expedit congregari valere d. Capitulum; cupiatque Capitulum ipsum vices suas infrascriptis RR. PP. attribuere, eapropter convocato, & congregato Capitulo [ut moris est] Monasterij Ordinis S. M. Servorum de Observantiâ de Venetijs in sacristiâ d. Monasterij ad sonum solitum campanellæ de ordine d. Reverendissimi Generalis. In quo Capitulo interfuerunt præfatus Reverendissimus D. Prior Generalis, & infrascripti RR. MM., & Ven. FF. videlicet: M. Joannes Petrus Leonus de Venetijs, M. Aloysius Seraphinus, M. Augustinus Pisaurus de Venetijs, F. Nicolaus de Venetijs, F. Joannes Jacobus de Venetijs, F. Raymundus de Venetijs, F. Vitus Alemannus, F. Joannes Baptista de Placentiâ, F. Cornelius de Venetijs, F. Hieronymus Rota de Bergomo, F. Valerianus de Venetijs, F. Gregorius de Venetijs, F. Marcus de Venetijs, F. Blasius de Venetijs, F. Octavianus de Utino, F. Marinus de Utino, F. Joannes Maria de Venetijs, F. Philippus Maria de Utino, F. Jacobus de Venetijs, F. Polydorus de Brixiâ, F. Noe de Venetijs, F. Lucretius de Brixiâ, F. Camillus de Brixiâ, F. Antonius de Forolivio, & F. Vincentius Pisaurus, omnes habentes vocem in d. eorum Capitulo, & totum eorum Capitulum repræsentantes, nemine eorum discrepante elegerunt istos RR. DD. M. Joannem Petrum Leonum, M. Seraphinum, M. Augustinum Pisaurum præsentes, ac M. Aloysium de Scaramellis absentem, quibus RR. quatuor PP. electis, & majori eorum parti dederunt, attribuerunt, & contulerunt vices, & libertatem, & auctoritatem totius eorum Capituli, ad cum d. Reverendissimo D.P. Generali conferendum, tractandum, ac ipsi Reverendissimo D. P. Generali promittendum, obligandum, jurandum, ratificandum, approbandum tam rescripta Apostolica, quàm aliter, quomodocunque, uti, & quomodo præfatis RR. PP. electis, & majori eorum parti videbitur, & placuerit: Instrumenta, ac documenta publica superinde rogandum, & Capitulum ipsum, & omnes FF. ipsius Monasterij, & Capituli, & eorum successores ad eorum observationem, & contentorum in eis obligandum, promittendum, jurandum, cum plenissimâ potestate, & auctoritate suprascriptorum Patrum electorum, vel eorum majoris partis omnia, & singula alia faciendi, promittendi, ratificandi, & obligandi, quæ ipsum Capitulum facere, promittere, ratificare, & obligare posset, quæ agenda per dd. RR. PP. electos, vel per majorem eorum partem, postquam facta, ratificata, promissa, obligata, jurata,*

Mandatū Procuratoriū pro nonnullis Patrib. de Venetijs ad tractandum cū P. Generali.

Mandatum Procuratorium pro nonullis Patrib. de Venetijs ad tractandum cũ P. Generali.

jurata, ac conclusa fuerint cum ipso Reverendissimo D. P. Generali, tandem eam firmitatem, & robur sortiantur, ac si per d. eorum Capitulum cum successoribus suis facta, ratificata, promissa, obligata, jurata, & conclusa fuissent. Quæ, ut supra dictum est, peragenda ex nunc, prout ex tunc, & è converso suprascripti omnes Fratres capitulariter congregati, & Capitulum prædictum laudant, ratificant, approbant, promittunt, obligant, jurant, & concludunt cum d. Reverendissimo P. Generali quidquid per ipsos quatuor electos, vel per majorem eorum partem tractatum, promissum, obligatum, juratum, conclusum, & factum fuerit nomine, & pro universo d. Capitulo & FF., ac Monasterio eorum prædicto, & successoribus cum præfato Reverendissimo D. P. Generali per se, & Successores in d. Generalatûs Officio. Et præmissa omnia fecerunt, & faciunt præfati DD. FF. & Capitulum Monasterij prædicti omnibus meliori modo, jure, & formâ, quibus melius, et validiùs fieri potest, & cum omnibus promissionibus, obligationibus, & renunciationibus necessariis pariter, & opportunis.

Actum Venetijs in Sacristiâ Monasterij suprascripti præsentibus Dominico Vendramino q. D. Francisci D. Joanne Mariâ de Allevantis D. Aloysii, Ser Francisco Partiauro D. Joannis testibus rogatis.

Loco ✠ Signi.

Ego Jacobus Chiodus D. Michaelis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Judex Ordinarius præmissis interfui, rogatus scripsi, & publicavi, signumque meum apposui consuetum.

IN *Christi nomine. Anno nativitatis ejusdem 1513. Indictione primâ die 28. Mensis Julij Pontificatûs SS. in Christo Patris, & D.D. Leonis Papæ X. anno primo.*

Réformatio Conv. S. M. Serv. de Venetijs.

Reverendissimus in Christo Pater D. M. Angelus de Aretio Prior Generalis totius Ordinis S. M. Servorum Ord. S. Augustini exhibuit mihi Notario Literas Apostolicas in formâ Brevis, quas ego Notarius in præsentiâ præfati Reverendissimi D. Generalis, & RR. DD. PP. M. Joannis Petri Leoni de Venetijs, M. Aloysij Seraphini, M. Augustini Pisauri, & F. Joannis Jacobi Conciari de Venetijs, quibus suprascriptis tribus Magistris, ac Magistro Aloysio de Scaramellis absenti, electis per Capitulum majoris Monasterij S. M. Servorum de Observantiâ de Venetijs, & eorum majori parti per d. Capitulum collatæ fuerunt vices ipsius Capituli, ut patet in Actis mei Notarij die 26. Julij præsentis, quarum Literarum Apostolicarum tenor ad Literam talis est, videlicet. Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Ben. Ex relatione dilecti filij nostri A. Tit. S. Vitalis Presbyteri Card. istius tui Ordinis Fratrum Serv. Protectoris nuper non sine displicentiâ accepimus majus Cœnobium Fratrum Servorum Venetijs, seu Fratres in eo degentes ex suorum Capitum [ut creditur] malo regimine à multis annis citra in multa flagitia præcipites ivisse, A & à recto Religiosorum vivendi tramite adeò recessisse, ut nisi maturè provideatur, de illorum salute sit penitus desperatum, quodque plerique ejusdem Cœnobij Fratres, quibus hujusmodi flagitia displicent, præfato Protectori, & Tibi humiliter supplicarunt, & enixè petierunt, ut ejusdem Cœnobij cura, & administratio pro illius correptione, & reformatione, & ad rectum vivendi modum [ut religiosos decet] reductione tibi demandaretur, sperantes, quod pro tuâ prudentiâ, & exemplari vitâ d. Cœnobium salutaria suscepturum sit incrementa. Nos igitur consideratis, ac præfati Protectoris super hoc Nobis porrectis precibus inclinati, Cœnobium ipsum, & ipsius Fratres sub tuâ, & omnium in Generalatûs Officio successorum tuorum B immediatâ protectione, ac curâ, ita tamen, quòd in eo Cœnobio sub nomine, Titulo, & normâ Regularis Observantiæ vivatur, ponimus, & assignamus per præsentes. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusvis d. Ordinis conventionibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Junij 1513. Pontificatûs nostri anno primo. Jacobus Sadoletus -- A tergo autem. Dilecto Filio Angelo de Aretio S. Theologiæ Professori Ordinis Fratrum Servorum Priori Generali. Quibus literis Apostolicis lectis, præfatus Reverendissimus Dominus P. Generalis humili, quâ decuit, reverentiâ, Literas prædictas Apostolicas acceptavit, immediatamque protectionem, & cu- C *ram majoris Cœnobij FF. Servorum Venetiarum suscepit juxta formam, & continentiam suprascriptarum literarum Apostolicarum, pluribusque circa rectum vivendi modum per ipsum Reverendissimum Patrem Generalem prolutis, præfati RR. PP. DD. M. Joannes Petrus Leonus, Magister Aloysius Seraphinus, & M. Augustinus Pisaurus electi per suprascriptam Capitulum eorum Monasterij prædicti absente suprascripto D. M. Aloysio Scaramellâ, ac Ven. P. D. F. Joanne Jacobo Conciari Monasterij prædicti, habentes prædicti DD. PP. electi vices totius Capituli, & omnimodam libertatem, Visis, & clarè intellectis suprascriptis Literis Apostolicis, agentes nomine totius supradicti Capituli, & Fratrum Monasterij suprascripti, & succes-* D *sorum genuflexi coram præfato Reverendissimo Domino P. Generali tanquam filij obedientiæ suprascriptis Literis Apostolicis detulerunt, paruerunt, & ipsas summâ cum reverentiâ acceptaverunt, seque, ac totum Capitulum Fratres, & Monasterium eorum S. M. Servorum de Observantiâ in dd. Literis Apostolicis nominatam sub præfati Reverendissimi D. P. Generalis, & omnium in Generalatûs Officio successorum immediatâ protectione, & curâ posuerunt, & submiserunt, juxta formam, & continentiâ suprascriptarum Literarum Apostolicarum, juraveruntque in manibus præfati Reverendissimi D. Generalis, promiserunt, & se, ac prædictum Capitulum, Fratres, & Monasterium, & successores*

cessores obligarunt ad omnia, & singula tam de jure, quàm de consuetudine necessaria, & opportuna, & cum omnibus promissionibus, obligationibus, & renunciationibus necessarijs, & opportunis, de quibus omnibus, & singulis rogaverunt me Notarium de præmissis publicum conficere Instrumentum.

Actum Venetijs in Monasterio suprascripto S. Mariæ Servorum in camerâ, seu cellâ suprascripti F. Joannis Jacobi de Conciaris, præsentibus Ser Joanne Martâ de Allevantijs D. Aloysii, Ser Francisco Partiauro D. Joannis Testibus rogatis.

Loco ✠ Sigilli.

Ego Jacobus Chiodus D. Michaelis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Judex ordinarius præmissis interfui, rog. scripsi, & publicavi, signumque meum apposui consuetum.]

Igitur Angelus Generalis absolutis omnium Provinciarum Capitulis ad Urbem celeriter reversus à Summo Pont. inter eos Patres Lateran. .6. Concilij die 3. Junij adscificitur, quorum curæ demandatum fuerat de componendâ Principum pace, de schismate Conciliabuli tollendo, & Ecclesiasticâ unione ineundâ; res quidem graves in septimâ sessione tractandæ, sed quæ Angeli Gener. Servorum judicio dignæ à Summo Pontif. existimarentur.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

1 *Ex tomo 3. Concil.*
2 *Inter monumenta Conv. S. Annæ de Placentiâ.*
3 *Alphonsus Ciacconius in Julio II. & Leone X.*
4 *Ex diarijs Conv. Annunciatæ de Flor.*
5 *Poccianttus in Chron. & ex monum. ut supra [necnon ex Actis in Conv. Serv. de Venetijs suprascripti tenoris, quæ in pergameno servantur Pisis in Bibliothecâ PP. D. Annunc. de Florentiâ.]*
6 *Ex 3. tomo Concil. ut supra.*

Leonis Summi Pontif. authoritate, & Antonij Card. Protect. prudentiâ contentiones inter Angelum Gener. & Fratres de Congreg. perpetuo fœdere sedantur. CAP. XVIII.

POST tot altercationes inter Angelum General. & Patres de Congreg. jussu tandem Leonis X.& Protectoris Antonij Cardin. prudentiâ pax summa hoc eodem anno 1513. affulsisse visa fuit, quando .1. coram D. Protect. infrascriptatum conventionum initum fuit perpetuum fœdus.

1 Quòd nec Prior Gener. Fratres de observantiâ, nec Vicar. Gener. Fratres Conventuales sine suorum superiorum, videlicet Prioris Gener. Conventualium, & Vicar. Gen. Observantes licentiâ in scriptis apparente te-
E cipere in Domibus, & consortio suo possit; nec Prior Gener. Fratres de Observantiâ ad loca Conventualium, nec Fratres Conventuales ad loca Observantium mittere possit, nec Fratres de Observantiâ de uno ad alium locum mutare possit, etiam si loca illa Observantiæ essent, & sic è contra.

Conventiones pro sedandis dissidijs inter Ord. & Congr.

2 Quòd Vic. Gener. prædictus, & successores sui teneantur nunciare Priori Generali, ac successoribus suis, tanquam Religionis capiti per literas suas à fido nuncio portandas tempus, & locum Capituli Observantiæ celebrandi per mensem ante diem celebrationis ipsius Capituli.

3 Quòd Prior Gener. omni tempore per se, vel per alium de societate Observantiæ
F solummodo possit Fratres Observantiæ visitare, & omnes differentias, & causas eorum terminare; & Fratres ipsos, & scandala corrigere hoc pacto scilicet, quod priùs ad Vicar. prædictum causæ eorum omnes, & differentiæ deferantur; & si causæ illæ per dictum Vic. non sedarentur, possint ad Priorem Gener. deferri, & ab ipso terminari, & judicari.

4 Quòd Vicar. Gener. Observantiæ quolibet anno teneatur nomine totius Congreg. solvere cum effectu Priori Gener. pro tempore existenti ducatos quadraginta auri boni, & justi ponderis, medietatem in festo Nativ. Domini nostri Jesu Christi, & alteram medietatem in festo Resurrect. ejusdem Domini,
G pro sustentatione, & recognitione.

5 Quòd Prior General. non possit concedere aliquas literas, seu patentes, immunitatem, seu exceptionem inducentes alicui ex Fratribus Observantiæ, nisi priùs ejusdem facultatis literas à Vic. Gener. Observantiæ emanatas Frater ille ostenderit.

6 Quòd nec Fratres Congreg. Observantiæ loca Conventualium, nec Fratres Conventuales loca Observantiæ turbare, vel sub curâ recipere, aut reformare quovis modo etiam requisiti possint; nisi prout conventum est per Priorem Gener. in tertio Capit. & per Reverendiss. Dominum Protect. declaratum, & interpretatum extitit.

7 Quòd Prior Gener. prædictus renuncia-
H vit, & renunciat duabus literis Apostolicis in formâ Brevis Leonis Papæ X. sub datis Romæ die 10. Junij Pont. sui anno primo, & earum effectibus inde sequutis.

Ut verò singula hæc rata, & firma haberentur, Leo Sum. Pont. Apostol. munimine per sequentes literas roboravit .2.

Dilectis filijs Angelo de Aretio Priori Gener. Conventualium, & Benedicto Veneto Gener. Vic. Congreg. Observantiæ Ordinis Servor., & successoribus eorum.

LEO PAPA X.

D*Ilecti filij salutem, & Apostol. benedictionem. Cum, sicut nuper nobis exposuistis*

*cistis, ortâ dissensione, & differentiâ inter vos super visitatione, & nonnullis alijs Religionem vestram respectivè tangentibus, pro illis sedandis, & componendis coram dilecto filio nostro A. Tit. Sancti Vital. Presbytero Card. ejusdem Ord. Protect. nonnullas conventiones, & pacta pro quiete, & pace Religionis inieritis, prout latius in instrumento sub die ultimâ Octobris proximè elapsi desuper celebrato apparere dicitur, ad quod relatio habeatur, & quod hîc pro expressò haberi volumus * Quas idem A. Card. authoritate Apost. vivæ vocis oraculo ei facto approbavit, & confirmavit, dubitatis, ne approbata per præfatum A. Cardin. & gesta, & conventa inter vos in dubium revocari contingat. Tenore præsentium dictas conventiones, declarationes, & pacta, & quæcunque inde sequuta, & in instrumento contenta ratas, & gratas habentes; quatenus opus sit, de novo authorit. Apostol. approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ observari mandamus. Supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan intervenerint. Statutis dictæ Relig. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.*

Superiores conventiones Apost. munimine robor.

*Instrumen. hoc habetur in Cõstit. Cong. de Obs. in fine, & vidi Ps. fit in Bibl. P P. D. Ann. de Flor.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 5. Novemb. 1513. Pontif. nostri Anno primo.

P. Bembus.

Eodem mense cùm Patres de Congreg. obtinuissent locum S. Mariæ in viâ de Urbe, curarunt etiam ibi introducere Societatem habitûs tertij Ordinis, tum ad augendam religionis devotionem, tum maximè quod eo in loco memoriam renovassent obstupendi illius prodigij, quod olim ad honorem gloriosæ Dei Matris ibi contigisset, quod quidem ne silentio prætereatur breviter repetendum videtur, secundùm narrationem Julij Rossij Hortini .3. Viri in humanioribus literis consultissimi.

Anno igitur Domini 1243. Innoc. IV. Pont. Max. ex stabulo, quod fuerat Petri Capocij Patricij Rom. S. R. E. Card. ac tit. S. Georg. in Velabro Templum D. Mariæ in Viâ Romæ construitur. Narrant nocte quadam, putei eodem loco existentis aquam ad os usque perlatam sese toto stabulo effudisse. Vident ad putei marginem silicem, præter naturam adnatantem, cui B. V. Imago impressa esset. Eò accurrit rei novitate Petrus ipse Card. atque aquas ipsas circumfusas ingressus, quâ decebat pietate silicem, quæ nullius vi dimoveri potuerat, in ædes suas honorificè refert. Id ipsum ubi rescivit Pont. Max. erectâ arâ, ac Deiparæ dicatâ, ante puteum occidentem versus Imaginem reposuit, quæ usque ad nostram ætatem per omnia tempora fuit miraculis clarissima. Putei verò sacello conclusi, religio inde orta est. Et quia in imum putei ille idem Card. ex Palestinâ ejus lapidis partem delati conjecit, supra quem sedisse legimus Christum Dominum, dum Samaritanam alloqueretur. Inde cœpit Rom. Populi concursus, ac vototum, donorumq; ad aras celebritas.

Ante aras qui stat puteus, de gurgite cujus
Turba salutarem è febribus haurit aquam
Ne credas opus esse recens. Hunc sancta parentis
Religio ætheteæ Virginis æde sacrat.
Ebibe quisquis ades, gratam exorare salutem
Hîc juvat, & morbum lympha, levatq. sitim.

Quod verò in eâ erigendâ Societate authoritatem D. Protect. tam accuratè perquisierint, cùm tamen eis Bulla Martini V. & nuper Innocentij VIII. satis abundè suffragaretur, nihilominus ex tantâ eorum sedulitate facilè deprehenditur fuisse veritas id sibi propter sodalitium Sororum S. Marcelli à Priore Gener. aut denegatum, aut omnino prohibitum iri, & ita D. Protect. favorem hunc specialem implorasse tenoris sequẽtis .4.

Antonius tit. S. Vital. S. Rom. Ecclesiæ Presbyter Card. Papiensis Umbriæ, &c. Legatus, ac Ord. Serv. Protector. Reverendo P. M. Benedicto Veneto Ord. Serv. de Observ. Vic. Gener. salutem in Domino sempiternam. Cùm in hac almâ Urbe, quæ Religionis est sedes, mulieres nonnullæ, quæ Pinzocheræ nuncupantur, zelo dictæ religionis accensæ certo Habitu, & bastis, seu patientiâ incedant; quo ab alijs dignoscantur, & Pinzocheræ Serv. B. M. facilè dijudicentur. Et accepertmus extra ipsam Urbem, quasdam mulieres ob devotionem in Sanctiss. Virg. & Habitum hujuscemodi, maximè cupere Habitum, quo Pinzocheræ hic utuntur, velle deferre. Nos considerantes earum bonam mentem, & desiderium, honestati convenienti satisfacere volentes, de spirituali gratiâ à Sanctiss. D. N. vivæ vocis oraculo nobis concessâ, & authoritate nostri Protectoratûs officij. Paternitati vestræ tenore præsentium facultatem impartimur concedendi licentiam præfatis Pinzocheris in quibuscunque locis utendi Habitu, quo in dictâ almâ Urbe Pinzocheræ Servorum nuncupatæ utantur. Itaque liceat eis Habitum ipsum deferre, ut ab alijs noscantur, non tamen aliquam sectam inducendo, sed tantùm ad earum devotionem; super quibus illarum conscientiam oneramus. Hortamur autem P. V. ut eas moneat ad honestè vivendum, ut meritò B. V. servæ dici possint. Dat. Romæ 13. Novemb. 1513.

Hoc eodem Anno 4. moritur D. M. Hieronymus de Franciscis Venetus Episcopus Coronensis, sepultus in Ecclesiâ Servor. de Venetijs, cujus extant in Cœnobio Utini sermones m. s. ad populum per Quadragesimam, quos Philippus Albrisius se vidisse testatur.

AN.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

E

1. 2 *Habentur singula hæc in fine constitut. Cong. quas Jacobus Pentius Venetiis impressit ann. 1515. omninò videndas.*
3 *In fine Histor. B.P.N. Phil. quę Romæ edita fuit cum æreis imaginibus 1591.*
4 *Ex eisdem constitutionibus, ut supra.*
5 *Albrisius in Catal. Vic.Gener. ad ann. 1513.*

N O T Æ.

[Ut uberiùs, & meliùs intelligatur, quanam ratione PP. Congregationis de Observantiâ Locum S.M. in Viâ assecuti sint, adnotandum omninò est, quòd cùm ob aeris intemperiem, sive ob aliam quamcumque causam, de quâ ad annum 1460. dereliquerint anno 1478. Locum S. Nicolai de Archiomibus, quem Romæ jampridem habuerant, de quo satis ad d. annum 1460., alium assequendi studio semper incensi, F *operâ Hieronymi Castro Placentini anno 1512. in Vicarium Generalem Congregationis iterum electi, Locum hunc tandem S. Mariæ in Viâ obtinuere, quem D. Desiderius Morellius illius Ecclesiæ Rector resignarat, quæ sanè omnia Benedicto Mariano Veneto anno insequẽte 1513. ejusdem Congregationis Vicario Generali procurante rata habuit, & confirmavit Leo X. per Bullam Romæ datam 7. Idus Aprilis ejusdem anni 1513. quæ in Archivo nostro de Brixiâ servatur. Clementem verò Lazaronum Virum celebrem ibi statim Priorem constituerunt, ut ejus operâ, sacrisque Concionibus Populo Romano Congregationis pretium innotesceret.* G *Ecclesiam hanc Parochialem ob insigne præfatum miraculum maximè venerabilem Titulo proinde Cardinalitio Julius Papa III. an. 1551. decoravit, qui D. Fulvium de Corneâ Perusinum hujus Tituli primum Card. instituit, ac procedente tempore Robertus Card. Bellarminus Tit. instauravit, & exornavit. Placet autem hìc inserere narrationem præfati miraculi, & fundationis Ecclesię, quam in Marmore ibidem imprimendam curavit D. Vincentius è clarissimâ Gente Capocciâ, è quâ pariter Petrus erat Card. ad Velum aureum stabuli prædicti Dominus, ut hìc dictum est num. 3. hinc enim discere meliùs dabitur rei gestæ veritatem*

De Cõv. & Eccl. S.Marię in Viâ quædam adnotanda.

Fulvius de Corneâ prim. Card. Tit. hujus Ecclesiæ.

Anno à Partu Virginis MCCLVI.
Alexandro IV. P. M.
Sedente.
In hac Æde,
Quæ erat olim Domus Petri Capoceij Card.
Miraculum universo Orbi
Romæque præcipuè notum
accidit.
Nocte enim aqua Putei in stabulo istius Domûs
Adeò se extulit, exundavitque;
Ut Equi in eo manentes penè mergerentur.
Novitate rei exterriti Domestici Famuli,
Et causâ diligenter investigatâ
Aquam ex ore Putei redundare,
E *In eoque Lapidem siliceum, in quo*
Beatæ Virginis Mariæ Imago depicta erat,
Supernatare conspexerunt.
Cumque illum extrahere non valerent
Omnia Cardinali Petro retulerunt,
Qui statim huc se contulit,
Deoque confisus summâ humilitate
Lapidem extraxit,
Cunctaque Pontifici enarravit,
Qui re benè discussâ, et veritate compertâ
Stabulum commutare in Ecclesiam decrevit.
Itaque Populo Romano publicis supplicationibus
indictis,
In quibus venerabilis iste Lapis
Ipso Pontifice comitante afferebatur
In hoc ipso loco, & prope hunc ipsum Puteum
F *Reposuit,*
Et Ecclesiam extruxit nuncupatam
Sancta Maria in Viâ.
In hoc autem Puteo multor. Reliquias Sanctor.
Et præsertim de Petrâ Putei Patriarchæ Jacob,
In quo D. N. Jesus Christus resedit,
Dum mirabile illud colloquium
Cum Beatâ Photinâ Samaritanâ habuit
Reponi mandavit.
Cùm autem in potu hujus Aquæ intercessione
Sanctiss. Virginis gratia sanitatis in Ægrotos
In dies magis, magisque per tot secula
Continuaretur,
Vincentius Capoccius Marij Filius
Gentilis ejusdem Petri Capoceij Cardinalis
Animadvertens tam excelsi miraculi
Præter Putei memoriam nullum extare
G *Monumentum*
Ad temporis injuriam vindicandam
Hoc in marmore incidi curavit
Anno Sal. MDCXXI.]

Leo X. Aram, & Sacellum Annunciatæ de Florentiâ visitantibus amplissimum Indulgentiarum thesaurum perpetuis temporibus profuturum concedit.
C A P. XIX.

LEO Summus Pontif. avitæ suorum pietatis, & religionis erga sacratiss. B. V. Annunc. de Fl. Imaginẽ non immemor, atque in primis Petri de Medicis Avi
H sui clarissimi munificentiam mente revolvens, quod proprio ære Sacellum illud marmoreis ornamentis annuo commeatu, & sacrâ supellectili exornasset, ex proprio mentis affectu amplissimam Indulgentiarum Bullam ad fidelium salutem reparandam hoc anno eidem Sacello edixit. Cur .t. autem Summ. Pontif. in die Nativ. Dominæ nostræ octavâ Septembris, quàm Annunsiationis pro mense Martio ejusmodi Indulgentias concesserit, nec ratione, nec mysterio vacat. Quandoquidem si tempus spectetur, id populis confluentibus commodius, id jucundius, & absque Paschali impedimento aptius à Pont. censebatur: nihilomi-

hilominus, si in aliquale non contemnendum mysterium mens contemplantis elevetur, id factum accepi olim ego à senioribus nostris Summo Pontif. consilio, ut locus ille eodem tempore venerationi à cunctis fidelibus præsertim Florentinis haberetur, quo septem eorum Cives Divinâ gratiâ illustrante convenerunt pro eo sodalitio Fratrum Servorum B.V. fundando, ex quo postmodum prodiret ab octavâ die Septembris percelebris hæc Religio in Urbe Florentiâ. Earum verò literarum compendiosus tenor, quamvis in atrio ante illam Ecclesiam legentibus conspicuus habeatur, juvat tamen easdem literas .2. hoc loco ad verbum referre.

Bulla perpetui Jubilæi ad Sacellū Annūciatæ de Flor. pro die 8. Sept.

LEO Episcopus servus servorum Dei universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm semper Virginis Dei Genitricis Mariæ pientissimæ humani generis sospitatricis celsitudinem contemplamur, utpote quæ Divinorum Ærarij beneficiorum, atque thesauri fidissima custos, ac splendidissima dispensatrix semper foventibus mortalibus munifica dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuat, nec dies ulla, ac nec momentum quidem tenue ejus transcurrat beneficijs ociosum, quin mari terrâque protegat homines, & depulsis vitæ procellis salutarem porrigat dexteram, quo fit, ut hanc superi colant, venerentur mortales, observent Inferi, ob id duximus nostras esse partes, Fana, sacraque in sui nominis celebritatē cūctu locu gratijs, & spiritualibus ornamentis abunde, ac magnificè decorare. Quapropter cùm celeberrimum Divæ Annunciatæ Florentiæ sacellum, à maioribus Domus, & familiæ nostræ de Medicis, ut nobis lucidissimè constat, magnis auri copijs abundè fusis à fundamentis erectum, marmoreis, altisque constructum pretiosis lapidibus; sericis insuper, argenteisque innumeris ornamentis decoratum, quod triginta lampades in gyrum pendentes die, noctuq; eorundem impensa lucentes illustrant. Piantissima Virgo propriam, suamque Sedem ad beneficia, gratiasque mortalibus conferendas elegerit, quod Statuarum, & Imaginē in Ecclesiā distinctissimus Ordo, necnon populorum ex universis Oris, & partibus eòdem agminatim confluentium attestatur frequentia, atque concursus; ideo dignè spiritualium honorū muneribus præfatum Sacellum in honorem ejusdē Virginis (quæ pro universo populo Christiano sedula exoratrix est ad Dominum) erectum, quantùm in nobis est decrevimus honorare. Cupientes igitur, ut idem Sacellum seu Capella & Ecclesia, in quā est conditum, & onera eisdem Capellæ, & Ecclesiæ, ac dilectis filiis Fratribus Domûs ejusdem Ecclesiæ Beatæ Mariæ Servorum Ordinis Sancti Augustini pro tempore incumbentibus pro sustentatione Fratrum dicti Ordinis, qui ibi in Divinis in numero satis notabili, & copioso deserviunt, & manutentione fabricę Ecclesiæ, Capellæ, & Fratrum prædictorum, ac Divini cultûs augmento, necnon subventione, & eleemosynis pauperum, & miserabilium personarum, quæ inibi quotidie fiunt, commodiùs perferri possint, congruisque frequententur honoribus, & in debitā veneratione à Christi fidelibus habeantur, ipsique fideles eò libentius devotionis causa ad illas confluant, quò ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberiùs conspexerint refectos, ac devotionis nostræ particularis, & dilectorum filiorum totius populi Florentini, honorisq; dictæ Capellę, & animarum eorundem fidelium salutis consulere volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostrâ merâ liberalitate de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus prædictis, verè pœnitentibus, & confessis, qui Capellam prædictam qualibet die sabathi totius Anni mille annos, & totidem Quadragenas; ac in omnibus, & singulis ejusdem Beatæ, & Gloriosæ semper Virginis Mariæ festivitatibus, videlicet Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, Sanctę Mariæ de Nive, necnon Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ac Veneris, & Sabbathi Sancti majoris Ebdomadæ Solemnitatibus, & diebus duomillia Annorum, & totidem Quadragenarum de injunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Necnon prædictis, ac defunctorum parentibus, affinibus, vel amicis, & alijs Christifidelibus, qui per se, & si infirmi, vel aliàs quomodolibet impediti, seu detenti fuerint, per alium, seu alios etiam pro expiatione animarum eorum, qui Deo uniti decesserunt, aliquid eroguverint, seu transmiserint, ac erogari, aut transmitti fecerint, ut omnibus orationibus, quæ singulis diebus in dictā Capellā recitantur, seu recitabuntur, participes fiant, & in festo Nativitatis ejusdem beatæ Mariæ Virginis, à primis Vesperis usque ad Occasum Solis diei sequentis dicti festi, per se, aut per alium, si, ut præmittitur, impediti, vel detenti devotè visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, remissionem concedimus, & elargimur. Et nihilominus, ut fideles ipsi dictam indulgentiam commodiùs consequi valeant, dilecto filio Priori pro tempore existenti dictæ Domûs, vel deputando ab eo per quatuor dies naturales ante, & quatuor post dictum festum immediatè sequentes, tot Patres aliàs de jure habiles, de quibus sibi videbitur, qui eosdem Christifideles utriusque sexûs pro dicta plenaria indulgentia consequenda ad ipsam Ecclesiam pro tempore accedentes, confessionibus eorum diligenter auditis, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis ijs, quæ in Bulla, quæ in Cœna Domini legi consuevit, continentur, absolvere, ac eis pro commissis pœnitentiam injungere. Ac vota quæcunq; Ultramarino nimirum, Beatorum Apostolorum Petri, &

Pauli

Pauli de Urbe, & Sancti Jacobi in Compostella, ac Religionis, & Castitatis votis duntaxat exceptis, per eos forsan emissa in alia pietatis opera commutare. Omnes verò, & singulos Advenas, & Peregrinos, qui ad ipsam Capellam ex voto, vel devotione se contulerint, toties quoties opus fuerit, etiam in dictis casibus absolvere, & pœnitentiam salutarem injungere, eisque Eucharistiæ Sacramentum ministrare Diœcesani loci, & parochiani, seu parochianorum licentiâ super hoc aliàs minimè requisitâ, liberè, & licitè valeant, deputandi, ac præmisso tempore dictæ plenariæ Indulgentiæ eisdem infirmis impeditis, seu detentis, erogantibus, vel transmittentibus, & cuilibet ipsorum Confessorem similem, qui eos similiter absolvere, & vota prædicta commutare valeat, eligendi plenam, & liberam authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus. Quodque Indulgentia plenaria prędicta sub quibusvis revocationibus, & suspensionibus, quarumvis indulgentiarum plenariarum, etiam per nos vel dictam Sedem in favorem fabricę Basilicę Principis Apostolorum de Urbe, & S. Annunciatæ nunc, & pro tempore factis, & dicto Priori, vel deputando ab eo intimatis nullatenus includatur, nisi in eis de illâ fiat expressa mentio de verbo ad verbum, authoritate prędicta decernimus. Volumus autem, quòd eleemosynæ ex dictis oblationibus percipiendę in reparationem, & utilitatem Capellæ, Ecclesię, & Fratrum prædictorum converti debeant. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo quartodecimo sexto Kal. Maij Pontificatûs nostri Anno secundo.

Gratis de mag. S.D.N. Pap. A. Draco.

Jac. Sadoletus.

Per idem tẽpus habetur Cõventus .3. Congregationis, in quo Vic. Gener. eligitur M. Clemens Lazatonus de Brixiâ Vir procul dubio in omni virtutum genere rarus, quique inter cæteras naturæ, & animi dotes plurimùm in concionibus valuit, quam sanè dicendi copiam his temporibus in templo S. Laurentij in Damaso, & in Cathedrali Januensium ostendit, cùm plurimùm gratiæ omnibus in locis semper assecutus fuisset.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

1 *Repetit hoc loco author circa tempus ejusmodi Jubilei, quæ fusiùs habet centuria prima lib. 1. c. 5.*

2 *Ex proprio originali, quod Florentię inter res sacras ejusdem Sacelli Annunciatæ servatur.*

3 *Albris. de Vic. Gener. Congreg.*

Aliorum Ordinis nostri Conventuum refertur origo.
CAP. XX.

Hisce temporibus Loca quædam in varijs Italiæ partibus, & extra Italiam Ordini Servor. accedunt, hic proinde cum eorum origine, cæterisque memorandis recensenda. Primùm sanè Communitas Lendinariæ fundum largitur extra Oppidum ad Ripam Athesis Fluminis celeberrimi in Ditione Venetorum, ut inibi pro Ordine Servorum construeretur Ecclesia, operâ potissimùm D. Bellini Laurentij de *Lendinariâ*, recipiente nomine Ordinis P. Seraphino de Veronâ die 12. Junij 1513. Promota verò fuit Conventûs, & Ecclesiæ D. Rocho consecratæ fabrica ex pluribus Christifidelium eleemosynis in Tarvisinâ Provinciâ. Referendum huc pariter arbitror Conventum S. Mariæ Oppidi Estensis in Diœcesi Patavinâ ejusdem Provinciæ, quatenus hoc tempore dignoscitur esse Vicariatus Patavini nostri Cœnobij, deinde Prioratus, & vulgò dicitur *La Madonna del Pilastro in Este*. Cæterùm adhuc nos latet, quis, quo tempore, quave ratione fundationem hanc promoverit. Anno autem 1514. propè Oppidum *Revest* vulgò *du Belvedere*; in Diœcesi Sistariensi, vulgò *Sisteron* apud Gallos in Provinciâ Narbonensi super amœnum Collem Locus est Ord. Servorum sub Tit. S. Mariæ, quem hoc anno recepit nomine ejusdem Ordinis P. Hieronymus ex nostris à S. Salvatore Montisferrati, ibique magnâ veneratione colitur Imago quædam B. V., quæ dicitur S. Mariæ Gratiarum ob varia beneficia, quæ Populi omnes etiam exteri eò confluentes recipiebant. Annis autem insequentibus in planitie eidem Colli proximè subiectâ Conventum alium à fundamentis excitavit nobilis Vir de Matthæis Regius Juris utriusque Professor, & Parlamenti Aquensis Senator, seu Consiliarius. Perseverat autem adhuc in Colle prior Domus, in quâ Fratres morantur. Eodem anno Nicolaus Malacrida de Como Ordinis nostri Vir egregius apud *Marignanum*, seu *Melegnanum*, seu *Melinianum*, Oppidum Ducatûs, ac Diœcesis Mediolanensis, Feudum clarissimæ Gentis Mediceæ, è quâ Summus Pontifex Pius IV. originem duxit, Domibus quibusdam pretio comparatis, largâ Piorum ope accedente, Conventum, & Ecclesiam suo Ordini construere cœpit sub Tit. S. M. Gratiarum, promovit, auxit, complevit, ipsumque Locum perpetuò, quandiu vixit, laudabiliter administravit, facultate primùm acceptâ ab Angelo Bonuccio de Aretio totius Ordinis Servorum B. M. V. Priore Generali anno 1513. construendi, & recipiendi Locum hunc, & quemcunque voluisset nomine ejusdem Ordinis, ipsumque perpetuò administrandi; anno deinde 1514. annuente, &

Conv. de Lendinariâ.

Conv. S. M. Oppidi in Este.

Conv. S. M. Revest, seu Belvedere.

Conv. 2. de Revest.

Conv. S. M. de Marignano.

Facultatem concedente Bona immobilia emendi, & eundem Locum ædificandi a Maximiliano Mariâ Sfortiâ Vicecomite Mediolani Duce, datis ab utroque Literis, quæ in hoc Conventu adhuc servantur sequentis tenoris.

Lit. pat. Angeli Gen.

F. *Angelus de Aretio S. Theologiæ humilis Professor Fratrum Servorum Divæ Mariæ Ordinis S. Augustini Prior Generalis, licèt immeritus. Dilecto Nobis in Christo F. Nicolao de Como nostri Ordinis salutem, & pacem in Domino sempiternam in eo, qui vera salus est. Zelus Religionis nostræ, curáque Officij mentem nostram continuò pulsant, & admonent vigilare, ut ipsa Religio magis, ac magis in dies ad Dei laudem, & frugem Animarum merito, & numero augeatur, & crescat, novas plantationes habeat, & Domino protegente plurimos palmites producat, latéque extendatur, necnon & Locorum incolas spiritualium gratiarum, quibus à Sede Apostolicâ decorata gaudet, participes efficiat. Cùm igitur dilecte fili nobis exposueris, quòd jamdiu tuum desiderium fuerit pro Religionis amplificatione Ordini nostro aliquem unum locum acquirere, & nos cognoscentes hoc fore laudabile, & in honorem, ac utilitatem Ordinis nostri cedere, & in salutem Animarum provenire, nedum dignum, ac congruum existimamus, non solùm quoniam de Republicâ benemeriti sunt, sed etiam eos, qui pro eâdem laborare, ac insudare desiderant, favoribus, & gratijs fore prosequendos, ut ipsi, cæterique eorum eò promptiùs animentur ad religiosorum augmentum. Idcirco præsentium tenore, & auctoritate Officij nostri Tibi liberam licentiam damus, & concedimus, quatenus unum Locum Modœtiæ, aut ubicunque volueris Ordinis nostri nomine, à quavis personâ Ecclesiasticâ, vel seculari Communitate, vel Collegio verâ, ac liberâ largitione donetur, acquirere possis, & valeas sub nomine regularis Observantiæ generalis cum ijsdem conditionibus, quas habent, vel quibus decorati sunt à Prædecessoribus nostris Fratres nostri Crovariæ, quas includi hîc de verbo ad verbum volumus, & omnino observari intendimus: constituentes insuper Te Vicarium nostrum cum potestate duos, vel tres Fratres nostri Ordinis assumendi, & plures, si opus fuerit, necnon & quoscunque ad Ordinem nostrũ venire volentes, recipiendi, servatâ tamen in omnibus nostri Ordinis Constitutionum formâ, ita tamen quòd Personæ illius Conventûs, & Bona soli, & immediatæ ditioni Generalis Ordinis subijciantur, & quòd nullus ejus inferior Vos, Conventum, & Bona vestra molestare præsumat, sub pœnâ Excommunicationis latæ sententiæ, & privationis Officij, constituentesque Te Priorem illius Loci, seu Conventûs in perpetuum, & post decessum tuum Fratres illius Loci possint eligere sibi Priorem, quem voluerint, committentésque Tibi in eodem Loco, & super quoscunque ibidem habitantes, omnes, & quascunque vices nostras in temporalibus, & spiritualibus, quæ de jure, & Religionis consuetudine, & privilegiorum nostrorum vigore hujusmodi Vicarijs concedi solent, concedentes pariter Tibi in tali Loco facultatem, & authoritatem Ecclesiam cum campanili ædificandi, cœmeterium cum Domibus, Locis, Hortis, & Hortalitiis, & alijs necessarijs Officinis construendi, ibique cum socijs tuis standi, habitandi, & quibuscunque gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, Indultis, & Privilegiis Ordini nostro concessis, & in futurum concedendis, utendi, gaudendi, ac uti, gaudere possis, & valeas. In quorum omnium fidem has præsentes scribi fecimus, & sigilli nostri Officij, quo utimur, impressione roborari jussimus.*

Dat. Mediolani in Conventu nostro Servorum in Capitulo Provinciali ibidem celebrato anno Domini 1513. die Veneris 16. Aprilis cum nostræ propriæ manûs solitâ subscriptione, videlicet. Dominus illuminatio mea.

Maximilianus Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani. Papiæ Princeps, Angleriæ Comes, ac Genuæ, Cremonæ, & Asti Dominus &c.

Nomine F. Nicolai de Como Ordinis Fratrũ Servorum Divæ Mariæ S. Augustini, accepimus supplicationem tenoris hujusmodi, videlicet. Illustrissime, & Excellentissime Princeps. Cupit D.V. ad Deum Orator F. Nicolaus de Como F.F. Servorum D. Mariæ S. Augustini emere in Burgo Lambri Terræ Vestræ Melegnani pro summâ Ducatorum tercentum in pluribus vicibus nonnulla sedimina, et Domûs pro ædificare faciendo Ecclesiam, & Monasterium unum d. sui Ordinis. Verùm cùm extet Decretum Civitatis Mediolani contra hoc, & ejus mentem, quòd Bona secularia in Ecclesiasticam Personam non transferantur absque libito Ducis, supplicat humiliter D. V. ut ea dignetur indulgere, & concedere, quod d. Orator supplicans valeat Bona pro summâ prædictâ liberè acquirere, & emere, non obstantibus aliquibus Decretis, ordinibus, & statutis, quibus hac vice derogare eadem D.V. dignetur. Nos autem consideratis præmissis omnibus, volentes ipsius supplicantis desiderio, utpote honesto, annuere, harum serie concedimus, & dispensamus, quantùm in Nobis est, ipsum supplicantem, Bona immobilia, prout requirit, pro summâ Ducatorum tercentum emere, & acquirere posse, aliquibus in contrarium facientibus non attentis, quibus omnibus, & singulis ex certâ scientiâ, & de nostræ potestatis plenitudine hac in parte tantùm derogamus, bonis tamen ipsis cum onere suo transeuntibus, & sine præjudicio jurium tertij, ac fori declinatione, quibus nullo pacto non intendimus derogare. Mandantes quibuscunque pertinet, & spectabit, ut has nostras concessiones, & dispensationes literaliter observent, firmiterque servari faciant. In quorum testimonium præsentes fieri jussimus, & registrari, nostrique sigilli impressione muniri.

Rescriptum favorabile Ducis Mediol.

Dat. Laudæ die 30. Augusti. 1514.

Ingruentibus autem procedente tempore Bellicis tumultibus universo Orbi notissimis, in eo Ducatu, Locus hic noster eversus funditus

tùs jacuit, donec PP. Vincentius primum Bianchi de Varisio, Paulus deinde pariter Bianchi ejusdem Vincentij Nepos, rebus in pace compositis, Locum hunc nostrum pristino restituère decori, quinimmo in ampliorem, & decentiorem formam redegerunt, prout dicendum fusiùs erit ad annum 1542., sicut & ad annum 1661. referenda nobis erunt plura gratiarum genera intercessioni tribuenda B. V. Dolorosæ, cujus Imago ibi summâ veneratione colitur.

Ædificatur de novo Conv. & Eccl. de Marignano.

Anno pariter 1515. in Villâ Corbariæ, proximâ Seravitiæ, mediâ inter âtiquissimas Terras Corbariam, atque Vallecchiam Diœcesis Lunensis Sarzanen. in Ditione Magni Ducis Etruriæ, Ecclesia quædam olim sub Tit. S. Andreæ, modò verò S. Mariæ Gratiarum Ordini nostro accedit. Hanc simul, & fundum quendam jure proprio ad se pertinentia Joannes Marconus Vir illius Villæ primarius filio suo F. Jacobo, seu F. Eliseo ejusdem F. Jacobi Patruo, qui in Conventu Servorum de Lucâ jampridem S. Habitum nostrum induerant, dono dedit, ubi Monasterium construere cœpit Conventui prædicto de Lucâ tanquam capiti membrum unitum. Successores autem in ampliorem formam nostrâ potissimùm ætate, quâ scribimus, redegerunt, & Ecclesiam variè exornarunt: annis demum sequentibus ab unione Conventûs Lucensis exemptum, in Prioratum absolutum instituerunt, quòd fusiùs dicendum erit ad annum 1667. Quæ autem hîc de origine Conventûs hujus dicuntur, tum ex narratione didicimus, quam scripram reliquit anno circiter 1616. P. M. Bartholomæus Luchetti de Seravitiâ Ordinis nostri Vir egregius, de quo ad annos 1565. 1570. & 1578., & hunc Locum ab anno 1609. ad 1622. usque, quo ex hac vitâ migravit, valde laudabiliter administratum plurimum auxit, quâ quidem in narratione refert ex hoc Loco prodijsse P. M. Bartholomæum *del Medico* Virum in Theologicis, & Mathematicis facultatibus præstantissimum, quique in Universitate Ticinensi Mathematicas Facultates professus Alumnum habuit, ac successorem in eâdem Universitate Philippum Ferrarium Alexandrinum è nostris Virum Orbi Literario plusquam notissimum; tum, inquam, didicimus ex Literis patentibus Hieronymi Luçensis Ordinis Serv. Prioris Generalis, tenoris, qui sequitur.

F. *Hieronymus Amadei Lucensis Theologorum minimus totius almi Ordinis Fratrum Servorum B. Dei Genitricis Mariæ Regularis Observantiæ sub Regulâ S. Augustini Prior Generalis licèt immeritus Ven. PP. F. Aloysio, F. Eliseo, F. Jacobo Lucensibus, nostrique Conventûs Lucæ Professis, ac F. Juliano de Pisis filijs in Christo Nobis plurimùm charitate dilectis salutem, & largissimam in Domino benedictionem. Sacræ nostræ Religionis in Vineâ Domini plantatæ multis cœlestium gratiarum imbribus irrigatæ, & Apostolicæ Sedis plurimis* A *privilegiorum præsidijs, & splendidissimis ornamentis inter cæteras fulcitæ, Nobisque, licèt imparibus, demandatæ, zelus Nos valde excitat, ac monet, ut ejus in universum cultus, & incremento invigilemus, instantiùs, ac propensiùs invitemur, quò disponente Domino latiùs propagata, diffusaque clarius, flores quoque devotionis vernantes, & multiplices sanctitatis fructûs valeat uberiores reportare. Quare cùm alias, ut Nobis compertum est, Joannes Marconis de Seravitiâ F. Jacobo nostro prenominato ejus ipsius filio legitimè nato, quendam Fundum in vocabulo, seu Villâ Corvariæ, Communis Seravitiæ, per Instrumentum publici Notarij in solemni formâ coram testibus factum nomine, vice, ac jure hæreditariæ portionis, seu partis* B *assignaverit, in quo ipse F. Jacobus præfatus jam Ecclesiam, sive Oratorium extruere cœperit, Nobisque præsentibus, atque Officij nostri auctoritatem interponentibus omnes Fratres Cõventûs Nostri Lucæ, ad quem is fundus jure hæreditario ipsius prædicti Fratris Jacobi Lucensis pertinet in unum per Priorem Capitulari solemnitate pro more congregati, ex communi voto, sententiâ, & consensu facto per publicum etiam Notarium coram testibus, Instrumento, & ipsius fundi prædicti jam, ut supra diximus, assignati possessionem acceperunt, atque pro quodam devotionis, & spiritualis misericordiæ affectu, ac benignâ in convicinos Populos ex se liberalitate, commoditatèque liberaliores ibidem Ecclesiam simul, & Monasterium erigere* C *decreverunt, necnon ipsum Monasterium, & Ecclesiam in membrum ipsius nostri Lucæ Conventûs susceperunt, elegerunt pariter, & cum nostræ Auctoritatis intercessu constituerunt. Quapropter Nobis iisdem et præsentibus, & approbantibus; quo res ipsâ certiorem sortiretur effectum, nec ejus tam laudabilis boni spes optata fraudetur de Charitatibus vestris, quorum vitæ insignis Religio, rerum usus, morumque nitor, & necessaria in cunctis rebus solicitudo, ac diligentia liquidò perspecta sunt, plurimùm confidentes ad hujusmodi opus conficiendum elegerunt, & constituerunt. Ac primum quidem ex vobis Ven. P. F. Aloysium Conventûs nostri prædicti Lucę professum in vestrum in præfato Monasterio, seu Conventu aliqqui supradicti Con-* D *ventûs nostri Lucæ membro, Priorem, & Animarum vestrarum in temporalibus, & spiritualibus, perpetuum Pastorem, & Gubernatorem concorditer statuerunt. Cui cùm decedere contigerit, Ven. P. F. Eliseum, post quem etiam F. Jacobum ipsum, cujus jure ipsa prædicti fundi possessio ad nostrum prędictum Conventum Lucę jure pervenit, atque post eum prędictum F. Julianum de Pisis, alterum post alterum in omni vestrûm singulorum vitâ successionis perpetuę Priorem, dum tamen fide, studio, diligentiâ, & vitę modestiâ se gesserit, quisque subrogarunt. Nihil prorsus attamen contra jus Conventûs nostri ipsius prędicti Lucę intendere volentes. In cęteris autem vestrę ordinatim curę, &*

Lit. Pat. Hieronymi Lucen. Gen. pro Conv. Corbariæ.

extru-

extruendi ipsius Monasterij cum Ecclesiâ, atque in omnibus pertinentijs pro habiliori, & commodiori Fratrum, quantum fieri potest, habitatione, & rei augendę, liberam, plenamque Provinciam, atque onus imponentes, ac demandantes. Quę omnia, & singula supradicta, ut prefertur, Dilectionibus vestris humilimè, subnixéque cum omni supradicto Capitulari Fratrum omnium predicti Conventus nostri Lucę consensu, & flagitanti instantiâ supplicantibus, tenore presentium omnimodâ nostrę auctoritatis concessione consentimus, concedimus, largimur, & rata omnino decernimus, confirmamusque, cum plenâ facultate, omníque prorsus omnium, & quorumcunque nostrorum inferiorum super predictis, & infrascriptis subsequentibus impedimento, & contrarietate, seu contradictione quoquo modo rejectâ, roboramus. In ceteris verò, quantùm pro justitiâ ad benè, beatéque vivendum attinet, Primò Priori, & Capitulo Fratrum pro tempore Conventûs nostri antedicti Lucę, deinde, si opus fuerit, Priori etiam Provinciali pro tempore subjicimus. Dantes predicto Priori, tam predicto F. Aloysio Lucensi, quàm vobis ceteris successivè Patribus antedictis, dum Prioratûs inibi officio fungemini, omnes auctoritates, ac liberam & omnifariam in temporalibus, & spiritualibus potestatem, salvâ tamen reverentiâ, ac iure, ut diximus, Prioris, & totius Capituli in omnibus FF. Conventûs nostri Lucę predicti, quę hujusmodi dari, concedive solent. Condonantes insuper benignam, ac opportunam ubique mendicandi facultatem, cum omni, omnium, ac singulorum, & Indultorum, & Privilegiorum nostro Ordini à Sede Apostolicâ concessorum accessu. Necnon quò melius vobis in vestris necessitatibus subvenire valeatis iisdem Ecclesias quascunque curare, Officia in eis, & Missas celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta administrare possitis tantundem concedimus per presentes. In quorum omnium, singulorumque fidem, & perpetuę firmitatis robur, has nostras presentes per Cancellarium nostrum scribi, & registrari fecimus, ac officii nostri sigilli maioris iussimus appensione muniri.

Dat. Lucę in nostro Capitulari commorantiû Fratrum Conventu Anno Domini 1526. die 10. Februarii, cum subscriptione manûs nostrę Nobis consuetâ, videlicet. Montes in circuitu ejus.

Conv. S. Marię de Solarolo.

Recolendus denique hoc anno 1515. est Conventus S. Mariæ Servorum de Solarolo in Diœcesi Faventina, tunc enim Hieronymus Fuscus de Faventiâ, Vir celeberrimus nostri Ordinis, de quo passim in hac Centuriâ, maximè verò ad annum 1532., postquam Sacras Conciones ibidem per Quadragesimam habuisset, sacram quandam Ædiculam SS. Sebastiano, & Rocho dicatam ab eâ Communitate, quæ illum singulari plausu exceperat, obtinuit. Eam verò in ampliorem formam redegit, totumque Cœnobium à fundamentis erexit, exornavit, & annuo commeatu pro Fratribus instruendum, ac demum an. 1518. confecrandam curavit Ecclesiam per D. Ray-

A mundum de Gratianis de Cutignolâ Archiepiscopum Ragusinum ad honorem B.M.V. die 8. Septembris, Nativitatis ejusdem Festo, quæ proinde dicta vulgò est: *La Madonna de' Servi di Solarolo.*

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

Singula in hoc Cap contenta è monumentis eorundem Conventuum colliguntur.]

In comitiis Gener. Bononię agitur de procuranda canonizatione B. Philippi; & dum Angelus Gener. pro Lateran. Concilio laborat, Hieron. Fuscus veniâ & gratiâ à

B *Pont. obtentâ, è Lugdun. coelitab. ad Ord. revertitur.*

CAP. XXI.

Generalem conventum .1. & Patrum numero, & rerum uberrate conspicuum Bonon. die 26. Maij celebrat hoc anno Ordo noster cum âplissimis Indulgentiis à Leone X. concessis more prædecessorum suorum cum summâ facultate Pœnitentiariorum, & alijs solemnitatibus per eadem tempora consuetis, .2. prout ex ejusdem Apost. literis Romæ datis 12. die Januarij colligitur, quæ sunt sequentis tenoris.

LEO P.P. X.

C

Breve SS. Leonis X. pro Indulg. Capit. Gener. Bononię celebrādi.

[*Universis Christifidelibus presentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Ordinis S. Augustini Capitulum Generale pro eorundem Fratrum, & personarum, necnon Conventuum, domorum, & locorum ejusdem salubri reformatione, eorumq; dirigendo statu, & certis alijs causis arduis in domo S. Mariæ Bonon. Civitatis Ordinis predicti die 26. proximi Mēsis Maij Sacri Numinis gratiâ præeunte sit celebrandum, ad quod magna Fratrum, & personarum ejusdem Ordinis confluet multitudo, Quorum sustentationi domus præfatæ nullatenus suppetunt facultates, unde Christifidelium suffragia plurimùm fore necessaria noscuntur:*

D *Nos cupientes, ut Fratres, & personę proprię in celebratione præfata decenter sustententur, ipsique fideles pro eorum sustentatione eò promptiùs manus porrigant adiutrices, quò ex hoc cœlestis gratię munere uberiùs conspexerint se refectos, de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad sustentationem Fratrum, & personarum, in Capitulo hujusmodi convenientium de bonis sibi à Deo collatis per se, vel alium manus porrexerint adiutrices, seu à primis Vesperis Ferię Quintę maioris hebdomadę proximę futurę, & per totum diem sequentem ejusdem hebdomadę*

 quas-

qualibet, & singulas Ecclesias dicti Ordinis ubilibet constitutas, seu aliquam illarum devo- E *tè visitaverint, & pro sustentatione præmissâ de bonis suis piè erogaverint, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, Indulgentiam, & remissionem in Domino elargimur: & nihilominus, ut fideles ipsi hujusmodi gratiæ capaciores reddantur, Dilecto filio F. Angelo de Aretio dicti Ordinis Priori Gen., & Sacræ Theologiæ Professori per se, vel ab eo deputandos tot quot expediverint idoneos Confessores, qui fidelium eorundem Confessiones audire, illosque ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, ac pœnis, & Censuris ecclesiasticis, & delictis quantumcunque enormibus, etsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica meritò foret consulenda, exceptis casibus in bullâ Cœnæ* F *Domini contentis absolvere; Vota verò quæcunque, Ultramarino, Visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, ac S. Jacobi in Compostellâ, & Sanctæ Mariæ de Laureto continent., & Religionis votis duntaxat exceptis in subsidium, & sustentationem Capituli hujusmodi commutare possint, & valeant, deputandi, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium licentiam concedimus, & facultatem, volumus autem, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ præcipimus, quòd oblationes, eleemosynæ, & quorumcunque Christifidelium suffragia hujusmodi in sustentationē Fratrum, & Capituli prædicti pro unâ; pro aliâ verò medietate in fabricam Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe duntaxat, & non in alios usus convertantur:* G *Absolutionem verò eorum, qui per directum, vel indirectum, aliter de ipsis oblationibus disposuerint, vel fraudes commiserint, nobis specialiter reservamus, nec præterquam in mortis articulo absolvi eos volumus: & sub eisdem pœnis, & censuris quoscunq: cujusvis conditionis, dignitatis, & status fuerint, esse volumus, & decernimus, qui quomodocumq: præsentium literarum promulgationem, & executionem ausi fuerint impedire. Non obstantibus Cōstitutionib., & Ordinationibus Apostolicis, necnon revocationibus, suspensionibus, ac literis nostris, & in subsidium fabricæ Ecclesiæ S. Petri præfatis factis, cæterisque contrariis quibuscunq;. Cæterum, quia difficilè foret præsentes literas ad singula loca, ubi expedient fuerit, deferri. Vo-* H *lumus, & eâdem auctoritate decernimus, quòd earundem literarum Transumptis manu publici Notarij signatis, & alicujus Prælati Ecclesiastici, vel dicti Ordinis Prioris Generalis Sigillo munitis, ubicunque illa exhiberi contigerit, ea prorsus fides in judicio, & extra ubique adhibeatur perinde ac si ipsæ Originales literæ exhibitæ, vel ostensæ fuerint, præsentibus hoc anno pro tempore, & diebus, ut præfertur, nominatis duntaxat valituris. Volumus insuper, quòd in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus, quibus Indulgentiæ prædicabuntur, & publicantur, una arcula, seu Capsa, aut Truncus constituatur, ubi oblationes, & eleemosynæ as-* E *serventur, cum tribus clavibus, quarum una earum Ordinarij, vel eorum Vicariis, & Rectores dictarum Ecclesiarum, aliam Guardianus alicujus Domus Ordinis Minorum de Observantiâ de familiâ nuncupatorum, si erit in locis prædictis; Tertiam Prior loci dicti Ordinis Servorum à Priore Gen. deputatus tenere debeant, & illâ apertâ, omnes pecunias in eâ compertas dicto Priori Gen. seu ejus Commissarijs assignare, deque illarum numero nos certiores reddere debeant. Quibus Priori Generali, & Commissariis, & quibuscunq. aliis ad administrationem hujusmodi pecuniarum per eum quomodocunque deputandis, nihilominus sub excommunicationis latæ sententiæ, à quâ nisi à Nobis absolvi non possint, pœnâ mandamus, ut* F *partem ipsarum pecuniarum ad fabricam prædictam S. Petri de Urbe spectantiū ad Nos seu ad dilectum filium nostrum Ber. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem ejusdem Fabricæ Præfectum integrè fideliterque transmittant.*

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Januarij MDXV.

Pontificatus Nostri Anno secundo.

Jacobus Sadoletus.]

Solemni porrò celebritate hæc Comitia habita fuisse indicat, quod Fratri Laurentio .3. de Florentiâ mandatur, ut pretio- G siora paramenta Ecclesiæ Annunciatæ Bononiam ad Cap. deferantur. In ijs vero Comitijs Magister Augustinus Filippus .4. Florent. Gener. Orator in Curiâ luculentam habuit orationem ad Patres de procurandâ totis viribus canonizatione B.P.N. Philippi, cujus præter cæteras rationes una potissimum hæc fuit, quod indulgens, & benignissimus Pontif. Leo nihil fortasse jucundiùs audire posset, quam quod sibi Florentino Patritio concivis Florentin. Philippus Benitius canonizandus proponeretur; cujus tandem munificentiâ, & liberalitate optatissimum hoc ab antiquis annis Patrum desiderium tantopere, & tam frequenter superioribus annis tentatum, authore Leone ad finem tandem perduceretur: hac H igitur oratione eloquentissimis argumentis exaratâ, totus Ordo unà cum Patribus de Congreg. commotus, gravissimum hoc negocium ad Anton. Card. Protect. deferendum esse decrevit. Interea mandavit Angelus Gener. ut quæ superiori tempore, & Christophori Justinopolitani solertiâ, & Antonij Alabanti studio de B.Philippo collecta fuisset in unum codicem redigerentur, ex quibus D. Protector Summum Pont. .5. certiorem redderet, quam meritò, & de jure Philippus noster inter Sanctos referri posset. Ut autem viris, & mulieribus magis, ac magis B. Philippi gestorū fama evulgaretur M. Cosmo de Florentiâ erudito, ac pro viro mandatur;

Agitur in Comit. de procurandâ Canonizatione B.P.N. Philip.

ut ex aatiquis monumentis etrufco fermone debear confcribere vitam ejufdem B.Philippi quod ftatim fummâ cum diligẽtiâ.6.implevit. Cæterùm Concionatoribus, Confeffarijs, alijſque gravioribus Patribus diftricte mandatum fuit de colligendo à pijs hominibus ære pro hujufmodi perficiendo tam fumpruofo negoc o. In ijs pariter Comitijs illud ex vivæ vocis otaculo Summo Pontif.renovatum fuit, quod olim 7. Martinus Papa V. concefferat, ut ad amplificandum Ordinem in locis exiguis, & ruralibus, ij Patres ad longum tempus Ptiores confirmari poffent, qui aut loca illa fundaffent, aut acquifiviffent, & fuo ftudio, & exemplo amplificaffent; inter eos verò appatet in his Comitijs confirmatus Fratet Lazarus de Rhegio pro perpetuâ adminiftratione Conventûs de Scandiano, quod & de multis alijs dicendum prætermitritur. Non minori apparatu Patres de Congr. fua Comitia Mantuæ celebrant, de quibus hæc habet Philippus Albrif. *Mantuæ habuerunt conventum Patres de Congreg. mirâ populi frequentiâ, & rerum copiâ. Difputarunt Hieron. Caftro Placent. Theol. fub quo Fortunatus Brixienfis refpondit. Martinus Hifp. Aragon. Theol. fub quo Agapitus de Bergomo Baccalaureus refpondit. Hier. Mandrifiai Theol. Deodatus de Brixiâ Theol. & fub eo Leonardus Brixienfis. Electus fui Gener. Vic. ego Philippus de Albericijs de Mantuâ Theol. animi quidem magnitudine erga Congr. affectus, fed poteftate tenuis; egi tamen pro viribus ne ea prætermitterem, quæ Congregationis honori, ac commodo conferre viderentur. De Patrum, ac totius conventus Gener. Congreg. confenfu antiquas Ordinis conftitutiones in noftrum Obfervantium ufum, mutatis, quæ mutanda fuerant, convertimus; quas Reverendiffimi Protectoris noftri à Sede Apoft. authoritate obtentâ, favore, ac gratiâ fanciri, & approbari fecimus. Jubileum univerfum Congreg. ac Conventualium loca hoc anno obtinuimus. Supplices etiam Reverendifs. Protect. noftrum oravimus, ut B. Philip. de Florentiâ Nobis Sanctum à Sanctifs. Patre reddi curaret, quod & fecit. Ordinis noftri initium Congregationis inftitutionem, & B. Philippi vitam hoc anno compofui. Hæc omnia patrum noftrorum fuffragio, & operâ peracta funt, nam fine ipfis tenuis mea authoritas parum valuiffet.*

Hæc Albrifius ad calcem fuæ hiftoriæ de Congreg. quam hoc anno complevit, & typis mandavit.

Per eos dies Summ.Pont..8. ut Ecclefiaftici diffidij, fchifmatifq; incendium extingueret, fingularemque interim animi fui manfuetudinem declararet Bernardinũ Carvag alem cum alijs pfeudo Cardinalibus, quos Julius II. tanquam rebelles, & perduelles purourâ privaverat, & anathemate mulctaverat, quod Cõcillabulum contra ipfum indicere, & profequi Lugduni aufi fuiffent, Romam accerfiri juffit, quibus fupplicibus, ac veniam petentibus et geftorum palinodiam recantantibus, antiquum pilei honorem, etfi magnâ quo-E rundam Patrum diffenfione, reftituit, & in Purpuratorum numerum iterum cooptavit. Aderat cum Bernardino Card. S. Crucis M. Hieron. Fufcus de Faventiâ, qui metu perfecutionis Julij II. apud quem fuerat de rebellione accufatus, Lugdunum fefe receperat, cujus doctrinâ, & eloquent â Bernatd. Côcilliabuli protector magnopere ufus fuerat, etiã ftipendio fibi ex publico ære affignato, quo declaratus fuerat publicus Concilij declamator, cumque Gallicam linguam non calleret, latinas conciones frequenter habuerat. Quâ igitur benignitate Pontificis Bernardinus, eâdem jugiter, & Hieron. Viri benè penfatâ virtute in gratiam Pont. receptus fuit, quam porro fi ab Antonio Caro. Prot ct. affecutus F fuiffet, (oderat enim Protector Hieronymum, nec unquam illum in gratiam recipere potuit) haudquaquam fefe in Petræ longæ Diœc. Faventinæ folitudinem recepiffet. Hæc dum Romæ agerentur, Angelus Generalis Lateranenfi Concilio cum alijs Patribus inferviebat, prout ex actis ejufdem Concilij fatis aperte dignofcitur. Florebat .9. eo temporis fodalitium fancti Habitûs noftri, quod Angelus Gen. per fuas literas patentes approbaverat Lavaniæ, quod eft Oppidum in Promontorio Liguftici maris non procul à Januâ per loci municipes erectum eo pacto, ut Confratres finguli quoque anno cum fuis oblationibus tenerentur publicis luftrationibus adire Patres noftros Januenfes, & eis deferre nomina defunctorum fuorum ejufdem G anni, ut pro ipfis Patres noftri orarent, quæ laudabilis confuetudo, nefcio quo pacto paucis ab hinc annis intermiffa fuerit. Perufij autem inter hæc tempora ad cœlum evolaffe B. Angelicam fororem noftram affirmât, qui de Beatis noftri Ordinis varias confcripfere memorias, cum nihil ulterius de eâ referre ex præteritorum incuriâ permittatur. Poftero interea decurrente anno 1516. cùm Ecclefia Annunciatæ de Florentiâ in novam fpeciem, & elegantiorem formam redacta fuiffet, ut alias dictum fuit, atque Summ. Pont. Leo Florentiæ ageret, Anton. Cardin. Protector Patrum precibus annuens de Pontificis confenfu Templum illud folemni ritu confecravit, ut indicat marmor ejufdem pa-H rietibus [olim infixum, nunc autem in proximo Clauftro,] per fequentia verba.

F. Hieronym. Fufcus unà cum Cardin. S.Cruc. poft Côciliab. Lugdu. in gratiam Pontif. admittitur.

Ecclefiæ Annunc. de Flor. pofterior Confecratio cum annuâ Indulgent. plenar.

Quod fciant pofteri omnes, cùm Florentiæ ageret Leo X. Pontif. Max. Ant de Mont. Tit. S. Br. Card. Ecclefiam hanc, & majorẽ ejus aram indicta quotannis plenaria accedentibus Indulgentia è mandato Sanctifs. D.PP. vivæ vocis oraculo fibi facto folemniter,

& ritè

& ritè consecravit die XVII. Januarij Christi salutis anno M. D. XVI.

Ad removendas interim contentiones .10. quæ sæpesæpius inter Aediles,& Patres ejusdē Cœnobij Annunc. exoriebantur,idem Anton. Card. de Summ. Pontif. consensu totius Cœnobij administrationem apud quindecim seniores Patres, qui ob suam prudentiam *Discreti* nuncuparentur, tanquam Senatores adiecit, quorum authoritas fuit in decernendis singulis, quæ ad honorem, & utilitatem dicti Cœnobij in posterum spectarent, & quod nihil à Præfecto Loci cæteris Fratribus proponi posset, aut ab ipsis approbari, quod priùs non fuisset ab ipsis Patribus Discretis maturè consultum,& communi deliberatione decretum; quod si aliquando nonnulli ex quindecim abessent, novem saltem ad minus ejusmodi consilijs interesse deberent. Cæterum Aediles, præter Sacelli Annunc. curam, rebus Monasterij minimè sese Implicarent.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

1 *POccciantius in Chron. & ex Monum. Conv. Bononiæ.*
2 *Bulla habetur in Archiv. ejusdem Conventûs Bononiæ.*
3 *Ex Diarijs Conv. Florentiæ.*
4 *Poccciantius, Albrisius, & alij de Canon.B. P. N. Philippi.*
5 *Ex Bullâ Beatificationis Leonis Pont.*
6 *Hæc Vita habetur conscripta inter monument. Conventûs Florentiæ.*
7 *Lit. pat. Ang. Generalis habentur in Conv. Scandiani*
8 *Ex histor. Guicciardini de Card. S. Crucis, & in Diarijs gestor. ejusdem Hieron.*
9 *Ex Monum. Conv. Genuæ.*
10 *Ex Poccciantio in Chron. & alijs Monumen. ejusdem Conv.*

Angeli Gener. querimonijs, & Antonij Protect. suasione Leo Pontif. per Apost.Lit. graviter animadvertit in Apostatas Fratrum Servorum.
CAP. XXII.

ASsidua Italiæ bella, audaxq; militum licentia infra Religiosorum claustra usque adeò irrepserant, ut etiam plerique Fratres neglecto obedientię vinculo, posthabitisque religiosæ clausuræ terminis, licenter nimis, & inverecundè gyrovagi inter seculares fierent. Hanc verò jacturam ulteriùs non ferens Angelus General. cum Protect. primùm, deinde cum Summo Pontif. vehementer conquestus,de opportuno remedio contra huiusmodi apostatantes adhibendo libellos, & supplicationes porrexerat: diversabatur autem hoc tempore Florentiæ
A hibernans Leo Pont.postquam Bononiæ Franciscum Valesium Gallorum Regem in sui obsequium, & gratiam recepisset. Is igitur Gener.querimonijs commotus occurrere volens, sequentes Apostol. liter. in ejusmodi Apostatas evulgari mandavit.

Dilectis filijs Priori Gener. & Fratribus Ord. Servorum sub regulâ Sancti Augustini. *Bulla Leonis Papæ X.in Apostatas Fratrū Servor.*

LEO PAPA X.

DIlecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. In supernæ dignitatis speculâ meritis licèt insufficientibus constituti inter curas multiplices, quibus rerum, negotiorumque
B *varietatibus obruimur, illa potissimùm Nos sollicitant, per quæ suave jugum regularis vitæ, sub quo dilecti filij Fratres Ordinis Servorum beatæ Mariæ sub regulâ sancti Augustini degunt; in dies magis prosperè de bono in melius dirigatur, & sublatis quibusvis obstaculis, ac vagandi aditu amputato præfulgeat,ad salutariter statuimus, & ordinamus, prout in Domino conspicimus rationabiliter expedire. Accepimus siquidem quòd licèt tam secundùm Canonicas sanctiones, quàm tui Ordinis regularia instituta,dicti Ordinis Fratres quacunque causâ etiam studij, seu aliâ occasione,vel recedere, vel absque licentiâ superiorum suorum,vel post ejusdem licentiæ revocationem extra Domos dicti Ordinis morari non possint, Nihilominus non-*
C *nulli ex dicti Ordinis Fratribus ægritudines corporum, & animarum passiones simulantes. Alij subveniendi parentum inopię colore quæsito. Alij verò ad studiorum Universitates absque licentiâ Superiorum huiusmodi, seu eâdem licentiâ revocatâ, accedere. & inibi morari, & quod deterius est, privilegijs Universitatibus huiusmodi,illarumque scholaribus concessis,ut liberiùs in suâ damnatâ præsumptione permanere possint, se tueri: alii verò propriæ salutis obliti, apostolicas,in quibus se professionem aut nunquam, aut infra pubertatis annos, seu per vim, & metum fecisse asserunt, litteras impetrare, ac Habitu abiecto per habitacula secularium personarum, & loca inhonesta discurrendo, cum laicis conversari non verentur. Alij verò sub prætextu*
D *habilitatis, seu dispensationis ad obtinendum Ecclesiasticum, sive Ecclesiastica, beneficium, seu beneficia per Clericos seculares obtineri solitum, vel solita per Literas Apostolicas sibi concessas. Nonnulli alicujus ex S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus familiaritatis litteras exhibentes obedientiæ regularis laxatis habenis, extra Ordinem, & obedientiam suorum Prælatorum; In parentum, vel consanguineorum suorum domibus morari, & permanere, ac beneficijs Ecclesiasticis deservire, & per seculum vagare præsumunt. Quidam sacrarum literarum non consulti, sine tuo scitu, atque licentiâ Apostolicis literis subreptitiè favore amicorum obtentis ad Magisterij, & Doctoratûs gradum indignè promove-*

moveri procurant. Quæ fine animarum suarum pernicie, Religionis vituperio, Dei contemptu, & populorum scandalo fieri nequaquam possunt. Quare pro parte tuâ Nobis fuit humiliter supplicatum, ut de cætero perpetuis futuris temporibus ne fratres dicti Ordinis extra Ordinem hujusmodi quacunque occasione, vel causâ etiam infirmitatis, vel passionis, aut parentibus subveniendi prætextu, literarum per ipsos a majori Pœnitentiario nostro super hoc impetratarum, aut respectu etiam studij in quovis loco particulari, aut quacunque Generali Universitate, sive vigore cujusvis dispensationis apostolicæ, & habilitatis ad obtinendum quodcunque Ecclesiasticum beneficium per clericos seculares obtineri solitum, nisi actu in titulum illud obtineant, ac vigore familiaritatis alicujus ex dict. Card. nisi actu continui cōmensales fuerint, absque licentiâ suorum superiorum hujusmodi, & illâ durante etiam de licentiâ sedis Apostolicæ, & prætextu quarumcumque facultatum, indultorum, & Literarum Apostolicarum, dictis Universitatibus pro tempore concessarum morari, & permanere possint, statuere, & ordinare. Alijs autem qui professionem se nunquam aut infra pubertatis annos, vel per vim, & metum, ut præmittitur, fecisse asserunt, Literis Apostolicis, & processibus desuper habitis ab ipsis obiatis, ad religionem statim revocari, & habitum sacrilegè relictum reassumere, compelli mandare, aliasque sibi super his opportunè providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes, quàm gratus Deo sit, & acceptus obedientiæ fructus, quodque inter alia religionis merita abnegatio propriarum voluntatum præcipuum est, & quoad literarum studia, quod Prælati ipsi præsumuntur optimè scire. Qui Fratres literarum studio, & quanto tempore, & qui alijs Religionis occupationibus vacare debent, omniumque religiosarum personarum tranquillitatem, ac illis evagandi materiam omnino præcludi, eorumque excessibus obviari supremis exoptantes affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus fratres prædicti, ægritudinis, aut subveniendi parentum inopiæ, sive quavis aliâ occasione, vel causâ, respectu etiam studij, aut dispensationis ad obtinendum beneficium hujusmodi, Nostrâ, seu quavis aliâ authoritate, sibi concessæ, nisi beneficium ipsum fuerint canonicè actu assecuti; sive familiaritatis alicujus ex dictis Cardinalibus, præterquam si actu continui commensales fuerint, extra prædictum Ordinem tuum, præter, vel absque licentiâ tuâ, & successorum tuorum, & illâ durante etiam apostolicę prædictæ, etiam prætextu quarumcunque facultatum, indultorum, & aliarum Liter. Apost. quibusvis Universitatibus concessorū sine consensu tuo, cōmorari non possint. Quos tamen omnes dū extra domos eos vivere, & esse contigerit, differente à Claustrali habitu volumus uti, Quodque ubique locorum dum, & quoties opus fuerit, fratres extra Ordinem prædictum, sive quavis occasione, alio modo commorantes, ad Ordinem hujusmodi redire cogere, & compellere
E *possis, apostolicâ authoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus. In alijs rursus professionem se nunquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim, aut metum emisisse asserentibus, res tam impiæ occurrere cupientes, cùm concessiones illæ falsò sint impetratæ, ac etiam si benè, & ritè impetratæ fuissent, in foro conscientiæ duntaxat, non in foro contentioso, ne contra religionis jura, consuetudinem, aut voluntatem valerent, Tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut Fratres Ordinis tui cujuscunque conditionis sint, qui ab obedientiâ exierint, aut habitum reliquerint hactenus, aut in posterum exituri, relicturive sint, quacunque authoritate id fecerint, nisi ad arctiorem regulam, ubi actu observanter vivant, transierint, vi-*
F *gore nostrarum, & aliarum apostolicarum literarum super supplicationibus à Romano Pontifice pro tempore existente, aut præsente, aut mandante signatis, quibus præsentibus non derogaretur, ad Ordinem atque Ordinis loca revoces, bullas auferas, habitum sacrilegè relictum reassumere, infamiæ pœnitere, divino cultui, & propriæ saluti vacare cogas, accito etiam si opus fuerit brachij secularis auxilio. Decernentes motu proprio, & ex certâ scientiâ, ut Fratres, qui ab Ordine recesserint, aut in posterum quocunque modo exierint, aut habitum reliquerint, relictúrique sint, nisi post mandatum tuum, infra octo dies mandato proximos ad obedientiam redierint, habitumque perpetuò gestandum reassumpserint, excommunicationis latæ sententiæ*
G *pœnam incurrāt, à quâ absolvi, nisi per summum Pontificem, aut morte interveniente, non possint. Volumus, & decernimus pœnam eandem subire omnes eos, qui his auxilium, consilium, vel favorē præstiterint. Cæterum eâdem authoritate, motu, & scientiâ similibus statuimus, & ordinamus, quòd in quibuscunque literis ad ipsorum Fratrū instantiam, sive sub annulo piscatoris, aut sub plumbo, vel pœnitentiariâ super præmissorum aliquo, etiamsi id magisterij, & in sacrâ Theologiâ Doctoratûs gradum ante, & successoribus tuis prius licentiâ non obtentâ, quomodocunque quis promoveri curabit, in obedientiæ regularis derogationem etiam super quibusvis supplicationibus, à Nobis, aut Rom. Pontific. pro tempore existente, aut præsente etiam mandante, simpli-*
H *citer, & absolutè signatis, impetratis hactenus, & in posterum impetrandis semper, & indifferenter, subintelligatur clausula hujusmodi, & de licentiâ Superioris, & eâ durante; decernentes literas prædictâ clausulâ carentes, nullas, nullasque roboris, vel momenti fore, in illisque indifferenter dictam clausulam, etiamsi non fuerit apposita, semper tacitè subintelligi nostræ intentionis fore, inhibentes districtius locorum Ordinarijs sub interdicti ingressûs Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione suarum Ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum Conservatoribus, Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis latæ sententiæ, & privatio-*

nis

nis omnium aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis eò ipso quod contrafecerint incurrendis: ne te quominus Fratres dictis tui Ordinis sub Indultorũ, exemptionum, gratiarum, ac literarum Apostolicarum prædictarum specie extra domos, & obedientiam tuam vagantes, capere, & apprehendere, etiam violenter, illosque ad domos & loca, unde recesserint, reducere, & carceribus mancipare volentem, & mandantem quovis modo per se, vel per alium, seu alios directè, vel indirectè impedire præsumant. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, suspensionibus, revocationibus, restitutionibus, bullis, literisque præfatis Fratribus concessis, aut in posterum concedendis, indultis, privilegiis, facultatibus, literis apostolicis cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, & insolitis, quibus omnibus illa, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, & datis, non per hujusmodi generales clausulas, etiam specialem mentionem importantes, sed specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, seu quavis alia mentio habenda esset, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volentes, & decernentes, quòd hujusmodi statuto, & voluntati nostræ nullatenus derogari possit, præterquam si præsentes de verbo ad verbum insertæ fuerint. Ne igitur tantæ pestis morbus unquam in Ecclesiâ pullulet, hoc nostrum decretum fecimus præsentibus, ac perpetuis futuris temporibus duraturum. Harum autem literarum transumptis manu Notarii publici, & Curiæ causarum cameræ Apostolicæ Auditoris sigillo munitis, non minorem volumus adhiberi fidem, quàm si præsentes essent exhibitę vel ostensę.

Datum Flor. sub annulo piscatoris die xxiiij. Januar. M.D.XVI. Pontificatûs nostri anno tertio.

Jacobus Sadoletus.

Recensentur nova quędam Ord. Serv. Loca.
CAP. XXIII.

1 CUM Nobilis Pucciorum Familia apud Ecclesiam D. Annunciatæ de Florentiâ magnificentissimum ædificasset S. Sebastiano Sacellum, Laurentius ex eâdem Familiâ Card. Tit. SS. Quatuor Coronatorum donat, & unit eidem Sacello Prioratum Eremi in Alpibus, quem ipse Card. in commendam habebat annuente Leone Papâ X. per Apostolicas Literas Romæ datas 13. Kal. Martii sequentis tenoris.

LEO *Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad exequendum Pastoralis Officij debitum vigilantibus studijs intendentes, votis illis, per quæ personarum quarumlibet* A *præsertim sub regularis Observantiæ disciplinâ, studio piæ vitæ Altissimo famulantium opportunæ subventioni, & commoditati, ac illorum Locorum conservationi, & reparationi cum Divini cultûs augmento valeat salubriter provideri, libenter annuimus, eaque, prout expedire conspicimus, favoribus prosequimur opportunis. Cùm itaque Prioratus S. Mariæ de Eremo de Alpibus S. Augustini, seu S. Benedicti Ordinis Fesulanæ Diœcesis, quem dilectus Filius noster Laurentius Tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. ex concessione, & dispensatione Apostolicâ in Commendam nuper obtinebat, Commendam hujusmodi ex eo quòd d. Laurentius Card. illi hodie in manibus nostris sponté, & liberè cessit, Nosque cessionem hujusmodi* B *duximus admittendam, cessante adhuc, eo, quo dum eidem Laurentio Cardinali commendatus fuit, vacabat, modò vacare noscatur ad præsens. Et sicut d. Laurentius Card. suo, & Dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Domûs ejusdem S. Mariæ Annunciatæ Florentin. Ordinis Servorum ejusdem B. M. V. sub regulâ S. Augustini regularis Observantiæ nominibus Nobis nuper exposuit, si d. Prioratus, qui Conventualis non est, & d. Monasterio S. Gaudentii ejusdem S. Augustini, seu S. Benedicti Ordinis, d. Diœcesis Sacristiæ præfatæ Domui perpetuò unito, ut asseritur, dependet, & cujus bona bonis d. Monasterij contigua existunt, Capellæ S. Sebastiani sita in vestibulo Ecclesiæ d. Domûs, quam quondam Antonius Puccius ipsius* C *Laurentij Card. Genitor, dum viveret, à fundamentis maximis sumptibus construi, & ædificari fecit, ac ornamentis Ecclesiasticis, & Picturis exornavit, & ad quam dilecti filij Populus Florentinus in honorem d. B. Sebastiani singularem gerunt devotionem, pro commodiori sustentatione Fratrum Domûs hujusmodi, ac manutentione, & conservatione ædificiorum d. Capellæ, & illius ornamentorum Ecclesiasticorum perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profectò Prioris, & Fratrũ prædictorum commoditati non parum consuleretur, d. Laurentius Card. suo, ac eorundem Prioris, & Fratrum nominibus prædictis Nobis humiliter supplicarunt, ut Prioratum prædictum eidem Capellę perpetuò unire, annectere, & incorpora-* D *re, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica alijs univi, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem etiam Beneficij, cui aliud univi peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, & in quorum manibus Ven. Frater noster Franciscus Episcopus Albanensis, cui aliàs, ut asserit, quòd cedente, vel decedente præfato Laurentio Card. seu Prioratum prædictum aliàs quomodolibet dimittente, & illo quovis modo vacante, etiam apud Sedem Apostolicam liceret sibi ad d. Prio-*

Bulla Leonis X. pro unione S.M. de Eremo Sacello S. Sebastiani apud D. Annunc. de Flor.

ratum

ratum liberum habere regressum, seu accessum, Apostolicâ fuit auctoritate concessum, juri, & facultati regrediendi, seu accedendi hujusmodi, sponte, & liberè cessit, cujusque cessionem ipsam etiam duximus admittendam, Priorem, & Fratres prædictos, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon fructuum, redditium, & proventuum d. Capellæ verum annuum valorem, ac verum, & ultimum ipsius Prioratûs vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Prioratum prædictum, cujus fructûs, redditûs, & proventûs septuaginta ducatorum auri de Camerâ secundùm æstimationem prædictam, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, & quos omnes, & singulos dilecto filio Jannoctio Puccio Clerico Florentino, qui ejusdem Laurentij Card. ex Fratre germano Nepos existit, per eum, quoad viveret, propriâ auctoritate percipiendos, seu loco illorum pensionem annuam septuaginta ducatorum auri similium sibi per Priorem, & Fratres d. Domûs pro tempore existentes annis singulis persolvendam hodie reservari, concedi, seu constitui, & assignari concessimus, quovis modo, & ex cujuscunque personâ, seu per liberam resignationem cujusvis de illo extra Romanam Curiam, etiam coram Notario pub., & testibus sponte factam, aut Constitutionem fel. rec. Joannis Papæ XXII. prædecessoris Nostri, quæ incipit, Execrabilis, *vel assecutionem alterius Beneficij Ecclesiastici ordinariâ auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quòd ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilij ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipséque Prioratus dispositioni Apostolicæ specialiter reservatus existat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique cura immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datarum præsentium non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum cū omnibus juribus, & pertinentijs suis eidem Capellæ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò unimus, & annectimus, & incorporamus, ita quòd liceat Priori, & Fratribus pro tempore existentibus prædictis per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Prioratûs, juriumque, & pertinentiarum prædictorum propriâ auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac illius fructûs, redditûs, & proventûs in reparatione ædificiorum Capellę, & Prioratûs, necnon ornamentorum Ecclesiasticorum, ac sustentatione Fratrum pro tempore existentiū Domûs prędictorum usûs, & utilitatem convertere, Diœcesani Loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ. Non obstantibus voluntate nostrâ prædictâ, & alijs Apostolicis Constitutionibus, ac statutis, & consuetudinibus Monasterij, & Ordinis, cujus Prioratus existit, prędictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis contrarijs quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus hujusmodi speciales, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus generales d. Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem literas, & Processus habitos per easdem, ac inde secuta quęcunque ad dict. Prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Prioratuum, seu Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet alijs privilegijs, Indulgentijs, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quę pręsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Volumus autem, quòd postquam perceptio fructuum, seu pensio hujusmodi cessaverit, pręfati Prior, & Fratres pro tempore existentes unam magnam Missam in cantu cum Diacono, & Subdiacono, & alijs Cantoribus, prout ad Altare Annunciationis ipsius B.M. situm in Ecclesiâ Domûs hujusmodi celebrare consueverunt, pro salute Animarum omnium de Familiâ Pucciorum inibi pro tempore sepultorum celebrare teneantur. Alioquin unio Prioratûs hujusmodi dissoluta sit, & esse censeatur eo ipso, quòd propter unionem, annexionem, & incorporationem pręd ictas d. Prioratus debitis non fraudetur obsequijs, & Animarum cura in eo, si quę illi immineat, nullatenus negligatur, sed ejus congruè supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super ijs à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c.*

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo sextodecimo, tertio Kal. Martij, Pontificatûs nostri Anno quarto.

Hujus verò Loci corporalem possessionem recepere Patres de Florentiâ Augustinus, Lactantius, & Fabianus Sacrum ibi celebrantes ad honorem B.V.M. cum gratiarum actione die 14. Maij anni sequentis 1517., prout constat ex pub. Instrumento ibidem confecto, de quo rog. fuit Ser Blasius Antonius q. Ludovici Petri de Castrocaro pub. Notarius, cujus transumptum asservatur in Archivo Conventûs D. Annunciatæ de Florentiâ. Oratorium autem

PP. D. Annunc. de Flor. recipiūt possessionem.

autem illud ibidem Laurentius Card. pluribus Sanctorum Reliquijs eleganter decoravit, & quamvis inter Alpestria positum adeunt Populi in Festo potissimùm Pentecostes erga B.V. eximiâ devotione commoti. Eodem pariter anno idem Laurentius Card. Indulgentiam plenariam à Summo Pontifice impetratam promulgarat pro Visitantibus prædictum S. Sebastiani Sacellum die 20. Januarij ejusdem S. Martyris festo, & facultatem absolvendi à casibus quibuscunque juxta sensum Literarum, quarum hic est tenor.

Indulg. Plenar. pro Sacello S. Sebast. D. Annunc. de Floren.

Laurentius miseratione Divinâ Tit. SS. Quatuor S. R. E. Presb. Card. de Puccijs. Universis, & singulis præsentes Literas inspecturis Sal. in Christo sempiternam. Notum facimus & attestamur, quòd SS. in Christo Pater, & D.N.D. Leo Divinâ Providentiâ Papa X. ob singularem, quam gerit devotionem in B. Martyrem Sebastianum, vivæ vocis oraculo concessit, ac indulsit universis, & singulis Christifidelibus visitantibus Altare ipsius Gloriosi Martyris in Ecclesiâ Almæ V. Annunciatæ Florentinæ die 20. Januarij ipsi Martyri dicato præsentis anni 1516. à primis Vesperis, & per totum diem Festum usque ad Occasum Solis, & manus porrigentibus adjutrices plenariam Indulgentiam omnium peccatorum suorum in formâ Ecclesiæ consuetâ; indulsitque, ut Religiosus P. Prior Monasterij Annunciatæ prædictæ pro dicto die tantùm instituere possit quot Confessores duxerit expedire, ad audienda Confitentium peccata, cum facultate absolvendi à quibuscunque casibus, ac vota commutandi, præterquam à contentis in Bullâ Cœnæ Domini. In quorum fidem præsentes Nostri Sigilli impressione munitas propriâ manu subscripsimus.

Datum Florentiæ die 17. Januarij 1516. Pontificatûs præfati SS. D. N. Anno III.

Ita est Laur. Card. SS. Quatuor manu propriâ.

Conv. S. Antonini de Albarolâ Placentiæ.

Item Eodem anno idem Leo Papa X. per Literas Apostolicas Florentiæ datas die 16. Junij, Patribus, & Conventui S. Mariæ Gratiarum de Plateâ Placentiæ commendat, & unit Ecclesiam Parochialem S. Antonini *de Albarolâ* in Diœcesi Placentinâ, quam ad hæc usque tempora sibi commendatam tenuere PP. prædicti, proindeque Parochum ejusdem instituunt. *Baruli* pariter in Apuliâ P.M. Eliseus Vir doctissimus, & eloquens nostri Ordinis cum hoc anno per Quadragesimam summo omnium plausu exceptus sacras Conciones habuisset, Locum inde per unicū milliare distantem pro suo Ordine Servorum, ab eâ Communitate recepit die 14. Junij hujus Anni 1516. sub Tit. S. Mariæ de Cruce.

Conv. S. M. de Cruce Baruli in Apuliâ.

B. V. de Cruce Imago Baruli maximæ devotionis.

Sacra ejusdem B. V. Imago cum Cruce maximè venerabilis omnium semper devotionem mirum in modum excitavit, quod sanè indicant plurima signa, Tabellæque votivæ ante ipsam suspensæ, quamobrem procedente tempore sacellum augustius Communitas eidem ædificavit, quemadmodum nos docent sequentia verba ibidem descripta.

Divæ Mariæ Sacellum pia Respublica Barulitana ex Collectitijs pecunijs augustius faciendum curavit.

Translatio Corporis B. Francisci Patrizzi.

De sacrâ hac Imagine, ejusque miraculis iterum dicemus ad annum 1584. Cùm ab anno usque 1326., quo sanctissimè obierat B. Franciscus Patrizzi de Senis, celebris indesinenter de illius admirandâ sanctitate fama quoquoversum pervagata semper fuisset, & miraculorum copiâ fieret in dies illustrior, universo Senatu, & Populo, necnon Archiepiscopo illius Civitatis id maximè expetentibus, hoc circiter anno 1516. Sacrum ejus Corpus ex Arcâ ligneâ, in quâ primò repositum fuerat, & unà cum Corpore B. Joachimi ejusdem Ordinis, ac Patriæ, jacuisse legitur, in aliam decentiorem translatum primò fuit. Translatum verò pluries adhuc fuit longè semper majori honorificentiâ, prout erit nobis dicendum ad annos 1609. 1656. & 1714. sicut & de processibus pro solemni ejusdem Beatificatione formatis ad annos 1622., & 1623. Denique recensere juvat hoc anno Indultum quoddam pro Conventu D. Annunciatæ de Florentiâ, sequentis tenoris.

Indultū Angeli de Aretio Gen. pro PP. Discretis Cōv. D. Annunc. de Flor.

Nos F. Angelus de Aretio Theologorum minimus Fratrum Servorum B. M. sub Regulâ S. Augustini Prior Generalis licèt immeritus. Monitis, persuasione, & mandato Reverendissimi in Christo Patris, & D.D. Antonij Tit. S. Praxedis Presb. Card. Ordinis nostri Protectoris dignissimi, & de consilio, & deliberatione Venerabilium PP. Conventûs D. Annunciatæ de Florentiâ, honori, saluti, tranquillitati, ac bono regimini ejusdem Conventûs proinde consulentes, statuta, Ordinationes, & sancita infrascripta cum eisdem Patribus innovavimus, statuimus, & ordinavimus, quæ omnia, ut robur, & firmitatem obtineant, & perpetuam in præfato Conventu futuris temporibus habeant observantiam, propriâ manu subscripsimus, & sigilli ejusdem Reverendissimi Protectoris appensione, manusque illius appositione authenticari curavimus Anno Domini 1516. die vigesimâ secundâ Januarij. Sunt autem, quæ sequuntur.

In primis instituimus Patres Discretos ad plus numero quindecim, ad minus numero novem, sintque omnes Reverendi in Sacrâ Theologiâ Magistri, & tot Venerabiles Patres ex Senioribus Fratribus, quorum consilio, consensu, & approbatione, infrascripta omnia fiant: volumus autem, ut modus deliberandi sit iste, videlicet. Primò à Priore prædictis Patribus proponantur consulenda, atque determinanda, super quibus, si opus fuerit, unusquisque loquatur secundùm exigentiam rerum; posteriùs verò determinando illud

illud obtineatur, & fiat quòd major pars illorum approbaverit. Vota verò non clarâ voce, sed secretò scrutinijs fabarum reddantur. Et quoniam multa sunt, quæ ut rata sint, & firmiter determinentur, Fratrum omnium, & totius Capituli vota, & assensum requirunt; Volumus, ut nihil in toto Capitulo proponatur, & obtineatur nisi priùs propositum, & determinatum fuerit inter Patres Discretos. Si verò sit aliquid valde expediens, & necessarium Monasterio, & Patribus Discretis semel propositum non obtineretur, duabus adhuc vicibus eisdem PP. proponatur determinandum; quòd si nullo pacto inter eos obtineretur, tunc Prior proponat illud toti Capitulo, & omnium vota requirat, quæ quidem vota non vivâ voce, sed secreto scrutinio fabarum reddantur, & non aliter, ut dictum est. Hic autem determinandi modus, & reddendi suffragia semper servetur, & inter Patres Discretos, & in toto Capitulo, quando super aliquâ re, & negotio illorum assensus, aut dissensus requirendus est. Determinanda verò per Patres Discretos sunt, quæ sequuntur. Imprimis ultra quotidianas expensas pro communi victu, & sustentatione Fratrum etiam Infirmorum nullum contrahatur debitum, nec pecuniæ Conventûs alicui mutuentur, nisi priùs consultis Patribus Discretis. Provisiones autem Vini, Ceræ, & aliorum Conventui necessariorum, utputa Lignorum, & consimilium fiant temporibus convenientibus cum consilio Discretorum. Item nulla fiat fabrica publica, vel privata in Conventu, vel extra, super Possessiones, vel fabricas jam factas nullum additamentum, vel ornatus, & nullum ædificium destruatur, nisi cum consilio, & determinatione PP. Discretorum. Item nullæ triennales locationes Domorum, Apothecarum, & Possessionum fiant, nisi de consilio, & determinatione, ut supra. Item nulla Bonorum immobilium alienatio, & in Emphyteosin, vel ad Lineam, vel perpetua libera, vel eorundem commutatio qualiscunque fiat, nisi de consilio, & determinatione Patrum Discretorum, & vocis totius Capituli, accedente etiam intelligentiâ, & consensu Reverendissimi Patris Generalis, aut sui Commissarij, qui appareat in scriptis. Item nullum litigium ad Monasterium spectans Florentiæ, vel in Curiâ moveatur, & fiat, & ad illud conficiendum, & prosequendum nullus mittatur, nisi habito maturo consilio, & determinatione Patrum Discretorum. Item à nullo fiat finis Legatorum debitorum, & creditorum, nisi præcedente scientiâ, consilio, & determinatione PP. Discretorum. Item Scribanus, Medici, Fabri Lignarij, & Ferrarij, Aromatarius, Magister Grammatices, & alij Artifices, quorum opera Conventui est necessaria, necnon Capellę Cantores non introducantur, acceptentur, aut removeantur, nisi de Consilio Patrum Discretorum. Item Rectores, vel Gubernatores Abbatię, Plebis, & Locorum omnium spectantium ad Monasterium illis non præficiantur, vel ab eis amoveantur, nisi de consilio, & determinatione, ut supra. Item dum Conventûs pecuniæ numerantur semper cum Priore, Sacristis, & Procuratore ad minus interveniat unus ex Operarijs Fratribus, & deputatis, & Procuratori assignatis pecunijs pro quotidianis, & necessarijs expensis, reliquę pecuniæ ponantur in scrinio trium clavium, quæ inde non extrahantur, nisi consultis PP. Discretis, & de eorum determinatione. Item nullus ex Operarijs Fratribus aliquid proponat omnibus Operarijs, & Socijs suis, nisi prius inter Patres Discretos discussum fuerit, & ab eis determinatum. Item nullus promoveatur ad Magisterij gradum, & inter Monasterij Magistros adnumeretur, nisi priùs consulantur inter se PP. Discreti, & determinent an sit recipiendus, & meritò sit illi danda eleemosyna consueta. Item nullus ad Ordinem, ut probandus, recipiatur, nec probatus vestiendus admittatur, nisi præcedente determinatione PP., quam receptionem deinde approbet totum Capitulum in tribus distinctis scrutinijs factis in tribus distinctis temporibus. Novitij autem non sint plures numero vigintiquinque. Item ultra ordinarium vestimentum, & salaria ordinaria nullę pecuniæ, vel aliud sub eleemosynę, vel subventionis prętextu, & nomine detur, nisi de consilio, & determinatione PP. Discretorum. Item Procurator Conventûs, Socius ejus, Subprior, Sindicus, Massarius, & Custos Possessionum eligatur à toto Capitulo per secreta scrutinia, priùs scriptis nominibus omnium Sacerdotum, & Sacculo, vel Bireto inclusis, quatuor, qui forte advenerint, extrahantur, qui Electores dicantur, quorum unusquisque statim nominet duos pro quolibet Officiali eligendo, qui sic nominati singillatim per secreta scrutinia discutiantur, & qui inter illos plura habuerit suffragia electus intelligatur, & remaneat in Officio, & à Priore confirmetur. Idemque servetur electionis modus pro Rectoribus, & Custodibus Locorum ad Monasterium spectantium, de quibus superius dictum est, hoc duntaxat excepto, quòd duo sufficiant Electores. Item omnes Officiales, qui Bona Monasterij quæcunque sunt, tractant, custodiunt, & gubernant, ac etiam rectores, vel Custodes Locorum Monasterij, ut supra, teneantur reddere rationem suę administrationis ad minus semel in anno Patribus Discretis. Procurator autem, ut moris est, quolibet mense etiam toti Capitulo, quorum omnium rationes à Scribano communi in Libris consuetis non scribantur, nisi priùs sint visę, approbatę, & subscriptę manu Prioris, & unius ex Fratribus, cui à reliquis sit data talis facultas. Item Massarius habeat Librum unum, in quo sint, & scribantur omnia Inventaria totius Conventûs, ut Sacrarij, Subprioriæ, Infirmariæ, Dormitorij, Professorij, Camerarum, & omnium Locorum spectantium ad Conventum, & cum Priore tempore convenienti distribuat diversis Officialibus Inventarium suum. Officiales autem in fine Officiorum suorum teneantur reddere rationem Inventariorum suorum Priori, & eidem Massario. Massarius quoque quolibet anno declaret, & intimet Patribus Discretis diminutionem,

vel incrementa rerum in Inventariis repertarum: habeat quoque idem Maßarius Librum alium, in quo notet, & scribat quæcunque à PP. Discretis, & à toto Capitulo dietim determinantur, cui à prędictis Patribus statuatur certa eleemosyna, vel salarium, ut commodiùs, & libentiùs tanto incumbat labori. Ut autem suprascripta omnia infallibiliter observentur, in absentiâ P. Generalis in Conventu sit Commissarius unus illius nomine, qui hæc omnia, prout viderit expedire, PP. ad memoriam revocet, & faciat, quòd infallibiliter observentur. Qui verò neglexerint observare, vel contrafecerint, cuiuscunque sint gradûs, status, vel conditionis, officiis suis, si qua habuerint, & activâ, & passivâ voce, per decem annos priventur, quicunque etiam ex dictis Patribus, Consiliis, & Determinationibus, pront expedierit, faciendis per contemptum noluerit interesse, à numero Pa- E *trum Discretorum, & consortio separetur, & inter eos non amplius adnumeretur.*

A. Card. S. Prax. Ord. Servor. Protector Ita approbamus, & confirmamus, ut &c.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

F *Singula in hoc Capit. contenta eruuntur ex monumentis ibi plerunque extatis eorundem Conventuum: quæ verò de Translatione B. Francisci, ex positionibus super Beatificatione ejusdem, & ex aliis m. s. Conventûs nostri de Senis. Indultum denique pro PP. Discretis D. Annunciatæ de Florentiâ asservatur in eorundem Archivo.]*


Magnas quidem retulit hactenus quintus hic Liber calamitates, quæ aut ex incendio schismatis sub Julio Pontif., aut ex repentina clariss. Virorum amissione, quæ nostro huic Ordini ea pessima tempestate contigit; veruntamen non minora in tam vasto procellarum pelago fuerunt, tum Gloriosa Dei Matris suffragia, tum piorum intercessiones, nec etiam defuit Patrum prudentia in ejusmodi seu evitandis periculis, seu ferendis calamitatibus constantia, & virtus; donec tandem sub unius felicis Leonis Pontif patrocinio (fluctibus undequaque sedatis) tranquillitas & serenitas, Antonio de Monte ampliss. Protect. aspirante, Religioni Servorum cum uberrimis gratiarum, & privilegiorum votis affulsit.

F I N I S.



CENTURIÆ TERTIÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,
AUCTORE
F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO
Liber Sextus.

CONTINENS AB ANNO M.D.XVI. USQUE AD M.D.XXXIII.



Leo X. Philippum Benit. Florent. BEATUM declarat, & se propediem illum inter SANCTOS relaturum pollicetur.

CAPUT PRIMUM.

Munificentia Leonis X. in suos Concives.



Ræclaram ingenuæ mentis liberaliratem, quâ potissimùm Leo Pontif. præstabat, Urbs Florentia meritò his diebus experta fuit, quando nullum ipsius hominum genus, qui aut avitæ nobilitatis jure, aut proprio virtutum splendore clarus haberetur, se varij Leonis beneficijs non fateretur summè devinctum; dum enim eâ in Urbe contigit concivem Pontificem inter domesticos lares diversari, non modò Respublica illa magnis ab eo honoribus decorata fuit, verùm & contribules plerique plurimis ejusdem beneficentiæ officijs cumulatè aucti. Ad Patriæ verò pietatem, religionemque subinde conversus Leo duo præclara ejusdem Urbis lumina Antoninum Prædicatorij instituti Archiepiscopum quondam Florent. & Philippum nobili ex gente Benitiâ nostri Ordinis alumnum religiosissimum inter Empyrei sydera conscribere decreverat, quod & libenti animo ad honorem Patriæ fecisset, nisi gravissimis tunc curis detentus, ac demum acerbâ morte oppressus fuisset; ex his enim verbis in suppositâ Bullâ *donec ad canonizationem ipsius Philippi deventum fuerit, cui ad præsens*

A *diversis arduis negotiis præpediti, vacare non possumus*, facile colligitur quantùm Pontificis mens ex alterâ parte ad illud opus exequendum disposita esset, ex alterâ verò quantum distracta, & præpedita ob imminentia pericula, quæ illum a tam præclaro facinore cunctantem retardarent; duabus enim maximis, & perniciosissimis hoc tempore curis mens
B Pontif. angebatur, altera quidem erat inter Europæos Principes diu armis dissidentes fœdera pacis componere; altera verò, quæ magis urgebat, erat lerna illa, & fax tartareis ignibus incensa, impurissimus Lutherus, qui è Saxoniæ finibus fumantem adversæ doctrinæ flammam evomere cœperat, & totam Germaniam pessimis hæreticarum opinionum
C doctrinis inficere, cujus insaniam, cùm ad meliorem mentem redigere frustra tentasset Leo, omnique conatu catholicam fidem adversus eum tueri contenderet, immaturâ tandem morte præventus, flammas hinc inde excitatas extinguere minimè valuit. His igitur Leo præpeditus curis neutrum dictorum concivium Sanctum declarare valuit; quod verò ad
D Philippum nostrum spectat inter Beatos à Leone conscriptum suppositè declarant Apostolicæ Literæ.

Dile-

Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Ord. B. M. Servorum sub Regulâ S. Augustini.

LEO PAPA DECIMUS.

Dilecti filij sal. & Apostol. benedictionem. Exposuit Nobis nuper dilectus filius noster Antonius tit. S. Praxedis Presbyter Card. Ordin. vestri Protector ex parte vestrâ, quod tempore, quo institutus fuit Ordo vester Fratrum B. Mariæ Servorum sub Regulâ S. Augustini, B. Philippus Patriâ Florentinus, ex gente Benitiâ, trans Arnum tunc Prior Generalis ejusdem Ordinis, velut gemma rutilans doctrinâ, humilitate, moribus, jejunijs, abstinentiâ, plurimisque miraculis Ordinem ipsum illustravit, tam eo in humanis agente, quam etiam vita functo ob plurima miracula, quę (ut creditur) intercessione ipsius B. Philippi varijs in locis operatus est Altissimus, & præsertim Tuderti, ubi eius corpus summâ cum veneratione quiescit, & pro Beato habitus est, & ad præsens habetur, & colitur, & propterea pro devotionis affectu summopere desideratis, instantesque efflagitatis in vestris Ecclesijs, & Oratorijs utriusque sexus dictum Philippum pro Beato, ac Deo dilecto orationibus, & officijs, ac Missarum celebrationibus tam publicè quàm privatè venerari, ac preces effundere: ut apud Deum pro vobis intercedere dignetur, ac etiam, quòd in Die obitus dicti B. Philippi liceat vobis à primis Vesperis, usque ad secundas vesperas inclusive per omnes Ecclesias, & Monasteria, seu domos Fratrum, & Monialium dicti Ordinis vestri ipsi B. Philippo Festum duplex cum campanis, & luminibus, & alijs cæremonijs in festo duplici fieri solitis celebrare, seu celebrari facere posse absque superstitione, seu quasi Idololatriæ notâ. Quare idem Card. qui (ut præfertur) Ord. vestri Protector existit, & de præmissis ex mandato nostro ad plenum se informavit, & Nobis retulit, ac humiliter supplicavit, ut vestro pio desiderio annuere dignaremur. Nos itaque ejusdem Antonij Card. & vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis, ut donec ad Canonizationem ipsius Philippi deventum fuerit, cui ad præsent diversis arduis negotijs præpediti vacare non possumus, in quibuscunq; Ecclesijs, Domibus, Monasterijs, Monialium Oratorijs utriusque sexus totius Ordinis vestri tantùm, tam in Italia, quàm extra in quibuscunque locis consistentibus liceat vobis absque aliquâ superstitione, vel quasi Idololatriæ notâ, ac conscientiæ scrupulo venerari, & in Ecclesijs domorum ad eundem Philippum, ut pro vobis apud Deum intercessor existat, in orationibs, & officijs, ac Missarum solemnijs preces, tam publicè quàm privatè, seu secretè fundere, vosque ipsius orationibus commendare, ac etiam quòd à primis Vesp. usque ad secūdas vesperas inclusivè diei ipsius Philippi obitus, qui erit dies 23. Mensis Augusti sub duplici festo Confessoris cum candelis, campanis, antiphonis, versiculis, orationibus, cæterisque cæremonijs in festo duplici fieri solitis adhibitis celebrare possitis, & valeatis authoritate Apostolicâ tenore præsentium de speciali dono gratię concedimus, & indulgemus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis præsertim fel. recordationis Alex. III. & Innocentij III. Prædecessorum nostrorum, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque: & quoniam difficile foret presentes literas ad diversas mundi partes transmittere, volumus, & earundem præsentium tenore decernimus, quod illarum transumptis manu publici Notarij subscriptis, & sigillo Protectoris dict. Ordinis, aut Prioris Generalis ejusdem munitis, ea prorsus fides adhibeatur quæ eisdem [illegible] adhiberetur, si exhibitæ forent, [illegible] mus autem, quòd per præmissa [illegible] Philippus in Catalogo Sanctorum minimè [illegible], & canonizatus publicè censeatur.

Observanda ment. Pont. pro Canonizando S. Philip.

Dat. Florentiæ sub annulo Piscatoris die 24. Januarij 1516. Pontificatûs nostri anno [illegible]

Jacobus Sad[illegible]tus.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1 *Quas diligentias, quas scripturas, quos processus, & monumenta eo tempore producerent Patres nostri pro hac B. Philippi Beatificatione, ex quibus fatetur Pont. se certiorem ab Antonio Protect. factum de gestis, & sanctitate ejusdem Patris author nunquam reperire potuit, & cum per Curias, & Archiva Romæ id diligentissimè investigare curasset, tandem ex multorum dictis deprehendit, quod fortasse verissimum fuit, in maximâ illâ urbis Romæ depopulatione per Borbonium sub Clemente VII. habitâ, omnia illa monumenta simul cum alijs plurimis, aut combusta, aut quoquomodo labefactata penitus defecisse.*

2 *Notanda quorumdam controversia circa diem, & annum ejusdem Bullæ, si enim accipiatur annus Florentino more ab Incarnatione aliter sentiendum, si verò more Romano, & pro veritate, quando Leo Florentiæ agebat, bene, & ritè ad hunc annum 1516. spectat.*

Angelus General. in Comit. Mediol. Francigenas PP. reducere procurat, & multi proceres, & potentatus canonizationem B. Philippi efflagitant.

CAP. II.

Eodem anno Patres de Congregat. sua Comitia Ferrarię nō fortuitò celebrasse die 18. Martij deprehenditur; nam Philippus Albritius Vic. Gener. comperto, quòd præter maximam Ferrariensium devotionem in beatam illam Sacratissimæ Virginis de Consolatione Imaginem, insignis, & supra modum veneranda .i. reliquia unius cuspidis illorum Clavorum, quibus Dominus noster Jesus Christus fuerat Cruci affixus, eidem Ecclesiæ tunc à pio quodam viro

Sacræ cuspis clavorũ Domini Ferrariæ colitur.

viro sub confessionis sigillo, eodem Philippo Albrisio curante, oblata fuit, quam postea Leo X. die 29. Augusti factâ collatione cum alijs ejusdem generis cuspidibus approbavit, & tanquam ex clavis Sanctiss. Crucifixi adorandam censuit. In eisdem etiam Comitijs percelebris translatio ab Ecclesiâ nostrâ ad Cathedralem, & deinceps per urbem Ferrariæ facta fuit prædictæ Imaginis B. M. V. quæ ex antiquiori quâdam parvulâ Ecclesiâ in eam, quæ nunc extat, delata fuit; cujus occasione tanta Ferrariensibus devotio accessit, ut unoquoque sabbatho frequens ibi totius ferè Civitatis habeatur concursus, qui tamen frequentissimus est in sero Sabbathi Sancti ob celebrem quandam ejusdem Imaginis coronationem, ex antiquissimo Patrum nostrorum more, quemadmodum etiam alijs plurimis in locis usque ad hanc nostram diẽ servatum vidimus. In his igitur Comitijs eligitur secundò Vic. Generalis P. Marinus Venetus, & eduntur, evulganturque piæ quædam speculationes. .2. & commentaria super regulam S. August. M. Hieronymi de Castro Placentini viri eloquentiâ, & doctrinâ eruditissimi. Altero interim decurrente anno 1517. Synodo Lateranensi à Julio 2. inceptæ Romæ hoc anno finem imponit feliciter .3. Leo Decimus, cui suâ eminenti doctrinâ plurimùm inservierat Angelus Aretinus Generalis. Paucis deinde ab hinc diebus Patres de Observantiâ Conioli ad Capitulum conveniunt, & suum Vic. designant Patrem Deodatum de Brixiâ, cujus electionem Angelus .4. Generalis more majorum approbat per lit. pat. Romæ datas die 7. Octobris. Per eos quoque dies apparet depositio B. Petri .5. à Castro plebis, de quo præter nomen, & tempus nihil referunt monumenta nostra. Ejus corpus, sicut & B. Matthæi, de quo Cent. 2. l. 2. c. 5., sepultum dicitur in Eccl. nostrâ de Civ. Plebis. Occasione interim pollicitationis, & magnæ spei, quam Ordo noster conceperat ex superiori Bullâ, in quâ Leo X. pollicebatur, propediem devenire ad Canonizationem B. Philip. totus Ordo Servorum fuit commotus, & præcipuè Florent. Respublica, & populus Tudertinus .6. qui in suo Senatu publicè decrevit anno 1518. & elegit plures ex suis civibus, qui unà cum Priore S. Marci de Tuderto huic tã gravi negocio invigilarent. Non defuerunt etiam ex religiosis Viris, qui multa ad honorem B. Philippi cùm versu, tum solutâ Oratione, Odas, Hymnos, Antiphonas pro canonicis Horis, piasque precationes componerent, ex quibus libet hoc loco attexere illam, quæ in Cathechesi Novitiorum nostri Ord. habetur impressa.

Antiqua consuetudo Fratrũ Servor. coronãdi B. Virginem in sero sabbathi Sancti.

B. Petrus à Castro-plebis.

Plures Principes, & Respub. procurãt Canonizationẽ B. Phil.

Pia precatio ad B. P. N. Philippum.

O Beate P. Philippe Christi Confessor, te quæso per amorem dulcissimi Domini nostri Jesu Christi, ac eximiam illam, quam ad gloriosissimam Virginem habuisti devotionem, ut sis mihi N. ejus indignissimo servo adiutor apud illam, hic, & ubique Protector, & Custos, atque A *pro me quotidie impetrare digneris salutem animæ, & corporis, ut in hac Religione Beatissimæ Virginis valeam dulcem paupertatem, spontaneam obedientiam, firmamque castitatem, quam ab ingressu, & receptione hujus Sancti Habitûs desiderare cœpi, rectâ intentione, puro corde, & opere adimplere, humiliter hoc suavissimum religionis jugum ferre, veram quotidie peccatorum meorum contritionem, puram confessionem, integramque satisfactionem habere; munera hujus Ordinis ad me spectantia ritè exercere, & omnia illa perfecto opere complere, quę ad honorem Dei, ad confratrum meorum, cæterarumque animarum salutem ad hujus nostræ Religionis obsequium, & ad Beatissimę Virginis gloriam, verum Christianum, servum fi-* B *delem, Religiosum humilem decet, & post hujus vitæ cursum, inter Sanctorum cœtum per tua merita, & intercessionem, tecum ad cœlestem, & æternam gloriam jubeat collocari; exaudi quæso, & intercede pro me, Sanctissime Protector Philippe, nunc, & in horâ mortis esto memor mei. Amen.*

Ora pro nobis B. Pater Philippe.

Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

PIetatem tuam, Domine, B. Pater noster Philip. pro nobis imploret, ut sicut Beatissimæ Genitricis filii tui Mariæ Servus extitit in terris, ita nos sub tantæ Matris patrocinio ad C *te pervenire cupientes, eum vitæ nostræ Protectorem habere mereamur in cœlis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Oremus.

DEus, qui fideliter servientibus tibi æternum regnum paras in cœlis, concede nobis Famulis tuis, ut B. P. N. Philippi Confessoris tui meritis, & intercessione ab omni peccatorũ servitute simus semper liberi, & tibi, tuaque dignè mereamur servire Genitrici. Per Dominum nostrum, &c.

Collecta in ejus Missâ.

D *DEus, qui adhuc cùm inimici essemus omnia sanguine Filij tui reconciliari voluisti: præsta quæsumus, ut in hac solemnitate Philippi Confessoris tui Sanctorum Orationibus pro corde gaudeamus. Per eundem Dominum, &c.*

Ex Missali Romano Venetijs apud Jo: Varisenum 1566.

Per eos dies perseverabant jugi devotione Fratres, & Sorores tertij Ordinis, unde & Brixiæ, & in Oppido de Claris numerus semper ejusdem augebatur, unde etiam habetur, quòd die 7. Junij coram M. Clemente de Lazaronibus Regulam fel. Rec. Martini quinti ritu solemni profitentur Bernard. de Vignalot.

gnalottis cum sorore Angelâ ejus uxore, Joannes de Campanis cum Franciscâ uxore, Elisabeth de Trombettis, & Antonia de Bosettis. Succedente Anno 1518. Comitia generalia Mediolani .7. ad diem 22. Maij indicta celebrantur; cur autem tam disito, nec consueto in loco habita fuerint, referunt nõnulli optimâ ratione id factum, quòd Angelus General. ad hæc Comitia invitaret etiam Patres Francigenas, & id fortasse non inconsulto Summo Pont. & Francisco Gallorum Rege, qui tunc eo Ducatu potiebatur; unde ipsis Francigenis absque ullâ suspicione daretur tutus accessus, & ita pacificè fieret inter nos, & eos unum ovile, & unus pastor. Verùm, ut est pertinax reluctantium obstinatio, non obstantibus Pont. & Regis hortationibus, summáque Gener. & aliorum Patrum blandâ in eos clementiâ, & humanitate ad hæc Comitia minimè comparuerunt. In ijs autem refert Michael Pocciant. de religionis reformatione actum, constitutionesque ex veteribus decretis potiùs renovatas, quàm novas fuisse decretas. Hoc eodem tempore plures orationes .8. quas Magister Augustinus Philippus de Florentiâ coram Summis Pontif. Julio II & Leo X. habuerat, quod maximâ eloquentiâ, verborumque lepore, elegantes judicarentur, Romæ sub Antonij Card. Protect. patrocinio, cui dedicatæ fuerunt, typis mandantur.

Francigenæ Patres ad Generalia Comitia Mediolan. invitati renuunt accedere.

Interea Patres de Congreg. .9. Vincentiæ convenientes, Patrem Benedictum Venetum quarto loco sibi Vic. Gener. constituunt.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *EX monumentis Conventûs Consolationis de Ferrariâ.*
2 *Opus illud habetur editum simul cum Constitut. ejusdem Congreg. eodem tempore editis.*
3 *Ex tomo 3. Conciliorum.*
4 *Habentur hæ literæ inter monum. Convent. Brixiæ.*
5 *Ex veter. tabulis Beatorum Ordinis.*
6 *Ex monum. publici Archivi Tudertini Senatûs.*
7 *Ex Pocciant. in Chron. necnon ex monumentis Conv. Florentiæ.*
8 *Vidit author novem orationes in Apost. Sacello habitas, & Romæ impressas, quæ habentur plurimis in locis Ordinis.*
9 *Pocciant. in Chronicis.*

N O T Æ.

Origo, & Translatio Imaginis B.V. in Eccl. Consolationis de Ferrariâ.

[UT absoluta habeatur cognitio de Sacrâ B. V. Imagine, quam in Ecclesiâ nostrâ Consolationis de Ferrariâ summoperè omnes venerantur, de eius origine, ac de solemni ejusdem Translatione anno 1516. celebratâ, prout hic dictum est num. 1. sciendum est, quòd cùm Vir quidam Nobilis Ferrariensis Ferrariâ egressus eò pervenisset, ubi modò est Ecclesia S. M. de Consolatione in Additione Herculeâ, de quâ ad annum 1500., eo temporis extra Mœnia Urbis per unum Milliare, curru, quo vehebatur, gravissimè periclitatus fuit. Discrimen autem illud nonnisi Divinitùs evasit, quamobrem Domum suam repetens Imaginem quandam Ligneam B.V. Puerum Jesum inter ulnas gestantis accepit undequaque deauratam anno 1190., prout in ejusdem Imaginis Tabulâ legere licet, non 1189. quemadmodum sentire videtur Guarinus in Historico compendio de Locis Pijs Ferrariæ, eamque Arbori appensam reliquit, ubi memoratum discrimen evaserat, in æternum grati animi monumentum, suæque SS. Patronæ Trophæum. Postmodum finitimi quidam Rustici sacram eidem Imagini Ædiculam construxere, ubi deinceps miraculis coruscare cœpit, eamque frequentissimi Populi, tum Ferrarienses, tum exteri venerabundi adire consueverunt. Cùm autem longè Augustior ædificata fuisset Ecclesia in eâdem Additione Herculeâ à PP. Congregationis de Observantiâ de quâ ad Annum prædictum 1500. priori illâ Æditulâ huic Ecclesiæ proximâ solo penitus æquatâ, Veneranda illa B. V. Imago exinde priùs educta, solemni pompâ processionaliter per Urbem delata die 18. Martij anni 1516. in hanc nostram Ecclesiam translata fuit. ubi etiamnum summâ veneratione colitur ob plurima, eaque eximia gratiarum genera à B. V. jugiter collata, ibique PP. eo temporis Comitia celebrarunt, ut longè majori eorundem frequentiâ Translatio longè illustrior haberetur. Anno autem 1524. die 9. Septembris Aram principem, in quâ magnificè posita cernitur Sacra hæc B. V. Imago, & totam Ecclesiam ritu solemni consecravit Tripolitanus Episcopus ex Estensi Familiâ, sicut & eandem Ecclesiam amplissimè instauravit, exornavit, illustravit clarissima illorum Principum Estensium Gens, potissimùm verò D. Sigismundus Princeps. & D. Marfisa Estensis, & Carrariæ Principis Uxor, qui proventûs etiam annuos Patribus alendis auxere, eosque semper mirum in modum fovere non destiterunt. Quæ sanè omnia è monumentis hujus nostri Conventûs eruuntur: quæ verò de Translatione diximus, didicimus speciatim ex Narratione m. s. P. Pauli del Ponte *in Lib. Memorabilium ejusdem Conventûs, qui d. Translationi se interfuisse testatur, quæ tandem de origine sacræ hujus Imaginis hic scripsimus, Guarinio loco citato debemus.]*

Consecratur Eccl. & Altare Majus.

DD. Estenses hujus Loci Benefactores clarissimi.

Alia Ordini Servorum accedunt Loca.

C A P. III.

[APud Aquas Sextias, seu Civitatem Aquensem, quæ Galliæ Narbonensis Metropolis est, & Parlamenti totius Provinciæ Sedes, extra Mœnia primùm anno 1517., seu 1515., Non enim una est omnium sententia, constructus Ordini Servorum fuit Locus ad honorem B. M.V.

Conv. Aquensis.

M. V. sub Tit. Annunciatæ, vel, ut alij volunt, pietatis, operâ ac studio Viri ex eodem Ordine eximij, qui summo omnium plausu exceptus sacras Conciones per Quadragesimam habuerat, sive is fuerit P. M. Christophorus de Burgo S. Sepulcri, sive Joannes Ludovicus Busdini S. Theologiæ Professor de Raconisio apud Pedemontium. Hic verò, quicunque is fuerit, non enim in hoc Scriptores consentiunt, per totam octavam Corporis Christi in Aquensi Metropolitanâ eâ dicendi vi, & eloquentiâ Conciones ad Populum habuit, ut Auctor esse potuerit Instituendi in eâdem Civitate sodalitij ejusdem Corporis D.N.J.C. ex quo factum est, ut Confratres illi, tum claritate generis, tum numero conspicui, grati animi ergo in publico Societatis Vexillo, & in Umbellâ SS. Eucharistiæ deferendæ additâ, ad perpetuam rei memoriam statuissent, ut Imago prædicti Patris perpetuò delineata appareret. Hic ergo Ordini nostro PP. sedem suam primò locarunt; ibi tamen diu perseverare non potuerunt; cùm enim Carolus V. Imperator, & Hispaniarum Rex Massiliam Ingenti Exercitu obsedisset, Cives Aquenses Locum hunc nostrum solo æquarunt, ne Carolus ibidem munitus Urbem faciliùs expugnaret. Verùm alium Locum tenuere PP. intra Mœnia Urbis, quemadmodum dicendum erit ad annum 1558.

Conv. S. M. de Agnino. Eodem anno, sive Communitas Agnini, Oppidi nimirum cujusdam Inter Montana Diœcesis Lunen. Sarzanen., in Ditione Magni Ducis Etruriæ, sive Petrus Angeli de d. Oppido, situm Ordini Servorum concessit haud procul ab eodem Oppido, vulgò dict. *de Cavaglini*, in quo construi cœpit Conventus, & Ecclesia, PP. deinde ejusdem Ordinis solertiâ, potissimùm verò cujusdam P. Francisci de Liccianâ, Terrâ alterius ex illis Marchionibus non longè positâ, accedente quoque piorum ope, completum utrumque fuit, prout Loci humilis, & angusti conditio patiebatur. Ecclesia quidem longè decentiùs, & satis exornata, ac B.M.V. sub Tit. Annunciatæ consecrata, cujus Imago coloribus expressa Aræ Majori honorificè imposita summâ veneratione colitur ob innumera, eaque insignia gratiarum genera à B. V. unicuique ex illâ regione collata; maximè verò quòd ipsamet Deipara communiter ab immemorabili tempore non interruptâ serie apparuisse cuidam feratur haud procul ab ipso Loco, ubi nunc est Ecclesia, & alia ex marmore adest ejusdem B.V. Imago, quam pariter omnes eximiâ veneratione prosequuntur; hinc plurima olim hinc inde per Ecclesiam pendebant Vota, Statuæ, & Imagines cujuscunque generis votivæ.

Imago B. V. in Eccles. nostrâ de Agnino miraculis celebris.

Conv. S. Joseph de Saxolo. Apud Terram *Saxoli* Diœcesis Rhegiensis, olim subjectam clarissimæ Familiæ Piorum de Sabaudiâ Ferrariensium, nunc autem Estensium Mutinæ Regnantium, hisce pariter temporibus Locus alter de Novo Ordini Servorum accedit. Anno quidem 1499. D. Alexander Pius Saxoli Princeps P.M. Antonio Severi de Butrio ex nostris illi maximè accepto, & apud ipsum commoranti, dono dederat, quandiu viveret, Oratorium quoddam S. Joseph B.V. Sponso dicatum, in quo Clarissima prædicta Piorum Familia die 20. Januarij quotannis solemni pompâ celebrare consueverat Festum SS. MM. Sebastiani, & Fabiani. Dono quoque dederat vetustam quandam Domum eidem Oratorio proximam, eique adhærentia Hortalia, pleno jure Sedem ibidem Ordini Servorum perpetuò statuendi. Anno autem 1516. donatio hæc ratihabita fuit per instrumentum, de quo rog. fuit Ser Ludovicus *del Paleotto* Bononiensis auctoritate Imperiali pub. Notarius, & Alexandri prædicti Cancellarius, quod etiamnum servatur in veteri quodam hujus Conventus campione fol. 50. & iterum refertur ejusdem P.M. Antonij manu fol. 99. Anno demum 1517. annuentibus Episcopo Rhegiensi, & Ordinis nostri Priore Generali Angelo Boniuccio de Arerio idem P.M. Antonius nomine ejusdem Ordinis Oratorij prædicti cum cæteris ad ipsum spectantibus possessionem corporalem recepit, eodemque anno Provinciæ Romandiolæ Locum hunc aggregarunt in ejusdem Comitijs PP., quem incolere cœperunt, cùm eorundem usui accommodatus aliquatenus fuit. D. Alexandri Fundatoris, ac Patroni munificentissimi mors hoc ipso anno secuta Patres reverâ summo dolore affecit, quippe qui jugem ejus beneficentiam nullâ non die experti fuerant, quocirca jure fanè optimo monumentum hoc in Lapide ipsi appositum, ejusque Conjugi in eâdem Ecclesiâ habetur.

Alexander Pius Fundator moritur.

D. O. M.

Alexandro Pio Saxoli Domino, & Angelæ Borgiæ Uxori, in quos Natura, & Fortuna certatim summa omnia, quæ aut in Principe, aut in Matrona optari potuerunt, ornamenta congessere.

Gibertus F. Parentibus opt. pos. 1537.

Item In Choro ad Lapidem marmoreum Sepulcri DD. de Pijs sequuntur hæc alia verba incisa.

D. O. M.

Herculi Pio de Sabaudia Principi, ac Saxoli Domino quarto, qui cùm summa æquitate, & clementia Populos Domi rexisset, post insi-

gnem multis in prælijs acceptam virtutem, gloriam, postremò honorificè à Venetis adversus Turcas conductus in Dalmatia 38. ætatis anno obijt 13. Kal. Februar. MDI XXXI.

Æneas Frater mœstissimum hoc Sepulcrum poni curavit, in quo etiam Alexãdri, Gibertique Principis Ossa concludi voluit.

Eleonora Bentivogli Pij Saxoli Gubernatrix donat Hospitale S. M. Ord. Ser.

P. M. Alexander de Saxolo Vir egregius.

P. M. Stephanus de Saxolo Vir eximius.

** P. M. Guido bellis Ordin. Ser. de Faventiâ, ubi scribit de Conven. Saxoli.*

Sorores Tertij Ord. Ser. apud Saxolum.

Quoniam verò PP. ibi degentes vitæ integritate morumque innocentiâ præstabant, ideoque omnium benevolentiam, ac venera- F tionem sibi maximè conciliaverant, Alexandri desiderium aliorum cum ex eâdem Familiâ, tum è diversis, beneficentia compensavit, adeò ut etiamsi 16. Patres fermè ab initio de Familiâ ibi degerent, adhuc tamen superabundarent victualia ob ingentem eleemosynarum copiam, quas indesinenter omnes ipsis erogabant eorum probitate, & erga S. Habitum pietate commoti; quin etiam D. Eleonora Bentivegli Pij Saxoli Gubernatrix eisdem PP. dono dedit Hospitale S. Mariæ cum omnibus ejus juribus, nomine Ordinis possessionem adeunte memorato Antonio Sever. Hinc brevi factum est, ut Conventum, & Ecclesiam magnificè, cujusmodi adhuc sunt, ædificarint, operâ potissimùm, ac stu- G dio P.M. Alexandri de Saxolo, Viri ob doctrinæ præstantiam, morum innocentiam, rerumque gerendarum peritiam insignis, quique idoneus supremo Ordinis nostri regimini communiter apud graviores PP. habebatur. Proximè verò insequenti seculo constructa fuit Ædicula B. Peregrino Latiosi dicata, quem ibi valde propitium in ijs partibus omnes experiuntur ab anno usque 1662. quemadmodum fusiùs ostendemus ad annum 1694. & unicuique semper ostendunt plurima Vota ex ære argentea cum plurimis Tabellis votivis ibidem appensa. Præ cæteris PP. sanctitate vitæ conspicuis ibi eo temporis degentibus, & Loci decorem promoventibus, memo- H randus omnino videtur P.M. Stephanus de Saxolo, doctrinâ, & vitæ integritate illustris, qui cum plurimos à Dæmone obsessos liberasset, Beneventi in Regno Neapolitano, ubi summo omnium plausu, & Animarum utilitate maximâ sacras Conciones habuerat, sanctitate celebris obijt Anno 1522., prout ad eundem dicemus, cujus proinde Imaginem tanquam Servi Dei delineatam, & incisam æri majores nostri * se vidisse scripserunt.

Procedente verò tempore Mulieres etiam in hac Terrâ Habitum Tertij Ordinis Servorum suscepere, quarum Elenchus in eodem nostro Conventu habetur. Postmodum in hac Ecclesiâ erecta rite fuit Societas sub Tit. SS. Conceptionis aggregata subinde Archiconfrater- E nitati SS. Conceptionis in Ecclesiâ S. Laurentij in Damaso Romæ institutæ, prout constat ex Literis patentibus Alexandri Cardin. Farnesij Episcopi Ostiensis S. R. E. Vicecancellarij, & ejusdem Archiconfraternitatis Protectoris, necnon DD. ejusdem Archiconfraternitatis Custodum Romæ datis anno 1583. die 11. Septembris, quarum originale in hoc nostro Conventu asservatur, transumptum verò in Archivo Conv. D. Annunciatæ de Florentiâ. Plures etiam ibidem Sanctorum Reliquiæ, eæque insignes, & authenticè recognitæ eximiâ veneratione coluntur. Ex his omnibus minùs arduum erit colligere, quòd plures ex hoc Loco prodierint Viri, seu sanctitate, seu doctrinâ, seu rerum gerenda- F rum peritiâ præclari, qui eundem sapientissimè administrarunt, exornarunt, & illustrarunt.

Conv. secundus S. M. Paradisi de Veronâ.

Superiori seculo apud Veronam extra Mœnia Sedem obtinuerant PP. Congregationis Servorum de Observantiâ in Loco quodam dicto S. Maria *del Paradiso*, prout satis ad annum 1480. Quoniam verò anno 1515. ob ingruentia bella, & incursiones militum omnia susdeque vertentium inde recedere coacti fuere PP., ac ne Locus ille noster Hostibus pro munimento foret ad Civitatem vexandam, solo æquatus fuit, iidem PP. huc, & illuc vagari intra Mœnia cœperunt, modò apud S. Toscanam, modò apud S. Apollo- G niam, modò apud S. Joannem in Valle, modò apud hos, modò apud illos, sive amicos, sive consanguineos, sive quoquo modo B. V., ejusque Servorum Ordini addictos, haud sine gravi illorum incommodo, curâ, sollicitudine, donec tandem hoc anno 1518. quibusdam Domibus propè Ecclesiam S. Vitalis coemere, prout constat ex publicis Instrumentis, ibique Sedem de novo posuere sub eodem Tit. S. Mariæ *del Paradiso*. Huc ergo annuente Episcopo rebus pretiosioribus, ac bonis omnibus delatis, quæ è priori Loco jamptidem, ut diximus, everso educere licuit, Ecclesiam, & Monasterium construxere, ubi adhuc degunt, molestijs quibusque superiores, quas illis inferre veritus non fuit Rector Ecclesiæ S. Vitalis ægerrimè ferens aliam sibi H proximam Ecclesiam. Leo enim Papa X. anno sequente 1519. die 10. Octobris Bullâ datâ pro FF Ecclesiæ, & Monasterij Fabricam non impediri præcepit. Itaque constructum fuit Monasterium, constructa fuit Ecclesia, & anno d. 1519. die 22. Aprilis ab Episcopo Veronæ D. Marco Card. Cornaro solemni ritu consecrata, eique concessum, sicut & alijs nostri Ordinis Ecclesijs non paucis, Altare privilegiatum sub dat. die 27. Martij 1578. à Gregorio Papâ XIII., enixè petente P.M. Damiano Granâ Veronensi hujus Conventûs Alumno munifico Sanctitatis suæ Confessario, Viro doctrinæ præstantiâ, morumque integritate conspicuo. Eodem

anno

anno 1519. PP. Congregationis de Observantiâ alium sibi Locum cumpararunt, & sanè magno laudis fœnore prope, & extra Oppidum Montis Cicardi Diœcesis Pisaurlensis. Cùm enim Vir quidam nomine Brandinus, seu potiùs Bernardinus Joannis Fabri de Monte Cicardo noctu quadam Calibanum versùs pergeret, ac de repente procella gravissima illum invasisset, adeò ut propriam domum reperere non posset, nec ullum in eo Vico Calibani adinveniret, qui eum hospitio, misericordiâ motus, recipere vellet, ad humilem, & pauperem Locum Ordinis Servorum divertit, ubi perhumaniter exceptus, sequenti die gratijs actis pollicitus Illis PP. fuit se tantæ hospitalitatis memorem semper fore; promissis constanter stetit, fidera servavit, nam paulò post in extremis agens Domum suam cum reliquis suis Bonis Ordini Servorum legavit, ut inibi Conventus cum Ecclesiâ construeretur, prout paret ex Testamento die 28. Augusti condito anno 1517. Uxori suæ Laurentiæ districtè præcipiens, ut supremam hanc voluntatem suam executioni quaoprimùm mandari curaret. Itaque P.M. Clemens Lazaronus de Rehado Congregationis præfatæ Vicarius Generalis unà cum PP. in Capitulo Generali congregatis Utini die 12. Maij anno 1519. Locum hunc recepit, & Priorem ibidem primo loco constituit P. Petrum de Pisauro, quinimmo Conventus hic Conventui, & PP. de Pisauro commendatus, & uoitus fuit, qui tamen anno 1583. in Comitijs Generalibus Sermeri habitis Prioratus absolutus evasit. Ecclesia deinde consecrata legitur sub Tit. S. Mariæ Gratiarum per D. Nicolaum Episcopum Arben. die 2. Maij 1533. qui cum alijs Sanctorum Reliquijs in Arâ principe Reliquias quasdam inclusit B. Elisei Prophetæ. Ejus autem Festa præcipua sunt Visitatio, & Annunciatio B. V. M. Alterius Loci, quem PP. ejusdem Congregationis tenuere, & adhuc Ordo Servorum tenet super Collem quendam haud procul ab Oppido Bronij diœcesis Placentinæ, originem deprehendere nondum licuit, quem tamen antiquiorem esse hoc anno 1519. valde credibile est; nihilominus ad annum hunc saltem referendum esse putamus, quia hoc anno pridie Kal. Novembris aliquid ipsius primò nobis innotescit, sc licet Testamentum D. Antonij de Comitibus Valpergæ de Pedemontio, quo D. ille Comes mandavit Sepulcrum sibi parari in Sacello Majori hujus Ecclesiæ, & eidem Sacello exornando bis centum nummos aureos legavit. Ejus Festum magno Populi concursu, ac solemni pompâ celebratur die 8. Septembris, Festo nimirum Nativitatis B.M.V., etsi Tit. Ecclesiæ sit S. Mariæ Gratiarum. Hisce pariter temporibus origo tribuitur Monasterij, quod Ordinis nostri Sorores incolunt in Oppido Frattæ Diœcesis Eugubinæ, quod Tipherno Perusium versus per novem milliaria distat. Itaque communis fert traditio, quod è Monasterio Paupercularum, sive Monialium Ordinis nostri sub Tit. SS. Conceptionis de Perusio, de quo ad annum 1255., anno 1519. Moniales quædam prodierint, & ad Oppidum hoc advenerint, ut alias Virgines eodem Habitu indutas, ibique in unum congregatas in Disciplinâ Regulari instituerent, Deo, ac Deiparæ addictas in sanctis operibus exercerent. Quod sanè feliciter plures annos præstitere; deinde verò ex ijs nonnullæ Perusium ad pristinum Monasterium, unde venerant, reversæ fuerunt. Monasterium hoc recensetur in Regesto Generalis Joannis Baptistæ Migliovacca ad annum 1560. Ex his Monialibus non paucæ sanctitatis famâ celebres obiere, & omnes adhuc Disciplinæ regularis tuendæ studio incensæ perseverant. Recolendum denique hoc anno est ad eruditionem posterorum, quòd Leo Papa X. inhibuit publicationem Indulgentiarum S. Mariæ de Populo de Urbe, quas tetulimus ad annum 1426., quemadmodum cuique licet intelligere ex Bullâ sequentis tenoris, quam hic transcribere placuit, ut singulis Ordinis nostri Fratribus magis obvia fiat, exquo non omnibus licet Bullarium consulere, è quo ipsam transcribimus.

Conv. S. M. Gratiarū de Monte Cicardo.

Conv. S. M. Gratiarum de Bronio.

Monast. Monialium de Frattâ.

LEO PAPA X.

Universis, & Singulis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Dudum per Nos accepto quòd Romani Pontifices prędecessores nostri, aliqui ad Minorum, alii verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. Marię de Monte Carmelo, reliqui dd. Prædicatorum Ordinum Fratres, & Domos juxtà ipsorum vota devotionis affectum gerentes illorum singulis nonnullas gratias, concessiones, Indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona tam Spiritualia, quàm temporalia, per diversas ipsorum Literas respectivè concesserunt.

§. 1. Nos ad singulos Ordines prędictos, singulasque ipsorum Ordinum Domos, ubi religiosè vivitur, indifferenter abique acceptione personarum, devotionis affectum æquâ lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessiones, Indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam spiritualia, quàm temporalia, qualiacunque illa essent, quę Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum Beatę Mariæ, ac Minorum Fratrum in Domibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cujuscunque statûs, aut sexûs existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon Domibus, & Præsidentibus, non solum Generalibus

libus, & Provincialibus, Fratribusque, & Sororibus, necnon Monialibus, & Conversis, Oblatis, ac utriusque sexûs personis de pœnitentiâ, seu Tertij Habitûs nuncupatis à dd. Prædecessoribus, aut à Nobis, ipsisque successoribus, aut aliâs auctoritatem habentibus conjunctim, vel divisim, in genere, vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac nominanter exprimerentur pro sufficienter expressis tunc habeantes, singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesijs, Oratorijs, & Ecclesias, ac Oratoria visitantibus cujascunque statûs, aut sexûs existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon Domibus, & Conventualibus Fratribus, & etiam Sororibus, vel Monialibus, Conversis quoque, & Oblatis, ac utriusque sexûs personis de pœnitentiâ nuncupatis, & alijs singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex merâ nostrâ scientiâ, & liberalitate, de Apostolicæ auctoritatis plenitudine communicavimus. Illaque omnia, & singula inter dd. Ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis Literis prædictis plenius continetur.

§. 2. *Et deinde, sicut accepimus, nonnulli Fratres dictorum Ordinum volentes sapere plusquam oportet, atque ad ipsorum nutum verba ipsa interpretantes, diversis tam secularibus, quàm etiam alijs personis publicè, & privatè suggesserint, quòd ipsi seculares visitando unam dd. Ordinum Domum, omnes, & singulas Indulgentias, & remissiones peccatorum tam per dd. Prędecessores nostros, quàm per Nos Domui B.M. de Populo de Urbe concessas consequi poterunt, perinde ac si d. Domum S.M. de Populo visitarent, quod pręter ipsorum Prędecessorum, & nostram mentem fuisse, & esse dignoscitur.*

§. 3. *Attendentes igitur, quòd Indulgentia in eatum Religionis concessa, ad seculares extendi non debet, volentes mentem dd. Prędecessorum, & nostram declarare, & omnem ambiguitatem, & occasionem tollere, motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, volumus, & auctoritate Apostolicâ declaramus, quòd universi, & singuli dd. Ordinum Fratres, & Moniales, Tertijque Ordinis utriusque sexûs, & Familiares duntaxat, omnibus, & singulis Indulgentijs, & gratijs per eosdem prædecessores, et Nos, Domus B.M. de Populo de Urbe, ut pręfertur, concessis, & concedendis, utantur, potiantur, & gaudeant, ac uti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum perinde ac si ipsi d. Domum B. Marię de Populo, his diebus, & Festivitatibus, quibus Indulgentiæ hujusmodi concessę fore dignoscuntur, personaliter visitarent, quodque vigore prædictarum Literarum, seculares gratijs, & Indulgentijs hujusmodi, uti, & gaudere non possunt.*

§. 4. *Inhibentes nihilominus in virtute S. obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, eo ipso per contrafacientes incurrendâ, omnibus, & singulis Fratribus cujuscunque Ordinis existentibus, & quibuslibet alijs personis, ne deinceps Indulgentias, & gratias* E *hujusmodi S. Mariæ de Populo de Urbe, ad Seculares extendi prædicent, aut publicè, vel privatè annuncient.*

§. 5. *Non obstantibus præmissis, aut quibusvis alijs Literis Apostolicis, privilegijs quoque, & indultis dd. Ordinibus concessis, quę quoad præmissa revocamus, cassamus, & annullamus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.*

§. 6. *Volumus autem, & auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd præsentibus transumptis, manu Notarij publici signatis, & alicujus Prælati, aut Personę in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ, sigillo munitis, ea fides prorsus in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur, si pręsentes Literæ essent exhibitę, vel ostensę.*

F *Datum Romę apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 10. Decembris 1519. Pontificatûs nostri anno septimo.*

ANNOTATIONES IN CAP. III.

Singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex Monumentis eorundem Conventuum in eo plerumque citatis.]

De Miraculo, quod contigit Romę in combustione Ecclesiæ S. Marcelli; deque gestis, & obitu BB. Lucię de Bagolino, & Antonij de Justinopoli.

C A P. IV.

G SIVE fortuitò, sive potius Divinâ (ut credendum est) providentiâ disponente accidit Romæ, ut noctu quadam tota .1. Ecclesia S. Marcelli, quæ etiam vetustissima erat, combureretur. Erat autem ibi perantiqua quædam Sanctissimi Crucifixi Imago ante quam die, noctuque lampas collucere solebat, quæ in incendio tam admirabili modo lucens conservata fuit, ut totius Romanæ Urbis judicio magnum ibi miraculum accidisse conclamatum fuerit, ex quo deinceps eidem Imagini Sacratissimæ longè major usque ad hanc nostram diem accessit Romanorum devotio, unde percelebris illa Societas emersit, quæ deinceps toto terrarum orbe cognita Archiconfraternitatis San- H ctiss. Crucifixi de Urbe Titulum sortita fuerit, & tota Ecclesia S. Marcelli summorum Pontificum Leonis, Clementis, & aliorum ope in elegantiorem formam redacta, & Julij Vitelli præcipuâ munificentiâ tandem completa, & exornata fuit; obiter tamen Leo Summus Pontif. pro ipsius reparatione die 8. Octob. per Apostol. lit. mandavit sub excom. pœnâ, ut à toto ordine Servorum æquis portionibus solverentur 2200. aurei de camerâ, & insuper indulgentiam tam regularibus, quàm secularibus concessit, qui eidem reparandæ Ecclesiæ manus porrigerent adiutrices. Interea Patres de Congregatione

Urini

Utini conventum faciunt, & ibi Vic. Generalem constituunt Clementem alium Juniorem de Mantuâ, qui anno suæ administrationis revoluto, antequam Magistratum deponeret die 12. Maij 1520. quasdam lit. patentes 2. bonorum spiritualium concedit D. Galeatio de . . . . . Foroliviensi, quas vidimus obsignatas cum sigillo majori, in quo consueta Imago B. Virginis manu recipientis Fratrem unum ex nostris Beatis coram illo genuflexum, sub quo etiam apparet antiquum illud stemma Religionis M.S. cum filio habens circumcirca hæc verba *Sigillum Vic. Generalis Serv. de Observantiâ*. Hæc verò tam diligens observatio non perperam credatur hoc locò apposita, sed ut ex eâ facilè deprehendatur quàm recens, quàm vana, quàm futilis fuerit postea recepta adinventio illa sigilli de duobus draconibus cũ alijs in eâ contentis, in quâ cervicosi cuiusdã cerebri arbitriũ, potiùs quam totius universitatis consilium inspicitur. Unde opus fuit non multò post, ut eo sublato emblemate idem sigillum ad antiquam, & communem formam redigeretur. Deposito interim officio Clemens Hieronymum de Placentiâ ibi in Comitijs Congregationis tertio loco successorem habuit Vicarium.

Sigillũ, quo PP. de Cõg. antiquitus utebantur.

Die verò 20. Septembris memoratu dignũ occurrit, quòd B. Lucia .3. de Bagolino carnis ergastulo derelicto, cœlestia petijt. Est autem Bagolinum Tridentinæ Diœc. Oppidum inter Montana Italiam à Germaniâ dirimentia. Eo igitur in Oppido Lucia honestis parentibus orta, ac sanctissimis moribus educata, cum devotissima esset B. Virginis anno 16. ætatis suæ perpetuò virginitatem vovit, jejunijs, & disciplinis, & orationibus semper intenta, cùm pervenisset ad annum 26. pluries pijs Religiosis testata fuit, se in suâ cellâ visiones habuisse Beatissimæ Virginis, illam hortantis, ut se à seculi commercio abstraheret, quò commodiùs contemplationi, & orationibus, vitæque spirituali vacare posset, cirò enim futurum esse, ut inter suas Ancillas annumeraretur: unde virgo Lucia secessit in quendam solitarium locum non procul, & super terram Bagolini, quamvis à suis sæpè redargueretur, quòd ita sola, juvenis, ac speciosæ formæ, in tam solitario loco vellet vitam degere, quin & ipsam minabantur parentes sui, nec permittebant illam domo discedere: accidit autem, ut Lucia se B. Virgini commendans fortè fortuna cum quadam puellâ virgine, quæ dicebatur Massia de Macinatis ejusdem loci conveniret, quæ similiter devotissima erat B. Virginis, & ejusdem voluntatis eidem inserviendi. Convenerunt igitur inter se, ut locum illum solitarium incolerent. Anno proinde 1515. locum illum, ubi dicitur *contrada del Rone* incolere cœperunt sub quadam magnâ rupe, ubi quibusdam tabulis cavernam illam clauserunt, & habebant ibi imaginem Salvatoris, & B. Virginis in arctissimâ ibi pœnitentia viventes, & toto ferè tempore castaneis, & herbis, piorumque oblationibus, quæ sibi porrectæ fuissent, nutriebantur. Deinde paulatim ex eleemosynis sacellum ad modum parvæ Ecclesiæ, ubi nunc est chorus, extruere cœperunt; quò enim aliæ adolescentulę virgines concurrere certatim cæperant. Interea Lucia virgo visum, & vocationem à B. Virgine recepit, ut ejus habitum Ordinis Servorum reciperet, cujus occasione anno 1516. Brixiam ad Priorem S. Alexandri perrexit, de recipiendo habitu tractans, & die 2. Maij Anno 1517. gratiam obtinuit, & habitum recepit per manus Fratris Deodati Caprolæ Brixiensis Vicar. Gener. Servorum, ut per ejus lit. pat. ibidem datas apparet. Cùm ergo suscepto habitu revertisset Bagolinum, anno 1518. fuit initium datum pro Monasterio Sororum: Patres enim miserunt, qui Crucem plantaret, nomine, ut ferunt, Fratrem Benedictum, & Joannem de Foijs à Bagolino qui quoddam territotium pro eodem ædificio concessit. Hæc B. Lucia maxima incõmoda eo in itinere perpessa est, multas illusiones à Diabnlo passa, qui illam dissuadebat, & in desperationem inducere conabatur, objiciens paupertatem, inopiam, difficultatem ædificandi Monasterium, dedecus magnum futurum, si non complevisset illud opus, & meliùs fore, ut reverteretur ad suos parentes in propriâ domo; accidit etiam, ut quandoque eo in itinere fessa, cum super asellum equitaret, sensit se fortiter expelli inde, & præcipitem dari, cadens super terram, magnam collisionem passa est super vitam, fractis quodammodo cruribus, non tamen animo defecit, quin, ut tentationem illam superaret, cùm non posset rectâ super asellum incedere, quasi saccum se fecit ligari. Cùm verò in Ecclesiam Brixiæ pervenisset, coram Altare Annunciatæ quiescens, & paulò post expergefacta, meliùs se habere cœpit. In eo monasterio duodecim virgines secum habuit. Cum morti appropinquaret Anno 1520. post suscepta Eucharistiæ Sacramenta die 20. Septemb. in Aurorâ decessit, & totâ eâ nocte in suâ cellâ dum moreretur, sorores testatæ sunt vidisse cum alijs mulieribus præsentibus varios splendores, veluti micantia sydera per illam cellam continuò errantia; deque ejus miraculis post mortem multa eo loci circumferuntur, quorum specialis memoria apud me non habetur. Hujus verò B. Imago Habitu Tertij Ordinis induta poterit ad instar B. Mariæ Magdalenæ sub quadam rupe contemplans, & adorans B. Mariã Virg. sibi cum Filio blandiente appingi.

B. Luciæ de Bagolino gesta narratur.

B. Lucia magnas à Dęmone patitur tentationes

Imago B. Luciæ

Hoc eodem tempore Justinopoli moritur B. Antonius, quem maximam egisse pœnitentiam refert antiqua traditio, & hic similiter poterit repræsentari ad instar B. Hieronymi se saxo percutientis coram sanctissimo Crucifixo. Iuterea Hercules Rangonus Cardin.

Mors B. Antonij Justinopolitani.

din.

din.c gnitâ præstantiâ & virtute Mag. Joannis de Ferrariâ, cùm sibi assumpsisset illum in Theologum, & familiarem in propriâ curiâ cum duobus socijs, prout ex ejusdem lit. pat. Romæ datis die 17. Maij Anno 1518. curavit, & hoc anno, ut ad Episcop. Sebastensem à Summ. Pontif. Leone promoveretur, & ipsum solemni pompâ consecrari fecit.

M. Joannes Ferrariensis Episcop. Sebastiensis.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 EX *monum. Conv. S. Marcelli, & bulla Leonis Papæ habetur in Archiv. Conven. Servorum Bonon.*

2 *Vidit author præfatas literas cum sigillo, quod asserit inter monum. Conventûs Forolivij.*

3 *Gesta B. Luciæ habuit author, dum esset Brixiæ ex quibusdam monum. D. Alberti Bucij Notarij de Bagolino.*

Refertur aliorum Conventuum Ordinis Servorum Origo.
C A P. V.

MOnialibus de Frattâ cap. 3. ad annum 1519. memoratis, Moniales succedunt anno 1520. apud Sablonetam Duci Gonzagæ subiectam, quæ Monasterium ibi hac ratione erexerunt. Puella quædam filia Francisci de Batijs de Sablonetâ à teneris adhuc unguiculis Virginitatem Deo voverat, quapropter nubilem ætatem attingens à Parentibus petijt sibi in Dotem constitui domunculam quandam, in quâ solitudini addicta Virginitatem posset servare. Cùm autem hoc assecuta fuisset, desumpta inde fuit occasio construendi Monasterium, in quo plures Virgines sanctioris Vitæ genus ducerent; qui verò opus hoc præclarum promovere satagebant celebritate famæ commoti, quæ de Sanctimonialibus Ordinis Serv. de Mantuâ pervagabatur, de quibus satis ad annum 1482., aliquot ex ijs petiere, ut Monasterium hoc instituerent, & Moniales easdem addictas in disciplinâ regulari informarent. Itaque mandante P.M. Clemente de Rohado Congregationis Servorum de Observantiâ Vicario Generali quatuor Sorores de Mantuâ, scilicet Maria Francisca de Pictonijs, Ursulina, quæ dicebatur *del Vescovo*, Bonaventura, & Monica die 11. Februarij anno 1520., quæ fuit Dominica in septuagesimâ, Sablonetam pervenere, solemni ritu Concione ad Populum publicè habitâ ab eodem Vicario Generali, Divinisque solemniter peractis, quamplurimis utriusque sexûs nobilibus præsentibus, magnâ Populi frequentiâ ab ipso Vicario Generali, quem plures ex Ordinis nostri Patribus comitabantur, processionaliter circumductæ in hoc recens Monasterium subiere; post Vesperas autem ejusdem diei B.M.V. Habitu solemni ritu induta, & ab ijsdem Nobilibus Mulieribus associata, eò pariter introducta fuit Puella prædicta de Barijs, dicta deinceps Soror Patientia; progressu verò temporis de virtute in virtutem procedentes singulæ alias semper, & alias sanctissimæ earum vitæ exemplo excitatas in sui consortium admittebant, quò brevi factum est, ut Monasterium, tum numero, tum Regularis Observantiæ studio præclarum evaserit, & adhuc perseveret.

Monast. Monialium de Sablonetâ.

Eodem anno in Diœcesi Ariminensi sub Ducatu Urbini Locum alium, qui dicitur *la Cella del Monte*, apud Castrum novum recipit Ordo Servorum ab eâ Communitate ædificatum, quam concessionem, & receptionem approbat nomine totius Ordinis Antonius Card. de Monte Protector per Literas patentes, quæ in Conventu S. Marini servantur.

Conv. Cellæ Castri novi.

Quòd PP. S. Petri de Aretio possessionem primò adierint Abbatiæ S. Ægidij de Campriano, quam Eremitæ Camaldulenses olim renuerant, ac tandem deseruerant, die 2. Junij anno 1506., & ab anno usque 1504. ijsdem PP. S. Petri designata fuisset, perspicuum est ex Lib. Introitûs, & Exitûs anni 1504. illius nostri Conventûs de Aretio. Cæterùm hoc anno 1520. Julius Tit. S. Laurentij in Damaso Presb. Card. Medices S. R. E. Vicecancellarius, & in Provinciâ Tusciæ, & alibi Apostolicæ Sedis Legatus Literas patentes Florentiæ dedit, quibus Abbatiam eandem Conventui, ac PP. præfatis S. Petri de Aretio annectit, & unit, quarum hic est tenor.

Abbatia S. Ægidii de Cãpriano unitur Cõventui S. Petri de Aretio.

JUlius miseratione Divinâ Tit. S. Laurentij in Damaso Presb. Card. de Medicis S.R.E. Vicecancellarius, In Civitatibus Bononiæ, & Placentiæ, & Exarchatu Ravennæ, necnon totâ Provinciâ Romandiolæ, Tusciæque Apostolicæ Sedis de Latere Legatus ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto Nobis ab Apostolicâ Sede Legationis officio circa ea libenter intendimus, per quæ nostræ provisionis opere singulis Ecclesijs præsertim Regularium, Monasterijs, & personis in illis Deo famulantibus, & Divinis obsequijs insistentibus pro faciliori onerum eis incumbentium supportatione, & congruæ subventionis auxilio consulatur. Cùm itaque Abbatia, seu Monasterium S. Ægidij de Campriano Ordinis Camaldulensis Aretinæ Diœcesis, quod nuper dilectus Nobis in Christo Laurentius de Gianfigliazzis Clericus Florentinus familiaris, & continuus Commensalis noster ex concessione, & dispensatione Apostolicâ in Commendam obtinebat, cessante huiusmodi Commendâ, ex eò quòd d. Laurentius illi hodie per dilectum Nobis in Christo Joannem Gabrielis de Simonibus Laicum Florentinum procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte cessit, Nosque cessionem huiusmodi quascumque gratias expectativas speciales, vel generales reservationes, & absque consensu d. Laurentii coadiutorum deputationes etiam cum provisionibus, seu commendis ex tunc Uniones,

Lit. pat. Julii Card. pro d. unione.

Anne-

Annexiones, Incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes, appropriationes, nominationes, ac uniendi, annectendi, incorporandi, supprimendi, extinguendi, applicandi, appropriandi, reservandi, nominandi, ac nominatis, vel alijs conferendi, seu commendandi, & alias facultates, & mandata, necnon quæcumque alia gratias, literas, privilegia, indulta, seu dispositiones citra tamen accessus, & regressus in quarumvis personarum, cujuscunque Dignitatis, status, gradûs, ordinis, conditionis, nobilitatis, & præeminentia existentium, & SS. D. N. Papæ, & seu nostrorum Familiarium, & continuorum Commensalium, & cum antiquorum incertis Literis, seu rotulo, aut aliàs descriptorum, aut Romanæ Curiæ Officialium, propria officia in eâ etiam actu exercentium, vel etiam Episcopali, Archiepiscopali, aut Patriarchali dignitate, seu Cardinalatûs honore fungentium, vel Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, Capitularium, aut quarumvis aliarum mensarum, seu dignitatum, vel aliorum beneficiorum quorumcunque, aut etiam in aliàs favorem, & commodum à præfato SS. D. N. Papâ, seu Sede prædictâ, vel ejus Legatis etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, aut de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam Regum, Reginarum, Principum, Ducum, Prælatorum, Cardinalium, aut aliorum Dominorum Ecclesiasticorum, temporalium, Universitatum, Studiorum, Jurium cessorum, vel ablatorum, aut damnorum, & spolijs, etiam per Infideles eis illatorum, seu Redemptionis Captivorum, etiam de manibus eorundem Infidelium, vel subsidijs contra dd. Infideles, aut ob remunerationem laborum, obsequiorum, vel servitiorum, & SS. D.N. Papæ, vel d. Sedi, aut etiam Nobis pro Fide Catholicâ impensorum, seu quavis alia, & excogitabili, & grandi consideratione, intuitu, vel respecta in genere, vel in specie, etiam nominati perpetuò, vel ad tempus de d. Monasterio cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs Decretis etiam talibus, quod illis nullatenus, aut sub certis inibi expressis modo, & formâ derogari, seu illorum effectus suspendi possit, concessas, & concessa eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes ad hunc effectum anteomnia auctoritate Apostolicâ Nobis commissa, & qua per Literas SS. D. N. Leonis Papæ X. sufficienti facultate suffulti fungimur in hac parte suspendendo, ac in Monasterio, & ejus vacatione hujusmodi effectum sortiri, vel habere, & locum sibi vendicare non posse vel debere decernendo duximus admittenda, adhuc eo quo dum eidem Laurentio commendatum fuit, vacabat, modò vacare noscatur ad præsens. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Nobis in Christo Prioris Generalis Ordinis Servorum, necnon Prioris, & Fratrum Monasterij S. Petri parvuli de Aretio d. Ordinis Servorum petitio continebat, licet d. Monasterium A S. Petri Parvuli, & sui Antiquitate, Ædificiorum amplitudine, ac Fratrum in illo jugiter Deo famulantium copiâ inter cætera d. Ordinis Monasteria clarum, & insigne existat, tamen ipsius proventûs ad commodam Prioris, & Fratrum prædictorum sustentationem, & onerum illis pro tempore incumbentium supportationem nequaquam sufficiunt. Et sicut eadē petitio subjungebat, si d. Monasterium S. Ægidij Monasterio, & Conventui S. Petri Parvuli prædicti perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profectò eorundem Monasteriorum commoditatibus, & utilitati plurimùm consuleretur. Quare Nobis humiliter supplicari fecerant, ut d. S. Ægidij de Campriano Monasterium eam Juribus & pertinentijs suis universis B eidem Monasterio S. Petri Parvuli perpetuò unire, annectere, & incorporare, aliàsque in præmissis sibi opportunè providere de benignitate Nostrâ dignaremur. Nos igitur, licèt idem Leo Papa X. inter alia voluerit, quòd semper in unionibus committendis fieret ad partes vocatis quorum interesset, & verus annuus valor tam cujus unitur, quàm unienda Beneficiorum exprimi deberet, alioquin unio non valeret, votis Prioris Generalis, ac Prioris, & Fratrum prædictorum in hac parte favorabiliter annuentes, ipsosque Priorem Generalem, ac Priorem, & Fratres Conv. hujusmodi, singularesque personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quâvis C occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon d. Monasterij Sancti Petri Parvuli, & ejus annexorum fructuum, redditnum, & proventuum veros valores, verumque, & ultimum d. Monasterij S. Ægidii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet præsentibus pro expressis habentes, d. Monasterium S. Ægidij, quod conventuale non est, cujusque fructûs, redditûs, & proventûs quadraginta octo ducatorum auri de Camerâ secundum communem æstimationem valorem annuum, ut similiter asseritur, non excedant, qui si modò, & ex cujuscunque personâ, seu per liberam cessionem cujusvis de ipsius Mo-D nasterij regimine, & administratione extra Romanam Curiam, etiam coram publico Notario, & Testibus sponte factam vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quòd ejus provisio juxta Lateranensis Statuta Concilij, & alias canonicas sanctiones ad Sedem eandem legitimè devoluta existat, & ad illam ex quavis causâ specialiter, vel generaliter pertineat, & super regimine, & administratione prædictis inter aliquos lis, cujus statum haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum annexis, ac juribus, & pertinentijs suis auctoritate Apostolicâ præfatâ tenore præsentium d. Monasterio, Capitulo, & Conventui S. Petri Parvuli perpetuò unimus,

anne-

annectimus, & incorporamus. Ita quòd liceat præfatis Priori, & Fratribus per se, vel aliū, seu alios corporalem d. Monasterij S. Ægidij, & annexorum, & bonorum ejus possessionem propriâ auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ipsiusque fructûs, redditûs, & proventûs in suos, & Monasteriorum prædictorum usus, & utilitatem convertere, Diœcesani Loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ. Non obstantibus præfati SS.D. N. Papæ voluntate prædictâ, ac alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinum prædictorum. Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis d. Ordinis Camaldulen., & illius Patri Abbati Generali, & Sacræ Eremi Eremitis super Monasterijs d. Ordinis alicui Mensæ, vel alijs Locis non uniendis absque consensu pro tempore Maioris Abbatis, & dilectorum Filiorum Conventûs Monasterij Sacræ Eremi prædictæ, etiam sub quibusvis verborum formis, ac clausulis, & Decretis, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis etiam cum irritantis appositione Decreti concessis, confirmatis, & etiam pluries innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda, & eorum derogatio, seu suspensio de consilio, & assensu Reverendissimorum Dominorum Cardinalium facienda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, seu illorum omnium vim, effectum, in quantum præsentibus obstet, tamdiu suspēdimus, donec eædem præsentes suum plenum consecutæ fuerint effectum, contrarijs quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi Monasterijs, vel alijs beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales d. Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet esset processum. Quas quidem literas, & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad Monasterium hujusmodi S. Ægidij volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Monasteriorum, seu Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibusvis alijs privilegijs, indulgentijs, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Literis mentio specialis: volumus autem quòd propter unionem, Annexionem, & incorporationem prædictas in Monasterio hujusmodi S. Ægidij Divinus cultus, ac solitus Fratrum, & Ministrorum numerus nullatenus minuatur, ac Monasterium prædictum debitis propterea non fraudetur obsequijs, & Animarum cura in eo, siqua illi immineat, nullatenus negligatur, sed Monasterij prædicti congruè supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his literis à quocunque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes literas fieri fecimus, & nostri soliti Sigilli jussimus appensione communiri.

Datum Florentiæ in Ædibus nostræ solitæ Residentiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo nonis Novembris Pontificatûs præfati SS. D. N. Papæ Leonis X. anno octavo.

Postmodum verò Patres F. Stephano Boniuccio ex Ordine nostro Episcopo Aretino, & S. R.E. Presbytero Card. Abbatiæ hujus liberum usum concessere, qui tandem Stephanus ultrò eandem cessit anno 1575. quo proinde dd. Patres die 10. Julij possessionem ejusdem iterum adiere, recipiente P. Marco Scortecci Conventûs S. Petri Priore, eumque in possessionem admittentibus Matthæo illius Ecclesiæ Piebano, & Marco ejusdem Capellano coram duobus testibus. Quæ quidem ex Lib. Memorab. prædicti Conventûs de Aretio fol. 20. excerpta anno 1714. Mense Septembri ad uberiorem veritatis rerum gestarum intelligentiam hîc retulisse singillatim juvabit.

Commēdatur Card. Bonuccio.

Eam cadit PP. qui iterū eam recipiūt

De pauco, & humili nostro Conventu, & Ecclesiâ D. Annunciatæ de Florentiolâ inter Apenninos, ejusque origine, & exordio, vix aliquid diximus ad annum 1436. hoc autem anno 1520. aliquid aliud adijcere licet. Contigerat sanè anno 1507., ut per Oppidum illud transiret Dominicâ die Pater quidam è nostris Florentinus nomine Miniatus ætatis annorum 26. cum tribus alijs Patribus ejusdem Ordinis Servorum, qui deferebant Literas citatorias Capituli Generalis, & Romam adibant, opportunè reverà, non enim aderat Sacerdos ullus, qui Missam celebraret; Id autem ipsi eâ devotione præstitere, ut Oppidani quicunque eorum pietate, ac religione commoti eos enixè rogarunt, ut Locum ibidem iterum acciperent, quem jampridem deseruerant eorum Majores, prout dictum est ad annum d. 1436. Annuerunt PP. unà cum Cyriaco totius Ord. Serv. Priore Generali, & P. M. Peregrino Conventûs D. Annunciatæ de Florentiâ Priore, cui Locus hic de Florentiolâ unitus fuerat, & commendatus, ibique institutus primo loco fuit Prior prædictus P. Miniatus, qui statim D. Vincentium de Guidottis eo temporis pro Republicâ Florentinâ illius Oppidi Vicesgerentem adijt, eique se maximè commendavit, ut pro instauratione

Instauratio Convētûs, & Ecclesiæ de Florentiolâ

ne Ecclesiæ, & constructione Conventûs præfectò foret, & operam omnem adhiberet, quemadmodum re ipsâ præstitit; eius enim auspicijs, accedente quoque illius Populi devotione, & congruenti subsidio die 27. Decemb. ejusdem anni construi cœpit Conventus, & instaurari Ecclesia sub Tit. D. Annunciatæ, quam deinde solemni ritu consecravit Episcopus Spicacensis, cujus rei monumentum apparet præ foribus ejusdem Ecclesiæ, prout sequitur.

Consecratur Eccles.

Anno Dom. 1532. die 3. Novembris consecratum fuit hoc Templum ad honorem summi Dei, & sub Tit. D. Annunciatæ, sanctique Sebastiani à Reverendissimo D. Cherubino de Scarpellis Episcopo Spicacensi, protegente hunc devotum Conventum Magistro Romulo Laurentiano de Florentia, tempore verò Prioratus F. Bartholomæi de Prato.

Huic Eccles. conceditur Hospitale S. Francisci.

Huic autem Loco diu præfuit idem P. Miniatus, ipsumque summo studio, singulari diligentiâ administravit, & Religiosæ vitæ sanctissimis exemplis illustravit. Interim hoc anno 1520. Loco huic nostro Hospitale quodam S. Francisci liberè cessit Societas S. Crucis, quod secus illius Oppidi flumen habebat, unà cum prædijs, ac proventibus eidem Hospitali annexis, quam sanè cessionem Julius Card. Medices superiùs memoratus ratam habuit, & confirmavit per literas Florentiæ datas octavo Kal. Maij 1520. ibique anno sequente professionem emisere in manibus illius nostri Prioris, qui dicebatur P. Salvatòr, nonnullæ Sorores Tertij Ordinis Servor. sicut, & aliæ consequentibus annis. Insequente autem anno 1521. DD. Alexander, & Julius Cæsar Gonzaga Germani Fratres Comites Novellariæ in Lombardiâ inferiori, inter Ditiones Mantuanam, & Mutinensem, pro singulari, quâ præstant, erga B. V., ejusque Servorum Ordinem devotione, Locum ibidem tradere constituerunt, reque ipsâ die 1. Octobris hujus anni possessionem corporalem nomine totius Ordinis, & annuente Angelo de Aretio Priore Generali per literas Ferrariæ datas in Conventu Servorum die 3. Septembris 1521. recepit P. Joannes Augustinus de Novellariâ Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, olim D. Stephani dictæ, cum certo quodam ei proximo Fundo, cui sponte, & liberè renunciaverat, ut Ordini nostro obveniret; Julius Cæsar, sive Jacobus Gonzaga Protonotarius Apostolicus, illius Ecclesiæ Rector per Literas Mantuæ datas die 25. Julij

Confirmatur hæc concessio à Card. Legato.

Sorores Tertii Ordin. Servor. Florentiolæ.

Conv. S. M. Gratiarum de Novellariâ

A ejusdem anni. De his autem habitum fuit instrumentum, de quo rog. legitur Laurentius Bianchi pub. Notarius. In hac Ecclesiâ, quæ consecrata communiter dicitur die 15. Julij, quo celebratur Festum Dedicationis, quin tamen unquam innotuerint Episcopus, & annus, Sacra erat B. V. Imago, quam summâ veneratione omnes prosequebantur. Cæterùm construi statim cœpit Conventus, ipsumque inhabitarunt PP. ad hæc usque tempora, quibus & Conventus, & Ecclesia à fundamentis excitata de novo fuere, quemadmodum dicemus ad annum 1676. In Provinciâ Narbonensi pariter hoc anno Conventum quendam, & Ecclesiam vulgò dictâ *Fons sanctus* Diœcesis Massiliensis extra Oppidum *Ciotat* Ordini Servorum concessit præfatus
B Julius Card. Medices S. R. E. Vicecancellarius, & Abbas Commendatarius Monasterij S. Victoris extra Massiliam Ordinis S. Benedicti antiquissimi, & præclarissimi. Quia verò Oppidum illud ab hoc Monasterio dependebat, plura bona immobilia eidem Monasterio adnexa Conventui huic nostro liberè pariter concessit. Distat hic Locus ab Oppido præfato per unum milliare, ibique Sacellum est vulgò dictum *Fons Sanctus*, cujus aquam prodiginsam, & maximè salutarem fuisse declarant Vota ibidem appensa; fluxum verò quotidie patitur, & refluxum ex imâ Terrâ resiliens, quamobrem devotionis causâ frequentissimus eò fit Populorum concursus. Locum hunc Ordini nostro designandum
C curavit, & maximè, prout opus erat, exornavit P. Paschalis Righettus de Summaripâ, Vir integritate morum, & rerum gerendarum peritiâ insignis, necnon Sacris Literis non mediocriter instructus, & proinde ad concionandum aptissimus. Verum tamen est, quòd anno 1693. intra Oppidum translati fuere PP. Sedem aliam adeuntes.

Conv. Fontis Sancti de Ciotat.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

Omnia, & singula in hoc Capite contenta ex monumentis eorumdem Conventuum eruuntur.]

D *Selectis in Conventu generali Veronæ, qui falsa Lutheri dogmata refellerent, Augustinus Procurator, & Angelus Generalis mortem oppetunt.*

C A P. VI.

VEronæ 1. Comitia Generalia, quæ non modò Leo Summus Pontif. amplissimis Indulgentijs roborare dignatus est, sed etiam inclytus Dux Venetiarum Leonardus Lauredanus per suas literas consueto more bullatas regio favore cohonestari jussit, mandans Prætoribus Urbis, ut Fratribus nostris omni honore, & authoritate consulerent, atque opitularentur.

K In

Leo X. cōfirmat omnia privilegia Ord. Serv.

In his verò Comitijs optimam Pontif. mentem erga hunc Ordinem nostrum testatus fuit Angelus Gener. quippe qui literas Julij Card. Medices aperiri, & omnibus publicas esse voluit, in illis autem Literis dat. idibus Junij anno 1521. de mandato Leonis Papæ idem Card. confirmabat, & approbabat omnia privilegia, induita, omnesque gratias, & favores huic Ordini concessos à sui exordio usque ad illam diem per prædecessores Pontifices, & ratos in posterum habendos esse jubebat. [Literarum autem hic tenor est.

Julius Card. Medices cōfirmat Privil. Ordin. Servor.

JUlius miseratione Divinâ Tit. S. Laurentij in Damaso Presb. Card. de Medicis S.R.E. Vice Cancellarius, in Civitatibus Bononiæ, & Placentiæ, ac Exarcatu Ravennę, necnon totâ Provinciâ Romandiolæ, Thusciæque Apostolicæ Sedis de Latere Legatus. Dilectis Nobis in Christo Priori, & Fratribus Domûs, seu Monasterij B.M. Annunciatæ de Florentiâ Ordin. Servor. sub Institutis, & Regulâ S. Augustini salutem in Domino sempiternam. Cùm, sicut Nobis nuper exponi fecistis, Vobis, vestrisque Locis, ac vestro denique universo Ordini multa, ac varia à diversis Romanis Pontificibus Privilegia concessa, & successivè innovata fuissent, in quibus inter alia Vobis Conservatores, seu subconservatores, qui Personas, & Loca vestra ab injurijs universis, & conservare, & alia facere possent, & deberent, prout in eis latiùs continetur, dati, seu deputati fuissent, tamen quia ab aliquibus forsan dubitari posset, Privilegia hujusmodi saltem quoad Conservatorum, & subconservatorum auctoritatem per synodales Constitutiones Provinciæ Florentinę auctoritate Apostolicâ confirmatas in aliquâ sui parte sublata, seu abrogata fuisse, Nobis supplicari fecistis, ut Vobis in præmissis opportunè providere de benignitate nostrâ dignaremur. Nos igitur dictorum Privilegiorum Apostolicorum Vobis, & Monasterio, & Ordini prçfatis, ut prçfertur, concessorum tenores hîc pro sufficienter expressis habentes, Vosque Priorem, & Fratres, vestrasque singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & Pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, siquibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, vestris hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolicâ Nobis commissâ, & quâ per Literas SS. in Christo Patris, & D.N.D. Leonis PP. X. fungimur sufficienti facultate muniti, & aliàs omni meliori modo, quo possumus, præfata Vobis, ac Monasterio, & Ordini præfatis à quibusvis Romanis Pontificibus concessa, seu innovata Privilegia, quatenus sint in viridi observantiâ, & solùm quoad deputationem Conservatorum, seu subconservatorum dicti Ordinis, & pro causis summam centum Ducatorum non excedentibus, & extra Florentinam Diœcesim consistentibus, per dictas Provinciæ Florentinę Constitutiones Synodales nullatenus fuisse, vel esse sublata, vel abrogata, Vobisque illis uti, ac dictis Conservatoribus, & subconservatoribus in causis non excedentibus summam Ducatorum centum auri in anno . . . . . , & contra Personas extra Diœcesim Florentinam consistentes duntaxat, & aliàs juxta facultatem illorum vigore eis concessa, & attributa procedere, judicare, & sententiare liberè, & licitè possitis, & valeatis, atque possint, & valeant, decernimus, & declaramus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, statutis quoque, & consuetudinibus, necnon dictæ Provinciæ synodalibus juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, quibus illorum tenores, formasque specificas, ac si de verbo ad verbum prçsentibus insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quatenus præmissis obstant non obstantibus quibuscunque verbis derogatorijs, ac derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, & insolitis, irritantibusque Decretis in illis forsan appositis, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes Literas fieri fecimus, & nostri soliti Sigilli jussimus appensione communiri.

Datum Florentiæ in Ædibus nostræ solitæ Residentiæ anno Incarnationis Dominicæ 1521. Idibus Junij, Pontificatûs præfati SS. D.N. Leonis PP. X. anno 9. 1.]

Multæ conciones, & disputationes habitæ fuerunt; & inter præclaros viros valde enituit Cosmi Florentini eloquentia, quam præclarè ostendit in oratione habitâ de laudibus Veronensium, quin, & libellum edidit satis fructuosum super observantiam Regulæ S. Augustini hoc eodem anno Veronæ impressum, & pijs Religiosis dicatum. Non minoris quoque admirationis fuit M. Ugolinus de Cortonâ, qui amplissimâ oratione Religionis laudes miro artificio, & eloquentiâ prosecutus fuit, in cujus etiam laudem Ludovicus Guantarius Veronensis hoc distichon cecinit.

Dum stabit docti mater Verona Catulli
Clara Ugoline tui gloria semper erit.

Ejus verò orationem impressam Veronæ vidimus Castrifranchi inter monum. D. Petri à Martâ Jur. utr. & Philosophiæ præstantiss. Doctoris, & M. Hieron. Vigiola Piacent. artium lector, qui hunc Ugolinum probè noverat ipsum talis fuisse eloquentiæ, ac doctrinæ, ut non ita facilè esset dijudicare, quæ magis in eo præstaret, affirmabat. Cumque hoc tempore veluti cancer per totam Germaniam, atque in finibus Italiæ serpere cœpisset virulentus Lutheri furor in Ecclesiam

Dei,

Dei; Patres nostri tantam nefarij Hominis vesaniam & malignitatem non ferentes, in eisdem comitijs consilium inierunt pro ejusmodi erroribus confutandis; quare fit specialis delectus quorumdam illustrium nostri Ordinis, qui prædicationis, & catholicæ doctrinæ imbre tanto hæresum incendio accurrerent: constat enim tunc Franciscum Calabrem Patriâ Beneventanum virum doctissimum, Saxoniam primum, mox Angliam peragrasse, & strenuè multa pro fide catholicâ contra Hæreticos disserendo egisse; fuit enim Vir in divinâ lectione, & concertatione præclarus, quem etiam ferunt vitam Usuardi Regis Hiberniæ à Bedâ olim conscriptam, moralibus, & scripturalibus contemplationibus exornasse. Aderat etiam M. Nicolaus Auden us Gallus Vir doctissimus, qui & ipse pro asserendâ catholicâ fide, multa in Lutherum conscripsit. Philippum similiter Albrisium de Ma tuâ ferunt his temporibus Germaniam, Ga..iam, & Angliam eamdem ob causam confutandi Lutherum percurrisse; quemadmodum, & in Italiâ idem fecisse Hieronymum Castro Placentinum, plerique autumant. Hieronymus etiam Mandrisias deligitur, quem hoc anno Patres de Congreg. in Comitijs Mediolani sibi Vicarium præfecerant, ut etiam is doctrinâ, & pietate armatus contra Lutheranam sectam, quæ jam Elvetiorum fines ad Lucernam usque penetrare cœperat, insurgeret. Affuit etiam Nicolaus Stufa Florent. qui in partibus Galliæ, & dictis, & scriptis hæreses illas infectatus fuit, cujus adhuc doctrinam contra falsos articulos Lutheri testantur plura volumina ejus manu conscripta in Bibliothecâ Annunciatæ de Florentiâ. Inter eos etiam recensendus est Jacobus Philippus Ferrariensis, vir doctus, & eloquens, atque etiam Cosmus Favilla Florentinus, qui eundem Lutherum dictis, & scriptis confutavit, quemadmodum indicat adhuc præclarum opus in eundem Lutherum Clementi VII. ab eo nuncupatum, quod etiam his temporibus visitur in Vaticanâ Bibliothecâ: Verum inter omnes quasi fulgidissimum sidus ad confutanda Lutheri dogmata fuit Hieronymus Lucensis; qui concionibus, concertationibus, & scriptis omnes Lutheri falsitates confodit, nam vix Romam Lutheranæ hæresis fama pervenerat, quando Generalis Angelus tam vehementi occasione arreptâ Hieronymum Lucensem Anno 1517. in Germaniam Vic. suum destinavit, non modò ut Patres nostros illuc inviseret, & comitia Provincialia celebraret, quàm, ut per Saxoniam suis declamationibus, & disputationibus refellere conaretur, quamobrem Hieron. per eas Provincias disertissimè contra ejusmodi hæreticos insurgere cœpit; unde opus illud contra articulos Martini egregiè confecit, quod primum Romæ impressum Antonio Card. Prot. dicavit, deinde diligenter collimatum, & uberiùs auctum, iterumque

Viri docti Ord. Servor. contra falsa Lutheri dogmata feliguntur

Falsa Lutheri dogmata.

impressum Ruberto Puccio Cardin. nuncupavit. Pijetiam, ac religiosissimi .3. Sacerdotes Romæ hac tempestate vigebant pœnitentiariæ munere fungentes apud Sanctum Petrum. M. Jacobus de Tipherno, Frater Joannes Baccal. de Castronovo, F. Augustinus à Castellutio, & F. Constantius, qui ob summam humilitatem cum religiosâ simplicitate conjunctam vulgò dicebatur *il Padreteno*. Comitijs itaque absolutis dum Magister Augustinus Philippus Procurator in Curiâ Romam ad suum obeundum officium ex difficili, & longo itinere pervenisset, lentâ febre correptus die 2. Junij non sine omnium ingenti mœrore .4. moritur, vir profectò cui tantum debet Ordo noster quantum ipse pro eo apud Pont. & totam curiam tot annis laboravit; in cujus locum statim suffectus fuit Magister Ugolinus de Cortonâ; tempus erat quando Generalis Angelus post lustratam Religionem Aretium profectus fuerat, vel aliquantisper ex longo itinere conquiesceret, ubi verò in Patriâ diversari cœpisset, fama est, & nos sæpe a majoribus accepimus ipsum à Leone X. Romam eo consilio evocatum, ut quemadmodum in præteritâ triginta Cardinalium promotione Thomam Cajetanum, & Ægidiû Viterbiensem paris studij, & laboris cum eodem Angelo in Lateranensi Conc. incûbentes Card. fecerat ipsum quoq; Angelum, nisi mors intercessisset inter Purpuratos referre voluisse. Verum dum Gener. ad Urbem proficiscitur, Leo Pont. Kal. Decemb. non absque studiosorum jacturâ moritur, cujus porro beneficijs quantùm cumularè fuerit affectus noster Ordo, & præcipuè Annunc. Cœnobiû de Flor. superposita indulta, & monumenta satis præclare indicant. Cæterùm Leone defuncto post varias Cardinalium contentiones de successore Adrianus Cardinalis natione Germanus Pompeij Columnæ, & Julij de Medicis operâ ad Ecclesiæ administrandæ fastigium provehitur, cujus virtute, & probitate multò ante cognitâ Maximilianus Cæsar illû Caroli nepot erudiendæ indolis Magistrum designaverat. Carolus verò Hispaniarum regno post Ferdinandum potitus, mox Imperator electus Adrianum Card. cum summâ potestate in omni Hispaniâ Gubernatorem præfecerat, quando vir optimus longè absens, qui nunquam Italiæ fines attigerat, neque talia de se cogitasset cœlesti quàm humano nutu summum Pontificatum quinto idus Januarij ineuntis anni 1522. nomine Adriani retento consecutus fuit. Novo interim succedente vere Deodatus de Brixiâ, vir doctissimus, quemadmodum indicant lucubrationes ipsius in Epistolas D. Pauli, quæ hactenus in Biblioth. sui Conventus servantur, in comitijs Rohadi secundo loco Vicarius Congregationis eligitur. Absolutis verò cæterarum Provinciarum Comitijs Angelus Generalis in æstivâ Aretij sese collegerat, quando post diutinum quendam languorem, viam universæ

cartus .6. die duodecimâ Junij repentino morbo oppressus ingreditur; fuit vir iste adeò studijs à naturâ intentus, ut quamvis in humili pago Bivignanelli dictr ctûs Aretij ex pauperibus Antonio Gratiâ, & Margaritâ parentibus genitus pecori pascendo magis, quam literis crederetur dispositus, altæ tamen indolis agnitus magistris erudiendus traditur; quamobrem cum esset quindecim annorum non minus Religioni quam studio deditus, habitum Ordinis Servorum Aretij recepit, eodem, quod in baptismate susceperat, retento nomine. Postquam verò acutissimi ingenij sui plura signa in publicis concertationibus exhibuisset, unde, & pro ingenij subtilitate *anima Scoti* diceretur; in Universitate Bonon. Anno 1507. fuit honorificè Theologus, & Magister declaratus, ac brevi tandem post varias lecturas ex Procuratore Ordinis in Curiâ Prior Generalis, ut alias dictum fuit, electus, Rempublicam nostram usque ad prædictam diem optimè administravit, & literis, domicilij, ditione, & moribus amplificari curavit. Ejus corpus Aretij honorifico sepulcro conditum fuit, ubi ipse propriâ virtute pauperrimum Cœnobium ædificijs, prædijs, & bonis multis auxit, in cujus lapideo Tumulo hæc verba leguntur.

Angeli Comer. obitus, & laudes.

D. O. M.

Angelo Aretino Viro omnigena doctrina, ac pietate insigni Religionis Servorum Generali, instauratoriq; cujus vita quantùm Religio aucta floruerit ostendit obitus.

Pius ejus in Christo filius Fr. Dionisyus Laurerius ejusdem Ordinis Generalis Fratresque Aretini benemerenti posuerunt.

Vixit annos LV. M.D.XXII. quarto Idus Julij.

[Hactenus dictis de Angelo Aretino addere juvat, quæ scripsit Maphæus.

Angelus inquit, Græcas literas didicit adhuc puerulus, quarum beneficio Iliadem Homeri legere quotidie consueverat. Pisis deinde, mox Bononiæ gravioribus disciplinis operam navavit; ob incredibilem in explicandis tum Philosophiæ, tum Theologiæ mysterijs facilitatem, & ob morum innocentiam habitus tanquam Angelus de Cœlo missus inscrutabilia Divinitatis arcana, quę ad benè, beatéque vivendum conducunt, exponebat. Eo memoriæ vigore præstitit, quam olim Themistocles, Crassus, Cyrus, & Mithridates habuisse feruntur. Infracti animi Vir tanquam redivivus Socrates idem semper, eodemque vultûs, & Corporis habitu locum tradare solitus, simultates comprimebat, & odia quęcunque funditùs eradicabat. Anno 1507. ex Ordine ad Congregationem gradum faciens, electus tandem, ut diximus, Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ, & successivè Prior Generalis, illud suæ administrationis specimen præbuit, quod omnibus obvium, omnium admirationem sibi conciliavit & commendationem; nonnulla, eaque præclara ingenij sui monumenta per manus studiosorum FF. circumferebantur. Is denique fuit, concludit Maphęus, ut literati Viri plerunque in lucem edere opera sua non auderent Angelo nostro inconsulto, quorum omnium in exemplum satis erit Antonius de Fantis Tarvisinus Minorita pręclarissimus scoticę disciplinæ illustrator, prout cuique patere potest Epistolam cujusdam sui Operis percurrenti.

Maphęi Laudes de Angelo Aretino

Eodem anno 1522. cùm pestifera lues Civitatem Urbini gravissimè urgeret, nec ullus ibidem adesset .7. qui curam ægrotantium susciperet, omnes enim summoperè deterriti erant, & Medici ipsi munus suum exercere negligerent, unus tantùm Ordinis nostri Sacerdos nomine Hieronymus, qui in Conventu nostro extra muros Urbis degebat, de quo ad annum 1389. spe maximâ fretus erga Deum, ac Deiparam infirmos quoscunque indiscriminatim nullâ sui ipsius habitâ ratione invisere, consolari, & eorum curam habere non destitit. Ut autem præstò esse ubique, & omnibus posset, Domus quædam intra Mœnia constituta illi fuit, in quâ post diuturnos labores, & gravissima incommoda aliquantisper quiesceret, neque Conventum extra Mœnia positum adire cogeretur. Inde verò factum est, ut Domus illa paulatim in Cœnobij formam evaserit, ibique pariter constructa fuerit Ecclesia, quò proinde translati fuere PP. veteri illâ extra Mœnia posthabitâ, & omnium Civium plausu excepti, utpote Regulari Disciplinæ, quoad fieri poterat, instaurandæ, & virtutibus omnibus excolendis addicti, plurimis affecti fuere muneribus, & Beneficijs, quibus eorum res longè melius in dies cedebant, & Ecclesiæ cultus, Populique frequens concursus augeri videbatur, maximè verò ob devotionem erga B. V. Dolores, ideò erecta ibidem Societate, cui postmodum innovandæ, & iterum excitandæ, necnon Fabricæ Conventûs, & ejusdem Ecclesiæ restaurandæ, plurimum contulere præclarissimi Ordinis nostri PP. Antonius Vivolus à Corneto Cathedralis illius Concionator eximius, Eliseus Mazzonius de Florentiâ, & Clemens de Urbino. Quâ verò ratione Locus hic ab Ordine Servorum defecerit, quem sanè Gianius in suis m. s. ipso superstite, magis in dies, ac magis proficere insignium horum PP. operâ, ac studio testatur, incompertum. Utique recensetur in Regesto Tavanthij Generalis ad annum 1580.]

Conv. 2. de Urbino.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 *POcciantius in Chron. Hæ Lit. habentur in Archivo D. Annunc. de Flor.*
2 *Ex varijs monumentis de viris illust. ejusdem Ord.*
3 *Id indicant monum. Conv. S. Marcelli.*
4 *Obitus Aug. Proc. Generalis verius colligitur ex Diarijs, & monum. conv. Florentiæ, quàm scripsit Poccantius in Chron.*
5 *De Leone, & Adriano Pont. Alphonsus Ciacconius plura.*
6 *Ex Epitaphio, & monum. Conv. Aretij verius, quàm scripserit Pocciantius de Angeli Generalis obitu.*
7 *Ex m. s. Archangeli Gianij.*

Dum BB. Petrus Germanus, & Francisca Ciribetta Cœlestia petunt, Sanctissimi Crucifixi Imago per Urbem delata Romam à pestilentiâ liberat.

CAP. VII.

IGitur post diutinum morbum vitâ defuncto Priore Generali Ordinis nostri Augustinus de Salerno, & Gaudiosus de Perusio Magistri Peritissimi, & in officio Angeli Socij ad præscriptum antiquarum constitutionum .1. summam totius Ordinis administrationem, tanquam visitatores suscipiunt, quousque Magister Hieronymus de Lucâ sub die 20. Octobris reperitur Florentiæ 2. Generalis Commissarius, & totius Ordinis Visitator, quemadmodum etiam die 27. Decembris apparet in Con. Scrusanij Procurator Tusciæ hæc propriæ ipsius manus subscriptio v. *Ego Frater Hieronymus de Luca Ord. Serv. visitator manu propria*; verùm de his plura cap. seq. Pestilentiâ interim Viterbij sæviente, & totam fere Campaniam occupante accidit, ut quidam devotus Vir Eremita Germanus Petrus de Cruce .7. nuncupatus nobili genere ortus voto suscepto, Romam proficisceretur; cumque inter peregrinandum pervenisset Viterbium, nec

D. Petrus de Cruce Germanus.

posset ulterius progredi, à Patribus nostris benigno hospitio receptus fuit: ejus verò Sanctitas epidimiæ occasione plurimum eâ in Urbe perspecta fuit. Nam præterquam quod Sanctimonialis quædam Ordinis nostri hujus Sancti Viri adventum eâ in Urbe prædixisset, Petrus solo Crucis signo adhibito sorores nostras, quæ in Monasterio de Pace gravi morbo laborabant, sanitate restituit. Quemadmodum, & alijs plerisque infirmis per idem Crucis signum contigit ut illicò sanarentur, quam ob rem etiam *Petrus de Cruce* à Populo Viterbiensi nuncupatus fuit. Intereà Vir iste Gloriosæ Dei Matri addictissimus suppliciter petijt, ut à Patribus nostris ad virgineum habitum admitteretur, quo recepto extremum sibi diem imminere cognovit: Quare miraculis clarus die 6. Julij migravit ad Christum, in
A cujus lapideo Monumento ejusdem Ecclesiæ Cœnobij nostri hæc verba fuerunt impressa.

D. O. M.

Devoto Petro de Cruce Hæremitæ
Ord. Serv. ob miracula dicatum
Vixit Ann. XXXVI.
Obijt MDXXI.

Hujus autem B. Viri si quis exemplar effingere velit, poterit Eremitico habitu adinstar peregrinantium cum baculo, Cruce, & coronâ calculorum superaddito Servorum
B habitu cum pileo in capite representare. Per eos quoque dies eodem pestilenti morbo laborabatur Romæ, & tota Urbs maximo timore percussa, ad preces, & pia vota convertebatur: cum autem recens miraculum de lygno Sacratissimi Crucifixi in Ecclesiâ nostrâ Sancti Marcelli hominum corda terigisset; continuo factum est, ut populus gemebundus, & supplex ad illam Imaginem implorandam, confugeret; quare ex Adriani sexti Pontificis jussu solemni lustratione per omnes urbis Regiones .4. Sanctissima illa Imago die 8. Augusti ingenti Populorum frequentâ, & devotione .8. circumfertur, ex cujus præclarâ translatione populique supplicatione Urbem ab eâ pestilentiâ liberatam fuisse ferunt.

Imago Sanctissimi Crucifixi per Urbem delata Romanos à peste liberasse fertur.

C Interea Viterbij florebat B. Francisca .5. Ciraberta Virgo pudicissima tertij Ordinis nostri; & hæc illa fuit, quæ, ut supra dicebatur, adventum B. Petri de Cruce eâ in pestilentiâ prædixerat, futurumque, ut ipse plurimis medelam afferret, quin & ejus obitum cito affore pronunciaverat, & se non post multos dies eundem insecuturam, quod utique accidit die quintadecimâ Decembris, quando ipsa miraculis clara spiritum Deo reddidit, cujus imaginem vidimus aliquando Sororum habitu indutam, vultu ad cœlum erecto, tanquam animo suspensam, radio sibi cœlitus faciem illustrante, cum manibus simul junctis ad modum orantis.

B. Francisca Ciraberta de Viterbio.

Aderat per hæc tempora Beneventi Mag. Ste-
D phanus de Saxolo, vir æquè doctus, ac pius .6. ejusdem Metropolitanæ declamator, qui cum diu illic à concionibus, & lectionibus divinarum literarum inservisset, suis denique hortationibus, optimis moribus, religiosisque exemplis Urbem illam ad meliorem Christianæ pietatis frugem reduxit, detestatis omnino, abrogatisque Phanaricis maleficarum illusionibus, quæ circa nucem quandam nocturnis horis a nefarijs illis fiebant, plurimisque ab immundo spiritu, & alijs hujusmodi malefici s liberatis: quamobrem cum totius Populi gratiam sibi conciliasset, famam etiam magnæ sanctitatis assecutus fuit, & ibi tandem dierum plenus in Domino re-

quievit

quievit, prout innuimus ad annum 1517. ubi de Conventu Saxoli. Per eos quoque dies Mediolani cõtigit, quod nullo modo videtur silentio prætereundum, cùm ad rem nostram faciat ob Ecclesiam nostram Sanctæ Mariæ Fontis de Terrâ Locato, quod est Oppidum non procul à Præfatâ Urbe; accidit igitur, ut in quodam domestico Oratorio antiquarum Ædium Trivultiæ familiæ in viâ quæ dicitur *Ruga Bella* adesset in Iconâ quædam depicta cum Imagine B.M.V. quam duo præcipuè Sancti, Sebastianus, & Hieronymus mediantes venerari videbantur 7. Illuc igitur Domicella quædam Dominæ Hippolitæ Comitissæ de Trivultiis consueverat statutis horis ad orationem descendere, quando die quadam videre visa fuit ex oculis S. Hieronymi sanguineas effundi lachrymas; cumque sibi non crederet simplex puella, accepto gossipio, cœpit ejus oculos, & lachrymas illas abstergere, quibus gossipium ipsum sanguineis maculis madefactus evasit: Ad hoc verò portentum exterrefacta puella, ingentique admiratione, & pavore perterrita ad suam Heram magnâ cum vociferatione accurrens singula retulit, & sanguine madidum gossipium ostendit. Verùm Comitissa Matrona gravis delirantem puellam arbitrata, objurgare de levitate cœpit, quando tandem ex aliis Ancillis veritatem edocta, illicò accurrit, vidit, tetigit, gossipio abstersit, & maximâ cum veneratione adoravit. Quid plura? tota commota Domus, commota vicinia, commota Civitas, quisq; trepidus ad Trivultiorum Ædes concurrit, plerique varia discrimina urbi eminentia vaticinantur, multi diversa pericula portendi meditantur, alii prodigium in meliora converti precantur. Nec solùm in dies Mediolanensibus, verùm etiam exterarum gentium Gallis, Hispanis, Elvetiis, atque Germanis undique ad novum illud miraculum confluentibus, die, noctuque ædes illæ non absque magno Trivultiorũ tædio, & discrimine advenis, & forensibus complebantur, donec Benedictus, & Urbanus Fratres cum aliis de Trivultiâ gente nostro huic Ordini Cœnobium cum Ecclesiâ ad honorem B.V. & S. Hieronymi apud Locatum fundare, & in præcipuo suæ familiæ sacello Iconam illam cum Imagine S. Hieronymi statuere decreverunt, de quo fusiùs ad annum 1533. ibi enim summâ cum veneratione colitur Imago illa S. Hieronymi, cujus sinister oculus adhuc rubricato sanguine madidus apparet, & cum residuâ quadam illius gossipii particulâ, quâ fuerat aspersus, conspicitur quodammodo maculatus. Per hoc prodigium habet antiqua traditio S. Hieronymum, quem familia illa semper Protectorẽ venerata fuit, contagiosam illam Mediolani eversionem portendisse, quando post cladem Ticinensem tota ferè Urbs inevitabili morbo consumpta fuit. Ex eo igitur tempore Imago illa cum finitimis tum extraneis maximè veneratione habita, & gossipium sanguineis illis lachrymis aspersum, in Monasterio S. Bernardi asservari dicitur; de ipso etiam retulit nobis aliquando Dominus Carolus Trivultius guttas quasdam ejusdem sãguinis, dum puer esset, ab Amitâ suâ ipsius Monasterii sorore ob devotionem S. Hieronymi recepisse S. Carolus Card. Archiep. dum aliquando suam diœcesim ex usu visitaret, cùm pervenisset Locatum, Imaginem illam sublato velo, & cortinis diligentissimè intuitus per horam supplex adoravit; cum verò assurgeret, à quodam familiari, qui rem potius detrectare, quàm credere videbatur, interrogatus num vera essent, quæ de lachrymis S. Hieronymi circunferebantur, optimus Dei Præses amicum obiurgando, ea verissima fuisse, & se de singulis certissimum esse testatus fuit, quod etiam declarant eorum vota, qui quotidie ad ejus implorandam intercessionem accurrunt.

Imago S. Hieron. sanguineas lacrimas emittens Mediol. eversionem deplorat.

S. Carolus Borrom. testatur de lacrimis S. Hieron.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

1 *EX constit. antiquis impressis Venet.* 1513. *cap. 18.*
2 *Ex Diariis expensarum Conv. Flor. & Scrofanij.*
3 *Pocciantius in Chron.*
4 *Ex monum. Conv. Sancti Marcelli.*
5 *Ex eodem Pocciant. qui supra.*
6 *Ex monum. Conv. Saxoli Provinciæ Romandiolæ.*
7 *Habuit Auctor de his omnibus plenam relationem in literis Illustris Domini Caroli Trivultij Mediolanensis die 2. Maij 1612. de quo etiam miraculo agit Paulus Morigia in suo tractatu de rebus sacris Mediolani, & hanc imaginem vidit Auctor diligentissimè in proprio loco.*

N O T Æ.

[*IN Conventu nostro de Viterbio Epistola quadam diligentissimè servatur, quam ad P. Petrum hic memoratum misisse circumferunt PP. Regem Hispaniarum, quo tempore Petrus Eremiticam vitam agebat in Monte Cœli, prout indicat eadem Epistola, quam ex idiomate Hispanico conversam hic placet inserere, prout jacet, utpote honorificam, quippe quæ ostendit, quænam apud Reges etiam esset de sanctitate Petri opinio.*

Intus

IL RE

Devoto P. Fra Pietro della Croce Eremita dell'Eremitorio di nostra Signora la Madre d'Iddio della Misericordia della Montagna del Monte Celi. Viddi la Lettera, che mi avete scritto, e gli consigli, che mi date, e con quanto mi dite, tutto diretto al servizio di nostro Signore, come si opera da V. P. in ragione di buona vita, ed io l'ho gradito molto, e siate certo, *che*

che di voi, e della vostra persona, e di tutto quello tengo, e terrò memoria intiera.

Di Barcellona &c.

Io il Re

Extra

Per ordine del Re.

Per il devote Padre F. Pietro della Croce Eremita dell'Eremitorio di N. Signora la Madre d'Iddio della Misericordia della Montagna del Monte Celi.]

Adrianus Sextus Pontifex instituit Vicarium Apostolicum Ordinis Magistrum Hieronymum de Lucâ.
CAP. VIII.

Hieronymus de Lucâ .1. multis nominibus celebrandus, in re tamen literariâ nemini secundus, nondum ad annum ætatis suę 23. pervenerat, quando Anno 1506. in domestico Gymnasio Patavij fuit Regens designatus, & sequenti anno summâ cum laude inter Theologos Bononienses Doctor cooptatus: unde post varia studiorum, officiorumque munera à Senensium Senatu ad publicè explicandam Theologiam invitatus, plures ibi annos fructuosè insumpsit, & tum legendo, tum declamando, & docendo tantam Senensium gratiam fuit adeptus, ut publico edicto inter concives adscribi, & à consilijs, suffragijsque illius Reip. tamquam Senator admitti mereretur. In confutandis autem hoc tempore emergentibus Lutheri articulis acerrimus propugnator, tum differendo, tum concionando velut fulgur apparuit. Propendebant pari lance in Hieronymo prudentia cum moderatione in rebus administrandis; in explicandâ autem doctrinâ, virtus summa, & ingenium perspicax: ejus igitur fama latè diffusa ad aures Adriani Pontif. pervenerat, unde certior de hujusmodi qualitatibus Hieronymi ex testimonio Antonij Cardin. Protectoris prædictus Pontifex sublatis è medio tot visitatoribus ipsum solum tandem jussit Vicarium Generalem Apostolicum Ord. Servor. per sequentes Protectoris literas deputari .2.

Hieronymus de Lucâ per Apostol. lit. Vic. Gener. Servor. declaratur.

Antonius miseratione Divinâ Episcopus Albanensis, Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardin. Papien. Rever. Patri, & dilecto Nobis in Christo Magistro Hieronymo de Lucâ Ordinis B. Marię Servorum Sacrę Theol. professori salutem, & sinceram in Domino Charitatem, & in commissis solitam fidem, & diligentiam. Ad regimen, & gubernium Conventuum, & Domorum Ord. B.M. Servorum, necnon Fratrum, seu Religiosorum ejusdem Ordinis quorum protectio Nobis sanctæ Sedis Apostolicæ clementiâ (meritis imparibus) demandata existit. Respicientes simulque animadvertentes quod in Ordine ipso quamplurimi religiosi contemptis mundi illecebris, ac delitijs, sese Divino cultui dedicantes, Altissimo famulantur in terris, atque in agro Dominico laborantes uberes fructus quotidie serere non cessant, plenâ vigilijs sollicitudine cogitare non desistimus, quâ vestræ Religiosi prædicti protectioni, & curæ, ac fidei nostræ (ut præfertur) missi ad divinam gloriam salubriter dirigi, gubernarique, ac in Divino cultu quietis, & tranquillitatis amœnitate sub tutelâ præfatæ Beatissimæ Virginis, quæ pro salute fidelium ad Jesum Christum ejus filium Redemptorem nostrum pias preces effundere non cessat, possint. Cùm itaque superioribus Mensibus bon. mem. M. Angelus de Aretio dicti Ordinis tunc Generalis adversâ valetudine adeò laboraret, ut dictum Ordinem, seu religionem regere, aut gubernare minimè valeret. Nos pro eâ dilectione, & charitate, quâ eandem Religionem seu Ordinem prosequimur, volentes desuper opportunè providere, ne Religio ipsa interim aliquod detrimentum pateretur, duos tunc Visitatores, qui loco dicti Generalis Religionis, & Ordinis prædictorum curam gererent, constituimus, & deputavimus; cumque postmodum (sicuti Deo placuit) in cujus manu omnium est vita, & mors, idem Generalis ab hac luce migraverit, duos alios visitatores, duobus primis abrogatis, deputavimus, sperante pro illorum integritate atque prudentiâ religionem meliùs gubernari posse usque ad celebrationem Capituli generalis, quod in Urbe fieri debet, jam decreveramus. Cùm autem res ipsa non ex sententiâ nostrâ, sed præter spem atque expectationem successerit, ac Capitulum ipsum sæviente peste in Urbe, ac ferè totam Italiam pervagante differre in aliud tempus fuerit necesse, & experientiâ deferente apparent dictorum visitatorum deputationem necessitatibus Ordinis prædicti non satisfacere, cum admodum difficilè sit eos in unum semper convenire, & separatim nihil agere valeant, duximus maturè providere, quin immo officij, & debiti nostri, forè ita desuper procurare, ut Religioni, & Ordini hujusmodi in præmisso opportunè consulatur. Moti igitur odore vitæ tuæ, ac circumspectione, integritate, doctrinâ, Religione, & multiplici rerum experientiâ tuâ locupletissimo testimonio plenè informati, te dignum existimavimus, quem in præmissis præficeremus: in his igitur, & alijs virtutum donis quibus earum largitor Deus personam tuam decoravit plenam fiduciam habentes, volentesque de aliquo capite, ad quod habeatur recursus pro Ordinis negocijs, & occurrentijs usque ad generale capitulum proximè futurum quòd primùm cessante pestilentiâ fieri poterit, ubi creatio Prioris generalis dicti Ordinis per libera patrum vota fieri debeat, Te in Vicarium generalem Ordinis & Religionis prædictorum usque ad futurum Capitulum generale inclusivè, & dicti Prioris generalem creationem dumtaxat, & non ultra tenore præsentium, & authoritate protectionis nostræ prædictę facimus, constituimus, & deputamus. Revocantes omnes, & quoscunq; alios Visitatores à Nobis hactenus quomodolibet constitutos. Tibique dantes plenam ha-

tum

rum serie authoritatem, facultatem, arbitrium, & potestatem, ea omnia usque ad Capitulum generale prædictum faciendi, gerendi, & exequendi, necnon committendi, præcipiendi, & mandandi, quæ alij Vicarij generales hujusmodi, tam de jure, quàm consuetudine facere, gerere, & exequi, ac committere, præcipere, & mandare consueverunt, seu potuerunt, aut debuerunt, etiam si talia forent, quæ mandatum, nedum speciale, sed specialissimum requirerent, mandantes literarum serie in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Provincialibus, Prioribus, ac Sacræ Theologiæ Magistris, seu Baccalaureis, cæterisque Religiosis, ac Ordinis prædictorum professoribus seu religiosis, quatenus tibi in omnibus, & singulis præmissis (sicuti bonos decet religiosos) promptè pareant, obediant, faveant, assistant. Te autem hortamur in Domino, ac paterna charitate monemus, ut delatum tibi munus Vicariatûs hujusmodi promptè suscipias, susceptumque solitâ tuâ prudentiâ, integritate, Religione, & fide, sic administres, ut de tuis benè gestis, sperati, atque expectati fructus proveniant. Tuq uberem commendationem, & gratiam à Sanctissimo Domino nostro, stantéque Sede Apostolicâ, & successivè à Nobis merito sperare, & consequi valeas. In quorum fidem præsentes literas nostras manu propriâ subscriptas per Secret. nostrum infrascriptum fieri fecimus, nostrique sigilli jussimus appensione muniri.

Dat. Romæ ex Ædibus nostris die 4. Februarij 1523.

A. de Monte Episcopus Alban. Ord. Servor.
B. Virginis protector, m. p. &c.

Ex quibus porrò literis liquidò constat, & de diuturnâ infirmitate Angeli Generalis, & de varijs visitatoribus; eorumque in administrando Ordine non modicâ confusione, ad quam prius tollendam Protector summam Reip. nostræ in unum Hieronymum paulatim redegit, & deinde præcedentibus literis confirmavit, quibus etiam Pontifex Adrianus per Apost. lit. breve .3. Romæ datum apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 4. Februarij Anno 1523. robur adiecit, ut hinc maturiùs percipiatur veritas rerum, & temporum, quam Prædecessores nostri scriptores negligentius rem expendentes non ita exactè attigerunt. Hieronymus igitur iniuncto sibi muneri incumbens, cum esset Ticini die 22. Maij approbavit comitia congregationis Vicentiæ celebrata, & per suas literas patentes confirmat Benedictum Venetum in Vicarium Generalem, concedens etiam ei, ut possit in aliquâ universitate Doctoratûs insignia suscipere .4. habitâ prius facultate à Patribus suæ congregationis. Valde temporibus istis nutabant res Christianorum, quando Solimanus victoriarum successu audacior factus, & insolens majora quotidie in Christianos moliebatur, quare .5. Adrianus Pontif. suâ auctoritate, & prudentiâ Catholicos Principes ad retundendas immanissimi hostis vires magnopere hortabatur, cujus tandem consilio Carolus Cæsar, Henricus Britanniæ, Ludovicus Ungariæ Reges, ac Venetus Senatus unà cum Pontifice inito fœdere convenerunt, ut communibus armis, communem inimicum opprimerent: vix tamen Pontifex solemnem hujus fœderis publicationem in Ecclesiâ S.M. Majoris habuerat, quando renum dolore, quo maximè afflictabatur, oppressus, octavo Kal. Octobris in Vaticano defecit, in cujus loco 13. Kal. Decembris Julius Medices Card. sub nomine Clementis septimi post longas Cardinalium velitationes resedit.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

1 *EX varijs monum. tum Poec. tum Convent. Patavij, Floren. & Lucæ Auctor de Hieronymo Lucensi plura.*

2. 3 *Habentur hæ literæ Protectoris, & Pontificis Lucæ in registro eiusdem Hieronymi Generalis, in quibus earum rerum veritas colligitur, quæ præteritos scriptores, & præcipuè Poccianti maximè latuit.*

4 *Ex eiusdem Hieronymi regesto, ut supra.*

5 *Alfonsus Ciacconius de Adriano, & Clemente Pontif.*

Alia Ordinis Nostri Loca recensentur. CAP. IX.

CUM ab anno usque 1519. D. Albertus de Pijs Carpij, Saxolij, Meldulæ, &c. Princeps optimè cognovisset, quòd fabrica Conventùs nostri in Burgo S. Annæ, de quo ad annum 1495., Arci, & Civitati præjudicium aliquando inferre potuisset, ac propterea eam solo penitus æquari mandasset, annuente D. Theodoro Pio ejus germano Fratre Archipresbytero, & Præsule illius Ecclesiæ, situm quendam Ordini Servorum intra muros Urbis tradidit dictum *Terra Nova*, in quo Conventus construeretur, & Ecclesia, ideoque die 14. Aprilis ejusdem Anni Crucem ibidem solemni ritu posuit. Hoc autem anno 1522. die 30. Maij, cùm hactenus ab anno 1519. propriâ Sede destituti PP. Hospitale S. Antonij inhabitassent, primum Lapidem pin novo hoc Loco posuit solemni pompâ D. Benedictus Cariani Præpositus Ecclesiæ Carpensis. Postmodum aliquatenus absolutâ Ecclesiâ unà cum Cœnobio D. Alphonsus Avolos Exercitûs Caroli V. Dux, Comitibus Pijs solum vertere coactis, quorum beneficentiam Ordo noster memori semper animo servabit, in eâdem Ecclesiâ Sacellum majus erexit, in quo collocata solemniter fuit sacra B.V. imago miraculorum gloriâ percelebris, quæ in priori Ecclesiâ aderat, ut diximus ad annum 1495, quâ pariter translatione renovata fuere miracula.

Transfertur Imago miraculosa B. M.V.

Idem

Conseeratur Ecclesia S. M. de Carpio.

Idem autem Sacellum, ac totam Ecclesiam ritè consecravit die 3. Aprilis 1537. D. Fr. Hieronymus Vascherius Min. Observ. S. Frãcisci Episcopus Guardiæ, quæ consequentibus annis completa undequaque, & exornata fuit, sicut & instauratum Cœnobium eleganti quidem formâ, operâ potissimùm, ac studio P. Hieronymi Carpensis.

Eccl. S. Flor. de Perusio unitur Ecclesia de Monte Rone.

Hoc pariter anno Ecclesiæ S. Florentij de Perusio unitur Ecclesia S. M. Gratiarum, olim dicta de Monte Rone, de quâ plura diximus ad annum 1445.

Conv. S. M. de Valentanâ.

Extra Oppidum Valentanæ in Ditione Pontificiâ de mandato Alexandri Card. Farnesij, qui postea fuit Paulus Papa III., Ordini Servorum confertur Oratorium nuncupatum S. M. salutis, ubi perantiqua, ac summâ veneratione digna colitur Imago B. V., quæ à quodam Loci Institutore vulgò dicitur *La Madonna di Cecchino*, ibique præficitur primo loco Prior P. Stephanus. Locus hic ad Congregationem de Observantiâ, subindeque ad Provinciam Mantuanam spectabat, sed anno 1620. in Provinciam Romanam translatus fuit. Ex Regesto autem Generalis Hieronymi de Amideis Patriâ Senensis, sed professione Lucensis, unde passim, & communiter dicitur de Lucâ, sicut & ex antiquiotibus Provinciarum Regestis, ad quæ Loca ista pertinebant, didicimus aliquando Ordini nostro, fuisse Conventûs sequentes.

Conv. S. M. de Sabiono

S. Mariæ nimirum de Sabiono in Diœcesi Cremonensi, de quo id solum novimus, quòd anno 1523. Prior ibidem creatus fuerit, quandiu vixerit, Locum illum administraturus P. Hieronymus de Bergomo, eique deinceps successere PP. Anselmus, & Simon Cremonenses.

Conv. S. Monicæ, S. M. de Crovoli, S. M. de Crauleonio S. M. Incoronatæ S. M. de Trabano S. M. de Canoniâ S. M. de Antagnanâ, S. M. de Bonavalle.

Anno deinde 1524. Conventûs S. Monicæ, S. Mariæ de Crovoli in Provinciâ Thusciæ, S. Mariæ de Crauleonio, S. Mariæ Incoronatæ in Provinciâ Romandiolæ, S. Mariæ de Trabano in Provinciâ Lombardiæ, S. Mariæ de Canoniâ, S. Mariæ de Antagnanâ, S. Mariæ de Bonavalle in Provinciâ Tarvisinâ, quorum postremus de Bonavalle dicitur acquisitus operâ P. M. Dionysij Docto de Paduâ.

Conv. S. M. Gratiarum de Legoli.

Ad hunc annum pariter referendus est Conventus S. Mariæ Gratiarum de Legoli, Pago scilicet quodam in Diœcesi Volaterranâ. Ibi enim Vir quidam è Volaterris nomine Simon Antonij pijs operibus addictus suscepto Tertij Ordinis nostri habitu in suis Prædijs solitariam, ac Religiosam vitam ducens, quique vulgò dicebatur Frater Simon Servus B.M.V. Oratorium in proprio situ à fundamentis excitaverat ad honorem B. V. & SS. Sebastiani, & Fabiani, & Rochi. Hoc autem anno 1524. die Lunæ 17. Octobris ipsum spontè, ac liberè donavit PP. D. Annunciatæ de Florentiâ habito pub. Instrumento in Claustro S. Laurentij coram D. Francisco Campani Priore nomine PP. D. Annunciatæ recipientibus PP. M. Joanne de Senis illius Conventûs Priore, & Laurentio Leonardi Sindico. PP. autem omnes die proximè sequenti in eodem Conventu D. Annunciatæ Capitulariter congregati grati animi ergo prædictum F. Simonem eidem Loco perpetuò præfecerunt, & administratorem constituerunt. Quæ sanè omnia Hieronymus de Lucâ totius Ordinis Servor. Gen. in Conventu D. Annunciatæ de Florentiâ die 25. Decemb. 1525. confirmavit, prout constat ex pub. Instrumento de quo, sicut & de reliquis duobus prædictis rog. fuit Frãciscus olim Christophori, Joannis Laurentij de Nellis de Castro Franco superiori pub. Notarius, quod Instrumentum, sicut & alia duo, servantur in pergameno in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ. Cæterùm Loci possessionem corporalem idem Laurentius de Florentiâ sindicus recepit solùm die 31. Octobris 1526.

Imago B. V. valde celebris.

In hoc Oratorio, sive Ecclesiâ Imago adest B.V. valde celebris, & quam undique confluentes Populi summâ veneratione prosequuntur præsertim fer. 2. Resurrectionis Dominicæ, & in singulis Festis B.M.V., necnon SS. prædictorum. Hoc itidem anno Ecclesiæ, Conventui, & PP. Ordinis nostri de Urbeveteri, auctoritate Sedis Apostolicæ uniuntur Loca quædam Ecclesiastica, prout fusiùs continetur in Apostolicis Literis tenoris, qui sequitur.

Leo X. unit quędã Loca Conventus, & Eccl. Urbeveteris.

LEO Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ex injuncto Nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Religiosorum Locorum omnium, ac in illis sub suæ Religionis iugo Altissimo famulantium personarum commoditatibus cum Divini cultûs augmento valeat salubriter provideri. Sanè pro parte Dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domûs B.M. Urbevetan. Ordinis Fratrum Servorum ejusdem B. M. sub Regulâ S. Augustini degentium Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd aliàs dilectus Filius Bartholomæus de Capris, tunc Parochialis S. Martini etiam Urbevetan., & ruralium invicem unitarum S. Marię, & S. Joannis Castri Titignani Urbevetan. Diœcesis Ecclesiarum Rector familiaris noster providè considerans, quòd fructûs, redditûs, & proventûs d. Domûs, in quâ plures ejusdem Ordinis Fratres habitabant, prout habitant, pro ipsorum Fratrum sustentatione, & oneris d. Domûs supportatione commodè non suppetebant, piâ in Ordinem, & Domum hujusmodi devotione ductus, & pro ipsarum, & præsertim ruralium Ecclesiarum hujusmodi, in quibus quidem ruralibus Ecclesijs, quæ ruinam minabantur, raró, vel numquã Missæ, aut alia Divina Officia celebrabantur, majori veneratione, & Divini cultûs in eis augmento voluit, & coram certis Notario pub. & Testibus Fide dignis expressè consensit, quòd d. Ecclesiæ eidem Domui, aut illius Ecclesię perpetuò unirentur, annecterentur, & incorporarentur, mediantibus tamen conditionibus infrascriptis, videlicet. Quòd ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Prior, & Conventus, sive Fratres d. Domûs, Dominicis, & alijs Fe-

stivis diebus à Populo observatis, videlicet in Ecclesiâ S. Mariae ceatum, & tempore messium duntaxat in Ruralibus Ecclesijs prædictis quindecim missas successivè anni singulis celebrare, seu celebrari facere tenerentur, & obligati essent, & casu quo in celebratione Missarum hujusmodi per certum tempus tunc expressum deficerent, videlicet pro qualibet Missâ dd. centum Missarum ex negligentiâ dd. Fratrum non celebratâ Gubernatores pro tempore existentes Capellæ Corporis Christi nuncupatæ etiam Urbevetan. propriâ eorum auctoritate ex fructibus, & proventibus d. Parochialis Ecclesiæ duos Carlenos, quorum unus pro celebratione alterius Missæ loco Missæ sic celebrari omissæ exponi, alter verò in utilitatem dd. Gubernatorum, seu pro illorum execatione converti deberet, exigere, levare, & percipere. Et pro qualibet Missâ dictarum quindecim Missarum etiam ex d. negligentiâ celebrari omissâ, Domini, seu principales ex Comitibus d. Castri Titignani etiam pro tempore existentes, de fructibus dd. ruralium Ecclesiarum, quatuor similes Carlenos, quorum duo pro celebratione alterius missæ loco Missæ sic celebrari omissæ etiam exponi, & alij duo in utilitatem dd. Dominorum, seu pro illorũ executione converti deberent etiam propriâ auctoritate levare, & percipere respectivè possent; quodque si Conventus, seu Fratres hujusmodi in earundem Missarum celebratione modo præmisso faciendâ per mensem deficerent, seu in hoc negligentes essent, unio, annexio, et incorporatio prædictæ eidem Domui, seu illius Ecclesiæ hujusmodi faciendæ nullæ, & invalidæ existerent, & pro non factis haberentur, ac Ecclesiæ unienda prædictæ eo ipso vacare censerentur, & tanquã vacantes liberè impetrari possent. Et insuper dd. Fratres unam Tabulam, in quâ suprascriptæ conditiones, & desuper factæ obligationes inscriptæ essent fieri facere, & illam in sacristiâ vel alio Loco publico ejusdem Domûs, ut ab omnibus hujusmodi conditiones publicè legi possent, perpetuò tenere, & conservare deberent. Pro quibus quidem conditionibus, seu pactis superiùs expressis in eventu unionis hujusmodi observandis, dilectus filius Angelus de Aretio d. Ordinis, & sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis hujusmodi Prior Generalis, etiam ut Procurator, & eo nomine Domus, & Fratres hujusmodi se, & Bona sua efficaciter obligavit, & illa observare promisit. Verùm si Parochialis, & rurales Ecclesiæ perpetuò Ecclesiæ Domus hujusmodi sub conditionibus, & obligationibus prædictis unirentur, annecterentur, & incorporarentur, ex hoc profectò ipsorum Domus, & Fratrum commoditatibus consuleretur, & in eisdem sic tunc unitis Ecclesijs Divinus cultus susciperet incrementum. Quare pro parte Prioris, & Fratrum Domûs hujusmodi asserentium fructûs, redditûs, & proventûs Parochialis, & Ruralium Ecclesiarum prædictarum insimul decem Ducatorum aureorum de Camerâ secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Parochialem, & Rurales Ecclesias

E *Ecclesiæ Domûs hujusmodi sub conditionibus prædictis; ita quod ipsi Prior, & Fratres ad illarum observationem modo præmisso teneantur, unire, annectere, & incorporare, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica alijs uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm æstimationem prædictam, etiam Beneficij, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, Priorem, & Fratres Domûs hujusmodi, & eorum singulos à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, &*

F *pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac Ecclesiæ Domûs hujusmodi Fructuum, redditum, & proventuum verum annuum valorem præsentibus pro expresso habentes hujusmodi, ac etiam Nobis super hoc porrectis ejusdem Angeli Generalis supplicationibus inclinati, Parochialem, & quæ sine curâ sunt Rurales Ecclesias prædictas Ecclesiæ Domûs hujusmodi sub conditionibus tamen, seu conventionibus prædictis, ad quarum observationem modo præmisso Priorem, & Fratres Domûs hujusmodi fore efficaciter obligatos, harum serie decernimus auctoritate Apostolicâ, cùm ad hoc*

G *d. Bartholomæus, prout per publicum Instrumentum desuper confectum Nobis extitit legitimè facta fides, ut præfertur, consenserit, tenore præsentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ita quòd liceat Priori, & Fratribus Domûs hujusmodi ex nunc per se, vel alium, seu alios corporalem Parochialis, & Ruralis Ecclesiarum hujusmodi, Juriumque, & pertinentiarum omnium earundem possessionem propriâ auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac illarum fructûs, redditûs, & proventûs in suos, & unitarum Ecclesiarum hujusmodi utilitatem convertere, ac eidem Parochiali Ecclesiæ per unum, vel plures Presbyteros idoneos seculares, aut d. vel alterius Ordinis Regulares ad Prioris, & Fratrũ*

H *hujusmodi nutum ponendos, & amovendos in Divinis deserviri, & Animarum curã illorum Parochianorum exerceri facere, Diœcesani Loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ, non obstantibus voluntate nostrâ prædictâ, & alijs Apostolicis Constitutionibus contrarijs quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales d. Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Literas, & processûs habitos per easdem, ac inde secuta quæcunque ad Ecclesias unitas hujusmodi*

modi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem Beneficiorum ulterius præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Proviso quòd Parochialis, & Rurales Ecclesiæ hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & Animarum cura in dicta Parochiali Ecclesia nullatenus negligatur, sed ejus, ac Ruralium Ecclesiarum hujusmodi congruè supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo vigesimo quarto Idibus Octobris, Pontificatûs nostri anno octavo.

Indultū pro Ecclesiā S. M. Gratiarum de Placentiā.

Insuper hoc anno Clemens Papa VII. sub dat. Romæ apud S. Petrum die 22. Martij Indulgentiam plenariam, ac remissionem omnium peccatorum omnibus, & singulis Christifidelibus impartitur, qui ritè visitaverint Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum de Placentiâ, & manûs porrexerint adiutrices ejusdem Ecclesiæ Fabricæ reparationi Fer. 5. & 6. majoris Hebdomadæ, necnon Sabbatho S. iis etiam, qui Senio, vel aliquâ infirmitate impediti eò personaliter adire non potuerint, dummodo per alium id omne præstiterint. Item Priori illius Conventûs tanquam Commissario, & auctoritate Apostolicâ delegato, facultatem largitur eligendi Confessarios, tum Regulares, tum Seculares cum potestate absolvendi ab omnibus peccatis quantumlibet enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis tamen iis, quæ continentur in Bullâ Cœnæ Domini, & commutandi Vota præter quatuor illa majora de more. Insuper excommunicationem, aliasque censuras, & pœnas Ecclesiasticas intentat omnibus iis, qui Bona dictæ Ecclesiæ alienare auderent, & notulas Indulgentiarum publicè expositas amoverent.

Item ab anno usque 1520. sequens Indultum pro Congreg. Servor. emanavit.

Privilegia Congregationis de Observ.

NOS *Laurentius miseratione Divinâ tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyter Cardinalis Pistoriensis, ac Congregationis Servor. B.M. Ordinis S. Augustini Viceprotector, Universis, & singulis præsentes Literas nostras inspecturis fidem facimus, & attestamur, quatenus sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Leo Divinâ Providentiâ Papa X. ad humillimas preces, & supplicationes per Venerabiles Religiosos P. Vicarium Generalem Congregationis Servorum de Observantiâ, & Commissarium in almâ Urbe dictæ Congregationis Servorum de Observantiâ, de consensu Definitorum Generalis Capituli novissimè Placentiæ celebrati, & Magistrorum in S. Theologiâ ejusdem Congregationis Patrum principalium sanctitati suæ porrectas dictæ Congregationi, ut XII. eorum Fratres in XXII. ætatis suæ anno constitutos ad omnes, etiam sacros, & Presbyteratûs Ordines à quocunque maluerint Catholico Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, liberè, & licitè promoveri facere possint, concessit: ac generaliter omnibus dictæ Congregationis Fratribus inhibuit, ne ad Baccalaureatûs, & Magisterii gradûs promoveri valeant, nisi fuerint legitimæ ætatis, videlicet ad Baccalaureatum XXVII. annorum, ac legerint ex Officio sibi à Superioribus commisso quatuor Libros Magistri Petri Lombardi: ad Magisterium verò XXXIII. annorum, ac ex simili Officio legerint aliquem dignum, & approbatum Interpretem super ipsos quatuor sententiarum Libros, & tunc nonnisi servatis debitis solemnitatibus in similibus servari solitis. Demum ut in 4. Ecclesiis 4. Domorum dictæ Congregationis, ad quos fortasse Privilegium celebrandi Missam circa Solis occasum sabbathi majoris Hebdomadæ, aliàs dictæ Congregationi concessum se non extendebat, Missam hujusmodi circa Solis occasum dicti sabbathi, sicut hactenus fecerunt, celebrare liberè, & licitè absque aliquo conscientiæ scrupulo valeant; facto nobis tum super hoc, quàm ceteris aliis præmissis vivæ vocis oraculo, concessit pariter, atque indulsit, absolvens eos à Censuris, & pœnis, si quas forsan Missam in 4. Ecclesiis hujusmodi, absque privilegio celebrando incurrerint, in contrarium facien. non obstantibus quibuscunque. In quorum omnium fidem præsentes manu nostrâ propriâ subscriptas per infrascriptum secretarium nostrum fieri, sigillique nostri magni appensione communiri fecimus.*

Promoveri possint ad Ordines.

Privileg. Missæ Sabbathi S.

Datum Romæ apud S. Petrum in Camerâ nostræ solitæ residentiæ die 27. Octobris MDXX. Pontificatûs præfati Sanctissimi D. N. anno Octavo.

Ita est Laurentius tit. SS. Quator Coronatorum Presbyter Card. m. p.

P. Bombasius Secrēt.

Ego verò F. Hieronymus Placen. tunc Generalis Vicarius Indultum hujusmodi de celebrandâ Missâ, his 4. Conventibus, videlicet Utini, Viglevani, Fori pompilij, & Broni, applicavimus. In cujus fidem hæc propriâ manu exaravimus. Placentiæ in nostro Conventu S. Mariæ Gratiarum. MDXX. octavo Decembris.

Incremẽta Conv. & Eccl. S. Catharinæ de Tarvisio.

Quemadmodum constat ex Monumentis in Archivo illius Cœnobij repositis. E Denique pro Coronide hujus Cap. & Anni operæpretium est adijcere quidquid accesserit emolumenti, & decoris Ecclesiæ, & Conventui nostro S. Catharinæ de Tarvisio, de cujus origine scripsimus ad annum 1346. In primis ineunte anno 1441. D. Sergius Comes de Polâ, quem monumenta hujus Conventûs Patrem cordialissimum vocant, unà cum Antoniâ de Tempestis, nec sine præsidio, & ope Communitatis ampliorem de novo à fundamentis excitare cœpit Ecclesiam, quemadmodum indicant signa, & Stemmata Familiæ suæ in marmure præ Foribus Ecclesiæ apposita. Insuper Antonia speciatim fundum reliquit pro construendâ Ecclesiâ, necnon F ipsam cum Arâ principe decent, & octo Domorum pretio dotavit, quamobrem Fundatricis Ecclesiæ nomen, & insignis Benefactricis titulum jure optimo sibi vindicavit, quibus omnibus plurimùm contulit P. Anselmus de Tarvisio, cujus operâ magnum eo temporis Conventus ille suscepit incrementum; ejus enim precibus Tarvisini Magnates viam quandam publicam obstrui mandarunt (quod plurimi habendum esse norunt omnes Tarvisinarum rerum periti) eò quòd fabricis illis nostris impedimento esset, & in Areâ quadam, quæ vulgò dicebatur, *Il Guasto de' Signori da Cammino*, Ubi cautum lege fuerat, nequis ibi ædificare præsumeret; pro hujus nostri Cœnobij constructione liberam facultatem concessere. G Joannes etiam de Sommajâ nobilis Florentinus eidem Ecclesiæ Chorum super extruxit, & Capitulum, necnon Altare Majus restauravit, qui proinde unà cum Apolloniâ Coniuge in Album Benefactorum ejusdem Cœnobii refertur, & pro illis PP. tanti beneficij memores singulis mensibus suffragia quædam celebrant. Recenseri quoque debet pretiosa Sacrarij supellex eodem anno 1441. ut plurimùm studio, & industriâ P. Lazarini de Tarvisio comparata, ex pervetusto quodam Inventario deprehensa. Is autem Pater nedum exornavit Sacrarium, sed etiam Bibliothecam plurimis voluminibus instruxit, eique proinde non mediocriter tribuendum est, quòd Ambrosius Spiera ejus H Alumnus celeberrimus evaserit Theologus, & Declamator eximius, quemadmodum fusiùs dictum est ad annum 1454. Ineunte verò hoc anno 1524. cùm P. Hieronymus de Lucâ Prior Generalis die 5. Julij Locum hunc visitasset, eumque adinvenisset ob varias Bellorum vices, & militum incursiones ruinæ valdè proximum, restaurandum omnino esse mãdavit, reque ipsâ operi manum admovere statim cœperunt PP. quorum proinde solertiâ completum, & ad ampliorem formam redactum videmus. Confecratam ritè fuisse die 3. Maij Ecclesiam antiqua fert opinio, atque traditio, annus tamen, & Episcopus ignotantur. Inter alias, & quidem insignes SS. Reliquias ibidem colitur Corpusculum unius E ex SS. Innocentibus, quâ de re in eorundem Festo frequens eò fit Populi concursus. Summâ quoque ibidem veneratione colitur duplex Spina Coronæ D.N.J.C. cum aliquâ ejusdem SS. Crucis particulâ, necnon alterè digitis S. Catharinæ V. & M., cui nuncupata est Ecclesia. Interposito jamdudum voto Proceres illius Civitatis sodalitium ibidem ad Sacellum antiquitùs erectum ad honorem S. Sebastiani pro avertendâ Peste instituerunt, & singulis annis unà cum Episcopo, & Clero tum seculari, tum Regulari, necnon Confraternitatibus Artium in ejusdem S. Martyris Festo Ecclesiam hanc adire solemniter, & opem implorare consueverunt ad ejus Altare Divina Mysteria peragendo. Denique plures F ex hoc Loco prodijsse Viros varijs nominibus insignes ex horum Annalium serie constat.

Comes Sergius de Polâ, & Antonia de Tempestis Benefactores insignes Cõv. de Tarvisio

Joann. Sõmaja, & Apollonia Uxor Eccl. præd. Benefactores.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

Omnia, & Singula in hoc Cap. contenta colliguntur partim è m. s. Archangeli Gianij, partim è monumentis Conventuum speciatim de Placentiâ, & Tarvisio, necnon ex historiâ Joannis Bonifacij, & ex Testimonio fide digno D. Bartholomæi Barchelati artis Medicæ Professoris.)

Hieronymus in Comitijs Faventiæ Generalis electus, multis Cœnobijs reformandis operam navat.

G

CAP. X.

Ea plerumq; deprehenditur etiam in ipsis Religiosis humana fragilitas, ut sæpè sæpius aliquâ, vel directione, vel censoriâ correctione indigeant. Quare Hieronymi Præfectura cùm in eam tempestatem incidisset, quâ tota Italia bellis, cladibus, pestilentiâ, rerumq; inopiâ potissimùm laboraret; & Ordo noster post Angeli obitũ, non per proprium Pastorem, sed per adventitios quodammodo mercenarios diu administraretur, in variosque prolaberetur anfractus, nemini mirandum, si hujus Generalis nimia in reformando Ordine constantia odi- H um illi conceperit, æmulis verò viam aperuit ad ejusdem honores aucupandos. In Comitijs igitur .1. magno, ut fieri solebat, apparatu Faventiæ habitis, Hieronymus ex Vicario Apostolico omnium suffragijs vigesimo sexto loco Prior Generalis eligitur, electus autem luculentum habuit sermonem in eos, quorum nimiâ licentiâ abusus plures paulatim irrepserant, & præsertim circa interulas, & alia indumenta, quæ regularem honestatem quoquomodo labefactare videbantur. Quamobrem decretum fuit, ut antiquus usus lanearum sabucalarum renovaretur, & præter colorem nigrum, & album, omnis circa indumenta interiora tolleretur abusus. Sorores

quoque

quoque secundi, & tertij Ordinis reformarentur, & Prior Generalis in proximâ Cœnobiorum visitatione .2. districtiùs ubicunque oporteret regularem disciplinam renovare curaret. Confirmatus etiam fuit Procurator Ord. in Curiâ M. Ugolinus de Cortonâ, & pro visitandis locis extra Italiam deputatur Vicar. Gener. M. Hieronymus Fuscus de Faventiâ, tum quòd omnium gentium linguis maximè præstaret, tum quòd in rebus gerendis præter eximiam doctrinam Vir singularis esset. Pusillus interea grex eorum, qui *De primitivâ reformatione Prioris Generalis Servorum* dicebantur, cùm ex eo tempore, quo à Tancredo, & Cyriaco Generalibus institutus fuerat, paulatim coalescere, & vires acquirere videretur; actum est in eisdem Comitijs, quòd Hieronymus Generalis quamprimùm hunc gregem, veluti medium inter Conventuales, & Congregatos ab Apostolicâ Sede confirmari, foverique curaret; cui etiam Præfectus fuit Vicarius in Conventu Turani M. Hieronymus à Claris de Brixiâ per literas pat. ibidem datas 14. Maij, in quibus etiam præcipiebatur facultas conservandi pro Ord. & sub obedientiâ Generalis omnia illa loca, tum acquisita, tum de cætero per ipsum acquirenda. Eodem etiam tempore Patres de Congregatione Conioli F. Hilarium Venetum .3. sibi Vicarium constituunt, qui non post multos dies cùm impiorum manibus interemptus fuisset, Frater Fortunatus de Brixiâ in ejus locum suffectus fuit. Accepto interim Hieronymus, quòd Sanctimoniales nostræ de Arimino in laxiorem vitam prolaberentur, de eorum reformatione per literas pat. Arimini datas .4. die 15. Augusti mandat Priori, & D. Raynaldo de Medicis ejusdem loci Conservatori. Imolæ etiam .5. Thadæus Manfredus Vic. & Dom. Civitatis cum Marfiliâ Uxore cùm de reformando eò Cœnobio sub obedientiâ Congregationis D. Papæ supplicassent, id non ferens Hieronymus Generalis, cupiensque Regulis illis morem gerere, idem Cœnobium reformari in eisdem Comitiis, & ut in posterum quibusdam probis Viris commendaretur curavit, & ejus loci Ædiles præfecit, qui fuerunt Petrus Maria de Medicis Canonicus Imolensis, D. Comes Albericus, Ser Virgilius Cavallacius, Pyrrbus de Banchino, & Thomas Francutius, unà cum Priore pro tempore ejusdem loci. Mediolani quoque nutabat Conventus Servorum, cùm enim locus Congregatorum extra Mediolanum, qui Paradisus dicebatur, ab Exercitu Imperatoris, ejectis Fratribus, fuisset funditus dirutus, Patres de Congregatione omnem lapidem movebant, ut in Cœnobium Servorum reformandum introducerentur; quare non fuerunt quidam eorum veriti apud Franciscum Mariam Sfortiam criminari Fratres Ordinis de multiplici eorum inobservantiâ, laxiorique vivendi licentiâ, quorum querimonijs excitatus Dux, de ejiciendis Conventualibus, & introducendis Congre- A gatis cogitare cœperat, quando Hieronymus Generalis Vir pervigil, & qui semper pro nostro Ordine stetit, citato cursu Mediolanū profectus est, ibique de eo reformando Cœnobio districtiùs cum Francisco Duce, & Blancâ Ducissâ egit, quemadmodum in sequenti capite plura de his. Talibus igitur quotidie lacessitus iniurijs Hieronymus ob æmulationem, quæ intercesserat inter utramque Congregationem, & Ordinem .6. volens quorundam retundere audaciam, primùm omnes Conventûs Ditionis Bergomensis ab ipsis abstulit, eodem Duce Mediolanensi adnitente, & quibusdam ex ipsis Congregatis procurantibus novæ reformationi adiunxit; deinde per lit. pat. Venetijs datas die 20. Ju- B nij nonnullos ex Prioribus Congregationis Romam ad pedes Summi Pont. & coram D. Protectore acciri jussit, & hi fuerunt M. Fortunatus de Brixiâ Vic. Gener. M. Hieronymus de Placentiâ, & M. Augustinus Pisanus Venetus Visitatores; similiter M. Angelus Gradenicus, F. Marcus Prior, F. Raynaldus, & F. Raphael Veneti, assignato eis termino sexaginta dierum sub pœnâ excom. latæ sent. & privationis officiorum, eò quòd mandatis D. Protectoris, & Apostolicis literis parere detrectassent. Hæc verò dum agerentur, multæ virgines, coniugatæ, & viduæ sanctum Dei Matris habitum affectabant, & Sorores fiebant, nam Rohadi hoc anno in sacrario Ecclesiæ Annunciatæ Sorores tertiariæ emittūt C professionem tertij ordinis coram R. F. Jo. Petro de Cocalio Priore Rohadi recipiente nomine, & vice P. Vicarij Gener. Congregationis, & hæ sunt.

Soror Benedicta de Maffonis, Soror Margarita de Casinis, Soror Joanna de Bartolinis, Soror Margarita Joannis Bosetti, Soror Catharina Hieronymi Claustri, Soror Felicitas de Garolis, Soror Bona de Brandis .7. Mantuæ etiam magnus habebatur ejusmodi Sororum numerus tertij Ordinis, inter quas hoc tempore Julia, & Hippolyta de Albrisijs sorores .8. professæ in maximâ observantiâ Philippo de Albrisijs ejusdem cognationis curante vigebant. Senis jugiter Agnes nobilis fœmina Petri Venturæ de Malevoltis Vidua D post susceptum Habitum ejusdem Ordinis .9. anno revoluto mense Decemb. suam professionem emisit. Et hæc post Christophoram de Maccabrunis, Priorissa Sororum electa originem dedit, & fundavit Senis Monasteriū Visitationis S. Mariæ, de quo plura ad ann. 1528. Neque etiā deerant eodem tempore Viri probatissimi, qui certatim ī religiosâ perfectione proficerent. 10. nam in Senario multi ad verā disciplinā, & solitudines confugientes in manibus M. Cosmæ Favillæ Florentini, qui tunc ibi Prior erat, hoc anno professionem emittunt. Parisijs quoque recolitur .11. veneranda memoria & obitus B. Francisci, de quo utinam præter nomen, & Patisiensem Patriā

Societas Habitus plurimū invaluit.

B. Francisci Parisiensis obitus.

nos aliquid ulteriùs docuissent priscorum Patrum monumenta, quæ hactenus desiderantur. Anno interea revoluto 1525. Florentiæ etiam ad præteritas contentiones sedandas inter Patres, & Ædiles Sacelli Annunciatæ Clemens VII. Patribus ipsis Annunciatæ procurantibus, per Apost. lit. Romæ datas die tertiâ Aprilis, & ad Hippolytum Medicem Card. Florentiam directas, ea sancivit, & declaravit, quæ pro communi Patrum, & Ædilium administratione visa fuerunt expedite. Cumq; eâdem in Ecclesiâ magnus inolevisset abusus, quòd paramenta preciosa, & res sacræ in profanos usus, etiam reluctantibus Patribus, plerumque converterentur, cogerentur que sæpe Patres hujusmodi sacram supellectilem, aut alijs Ecclesijs, aut secularibus commodare, id'que non sine evidenti detrimento, & dedecore, Idem Pont. per alias lit. eâdem die datas sub excomm. interminatione, à quâ nullus posset absolvi, nisi à Romano Pont. huic incommodo districtè occurrit, prout in eisdem lit. quæ hactenus ipso in Sacrario asservantur. Per eos simillter dies .12. Dux Mediolani multò magis instabat, ut Conventus Servorum reformaretur, suggerentibus Congregatis, qui quotidie Loci possessionem expetebant; verùm Hieronymus Generalis omnem eorum spem fefellit, & Francisci Ducis voluntati morem gerens, assumptis secum ad mentem Ducis tribus præcipuis Senatoribus tanquam rerum gerendarum testibus, die 4. Aprilis Anno 1525. Conventus Servorum Mediolani districtam reformationem aggreditur, cui etiam Cœnobio regendo præfecit postea Dominicum Doctorem Patavinum à Castro Franco, Virum quidem doctissimum, & religiosis moribus ornatum; & ut non solùm Mediolanense Cœnobium, sed etiam tota Ducis Sfortiæ Ditio ad ipsius exemplar in meliorem disciplinam redigeretur; Provincialem Lombardiæ (quicumque fuerit ipse) Commissarium Generalem, & suum Vicarium reformatorem cum omnimodâ potestate per lit. pat. die 18. Julij Mediolani datas constituit; & quoniam in eo tuendo Cœnobio Mediolani plurium Civium, & Potentatum operâ, præcipuè Marci Antonij Venereij apud ipsum Ducem Oratoris Veneti usus fuerat, pluribus etiam lit. pat. gratitudinis ergo pro participatione bonorum spiritualium nostri Ordinis eodem tempore contulit: cùm autem Perusij Hieronymus de Placentiâ Vic. Congregationis pro hoc anno fuisset designatus Vic. Generalis, Hieronymus Generalis eundem per lit. pat. Ferratiæ datas 12. Junij pro consuetâ auctoritate confirmavit. Hoc eodem anno F. Cherubinus Carracciolus de Brixiâ tractatum edidit de Origine nostri Ordinis, quem Sodalitio confratrum nostrorum de passione Domini nostri Jesu Christi nuncupavit.

Conv. Mediolani ad instantiã Frãcisci Sfortiæ Ducis reformatur.

[Clemens Papa VII. Privilegia quædam concedit .13. Conventui, & PP. D. Annunciatæ de Florentiâ, prout constat ex Apo-
E stolicis Literis, quarum hic tenor est.

Privil. Clem. VII. pro Conv. D. Ann. de Flor.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis filijs Priori, & Fratribus Domûs B. M. Annunciatæ Serv. de Florentiâ Ordinis ejusdem B. M. Servorum Sal., & Apostol. bened. Cùm à Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter Dilecti in Domino Filij vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per Privilegia, concessiones, & alia indulta vobis, ac Domus vestræ, & illius annexis etiam ad instar Prædi-
F *catorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & B. M. de Monte Carmelo Ordinum concessa, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, ac alijs Christifidelibus Vobis, & Domui vestræ, ac annexis hujusmodi rationabiliter indultas, sicuti ea omnia justè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos Domui vestræ, ac annexis illius auctoritate Apostolicâ confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, ac communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*
G *Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1525. 6. Idus Decembris Pont. nostri Anno Tertio.*

Eodem anno duo accedunt Ordini Servorum Loca. Unus quidem, qui dicitur S. M. de Paradiso Diœcesis Papiensis, de quo solùm novimus, quòd in Comitijs Perusij habitis à PP. Congregationis eligitur hujus Loci Prior P. Joannes Baptista de Mantuâ. Alter verò ad Provinciam Lombardiæ pertinens in Ditione Parmensi, ac Diœcesi Placentinâ sub Tit. S. Rochi, qui dicitur *Salsò maggiore*. Rumor enim in vulgus invaluit, quòd hujus Oppidi Incolæ, ut Voto se solverent, quo se obstrinxerant ad avertendam pestiferam lu-
H em, Ecclesiam ædificarunt S. Rocho dicatam; subinde verò quatuor præ cæteris ab eâ Communitate deputati Parmam adiere, ut Regularium Ordinem sibi deligerent, qui Ecclesiam illam administraret. Ordinem verò Servorum prælegerunt, eique Ecclesiam administrandam donarunt, quemadmodum constat ex literis patentibus D. Joannis Card. Salviati Clementis Papæ VII. ac S. Sedis Apostolicæ Legati à Latere per universa Hispaniarum Regna apud Carolum V. Imperatorem Parmæ datis die 24. Junij 1525. Locum hunc nomine Ordinis statim recepit P. Joannes Petrus de Cavacuriâ, ejusque Regimini præfuit usque ad annum 1547., quo ex hac vitâ

Conv. S. Mariæ de Paradiso Diœc. Papiens.

Conv. S. Rochi de Salso

Confecr. Eccl.

vitâ migravit die 16. Martij. Ecclesiam verò consecravit solemnitet die 24. Martij 1532. D. Pompejus Musacco Episcopus Leiden. Suffraganeus Episcopl Parmensis. Intereà hoc accidit verè memorandum, quòd apud Incolas pro comperto habetur. Die 15. Junij 1536. Joannes Marcus unà cum Nuru suâ, & alijs temerè tenravit agrum quendam frumento plenum metere, qui ad Ecclesiam hanc S. Rochi spectabat. Cùm verò id facerent, ferrea falx manui Nurûs ira adhæsit, ut quacunque adhibitâ vi dimoveri nullatenus posset. Joannes autem resipiscens in eâdem Ecclesiâ coram Imagine S. Rochi provolutus, et in uberem fletum solutus iniquitatem suam fatetur, ac detestatut, starimque falx illa veluti saltum edens de manu, cui inhærebat, spontè exilijt; ejusque tei verè mirabilis monumentum ibidem in appensâ Tabellâ votivâ apparet.

Memorandum de Eccl. prædict. S. Rochi

Obitus, & laudes P. Barŏti Bonaccursij Pistoriĕsis

Præclatam huic anno coronidem imponat P.M. Barontus de Bonaccursis Patritius Pistoriensis Ordinis Servorum, Vir morũ integritate, ac doctrinâ præstantissimus, Monasterij Sororum de Cutiliano Auctor, prout diximus ad annum 1509 Hoc enim anno 1525. die 7. Aprilis fer. 6. quâ prædixerat horâ 116. ætatis suæ annum agens, verè plenus dierum obdormivit in Domino plurima sanctitatis suæ exempla relinquens, necnon doctrinæ suæ monumenta, sermones nimirum de Sanctis, & Conciones Quadragesimales. Insequente pariter anno duo alia Loca succedunt. In primis enim in Regesto Generalis Hieronymi de Lucâ recenseiut intet alia Ordinis nostri Cœnobia Conventus S. Mariæ Formiginis ad Provinciam Romandiolæ spectans in Diœcesi Mutinensi. Præterea idem colligimus ex vetusto quodam codice Sermonum cujusdam P. Antonij de Formigine, ibi enim sæpè fit mentio hujus Cœnobij, cujus originem profectò exploratam non habemus, sed verosimile videtur, quòd hisce temporibus Antonij prædicti Concionatoris eximij operâ illud obvenerit. Cæterùm de ipso nihil aliud compertum est nobis. Denique in Regesto Generalis Stephani Bonucci anno 1570. in Comitijs Generalibus Cęsenę habitis locus iste Formiginis reperitur unitus Conventui nostro de Mutinâ pag. 146.

Conv. S. Mariæ de Formigine.

Utique propè Ravennam, Urbem Gallię Togatę, Æmilię Metropolim ex primis Italię, & antiquissimam, sedem Ordo noster tenuerat sub Tit. D. Annunciatę ab anno usque 1424., prout ad eundem annum diximus. Verùm eo posthabito, ubi hactenus commorati fuerant PP. Ecclesiam S. Sebastiani Martyris intra Mœnia Urbis, & in publico majori Foro, sive parte ejusdem nobiliori hoc anno 1526. adiere, nomine Ordinis possessionem corporalem recipiente P. M. Angelo de Cruce Bononiensi eo temporis Romandiolę Provincіali, qui cùm in primariâ Ravennę Ecclesiâ per Quadragesimam eodem anno summo omnium plausu exceptus sacras Conciones habuisset, benevolentiam Optimatum, ac Populi adeò sibi conciliavit, ut Ecclesiam hanc nullo negotio Ordini Servorum comparaverit, & situm pro construendo Fratrum Cœnobio, de quibus apparet pub. Instrumentum habitum die 27. Maij 1526. Eadem possessio constat etiam ex literis patentibus Hieronymi de Lucâ Generalis Solaroli datis in Comitijs Provincialibus die 19. Maij 1526., quâ die pariter Hieronymus idem per alias Literas patentes mandat, ut apud S. Sebastianum de Cellâ, & indumentis consulant PP. D. Martino Bellinio Presbytero Ravennati, qui proinde censendus est Ecclesiam hanc Ordini nostro resignasse. Consequentibus temporibus cùm Ravennę Dominatum exerceret Venetorum Respublica, in augustiorem formam ipsam Ecclesiam redegere DD. Nicolaus Justinianus, & Marcus Bragadenus, pro eâdem Republicâ Pretores, quod ex Inscriptionibus constat in Ecclesiâ publicè expositis, ac D. Marco speciatim Aram, & alteram è duabus Ecclesię partibus consecrarunt æquè, ac alteram S. Sebastiano. Plura verò in dies exerceri cœpere in hac Ecclesiâ pietatis officia, maxime verò erga D. Philippum Benitium, et Deiparam Dolorosam, celeberrimâ ad hoc institutâ Societate, Antesignano Dominico Card. Rivarolâ Apostolicę Sedis Legato, quemadmodum dicemus ad annum 1616.

Conv. S. Sebastiani de Ravĕnâ.

Hic denique pręterire silentio non decet, quòd eodem anno 1526. cùm amplissima Mediolani Civitas arctissimâ obsidione à potentissimo hostium Exercitu premeretur, Patres S. Marię Servorum, ut à gravissimis incommodis eximerentur, quę ex hac obsidione imminebant, unanimi consensu in Patronos elegere B. Virginem Mariam, Ss. Joseph, Ambrosium, & Philippum Benitium voto publicè interposito canendi solemniter qualibet Hebdomadâ Missam de B. Virgine cum eorundem Sanctorum Commemorationibus, votique reipsâ compotes evasere, nullum enim omnino incommodum passi fuere, quemadmodum ejusdem Cœnobij monumenta nos docent, quę egomet lustravi anno 1715. Mense Augusto in Campione quodam ab anno 1542. ad 1559. sub initium.]

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1. 2 *POccantius in Chron. & alia plura ex regesto ejusdem Hieron. Gen.*

3 *Ex Catal. Vic. Gen. Congreg.*

4. 5. 6 *Singula hæc ex eodem Regesto, ut supra.*

7. 8 *Ex monum. Conv. Robadi, & Mantuæ.*

9. 10 *Ex monum. Conv. Senarum, & Montis Senarij.*

11 *In Antiquis Tabulis, & in Campione Conv. Rhegij apparet B. Franciscus Parisiensis Ordin. Servorum.*

12 *Ex Regesto Generalis, ut supra, singula quæque.*

[13 Ex

[13 *Ex m. s. Gianij, & ex monumentis eorundem Conventuum.*]

Plures Vicarij infra, & extra Italiam à Hieronymo Gen. deputantur, & B. Cedonij Bononiensis, gesta, & obitus enarrantur.

CAP. XI.

POST magnam illam cladem à Gallis apud Ticinum receptam, Alphonsus Davalos Generalis, Dux Copiarum Caroli Imperatoris, qui eâ magnâ victoriâ potitus fuerat, pulsis deinde Principibus Pijs è terra Carpensi, cùm animum ad ea, quæ Pietatis, & Religionis sunt, converteret, & sacrorum locorum ruinam repararet, Cœnobium nostrum, & Ecclesiam toties dirutam restitui mandavit, & in sacello majori à se munificè constructo Imaginem illam Sacratissimæ Virginis solemni pompâ transferri jussit, quę gratiarum, & miraculorum coruscatione, & Populorum frequentiâ, jam diù conspicua, & maximè veneranda fuerat. Interea Hieronymus Generalis suo muneri intentus, pro commendatâ sibi Religione moderandâ, accepto quantùm extra Italiam proficeret Hieronymus Fuscus de Faventiâ.2. illum rursus de Summ. Pont. consensu, non modò Vicarium suum, sed etiam Apostolicæ Sedis cum ampilssimâ facultate ad instar literarum, quas olim à Julio secundo acceperat, super omnia loca nostri Ordinis, tam recepta, quàm recipienda extra Italiam confirmat; cupiens etiam vetera quædam Grecię loca recognoscere, Patrem Basilium Cilenium Venetum Priorem Sancti Pauli in Cretam decernit, atq; suum Vicarium Generalem in totâ Greciâ, & per Orientales partes constituit, ut vel amissa Cœnobia recuperet, vel denuò construenda, seu acquirenda procuret. Pari etiam consilio Hieronymum à Claris iterum in Priorem Turani, & Vicarium suum super novâ Observantium reformatione per lit. pat. approbat, cujus occasione majus zelum, & fortasse invidię fomentum Congregatis incussit; nam Patres de Congreg. ex eo tempore, quo Thadęus, & sequentes Generales Cętum diversum ab ipsis instituissent eorum, qui dicebantur filij de reformatione Generalis, non æquo animo hanc divisionem ferentes, duram quandam in eos æmulationem conceperant, quare, ut ab eis prorsus segregatos sese ostentarent, cum Philippo Albrisio de Mantuâ, qui tunc Romæ eorum Commissarius in Curiâ commorabatur, clam Hieronymo Generali egerunt, ut ipse eorum nomine à Summ. Pont. impetraret, quòd Patres Congreg. Servorum .3. in publicis processionum, & sepulturæ defunctorum opportunitatibus proprio, & ab Ordine distincto uterentur vexillo, & ita à Fratribus alterius Reformationis prorsus secernerentur. Id verò non fuit difficile hoc anno per Apostolicas literas Romæ sexto Idus Martij datas obtinere. Quare utrinque sæpesæpiùs artificijs varijs Congregatio, & Ordo coluctabantur simul, ita ut dum ex alterâ parte Priores Generales ejusmodi divisiones optimo consilio ad tranquilliorem unionem redigere curarent, ex alterâ tamen Patres de Congregatione Gene alium consilia ad deteriorem partē detorquentes, à communi Religionis jugo sub specie propriæ observantiæ cervices omni conatu excutiebant. Hæc verò non sine aliquâ prudentiâ, & utriusque partis dissimulatione agebantur, quinimmo uterque semper alteram partem blandis demonstrationibus in suam sententiam adducere, & demulcere tentabat. Nam cùm in amœnissimo Agro Monticuli super Vallem Calepij, & Iseum lacum Patres de Congreg. sua Comitia indixissent, quibus interesse velle .4. Hieronymum Generalem prospexerant, illum ultrò invitarunt, & præsentem, & singula eorum acta probantem humanissimè tractarunt. Eo pariter Conventu M. Angelus Macrinus à Cerefariâ de Mantuâ in Vic. Generalem electus, a Hieronymo Generali per lit. pat. sub die 27. Aprilis, eò libentiùs confirmatus fuit, quò præter doctrinam, quam uberrimè callebat, maximâ etiam refulgebat sanctitate: relatum enim à Senioribus accepimus Virum hunc tantâ animi sinceritate, tantâ morum simplicitate, atque humilitate, & devotione floruisse, ut Mantuæ morienti Angelicos Choros circa lectulum, qui ejus animam in Cœlum deportarent, Ipsumque in novissimâ horâ exultantem, & ridentem, suavi concentu cōsolarentur, apparuisse publicè proditum fuerit. Eodem quoque tempore B. Cedonij mors celebranda occurrit.

B. Cedonij obitus, & gesta narrantur.

Is igitur Modoetiæ, quod est Oppidū inter Insubres non procul à Mediolano, honestis Parentibus ortus .5. ab ineunte Pueritiâ pietati, religiosis moribus, ac humanioribus disciplinis studuit. Adolescente verò ætate patriam linquens Florentiam profectus Sanctissimæ Virginis Annunciatæ devotione, quâ fuerat illectus, Habitum Religionis per manus PP. Mathæi, & Mariani Ordinis nostri, qui vicissim fuère Episcopi Cortonenses die 2. Julij indutus, & inter Novitios receptus fuit. Interim Bononiam studiorum causâ missus, & voto ibi Professionis astrictus, inter filios (tantam de eo conceperant opinionem) omnium votis Ipsius Conventûs Bononiæ cooptatur. Quantùm autem Gloriosæ Dei Matri gratus, & obsequens extitisset, Senatus illud quodammodo prodigiosè deduxisse fertur, quòd B. Cedonius in die Visitationis B. M. V. ortus, & baptizatus, in die Visitationis habitu indutus; in die Visit. professus effectus; in die Visitationis primum sacrum celebraverit, atque demum eâdem die à B. Virgine Visitatus, Animam Deo hoc anno reddiderit. Ejus sanctitatis famâ per totam

tam Æmiliam, & Flaminiam quotidie magis invalescente, Hieronymus, quò magis Comitia generalia superiùs Faventiæ celebrata, conspicua forent, Patrem Cedonium virum sanctum illis interesse voluit, cujus precibus, & intercessione Benedictus Deus plurimis languidis, & à Dæmonibus vexatis, sanitatem, & libertatem restituit. Ingravescente interim supra centesimum Annum ætate Cedonius, sensibus nihilominus integris, non poterat ampliùs Vir Dei Ecclesiam frequentare, idcirco Patres Cellam Ecclesiæ contiguam sub cymbalaria turri, cum parvâ fenestellâ, qua Ecclesiam introspiceret, super vetus sacrarium deputarunt, quam nos aliquando adolescentes in studio Bononiæ vidimus, & venerati fuimus: Ibi plures annos in solitariâ contemplatione vixit, nisi quantùm F. Philippus Maria ejus familiaris statutis horis (ut ipse de se testatur) divinum officium cum eo recitabat. Illud quoque admirandum fertur, & nos à senioribus, præsertim à Fratre Petro de Bononiâ, accepimus, quòd cum pavimentum ipsius Cellæ, seu vetustate consumptum, seu quovis alio casu rueret, id tantum spatij illæsum remansit, quantum occuparet stramentum, super quo Cedonius cubabat. Plenus igitur dierum, ac bonorum operum, hoc anno migravit ad Christum, miraculis clarus; cui cùm de more justa solvuntur, certatim Viri, & Mulieres ex Urbe, atque Agro ad celebrandas ejus exequias accurrunt, & non modò illius ossa pluribus donarijs venerantur, sed etiam vestium frusta religiosè diripiunt; arbitrans unusquisque quod si frustulum ex veste Sanctissimi Patris gestaret, ab omnibus ærumnis se tutum fore: propterea publico decreto affigi demandatur ejus sepulcro, quod existit in Ecclesiâ Servorum Bononiæ, hoc Elogium, ex quo ipsius optima vita, gloriosa mors, æternaque felicitas desumitur.

Jesu Dei veri laudator
Strenuus, & indefessus Cedonius jacet hic;
Longævus magis in Religione Servorum,
Quàm in Mundo fuit;
Insubria ortum, Florentia Mundi contemptum,
Verè vitam Bononia dedit.
Attestantibus ægris plurimis, & afflictis
Sanitate restitutis.
Vixit annos supra centum mortem prævidens,
Et in æternum vivit.
AN. DOM. M.D.XXVI. XI. Julij.

Plures alij in ejus honorem carmina cecinerunt, inter quos Cassius Felsineus Eques Auratus in lib. quem Bononiæ impressit Anno 1526. sub titulo *Cronica di Pitafi d' Armi, e d' Amori*. Odam vernacula lingua cecinit in honorem B. Cedonij.

Ejus imaginem repræsentant flexis genibus ante Crucifixum cum libro aperto in manibus ad modum recitantis, seu legentis officium, & orationes. Hoc eodem anno .6. Romæ apud Herculem Rangonum Card. moritur Joannes de Ferrariâ Ord. nostri Episcopus Sebastensis, & ejusdem Card. familiaris Theologus.

Joannes de Ferrariâ Episc. moritur Romæ.

[Ab anno usque 1438. apud S. Cataldum juxta Cremonam, ut ad eundem annum diximus, sedem tenuere PP. Congregationis Servor. de Observantiâ. Cùm autem hisce temporibus Bellum iterum ferveret inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem, veriti Cæsarei, ne intra Locum hunc S. Cataldi se communirent hostes, anno 1526. solo ipsum penitus æquarunt. Hinc PP. propriâ sede destituti vagari aliquantisper coacti fuerunt; Verùm quia laudabilis valde vigebat opinio de Religioso eorum vivendi Instituto, prout constat etiam ex pub. Instrumento donationis hujus, de quâ modò agimus, aliam sedem, & quidem intra Mœnia Cremonæ facillimè adiere, Ecclesiam Parochialem nimirum, & Locum S. Victoris, olim Monachorum Ord. S. Benedicti, deinceps verò commendatam; cui proinde renunciavit Joannes Baptista de Fodris ejusdem Loci Prior Commendatarius, singulari studio P. Joannis Baptistæ *della Cappella* Cremonensis, qui fuerat hactenus Loci prædicti S. Cataldi Prior, qui corporalem possessionem hujus Loci S. Victoris accepit unà cum PP. Antonio, Augustino, Philippo Mariâ Cremonensibus, Alphonso de Utino, Paradiso de Ferrariâ, Hieronymo de Viglevano, Paulo de Vailate, Marco de Rohado, & Lazaro de Paterno, qui apud S. Cataldum degere consueverant, quemadmodum constat ex prædicto instrumento, de quo rog. fuit Joannes Maria Ariberti Cremonensis pub. Notarius die 31. Januarij 1527. Quam concessionem, & respectivè possessionem Sac. Congregatio ratam deinde habuit, & confirmavit, ejusque nomine Laurentius Card. Episcopus Prænestinus facultate commissâ suffraganeo Episcopi Cremonensis Benedicti Card. S. Eusebij de Accoltis Aretini, & Cantori ejusdem Cleri actionem hanc confirmandi, prout docemur ex literis patentibus in pergameno Bononiæ datis 8. Idus Januarij 1530. Clementis Papæ VII. Pôtificatûs anno septimo. Quibus literis acceptis idem Suffraganeus, scilicet Lucas Spada Episcopus Dunen. & Augustinus Pinzone Cantor, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis illius concessionem hanc, & possessionem confirmarunt, prout constat ex Instrumento pub., de quo rog. fuit Jacobus Cassari pub. Notarius die 28. Martij ejusdem anni 1530. Hîc ergo degere cœperunt anno 1527. PP. ex Loco diruto S. Cataldi translati, integris tamen, & illibatis permanentibus privilegijs, & Indultis à varijs Principibus Conventui prædicto S. Cataldi, & ijsdem Patribus concessis annis videlicet 1440. die 27. Aprilis à Philippo Mariâ Mediolani Duce. 1441. die 1. Novembris à Francisco Sfortiâ de

Conv. S. Victoris de Cremonâ.

Concessionem hujus Eccl. cõfirmat S. Congregatio

Privil. concessa Conv. S. Cataldi de Cremonâ.

de Vicecomitibus ejusdem Philippi Filio. 1475. die 29. Octobris à Duce Galeatio Mariâ Sfortiâ prædicti Francisci Filio. 1479. die 23. Januatij à Bonâ Mediolani Ducissâ ejusdem Galeatij Uxore, & à Joanne Galeatio eorum filio. 1510. die 20. Septembris à Ludovico Galliarum Rege. 1516. die 23. Augusti à Francisco pariter Galliarum Rege Mediolani Ducibus; & 1522. die 27. Augusti à Francisco II. Sfortiâ; quæ sanè privilegia deinde confirmarunt, & auxerunt Carolus V. ejusque filius Philippus Hispaniarum Reges, & executioni mandanda curarunt Præsidens, & Magistratus Ordinarius Regiorum proventuum Ducatûs Mediolani. Eugenius item IV. iisdem PP. S. Cataldi sub dat. Florentiæ die 1. Julij 1441. Indultum concesserat recipiendi ex restitutionibus incertis insignem pecuniæ summam, & anno 1445. pariter die primâ Julij Florentiæ alia privilegia largitus fuerat. Quæ planè omnia tribuenda omnino sunt regularis Disciplinæ studio eorundem PP., sicut & alia in posterum iisdem concessa consequentibus temporibus apud S. Victorem. Huic Loco S. Victoris deinde aggregati fuere Conventûs S. Rochi, S. Petri, S. Andreæ extra Cremonam, & S. Mariæ de Platinâ, qui tamen defecere, utpote alendis commodè PP. impares, prout ex Monumentis Conventûs hujus S. Victoris edocti fuimus anno 1715. quo Mense Augusto eadem, utpote diligentissimè asservata ac ritè disposita, non sine magnâ animi jucunditate lustrabam. Ex hisce Conventibus S. Cataldi, & S. Victoris Viri non pauci insignes prodiere, in horum Annalium serie suis temporibus memorandi, quos pariter cum laude memorant Franciscus Arisius in suâ Cremonâ Literatâ, & Crescentius in Præsidio Romano Lib. 3. narratione 3. de Ordine Serv. B.M.V. Patribus Congregationis de Observantiâ, eorumque Disciplinæ tribuere decet Moniales Tertij Ordinis Servorum, quæ in hac Civitate sanctitatis quoque famâ celebres floruere, quemadmodum alibi diximus per hos Annales, & iterum dicemus ad annum 1689.]

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

1 EX *monum. ejusdem loci Carpensis.*
2 *In regesto Hieronymi Generalis.*
3 *Hac concessio Pontif. habetur inter monumen. Conventûs Consolationis de Ferrarâ.*
4 *Ex eodem regesto, ut supra.*
5 *Ex Chronicis m. s. Conv. Servorum Bononiæ præter illa, quæ habet Poccantius in Chronicis.*
6 *Ex monumentis Conventûs S. Marcelli de Urbe.*



E *Pestilentiâ passim saviente plerique Viri doctissimi deficiunt.*

CAP. XII.

UNiversi Ordinis Conventu Cesenæ coacto 18. Maij .1. in quo M. Dionysius Laurerius Procur. in Curiâ designatur, singulaque in præterito Capitulo Faventiæ habita decreta renovantur, & confirmantur. Approbatur etiam per lit. par. Leonardus de Brixiâ Vic. Generalis, prius in Casali Majore à Patribus Congregatis electus; & pro observantiâ Conventûs Mediolani loco Magistri Dominici Dotti de Paduâ, præficitur Prior M. Cosmus de Florentiâ, Vir consultissimus, & religiosæ di-
F sciplinæ amantissimus .2. Cujus hortatione Blanca Mediolani Ducissa vetustum, & deforme Sacellum B. Philippi P. nostri in Ecclesiâ Servorum picturis, & aliis ornamentis instaurari jussit. In eodem quoque Comitio per Gener. Hieronymum conceditur facultas Theodoro de Mantuâ .3. ut insignia doctoratûs in quacumque approbatâ Universitate suscipere possit, ut inde cognoscatur creandorum Magistrorum, etiam de Congregatione, auctoritatem solummodò apud Generalem esse. Hæc dum Cesenæ inter Comitia agerentur, Romæ .4. Audax, & Impius Borbonius nulla Summi Pontificatûs, & Sacrorum Patrum habitâ reverentiâ, cum toto suo exercitu furens, Urbem invasit, atque depopulatus fuit, justo tamen Dei judicio repentino casu,
G & improvisâ morte obrutus. Pontifex interea pecuniæ indigus, ex proventibus Cœnobij nostri S. Marcelli duorũ millium aureorum summam, pro quâ Casale S. Nicolai .5. statim divendere oportuit, mutuò accepit, In cujus pecuniæ compensationem liberali munificentiâ amplum Palatium ejusdem Præposituræ, consentiente etiam Card. Trivultio Tit. S. Marcelli, dono contulit, ex cujus denique venditione alienatum Casale iterum redemerunt. Per eos etiam dies Soror Margarita Amadei de Mantuâ Sanctimonialis .6. & Virgo prudentissima, ac religiosæ observantiæ è vitâ decessit, non sine magnâ sanctitatis opinione, & famâ, quam etiam Sorores de Mantuâ veluti Beatam colunt, quemadmodum
H indicare videntur sequentia verba super ejus marmoreum Monumentum exculpta, quod in Choro interioris Ecclesiæ Monasterij propè Altare situm est.

O Virgines Margarita Monasterij
Auctrix prævivit, ut æternas etiam
nobis sedes pararet.
M.D.XXVII.

Cumque pestilentia, & fames post ingentia bella per totam Italiam grassarêtur, ita ut Annus

nus iste cum sequenti diceretur vulgò *Annus paupertatis*. Contigit, ut Resp. Florentina A gravi obsidione circumventa, sibique stipendia pro Militibus deficerent, die 30. Aprilis 1527. argentea, aureaque sacra vasa, & oblata vora Ecclesiæ nostræ Annunciatæ ad summam triginta circiter millium aureorum in publicos usus convertere coacta fuerit. Perierunt his temporibus ex eo contagioso morbo M. Cosmus Favilia .7. qui Prior erat Mediolani, & in Patriam concesserat, Jacobus de Castello Florentinus sacræ Theologiæ Mag. Ferrariæ quoque mortuus est Jacobus Landrophilus sacræ Theologiæ Professor, & Orator facundus, qui plures annos Romæ coram Summis Pontificibus suam eloquentiâ orando, & doctrinam sacras literas publicè interpretando conspicuam fecerat. Is inter B cætera cum esset antiquarum rerum pervestigator vigilantissimus Annalia quædam ad Religionem Servorum spectantia, quæ sæpè à Pocciantio proponuntur, in unum collegit, nec licuit unquam nobis, tametsi perscrutantibus, illa videre. Obijsse etiam hoc anno ferunt B. Toschajam Neapolitanam .8. de quâ præter nomen nihil ultra accepimus. Multi ex Florentinis Patribus sæviente pestilentiâ ad varia ejusdem Cœnobij montuosa loca confugerant, & Novitij in primis .9. plures Menses in Senario Patrum decreto diversati, morbum illum evaserunt. Balneoli sua Comitia celebrant Patres de Congregat. eligentes P. Aloysium Scaramella, Venetum pro secundâ vice in suum Vicarium Genera- C lem, qui tamen brevi perseverat in eo Magistratu, cum appareat ex lit. pat. Hieronymi Generalis Ferrariæ datis die 12. Junij .10. Hieronymum Placentinum in ejus locum suffectum, & confirmatum fuisse. Id verò cogitur Hieronymus Generalis agere, suggerente, & instante Hercule Ferrariæ Duce, qui de Aloysio, & alijs ejusdem Congreg. cum D. Protectore pluries, ac demum cum Summo Pontif. conquestus fuerat, quòd eorum incuriâ Monasterium Sororum nostrarum, à religiosâ disciplinâ in laxiorem morum consuetudinem prolaberetur. Quare optimus Generalis, ut literis Apostolicis, quas anno elapso die 3. Julij Viterbij acceperat, & D. Prote- D ctoris mandatis obtemperaret, Monasteria fratrum, & sororum visitavit, & à verâ regularium disciplinâ aberrantes invènit. ideo ob laxiorem eorum vitam die 23. Aprilis Patres sanctæ Mariæ Consolationis à curâ Sanctimonialium absolvit, & eos à prædicto eorum Cœnobio expellere coactus fuit; illuc immissis Fratribus Ordinis, qui curam monialium administrarent. Unde tot in posterum contentiones inter Hieronymum Generalem, & eosdem Patres excitatæ fuerunt. Successerat interea annus 1529. de quo nihil occurrit præter jacturam gravem, quam passus est Senarius noster, qui totus insolitis terræmotibus quassatus remansit; unde observantia illa .11.

B. Toschaja Neapolitana moritur.

tot annis, & tantâ vigilantiâ conservata, ob A Patrum discessum labefactari cœpit. In Congregatione autem Balneoli, ut supra, restaurantur Comitia, in quibus Clemens Arsio Brixianus pro tertiâ vice Vicarius Generalis eligitur.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

1 *EX Regesto Hieronymi Generalis deprehenditur error Pocciantij, qui perperam ponit hæc Comitia Solaroli celebrata fuisse, cum contrarium constet ex liter. pat. ejusdem Generalis.*
2 *De Sacello B. Philippi renovato idem Cosmus testatur in vitâ ejusdem Beati.*
3 *Ex eodem Regesto.*
B 4. 5 *Ex Monum. Conv. S. Marcelli.*
6 *Vidit Author lapidem illum, quando Monasterium illud visitavit.*
7 *Ex monum. Conv. Florentiæ, & Ferrariæ.*
8 *Ex antiquis tabulis de Beatis Servorum.*
9 *Ex ijsdem monum. Florentiæ ut supra.*
10 *Ex Regesto ejusdem Hieronymi Gener.*
11 *Terræmotus magnos per Mugellana campestria concussisse etiam Senarium, perspicuum est.*

Pleræque Urbes, & Loca præsidium B. Virginis implorantes à pestilentiâ liberantur, & nova inter Insubres Congregatio excitatur. CAP. XIII.

C MOrbi contagione per totam ferè Italiam furente, ac propemodum debaccante, non defuerunt plures Civitates publicis votis sese Reginæ Cœli commendare, quæ multis in locis sese propitiam demonstravit; nam Senis in Ecclesiâ nostrâ usque ad hanc diem colitur perantiqua quædam Imago S. Mariæ .1. quam ferunt post solemne votum Urbem illam à contagio liberasse. Genuæ similiter per alteram ejusmodi Imaginem in Ecclesiâ nostrâ .2. præmissis Patrum nostrorum votis Urbem illam à pestilentiâ liberatam firmissimè ferunt. Hæc Imago nostris temporibus summâ veneratione colitur in Sacello societatis Habitûs, de D quâ etiam illud mirabile proditur, quòd Puerulus quidam quinque annorum in ea vicinia, cùm fortè in profundum puteum lapsus, aquisque obrutus fuisset, & Parentes protinus ad puteum venissent, viderunt Puerum absque ullâ læsione in superficie aquæ mirabiliter sustineri; quem denique eductum de puteo intellexerunt se à B. Virgine Ecclesiæ Servorum è profundo aquarum liberatum, & proprijs illius ulnis super aquas detentum. Alia quoque nobilis Matrona Uxor D. Joannis Baptistæ Doriæ nomine Lelia diris partûs doloribus usque ad necem exagitata, voto ad eandem B. Virginem emisso, illicò puerum peperit, & incolumis evasit. Per eus etiam

Plures Urbes per intercessionè B. V. à peste liberantur.

dies Terra Lucignani eodem morbi genere, quod dicebatur *Carbunculus*, infecta erat, unde multi ad faciam Imaginem S. Mariæ de Quercu nunc nostri Ordinis confugientes, liberati fuerunt: inter quos .3. memorandus occurrit Joannes de Mannellis, qui eodem morbo oppressus, & morti proximus, cum suâ uxore Jacobâ Corsini ad Oppidum properabat, ne solus in Agro, & insepultus moreretur; cumque ab eo loco Sanctissima Virginis transirent, Uxor casum Mariti miserata, illum ultrò eidem Imagini commendavit, pollicita, quod si liberaretur, se illuc profecturam genibus flexis à propriâ Domo Sanctę Ursulæ per milliare; voto igitur emisso Joannes maritus sese protinus incolumem præsentiens, Uxori dixit, ut respiceret, quomodo sé haberet carbunculus, quem in altero ex humeris habebat, & locum morbi respiciens Uxor, nihil mali, neque etiam vestigium cicatricis reperit, & ita incolumis Domum reversus est. Per idem quoque tempus non videtur silentio prætereundum, quomodo in terrâ Summæripæ regionis subalpinæ eâdem pestilentiâ sæviente Communitas ipsa sub protectione S. Joseph Sponsi Beatæ Marię Virginis votum voverunt, & Sacellum eidem Advocato in Ecclesiâ nostra Conceptionis Sanctæ Mariæ dedicarunt, sodalitiumque publicum instituerunt: quo voto emisso omnis abscessit morbus, quo nunquam ampliùs vexata fuit, licèt extra illius fines per alia tempora eadem pestilentia non defuerit. Anno interim subsequente 1530. cùm ob eandem pestilentiam ab ingressu Civitatũ Patres nostri arcerentur, coacti fuerunt sua Comitia Generalia .4. inter Nemora, & colles Barbiani extra Bononiam ad Ædem S. Margaritæ multis incommodis celebrare, in quibus singula decreta superiorum capitulorum, præsertim de laneis interulis gestandis confirmantur. Eodem quoque tempore Patres de Congreg. Patavij suum conventum habentes .5. Thadæum Venetum Vicarium sibi Generalẽ constituunt. Interea Franciscus Sfortia Mediolani Dux regularis disciplinæ nostrorum percupidus, nisi alia fortè ratio ipsum moveret, mandat Hieronymo Generali .6. die 11. Junij per suas literas, ut novæ reformationi Conventûs Mediolani, hæc Cœnobia sui statûs, tanquam membra capiti, & sub eâdem disciplinâ redigantur, & hi fuerunt, Conventûs Marignani, Decij, Magnaghi, Tardatæ, Rosatæ, Gorgonzolæ, S. Bernardi, Sablonetæ, Galiavolæ, Casttinoveti, & Conventûs Mandelli, omnes numero 11. cumque Patres de Observantiâ in superiori Comitio, multa per ambitum, & fraudem .7. (id indicabunt producendæ Summ. Pont. literæ) & absque ullo respectu suarum constitutionum, aut supremi Prẹsidis Religionis perpetrassent; hinc est, quòd multi ex ipsis arbitrarias hujusmodi nequitias non ferentes, ad D. Protectorem confuge-

Nova reformationis Congregatio inter Insubres Frãcisco Sfortia procurãte excitatur.

runt, & ad pedes Sanctissimi conquesti sunt,
E quare Clemens Pontif. Irrita declaravit, quæ gesta sunt Patavij, & ad novum Capitulum Perusij habendum convocari, & citari jussit, ut in sequenti capite XV.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

1.2.3. *DE Imagine Senensi B.V. traditio ex senioribus ad aures Authoris ex publicâ famâ pervènit; similiter etiam de Imagine Lucignani, miraculum accepit Author à Filio eiusdem Joannis Mannelli, quemadmodum etiam appensa tabula indicabat; Genuæ similiter ex publicâ famâ, & Patrum M. Polycarpi, & F. Zachariæ testimonijs certis.*

F 4 *Poccianttus in Chron.*

5.6.7 *Ex Regesto Hieronymi Generalis singula.*

Referuntur alia Ordinis nostri Loca. *C A P. XIV.*

EX quo laudabilis valde ubique circumferebatur opinio de sanctitate vitæ, morum innocentiâ, doctrinæ præstantiâ Ordinis nostri Fratrum, ubique pariter universi eos in sui consortium habere pro virili contendebant, eisque promptè Ecclesias, & Cœnobia designabant, quod hisce temporibus potissimùm contigisse videmus.
G Primùm quidem in amplissimâ Civitate Senarum Monasterium se offert Ordinis nostri Mantellatarum. Anno siquidem 1528. Soror Christophora de Maccabrunis, sive Joannis Massi filia, prout in Chro. nostris Senensibus, Priorissa, cujus meminimus ad ann. 1524., & P. Albertus Prior Cœnobij nostri Senensis, & Mantellatarum Corrector unâ cum alijs ejusdem Tertij Ordinis nostri Sororibus numero septem, consentiunt de construendo Monasterio, in quo simul omnes conveniunt, quæ hactenus in proprijs Ædibus vixerant ab invicem seiunctæ, & operi huic promovendo unanimi consensu præficiunt Sororem Agnetem Petri Bonaventuræ de Malevoltis Viduam, de quâ pariter ad annum 1524. quæ
H anno 1523. Mense Septembri S. Habitum susceperat, anno autem 1524. professionem emiserat Mense Decembri, quæ sanè constant ex Instrumento pub. die 25. Februarij anno 1528. habito, in Archivo Conventûs nostri de Senis existente, de quo rogat. legitur Achilles Guidonius de Albertis pub. Notarius. Agnes subinde omni adhibito studio, & Bonis omnibus suis ad hoc liberè addictis, ut Monasterium Senis erigeretur prope portam vulgò dictam à S. Viene sub tit. Visitationis, habitâ facultate illud construendi, & in eo alias Mulieres admittendi, quæ eundem Habitum induere decreverint, easque in Disciplinâ regulari dirigendi, tum à Generali Or-

Monast. Mantellatarũ de Senis

dinis Servorum Hieronymo de Lucâ, tum ab Antonio Card. de Monte Episcopo Portuensi, ejusdem Ordinis apud S. Sedem Apostolicam Protectore, tum à Laurentio Card. SS. Quatuor Episcopo Prænestino, prout luculenter apparet ex sequentibus.

Indultū Antonij Card. de Monte pro Mātellatis de Senis

ANtonius miseratione Divinâ Episcopus Portuensis S.R.E. Card. de Monte Ordinis B.M.V. Servor. Protector Nobili, ac honestæ Mulieri Agneti de Malevoltis de Senis electæ, ac deputatæ Priorissæ novi Monasterij, seu Congregationis ejusdem Ordinis in dictâ Civitate salutem in Domino sempiternam. Cùm sicut nuper accepimus ob vitæ, ac Morum tuorum honestatem congregaveris quamplures mulieres habitum B.M.V. gestantes ad normam, & regulam ejusdem B.M. quas Mantellatas vocant, observandam, elegerisque Locum à consortio secularium remotum, ut possis cum præmissis mulieribus Tibi adiunctis Orationibus intensiùs vacare, Reverendusque P. Prior Generalis, ut par erat, & Nobis exposuisti, Te ad gremium antedictæ Religionis adduxerit, & vocaverit cum omnibus alijs probatæ vitæ mulieribus, quæ etiam in futurum subijcere se hujusmodi laudabili consortio, & Regulæ subiectioni, & obedientiæ decreverint, cum ipsarum ad dictam Religionem aggregatione Mantellatarum denominatione, declaratione, & connumeratione, cum omni concessionum, ac immunitatum, & indultorum privilegio, atque ipsi præmisso Ordini à quibuscunque Romanis, qui pro tempore extiterunt, Pontificibus concessorum participatione, & communicatione, cum auctoritate construendi Domos, & Oratoria ad Divinum cultum accommodata, & à commercio Laicorum semota, cum auctoritate etiam corrigendi Mores, recta, & laudabilia Decreta, quæ tamen à Catholicâ Fide non abhorreant, inter præfatas observanda faciendi, cum approbatione etiam Professionis tam abs te, quàm ab alijs tuis consocijs de tuâ tamen voluntate hactenus, & per retroacta tempora, seu tacitû, seu expresiû in d. Religione factæ, aut faciendæ, cum deputatione etiam in Conservatorem Reverendi P. D. Friderici Abbatis Monasterij della Rosa *in Diœcesi Senensi, seu alterius Venerandi, & honesti per vos canonicè deputandi. Proinde Nos ejusdem circumspectione confisi, necnon laudabilibus præmissis tuis Institutis moti, necnon, ut ad semitam rectam vivendi devotius fœmineus sexus in dies magis reducatur, & exemplis Catholicis ad Divinum cultum propensiùs invitetur, omnes concessiones Tibi per præmissum Generalem Priorem quomodocunque factas, & concessas nostræ Protectionis Officio, & auctoritate confirmamus, & approbamus, cum amplâ licentiâ pariter, & concessione, quòd ad tuum beneplacitum, ex causis tamen Monasterij, & tuorum Filiorum possis, & valeas stare, & commorari extra d. Monasterium, & ad idem ire, & redire, prout Tibi visum fuerit expedire, quę omnia mandamus inviolabiliter observari. Hortantes Te nihilominus ad rectè institutæ vitæ cum mulieribus, ut supra assumptis, & assumendis continuationem, ut ab universis Christifidelibus commendari mereamini, & ab Altissimo post Vitæ curriculum dignæ judicemini Beatorum Choro aggregandæ. In quorum fidem, ac testimonium has nostras per Secretarium fieri fecimus manu propriâ subscriptas, & nostri soliti majoris sigilli munimine roboratas.*

Dat. in Urbeveteri die 4. Maij 1528.

A. Card. de Monte Protector

Locus ✠ Sigilli

Fede Clavarius.

Extractum ex transumpto authentico habito per Julium olim Ser Alexandri Ser Frãcisci publicum Notarium anno 1529. die 16. Aprilis, & cum eodem transumpto collationatum, quod in Archivo nostro S.M. Servor. de Senis asservatur, sicut & duo sequentia Brevia.

Aliud Indult. pro ijsdē Laurent. Card. SS. Quatuor.

LAurentius miseratione Divinâ Episcopus Prænestinus Card. Sanctorum quatuor nuncupatus SS. Papæ, & S. Sedis Apostolicę major Pœnitentiarius. Dilectæ Nobis in Christo Agneti Malevoltæ Viduæ Senensi Priorissæ Servarum Servorum Ordinis S. Mariæ de Senis salutem in Domino. Exponi Nobis nuper fecisti, quòd tu in Monasterio d. Ordinis S. Mariæ de Senis sub regulâ S. Augustini, quod construi nuper fecisti, cupiens in eo recipere Puellas d. Ordinem profiteri volentes Dilectas Nobis in Christo Hieronymam, & Brexillam de Malevoltis Moniales d. Ordinis S. Augustini, quæ cum Monasterium S. Marię Magdalenæ d. Ordinis S. Augustini demolitum fuisset, illiusque Moniales ad alium Locum, qui eis concessus fuit, noluerunt se transferre, cum inibi commodè habitare non possent, ac etiam dilectam in Christo Monicam Monialem d. Monasterij S. Mariæ Magdalenæ, quæ ad d. novissimè Locum se transtulit. Necnon Ursulam Sororem Ordinis S. Dominici, quæ incurabili infirmitate detinetur, ac etiam brachio dextro impedita existit, cuique dilectus etiam Nobis in Christo Simon Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Professor ejus Patruus pro ejus vitę sustentatione reliquit unum modium grani singulis annis de consensu Fratrum Domûs Senensis d. Ordinis, qui id servare promiserunt, ac certam pensionem sex solidorum quolibet mense, Sororemque Monicam S. Mariæ Magdalena, filiam q. Augustini de Piscopo Senensi in d. Monasterio construi cœpto sub earum, vel aliarum Monialium Monasterij construi cœpti Regulâ recipere pro tempore, inibi tecum perpetuò vivere, & Deo servire, necnon etiam dilectu Nobis etiam in Christo Soror Anna Mantellata S. Mariæ de Servis eidem Monasterio per te construi cœpto cum tacitâ, licet non expressâ licentiâ sui Correctoris omnia bona sua reliquerit, & donaverit, ac aliam in scriptis, ut asseris, per dilectam Nobis etiam in Christo Catharinam Monialem d. Ord.

factam

factum donationes hujusmodi per nos confirmari. Necnon Monasteria Monialium cujuscunque Or- E dinis quater in anno ingredi desideras, ac cum præfatâ Ursulâ, si inibi recipiatur, & ut hujusmodi suâ infirmitate gubernetur, modium grani, & alia jura sibi competentia Tibi concedere intendat, si Tibi, & illi licentia desuper concedatur, supplicari fecisti humiliter super his auctoritate Apostolicâ provideri. Nos, qui Sacræ Pœnitentiariæ curam gerimus, auctoritate D. Papæ, & de speciali ejus mandato vivæ vocis oraculo Nobis facto Tibi, & successoribus tuis, ut Moniales, seu Sorores præfatas, omnesque, & singulas alias cujusvis Ordinis in d. Monasterio per Te construi cœpto introire, & in Domino vivere volentes recipere, & retinere, & insuper, ut aliquem Presbyterum idoneum secularem, vel cujusvis Ordinis Regularium, qui confessioni- F bus vestris diligenter auditis vos ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, exceptis in Bullâ Cœnæ Domini absolvere, & Vota quæcunque, quinque majoribus duntaxat exceptis, commutare possit, eligere Tibi, & eidem Confessario, & quater in anno quæcunque Monasteria Monialium cujusvis Ordinis de inibi Præsidentium licentiâ Tu in Christo Filia Agnes, & cum eisdem Monialibus conversari, & cum sis Soror Professa stare, & ibidem etiam pernoctare possis, & valeas, ac eisdem Monasteriorum Præsidentibus vos acceptare, ac in eorũ Monasterijs recipere, necnon eisdem Confessoribus per vos, ut præmittitur, electis, seu eligendis facultatibus, dignitatibus, exemptionibus, & privilegijs vestro Ordini concessis uti, & G frui possint, & valeant, tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & nihilominus donationes Monasterio per Te construi cœpto hujusmodi, per Moniales ipsas factas tenore præsentium confirmamus, & approbamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum Ordinum prędictorum juramento confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alid roboratis, cęterisque contrarijs quibuscunque. In quorum fidem præsentes manu nostrâ propriâ subscriptas per infrascriptum Sacrę Pœnitentiarię Procuratorem fieri, sigillique nostri parvi appensione muniri fecimus.

Dat. Viterbij in Ædibus residentiæ nostrę die septimâ Julij 1528. Pontificatûs SS. in Chri- H sto P. & D.N.D. Clementis Divinâ Providentiâ Papę septimi anno quinto.

Ita est Laurentius Ep. Pręnestinus Card. SS. Quatuor manu propriâ.

B. Motta.

Aliud demum pro ijsdẽ Hieron. Gen. Ser.

IN Dei Charitate Nobis plurimùm dilectę Filię Sorori Agneti Senensi de Malevoltis Ordinis nostri Chlamydatarum Professę, ac Priorissę F. Hieronymus de Lucâ Theologorum minimus FF. Servorum B.V. sub regulâ S. Augustini Prior Generalis, licet immeritus, salutẽ in eo, qui nos suo Sanguine redemit. Almę Religionis nostrę illuminante Domino Nobis commissę zelus continuus nos pulsat, & monet, ut non E solum ad ejus conservationem, verùm etiam ad incrementum intendamus, illisque præcipuè personis propitiemur, & gratiosè favores præstemus, quarum meritis, & virtutibus noster Ordo conservari, & in dies augeri possit, & valeat. Tuæ igitur dilectionis attentâ bonitate, & rerum gerendarum dexteritate, tenore præsentium, & nostri Generalatûs auctoritate eidem prętatæ dilectioni tuæ in Civitate Senensi nostræ Religionis novum Monasterium, seu Oratorium, aut Locum recipere, & possidere, ac de novo fundare, & ędificare, prout Nobis à Sede Apostolicâ concessum est, cum omnibus suis Officinis opportunis, & necessarijs licentiam, & liberam facultatem damus, & concedimus, & si modò, prout nostras ad aures pervènit, & certè F novimus, quempiam accepisti, eadem confirmamus. & facultatem, ut supra dicebamus, dantes tibi, tuisque successoribus concedendam, ut uti, & gaudere in d. Loco omnibus gratijs, & privilegijs, atque immunitatibus tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, sicut in nostro Mari Magno pleniùs continetur, possis, & valeas; decernentes, ut bonæ famæ Mulieres cujuscunque conditionis unà tecum assumere possis, quę S. Virginis, & lugubrem deferant Habitum. Concedentes insuper, ut siquæ personę pro d. Loci constructione, seu Monialium sustentatione manûs porrexerint adjutrices, omnium Bonorum spiritualium, quæ in nostrâ fiunt religione die, noctuque, Deo concedente, fiant omnino participes. In quorum fidem has pręsentes scribi, & si- G gilli Officij nostri jussimus impressione muniri.

Dat. Senis in nostro Servorum devoto Conventu Anno salutis 1528. die 29. Novembris, cum nostrâ solitâ subscriptione, videlicet.

F. Hieronymus suprascriptus Generalis.

In hoc autem Monasterio maximè semper viguit disciplinæ Regularis studium, eidem nomen dedere non paucæ ex illustrioribus Urbis illius Familijs, & Sanctitate celebres floruere usque ad annum 1574. quod propter ingruentia Bella, utpote prope Mœnia positum, ne ipso abuterentur hostes, æquatum solo fuit, adeóque Sorores iterum ad propria reverti ab invicem sejunctæ coactæ fuere. Præ cæteris autem Agnes prædicta, ejusque H Alumnæ Cæcilia de Bellarmatis, & Margarita de Sanctis Senenses, de quibus hæc legimus in Chron. nostris Senensibus. Agnes in primis Habitu, ut diximus, Servorum B. V. induta longè frequentior in Oratione, & jejunio, in extasim quàmsæpissimè rapta, & in sublime elata cernebatur, singulis ferè diebus peccata sua confitebatur. Ipsam interdum invisere solebat Deipara, deque ijs monere, quæ concordiæ in Monasterio servandę expedire magis viderentur. Ejusdem Monasterij eversionem prædixit, prout reipsâ contigit occasione bellorum, quæ ut modò innuimus eodem seculo subsecuta proximè fuere. Soror verò Camilla, altera nimirum è novissimis illius

Monast. hoc diruitur.

B. Agnes de Malevoltis.

lius Monasterij Sororibus, quæ anno 1579. defuncta seculo fuit, Agnetis meritis acceptam retulit, quam pluries receperat sanitatem. Compertum insuper est, quòd anno 1523. die 11. Julij D. Marianus Bernardini de Senis pro Joanne Cardinali Piccolomineo Episcopo Albanensi, & Archiepiscopo Senarum Procurator facultatem concedit Agneti, & Christophoræ Priorissæ Sororibus præfatis Ordinis nostri Monasterium hoc erigendi. Denique eâdem Agnete instante Clemens Papa VII. 300. annos de Indulgentiâ largitur omnibus, & singulis, qui eleemosynas pro ejusdem Monasterij conservatione contulissent. Soror autem Cæcilia Hippolyti de Bellarmatis Filia silentium perpetuò servavit, nunquam ridere deprehensa fuit, super nudos asseres cubabat, & in Oratione lachrymas uberrimè fundebat. Margarita demum de Sanctis, cujus vitam scripserat P.F. Lucentius Ordinis Servorum, Fer. 6. Parasceves Orationi aliquando addicta Christum Dominum vidit ad Columnam flagellis cæsum, eamque in Oratione pluries se vidisse scribit idem Lucentius in sublime elatam. Vitam solo pane toleravit, & aquâ. Nuda pedes incedere consueverat, obitum suum prædixit, & cum esset proximè moritura, Angelorum cantum *Veni Sponsa Christi* in ejus Cellulâ acceperunt astantes. De eâdem Margaritâ hoc insuper Monumentum apparet in Archivo Conventûs nostri de Senis. *In Nomine D.N.J.C. Amen. Anno ab ejus salutiferâ Incarnatione 1531. Indictione 5. die verò 27. Mensis Augusti SS. DD. Clemente VII. Summo Pontifice, & Serenissimo, ac invictissimo Principe D.D. Carolo V. Romanorum Rege semper Augusto, ut Senis communiter fertur, feliciter regnantibus. Appareat manifestè præsentem paginam inspecturis, quòd D. Niccoluccia Francisci Aurificis de Populo S. Mauritij confessa fuit coram me Notario, & testibus infrascriptis, qualiter Joannes ejus filius oculum sinistrum nullo modo aperiebat. Cùm autem se, & illum commendasset precibus, & Orationibus Sororis Margaritæ de Sanctis Ord. Servorum, quæ vulgò dicitur* la Beata, *statim aperuit oculum, & visum recepit. Actum Senis in Ecclesiâ Fratrum S. Mariæ Servorum coram F. Lucentio Ser Galgani filio de Sovanâ ejusdem Ordinis; Hieronymo Marinello, & Francisco Pauli de S. Mamiliano prope Senas testibus præsentibus, & rogatis. Ego Alexander q. Ansani Pub. Imperiali, & Apostolicâ auctoritate Notarius, Judexque ordinarius Senensis prædictis omnibus, & singulis interfui, & ea rogatus scripsi, & publicavi.*

Indulg. pro conserv. hujus Monast.

Cæcilia de Bellarmatis Senensis

Margarita de Sanctis Senensis

Cæcus illuminatur precibus Margaritæ prædictæ.

Earundem Sororum studium, ac pietatem fovere cupiens Laurentius Cardinalis præfatus anno 1529. facultatem etiam concesserat sequentis tenoris.

L*Aurentius miseratione Divinâ Episcopus Prænestinus Dilectæ in Christo Agneti de Malevoltis Priorissæ domûs Servorum B.M. Senen. salutem in Domino. Ex parte tuâ fuit propositum coram Nobis, quòd alias tu & nonnullæ aliæ Senen. zelo devotionis, quam ad gloriosissimam Virginem Mariam gerebatis, & geritis accensæ, Velum Religionis suscepistis, & Congregationem Sororum Velatarum, & Mantellatarum nuncupatarum Ordinis ejusdem B.M. Servorum inter vos ordinastis, & Ordinem ipsum expressè professæ fuistis, & in quodam loco Monasterio Monialium, de Vitâ æternâ Senen. Ordinis S. Dominici propinquo quandam Domum pro usu, & habitatione vestrâ construi facere incœpistis, tuque per superiores d. Ordinis in Priorissam Domûs, & Congregationis hujusmodi electa, & deputata fuisti. Et cum difficile sit alium locum, ubi Domum hujusmodi ædificari facere possitis, commodè invenire, & etiamsi Domus vestra hujusmodi esset contigua d. Monasterio, non propterea luminibus ejusdem Monasterij in aliquo præjudicaretur, cupiatisque unam Domum cum suis necessarijs, & opportunis ædificari facere. Supplicari igitur fecistis humiliter vobis super his per Sedem Apostolicã de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, ut tu, & Sorores tibi commissæ hujusmodi unam Domum cum Ecclesiâ, Campanis, Campanili, humili Dormitorio, Refectorio, Cœmeterio, Hortis, Hortalitijs, alijsque Officinis necessarijs, & opportunis pro perpetuis usu, & habitatione vestris, ac vobis inibi succedentibus construi, & ædificari facere, necnon ejusdem Domûs ædificia, & limites usque ad muros d. Monasterij, dummodo intermedium spatium vobis, si nondum vestrum est, ab illius Dominis concedatur, & luminibus, ac habitationi d. Monasterij propterea non præjudicetur, extendere, & dilatare, ac quascunque Mulieres, Virgines, Viduas, & continentes Mulieres, & alias etiam spurias, & illegitimas in Sorores d. Domûs recipere, & inibi ad Professionem admittere, ac velari facere, necnon hospitale, seu receptorium ibi contiguum, vel alio loco ædificare, seu ædificari facere, ac in eo quascunque personas seculares, vel Ordinis cujusvis Regulares, pauperes, & Infirmas recipere, & humano suffragio adjuvare, ac curari facere, & homines, seu mulieres, qui d. Hospitale, seu receptorium regant, & gubernent laudabiliter ad nutum tuum, & pro tempore Priorissæ ponere, & amovere, & etiam eidem Hospitali, seu receptorio laudabile nomen, seu denominationem imponere, ac duos probos viros ex Civibus Senen. vel alijs in Procuratores Domûs prædictæ, & quæcunque illius Bonorum, quoties volueris tu, ac pro tempore Priorissa eligere, & mutare. Et insuper quoties volueris quæcunque statuta, & ordinationes licita, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria Domum vestram illiusque Priorissam, Conventum, Ecclesiam, Confessores, Capellanos, Ancillas, Servos, Ministros, Benefactores, res, Procuratores,*

Indultũ Cardin. Laurentij pro Monialibus de Senis.

ratores, Personas, & Bona quæcunque quomodolibet concernentia condere, alterare, & mutare, & quæcunque, de quibus Tibi placuerit pœnas in contravenientes apponere, tuque, & Priorissa pro tempore, necnon Domus, Conventus, Ecclesia, Sorores, Confessores, Capellani. Ancillę, Servi, Ministri, Benefactores, Procuratores, Personę, res, & Bona quęcunque nunc, & pro tempore existentia omnibus, & singulis Privilegiis, facultatibus, exemptionibus, favoribus, Indulgentiis, Prerogativis, & Gratiis, quibus Ordo Fratrum B.M.Servorum Dei nunc, & pro tempore existentium, utitur. potitur, & gaudet, seu uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere, ac Capellanos, Missas, & alia Divina Officia in Ecclesiâ Domûs construendę hujusmodi celebrare, & Priorissę, ac Sororibus, & Personis d. Domûs pro tempore existentibus, quęcunque Sacramenta ministrare, Procuratoresque predictę Domûs pro tempore comprehensis, & ad Te si Professionem non emisisses quomodolibet pertinentibus ad libitum tuum disponere liberè, & licitè valeatis, & valeant concedimus, & indulgemus; omniáque, & singula Tibi, & pro tempore Priorissę, ac Sororibus, & Personis d. Domûs existentibus hactenus concessa, licita, et honesta approbamus, & confirmamus, ac si contingat Domus predictę aliquem locum idoneum, & decentem relinqui, aliam Domum constituas facere, in quâ tempore pestis, aut aliâ legitimâ causâ urgenti degere, & manere, ac in eâ morando omnibus, & singulis privilegiis predictis similiter uti, potiri, & gaudere tu, & pro tempore Priorissa, & Sorores, ac Personę prędictę existentes possitis, & valeatis, licentiam concedimus pariter, & facultatem. Et nihilominus universis, & singulis in Dignitate Ecclesiasticâ constitutis Personis, necnon Canonicis quarumlibet Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum ubilibet constitutis per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel per alium, seu alios auctoritate, & mandato predictis faciant premissa omnia, & singula plenum effectum sortiri, illisque pacificè uti frui, & gaudere, nec permittant quemcunque contra Tenorem pręsentium modo aliquo molestari, perturbari, impediri, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per Censuram Ecclesiasticam, & alia opportuna Juris remedia appellatione postpositâ compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis, non obstantibus Apostolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, ac Literis Apostolicis per quoscunque Romanos Pontifices, ac Nos, & Sedem predictam, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, & per viam Legis, & Statuti perpetui, & eum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, preservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, modis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Consistorialiter quomodolibet etiam pluries concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda. aut exquisita forma servanda foret, & in eis caveatur expressè, quòd illis nullatenus derogari possit, quòdque Domus aliqua Regularis infra certum in eis expressum spatium à d. Monasterio nullatenus construi possit, illorum omnium tenores pręsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, necnon modos, & formas ad id servandos, pro individuo servatis habentes hac vice duntaxat illis, aliis in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romę apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiarię octavo Idus Octobris, Pontificatûs D. Clementis Papę VII. Anno sexto.

B. Jacchinus.

Loco ✠ Signi

Item Ann. 1528. Balleonia Familia, quæ Ordinem nostrum summoperè diligebat, novum quendam locum eidem concedendum curavit propè, & extra Oppidum Hispellum, Perusium inter, ac Fulgineum, cui pro Summo Pontifice eo temporis præerat. Hujus autem Loci venerabilis hæc est origo. Anno 1514. infans quidam graviter ægrotans a Parentibus ad Sepulcrum S. Felicis Martyris deferebatur, opem ejus pro sanitate Parvuli imploraturis, quòd sanè familiare tunc omnibus esset parvulos infirmos eò loci deferre, & S. Martyri commendare. Cùm verò à prædicto sepulcro domum redirent, infans inter Matris ulnas spiritum exhalavit. Quamobrem summo dolore affecti Parentes Ædiculam hanc B. V. prope Hispellum cùm attigissent, coram Sacrâ ejusdem Imagine provoluti obortis lachrymis, & ingenti clamore Deiparam enixè deprecabantur, ut mortuum filiolum ad vitam revocaret; idque assecuti reipsâ statim fuere, ideoque restituto Parentibus Filio vivo prorsus, & incolumi *facta est lętitia magna in Populo*. Commoti proinde tantæ rei celebritate Regionis illius Populi, brevi collectâ magnâ pecuniæ vi ex oblationibus Christifidelium Ecclesiam construendam curarunt in perenne tam insignis miraculi monumentum, quam Ordinis nostri PP., ut diximus, dono ipsis liberè datam, administrandam suscepere, & sibi Cœnobium ædificarunt. Consecratam solemni ritu fuisse ex signis S. Crucis hinc inde de more dispositis constat, tempus autem, & Episcopum ignoramus. Plurima ad eam confugientibus, ac Deiparæ præsidium implorantibus collata fuisse

Conv. S. M. Vici de Hispello.

fuisse beneficia, eaque persæpe mirabilia ostendunt Tabellæ votivæ, Imagines, & alia signa, de quibus etiam aliquando confectus diligentissimè fuit Processus in Episcopali Curiâ Spoletanâ. Hinc minimè mirum, quòd omnes, ac singuli illac transeuntes Sacræ huic Imagini se sistant, & in Festo Nativitatis B. M.V. maximus eò fiat Populorum concursus. Locum hunc profectò Ordinis nostri PP. diu coluere, verùm ipsum deserere coacti deinceps fuerunt, eò quòd annui proventûs alendo pares Religiosorum congruenti numero defecissent. Insequente anno 1529. locus alter longè illustrior Ordini nostro apud Mergellinam de Neapoli Civitate Regiâ, celeberrimâ, opulentissimâ, accessit. Jacobus Sannazarius, tum generis claritate, tum Doctrinæ præstantiâ, & Artis poeticæ elegantiâ Orbi literario notissimus, cùm inter scopulos Mergellinæ ad radices amœnissimi Collis de Pausilipo heroicum Poema de Partu Virginis elegantissimè cecinisset, Ecclesiam eidem Sacratissimo Mysterio dicatam ibidem construendam curavit, non fanè peramplam; obstabat enim amplitudini majori angustia Loci, sed quæ præclatam ostentat architecturæ speciem. Duplex ibi est Ecclesia, superior una, Inferior altera. In hac Præsepe apparet D. N. J. C. in quo Matris Virginis partus colitur, & ante ipsum est Altare, idque unicum, in quo Divina peraguntur Mysteria, & quò plerumque confugiunt opem Deiparæ imploraturæ puerperio proximæ Mulieres. In hujus Ecclesiæ Limine Distichon hoc ejusdem Jacobi Sannazarij legendum occurrit.

Conv. Mergellinarum de Neapoli.

Bruta Deum agnoscunt. O rerũ occulta potestas!
Qui Sacro egreditur Virginis ex utero.

In Ecclesiâ verò Superiori, atque ampliori, illique directè incumbente, cui tit est S. Nazarij, septem sunt Altaria, tria binc inde per latera Ecclesiæ disposita, & ex ijs nonnulla cum Iconibus, sive Tabulis celebriorum Pictorum opere delineatis; eâ potissimùm, quæ sanctos Reges Puerum Jesum in Præsepe adorantes repræsentat, quæque olim in Capellâ Regiâ servabatur Friderici de Aragonâ Neapolis Regis ultimi, cui à secretis erat Jacobus Sannazarius. Ara demum princeps in medio ejusdem Testudinis sedet, in quâ testudine coloribus expressa cernitur Jesu Christi Nativitas, & in lateribus ejusdem sunt Statuæ, hinc S. Jacobi Apostoli, inde verò S. Nazarij, qui planè nomini, & cognomini Jacobi Sannazarij respondent. Denique in superiori hujus testudinis cotonide literis cubitalibus descriptum ejusdem Sannazarij Distichon hoc legitur.

Virginitas, Partus discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

A Apud Aram hanc principem Sepulcrum est marmoreum de ejusdem Jacobi mandato ipsi positum, quod miro artificio, nec unquam satis laudato fabrefecit, & insignibus sculpturis exornavit P. Joannes Angelus Montursius Florentinus Ordinis nostri sculptor egregius, cujus nomen ibidem cernitur marmori impressum hoc modo

F. Angelus Ord. Serv. fac.

Impressum pariter marmori hoc Distichon cernitur, quod eidem Sannazario Petrus Bembus Vir percelebris apposuit.

Da sacro Cineri flores, hic ille Maroni
Sincerus Musâ proximus, ut tumulo.

B Completâ hujus Ecclesiæ Fabricâ diu, multumque animo versabat Jacobus, cuinam Ordini Regularium concredenda hæc esset; verùm ob magnam necessitudinem, quæ ipsi intercedebat cum Dionysio Laurerio Ord. Servorum in Romanâ Curiâ eo temporis Procuratore Generali Viro celeberrimo, ejusdem Ordinis Patribus ipsam commendare constituit. Itaque Neapolim statim profecti fuere PP. Sebastianus de Alexandriâ, & Antonius à S. Angelo in Vado cum literis Patentibus, & procuratorio nomine ejusdem Laurerij in Provinciâ Patrimonij, & Neapoli tunc Vicarij Generalis. Die verò 24. Decembris horâ primâ in nocte Nativitatis Domini anno
C 1529. celebratum fuit in eâdem Ecclesiâ Instrumentum donationis hujus Loci, qui dicitur Mergellina. Situs quidem valde amœnus, est saluberrimi aeris, è quo cernere licet voluptati indulgendo Insulas, & alia Loca mari adjacentia juxta littus, quod dicitur *Chiaja*, quasi *Glarea*, Puteolis per quinque milliaria distans ad radices montis Pausilipi. Ibi autem est Domus, quam Rex Fridericus præfatus Jacobo Sannazario dono dederat, ejus virtutum, & jucundissimæ conversationis amore captus. Jacobus deinde Ordini nostro, ac speciatim Patribus Congregationis de Observantiâ dedit cum omnibus Bonis, tum immobilibus, tum mobilibus eidem annexis, nonnullis conditionibus adjectis, quæ
D continentur in Instrumento, de quo rog. fuit Sebastianus Cannotius pub. Notarius Neapolitanus. Interea anno proximè sequente 1530. Neapolim mittuntur cum P. M. Laurentio de Placentiâ plures PP. Congregationis prædictæ Servorum de Observantiâ ex Galliâ Cisalpinâ, quibus tamen ibi diu non perseverantibus, iisdem alij suffecti fuere, & quidem probatissimi PP. ejusdem Ordinis, ac præ cæteris memorati PP. Antonius de S. Angelo in Vado, & Sebastianus de Alexandria, quorum commodis aptissimè consulebat Laurerius Loci illius à Sãnazario declaratus Protector, & cohærenter à Hieronymo de Lucâ Generali totius Ordinis declaratus pro eo-

Traditur PP. Congregationis de Observantiâ.

N dem

dem Conventu Mergellinarum Vicarius Generalis quandiu viveret, prout constat ex literis patentibus ejusdem Hieronymi modò referendis, eo temporis, ut diximus, Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ, in Basilicâ SS. Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe Pœnitentiarius, deinde Prior Generalis totius Ordinis, ac denique S.R.E. Presb. Card. Tanta verò necessitudo Jacobi cum Dionysio, & erga ipsum benevolentia inde ortum accepit, quòd cùm Dionysius Oppidum Sieti apud Gephonenses aliquando repeteret, ubi fortè Bona quędã Majores ejus possederant, ibique per Quadragesimã sacras Conciones haberet, ipsũ utpote suavissimũ, atque doctissis. quàmlibentissimè audiebat D. Marchionissa Piscarię, ejusque sanctioribus colloquijs maximè quotidie delectabatur. ipsa subinde in causâ fuit, ut Dionysius amicitiã iniret cũ Jacobo Sannazario. Literæ autem Generalis Hieronymi pro Laurerio modò indicatæ tenoris sunt, qui sequitur.

Hieron. Lucens. Gener. Ordin. Servor. cõstituit Dionys. Laureriũ Vicariũ Gener. perpetuum Cõv. Mergellinarum Neap.

F. *Hieronymus Lucensis Theologorum minimus totius Religionis Servorum sub Regulâ S. Augustini Prior Generalis licet indignus, Dilecto Filio Magistro Dionysio ejusdem Religionis in Curiâ Romanâ Procuratori, ac in Basilicâ BB. Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe SS. D. N. Papæ Pœnitentiario salutem, & Spiritualium gratiam gaudiorum. Nostrâ profectò sententiâ æquissimum prædecessorum nostrorum invenimus institutum, quo nedum Venerabiles Patres, quorum meritis sacra nostra Religio illustrata, ceu fulgentissimum jubar passim undique splendet, venerabantur, præcipuisque gratijs, & privilegijs cumulatissimè fulciebant; verùm siqui illius decori, splendori, augmentoque optimè consulentes, ejusdemque propagationi invigilantes ad comparanda Monasteria desudaßent, eâdem parte illorum curæ, & regimini, quandiu viverent, paternâ pietate committebant, cùm ut virtutem, ut par est, æquis præmijs honestarent, tum ut cæteri meritorum pellecti exemplo ad suavissimos virtutis complexûs, frugiferumque religionis incrementum promptiùs, ardentiusque inhiarent. Cumque, dilecte fili, ut Nobis satis superque constat, tuâ auctoritate, curâ, industriâ, studio, diligentiâ, ac Ven. Viri F. Sebastiani de Alexandriâ operâ, labore, & sudore per tuas patentes literas ad id perficiendum delegati, Illustris Dominus Jacobus Sannazarius Conventum in suburbio Parthenopeo, qui vulgò dicitur* il Mergollino *cum latifundio, Viridarijs, honestissimis proventibus, alijsque plurimis Religioni nostræ affluenti liberalitate donaverit, hac tamen lege, atque conditione, ut quandiu tu vitalibus fruèris auris, sub tuâ curâ, regimine, protectioneque militaret, sicuti per contractûs super id confectos apertissimè liquet, quorum primi verba sunt ista, videlicet: Item* è convenuto fra loro, che in vita de Maestro Dionisio Laurerio, esso Maestro Dionisio sia, e debba essere Protettore de d. Monasterio, del quale possa disponere à suo arbitrio, e volontà, considerata la buona volontà, e affezzione, che tiene il d. Maestro Dionisio, e lo eredito, e fede li ave il d. Signor Jacobo. *Postrema verò verba idẽ sonantia breviloquio indulgentes subijcemus. Quapropter ne justissimam PP. nostrorum consuetudinem condemnare, neve personæ tuæ, quam semper paterno sumus prosecuti affectu, condigna præmia denegare, ne denique prudentissimã præfati illustris D. Jacobi Religionis nostræ Benefactoris præcipui voluntatem fallere videamur, de tuæ dilectionis probitate, integritate, rerumque peragendarum dexteritate plurimùm confisi, confirmantes omnia, quæ prædictus Illustris D. Jacobus tuæ confidens fidei pio decrevit affectu, Te prænominati Monasterij Vicarium Generalem perpetuum creamus, eligimus pariter, & deputamus, dantes Tibi omnes vices, & facultates nostras in temporalibus, & spiritualibus cum auctoritate providendi in capitibus, & in membris, quando, & quomodo Tibi visum fuerit opportunum, invocato etiam, si ad hoc opus fuerit, auxilio brachij secularis; decernentes, & harum serie præfatum Conventum à Provincialis Provinciæ Regni curâ, & regimine esse exemptum mandantes insuper omnibus, & singulis Fratribus in d. Conventu commorantibus in virtute salutaris obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, ut personæ tuæ promptam in omnibus obedientiam, & debitam reverentiam piè, religioseque præstare debeant, & si, quod Deus avertat, aliqui instigante Diabolo his nostris, vel Tibi parere contempserint, eos illicò indignationis nostræ, anathematisque vinculo decernimus irretitos, commendantes demum personam tuam omnibus, & singulis Dominis spiritualibus, & temporalibus, quorum auxilium, & favorem hujus rei gratiâ expostulamus, ut intuitu B. Virginis, & nostro Tibi patrocinari, favereque benignissimè velint. In quorum fidem has præsentes scribi fecimus, & Sigilli Officij nostri jussimus impressione muniri.*

Dat. Romæ in Conventu nostro S. Marcelli anno Domini 1531. die verò Novembris quintâ cum nostrâ propriæ manûs subscriptione, videlicèt.

F. Hieronymus de Lucâ Ord. Servor. B. V. Generalis.

Hæc deputatio authenticè recognita apparet in Comitijs Generalibus anno 1533. die 7. Maij Senis celebratis, siquidem in ejus exemplari, quod Pisis in Bibliothecâ nostrâ perspexi, subscriptiones habentur Definitorum Generalium Provinciarum Etruriæ, Romanæ, Lombardiæ, Marchiæ Tarvisinæ, Genuæ, Hispaniæ, Alemanniæ, Regni Corsicæ, Romandiolæ, &c.

Ad eundem annum referre quoque oportet Conventûs S. Petri de Decio, & S. Mariæ de Misericordiâ Magnaghi, quos unà cum reliquis novem Cap. superiori diximus Conven-

tui

Conv. de Magnago, Decio, Cornedo, Castilione à Stiverijs, ac Burano.

tui S. M. Servorum de Mediolano, tanquam capiti reformationis membra, subiectos fuisse. De Conventu Magnaghi hoc novimus, & in Conventu prædicto Mediolani anno 1715. die 19. Augusti vidimus Instrumentum donationis in pergameno, de quo rog. fuit Ser Archangelus Pazoti pub. Notarius die 27. Octobris ann. 1505. Anno item 1547. Augustinus Generalis ipsum univit prædicto Conventui de Mediolano, prout constat ex Regesto ejusdem Augustini pag. 169. ubi sunt Literæ patentes unionis. De Conventu autem S. Petri de Decio illud etiam didicimus, quòd in Diœcesi Patavinâ est, eumque Ordini comparavit P.M. Thadæus de Venetijs. Ex Raphaele Maphæo pariter Veneto in suis m. s. intelleximus, quod hisce temporibus P.M. Theodorus Venetus Vic. Gen. Congregationis Locum quendam apud Cornedum acquisivit, & insuper alium sub Tit. S. Petri apud Castillonem à Stiverijs. Ecclesia enim hæc S. Petri olim Parochialis erat, sed ob Populi commodum cura Parochialis in aliam Ecclesiam translata fuit, SS. nimirum Nazario, & Celso dicatam. Quapròptet Archipresbyter priorem illam Ecclesiam S. Petri à Parochiali curâ solutam Ordini nostro concessit die 15. Octobris 1530. cum jure acquirendi, ac possidendi quocunque Titulo Bona immobilia in illâ Terrâ, prout constat ex pub. Instrumento in pergameno, ex quo pariter colligere licet, quòd paulò ante hunc annum Locus hic pro nostro Ordine designatus fuisset. Locus amœnus salubritate aeris, & Bonorum affluentiâ celebris, ex quo fit, ut PP. ibi degentium commoditati piorum eleemosynis facillimè consulatur. Festum S. Petri Apostoli solemni pompâ, & magno Populi concursu die 29. Junij celebratur, & die 18. Novembris Festum Dedicationis, quæ tamen à quo Episcopo, & quo anno celebrata fuerit nos latet. Ex eodem Maphæo pariter novimus, quòd PP. Congregationis hoc anno 1530. adepti fuere Locum S.M. Gratiarum de Burano, Insulâ Venetijs proximâ, distat enim ab amplissimâ illâ Civitate per quinque tantum milliaria, & in Regesto Generalis Augustini Bonuccij inter Conventûs Provinciæ Tarvisinæ reperitur; inde verò PP., quonam consilio ignoratur, recessere. Insequente sæculo Insulam hanc adiere, & Monasterium insigne ædificarunt non sine singulari Dei, ac Deiparæ providentiâ Sorores nostri Ordinis cum Andrianâ de Rubeis Venetâ, de quâ ad Annum 1648.

Conv. Magnaghi unitur Conv. de Mediolano.

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monumentis eorundem Conventuum, & alijs in eodem Cap. citatis.]

A

Comitia Generalia Congregationis Clemens Septimus per Apostolicas Lit. irrita declarat, & quod nullus eorum inconsulto Generali Ordinis ad Baccalaureatûs, & Magisterii gradum admittatur. CAP. XV.

Igitur Clemens Pont. varijs modò Principum, modò Congregatorum querimonijs commotus, ad cohibendam quorundam ex ipsis audaciam, quâ totius Religionis pax publica sæpe turbabatur, per has Apostolicas lit. Antonio Protectori mandavit de ejusmodi jurgijs inter Fratres sedandis.

B Venerabili Fratri Antonio de Monte Episcopo Portuensi Card. de Monte nuncupato Clemens Papa Septimus.

Venerabilis Frater, sal. & Apost. benedictionem. Cùm sicut nobis nuper exposuit fraternitas tua, cui Fratrum Servorum B. M. V. protectio demandata, & concessa existit, nonnullæ dissensiones, & controversiæ inter Conventuales, & Fratres pariter de Observantiâ ejusdem Ordinis exortæ sint, sicque propterea per te revocata creatio Vicarii Generalis dictæ Congregationis de Observantiâ in contemptum mandatorum nostrorum attentata in Capitulo Generali, & excluso, qui intervenire in eorum Capitulis solitus erat, quibus, ut par est, & bonum Protectorem decet, fidem imponere, & eis

C *providere decreveris, Capitulumque ob id indicè Perusij feceris, cui ad præmissa consultiùs intelligenda, & terminanda interesse proposueris, Nos summam spem in eximiâ, & singulari tuæ circumspectionis prudentiâ, & virtute, quam Nos ipsi, & prædecessores nostri magno cum hujus sanctæ Sedis honore, & satisfactione, tuæque circumspectionis laude sumus semper experti, meritò propositum celebrari faciendi hunc Capitulum summopere commendantes, & approbantes, eidem tuæ circumspectioni plenam, & omnimodam facultatem, authoritatem, & potestatem, controversias ipsorum audiendi, componendi, decidendi, & fine debito terminandi, necnon quascumque eorum inobedientias contra ipsorum quoscumque Superiores commissas, cor-*

D *ripiendi, corrigendi, & puniendi, ac facinorosos animadvertendi, mores reformandi, salutaremque eisdem, ubi opus fuerit, & tibi opportunum videbitur, obedientiam injungendi, voces definitivas, quæ defecerint, supplendi, atque omnia, quæ in præmissis, circa præmissa, & quodlibet præmissorum faciendi, gerendi, & exequendi, videbuntur expedire, concedimus, & elargimur; & quia contingere poterit in præmisso Capitulo celebrando scrutinia ut moris est fieri, ac malorum numerus, & minùs rectè sentientium, bonorum suffragia superet, vel soliti interesse absentes forent, etiam Capitulum in alium locum ex causâ transferendi, & prorogandi, prout tibi videbitur, similiter concedi-*

mus facultatem, & authoritatem, supplentes quemcunque dictorum suffragiorum defectum, & numerum arbitrio Fraternitatis tuæ. Mandantes nihilominus Priori, & Vic. Generalibus, necnon Provincialibus, sacræ Theologiæ Magistris, omnibusque, & singulis Fratribus dicti Ordinis in virtute salutaris obedientiæ, ac sub excommunicationis, ac indignationis nostræ pœnis, ut Fraternitati tuæ obedtant, pareant, & assistant, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dat. Romæ die 21. Septembris apud S. Petrũ 1530. Pontificatûs nostri Anno septimo.

Ex M. S. M. Hyppoliti Lucensis Episcopi Montis Pelusij.

Ipso etiam die idem Pontifex ad retundendam quorundam audaciam, qui Generalis auctoritatem semper subterfugere conabantur, per alias literas Romæ datas prohibet nullum in Congregarione Observantiæ debere admitti ad gradum Baccalaureatus, & Magisterij absque expressâ. & per lit. pat. Prioris Generalis declaratâ licentiâ, quemadmodum soperiori tempore consoeverat Hieronymus Generalis; nam Anno 1524. Fratri Clementi Fiere de Mantuâ dantur Venetijs literæ pat. die 29. Junij confirmantes, & approbantes ipsum in Baccalaureum electum in eorum Capitulo Generali Conioli die 14. April. Hoc quoque anno 1530. eædem literæ per Generalem conceduntur Fratri Abundio de Bergomo die 22. Maij, ut possit insignia doctoratûs suscipere, veluti & Theodoro de Mantuâ, & alijs ejusmodi literas concessas fuisse dictum ut supra. Et hæc omnia ad præscriptum, quod per Laurentium Card. Pucclum Summum Urbis Pœnit., & Viceprotectorem nostrum mandaverat Leo X. Summ. Pontif. de reformandis studijs Congr. circa literas, & mores; quemadmodum ejusdem Card. literæ Romæ datæ die 27. Octob. ann. 1520. indicant, quarum exemplar adhuc inter monumenta Conventûs Sanctæ Mariæ de Placentiâ vidimus. Interea Thadæus Vicar. Generalis inducias proponens, & excusationes varias obijciens, detrectat convenire Perusium, adducens impedimenta viarum propter pestilentiam, & quòd non possit Perusij Conventus fieri, eò quòd Urbs illa sit deprędantium militum, & Sicariorum plena; quem tamen D. Protector die 7. Octobris ad Urbem, ut ibi celebretur Capitulum, denuò hortatur, & Pontificis auctoritate, ut omnino parere non postponat, districtè mandat. Harum tandem contentionum finis fuit, quòd congregatis Soraneæ Patribus abrogato Thadæo, eligitur secundo loco M. Theodorus de Mantuâ, & ab ipso Generali confirmatur, & perdurat totum sequentem annum. Prudentiores verò quidam Patres, quò sese ab hujusmodi cõtentionibus honestè subducerẽt, occasionẽ nacti, quòd Jacobus Sanazarius Illustris Neapolitanus, & Poeta insignis, uti Cap. xiv. retulimus, D. Cassãdra Marchionissa Piscatiæ ad preces Dionysij Laurerij hortãtis, Ord. nostro amœnissimã Mergellinæ Villã contulisset, ut ibi ad honorem Parturientis Virginis Delubrum excitaretur, M. Laurentius de Placentiâ, & Philippus Albrisius de Mantuâ viri doctissimi, & religiosæ disciplinæ amatores, cum alijs pleri sque ad Sãnazarium Neapolim concesserunt, ut locum Neapoli pro Congregatione acciperent, quamvis Jacobus Observantiam Senarij, quam alterius Congregationis pro eo loco probaret, unde citius quàm credidissent. Patres illi Neapoli recesserunt, solo ibi superstite Philippo Albrisio divini verbi Præcone, ut in sequenti Capite. Hoc eodem anno B. Felia de Apis, & B. Monica Romana fragilem hanc vitam in cœlestem commutarunt, non minori famâ dignæ, quòd se in abscondito positæ nesciri curaverunt, quàm alij, qui ad aliorum exemplum in propatulo esse meruerunt.

B. Felix de Apis B. Monica Romana.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

1 O*Mnia quæ in hoc capite continentur, habuit Author ex Regesto Hieronymi Generalis, præter ea quæ de BB. Felice, & Monica dicta sunt, hæc enim accepit Author ex Tabulis vetustis Beatorum Ordinis, & alijs plerisque Monumentis, in quibus excepto nomine, & tempore nihil de illis reperire potuit.*

Variæ Reformatorum divisiones, & Congregationes, necnon quorundam Illustrium Virorum gesta enarrantur.

CAP. XVI.

PLures igitur diffidentium Congregatorum lites, eò tandem hoc tempore devenerunt, ut futurum eorum exitium, quamvis à longe portenderent, & in eis locum haberet divinum illud oraculum, quod omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur, nam observantia illa jam dudum in Senario renovata, & Eugenij Quarti auctoritate dilatata, jam nunc videtur in quinque partes discissa; Germani enim suam ab Antonio Alabanto Observantiam à Congregatis separatam receperant, & conservabant; Patres Senatij in pristinâ Religionis disciplinâ à Sixto Quarto seiuncti à Congregatione, usque ad hanc diem perseverabant; nuper, ut dicebamus, Dua Mediolani aliam erexerat sub Cœnobio Servorum in toto suo dominatu Congregationem, præter illam, quam Thadæus Tancredus de Bononiâ in solitudine Corvariæ apud Placentiam instituerat, quæ dicebatur *de filijs Prioris Generalis de novâ observantiâ*, hæc enim ab anno 1502. sensim augeri cœperat, non tam locorum amplitudine, quàm Religiosorum honestâ disciplinâ. Quare multi ejusmodi dissensionum pertæsi,

& in

& in tranquilliorem religiosæ vitæ statum se se recipere cupientes, necnon multorum ambitiosam licentiam exhorrentes, alij ad Senarium, alij ad Corvariam, alij aliò confugere conabantur, quemadmodum hoc anno accidit Hieronymo Placentino .1. viro doctissimo, & religiosæ vitæ percupido, qui posthabito Congregatorum Cœtu ad sanctam Corvariæ solitudinem concessit, cujus prudentiæ Prior Generalis per lit.pat.die 15. Augusti Senis datas, administrationem ejus loci commendavit, & ejusdem Reformationis suum Vicarium præfecit. Philippus pariter de Mantuâ, vir doctrinâ, & probitate insignis à Congregatione recedens, Neapoli divini verbi facundissimus Præco, omnes in sui admirationem converterat. Hic ex antiquâ prosapiâ eorum; qui de Albericis Florentiæ inter primarias familias habebantur, quique anno 1393. inter factiones Guelforum, & Ghibellinorum Mantuam concesserant, ibidem ortus.2. Patre Alexandro de Albericis, & Amabiliâ Ferâ Genitrice, pijs, nobilibusq; parentibus, altæ indolis Puer, & summâ in Dei Matrem pietate, Religionem ingressus, & brevi proficiens, inter præcipuos ejusdem Congegationis viros, & Magistros, jure optimo meruit cooptari. Vir nunquam otiosus, sed qui semper prudentiâ in rebus agendis, & sapientiâ in explicandâ doctrinâ præstantissimus fuit, multos assecutus honores, & quæ à Julio Secundo in Galliam, & Angliam Nuncium, & Concionatorem Apostolicum, ac Sanctæ Inquisitionis contra hæreses Ministrum legatum ferunt. Scripsit brevem quidem, sed pressam, & elegantem historiam Ordinis, & Congregationis; atque gesta B. Philippi collegit, & pro ejus canonizatione, dum Romæ ageret, plurimùm laboravit, prior omnium Constitutiones Congregationis ad meliorem normam redactas, imprimi curavit, reformationem, & disciplinam regularem, quantùm potuit suo tempore tutatus fuit, & ejusdem Congregationis declinationem, veluti ex altâ speculâ prospexit, & ejus exitium prædixit: tandem præsentium morum pertæsus, Neapolim, ut dicebatur, concessit, ibique legendo, & concionando, gloriosæ denique extremum vitæ persolvit, sepultus in Æde S. Faustinæ, in cujus Tumulo leguntur hi versus.

M. Philippi de Albericis laudes.

Protulit, Alberigiumque protulit ora Maronum,
Ut dedit una duos, abstulit una duos,
Felicem eventum sortita est utraque Tellus,
Altera per cunas, altera per tumulos.

[Ex his mirari minimè licet, quòd expulsis PP. Congregationis à Conventu S. M. de Consolatione Ferrariæ, anno 1531. surrogati ibidem fuerint à Generali Hieronymo, ejusdem Ordinis alij probatissimæ vitæ PP., prout constat ex Literis patentibus Antonij Card. de Monte Protectoris, quæ sunt tenoris, qui sequitur.

A *ANtonius miseratione Divinâ Episcopus Portuen. S.R.E. Card. de Monte Ordinis B.M. Servorum Protector. Dilecto Nobis in Christo Priori Generali, necnon Vicario Generali Congregationis de Observantiâ, singulisque tam sacræ paginæ Magistris, quàm reliquis totius Ordinis Fratribus salutem in Domino sempiternam. Cùm jamdiu Paternitatibus vestris cognitum, & perspectum sit, quo studio, affectu, & diligentiâ de mense Novembris anni superioris elaboravimus, etiam convocato in hac Urbe Capitulo, ut causæ discordiarum inter vos, & multarum dissensionum, ut par est, amputarentur, & prout una est, & veneranda Religio, ita omnium Fratrum unus esset consensus, & unica in omnibus esset voluntas, & propositum. Cumque etiam congregato, ut præmittitur, Capitulo, habitis omnium Fratrum, qui ad Urbem profecti ex d. Causâ erant, votis, deventum*

B *fuerit, Deo Optimo aspirante, ad transactionem litium, discordiarumque omnium amputationem, præterquam in unâ, videlicet. Quòd Conventus S.M. vulgariter dictus* della Consolazione *Civitatis Ferrariæ, de quo procurante Illustrissimo Duce de commissione SS. D. N. & nostrâ, prout per Breve S.S. Priori Generali directum apparet, remoti fuerant Fratres de Observantiâ, & alij sub obedientiâ Prioris Generalis appositi, tunc dd. Fratribus de Observantiâ ejusdem Ordinis restitueretur. Cùm Dux Illustrissimus præfatus id per literas suas Nobis significaret, & insuper nos cogitaverimus hac declaratione pendente non posse dici, nisi super-*

C *esse fomentum discordiæ, & litium seminarium inter vos, scribendum Illustrissimo Duci præfato duximus literas infrascripti tenoris de verbo ad verbum, videlicet.*

Illustrissimo, & Eccellentissimo Signore.

Son certo, che l' Eccellenza V. si deve ben ricordare, che à richiesta sua mandai per ordinazione di N.S. e con suoi Brevi, etiam per l' officio della Protezione, come era mio debito, il R.P. Generale de Servi a riformare il Convento della medesima Religione di cotesta sua Città, quale abitavano li Religiosi della Congregazione dell' Osservanza della medesima Religione de Servi, che era corso in quel licenzioso vivere, che sa, e ne successe quel tanto, che Lei ordinò, e parse al predetto P. Generale di fare, per eseguire la mente di V. Eccellenza, e per ri-

D *formazione di d. Convento, poner li Frati di miglior vita. E perchè poco tempo fà mi occorse di convocare molti PP. in Roma tanto Conventuali, come della Congregazione, per porre silenzio à qualche altercazione, che era tra loro, e tra l' oltre cose per riverenza portata all' E. V. volsi, che rimanesse pendente la Causa del Convento predetto, e che fosse in arbitrio di quella, ò lasciarvi li Frati, che lo tengono mò, ò rimettervi li levati della d. Congregazione, e che in questo si dovesse attendere, e servare la sua volontà, e dichiarazione. Ora trovandosi la cosa in questo termine, mi è parso convenienti, & espedicate significarle il tutto, e farla capace di*

Anton. Cardin. de Mõte dirimit controv. de Conv. S.M. de Consol. Ferrariæ.

di quanto è passato circa questo Convento, acciò per la sua sapienza, e piena informazione, quale hà di dd. Frati, e Convento, possa deliberare, e ordinare quello li paresse doversi servare in ciò, e significarmi per una sua lettera, qual fusse la volontà sua, che tanto quanto Ella scriverà, s' osserverà. L' E. V. sia contenta, quando li piacerà, per una sua scrivermi di quali delli predetti si sodisfà più, e che ci vole, acciò che io li possa confermare nella lor pace. e levarli qualche fomento di discordia potesse nascere tra essi per d. causa. Resto raccomandandomeli molto di buon cure, e pregandola si vaglia di me in tutto quel che Ella giudica io possa, come farebbe d'una sua più cara, e fedel persona. Che Dio la contenti. Di Roma alli 22. Genaro 1531. *Dell' Ecc. V. servitore A. Vescovo Portuen. Card. del Monte. - A tergo verò - All' Illustrissimo, & Ecc. Sig., il Signor Duca di Ferrara. Quibus quidem Literis nostris per Exc. suam receptis in hanc sententiam responsum fuit, videlicet - Reverendissimo Monsignor mio Osservandissimo. Pur ieri ebbi la Lettera di VS. Reverendissima de 22. del mese passato, a quanto posso la ringrazio dell' umanità, che Ella ha usato in scrivermi, come hà fatto, e del rispetto, che Ella ha havuto di non voler far deliberazione, o mutazione alcuna senza di me sopra il Monastero, è luogo intitolato in Ferrara* S. Maria de Consolatione, *del quale con il buon volere della S. di N. S. e con permissione, e ordine di V.S. furono levati li Frati de Servi, che vi erano, e postone degl'altri del medesimo Ordine, e sopra l' istanza, che fanno d' esserci riposti quelli, che meritissimamente ne furono cacciati, si ha da fare, non dico secondo la volontà, e dichiarazione mia, come V.S. umanissimamente scrive, ma secondo il mio desiderio, e sodisfazione di questo Popolo io li faccio sapere, che io mi contento, e così si contenta la Città, che ci restino, e stiano quelli, che dal R. lor P. Generale persona di molta prudenza, e discrezione ci furono deputati in cambio degl' espulsi, perchè senza stare à replicare quello, che pure à ricordarmene m'offende l'animo, del vivere, che usavano li dd. espulsi, certifico V.S. Reverendiss. che fino à qui non si sente alcun malo odore, nè si è visto alcun mal esempio di questi surrogati, che ci sono, ma per il buon ordine dato dal predetto R. P. Generale, e per la loro buona osservanza sono e da me, e dal Popolo ben voluti, e avuti grati, a tutti insieme ne sentiamo, e sentiremo perpetuamente grazie al predetto N.S. & à V.S. Reverendiss. alla quale con tutto il cuore mi offero, e raccomando. Ferrara 18. Febrajo* 1531. *- Di V.S. Reverendiss. Figliolo, e Servitore Alfonso da Este - A tergo - Al Reverendissimo Monsignor mio Osservandissimo Il Sig. Cardinale del Monte - Nos proinde circumspectione, quâ potuimus præmissâ, omnia considerantes, ut scintilla, ex quâ posset inter vos magnum conflari incendium, penitus extinguatur; & animo tanquam re dubiâ inter vos decisâ cognoscere valeatis, mente Ducis per literas præmissas cognitâ, & perspectâ, declarationi cujus ex formâ conventionis stare tenemini, dicimus, & declaramus præmissum Conventum* S. M. della Consolazione *ejusdem Civitatis Ferrariæ sub obedientiâ, & regimine P. Prioris Generalis esse debere, gubernarique per Fratres ibidem à S. P. R. deputandos, & Divino cultui in Christifidelium exemplum præficiendos, prout ex mente Exe. Suæ id animadvertimus expedire, nec debere dd. Fratribus da Observantiâ restitui, d. D. Duce in eâdem voluntate in literis supra insertis expressâ persistente, & perseverante, conditione in Literis patentibus concordiæ appositâ super præmissis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. In quorum fidem, & testimonium has nostras manu propriâ subscriptas fieri, & per Secretarium nostrum subscribi, & Nostri soliti Sigilli impressione jussimus communiri. Datum Romæ in Ædibus nostris die 24. Aprilis* 1531. *Pont. SS. in Christo P. & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ VII. anno octavo.*

A. Card. Portuen. Ord. Servor. B.M.V. Protector manu propriâ.

Loco ✠ *Sigilli* *Fede Clavarius.*]

Insaniebat hoc tempore Henricus Angliæ Rex, & vesano Annæ Boienæ amore captus divortium moliebatur cum Catharinâ legitimâ uxore, jamque multos in Curiâ per suum Oratorem Edmundum Bonarum solicitabat, ut iniquam hanc suam causam apud Pontifices tutarentur: inter quos per suas literas Londini datas decimâ die Februarij hoc anno unus delectus fuerat Dionysius noster Orator apud Pontificem, cui Rex vehementer causam suam commendat. Quæ res etsi ad nostros Annales nihil facessere videatur, imò sit à Religiosorũ memoriâ penitus explodenda, nihilominus ad negotium facessere videtur, quòd tunc Dionysius noster tantæ auctoritatis in Urbe haberetur, ut etiam Reges prudentiæ, & sapientiæ tanti viri suas causas, qualescunque illæ essent, tam diligenter commendarent. His etiam temporibus magno in pretio habebatur Marcellus de Tarvisio, de quo Pocciant. Hic literas Latinas, Græcas, & Hebraicas callebat, & carmina proprio idiomate elegantissima ex ipsius emanarunt ore, quem D. Jacobus Sanazarius, ac Saxoferratus egregium Poetam, ac linguarum Patrem, in suis poematibus nominare non sunt dedignati, & ipsi multa opuscula conscribere. Pater iste nonnulla de Divinis laude dignissima composuit; quosdam hymnos, & carmina de Sanctorum gloriâ edidit, & plura alia typis mandavit, quæ Venetijs impressa fuerunt per Melchiorem Sessam Anno 1516. His ipsis temporibus Hieronymus Fuscus de Faventiâ 3. post varios casus, longaq; itinera Maderam usque, & alias Oceani inferiores insulas, in Agro, qui dicitur *Petra lunga*, non pro-

Marcellus da Tarvisio insignis Poeta.

M. Hieronymi de Faventiâ obitus, & laudes

procul à Faventiâ è vitâ discessit, quem nisi illa periculosa tempora adversâ fortunâ jactassent; virtus, & ingenium, si ejus præclara facinora spectentur, ad magnos extulissent honores; studijs, & laboribus assiduis, nunquam tempus, & otium intermittens, ad alios in quavis liberalium artium facultate erudiendos, semper paratus erat; in Cathedrâ eruditus, & acer, in suggestu ad conciones facundus, & fructuosus, ad res gerendas impiger, & prudens, & ad Prælatorum, Principum, Regumq; gratiam aucupandam suavi consuetudine, & eloquio à naturâ præditus, quemadmodum indicant verba in ejus Tumulo affixa.

** Hujus viri meminit Tondusius in historiâ Faventiæ pag. 38.*

F. Hieronymus * Fuscus Ordinis Servorum, post Asiam cum Europa, & Africa peragratam, Dei verbum per totum ferè Orbem, lingua Hebrea, Græca, Latina, Gallica, Bœtica, Lusitana, Germanica promulgatum, duo templa Divæ Virgini Deiparæ, alterum Petrælongæ, Solaroli alterum à fundamentis extruxit, ac multis dotavit bonis; postque omnia tandem, hic situs in pace quiescit.

Ad illustrandam etiam Religionem Dominicus Docto Patavinus de Castrofranco, verè doctus, & pius, imprimi curavit Lecturam Laurentij Opimi super Magistrum Sent. & Hieronymo Generali nuncupavit, opus impressum Venetijs per Joannem Antonium de Sabbio sequenti anno 1532. Quo etiam tempore Patres de Congreg. suo Capitulo Conioli habito, eundem Patrem Theodorum de Mantuâ rursus in suum Vicarium confirmant. Superveniente interim anno 1533. Patres Florentini hac eâdem pestilenti ætate habentes solatio lucubrationes, & antidota adversus epidemiæ morbum M. Jacobi Soldij Philosophi, & Medici peritissimi ejusdem Ordinis Florentini, ut aliàs dictum fuit, imprimi curarunt, & eidem Generali Hieronymo dicatas esse voluerunt. Hæc porrò dum ita se haberent, Hieronymus per lit. pat. Comitia Generalia solemni pompâ Senis habenda jam edixerat, de quibus in sequenti Cap. XVII. plura.

P. Simon à Castellacio.

Cæterùm cum venerandæ memoriæ P. Simon de Pellatis à Castellaccio suâ diligentiâ in conscribendis hujus nostri Ordinis antiquitatibus usque ad ann. 1494. patentem nobis in hac præsertim Centuriâ viam aperuerit ad multa præclarè conscribenda, non videtur sine aliquâ vel arrogantiæ, vel ingratitudinis labe à nobis silentio prætereundus, qui his temporibus post religiosam, actuosamque vi- A tam in Domino requievit.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

1 *EX Reg. Generalis Hieronymi.*

2 *Author singula de Albrisio collegit, tum ex ejusdem operibus, tum ex monumentis Albericiæ Familiæ, quæ in ejus Domo asservantur Mantuæ.*

3 *Ex itinerario, quod Idem Hieronymus de suis gestis, & itineribus conscripsit, atque ex proprio ipsius sepulcri Epitaphio.*

Nova quædam Ord. nostri Cœnobia recensentur. *CAP. XVII.*

B

PRO coronide hujus nostri tertij seculi quinque adhuc recensenda sunt Loca, quæ Ordini Servorum obvenere. In primis enim P. Gratia Dei de Castellanâ in Galliâ Narbonensi suscepto Ferrariæ per Manûs P. M. Gregorij de Lucâ Habitu Ord. Servorum, ac deinde Professione solemniter emissâ, sacrisque initiatus, assumpto sibi ejusdem Ordinis socio in Patriam contendit, ut Locum aliquem ibi eidem Ordini compararet. Itaque à Christianissimo Galliarum Rege situm accepit dono datum construendis Cœnobio, & Ecclesiæ accommodatum, & statim operi manum admovit anno 1531. annuente D. Baptistâ Sanensi Episcopo C Reiensi, in cujus Diœcesi Oppidum hoc Castellanæ reperitur, qui etiam Indulgentias Christifidelibus concessit, qui Fabricæ huic promovendæ opem ferrent, Fabrica magis in dies ac magis promovebatur, tum Ecclesiæ, tum Cœnobij, cùm Ecclesiâ sub Tit. D. Annunciatæ fermè completâ anno 1541. insigne illud accidit miraculum intercessione B. V. ab Altissimo patratum, quod ad eundem annum 1541. referendum erit. Insuper in Civitate Papiæ, sive Ticini Ditionis Mediolanensis P. M. Laurentius de Ursis Placentinus, & P. Stephanus de Lunghis à Castro S. Joannis Ordinis Servor. B. M. V. Monasterium quoddam eodem anno 1531. recipiunt, quod olim tenuerant Sorores Ord. S. Benedicti, & D vulgò dicebatur à Cavijs, & Trotris; ubi Conventum erexere sub Tit. S. Mariæ de Paradiso, licèt antiquitùs dicta semper fuerit Ecclesia S. Blasij. Contractum hunc Monialium cum Fratribus approbat Clemens Papa VII. vivæ vocis oraculo, prout constat ex literis patentibus Antonij Card. Puccij Tit. SS. Quatuor Coronatorum Summi Pœnitentiarij Romæ datis anno IX. Pontificatûs ejusdem Clementis. Franciscus item secundus Mediolani Dux, id enixè petente Vicario Generali Congregationis Servorum de Observantiâ, idem confirmat, & jus tribuit ædificandi Conventum, literis Mediolani datis die 28. Augusti 1533. Denique consequentibus tempori-

Cōv. D. Annunc. de Castellanâ.

Conv. S. Blasij de Papia.

poribus P. Hieronymus Barletta Placentinus Ecclesiam hanc à fundamentis ad hanc for-

E

mam, quam modò conspicimus, reduxit.

Diruitur Cōv. S. M. Paradisi de Mediolano.

Mediolani quidem hisce temporibus æquatum solo fuit Cœnobium S.M. de Paradiso extra Redefossum Portæ Romanæ, de quo satis ad annum 1481. Antonio Leyvâ pro Carolo V. Imperatore Ducatûs Mediolanensis Gubernatore mandante, quippe qui alia quæcunque ædificia extra Mœnia Urbis posita solo pariter æquaverat, ne Regi Galliarum, ejusque militaribus copijs Urbem invadentibus munimento forent ad eandem expugnandam.

Conv. Secūdus S. Dionysij de Mediolano.

Hinc PP. Congregationis de Observantiâ, qui Locum illum tenebant, vagari aliquantisper coacti, ejusdem Antonij operâ, qui alia ijsdem PP. obtulerat Loca, Domum

F

tandem, sive Abbatiam S. Dionysij Episcopi Mediolanensis in Suburbijs recepere, quam olim tenuerant Monachi Ordinis S. Benedicti, nunc verò ex concessione Sedis Apostolicæ in Commendam obtinebat D. Joannes Tit. SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. de Salviatis, qui eandem PP. ipsis æquo animo resignavit, eâ tamen lege, quòd ibi quandiu ipsis libuisset, permanerent tres Monachi prædicti Ordinis S. Benedicti, qui jamdudum ibi degebant. Resignationem autem hanc quàm libentissimè confirmavit Clemens Papa VII. per Literas Apostolicas Bononiæ datas anno 1532. 16. Kal. Februarij, quarum orignale in pergameno in hoc Cœnobio S. Dionysij diligenter asservatum perspexi anno 1715. Mense Augusto. In his autem Summus Pontifex

G

præ cæteris hæc habet: *Et considerans quòd FF. d. Domûs del Paradiso Christifidelibus Mediolanensibus, & eorum Animarum saluti, Doctrinâ, ac Verbi Dei prædicatione, & laudabili vitâ, verbóque, & exemplo admodum utiles erant, uberésque fructûs in horreum Domini afferebant. In d. autem Monasterio, vel illius Domo Abbatiali hujusmodi tres duntaxat Monachi habitabant, ipsíque Monachi, nec verbo, nec exemplo eisdem Christifidelibus proficiebant, &c.* Quæ planè animadvertenda videntur, utpotè PP. illis nostris perhonorifica, quæque rationem ostendunt, quâ Summus Pontifex Domum hanc illis facillimè concesserit, nec passus fuerit eosdem in amplissimâ illâ Urbe, Sede propriâ destitutos, ulteriùs va-

H

gari. Titulum autem Abbatialem, & quidquid Monasticum antea ibi erat, penitus suppressit, & Domum appellari voluit Ordinis, seu Congregationis Servorum B.M.V. prout latiùs continetur in prædictis literis Apostolicis.

Destruitur vetus Eccl. & ædificatur alia de novo.

PP. ergo corporalem hujus Loci possessionem eodem anno 1532. assecuti, Ecclesiam iterum augustius ædificare cœperunt, ex quo vetus Ecclesia destruenda omnino fuit, eo quòd validissima Mœnia à fundamentis excitata fuere, quæ Urbem circumquaque cingerent; ex quo factum est, ut Domus hæc nostra non ampliùs in suburbijs, sed intra Civitatem posita dicenda sit; nil autem aliud ex veteri Ecclesiâ superfuit, quàm Turris utique antiquissima, quam PP. Campanis ad usum Ecclesiæ recens ædificatæ instruxerunt.

Interim PP. Antonio Leyvâ præfato, ne tanti Patroni periret unquam memoria erga eosdem amantissimi, cujus ossa in hac nostrâ Ecclesiâ jacent honorifico sepulcro recondita, Elogium hoc ibidem apposuere.

Antonio Levva Hispano Heroi Asculi Principi,
Omnium suæ ætatis Ducum Belli, vel in consilio capiendo vel in exequendo solertissimo. Qui à Carolo eius nominis V. exercitui apud Insubres Præfectus, Italiæ Principibus, ac Gallorũ Rege in Cæsarem conspirantibus, vel in maximâ rerum angustiâ ingenti acumine sibi incumbentibus sæpè conatûs infregit, Oppida expugnavit, ac multis Victorijs partis, Ducibusque etiam captis, Mediolani Provinciam ab eorum faucibus ereptam
Imperio restituit, ac servavit,
Magnisque mox ulijs rebus pro Cæsare gestis,
Demum in tolerandis miserabilis morbi doloribus
omnibus artubus cōtractis, & perpetuò occupatis, summâ cum laude apud Aquas Sextias in fatis concessit.
Ossa ex Testamento huc translata sunt.
Obijt 17. Kal. Octobris MDXXXVI.

Hoc insuper Epitaphium ante Fores Ecclesiæ, & Cœmeterij habetur.

Antonius Leyva sanctissimi fœderis in Italiâ, & Cæsaris Exercitûs Imperator,
Mediolani Gubernator, Princeps Asculi, post innumeras pugnas, & Victorias pacatis hostibus,
Hoc D. Dionysij Templum vetustate, & Bellis collapsum,
pro D. Virginis Paradisi Ecclesiâ sublatâ, annuo censu ad hoc constituto, in meliorem formam restituturus ampliavit
Anno Domini 1535.

Princeps enim hic egregius constructioni hujus Ecclesiæ, & Cœnobij plurimùm contulit, non autem totum ipse perfecit, etsi Te-

H

stamentariâ dispositione plura ad hoc opus complendum, & ad usum Fratrum legasset. Hæredes enim ipsius, & alij super ejus Bona jus prætendentes universam ferè hæreditatem sibi vindicarunt. Præterea juxta mentem Summi Pontificis in Literis Apostolicis prædictis expressam hujus Ecclesiæ constructio ad PP. ipsos pertinebat, qui sanè Opus hoc paulatim promovere non destiterunt.

Nonnulla in hac Ecclesiâ reperiuntur, quæ præterire silentio non decet. In primis sepulcrum est marmoreum, in quo jacet D. Eribertus Antimianus, Episcopus olim, & Dominus in spiritualibus, & temporalibus Mediolani. Hic Monachos Ord. S. Benedicti

Clunia-

Eriberti gesta, & inscriptio sepulcr.

Cluniacenses huc introduxit, augustissimam Ecclesiam, & amplissimum Monasterium ipsis ædificavit, quæ tamen omnia ob varia Bellorum discrimina periere, de quibus satis abundè Corius in hujus Urbis historiâ. Tumulo autem hujus Antistitis appositum legitur sequens Elogium.

Hìc jaceo pulvis, cui quondam claruit Orbis
Tunc Eribertus erum, nimiòque decore vigebã,
Officio placidi fulgebam Præsulis Archi.
Nunc tumulor Servus Servorum Christe tuorum
Pro meritis horum tibi dignè complacitorum
Sanguine quæso tuo mihi tu miserere redempto.
Hũc veniens Lector sibi dic: ignosce Redemptor.
Ut vivens vitâ requiescat semper in ipsâ.

Obijt anno Dominicæ Incarn. 1045. *die* 16. *Mensis Januarij Indictione* 13.

S. Barnabas Vexillũ S. Crucis primò in hunc Locum figit.

Longè gloriosius autem illud est, quod universa Civitas quotidie, potissimùm verò die 13. Martij summo studio veneratur. Ipsâ enim die S. Barnabas Apostolus Vexillum Crucis Christi solemniter in eo loco fixit, quem in hac Ecclesiâ cernimus, ubi lapis modò adest è pavimento aliquantulum elatus, & ferreâ crate munitus jussu P. M. Archangeli Gianij de Florentiâ horum Annaliũ Scriptoris, qui anno 1612. Provinciæ Illius Mantuanæ Visitator Generalis erat, & sequentia verba in tantæ rei monumentum lapidi imprimenda mandavit.

In hoc rotundo lapide erectum fuit Vexillum Salvatoris à S. Barnaba Apostolo Mediolanensis Ecclesiæ fundatore, ut Scriptorum auctoritate, & vetusta Populi huc confluentis traditione 13. die Mensis Martij comprobatur.

Concursus Populi Maximus die 13. Martij.

Nam S. Barnabas prior omnibus fidem Catholicam, & Christi Domini Crucem in hanc Civitatem invexit, quæ antea eò penetrare non potuerat, ideóque prædictâ die 13. Martij maximus eò fit Populi concursus, ac Divina Officia solemni pompâ celebrãt PP. Quod pariter usuvenire solet die Festo S. Luciæ V. & M. in Sacello quodam apud hujus Ecclesiæ Cœmeterium posito, ubi singulis hujus S. Martyris, & Virginis præsidium implorantibus aqua lustralis distribuitur, quà ad oculos sibi abluendos utuntur, quippe qui sibi propitiam S. Luciam experiuntur, quemadmodum indicant Tabellæ votivæ, & argentea plurima vota ibidem appensa. Hic autem omninò referre juvat, quòd cùm pluries consequentibus temporibus S. Carolus Archiepiscopus, & Cardinalis, ut incommodis, & abusibus occurreret, quæ ob nimiam Populi confluentiam die 13. prædictâ Martij quotannis contingere solebant, A Festum illud abrogare tentasset, nunquam id assequi potuit; hinc vulgò fertur S. Antistitem aliquando dixisse *Digitus Dei est hic*. Indéque longè magis invaluit traditio de S. Barnabâ Apostolo modò recensita, longéque pariter magis excrevit Christifidelium pietas, & ad hoc Festum celebrandum Populi concursus.

S. Dionysij Corpus jacuit in hac Eccl.

Hujus Ecclesiæ titulus est S. Dionysij Mediolanensis Episcopi, eò quòd D. Ambrosius ibi pariter postea Episcopus sacrum ejus corpus ab Aurelio Antistite ex Armeniâ majori, vel à S. Basilio è Cappadociâ, ubi Constantio Imperatore Ariano relegatus vitam plurimis ærumnis pro Fide Catholicâ confectus ad obitum usque perduxerat, insigni celebritate B delatum huc transtulit, & in sepulcro porphyretico condidit; quod postmodum, ne militum, Hæreticorum præsertim temeritati, & impudentiæ obvium esset, successores Episcopi in Ecclesiam Metropolitanam honorificentissimè transtulere, de quâ re fusiùs scribunt Placidus Puccinelli in *Zodiaco Mediolanensis Ecclesiæ*, Carolus Torre in lib. cui tit. *Ritratto di Milano*. Joannes Baptista Villa in Opusculo de Ecclesijs Mediolani, & alij Historici, prout libuerit, consulendi. Quæ sanè de Ecclesiâ dicta sint satis. De Cœnobio, quod hisce temporibus tenent PP. dicere juvat, quòd eorum solertiæ, ut plurimùm tribuendum est, quidquid utilitatis, incrementi, decoris & ipsi, & Ecclesiæ accesserit; non C enim defuere Viri quoque maximè illustres in horum Annalium serie recensendi.

Conv. primus de Cortonâ destruitur.

Cortonæ pariter in Etruriâ anno 1529. propter imminentia Senensium Bella die 29. Septembris funditùs eversus fuerat vetus ille Conventus, quem ab anno usque 1284. sub tit. S. Mariæ Ordo noster tenuerat extra Portam Florentinam, quæ hodiéque dicitur ab hoc Loco, *Porta S. Mariæ*. Dies profectò feralis, quæ tot, ac tanta opera per bis centum, & ampliùs annos improbo labore peracta, & Ordini nostro honorifica, ad nihilum redegit. Quamobrem Locus ille extra Portam prædictam S. Mariç dictus deinceps fuit *Il Guasto de Servi*. Anno autem 1531. Florentiæ primùm unanimi Reipublicæ con-D sensu, deinde Cortonæ die 16. Maij ejusdem anni decretum fuit, quòd Fratribus Servorũ in integrum restitutis aliud Cœnobium traderetur. Verùm rem ipsam detrectantibus ijs, quorum intererat, anno 1532. die 2. Augusti Consules, & Capitanei partis Guelfæ Florentiæ, annuente Alexandro Medices Reipublicæ Duce, decernunt, & mandant Thomæ Davanzato apud Cortonam Commissario, ut Fratres Servorum in possessionem immittantur Hospitalis S. Antonij de illâ Civitate, quod jam inhabitare cœperant à die 4. Aprilis ejusdem anni. Quod tandem post varias lites consecuti fuere PP. Dominicus de Cortonâ Prior, & Hieronymus Procurator

Conv. secũdus de Cortonâ.

rator cum aliis PP. eodem anno 1532. corporalem possessionem consuetis ritibus adhibitis solemniter recipientes, & Deo gratias agendo canentes hymnum *Te Deum laudamus*, quam possessionem deinde confirmavit Clemens Papa VII. sub dat. die 6. Julij 1533. Huc autem transtulere PP. quæcunque preciosa ex veteri Cœnobio extrahere licuerat; Sacras præsertim Reliquias Capiliorum B.V.M. valde decenti Thecâ repositas, ubi à parte posteriori hæc legimus.

Capilli B.M.V. Cortonæ in Conv. nostro asservantur.

Questi sono i Capelli della Vergine Maria, i quali ha donato Messer Jacopo già Vescovo di Perugia, e già Segretario di Papa Niccolò V. à Frati de Servi MCCCCLXXXII. quod ad d. Annum 1482. in his Annalibus legitur. Intus verò adest syngrapha tenoris hujusmodi: *Lunedì à dì 15. di Settembre* 1483. *Ottava della Natività della B.V.M. si fece una Processione, e andò à S.M. de Servi, che Monsig. Messer Giacomo de Vagnucci Arcivescovo di Nicea, e Nipote di Messer Dionigi Vescovo di Perugia, donarono i Capelli di nostra Donna, una bietzarella dentro ad un Tabernacolo alla Chiesa de' Servi. Si trovò detto dì à Cortona tre Vescovi Cortonesi, detto Messer Giacomo, detto Messer Dionigi, e Messer Christofano Vescovo di Cortona. Detto Messer Giacomo fece sperienza di detti Capelli con fuoco due volte, non abbruciarono niente, si trovorno a Casa à S. Maria de' Servi circa 25. Frati da Roma, da Fiorenza, e da più luoghi, si stima fusse miracolo d' Iddio.* Hactenus d. Syngrapha, quæ satis superque sacræ hujus reliquiæ veritatem ostendere videtur, quam omnes proinde summâ veneratione prosequuntur, præsertim Dominicâ infra Octavam Nativitatis ejusdem B. V., quæ solemni pompâ recolitur, & cum universo Clero, & Populo processionaliter per Urbem Sacra hæc Reliquia circumfertur, de quâ iterum dicendum erit ad annum 1632. Sciendum interim est, quòd in priori illâ S. Mariæ Ecclesiâ Imago quædam erat B. V. ab Angelo salutatæ, quam eâ veneratione prosequebantur Cortonenses, ut Urbis illius Proceres unà cum Clero, & Populo quotannis eò processionaliter adeuntes die ejusdem B.V. Festo 25. Martij convenirent Libras decem ceræ offerentes, & Episcopus cum Canonicis Divina solemniter ibi perageret Mysteria. Quæ sanè consuetudo, num ab initio illius Ecclesiæ, num potiùs ab Episcopo Mathæo, vel alio Ordinis nostri ex Episcopis Cortonensibus emanasset, incertum est; hoc planè exploratum habemus, quòd eversâ funditùs Ecclesiâ Ritus ille deperijt. In hac Urbe erat olim sodalitium piarum Mulierum Tertij Ordinis Servorum antiquitùs etiã institutum, & ex hisce Locis nostris prodiere Viri Insignes per Annalium seriem dignis laudibus commemorandi. Mulierum hujusmodi Tertij Ordinis nostri Sodalitium pariter fuisse hisce temporibus in Oppido, quod modò dicitur Civitas Prati in Etruriâ novimus ex

Imagine B. V. in Eccles. nostrâ maximè venerantur Corton.

Sodalitia Sororũ Tertij Ord. in Urbibus Cortona, & Prati.

Regesto Generalis Laurerij, & è Diario quodam Cœnobij nostri Senensis pag. 29. habemus, quòd anno 1530. Senas convenerant Prior, & nonnulli PP. Conventus nostri de Massâ Maritimâ, quem proinde eo temporis esse intelligimus.

Conv. de Massâ Maritimâ.

Gaspar è clarissimâ Gente Trivultiâ Sacellum olim erexerat apud Oppidum *Locatr* Mediolano distans per sex circiter milliaria ad honorem B. V., quod communiter dicitur *La Madonna della Fontana*, eò quòd ibi Fons est aquæ jugiter fluentis, & Imago B. V. sedentis, ac Puerum Jesum stantem regentis est miraculis illustris, quò proinde varijs languoribus affecti summo studio concurrere B.V. opem imploraturi, ac voti compotes evadere consueverant, & plerunque evaserunt, quemadmodum indicant Imagines, ac Tabellæ votivæ etiam pervetustæ ibidem appensæ. Anno autem 1499. condito Testamento, de quo rog. fuit Antonius Birago pub. Notarius Mediolanensis die 10. Julij, Hæredibus mandavit, ut Sacerdotem aliquem eligerent, qui per singulas hebdomadas ter Missam in eo Sacello celebraret. Quamobrem Urbanus, & Benedictus Gasparis Hæredes, & Filij supremam hanc Patris voluntatem executioni mandare volentes ad id muneris elegerunt Presbyterum quendam secularem nomine Nicolaum de Grassis, habito Instrumento per Joannem Petrum Bernardigio pub. Notarium Mediolanensem die 11. Januarij 1518. eique Domum humilem quidem sacello contiguam colendam tradidere. Postquam verò prodigium illud evènit de sanguine, sive è naribus, sive ex oculis, sive ex aliâ quacunq; parte vultûs Imaginis S.Hieronymi effluente, de quo dictum est ad ann. 1522. supradicti Benedictus, & Urbanus Ecclesiam de novo juxta Gasparis eorum Patris voluntatem à fundamentis excitari cœptam (quod probabilius habendum esse colligitur ex Instrumẽto quodam ibidem servato, quo dicitur Gaspar ad honorem Dei, ac Deiparæ dicasse quæcunque Ecclesiæ illi construendæ donaverat) compleverunt memorato sacello superpositam, quod proinde antiquitùs nuncupari cœpit *Lo scurolo*, in quam Ecclesiam ex Oratorio privato Domûs Trivultiæ, ubi hactenus fuerat, honorificè, prout par erat, transtulerunt, ac speciatim in Sacellum quoddam ejusdem Ecclesiæ ab eâdem Gente Trivultiâ ad hoc ibi pariter constructum Iconam illam, in quâ depicta conspicitur Imago B.V. media inter Imagines S. Sebastiani M. & S. Hieronymi (singulæ hæ tres Imagines sunt ad invicem discretæ) quæ S. Hieronymi Imago à perditissimo quodam homine juxta nares, & oculos lapide impetita sanguinem emisisse probabiliùs dicitur, sive sanguineas lachrymas spontè ex oculis, quemadmodum refert Gianius ad d. Annum, cujus sanguinis adhuc apparent vestigia, quamobrem venerationi maximæ semper fuit, & olim Trivultia Gens

Conv. S. M. Assumptionis de Locato.

Gaspar Trivultius Fundator.

Priori Sacello superior ædificatur Eccl.

quot-

quotannis in ejus honorem solemnia ibidem celebrare suis temporibus consuevit. Ut autem decentiori ritu, quàm fieri posset, utraque Imago coleretur, tum B. V. in loco Fontis subterraneo, tum S. Hieronymi in Ecclesiâ superiori, Hæredes præfati optimè consultum duxere totum hunc Locum Congregationi Servorum de Observantiâ possidendum, & honorificè colendum tradere, de quorum vitæ sanctitate laudabilis valde pervagabatur opinio, maximè verò PP. S. Dionysij de Mediolano. Hinc Sacellum, ac Domum liberè, & ritè resignavit Nicolaus præfatus die 30. Januarij 1533. & in Ecclesiæ, Sacelli, ac Domûs possessionem immissi fuere, nomine Congregationis recipientes PP. M. Hieronymus de Mandrisio, Genesius de Brixiâ, ac Paulus de Monticulo Definitor Generalis, cui potissimùm tribuitur, quòd Locus iste traditus Congregationi quidem Servorum, sed maximè PP. S. Dionysij de Mediolano fuerit, quippe qui apud S. Dionysium eo temporis commorabatur. De quibus omnibus habitum fuit pub. Instrumentum, de quo rog. legitur Aloysius Piolt nus pub. Notarius Mediolanensis die, & anno prædictis, quòd etiam anno 1540. die 26. Junij ratum habuit, & confirmavit Joannes Maria Tonrus Archidiaconus S.M. della Scala, & Vicarius Generalis D. Hippolyti Estensis Archiepiscopi Mediolanensis. Subinde PP. Domum, quam prædictus Nicolaus tenuerat, amplificare aliquomodo cœperunt, prout ex hujus Loci Diarijs colligimus. Potissimùm verò operam dedere augendo cultui utriusque Sacræ Imaginis, quas propterea certatim adire supplices consueverunt omnes, ijsque preciosa donaria offerre, Imagini præsertim B. V. *de Fonte* in loco subterraneo, quæ maximè miraculorum copiâ illustrior semper evasit; hisce quoque temporibus, quibus hæc scribimus, de quâ proinde nunc etiam sacri Oratores, & Apostolici Ministri in publicis Concionibus ad Populum habitis plura de laudibus venerandæ hujus Imaginis dixere, & ad augendam ejusdem venerationem verbo, & exemplo excitare singulos studuere. Siquidem anno 1717. Mense Julio labente nudi pedes eandem Imaginem adiere Sacrificium Missæ celebraturi ingenti Populi multitudine insequente, ibique magnam aquæ vim ex eo Fonte haustam consuetis ritibus benedixerût, adhibitâ quoque sacrâ quadam B.V. Reliquiâ eamque singulis distribuerunt, eo planè modo, quo alibi præstare idem solebant in Ecclesiâ Apostolico ministerio, sive missionibus designato, cui proinde Locum hunc nostrum præferendum censuere. Quo factum est, ut illicò è finitimis Regionibus huc processionaliter advenerint Parochi insequente eos innumerabili Populo, Cereos offerentes, missam solemniter canentes, quandoque verò à meridie utriusque sexûs Christifideles huc pariter certatim concurrere cœperint, modò

Traditur hic Locus Congr. Serv., et PP. S. Dionysij de Mediolano.

Imago B.V. de Fonte miraculis illustris.

coram prædictâ Imagine B. V. de Fonte laudes accommodatas cantantes, modò Canticum *Stabat Mater dolorosa* ante Imaginem ejusdem B.V. ejus dolores exprimentis in Ecclesiâ superiori provoluti. Ac reipsâ plurima recenseri possent miracula, plurima beneficia à B. V. ijs omnibus collata, qui Sacram hanc illius Imaginem supplices adiere, & aquam illius Fontis hausere, non omnia tamen in specie explorata fuerunt, licèt appareant Vota, & votivæ Tabellę, quædam solummodo Nobis innotuere, quæ in unum congesta ad annum 1712. referenda erunt. Interim sciendum est, quòd solemni pompâ præcæteris Festis, & maximâ Populi confluentiâ celebratur Festum Assumptionis B. M. V., quæ Titulus est Ecclesiæ, ac totam illam noctem piæ Mulieres exteræ vigilias agentes Deo, & Deiparæ Laudes jugiter ibidem canere olim potissimùm solebant.

Hoc eodem anno 1533. Senis in Etruriâ Mense Majo coactus fuit generalis PP. Conventus magnâ Fratrum, ac rerum affluentiâ, & non sine illius Reipublicæ munificentiâ, quam unà cum totâ Civitate, & Dominio Senensium luculentâ oratione laudavit, & ei gratias egit pro Ordine Servorum Magister Dominicus Docto Patavinus à Castro Franco, Vir moribus, & Doctrinâ undequaque refertus. In his Comitijs die 7. Maij omnium votis, & plausibili Civitatis favore rursus confirmatur in Priorem Generalem Hieronymus, qui in publico illo Gymnasio primariam S. Theologiæ Cathedram tenuerat. Confirmatur quoque Procurator in Romanâ Curiâ M. Dionysius Laurerius Beneventanus. At pius, & prudens Generalis Sacri Montis Senarij ruentis inspectâ ruinâ ex insolitâ terræ commotione, illam & lachrymis, & verbis coram PP. Capituli sic exorsus deploravit. *Vos scitis*, inquit, *PP. gravissimi, sacrum illum Senarium montem huic nostro cœtui sanctissima dedisse exordia, ex quo cum septem illi Florentinę nobilitatis praeclari Viri Divino nutu afflati huic nostro Ordini B. V. initium dederunt, Senarius Mons semper extitit eorum refugium, & receptaculum, qui disciplinam regularem summo studio sectari curaverunt. Nec vos quidem præterit montem illum tot sacris Beatorum nostrorum, quorum corpora ibi requiescunt, hostijs consecratum... Diutinâ pœnitentiâ B. P. N. Philippi non absque admirandi fontis testimonio decoratum. P. Antonij Senensis sanctis legibus, & multis Stupheæ Familiæ ædificiis denuo instauratum. Nuper verò ob nostra fortasse delicta concussum, & usque ad fundamenta exinanitum conspicitis, itaut jure optimo conqueri possimus, & deplorare, quòd capitis nostri corona ceciderit, quòd cuiuscunque perfectionem religiosam affectantis Asylum certè defecerit, quòd veræ, et tranquillæ observantiæ singulare Domicilium totius nostri Ordinis ad nihilum redactum sit. Quare*

Senis fiunt Comitia gener. Ordin. Serv.

Ruinam Montis Senarij deplorat Hieronymus Gener. coram PP. capitularibus.

non videtur in facie totius Ordinis silentio prætereundum hoc, quod nos magis urget de reparando Senario grave negotium, neque me oportere vos hortando multis verbis tædio afficere, quandoquidem res ipsa sese vobis jure optimo commendat. Verùm huic reparationi duo vehementer obsistere videntur, nimirum Ordinis paupertas, & totius Religionis dissensiones variæ, & plurimarum Congregationum jam tandem discissa membra, quando unaquæque sibi præcavens, & sua tantùm curare cupiens, de alienis parùm, aut nihil cogitat. Sed proh Deum immortalem! quis ex vobis sacrum illum Montem Senarium alienum, & non sibi proprium excogitare poterit? si enim quamcunque nostri Ordinis reformationem inspexerimus, quis vestrum non fateatur à Senario Monte processisse? Quis Senarium non confiteatur communem Domum eorum, qui religiosam vitam, ac solitariam piè, sanctéque ducere cupiunt? Causa igitur communis, ruináque communis, communi jugiter reparatione pro communi omnium salute indiget; nec quempiam huic nostræ hortationi adversari crediderim, qui universæ Familiæ nostri Ordinis adversari non censeatur. Ad vos igitur, Vicarium, & Commissarium, aliosque Præfectos, ad vos hujus Capituli Generalis Diffinitores orationem meam converto, quatenus ipsi prudentiâ vestrâ huic tam gravi jacturæ, & huic tantæ ruinæ nostræ vestro consilio occurratis. Neque vos deterreat, & ab hac instauratione retrahat publica omnium nostrum paupertas; aderit enim tam pio operi munificus Deus, aderunt Benefici, & necessarii nostri, aderit, quæ nunquam defuit gloriosa Virgo Patrona nostra. Unum tandem illud ob oculos propono, quòd sanctum hunc, quem gerimus, Habitum in Senario Monte gloriosâ Dei Matre largiente accepimus. cujus tanti beneficij sola memoria nos propemodū cogit, ut nisi ipsius sancti Loci reparationi occurramus magnæ ingratitudinis labem nequaquam subterfugere valeamus. His dictis consuluerunt PP. sacrum illum Montem pro hoc tempore PP. Annunciatæ de Florentiâ, donec aliter in posterum decerneretur, commendandum esse, ne ita demolitus, bestiarum incursibus pateret, neve pio cultu omnino destitueretur, sed paulatim pro viribus restitueretur, quòd longum post tempus contigit, ut suo loco dicendum superest. * Acta horum Comitiorum adnotavit Magister Nicolaus de Viteilis à Tipherno publicus Ordinis Cancellarius. Interfuit his Comitijs P. Laurentius Ursus de Placent à Vicarius Generalis Congregationis electus paulò ante in Capitulo Vincentiæ habito. Illud etiam in his comitijs contigit, ut Ecclesia illa Servorum universo astante Senatu, & ex publico ejusdem Consulto solemni ritu consecraretur sub Tit. SS. Conceptionis B.M.V. quod præstitit D. Hieronymus Piccolomineus Episcopus Pientinus die 18. Maij, quæ fuit Dominica, prout constat ex Inscriptione Portæ majori ejusdem Ecclesiæ superpositâ, sequentis tenoris.

Senarius Conv. Annunc. de Flor. commendatur.

**ad annū 1593. Cent. 4. l. 5. c. 8.*

Ordo Servorum Mariæ Sexennio ante Florentiæ institutus, Senensium
fovente pietate, in Parochia S. Clementis suas extendit Propagines
Anno MCCXXXIX. In quo BB.
Joachimus, & Franciscus nobiles
Cives, quorum sacra Lypsana publica hic veneratione colūtur, præcipuè floruerunt antiqua in Virginem peculiarem Patronam religione Respublica ingenti sumptu
augustam hanc Ædem extruxit
An. MDX Quam Dominus Hieronymus Piccolomineus Pientinus Episcopus quàm plurimis Prælatis, ac Magistratibus astantibus
Anno MDXXXIII. die XVIII.
Maij in honorē Deiparæ sine labe
conceptæ, cui Mysterio prima
hæc Civitas impendit in Italia observantiam, solemniritu consecravit. Novissimè Organis huc transportatis his ornamentis aucta An.
MDCCVIII. Quanta habes Lector uno in opere Senensis Populi
Pietatis in Virginem Argumenta.

Consecratur solemniter Eccl. Servor. de Senis.

Quæ planè Inscriptio loco alterius posita nuper fuit, quæ ibi minùs elegans videbatur. Item constat ex sequentibus verbis haud longè positis: *Illustrissimus, & Reverendissimus Hieronymus Piccolomineus Episcopus Pientiæ hanc Ecclesiam consecravit die* 18. *Maij* 1533. Longè meliùs tamen constat ex pub. instrumento, de quo rog. fuit D. Ventura Cioni de Luciniano Republicæ Senensis Cancellarius. Tunc verò Respublica illa voto se obstrinxit, ut singulis annis die Octavâ Conceptionis B. M.V. personaliter ipsam Ecclesiam visitaret, & Cereos albos ad bis centum usque Libras offerret, dum Sacrum de eodem Festo celebrarent solemniter Fratres, qui adhuc postridie officium solemne pro Benefactoribus defunctis persolverent, hisce conditionibus adiectis, & hinc inde acceptis. Quòd scilicet per octo dies continuos tum præcedentes, tum consequentes Festum Immaculatæ Conceptionis, nostræ hujus Ecclesiæ Campanæ ad vesperam solemni ritu pulsentur. Quod in

eâdem

eâdem Ecclesiâ per totam Octavam illius Festi Divina Officia de eodem duntaxat celebrentur. Quòd biduo ante Octavam ejusdem Festi Senatûs, ac Reipublicæ Tibicines tubis sonantibus eandem Ecclesiam adeant, prout in alijs Ecclesijs fieri consuevit. Quòd hujus Cœnobij Fratres die 6. infra Octavam Magnificos adeant, & Excelsos DD. necnon Magnificos DD. & Officiales de Baliâ, eosque invitent, ut die Octavâ ejusdem Festi invisere dignentur prædictam Ecclesiam. Quòd pridie Octavæ hujus diei horâ cōsuetâ ritu festivo pulsentur publici Palatij Cāpanæ, prout in pervigilio quorundā aliorum Festorum fieri mos est. Quòd sex saltem annos per publicum Præconem, jubentibus Capitaneo Populi, & Vexillifero S. Martini, ipsâ die Octavâ indicatur generale Justitium, idque in publicis Magistratuum Tabellis referatur.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex Monumentis eorundem Conventuum, & ex alijs in eodem Capite allegatis. Quæ verò spectatim de Civitate, & Conventu Cortonæ, non pauca desumuntur ex historiâ Cortonensi Jacobi Lauri; quæ item de Comitijs generalibus Senarum eruuntur ex certis monumentis, & Literis patentibus ibidem datis, necnon ex veteri Campione Pistorij conscripto per P. Sebastianum Vongescum, qui se Comitijs ijsdem interfuisse fatetur; ex quibus palàm est, quòd Comitia hæc habita fuere hoc anno 1533., non 1532. prout scripsit Poccianttus in Chronicou.]

De tribus alijs Provincijs, quibus hoc tertio sæculo auctus fuit ordo Servorum.

16 PRovincia Corsicæ anno 1465. quemadmodū dictum fuit lib. secundo c. 14. M. Deodatus de Januâ Episc. Ajacensis hujus Provinciæ fundamenta jecit, & primum Cœnobium ex vetere Cathedrali suæ Residentiæ fundavit, postquam aliò majorem Ædem transtulisset.

17 Provincia Istriæ ann. 1482. Christophorus Justinopolitanus, quò suam Patriam, & Insulas illas Dalmatiæ finitimas illustraret, & interim Ordinem suum per illas oras dilataret, in Comitijs Viterbij de Patrum consensu illam Provinciam à Marchiâ Tarvisinâ sejunctam declaravit, ut in lib. 3. cap. 21.

18 Provincia Januæ an. 1488. in Comitijs Generalibus Bononiæ habitis hæc Provincia, quæ jam suos fines inter Allobroges extenderat à Provincia Lombardiæ sejungitur, & per propium Præfectum administratur, qui in eisdem Comitijs fuit electus omniū prior M. Stephanus de Januâ, prout in præsenti Centuriâ lib. 4. cap. 7. Et hæc ad Dei laudem, Beatæque Virginis decus pro hac tertiâ Centuriâ dicta sufficiant.

BREVIS TERTIÆ CENTURIÆ CONCLUSIO.

Quarum igitur rerum per circuitus historicos tertium hoc nostræ Religionis sæculum varias complectatur periodos, hæc summa, hæc tandem sit absoluta conclusio; nimirum religiosum hunc Cœtum mutua Congregationis, & Ordinis æmulatione suos fines longè, latèque amplificasse; eminentium Theologorum doctrina (id maximè in Concilijs Basil. Florent. & denique Lateranensi) enituisse; Summorum Pontificum privilegijs, & Cardinalium Beneficentia parem gradum cum alijs præcipuis Ordinibus obtinuisse; Cœlicolarum numero, & sanctitate conspicuum magis, ac magis evasisse; Prælationibus varijs usque ad Cardinalitiam dignitatem præfulsisse. Verùm super hæc omnia Gloriosissimæ Dei Matris suæ Patronæ signis admirandis, ob varias ejusdem Imagines sacras, ubique in suis Ecclesijs expositas, protectum, fortunatumque fuisse. Eidem igitur Reginæ Cœli habendæ gratiæ, cujus patrocinio suorum Servorum res quæcunque hactenus secundæ extiterunt.

F I N I S.

CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ SACRORUM ANNALIUM ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS,

AUCTORE

F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Liber Primus.

CONTINENS AB ANNO MDXXXIII. USQUE AD MDXLVIII.



Defunctis Clemente VII Antonio Card. Protectore, necnon Viris quibusdam Illustribus nostri Ordinis Dionysius Laurerius Vicarius Generalis Apostolicus in locum Hieronymi Lucensis à Paulo III. sufficitur.

CAPUT PRIMUM.



Osteriore demum rerum A nostri Ordinis Servorum intercurrente seculo, ea perinde, quæ oculatâ fide pro majori parte conspeximus, ac superiora, quæ in aliorum testimonijs, nunc feliciori calamo pro veritate percurrere, Divino intercedente B præsidio, conabimur. Et ubi paulatim ingravescente ætate deficiunt vires, nihilominus suppetunt ea, quæ in Republicâ nostrâ quarto sui ævo clariorem in lucem prodierunt, ut quamvis caligantibus oculis mens ipsa recentium monumentorum ubertate referta ad scribendum sufficiat. Luctuosus in primis Ordini nostro occurrit obitus D. Antonij Card. de Monte, qui post 23. suæ Protectionis annû Romæ decubuit 12. Kal. Octobris hujus anni C 1533. Vir planè singularis ob eximiam in rebus agendis fidem, & excellentem Legum peritiam sub Tit. S. Vitalis in Senatorium Ordinem cum honore Pilei à Julio II. electus. In administrandâ verò, protegendâque Religione nostrâ, si ea, quæ gesta sunt ab anno 1510. usque ad præsens spectemus, nemini secundus. Illud autem circa hunc Protectorem animadversione dignum, quòd cum Antonius in Cardinalatu varijs Titulis potitus

Antonius de Monte Card. Protect. moritur.

A fuisset, non defuerunt ex Scriptoribus nostris, qui hujusmodi Titulorum varietate decepti, varios etiam ejusdem nominis Protectores in medium attulerunt. Quandoquidem ipse nunc Card. Papiensis, nunc S. Praxedis, modò Episcopus Card. Albanus, modò Sabinus, ac denique Tusculanus, Prænestinus, & Portuensis nuncupatus fuerit .1. Obijt etiam hoc eodem anno Pistorij D. La- B zarus Præfectus Hospitalis S. Desiderij Ordinis nostri Tertiarius, Vir pietate, & religione conspicuus, & in nostrâ Ecclesiâ tumulatus. Quo pariter tẽpore obijt M. Hieronymus de Mandrisio Francisco Sfortiæ Mediolanensium Duci ob eximias suas virtutes charissimus, cui luculentam expositionem, quam in primariâ Ecclesiâ explicaverat Psalmi 102. *Benedic Anima mea*, anno 1530. impressam Mediolani nuncupavit, & in Psal. *Qui habitat.* C D. Ludovico Madio Mediolanensi Patritio. Quo etiam anno opus egregium de necessitate eleemosynæ ad D. Hieronymum Panigarolam direxit. Sicuti D. Aloysio Trotto alium Tractatum de rerum contingentiâ, & infallibilitate scientiæ Dei dedicavit. Quæ omnia Mediolani impressa, habentur in Bibliothecâ Pisis à PP. Florentinis erectâ.

Moritur Lazarus Prefect. Hospit. S. Desid. Pistorij.

M. Hieronymus de Mandrisio Vir percelebris

Anno interea vertente 1534. cùm Summus Pontifex Clemens in gratiam Anglici Regis Thomam Cramer Sac. Theologiæ Professo-

rem,

rem, & ejusdem Regis à facris, atque pro eo in Urbe agentem in generalem Pœnitentiarium totius Angliæ præfecisset, ac proinde Cramer in Angliam reversus esset, multaque de Dionysio nostro Oratore in Curiâ Henrico retulisset; Rex Viri probitate, & virtute cognitâ ipsum Dionysium in locum Cramer Agentem apud Pontificem pro se designavit, & Clementi VII. per literas speciales Londini die 14. Martij datas valde commendat his præcipuis verbis .2.

M. Dionysius eligitur apud Pontific. Orator Regis Angliæ.

Cùm istbic adsit Venerabilis, ac Religiosus Vir F. Dionysius Ordinis S. M. Servorum Italus, Vir certè, ut ex nonnullis indicijs perspeximus, summâ probitate, ac virtutibus ornatus, & eximius S. Theologiæ Professor, imprimisque de Nobis benemerendi cupidus: Vestram Sanctitatem impensè rogamus, ut præfatum Officium vel in subrogationis modum, vel alio quopiam nomine præfato F. Dionysio in nostram gratiam conferre velit. Quâ in re V. Sanctitas hominem multis virtutibus decoratum exornabit, & Nobis rem gratam faciet, &c.

Ex quibus planè regijs verbis colligitur quantâ tunc in existimatione in Urbe haberetur Dionysius, tum quòd vir solertissimus esset, tum quòd Oratoris officio in Romanâ Curiâ pro nostro Ordine fungeretur, tum quòd S. Theologiam publicè eo in Gymnasio interpretaretur, tum etiam quòd à facris Alexandro Farnesio Cardin. seniori, antequam fieret Pontifex, multos annos inservisset summâ etiam virtute bis temporibus præstare videbatur adhuc juvenis M. Hieronymus Vigiola nobilis Placentinus, qui juxta consuetudinem illius ævi in nostro Cœnobio S. Hieronymi de Mestre à M. Dominico Docto viro præclaro, & Imperiali potestate insignito .3. Comes Palatinus inauguratus fuit cum facultate legitimandi, doctorandi, & cætera alia faciendi, ut perspicuum est ex eo privilegio ibidem dato die 12. Aprilis ejusdem Anni. Convenientes interim PP. Congregationis suum Capitulum celebrant Rohadi, in quo M. Joannes Baptista Calderinus de Veronâ creatus Vic. Generalis, nescio quâ ratione, infra annum fuit ab Officio absolutus, .4. in cujus deinde locum Casali Majore rursus coacti PP. elegerunt P. Joannem Paulum de Brixiâ .5. His quoque temporibus ad honorem Reginæ Cœli maximus in hoc Ordine vigebat fervor illarum Mulierum, quæ chlamydem, & Habitum ad ipsius honorem gestabant, quandoquidem uno in loco Pistorij quatuordecim deprehenduntur devotissimæ Fœminæ, quæ unâ simul die 20. Augusti consuetam Martini V. regulam voto solemni profitentur. Has non est inficiandum fuisse alumnas illius quondam B. Sororis Mariæ Francisci de Micheluccijs, quæ obierat ann. Dom. 1525. die 14. Aprilis feriâ sextâ Parasceves horâ 21. De hac præclarâ fœminâ referunt monuméta non conténenda, quòd præter virginitaté perpetuâ, præter assiduâ frequentiam in Ecclesiâ A nostrâ ad Horas Canonicas, maximũ de se sanctitatis exemplũ Pistoriensibus præbuisset, vitam austeram cum perpetuâ ferè pœnitentiâ duxisset, assiduis Dominicæ Passionis meditationibus intenta, cujus gratiâ meruit ad Cœlum evocari eâdem penè horâ Parasceves, quâ Dominus Jesus Christus in Cruce emisit Spiritum. Unde à nonnullis inter Beatas nostri Ordinis meruit jure optimo referri. Cujus Imago cum coronâ spinarum in capite, & reliquis Passionis instrumentis inter ulnas poterit delineari. Hoc eodem anno exortâ inter Priorem de Brixiâ, & Episcopum contentione circa curam Animarum S. Alexandri .6. Antonius Puccius Card. summus Pœnitentiarius, ex Summi Pontificis oraculo vivæ B vocis confirmat, & renovat veterem ejus facultatem eligendi unum, vel plures ex nostris Fratribus pro administratione Sacramentorũ illius Curæ. His per Cardin. Puccium concessis, non multò post Clemens Pontifex .7. duplici lætitiâ potitus, tum quòd Catharinam proneptem Laurentij Medicei junioris filiam regio connubio in Galliam locasset, tum quòd literas à Davide Æthiopum Rege pro suâ obedientiâ per Oratores recepisset, longo tandem, varioque morbo conflictatus Romæ in Vaticano vi. Kal. Octobris extremum diem clausit. Cujus Novendialibus de more vix persolutis, summâ omnium Cardinalium consensione Alexander Farnesius, in quo florebant explorata rerum gerendarum C prudentia, diuturnus Reipublicæ usus, & cum inveteratâ virtute multarum literarum cognitio præcellens, ad 7. Idus Octobris Pontifex cum consuetâ Cardinalium veneratione falutatus fuit .8. & Paulus III. nuncupatus, quemadmodum ipsi prædixerat antea Dionysius noster Laurerius rerum Mathematicarum peritissimus indagator; unde conservata diu in eum benevolentia valde hoc tempore excrevit, sicut paulò post *exitus probabit, & nos dicturi sumus. Non contemnenda interim dissensio contigit inter Superiores Ordinis ex unâ parte, & Congregationis ex alterâ; unde Hieronymus Generalis unà cum Dionysio Proc. Ordinis, & Joannes Paulus Vic. Congregationis cum Laurentio Urso de Placentiâ Commissario coram D. Protectore D nuper electo conveniunt pro controversijs illorum sedandis. Fuerat autem superioribus diebus Ordini nostro præfectus Protector D. Antonius Sanseverinus Neapolitanus Card. Tit. S. Susannæ, & Archiepiscopus Consent. à Clemente VII. anno 1527. creatus. Hic igitur præfatorum Patrum .9. perceptis controversijs die 23. Decembris per hanc sententiam utramque partem conciliavit. Nimirũ, quòd de cætero quandocunque oporteret Loca Congregationis per Generalem visitari; id ejus Generalis arbitrio non fieret, sed locus, & tempus visitandi reservarentur ipsi Protectori decernenda. Conquesti enim fuerant

Clem. VII. moritur, & Paulus III. creatur.

**ad annũ 1539. Cent. 4. l. 1. c. 5.*

Antonius Sanseverinus Cardin. Ordin. Protect. 21.

M. Hieronymus Vigiola creatur Comes Palatinus.

B. Maria Pistoriensis.

rant PP. Congregationis, quòd propter illas Generalis Visitationes multoties gravarentur expensis, & facinorosis eorum sępè daretur aditus perturbandi Congregationem, & ejus Superiores. Item statutum fuit, quòd Prior Judaicæ Venetiarum eligatur à Capitulo Cōgregationis, & ita canonicè electus à Priore Generali confirmetur, sicut Romæ aliàs coram D. Antonio de Monte prædecessore decretum fuerat. Et hæc supradictâ die cum subscriptione propriæ manûs D. Card. Protectoris. Videlicet, *Ita sententiamus Nos Antonius Card. de S. Severino Protect., & Arbiter manu propriâ.*

In Eccl. S. Annæ de Placentiâ trāsfertur Oratorium S. Rochi

[Duo item hoc anno 1534. recolenda nobis occurrunt. Primò quidem, quòd Placentinæ Urbis Proceres anno 1524. ad avertendam gravissimam luem, quâ Civitas illa premebatur, publico Voto die ultimâ Octobris decreverant novam Ecclesiam in magnâ Plateâ juxta publicum Palatium S. Rocho nuncupandam construere, cujus Patrocinium pluries jampridem experta fuerat ab an. usque 1522. Cùm autem hoc anno 1534. P. M. Gabriel Anguisciola Vir Ordinis nostri clarissimus Placentinus in Ecclesiâ Cathedrali plausibili omnium concursu Quadragesimales Conciones haberet, eloquentiâ, & auctoritate adeò valuit, ut Ecclesia præfata S. Rochi nondum completa solo æquaretur, & in Ecclesiam nostram S. Annæ cum omnibus Bonis suis, publico illius Senatûs Decreto solemni pompâ translatis novum ibidem Oratorium D. Rocho erigeretur, accedente quoque Pauli Papæ III. consensu, quo pariter instaurata fuit Ecclesia prædicta S. Annæ. Quæ sanè constant ex Libro Provisionum Communitatis Placentinæ DD. in ejusdem Archivo. Deinde Congregationi Servorum de Observantiâ Locus alter accedit, Ecclesia nimirum S. Mariæ dictæ *della Campagna*, latinè *de Campaneâ* Turris Pallavicinæ in Diœcesi Cremonensi.

Conv. S. Mariæ de Campaneâ.

Adalbertus enim Galeatij de Pallavicinis ex Marchionibus Calzanæ Inferioris die Lunæ 11. Maij hujus anni 1534. nomine suo, & aliorum Congregationi prædictæ donavit Ecclesiam Parochialem B. Mariæ dictæ *della Campagna*, cui antea præerat Guilielmus quidam de Pisonibus Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini, ut ibi novum suis FF. construeret Monasterium annuente Episcopo Diœcesano Cremonensi, recipientibus P. M. Fortunato de Brixiâ, & P. Placido pariter de Brixiâ nomine ejusdem Congregationis, cōditione hac adiectâ, quòd idem P. Placidus quandiu viveret Loci illius Prior esset, & Administrator perpetuus, eique curæ esset Cœnobium, & Ecclesiam ædificare sub Tit. Assumptionis B. M. V. de quibus omnibus habitum fuit publicum instrumentum, de quo rog. legitur Petrus Maria Sabloni die, & anno prædictis. Hæc autem executioni demum mandata fuere, & confirmata à D. Raynuccio Card. S. Angeli Julij Papæ III. summo Pœnitentiario auctoritate ejusdem Summi Pontificis vivæ vocis oraculo sibi collatâ, quemadmodum constat ex Literis patentibus, quæ in Pergameno servantur in Archivo nostro S. Alexandri de Brixiâ sub dat. Romæ 5. Kal. Decembris Pontificatûs Julij Papæ III. anno quinto, sive Domini 1554. quo pariter approbat concessionem hujusmodi, & insuper statuit eâdem auctoritate Apostolicâ, quòd ibi in Priores præfici solùm debeant Fratres ex Civitate, vel Diœcesi Brixiensi perpetuis futuris temporibus. Ex monumentis denique Conventûs Servorum de Venetijs, quæ egomet perspexi anno 1715. Mense Septembri, cognoscere licuit, quòd adhuc permanet Oratorium dictum *la Madonna de Miracoli* in eodem situ, quo construxere deinde Cœnobium, ibique B. V. Populi è varijs Regionis illius partibus adeuntes singulari veneratione prosequuntur.]

Hieronymus Lucen. ultro abdicat Generalatûs Officio.

Postremò Hieronymus Generalis varijs hinc inde contentionibus, querimonijs, calumnijs, & accusationibus apud novum Pontificem obrutus, ut aliorum tandem æmulationi cederet, & suæ quieti consuleret, Paulo Summo Pont. hortante .10. ad ipsius pedes Magistratum cum Sigillo post tot discriminarerum deposuit, quem idem Summus Pontifex habito personæ respectu honoris gratiâ Vicarium Generalem perpetuæ administrationis Conventûs Lucensis cum benedictione dimittens creavit, [prout constat ex sequentibus Literis, quæ servantur in Archivo nostro Lucensi, è quo transcribere ipsas licuit.

ANtonius Sanseverinus miseratione Divinâ Tit. S. M. Transtyberim Presbyter Cardinalis Dilecto in Christo Hieronymo Amadei de Lucâ Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ sub Regulâ S. Augustini professori salutem in Domino. Ex parte tuâ Nobis oblata petitio continebat, quòd aliàs Dionysius Laurerius d. Ordinis Prior Generalis cupiens tuæ quieti, & saluti, magisque Conventus Lucano d. Ordinis pro Officij sui debito consulere, te, qui habitationem d. Conventûs quieti, & studijs tuis peridoneam elegerat, in eodem Conventu vices suas gerentem cum omnimodâ auctoritate, potestate, & facultate suâ plenariâ, quoad viveres, deputavit, declaravit, & promulgavit, præcipiens, ac in virtute salutaris obedientiæ, & sub excommunicationis pœnâ mandans omnibus, & singulis Fratribus ibidem tunc habitantibus, & habitaturis etiam Prioratûs, seu Provincialatûs dignitate fulgentibus, ut tibi in omnibus promptissimum obsequium, & veram obedientiam exhiberent, & si secus facerent liceret tibi contra eos, tanquam contra rebelles, & inobedientes, ac excommunicationis vinculo innodatos procedere, ac quâ velles animadversione punire, invocato etiam si opus foret, auxilio brachij secularis, prout in ejus Literis patentibus manu suâ subscriptione consuetâ subscriptis, & sigilli sui Officij appensione munitis dicitur plenius

nius contineri. Cùm autem, sicut eadem subjungebat petitio, Tu cupias deputationem de te factam hujusmodi pro illius subsistentiâ firmiori Apostolicæ confirmationis munimine roborari, supplicari fecisti humiliter tibi super his per Sedem Apostolicam de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, deputationem, declarationem, & promulgationem vice-gerentis Prioris Generalis de Te factas hujusmodi, cum auctoritate, potestate, & facultatibus tibi per eundem Priorem Generalem, ut præmittitur, concessis, ipsius Prioris Generalis vitâ durante, ac quandiu ejus successor non reclamaverit, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, supplentes omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectûs, siqui forsan intervenerint in eisdem. Quocirca Discretis Viris Paulo Guidotio, & Josepho de Castiglioncello Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis in Foro Lucan. Canonicis, & eorũ cuilibet committimus, quatenus Tibi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant te deputatione, declaratione, promulgatione, & confirmatione, ac alijs præmissis pacificè frui, & gaudere; non permittentes, Te contra tenorem præsentium prædicti Ordinis Generalem, vel alios Commissarios, & religiosos, ac alios tam Ecclesiasticos, quàm seculares Judices, & personas cujuscunque statûs, gradûs, Ordinis, vel conditionis fuerint, & quacunque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate etiam Apostolicâ fungantur, in personâ, Bonis, rebusve alijs suis, ac in administratione personarum, & Bonorum d. Conventûs directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè, publicè, vel occultè, quovis quæsito colore, vel ingenio molestari, perturbari, aut aliàs quomodolibet inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac tam Provincialibus, quàm Synodalibus, dictorumque Conventûs, & Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ceterisque contrarijs quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Sigillo Officij Pœnitentiariæ 17. Kal. Februarij Pontificatûs D. Pauli Papæ III. Anno tertio, Dom. 1537.

Julius Cordelius.]

Is igitur ad tranquilliorem vitæ consuetudinem in Patriam suam, associante P. Sebastiano Vongesco de Pistorio, profectus fuit, à Senatu Lucensi honorificè exceptus. Advenerat annus 1535. quando supremo nostri Ordinis vacante Magistratu Paulus III. die 22. Januarij Dionysium ad Vaticanum coram se vocatum (hora erat 18.) Vicarium Generalem totius Ordinis 11. creavit usque ad futurum Cap. Generale, & proprijs manibus, quod præcipuum fuit benevolentiæ indicium, consueta Generalium Insignia, ut biretum in capite, sigillum, Constitutiones, &c. porrexit. Quibus peractis Dionysiu benedicens protulit verba illa Psalmographi: *A Domino factum est istud*. Quod Dionysius veluti oraculum recipiens pro subscriptionis tesserâ in obsignandis Literis patentibus semper usus fuit.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1 *EX Lib. memorab. Pistorij Q. pag. 272.*
2 *Habentur hæ Literæ inter monumenta S. Marcelli de Urbe.*
3 *Ex monumentis ejusdem Cõventûs de Mestre.*
4 *Pocciantius in Chronico.*
5 *Ex Monumentis Pistorij. L. R. pag. 221.*
6 *Breve Antonij Card. Puccij habetur in monum. Conv. Brixiæ.*
7. 8 *In Clemente VII. & Paulo III. Alphonsus Ciaconius.*
9 *Ex pergameno authentico Conventûs Brixiæ.*
10. 11 *Ex Poccianto in Chronico, & monum. F. Sebastiani de Pistorio.*

Comitijs apud Oppidum Butrij instauratis, Dionysius Laurerius 28. Generalis eligitur, & de Fratribus Galliæ per diploma reducendis agitur.

CAP. II.

POstquam David Æthiopum Imperator cum Helenâ aviâ Oratorem suum Zagam Zabum nobilem virum unà cum Eliâ Levitâ, & alijs religiosis, atque proceribus Romam misisset, qui nomine suorum Principum promptam Summo Põtifici exhiberet obedientiam, & Apostolicam communionem deprecaretur; affuit etiam ex Orientali Plagâ inter suos Aulicos P. Anastasius nostri Ordinis Indus, 1. Vir præclarus tribus ejusdem Habitûs comitibus associatus. Dum autem Æthiops Orator Romæ diversaretur, P. Anastasius visendæ, explorandæque in his partibus Servitanæ Religionis percupidus, Florentiam, Neapolim, Bononiam, Mediolanum, Venetias, & aliò hoc tempore peragravit, Comitijs Congreg. pluries adesse voluit, multaq; de Patribus nostris in Orientali plagâ à temporibus B. P. N. Philippi omnibus referebat. Cùm autem Dionysius Vic. Apostolicus apud Butrium Oppidum generalia Comitia indixisset, & jam illorum tempus instaret, facto omnium Patrum Conventu, adfuit etiam idem P. Anastasius, qui eo in senatorio ordine tanquam Vicarius Generalis Orientalium admissus ab eo Capitulo

P. Anastasius Indus.

Constitutiones PP. Orientaliũ F. Anastasio Iu do procurante approbātur.

tulo obtinuit, ut eorum Constitutiones probarentur, quemadmodum postea per Summ. E Pontificem fuerunt confirmatæ. Coacto igitur Comitio .2. tertio Kal. Maij centum tantummodo cum Provincialibus, & nonnullis Prioribus, gravioribusq; Patribus adfuerunt, qui suffragia in Capitulo ferrent. Quamvis Dionysius per Apostolicas literas ultrò sibi à Pontifice benignè oblatas ex Vicario Ordinis Prior Gener. declaratus fuisset, ille tamen ambitum, & favorem declinans bis coram Patribus Pontificio diplomati renunciavit, ut in priorem libertatem suam Religionem assereret: bis tamen unâ omnium voce, & suffragijs electus, acclamatusque fuit Prior Generalis, & a majoribus Patribus ejusdem Capituli certatim super sedem erectus, *Te Deum laudamus* Fratribus cantantibus, in F Ecclesiam delatus fuit. Ubi coram Patribus, & populo flendo rursus tertiò & diplomati, & Fratrum electioni renuntiavit omnibus interim vociferantibus: *Vivat Dionysius Gener. Vivat Dionysius Gen.* & confertim per manus osculum promptam ei obedientiam præstiterunt, veluti ex instrumento ejusmodi binæ electionis apertissimè constat. In Curiâ Romanâ eodem tempore Orator, & Procurator fuit electus M. Nicolaus .3. Schiavinus de Cæsena. Quatriduo durarunt gesta hujus Capituli, quo Butriensium charitas, & munificentia valde enituit, qui publicis, privatisq; commeatibus totum illud expensorum pondus summâ cum liberalitate sustinuerunt. Nec G defuit viceversa noster Ordo, quin per eos dies multa gratiarum signa suis doctrinis, orationibus, & sacrificijs Oppidum sæpè lustrando exhiberet. Nam quotidie conciones, quotidie disputationes, quotidie sacra solemnia, Divinaque officia musicorum concentu associata, confluente undique de Bononiâ, alijsque finitimis locis populorum turbâ multiplici. In his quoque Comitijs .4. per triginta quinque ex præstantioribus Magistris Constitutiones correctæ fuerunt, facto decreto, ut illarum approbatio ab Apostolicâ sede impetrari curaretur; Quemadmodum refert P. Sebast. Vongescus de Pistorio in suis monumentis, qui eidem Capitulo, uti Pistorij Prior, interfuit. Quibus etiam adfuisse ferunt pro H suâ Congregatione M. Joannem Baptistam Calderinum de Veronâ Vicar. Generalem. Insuper M. Angelus de Cruce Bonnniensis ab Andreâ Griti Serenissimo Venetiarum Duce per literas die 6. Aprilis plurimùm commendatus, quòd in primariâ Ecclesiâ D. Marci Divinum verbum tàm egregiè in præteritâ Quadragesimâ explicasset, ad instantiam illius Senatûs publico Capituli decreto Venetus Concionator iterum deputatur. Obtinuerat Dionysius Apost. literas à Paulo Tertio pro reducendis ad Ordinem Francigenis nostris, Angeli Aretini sui Magistri, & prædecessoris, qui hoc idem anno 1518. summâ diligentiâ tentaverat, exemplo permotus, quas

Dionysius 28. Gener. Ordin. Servor.

M. Angelus de Cruce Bonon.

in hoc Capitulo publicari jussit, quoscunque E ex nostris hortatus ad id operis, ut summo studio conarentur Gallos Fratres ad pristinum ovile reducere; ac proinde cognitâ M. Hieronymi Fantucci Bononiensis præstantiâ, & virtute, de consensu Capituli ipsum in Vicarium suum ad Francorum provincias per lit. pat. eodem in Capitulo datas .5. die 29. Aprilis per F. Antonium de Cortonâ, tunc Ordinis Cancellarium exaratas cum eodem Pontificio diplomate destinavit. Hæ verò Gallorum Fratrum Provinciæ hac nostrâ tempestate adhuc septem enumerantur .6. ex quibus quatuor nuper ad aures nostras pervenerunt, nempe Provincia Britanniæ, Normandiæ, Lotharingiæ, & Flandriæ. Ad has igitur Provincias P. Hieronymus ablegatur Apost. F literis sequentis tenoris .7.

Bulla Pauli III. pro reducēdis PP. Francigenis.

P*aulus Episcopus servus servorum Dei, Dilecto Filio F. Dionysio Laurerio Priori Generali Fratrum Servorum B.M.V. Ordinis S. Augustini sal. & Apost. benedictionem. Officij nostri debitum exigit, ut in ijs, qui vacantium sub regulari disciplinâ studio pro vitæ status solidatione. & ad normam debitæ reformationis, &c. Sanè pro parte tuâ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd nonnulli Priores, & Fratres de Domo Bigliet Parisiensium, & aliarum Civitatum. & locorum Regni Franciæ Fratrum Servorum B.M.V. Ordinis S. Augustini à certo tempore .... ut laxiorem observantiæ vitam faciliùs ducerent, à tuâ, & tuorum præ*G*decessorum Priorum Generalium dicti Ordinis obedientiâ, in quâ nomen, & robur Religionis consistunt, se subtraxerunt, & in Capitulis Generalibus ipsius Ord. prout juxta illius regularia instituta tenentur, per se, vel alios pro ejusdem Ordinis conservatione comparere hactenus non curaverunt, nec curant de præsenti in animarum suarum perniciem, eorũ monitis, qui de dicto Ordine probè sentiunt, obtemperare. Quare pro parte tuâ Nobis fuit humiliter supplicatum, ne membra à capite dissentiant, sed in eodem Ordine illius serventur regularia instituta, & pax, & concordia in omnibus debitè vigeant, super his opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Ordinis salutarem statum paterno zelantes affectu H hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & pro tempore existenti Generali dicti Ord. per vos vel alium, seu alias Ord. personas ..... quòd tu, & successores tui Priores Generales dicti Ord. qui pro tempore fuerint, duxeritis eligendos, ut singulas domos præfatas, tàm in capite, quàm in membris, & in spiritualibus, & temporalibus visitandi, & illorum Priores, & Fratres pro tempore existentes ad vestram, & dicti Ordinis obedientiam perducendi; & quæ pro conservatione Religionis, & felici, & prospero regimine salubri directione domorum, Priorum, & Fratrum prædictorum agnoveritis expedire, faciendi, & exercendi, domosque, Priores, & Fratres reformandi, corrigendi, &*

ad

ad regularem vivendi modum reducendi, necnon Priores, & alios Officiales dictarum domuum exigentibus demeritis ab illis amovendi, & illorum loco alios subrogandi, & promovendi, necnon constitutiones, & ordinationes, & statuta quæcunq; ab institutionibus regularibus ejusdem Ordinis aliena revocandi, cassandi, & annullandi; ac omnia, & singula alia, quæ tu, & successores tui deputati ad salubre regimen, & felicem statum dictarum domorum, Religionisque in ejus conservatione cognoveritis opportuna faciendi, contradictores quoslibet, & rebelles per quascumque, de quibus vobis videbitur, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam, si hoc opus fuerit, brachio seculari, plenam, & liberam auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, facultatem concedimus, & pariter indulgemus. Decernentes præmissa, & eorum singula per quasvis provocationes, seu appellationes suspendi, vel impediri non posse; neq; quoscunq; Judices, quâvis auctoritate Apostolicâ fungentes, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales sublatâ eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super ijs à quocunque, quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus charissimum in Christo filium nostrum Franciscum Francorum Regem Christianissimum, & alios Principes, ac universos, & singulos Archiepiscopos, & Episcopos, ac Ecclesiarum Prælatos, necnon Parisiensium, & aliorum Parlamentorum, etiam Curiarum ejusdem Regni pro tempore Præsidentes, Judices, & Consiliarios pro tempore existentes in Domino requirimus, & hortamur attentè, quatenus te, & successores, & deputatos præfatos ob probatæ sedis reverentiâ benigno affectu sincerè . . . . . . suscipiant, & vobis in præmissis suis sic favorabiliter benevolis assistant, quòd dictæ domûs in statu prospero, & felici successu salubriter valeant conservari. Non obstantibus fel. record. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, cum cavetur ne quis contra suam Civitatem, vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diœcesis ad judicium evocetur . . . . Nec Judices à Sede Apostol. deputati extra Civitatem, vel diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque producere, vel alijs vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate prædictâ, ad judicium non trahatur, & alijs Apostolicis . . . . . In provincialibus, & synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, ac consuetudinibus, privilegijs quoque, & indultis Apostolicis, in genere, & in specie sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam talibus, quòd illis nullatenus, aut nonnisi sub A *certis modo, & formâ, & solemnitatibus in eis expressis, derogari possit, concessis apostolicis, & innovatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, habentes, quoad præmissa specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo, &c. Datum, &c.*

In referendis autem Comitijs Congregationis hujus anni vehementer diffident Authores. Nam Poccianitus Romæ; Catalogus Vicariorum Generalium impressus, qui habetur in nostrâ Bibliothecâ PP. Flor. Pisis, Rohadi; D. verò Hippolytus Episcopus Montis B Pelusij in suis monumentis Venetiarum apud Forum Pompilij habita fuisse ferunt, in quibus Mag. Joannes Baptista Calderinus Veronensis eligitur Vic. Gener. quem infra annum suspensum fuisse, & denuò Romæ restitutum pro sequenti anno affirmant, ebullientibus semper inter Patres Congreg. controversijs, quibus postea Scriptores coguntur sæpe in varias sententias prolabi.

[Eodem anno 1535. Paulus Papa III. Priori Generali totius Ordinis Servorum eo temporis Dionysio Laurerio facultatem contulit visitandi, ac reformandi Monasteria Congregationis Servorum de Observantiâ, quemadmodum patet ex Apostolicis Literis sequentibus, quæ servantur Pisis in Bibliothecâ nostrâ C Patrum Florentinorum.

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili Sal. & Apost. Ben. Meditatio cordis nostri hoc potissimùm complectitur, ut personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium status ubique floreat, & salubriter dirigatur. Dilectus Filius Noster Antonius Tit. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Card. tui Ordinis Protector Nobis exposuit, quòd postquam alias inter Priorem, & Vicariû Generalem Congregationis ejusdem Ordinis tunc existentes orta fuerat differentia, an liceret Priori Generali pro tempore existenti d. Ordinis Monasteria, & Domos d. Congregationis, D *quando sibi placeret, visitare: tandem de consensu tunc Prioris, & Vicarij, necnon Procuratoris Ordinis, & Congregationis ejusmodi in Romanâ Curiâ tunc existentium, differentia hujusmodi in Protectorem tunc existentem d. Ordinis fuit compromissa; qui servatis servandis, audítisque plenè partibus, quòd, quando, tunc, & pro tempore existenti Protectori d. Ordinis videretur expedire, liceret Priori Generali d. Ordinis Monasteria, & Domos Fratrum, & Monialium d. Congregationis tam in capite, quàm in membris visitare, per suum Laudum declaravit, quod deinde ab utraque parte emologatum, & approbatum fuit. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, Congregatio prædicta reforma-*

Paulus Papa III. confert Generali Laurerio facult. visitandi, & reformandi Monast. Congr. de Obs. Ordin. Serv.

formatione, & correctione ad præsens non modicum indigeat, & ex aliquibus argumentis, & conjecturis dubitetur, Te non facile ad munus hujusmodi admissum iri, propterea que Tu Provinciam hanc suscipere deneges, pro parte d. Antonij Card. & Protectoris asserentis se cupere, ut officio suo satisfaciat, omnino Congregationem prædictam, ac ipsius Monasteria, & Domos visitari, ac in capite, & in membris, ubi opus fuerit, reformari, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem, & Congregationem hujusmodi ob uberes, quos in Vineâ Domini peperit, & assiduè parit fructûs, in visceribus gerimus Charitatis, volentes, ne morbus hujusmodi ulteriùs serpat, quantùm in Nobis est, occurrere; Tibi per præsentes in virtute salutaris obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus ad Domos, & Monasteria etiam Monialium d. Congregationis accedens, & solum Deum, & Animarum salutem præ oculis habens, Domos, & Monasteria ipsa in capite, & in membris visites, & quæ pro felici, & prospero Domorum, & Monasteriorum eorundem regimine, & salubri directione, reformatione, & correctione indigere cognoveris, reformes, corrigas, & emendes. Nos enim Tibi illorum Priores, Abbatissas, & alios Superiores, quos ad eorum Officia minùs idoneos repereris, amovendi, & destituendi, ac alias ejusdem Congregationis personas loco illorum subrogandi, & substituendi, ac inobedientes, & contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendi, necnon Censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, & auxilium brachij secularis, si opus fuerit, invocandi, & generaliter omnia alia, & singula, quæ pro salubri, & prospero statu, & regimine Domorum, & Monasteriorum eorundem ad Dei laudem, & gloriam, ac Divini cultûs augmentum, Tibi necessaria videbuntur, seu quomodolibet opportuna, faciendi, statuendi, & ordinandi, plenam, & liberam auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium facultatem concedimus; ac quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Mandantes omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus d. Ordinis, ut Tibi in concernentibus præmissa, etiam tanquam Cõmissario nostro pareant, & obediant; Legatisque, Vicelegatis, Gubernatoribus, & quibusvis alijs Officialibus Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum Nobis, & S. Romanæ Ecclesiæ subiectorum, ut circa hæc Tibi faveant, & assistant. Principes autem seculares, ac Communitates, & Universitates Nobis, & d. Ecclesiæ non subjectas hortantes, & in Domino requirentes, ut similiter in ijs, quæ ad reformationem, & correctionem hujusmodi spectant, favores, & opportuna auxilia præbeant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Domorum, & Monasteriorũ,

E necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, ut Tu liberiùs officium visitationis, & reformationis, ac correctionis hujusmodi ad effectum perducere valeas, quòd tam Vicarij, quàm aliorum Congregationis prædictæ Superiorum officium, suo officio hujusmodi durante, quoad ea, quæ Te in præmissis, & circa ea impedire possent, suspensum sit, & esse censeatur.

Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 17. Augusti 1535. Pont. nostri anno primo.

A tergo Laurerio Generali

Fabius Vigil.

Itidem Patribus nostris de Utino sequens
F Indultum concessit.

PAulus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis Filijs Priori, & Fratribus Domûs B. M. Gratiarum de Utino Ord. Serv. B. M. sub regulâ S. Augustini Aquileiensis Diœcesis Sal. & Apost. Benedictionem.

Cùm à Nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti Filij vestris justis postulationibus grato occurrentes assensu, omnes libertates, Indulgentias, & Immunitates à fel. rec. Innocentio IV. & Xixto etiam IV. Bonifacio VIII. & Innocentio VIII. ac alijs Prædecessoribus nostris Ro-
G *manis Pontificibus, sive per Privilegia, Indulgentias, & alia Indulta Vobis, Ordini, & Domus vestræ concessa, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & à Principibus, ac alijs Christifidelibus vobis, Ordini, & Domus vestræ auctoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Paulus III. confirmat Conventui de Utino, & toti Ordini omnia Privilegia prædecessorũ.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1535. Tertio Idus Decembris, Pontificatûs nostri secundo.]

H

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 EX Chronologiâ Genebrardi, necnon monumen. Conv. Venet. & Pocciantij.
2 Poccіant. in Chron.
3. 4 Ex monum. Conv. S. Marcelli de Urbe.
5 Ex monum. Conv. Bononiæ.
6 Ex relationibus P. Gregorij Alasiæ, quas ex Provinc. Marsiliæ accepit.
7 Exemplar transumptum fuit ex Bibliothecâ Pisanâ Patrum Florentinorum.

Dio.

Dionysius Generalis à Paulo III. Nuncius ad Jacobum Scotiæ Regem mittitur.
C A P. III.

A INtercedente anno 1536. Dionysius Gener. pro suo obeundo munere Provincialia Capitula edixerat aliquo solemni ritu per totum Ordinem habenda, de quibus libeat modò in exemplum adducere Comitia trium Provinciarum simul in Burgo S. Sepulchri in ferijs Pentecostes, ideſt Sabbatho, ac tribus sequentibus diebus Festis celebrata .1. Nam illuc præmiserat Athanasium Floren. virum eloquentissimum pro Quadragesimali concione in eâ Cathedrali habendâ, cujus plausibili gratiâ permoti Biturgienses B publico decreto statuerant omne trium capitulorum simul Etruriæ, Patrimonij, & Romandiolæ impendium publico penu sustinere; ac insuper omnibus Fratrum necessitatibus per suas vices tam in providendis, adaptandisq; dapibus, quàm in Symposijs adesse, inservire toto illo integro capituli quatriduo perdurante, adeò ut nullus Fratrum in his, quæ ad cubiculum, ad triclinium, & alia hujusmodi necessaria spectarent, ullo modo gravarentur, pijs viris secularibus cujusdam nostræ Societatis vicissim ad singula paratis. Patres verò tot beneficijs excitati non defuerunt ex alterâ parte ingentes Biturgiensibus gratias pro suo munere ostendere, disputando, concionando, orando, & quod maximum videri potuit, Urbem lustrando. Nam processionem solemni ritu celebrarunt, in C quâ præter ingentem Fratrum numerum pias Beatorum, Beatarumque nostrarum imagines, cum tympanis, & Paramentis, & musico ornatu adeò pompaticè præsetulerunt, ut tota illa Civitas in hujus Ordinis amorem, & benevolentiam magis, ac magis confirmaretur, cujus rei gratiâ idem M. Athanasius veluti tot beneficiorum Auctor Etruriæ Præfectus in suis Comitijs declaratus fuit. Ingruentibus interim magis, & tanquam virulenta peste inficientibus catholicorum mentes Lutheri erroribus, Carolus Imperator Christianæ religionis miseratus, Romæ cum Summo Pont. Paulo magnopere egit de reparandâ .2. Catholicâ Fide. Quare simul convenerunt de D indicendo Oecumenico Concilio. Paulus igitur sui officij non oblitus ad majores Europæ Principes, & Potentatûs varios Legatos, & Nuncios destinavit; inter eos verò Dionysium Generalem nostrum ad Jacobum Stuardum Scotiæ Regem .3. Apostolicum Oratorem legavit, quemadmodum indicant commissoriales literæ apud S. Petrû Romæ datæ die 12. Octobris. Amabat plurimùm Dionysius contribulem, & affinem suum .4. M. Augustinum Falivenam Gephonensem, qui Salernitanus nuncupabatur, tùm ob religionis probitatem, tùm quòd summâ eruditione in omni scientiarum genere præstaret. Ipsum igitur Romam accerserat, ut A in Æde S. Laurentij in Damaso plausibiles conciones haberet, & interim domesticum gymnasium S. Marcelli Præceptor regeret. Quæ dum Augustinus egregiè prosequeretur, Paulus Sum. Pont. designavit in colligendis nuper indictis Ecclesiasticis decimis ejus operâ uti, ac perinde ipsum constituit exactorem ipsarum, & Apost. Cameræ Thesaurarium in toto Neapolitano Regno, ubi Augustinus naviter, & summâ fide eo functus munere, ab eodem Pont. gratitudinis gratiâ Episcopus Capreensis, & Enariensis creatus fuit, & eò libentiùs Pont. concessit, quòd virtutem, & bonitatem ipsius longo experimento, ut aperto Dionysij testimonio, didicisset. Hic est enim Augustinus ille, qui tanquam B germen ex stipite præclarissimo M. Eusebij Granitæ Gephonensis prodijt. Nam M. Eusebius, prout affirmat Pocciant. in Chron., eodem in Episcopatu præcesserat à Julio II. eidem Ecclesiæ Capreensi præfectus ann. Dom. 1501. Iturus tandem Dionysius ad Regem Scotiæ habuit in speciali mandato, ut quocunque illum transire oportuisset, Respublicas, & Principes quoslibet Pontificis nomine ad publicam pacem, & ad Turcarum superbiam confringendam, necnon ad futurum Concilium adhortaretur. Quare cùm primùm .5. Florentiam pervenisset, Alexandrum Medicem illius Reipub. Ducem, & strenuum Juvenem in suam sententiam facilè adduxit, cùm præsertim Caroli V. Imperatoris Soceri sui, nedum Pontificis unam, eandem- C que mentem esse comperisset. Non defuit etiam his diebus Cœnobium Annunc. de Fl. pro sui officij munere visitare, & sacratissimâ Annunciatæ Imaginem venerari, donec die 9. Novembris Bononiam versùs discessit, & præcipuos in itinere Conventus usque Mediolanum invisit. Dum autem Augustæ Taurinorum eadem officia Pontificis nomine cum eo Duce persolveret, nova à Summo Pont. .6. diplomata sequentis tenoris accepit.

Munificentia Burgentium in cap. Provinc.

M. Aug. Falivena de Gephono Romæ Concionatur.

August. Gephon. exactor Papæ, et Episcop. Capreensis.

Bulla Pauli III. pro Dionysio Oratore ad Regem Scotiæ.

P*Aulus Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio Dionysio Laurerio Magistro Ge-* D *nerali Ord. Servorum B. M. ad charissimum in Christo filium Nostrum Jacobum Scotorum Regem Illustrem nostro, & Apostolicæ Sedis Nuncio, salutem, & Apostolicam benedict. Cùm Nos nuper te ad charissimum in Christo filium Nostrum Jacobum Scotorum Regem Illustrem pro nonnullis Reipublicæ Christianæ, ac Nostris, & Apostolicæ Sedis negocijs Nostrum, & Apostolicæ sedis Nuncium duxerimus destinandum, Nos cupientes ut erga personas in Regno Scotiæ, & alijs dominijs præfato Jacobo Regi subjectis residentes, ac familiares tuos continuè commensales te possis reddere gratiosum, Discretioni tuæ, de quâ in his, & alijs specialem in Do-*

mino

mino fiduciam obtinemus, omnes facultates quibusvis Apostolicâ auctoritate concessas, ante omnia præsentibus durantibus suspendendo causas quaslibet ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, tam civiles, quàm criminales, personas exemptas, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectas concernentes, necnon appellationum quarumcunque etiam in quavis instantiâ, quibusvis Judicibus per Sedem Apostolicam delegatis, vel præfatæ Sedi immediatè subiectis interpositarum, ac pro tempore donec in Regno, & Dominijs prædictis permanseris interponendarum summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figurâ Judicij, solâ facti veritate inspectâ, cum potestate citandi, & inhibendi, ac sequestrandi, & exequendi etiam per edictū publicum constituto summariè, & extrajudicialiter de non tuto accessu, etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis, etiam pecuniarijs tuo, vel tuorum Delegatorum arbitrio moderandis, exigendis, & applicandis, per te cognoscendas, & fine debito terminandas, delegandi, illosque ab eis quibus per Nos, aut te commissæ fuerint cum tibi placuerit ad te advocandi, & alijs etiam similiter committendi, ac adversus quascunque sententias, & res judicatas, ac contractus, & læsiones quascumque dictis tuis familiaribus in integrum restitutionem, prout juris fuerit, concedendi. Quodque ad Subdiaconatûs in tertiodecimo, ad Diaconatûs in decimo octavo eorum ætatis annis constituti, ad Presbyteratus verò Ordines, si seculares quamprimùm vigesimum tertium; si verò Regulares fuerint, quàm primùm vigesimum secundum dictæ ætatis annū attigerint, & tam ipsi, quàm quicunque alij in ætate legitimâ constituti, & arctati promoveri volentes ad omnes Ordines prædictos etiam extra tempora à jure statuta quibusvis diebus Dominicis, vel festivis, & prout necessitas exegerit; & si Nobiles aut graduati etiam ad duos ex Ordinibus prædictis eodem die promoveri, ac cum quibusvis personis in Regno, & dominijs prædictis constitutis in Quarto etiam Duplici, Triplici, & Quadruplici, aut simili Quarto, ac etiam Tertio simul Consanguinitatis, vel Affinitatis Gradibus impeditis, ac impedimento publicæ honestatis, justitiæ, & cognatione spirituali coniunctis, dummodò inter levantem, & levatum non agatur, ut inter se matrimonialiter copulari, ac in contractis per eos matrimonijs etiam scienter eosdem contrahentes ab hujusmodi excessu, ac censuris, & pœnis, quas propterea incurrerint, absolvēdo, remanere possint, prolem susceptam, ac suscipiendam legitimam decernendo. Et tam cum eis, quàm cum quibusvis alijs, ut matrimonium etiam temporibus à jure prohibitis, & solemnitatibus in his requisitis non servatis, ac bannis ad id solitis non editis, aliàs tamen licitè contrahere liberè, & licitè possint, & valeant, dispensandi. Ac quibuscunque, qui Presbyteri Nobiles, aut graduati, seu in dignitate Ecclesiasticâ constituti, aut alicuius Cathedralis Ecclesiæ Canonici fuerint, seu aliàs hujusmodi gratiâ tuo arbitrio digni fuerint, ut liceat eis habere Altare portatile

E *cum debitis reverentiâ, & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis, sine alieni juris præjudicio, ac cùm qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequam illucesset dies circa tamen diurnam lucem, ita quòd eis, nec Sacerdoti ibi celebranti ad culpam nequeat imputari. Et cùm ad loca quæcunque interdicto Ecclesiastico ordinariâ, & si concessio Dominis temporalibus fiat etiam Apostolicâ auctoritate supposita eos contigerit declinare, in illis clausis januis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissâ voce possint etiam per seipsos, si Ecclesiastici, & ad Presbyteratûs Ordines promoti fuerint ritè, aut per proprium, vel alium Sacerdotem Missas, & alia Divina officia in suâ, & familiariū suorum domesticorum præsentiâ cele-*

F *brare, & celebrari facere, dummodo illi, vel ipsi causam non dederint interdicto, nec id ipsis, vel illis contigerit specialiter interdici. Proviso etiam, quòd parcè hujusmodi concessione ante diem celebrandi, & celebrari faciendi utantur, quia cùm in Altaris ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce. Quodque dictis interdicti tempore decedentium cadavera, etiam cum funerali pompâ gradui defunctis condecenti Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ. Ac quibuscumque personis, ut Confessorem, seu Confessores idoneos eligere possint, qui eos, & eorum quemlibet juxta formam in Quinterno Cancellariæ annotatam, & si Domini temporales, Ter; si verò ex eis descendentes fuerint, Bis; alij verò semel in vi-*

G *tâ, & in mortis articulo ab omnibus, & singulis casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptis contentis in Bullâ, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, absolvere, ipsisque Dominis temporalibus similiter Ter, & ex eis descendentibus Bis, alijs verò semel in vitâ plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissionem concedere valeant, indulgendi. Omnibusque, & singulis Christifidelibus, ut unam, vel duas Ecclesias, aut unum, vel duo Altaria in partibus, ubi illos pro tempore residere contigerit, Quadragesimalibus, & alijs temporibus, & diebus Stationum Urbis visitando; & si Domini temporales, aut aliàs impediti fuerint Ter orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam in eorum Camerâ devotè recitando tot, & similes indulgentias, & peccatorum remissiones conse-*

H *quuntur, quas consequerentur, si singulis diebus easdem singulas dictæ Urbis, & extra eam Basilicas, & Ecclesias personaliter visitarent. Quodq; horas canonicas diurnas, pariter & nocturnas, etiam cum uno, vel duobus socijs per eos eligendis secundùm usum Rom. Curiæ, & juxta Breviarium in eâ noviter impressum, dicere, & recitare valeant, facultatem concedendi. Quodque quilibet Sacerdos, aut Religiosus Ecclesiastica Sacramenta, præterquam quoad diem Paschæ Resurrectionis Dominicæ Eucharistiam, etiam tempore interdicti, ministrare*

valeat,

valeat, jure parochialis Ecclesiæ, & cujusvis alterius semper salvâ consuetudine. A *Ac quibuscunque mulieribus, ut quæcunque Monasteria, & domos Monialium quarumcunque, etiam regularis observantiæ exempta, & non exempta quomodocunq; reclusa, etiam S. Claræ cum aliquibus usq; ad numerum octo, si Dominorum temporalium filiæ, aut uxores fuerint, Octies; si verò aliàs nobiles fuerint cum sex, Sexies; cum aliis autem cum Quatuor honestis mulieribus Quater in Anno de consensu eorum, qui dictis Monasteriis, & domibus præfuerint, dummodò ibidem non pernoctent, devotionis causâ ingredi valeant. Ac quibusvis personis utriusq; sexûs, quæ vota aliqua emiserint, ut earum Rector, vel Confessor ipsa vota, dummodò de visitatione ultramarinâ, aut liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, aut S. Jacobi in Compostellâ aut Religionis, seu Castitatis votis non* B *agatur, in alia pietatis opera commutare, & tam eis, quàm quibuscunque personis Ecclesiasticis etiam Religiosis, etiam Mendicantibus de suorum Superiorum licentiâ, quæ zelo devotionis accensæ sepulcrum Dominicum, & alia pia loca, & Oratoria Terræ Sanctæ desiderarent personaliter visitare, ut quibuscunq; prohibitionibus Apostolicis in contrarium factis non obstantibus, sepulcrum, & alia loca prædicta visitare, & in locis, in quibus usus olei non est, ut absque alicujus; ubi verò usus olei habetur, si de Dominis tēporalibus agatur, & similiter absque alicujus: si autem de aliis nobilibus agatur, ut de utriusque medici consilio butyro, caseo, & aliis lacticiniis, carnibus verò ipsi Domini temporales de alterius, alii verò de utriusque medici consilio* C *vesci liberè, & licitè valeant, indulgendi. Quodque hi, quibus indultum hujusmodi concedetur, dictis lacticiniis diebus jejunii vescendo, perinde ipsius jejunii meritum consequantur, ac si ab ipsis lacticiniis abstinuissent, similiter indulgendi. Ac quoscunque, qui reatum perjurii incurrerint, aut simoniam in Ordinibus, aut Beneficiis Ecclesiasticis commiserint ab his, & ab omnibus casibus dictæ Sedi reservatis, exceptis contentis in dictâ Bullâ, in foro conscientiæ, & quoad iuramentum, etiam in foro fori, sine alicujus præjudicio absolvendi. Ac quoscunque per saltum, vel furtivè, vel ante legitimam ætatem ad aliquos sacros Ordines promotos,* D *ab excessu, quem propterea incurrerint, ita tamen quòd ætatem legitimam non habentes, donec eam habuerint, ab Ordinum suorum executione abstineant, etiam absolvendi, & ut ad alios, ad quos promoti non essent, aliàs ritè promoveri liberè, & licitè possint, dispensandi. Ac quibuscunque, qui in Clericos, vel Prælatos, citra tamen membri mutilationem, & mortem, manus violentas temerè injecissent, ab excommunicationis sententiâ, quam propterea incurrerint, si hoc humiliter petierint, etiam qui tempore bellorum rapinas, sortilegia, furta, & alia mala perpetraverint, debitâ satisfactione prævia, & etiam illos, qui horas canonicas omiserint, & debito tempore non recitaverint, aut inadver-*

tenter dixerint, & qui id omiserint cujuscunq; A *qualitatis, ordinis, & conditionis fuerint, ab excessibus, & omissione hujusmodi respectivè absolvendi. Ac super irregularitate quacunque, præterquam homicidii voluntarii, aut bigamiæ, etiam per sententiam, etiam sanguinis, & ultimi supplicii inde secuti, aut mutilatione membrorū contractâ, ad omnes etiam sacros Ordines, citra tamen Altaris ministerium, & ad dignitates, & ad beneficia Ecclesiastica cum curâ & sine curâ quæcunque, quotcunque, & qualiacunque se invicem compatibilia, aliàs canonicè conferenda, dispensandi, omnemque inhabilitatis, aut infamiæ maculam, sive notam, etiam inde contractam, penitus abolendi. Ac quascunque Ecclesias, Monasteria, Domos, Universitates, Collegia, & Pia loca quæcunque exempta, &* B *Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, & etiam non exempta, si sibi etiam extrajudicialiter de Ordinariorum negligentiâ constiterit, per te, vel alium, seu alios idoneos, visitandi, & quæ ex eis correctione, & emendatione tum in spiritualibus, quàm temporalibus indigere cognoveris, tam in capite, quàm in membris, reformandi, prout secundùm Deum, & Canonicas Sanctiones, & regularum suarum instituta noveris expedire. Postremò quoad forum conscientiæ, quæ major Pœnitentiarius Noster in Romanâ Curiâ ex speciali, vel aliâ sibi concessâ facultate quomodolibet facere potest, & solitus est. Necnon omnia, & singula, quæ Legati de latere, etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales de jure, vel consuetudine facere, & exercere possunt, &* C *quæ in præmissis, & circa ea necessaria essent, seu quomodolibet opportuna, faciendi, mandandi, ordinandi, exercendi, & decretandi per te, vel alium, seu alios, Apostolicâ authoritate, tenore præsentium concedimus facultatem. Decernentes te omnibus, & singulis facultatibus prædictis in quibuscunque Partibus, Regnis, & Provinciis, Terris, Communitatibus, & locis prædictis, ac aliis, ad quæ te declinare, ac etiam morari contigerit, & cum personis illorum, ac familiarium tuorum liberè uti posse. Nec teneri in concessionibus per te vigore præsentium faciendis ad præsentium in toto, vel in parte insertionem, vel ipsæ concessiones sub prætextu non insertionis hujusmodi invalidæ censeantur, aut modo aliquo impugnari possint. Non obstan-* D *tibus prædictis, ac quibusvis Apostolicis, & provincialibus, & synodalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, statutis quoq. & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ac quibusvis privilegiis, & indultis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus quorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris literis mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunq;. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca, ad quæ fortè necesse esset deferri, volumus, & decernimus, quòd earum transumptis manu publici Notarii sub-*

subscriptis, et tuo, vel alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, et ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1536. pridie Idus Novembris. Pontificatûs nostri Anno 3.

Locus Plumbi

C. Jacobatius.

Intereà Dionysius Generalis jam in magnâ Britanniam pervenerat ad Regem, qui in aulâ Edimburgi illum honorificè exceptum, & commissa sibi à Port. referentem in publico conventu cum suis Proceribus, & Oratoribus audivit, & cunctis Pontificis mandatis promptam se exhibiturum obedientiam pollicitus fuit. Pervenerant tursus ann. 1537. ad Dionysium recentiores Pontificis literæ .7. Romæ datæ die 23. Novemb. elapsi anni, in quibus specialis, & amplissima sibi dabatur facultas visitandi, corrigendi, & reformandi Monasteria quæcunque, & Ecclesias, tàm fœminarum, quàm virorum, tàm claustralium, quàm secularium Clericorum; quæ res eò magis Jacobo Regi grata fuit, quàm opportunè delata. Cùm enim Henricus Angliæ Rex Catholicam fidem, & Romani Pontificis obedientiam penitus abrogasset in suo Regno, pius, & religiosus Rex Jacobus finitimorum errores declinare, & suum Regnum in consuetâ Pontificis obedientiâ confirmare cupiens, ab Ecclesiasticorum reformatione futura mala per opportunitatem Dionysij Apostol. Nuncij tunc præcavenda esse curavit. Hæc dum in Regno Scotiæ per Dionysium Nuncium agerentur, P. Basilius Cilenius è Cretensi præfecturâ in Italiam reversus .8. B. Franciscam Cretensem nostri Ordinis Alumnam ad Cœlum fublatam hoc anno retulit, de cujus gestis nihil ulterius præter nomen ad aures nostras pervênit. Quo autem in loco celebraverint hoc anno sua Comitia, & quem sibi præfecerint Vicarium Patres de Congreg. non est satis tutum referre, controvertentibus qui ea scripserunt; nam Pocciant. apud Forum Livij M. Abundium de Clusono Præfectum refert. Catalogus verò Vicariorum Gen. impressus, coacto Romæ Capitulo M. Joannem Baptistam Calderinum Vic. Gen. rursus confirmatum asserit.

Dionysi. nuncius Gen. Apost. apud Jacobum Scotiæ Regem, cū plenâ facultate Legati de latere.

B. Francisca Cretēsis moritur.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

1 *Singula hæc ex relationibus in veteri Campione F. Sebastiani Vongesthi de Pistorio.*
2 *Alphonsus Ciacconius in Paulo Tertio.*
3 *Singula de Dionysij Scoticâ Legatione ex monum. D. Marcelli de Urbe.*
4 *Ex Pocciant. et monum. Conv. Sieti.*
5 *Ex Diarijs expens. Conv. Flor.*
6. 7 *Originale harum Bullarum habetur in monumentis Sancti Marcelli de Urbe.*
8 *Ex Campione Rhegij.*

NOTÆ.

[*Eusebius Granita, de quo hîc numer. 4. ab Ughello Ital. Sac. ex Actis consistorialibus dicitur electus Episcopus Capreensis, non ab Julio II. anno 1501. sicut hîc dicitur, vitio fortè Typographi, quòd Julius creatus Summus Pontifex fuerit nonnisi anno 1503. Kal. Novembris, sed à Leone X. anno 1514. & obijt anno 1528.*]

Dionysius à Legatione in Italiam reversus, Bulla Leonis X. in Apostatas confirmationem à Paulo III. obtinet.

CAP. IV.

Ne aliquid detrimenti ex absentiâ Capitis pateretur noster Ordo, Dionysius Generalis suum Vicarium pro toto Ordine de consensu Card. Protectoris, & Summ. Pontificis jam præfecerat M. Nicolaum Schiavinum de Cæsenâ Oratorem, & Procuratorem in Curiâ. Hic itaque, seu Pontificis jussu, seu quavis aliâ opportunitate cogente .1. Generalia Comitia Romæ hoc tempore habenda esse per M. Thomam de Bononiâ nuper Cancellarium delectum edixerat, in quibus quid gestum sit monumenta non referunt. Illud fortè arbitrandum, quod ebullientibus mag's Lutheri erroribus, quòd instante Regularium, & Secularium Clericorum publicâ reformatione, super quâ Pontifex jam quatuor S.R.E. Cardinales elegerat, super his quoque in eo Capitulo Generali specialis haberetur de reformando Ordine consultatio, & præsertim de revocandis Apostatis. Intervenerant etiam his Comitijs PP. Christophorus de Fulgineo, & Sebastianus de Alexandriâ viri admodum religiosi, & Lateranensis Basilicæ Pœnitentiarij. Affuit etiam Vic.Gen.Congregationis, sivè is fuerit M. Abundius, sive, ut alij malunt, M. Theodorus Caprianus de Mantuâ, quorū alter apud Forumlivij, alter apud Forum Pōpilij creatus fertur, valde nutantibus inter hæc tempora, qui Congregationis gesta tàm variè conscripserunt. Humanam his diebus vitam reliquit M. Jacobus .2. Baptistæ Florentinus die 8. Februarij sacræ Theologiæ Magister, & Poeta insignis, qui multos cecinit rythmos etrusco carmine in laudem B. M. V. Annunciatæ, & aliorum Sanctorum, & festivitatum per annum, quos Patres nostri usq; ad nostra tempora consueverunt statutis diebus super Organa canere; is etiam etrusco carmine composuit gesta B. P. N. Philippi, & Chorum Annunciatæ sedibus, & marmoreo strato Baccio Angeli Architecto exornavit. Vertente autem anno 1538. Dionysius Nuncius ad Caletum Portum per triremes eo consilio advehitur, ut Bullam Pontificis pro nostris

M. Nicolaus Schiavinus Vic. Ge. totius ordinis.

Cap. Ge. Romæ.

Christophorus de Fulgineo, et Sebastianus de Alexādriâ Pœnitētiarij Lateranen.

M. Jacobus Baptista Florent. moritur.

ftris Fratribus in Galliâ ad obedientiam alliciendis omni conatu exequeretur. Quod an fibi ex fententiâ contigerit exitus demonftravit, quando eorum inveterata obftinatio hortationibus Superiorum noftrorum perpetuò obftitit. Optimus tamen Pater infracti animi rem profecutus, quod per fe ipfum eo in itinere efficere non potuit, fuo tamen Vicario in illis partibus mandavit, ut totis viribus exequi curaret. Ipfe verò in Italiam citato curfu ad Pontificem reverfus eft. Ad cujus pedes fingula, quæ pro votis cum Jacobo Rege contigiffent enarravit, & deinde quæ fibi per itinera Galliæ cum Fratribus evenifſent vehementer conqueftus fuit, & quomodo Fratres illi tàm inverecundè Apoftolicis literis, & fuis blandis hortationibus refiftere aufi fuiffent, oporteretq; de cætero illos arctiori vinculo ad priftinam obedientiam trahere. Quare Pontifex indignatus cum Niceam ad fines Italiæ perrexiffet Bullam fel. record. Leonis X. in Apoftatas Fratres renovavit, & per fequẽs diploma rurfus ei robur adjecit.3.

PAULUS PAPA III.

Bulla Leonis X. à Paulo 3. in Apoftatas renovatur

Dilecte fili falutem, & Apoftolicam benedictionem. Alias à fel. rec. Leone Papa X. prædeceffore Noftro emanarunt literæ tunc Priori Generali Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ fub Regulâ Sancti Auguftini directæ, tenoris fubfequentis; à tergo videlicet Dilecto filio Generali Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ fub regulâ Sancti Auguftini, intus verò Leo Papa X. Dilecte fili falutem, & apoftolicam benedictionem. In fupernæ dignitatis fpeculâ, &c. (*Hæc Bulla habetur Cent. 3. fub anno 1516.*)

Ut autem præmiffa eò firmiora fint, quo fuerint majori patrocinio munita, literas prædictas, & fingula in eis contenta, authoritate Apoftolicâ tenore præfentium confirmamus, & approbamus; ac præfentis fcripti patrocinio communimus, eafque inviolabiliter obfervari, & juxta earum tenorem per quofcunq; judices, et commiffarios quâcunque authoritate fungentes fublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et diffiniri debere decernimus. Non obftantibus conftitutionibus, et ordinationibus Apoftolicis, ac omnibus illis quæ dictus Leo in eifdem literis fuis voluit non obftare; Cæterifq; contrariis quibufcunq;

Datum in Domo Sanctæ Crucis extra Muros Nicien. fub annulo pifcatoris die IV. *Iunii.* MDXXXVIII. *Pontificatûs noftri Anno Quarto.*

Fabius Vigil.

Has vero literas Dionyfius Generalis ad fuum Vicarium Galliæ tranfmifit, ut Parlamento, & Regijs Confiliarijs apud Lutetiam Parifiorum confultis in noftri Ordinis Servorum Fratres illarum Provinciarum folemni ritu evulgari faceret, cogeretque Regali brachio, ut prorfus ad priftinam redirent obedientiam. Quamobrem Vicarius Generalis celeriter Parifios advolavit, Apoftolicas literas Parlamento obtulit, & facultate cum publicis figillis, & Regiâ fubfcriptione obtentâ, rem intrepido animo aggreffus fuit; fed omnis ejus conatus, obfiftentibus illis, evanuit.

Obitus, & Laudes Bernardini Mannelli de Senis

[Hifce temporibus recolendus occurrit obitus Bernardini Mannelli inter Alumnos Cœnobij noftri Senenfis celeberrimi, quem fanctitate maximè venerandum alterum ex Ordinis noftri Beatis referebant ejufdem Cœnobij monumenta. Inde enim accepimus, quòd Virum hunc tum ob excellentiam fanctitatis, tum ob rerum gerendarum peritiam Refpublica illa Senenfis in gravioribus negocijs pluries adhibuerat. Quòd cùm Sacrum faceret in extafim raptus, & à terrâ in fublime elatus quàmfæpiffimè deprehenfus fuerit, quâ de re optimè confultum putarunt Ordinis noftri Majores, quòd nonnifi claufis Ecclefiæ Foribus, & antequam dies illucefceret Miffam celebraret. Die tandem 12. Septembris anno 1536. piè obdormivit in Domino. Poftmodum verò in Ecclefiâ noftrâ de Senis die 28. ejufdem Menfis, & Anni honorificentiffimè eidem parentarunt Patres, quibus exequijs interfuit etiam Theologorum illius Urbis Univerfitas, & funebrem de ejus laudibus Orationem habuit P. M. Joannes Salvatoris de Luciniano noftri pariter Ordinis, cujus rei monumentum apparet etiam in Libro Univerfitatis ejufdem fignato lit. A. pag. 81. ubi hæc legimus. *Die 28. Septembris 1536. habita fuit in Ecclefiâ Servorum funebris Oratio in honorem R. P. Bernardini de Mannellis Ord. Serv. qui cùm fanctiffimè in Religione, & extra vixiffet, ac miraculis nonnullis claruiffet, tandem Paradifum à Deo vocatus afcendit die 12. prædicti Menfis; ejus encomia celebravit R.P.M. Joannes Salvatoris de Luciniano ejufdem Ordinis præfente toto Collegio DD. Theologorum.* His adnectere lubet fequens elogium, quod de eodem Bernardino habuit P. Joannes Baptifta Andreoni Societatis Jefu.

Bernardinus
E nobili Mannelliorum Familiâ Senenfis
Civis
Antiquâ Generis nobilitate
Clarus,
Spectabili fapientiæ prærogativâ
Clarior
Infigni Religionis, ac pietatis ftudio
Clariffimus.
Certum futuræ omen gloriæ fufcepit in
Nomine.
Bernardini Civis, & Cognominis fui virtutum,
ut nominis hæres
Cautiùs tanti amplitudinem Patrimonij
fervaturus,

Laxioris vitę divitias pariter, ac delicias
Detrimentum fecit,
Nempe,
Ut cum fænore Christum faceret lucri
Matrem cum illo elegit sibi Virginem maximam,
Dum illius Familię nomen dedit,
Tunc veræ Serenissimę Filius lucis,
Cum obscurâ sacrarum Vestium nube
Apparuit obumbratus.
Ut lucis proinde Filius ambulans,
Virtutum undique suarum splendore diffuso,
Suorum in se Civium
oculos traxit.
Ad quorum enixè petentium preces inclinato,
Moderatorum imperio
E' sacro Fratrum Choro in Forum eductus est
Ibi vel è Cœlo Consul Patrię destinatus,
Quę devocaverat è Cœlo
Consilia passim
aperiebat;
Illius Patrię Pater acclamatus, cuius paulò ante
Filius extiterat,
Seculo maior versabatur in seculo,
Solus nunquam, semper solus,
Quippe qui vel in hominū frequentiâ solitudinē
Ædificaverat sibi, eóque
Illum evocabat, qui in solitudine loquitur
ad cor.
Unus cum Deo Spiritus extirpatâ penitus
mortalitate
Nullo deprimente corporis pondere
Rapiebatur in Deum,
Ut iam Terra suum ignoraret, quē toties in Cœlū
Tolli sentiebat.
Sic Cœli municeps eò ante diem properabat,
Æternę futurus adhuc vivens Incola Civitatis,
Sic
Terrę Peregrinus, & Advena, illam
Anxius Civitatem quærebat,
Quam stabilem noverat,
Ac permanentem,
Cuius tamen ille studij Arbitros non habiturus
Clausis Templi foribus noctu ad Aras
operabatur,
Clauso nempe orabat ostio, ut unus orantem
Videret Pater,
A' quo uno mercedem operis expectabat,
Futurus illius Cœnæ Conviva, quam
Requies consequitur sempiterna.
Somni modicus, & quietis, nocte concubiâ
Ad epulū festinabat, quo divinitate saginabatur.
Ornatâ quippe vigil excubabat Lampade,
Ut venturo statim assurgeret Domino,
Et intraret ad nuptias.
Ante solem surgebat è Lectulo Manna
Dulcissimum excepturus
è Cœlo.
Tunicâ expoliatus, & calceis ad Sponsi vocem
Induebat sese, ut cuius cincinni guttis
Noctium aspersi erant, facilis
Esset aditus in Thalamum
Cordis.
Quamquā quid surrecturus solem expectaret, cui
Sol qui nescit occasum, noctu
Diem ferebat longè clarissimum!
E *Quidni ante lucem disceret, cui Ros Lucis*
Cadebat è Cœlo!
Sic Cœlestis miles, Alexandri
Arctiora somni, quàm noctis
Habebat tempora;
Ante Auroram
Cum Divino luctaturus Athleta in Arenam
descendebat.
Spectaculum Cœlo factus, solo Deo spectatore
Contentus.
Quo uno Aurorâ jam æternitatis ascendente
Coronatus est Judice,
Quo uno triumphavit annuente,
Cœlumque triumphanti Capitolium fuit.
Disce Lector
Qui Deo contentus spectatore pugnat,
F *Ipse coronat triumphantem*
Deus.

Eodem anno 1536. acquisitus censeri potest Locus quidam in Communitate Toscanellæ prope Cornetum, cui Titulus erat *S. Mariæ de Ulivâ*, cujus originem cæteroqui ignoramus. Quòd autem verè extiterit, compertum est ex Diarijs Conventûs nostri S. Mariæ in Viâ de Urbe, cui fuerat aliquando unitus, ibi enim legimus Loci illius Priorem; legimus etiam quòd Alexander Card. Farnesius Ordinis nostri Protector, & Viterbij Legatus Imposuerat Communitati prædictæ Toscanellæ pecunias quasdam hujus Loci Patribus solvendas pro ejusdem instauratione.
G Locum hunc re verâ adhuc Ordo noster tenebat anno 1592. verùm ipsum deseruere Patres ob inclementiam aeris in eâ regione notissimam, quem tamen successivè inhabitasse dicuntur Ordinis Jesuatorum Patres. Ob eandem rationem anno 1608. Locum illum deseruere Parres, quem in Regione maritimâ Senarum adepti fuerant in Oppido Mallliani anno prædicto 1536. cui Titulus erat *S. Mariæ Gratiarum*. Eodem pariter anno 1536. PP. D. Annunciatæ de Florentiâ Loci cujusdam possessionem adiere in Territorio, & Diœcesi Pisarum, cui Titulus est *S. Mariæ Castelli de Cascinâ*. Sciendum itaque est, quòd Nicolaus, Petrinus, & Bartoluccius Fratres filij q. Oliverij Caprona in Communitate S. Bene-
H dicti Pisarum Venerabilem quandam Dei Genitricis Imaginem in proprijs Ædibus diu tenuerant miraculis etiam illustrem, quā deferendam sponte curarunt in Oratorium S. Petri de Castello prope Cascinam, dignitati ejusdem, & majori venerationi consulere volentes, quod reipsâ consecuti fuere, illuc enim confluere statim undequaque cœperunt Populi B. Virginem veneraturi, & ejus opem imploraturi, quam adeò sibi propitiam indies experti fuere, ut nomen inditum eidem Sacræ Imagini fuerit S. Mariæ Gratiarum. Quin etiam optimè consultum putarunt Fratres prædicti Capronâ necnon Operarij Societatis illius S. Petri Sacram ipsam Imaginem,

Conv. S. M. de Ulivâ Toscanellæ.

Conv. S. M. Gratiarum Malliani deseritur.

Conv. S. Mariæ Castelli de Cascinâ.

ginem, & Oratorium perpetuò commendare PP. D. Annunciatæ de Florentiâ, qui proinde P. Fabianum Florentinum olim Antonij Joannis eò statim misère cum mandatis ad locum illum recipiendum, quem subinde recepit die 12. Augusti 1536. habito pub. Instrumento, de quo rog. fuit Ser Philippus olim Ser Petri de S. Cassiano Civis, & Notarius Pisanus, & Instrumentum hoc asservatur in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ. Fabianus autem administrandum hunc locum diligenter suscepit, & Societatem illam quàmmaximè fovit, quæ proinde consequentibus temporibus non mediocre sibi cōparavit incrementum. Præcipuum Festum ibidem colitur Fer. 2. Pentecostes, quotidie tamen eò fit Piorum Christifidelium concursus.

Ædificatur nova Ecclesia Monialium Cōceptionis de Ferrariâ, & solemniter consecratur.

Cùm Ecclesia Monialium Ordinis nostri sub Tit. Conceptionis de Ferrariâ, de quâ ad annum 1499. inelegans esset, & informis, Hercules II. Ferrariæ Dux pijs satisfacere .4. cupiens precibus Sororis Lauræ Bordnchiæ ejusdem Monasterij Præfectæ in ampliorem, & elegantiorem formam hisce temporibus eandem redigendam curavit, primum lapidē ipsemet ponens præsentibus Hippolyto Cardinali, & Francisco Fratribus illius germanis, quam deinde completam ritu solemni consecravit die 27. Maij anni 1537. Festo SS. Trinitatis, necnon Aram principem die 6. proximè sequentis Junij D. . . . . . Episcopus . . . . . . de Castro Bononiensi eò temporis Suffraganeus Joannis Cardinalis Salviati de Florent: à Civitatis illius Episcopi. Die autem 24. ejusdem Junij translata solemniter, & honorificentissimè fuit à veteri ad recentiorem Ecclesiam sacra B. Virginis Imago, accedente jugiter Ducis ejusdem ope, qui Moniales prædictas indefinenter protexit, quod etiam constat ex inscriptione literis aureis impressâ super ejusdem Ecclesiæ Foribus, etsi nunc aliquantulum obliteratâ.

Illustr. Herculi Duci IIII. qui fuit, est, & erit . . . . auxilio, & protectione, totiusque Populi subventione. MDLXXXV.

Conv. S. Mariæ de Laureto apud Varisium.

Ad annum hunc 1538. referre juvat Conventum S. Mariæ de Laureto prope Varisium in Ditione Mediolanensi, licèt quo tempore, quove modo præcisè Ordini nostro accesserit, atque fundatus fuerit reperire adhuc minimè potuerimus. Compertissimum tamen est, quòd hoc anno 1538. die 10. Decembris perpetuum hujus Loci administratorem constituère P. Blasium de Mazza Vallis Tellinæ PP. Cœnobij S. Hieronymi de Como, cujus Alumnus erat Blasius, & membrum erat hic locus; æquum enim, & rationi maximè con-

sentaneū erat eidem loco perpetuò præficere
A Blasium, cujus operâ, & industriâ excitatus à fundamentis fuerat, quem etiam Dionysius Laurerius Generalis in Capitulo Provinciali Lombardiæ apud Scandianum celebrato in eo munere confirmavit. Blasio autem vitâ functo P. Paulum de Varisio Virum maximè laudabilem perpetuum ejusdem Loci administratorem elegit, assentientibus etiam Patribus de Como successor Augustinus, qui Locum hunc adhuc à Conventu de Como, cui hactenus unitus fuerat, exemit, & liberum esse declaravit, prout patet ex ejusdem Regesto pag. 171.]

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

B 1 *Quicquid Poccian. de hoc Capitulo Gen. monum. Conv. Flor. & S. Marcelli de Urbe affirmant Romæ celebratū fuisse.*

2 *Poccian. in Chron. ad ann. 1536. & clariùs Diaria expensarum Conventûs Florentiæ.*

3 *Hujus Bullæ originale cum sigillis regijs Parlamenti Parisiorum habetur inter monum. Conv. S. Marcelli.*

4 *Ex Marco Ant. Guarinio ubi de Eccl. Ferrariæ.*

Dum Paulus Tertius in gratiam Dionysii, quem Cardinalem creavit, dimidiam decimarum partem Ordini nostro remittit, in Terrâ Bastani miraculum grande occurrit. CAP. V.

C Interea Pontifex maximis curis gravatus ob classem in Turcas parandam, cogitur hoc tempore decimas Ecclesiasticis imponere. Quare Dionysius Generalis supplex ostensâ maximâ Ordinis nostri mendicitate, ab ingenuo, & munifico Pontifice per sequentes literas facilè potuit obtinere, ut dimidia tantum decimarum pars à Religiune solveretur, ut constat per sequentes has literas Apostolicas sibi directas.

PAULUS PAPA III.

Indultū Pauli III. circa decimarum solutionem.

Dilecti filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm nuper pro Sedis Apostolicæ
D *urgentibus necessitatibus duas Decimas omnium, & singulorum fructuum, reddituum, & proventuum secundùm communem valorem quorumlibet, Monasteriorum, seu Domorum, Fratrum quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium ex privilegio Apostolico, vel alios certos reddit⁹ habentium imposuerimus. Nos, ut liberiùs Divinis beneplacitis vacare possitis, rerum vestrarum statui paternè prospicere, & necessitatibus vestris, de quibus plenè informati sumus, quantùm cum Deo possumus, dilecti præsertim filij Dionysii Generalis vestri qui apud Nos super hoc institit, in hac parte supplicationibus inclinati. Vobis, quòd ratione quorumcunque Monasteriorum, seu Domorum vestri Ordinis, tam*

impositas prædictas, quàm in futurum imponendas Decimas, nonnisi pro illis fructibus, qui deductis septem Ducatis auri pro quolibet fratre in eisdem domibus existentibus superfuerint, solvere teneamini, & ad alios solvendum minimè compelli, nec propterea aliquibus censuris innodari possitis authoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes sub indignationis nostræ pœnâ omnibus & singulis dictarum Decimarum commissarijs, collectoribus, & subcollectoribus nunc, & pro tempore deputatis, ne vos, aut vestrûm aliquem ad aliquam solutionem, seu contributionem hujusmodi contra tenorem præsentium quomodolibet cogere, aut vos desuper molestare præsumant. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis literis super Decimarum hujusmodi impositionibus emanatis, & pro tempore emanandis, necnon per illas eisdem Commissarijs, & collectoribus pro tempore concessis facultatibus, quæ adversus vos contra tenorē præsentium nullatenus suffragari volumus. cæterisque contrarijs quibuscunq; . Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu notarij publici subscriptis, & Sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XVI. Julij MDXXXVIIII. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

Blosius.

Universis, & singulis præsens transumptum inspecturis: Nos Ascanius Parisanus Episcop. Arimeni. S.D.N. Papæ Generalis Thesaurarius. Universitati vestræ notum facimus, & attestamur, quatenus literas originales S. in Christo Patris, & D. N. D. Pauli Papæ III. in formâ Brevis, sub annulo Piscatoris, præimpressi tenoris; Pro parte Reverendi Patris Fratris Dionysij Laurerij Ordinis Servorum Generalis nobis exhibitas, sanas, integras, authenticas, non vitiatas, omnique prorsus vitio, & suspicione carentes: vidimus, & diligenter inspeximus, ac coram Nobis per Notarium infrascriptum collationari, & auscultari audivimus cum præimpresso exemplo, Quod cùm per omnia ipsis originalibus concordari reperiretur. ad ejus ubique fidem faciendam per modum authentici transumpti, Authoritatem Nostram pariter, & decretum interposuimus, ac sigillo Nostro muniri mandavimus. Actum, & datum Romæ in domo Nostræ solitæ residentiæ die XVIII. Julij. MDXXXVIIII. Pontificatûs ejusdem Sanctissimi D. N. Anno V.

Aug. Bonni: Curiæ causarum Cam. Apost. Notar.

Hoc eodem anno Patres de Congreg. apud Forum Julij conventum habentes .1. P. M. Theodorum Caprianum de Mantuâ rursus in suum Vic. generalem confirmant. Interea onere tandem legationis per Generalem deposito, ad ea, quæ Religionis nostræ erant Dionysius solerter animum appulit; & in dictis Comitijs provincialibus .2. Ariminum pervênit, ubi tria simul Provinciarum Capitula pridie Kal. Maij eâdem solemnitate, & modo, quo priùs Burgi habita fuissent, celebravit; quorum magnitudine, & famâ plures scriptores comitia Generalia fuisse, & non Provincialia commenti fuerunt. Hoc unum exploratum habetur, quòd altera trium prædictarum provinciarum fuit Etruria, cui præfectus est M. Zacharias Faldossius de Flor. Prior Provincialis, ut ex lit. pat. suæ approbationis ibi datis apertissimè constat; actum est in his Capitulis, & in singulis alijs totius Ordinis de sac. à Eremo Baineorum S. P. N. Philippi ad Tuniatum vetustate ferè collapsâ, publico Religionis censu restituendâ .3. atque ob id decretum, ut unaquæque Provincia summam illam pecuniæ ad id persolveret, quam singulis annis suis Provincialibus dare consueverant. Curâ reficiendi locum datâ P. Joanni Baptistæ de Aretio, qui tunc erat Prior Politiani, ut cum ijs de pago Campiliæ Tuniati ageret, ut & ipsi ad hanc loci restaurationem publicis votis, & expensis convenirent. Interea P. F. Anselmus Gradenicus Venerus Vicarius Gener. eligitur in Capitulo Sermeti congregato. Circa hæc tēpora in terrâ Bassani magno in honore habebatur gloriosæ Virg. Image in Ecclesiâ nostrâ, quæ iure optimo nuncupabatur *S. Maria Gratiarum*, cujus meritis summo præstante Deo pluta miracula, & favores præcipui in dies subsequebantur: inter hæc verò obstupendum quid, & supra humani intellectûs captum, quod accidit, non est silentio prætereundum. Nam miles quidam .4. de Sossis unâ tantummodo nuptiarum nocte, cum uxore concumbens in militiam proficisci cogitur: nono interim à suo discessu prætereunte mense uxor masculum ex eo peperit. Reversus igitur è prælio coniux, & irâ, ac furore percitus, quòd puerum ex adulterio concretum suspicaretur, evaginato gladio uxorem cum filio in lecto cubantem, ut enecaret, invadit: Uxor verò in tàm repentino casu *S. Mariæ Gratiarum* innocentiam suam voto commendavit, quò repente factum est, ut infans decem dierum propriam manum pro scuto obijciens, & gladij cuspidem fortiter retinens, solutisque linguæ vinculis (mirabile dictu) talibus verbis furentem hominem alloqueretur: *Eja Pater noli innoxiam occidere uxorem. filius enim tuus sum, quem sine labe, & absque tui offensâ ex te uno genuit pura Mater.* Quibus verbis, & gestis commotus Pater iram in summam benevolentiam, & coniugalem amorem convertit, filium amplexatus, qui Laurentius dicebatur tanto Dei munere cumulatus, ut etiam martyrii coronâ adhuc puer decorari meruisset. Constat enim Bassani ab impijs Judæis raptum puerum, & in

De admirandâ Imagine B.M.V. Bassani.

in Castro Marostici Vicentinæ Diœcesis, in Christianæ Fidei contemptum varijs tormentis afflictum, & gladijs trucidatum fuisse, quem nefarij illi saxorum tumulo cùm abscondissent, finitimi quidam varia lumina noctu circa tumulum observantes, multis vulneribus confossum repererunt, atque in Ecclesiâ Fratrum Minorum de Observantiâ honorificè tumulari curaverunt, qui usque ad hanc diem tanquam B. Martyr ibi colitur. Tabulam prædicti miraculi Bassani in nostrâ Ecclesiâ conspeximus, in quâ hi characteres suppositi legebantur B. L. S. quorum interpretationem ab incolis accepimus in hæc verba *Beatus Laurentius Soffius*. Multa alia in eodem Delubro, veluti Reginæ trophæa, votorum, & tabularum hujusmodi vidimus, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus, quando hoc unum sufficiat. Commendanda etiam his temporibus occurrit B.Magdalena .5.tertij Ordinis nostri Soror Theutonica, de quâ præter nomen nihil aliud colligere possumus.

B.Magdalena Teutonica.

Adveniente mense Decembri Paulus Summ. Pontif. cognitâ Dionysij sapientiâ, & virtute, cognitâ fide, & morum præstantiâ, ac in rebus gerendis prudentiâ, quod sibi diù pollicitus fuerat, in quatuor temporibus Adventûs in Purpuratorum numerum cooptavit. Ferunt enim Paulum in minoribus .6. plurimum in Mathematicis oblectatum, & ob hanc causam Dionysij rerum mathematicarum stud.osissimi necessitudine, & conversatione per successivas horas delectatum: nam Dionysius plures annos à sacris et Theologus inservierat, & quod supererat otiandi tempus, in mathematicis speculationibus secum insumpserat. Cumque Dionysius aliquando ei futurum Pontificatum prædixisset, Paulû, qui tunc Alexander vocabatur, blandè complexatum fuisse Dionysium, & rubro bireto sibi dempto caput illius exornasse, pollicendo, quod demum re ipsâ hoc tempore adimplevit. Ad quem etiam specialis honoris gratiâ per Petrum Aloysium Farnesium Parmæ, & Placentiæ Ducem rubeum biretum 14. Kal. Januarij post quartam noctis horam misit, & tit. S. Marcelli Cardinalem nuncupavit, & insuper Archiepiscopali Urbini infulâ, honestoque commeatu ad conservandam dignitatem, donavit.

Dionysius Gen. à Paulo III. Cardin.inauguratur

[Hoc eodem anno 1539. ob ingentia Bella inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum I. Galliarum Regem D. Ferrantes Gonzaga Militiæ Præfectus necessitate compulsus funditùs evertit Cœnobium nostrum S. Catharinæ de Civitate Astensi ab Anno usque 1263. ædificatum, & Ordini nostro concessum, de quo satis ad d. Annum; quod anno deinde 1285. Generalis Lotheringus perficiendum curaverat, qui proinde ex communi Ordinis Ærario plures Florenos eò miserat per P. Prinzivallum Lombardiæ Provinciæ Præfectum cum Petro de Tuderto, Angelo Politiano, Guilielmo, & Henrico Patribus

Funditus everti-tur Cœn. S. Catharinæ Astēsis.

A nostris, quod itidem Bonifacius Papa VIII. sub Apostolicæ Sedis Protectione receperat Bullâ datâ Viterbij Pontificatûs sui anno 3. Destituti ergo Patres hac Sede in eâ Civitate huc, & illuc vagati coacti fuerunt usque ad annum 1555. quo ad Ecclesiam S. Secundi de Turre Rubeâ eos commigrasse ad eundem annum dicemus, ubi de reliquis pariter Loco illi nostro honorificis fusiùs erit dicendum. Insequente autem anno 1540. Laurerius Generalis possessionem iterum accepit Eremi Balneorum S. Philippi apud Montem Tuniatum, de quâ Eremo recuperandâ valde sollicitum esse superiùs dictum est. Recolendum enim animo est, quòd Petrus Romanus Ordinis nostri Prior Generalis, prout innuimus ad annum 1427. Locum hunc diu intermis-
B sum, ac propterea sentibus, & Veprium densitate penè obrutum reparare, & pristino cultui restituere pro virili contendens, PP.novæ Congregationis Senatij restaurandum cōcesserat, qui profectò de hac re gravissimi momenti soliciti, operi manum admoverant. Verùm asperitate Loci fortasse, vel potius summâ egestate deterriti ipsum brevi deseruere. Ex quo factum est, ut diuturnitate temporis dirutum, & ab Ordinis nostri Patribus omnino tandem derelictum proxima Campiliæ Communitas sibi, suoque juri Locum ipsum tribuerit. Cùm ergo Laurerius eundem repetere, & pro dignitate instaurare vellet, operæpretium fuit eò præmittere P. Joannem Baptistam de Aretio Priorem eo tempo-
C ris in Cœnobio Montis Politiani, ut Communitatem illam ad sua jura redigeret, ipsaque proinde Locum Ordini restitueret, quòd sanè feliciter contigit, nam Joannes Baptista prædictus rationum omnium momentis hinc inde æquo lance pensatis plures difficultates suborsas evadens Locum hunc, certis quibusdam honestis conditionibus, nomine Ordinis ab eâ Communitate accepit anno prædicto 1540. die 2. Maij, postridie verò personalem possessionem adivit, de quibus omnibus rog. fuit Anselmus Sebastiani de Campiliâ Notarius, prout constat ex pergameno authentico inter monumenta Conventûs S. Marcelli de Urbe. Consequentibus itidem annis Augustinus de Aretio Generalis,
D necnon Angelus Maria Montursius de Florentiâ pariter Generalis instaurandum, & pluribus Cellulis, & Officinis instruendum curarunt, quas adhuc permanere videmus. His verò habitis locum hunc coluere FF. infirmis etiam in usu Balneorum consulentes magis in dies, ac magis incremento virtutum, ac Loci operam omnem adhibentes; verum de hoc iterum dicendum erit ad annum 1703. Eodem anno 1540. recolenda pariter sunt nova quædam Ordinis nostri Loca. In Provinciâ Narbonensi apud Cucuronem Oppidum conspicuum Diœcesis Aquensis P. Melchior de Vineali Locum accipit sub Tit. D. Annunciatæ à Presbytero quodam nomine Matio Cal-

Eremus Balneorum S. Philippi Ordini Servor. restituitur.

Cœn.D. Annunciatæ Cucuronis.

Calvino fundatum, & amplo prædio instructum, quem subinde Patres progressu temporis non mediocriter exornarunt. In Insulâ quoque Sardiniæ sua hoc anno auspicatur initia Ordo Servorum; primò sanè Vir quidam nomine Alexander, prout fert communis traditio, suscepto antea Bononiæ Ordinis nostri prædicti Habitu, Insulam hanc petijt piam quandam secum deferens B. V. Imaginem Eburneam, & Callerim accedens Imaginem illam in Ædiculâ quadam Religioso cultu super Altare positam, Populo venerandam prædicare cœpit, & eleemosynas ostiatim quæritans præ sanctitate vitæ omnibus maximè acceptus Ecclesiam ædificandam aggressus fuit cum Cœnobio pro eodem Ordine, quod opus feliciter prosecutus complere tandem potuit, auxilio potissimùm DD. Comitum de Zatrillâ, maximè verò Luciæ ex eâdem Familiâ, quæ suscepto, ut piè creditur, per Alexandri manûs Tertij Ordinis nostri Habitu eâ vitæ innocentiâ, virtutumque præstantiâ perpetuò vixit, ut inter Ordinis nostri Beatas ipsam Maiores nostri retulerint, de quâ fusiùs ad annum 1545. Locus hic in Diœcesi Bosensi positus est, cui Titulus *S. Mariæ Gratiarum*, ibique solemniter agitur dies octava Septembris Nativitati B. Virginis consecrata maximo populi concursu; plurimùm verò incrementi huic Loco accessit consequentibus annis operâ religiosissimi Viri P. Joannis Carta ex eâdem Insulâ, quem sanctissimè obijsse dicemus ad annum 1624. Postquam verò Locum hunc accepit Ordo Servorum, accessit & alter propè, & extra Civitatem Turritanam, cui Titulus *S. Mariæ Vallis Viridis*, quippe qui positus est in amœnissimâ Valle, quæ proinde Viridis nuncupatur. Hic autem non diu perseverarunt Patres, nam PP. Capuccini ipsum incolere cupientes, utpotè solitudinis studiosi postularunt à Patribus nostris Locum illum, vicissim iisdem offerentes quem intra Mœnia Civitatis tenebant, cui titulus *S. Antonij*, idque nullo negotio consecuti fuere, cùm Ordinis nostri PP. Populorum commodo maximè addicti, juxta ejusdem Instituta Loca magis appetant, ubi frequentior adsit Populus; quo factum est, ut PP. Capuccini ad *S. Mariam Vallis Viridis* transmigrarint, PP. verò nostri ad Ecclesiam, & Lucum S. Antonij prædictum, quem recepisse fertur Patrem quendam nomine Petrum Ximenes de Sardiniâ. Locum hunc deinde maximè illustravit ob innocentiam, & integritatem morum P. Lucas Solines, cujus obitum, & laudes referemus ad annum 1622. Illustravit etiam, & non mediocriter ditavit D.F. Georgius Soggia ex Ordine Servorum Episcopus Bosanensis, & Archiepiscopus Turritanus, de quo fusiùs ad annum 1701.]

Conv. S. Mariæ Gratiarum de Callert.

Conv. S. Mariæ Vallis Viridis de Sacero.

Conv. 2. S. Antonij de Sacero.

E

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 EX *catalogo Vic. Gen. Congreg.*
2 *Ex monum. P. Sebastiani Vougeschi de Pistorio lib. 5. pag. 64. & Conv. Flor.*
3 *Ex varijs monum. Conv. Flor. & hist. S. P. N. Philip.*
4 *Author ipse hæc Bassani proprijs oculis ex tabulis, monum. & publicâ traditione Antiquorum collegit.*
5 *Ex Campione Rhegij, & antiquis Beatorum tabulis.*
6 *Alphon. Ciacconius Cardinalem hunc nescio quo pacto, nisi fortè Impressoris incuriâ Dominicum, & non Dionysium vocat, licet hunc errorem in ejus obitu narrando corrigat.*

F

N O T Æ.

(ECclesiam S. Mariæ Gratiarum Bassani, de quâ hîc num. 4. consecravit solemniter die 25. Julij 1539. D. F. Ludovicus de Martinis Venetus, ex Ordine Prædicatorum Episcopus Istriensis, & Episcopi Vicentini Suffraganeus.]

Dionysius Dominicum Doctio suum Vicar. Gen. in toto Ordine constituit, & cum Cosmo Duce Florentiæ de restaurandis balneis Sancti Philippi agit.

CAP. VI.

G ERat Parmæ Virorum Sodalitium ad honorem Sanctissimæ Trinitatis in Ecclesiâ nostrâ, quod multis pietatis officijs erga proximum exercebatur, & dignũ habebatur, cui eadem charitatis officia rependerentur. Huic igitur Dionysius Gen. simul, & Cardinalis in gratiam Farnesiorum literas participationum bonorum spiritualium nostri Ord. pro Majorum consuetudine concessit 1. Romæ die 23. Aprilis anno 1540. cum suâ solitâ subscriptione *A Domino factum est istud*. Patri quoque Sebastiano .2. de Alexandriâ Pœnitentiario Laterani perspectâ viri probitate, & nedum in rebus gerendis, administrandisque Monasterijs, præsertim in Romanâ, & Neapolitanâ Provincijs, sedulitate Magistrales honores cum privilegijs ejusmodi simplicibus Patribus ex instituto Majorum consuetis ad ipsius magis, ac magis excitandum animum, ultrò libentissimè impertivit. Usu enim habebant Generales eâ tempestate quosdam prælibatos seniores Patres, qui pro Ordine, seu ditando, seù quovis modo dilatando plurimùm laborassent, quibusdam honestis titulis, & privilegijs (infra tamen limites religiosæ modestiæ) condecorare; nam licèt suis literis pat. extra consuetum ordinem quempiam Magistrali titulo insignirent, non tamen sicut illos Magistros habebant, qui propriâ virtute, & diuturnis studijs gradum illum sibi comparassent.

P. Sebastianus de Alexandriâ creatur Magister.

Usus creandi Magistros à Generalibus

H

Erat

Erat igitur per meliora illa tempora discrimen inter Magistrum Ordinis, & Magistrum Generalis: Hic enim semper inferiorem locum inter Magistros tenebat; Hic voce passivâ ad majores gradûs, & dignitates omnino carebat. Hic tantùm privilegijs utebatur, quæ aut ad relevandam senectam, aut ad quædam merita declaranda viderentur opportuna sibi. Puduiffet enim quempiam illorum inter cœtus aliotum Theologorum convenire, puduiffet Magistralia insignia, biretum, annulum, chirothecas, librum, & cætera hujusmodi gestare. Puduiffet gradûs quoscunque, & dignitates ambitiosè appetere; puduiffet denique modestiæ, & propriæ imperitiæ limites arroganter excedere. Per idem tempus Patres de Congreg. apud Casalem majorem in suum Vicarium Gener. eligunt .3. P. Paulum de Mediolano. Interea Dionysius plurimis negotijs, hisque gravissimis, tùm ad Urbinatem Ecclesiam nuper sibi commissam, tum ad Cardinalatûs dignitatem spectantia præpeditus, animadvertens se difficilè posse Generalatûs muneri satisfacere M. Dominicum Docto .4. multis nominibus præclarum Virum suum Vicarium super totum Ordinem constituit, ad quem etiam Sigillum, Constitutiones, Registrum, & cætera, quem ad Generalem spectant cum literis pat. Patavium mense Septembri transmisit. Verum M. Dominicus ingravescente senectute, & perpetuo podagræ morbo hominem vexante, post sex menses cogitur eodem munere ultrò abdicare, in cujus locum quisnam successerit adhuc desideratur. Anno igitur revoluto Patres de Congreg. ut omnes simul Dionysio Cardinali gratularentur, Romæ M. Polydori Scajolæ de Brixiâ, & M. Joannis Baptistæ Calderini diu ibi commorantium operâ, sua Comitia celebrant, in quibus eundem Polydorum .5. de Cong. benemeritum in suum Vicarium Gener. elegerunt. Comitia quoque Provinciarum Ordinis mandante eodem M. Dominico Docto Vicario per suas lit. patentes ubique habentur. Testatur enim P. Sebastianus Vongescus hujusmodi literarum tenorem pro Capitulo Etruriæ habendo Florentiæ die 4. Jnnij lectum fuisse Pistorij die 23. Maij. Æstivo denique tempore superveniente, Summus Pontifex Christiani Orbis salutem perpetuò zelans, Medicorumque consilio, omnibusque propriæ incolumitatis periculis posthabitis, ut ad mutua colloquia cum Carolo Imperatore conveniret .6. Lucam se transtulit. Dum autem ibi cum Cæsare ageret, Dionysius noster Cardinalis, ut ad idem officium utriusque nomine Cosmum Ducem hortaretur de sacro Concilio ineundo, Florentiam pervènit, ubi quamvis honorificè, ut par erat, fuisset exceptus; maluit tamen apud suos Fratres, partim in Cœnobio Annunciatæ .7. partim in Senarlo circiter tres menses meditabundus, relevandæque valetudinis gratiâ diversari; donec profecturus ad

[Eligitur Vic. Gen. Congr.]

[M. Dominicus Docto Vicar. Gener. totius Ordin.]

[Eligitur Vic-Gen. Congr.]

[Paulus III. Lucæ convenit cũ Cæsare.]

Urbem cum eodem Cosmo Duce egit de re- A parandis balneijs S. Philippi, quorum aquæ ex fæculento cœno, quod secum trahunt, undeqnaque diffluere, dispergi, & dissipari cœperant, ut in pristinum alveum pro ægrotantium salute, reducerentur; quod & facilè impetrare potuit, quando Dux ipse .8. munificus simul, & pius illuc misit Artifices, qui totum illud negotium brevî perfecerunt: unde saluberrimis illis aquis in pristinum ordinem redactis, languentium multitudo Balnea S. Philippi rursus frequentare cœpit, ex quo faciliùs Eremus illa adventantium stipe in posterum restaurari potuit .9. Hoc eodem tempore in Terrâ Castellanâ Provinciæ Narbonensis Beatæ V. prodigiosâ demonstratione grande quid, nec ullo modo prætereundum B miraculum accidit. Cùm enim quidam Frater noster Gratiadei Prior locum illum ab An. Dom. 1531. fundasset, ut ad d. ann. retulimus, etiã penè totã Eccles. cõplevisset casu evènit, ut in die 27. Octob. in vigiliâ SS. Apostolorũ Simonis, & Judæ, dum Patres Divinis officijs, & orationibus in choro vacarent, & post Completorium Reginam Cœli pro nostrâ cõsuetudine salutassent, multis devotionis gratiâ, viris, & mulieribus astantibus, inter quos D. Gulielmus Vic. gen. Episcopi Reiensis, DD. Antonius, & Bartholomeus Presbyteri, & nostri Ordinis Tertiarij, necnon prædictus P. Gratiadei, & P. Franciscus Ord. nostri Sacerdos de eâdem Castellanâ cum alijs Fratribus, præcipuus majoris Sacelli fornix C cum totâ tribunâ repentè corruit, & omnes illos operuit, & gravi pondere per integram horam obrutos confregisset, nisi ejusdem Reginæ Cœli præsidio sub tam gravi ruinâ incolumes, & absque ullâ molestiâ reperti fuissent à populo, qui illuc ad tantum fragorem, & opem ferendam accesserat, eruendaque cadavera illorum, quos sub tanto onere contusos jam vitâ functos existimabat. Obstupendum hoc miraculum vespertinæ devotioni salutandæ Reginæ Cœli per consuetum illud canticum *Salve Regina* tribuentes Consules illius loci in publicis tabulis per D. Petrum Lauram Notarium ad perpetuam rei memoriam referri curarunt; & non multò post de his omnibus Augustinum Generalem per literas D .10. sui Senatûs certiorem fecerunt, ut apertissimè constat ex literis responsivis ejusdem Gener. ad ipsos, Dat. Romæ die 14. Februarij 1545. In quibus literis præcipuè hæc verba habentur. *Et quoniam nobis insigne illud miraculum significatis, quo Deus potentiæ suæ magnitudinem in B. V. Matre suâ Mariâ ostendere voluit, &c.*

[Dionis. Card. agit cũ Duce Flor. de reparãdis Balneis S. Philip.]

[Grande miraculũ B. M. V. in terrâ Castellanâ.]

[Eodem ano 1541. Posteris referre juvat, quòd Ordo Servorum Loca quædam teneret, quorum tamen Titulus nos latet apud Roncilionium, & apud Nepe, nam inter Diaria Conventûs S. Mariæ in Viâ de Urbe occurrit pluries hisce temporibus nomen Prioris Nepesini, & Prioris Roncilionij, cæterùm de ipsis

Ipsis nihil allud exploratum habemus. Exploratum verò habemus, quòd insequente E anno 1542. Cœnobium, & Ecclesiam deserere coacti fuere Ordinis nostri Patres, quam Perusij secundo loco tenuerant ab anno 1313., prout ad eundem diximus; Nam Paulus Papa III. ad comprimendas Perusij Nobilium factiones, quibus tota Civitas vexabatur, & coercendam omnium petulantiam eò se transtulerat, . i t. Arcem in eâ Civitate ædificandam aggressus, Loca quæcunque amplissimo huic operi obstarent, adeòque nostrum hunc Locum cum Ecclesiâ ampiâ maximè, speciosâ, & in conspicuo loco positâ solo penitus æquare decrevit. Verùm Locum aliud adiere; Ecclesiam nimirum Parochialem S. Mariæ Novæ ad Monachos olim Sylvestrinos spectantem ex Regesto Augustini Gen. pag. 161. F utique non sine gravi Patrum incommodo, prior enim Locus longè amœnior, illustrior, & amplioris formæ erat, hic autem contra de novo comparatus penè collapsus, & dirutus erat, quamobrem à fundamentis iterum excitare coacti fuerunt maximo impendio Ecclesiam simul, & Cœnobium, cujusmodi nostris hisce temporibus videmus. Huic loco adnexa sunt nonnulla Oratoria, & Ecclesiæ Parochiales per varia Oppida, de quibus singillatim in his Annalibus, prærer Oratorium prope Abbatiam S. Petri, quòd vulgò dicitur *La Madonna di Braccio*, eò quod à Brachio I. de Balleoneâ Familiâ ædificatum fuisset, & Ordini nostro concessum. Ecclesiam hanc deinde plurimis, & Insignibus SS. Reliquijs in- G structam, & maximè illustrem ob Societates SS. Crucifixi de Urbe, S. Barbaræ Theutonicorum, S. Juliani, S. Benedicti, necnon sodalitium S. Martini pro Pauperibus verecundis institutũ à P. Damiano Florentino Ordinis nostri anno 1574. ritu solemni consecravit die 24. Junij 1654. D. F. Dionysius Bussotti de Florentiâ ex Ordine Servorum Episcopus Biturgiensis, quod constat ex inscriptione in eâdem Ecclesiâ juxta principem Aram positâ.

Conv. 2. S. Mariæ Novæ de Perusio.

Ex quo Mergellinarum Conventum, de quo satis ad annum 1530. adepti fuerant Ordinis nostri Patres, Diversorium, sive Hospitium quoddam intra Mœnia Neapolis sibi comparandum esse duxerunt, ut sibi, suoque Loco opportunè consulerent, quòd sibi quis- H que suadere facillimè potest. Itaque Hospitale quoddam S. Nicolai haud procul à Portu, publico Foro, & Castro, ubi Reges olim Neapolitani habitare consueverant, acquisivere, & quidem nullo fermè negotio ob singularem benevolentiam, quam apud Populũ, & Proceres Urbis illius amplissimæ sibi paulatim conciliaverant, tum præ Vitæ sanctioris exemplis, tum doctrinæ præstantiâ PP. qui in primarijs ejusdem Urbis Ecclesijs sacras Conciones magno plausu habuerant, Ambrosius nimirum à Platinâ, Athanasius, Archangelus Brusculo, Michael Angelus Naldinius de Florentiâ; & alij non pauci, quibus

Hospitiũ S. Nicolai Neapolis.

professò maximè suffragabatur Jacobi Sannazarij necessitudo, utpotè Viri clarissimi, & erga eosdem amantissimi. Anno deinde 1545. Augustinus de Aretio Generalis hujus Loci regimini præfecit P. Hieronymum de Neapoli. Verum tamen est, quòd varijs de causis Locum hunc non diù tenuere PP. quibus longè opportunius visum est locum illum habere, quem adhuc tenet, cui titulus est *S. Mariæ de Omni bono*, de quo ad annum 1585. Locum alium, cui Titulus erat *S. Annæ de Burgo S. Martini in Diœcesi Casalis S. Evasij*, tenuit olim Ordo Servorum Genuensi Provinciæ addictum, quod sanè constat ex Regesto Generalis Augustini de Aretio, in quo legimus hujus Loci Patribus relaxari hoc anno 1542. Taxas consuetas. Cæterum quâ ratione, quo auctore, quove tempore præcisè Ordini nostro hic Locus accesserit incompertum adhuc est. Novimus tamen ex Regesto Generalis Tavanthij, quòd anno 1580. hujus Loci Bona, quâ de causâ nos latet, partim Conventui de Vineali in eâdem Provinciâ unita fuesint pro erigendo ibi Novitiatu, partim verò Conventui de Monte. Ad eundem annum 1542. referre septem alia Loca juvat Ordini nostro comparata, scilicet S. Laurentij de Galliaulâ, S. Laurentij pariter de Cavalcasellis, & S. . . . de Prensullâ, S. Mariæ de Varano, S. Mariæ de Cugnasco, S. Feliciani, & S. Mariæ de Monticulo. Primum quidem apertè colligimus ex literis patentibus Papiæ datis die 24. Augusti 1542. Generalis Augustini de Aserio, quibus facultatem impartitur P. Bonaventuræ de Scardis Bergomensi, ut Locum hunc recipere possit in Diœcesi Papiensi. Ecclesia autem hæc eidem resignata per D. Gunifortem de Burgis confirmata fuit per Paulum III. Summum Pontificem Literis Apost. Romæ datis sexto Kal. Decembris 1546. Galliaula dicitur, quasi Galliarum Aula, eò quòd ibidem olim Gallorum Exercitus stationem suam posuisset. Secundum verò de Cavalcasellis, qui situs est propè Lacum Benaci in Diœcesi Veronensi haud procul ab Arce Pescariæ, ex Literis Patentibus ejusdem Augustini deducimus Vincentiæ datis die 20. Septembris ejusdem Anni, quibus facultatem pariter concedit P. Raphaeli Veronensi, ut ipsum recipere valeat à quibusdam DD. de Monte Veronensibus donatum. Notandum autem hîc est, quòd in Literis Patentibus Cyriaci de Fulgineo Generalis Romæ datis in Comitijs Generalibus apud S. Marcellum die 5. Junij 1506. quibus P.M. Aloysium Scaramella Venetum confirmat in Vicarium Generalem Congregationis Servorum de Observantiâ Cent. III. relatis ad anuum d. 1506. inter alios Congr. illius Cõventûs recensetur Conventus etiam de Cavalcasellâ. Hinc operæ pretiũ est colligere, quòd Convẽtus de Cavalcasella in hisce Literis Cyriaci recensitus alter ab eo sit, de quo modò agimus, vel quòd hic, de quo modò agimus; dono

Conv. S. Annæ de Burgo S. Martini in Diœcesi Casalis S. Evasij.

Conv. Galliaulæ, de Cavalcasellis, de Prensullâ, de Varano, de Cugnasco, S. Feliciani, & de Monticulo.

dono datus fuerit Congreg. Serv. longè ante annum 1506. vel quòd post annum 1506. à Congregatione ad Ordinem Servorum transferit. Tertium de Prensullâ deducimus pariter ex Regesto ejusdem Generalis Augustini, in quo legitur hujus Loci de Prensullâ Prior electus pro primo anno P. Marcus de Paduâ, quodque Locus hic ad Provinciam spectaret Marchiæ Tarvisinæ. Quartum denique, quintum, sextum, & septimum ex eodem Regesto Augustini colligimus, in quo legimus duo priora Loca, scilicet de Varano, & Cugnasco inter alia ad Provinciam Lombardiæ spectantia, & Priorem hoc anno 1542. constitutum in Conventu Varani P. Nicolaum de Placentiâ, & in Conventu Cugnaschi P. Stephanum de eodem loco, in sexto D. Feliciani ad Provinciam Marchiæ Tarvisinæ spectante Priorem legimus P. Alexandrum de Cononiâ. In septimo de Monticulo ad Provinciam Romanam spectante Priorem pariter legimus P. Cæsarium de Spoleto.]

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1. 2 *Habentur hæ literæ inter monum. Conv. Parmæ.*

3 *Ex Catalogo Vicariorum Gen.*

4. 5 *Ex monum. Conv. S. Mariæ in Viâ, & ex monum. Seb. Vorgesch. de Pistorio.*

6 *Alphon. Ciacconius.*

7 *Ex diarijs utriusque Conv.*

8 *Andreas Baccius Elpidianus in suo libro de Balneis.*

9 *P. Sebast. Vongescus in antiquo Campione Pistorij l. 5. pag. 93. testatur se vidisse publicum hujus rei instrumentum.*

10 *Ex Regesto ejusdem Gen. Augustini.*

11 *Ex Alph. Ciaconio hist. Perusina, & monum. Conv. Perusij.*

NOTÆ.

Privil. celebrādi Missam in Vesper. Sabb. Pentec. in Eccl. Terræ Castellanæ.

[*Terræ Castellanæ Consulibus in hoc Cap. relatis num. 9. per Literas enixè petentibus Augustinus Generalis per literas patentes ibidem pariter indicatas P. Gratiadeum prædictum illius Loci Priorem, quandiu viveret, constituit, & facultatem concedit celebrandi solemniter Missam in eadem nostrâ Ecclesiâ Sabbatho Pentecostes in Vesperis, necnon pollicetur se daturum operam, ut Summus Pontifex Indulgentias petitas concederet, quemadmodum constat ex ejusdem Regesto pag. 146.*]

Cùm Dionysius Card. Legationem Campaniæ à Summ. Pont. accepisset, officio Generalatûs ultrò renunciat, & pro novo eligendo Generali Comitia Faventiæ indicuntur.

CAP. VII.

POstquam Dionysius Card. novâ Legatione Campaniæ à Sum. Pont. insignitum se præsenserat, nec posse ullo modo Religionis Præfecturæ satisfacere, oportereque de alio Priore Gen. providere, universis Provinciarum Præfectis, tàm intra, quam extra Italiam, & Vicario Gen. Cong.
A futura generalia Comitia Faventiæ ad diem Ascensionis Domini, summâ cum Religionis libertate habenda, per suas literas patentes Romæ datas die 24. Martij intrantis anni 1542. indixit. Et quoniam usus inoleverat, ut ad Priorem Gener. electiones quorundam vocalium Capituli spectarent; nimirum Provinciæ Regni Neapolitani, Corsicæ, & Sardiniæ, ac Narbonensis, necnon Hispaniarum, Galliarum, & Germanorum, Dionysius ad tollendam omnem ambitûs suspicionem mandat, ut hujusmodi electio ad Patres Capituli devolvatur, ita ut ad Provinciā Thusciæ spectet electio Provincialis, & Diffinitoris Provinciæ Regni Neapolitani, Provincia Patrimonij eligeret hujusmodi Officia-
B les Corsicæ, Provincia Romandiolæ decerneret pro Provinciâ Narbonensi, Marchia Tarvisina pro Germanis, Provincia Lombardiæ pro Gallis, & Genuæ pro Hispanis. Quin etiam nolle, ut decens fuisset, de Capituli generalis Præsidente providere, sed omnem hanc curam ipsis Patribus Capituli relinquere, ut ipsimet teneantur primùm sibi de Vicario Gen. ejusdem Capituli, qui Comitijs præsideat, per secreta suffragia providere, cujus electio fiat, & auctoritas incipiat per octo dies ante statutum tempus Comitiorum, in quibus præludia, & ea, quæ ad publicam Ordinis reformationem, & electionem Generalis spectare videbuntur, maturiùs examinentur, ijsdem postea in Comitijs decernen-
C da. Evulgatis itaque citatorijs literis D. Generalis, Patres de Congreg. apud Casalem Majorem Cremon. diœcesis conveniunt, ad decernendum de suffragijs pro eligendo Generali, Faventiam mittendis, in quibus statuendis, talis apud eos consuetudo à suis Majoribus jamdudum increverat; nempe ut publico accersito Notario de suffragijs ad Capitulum Gener. destinandis celebraretur procuratorium instrumentum, in quo unus pro omnibus decerneretur, qui aliorum nomina, & vota in scriptis deferret. Quamobrem hoc anno eligitur Mag. Paulus de Monticulo Bergomi, qui procuratorio nomine totius Congregationis centum, & sex vocalium suffragia ad novum eligendum Generalem profe-
D rat. Et hæc per Aurelium de Pureo Notariū acta sunt eodem in loco die 14. Maij. Patres autem Diffinitores, & Provinciales Faventiam ad præscriptum literarum D. Generalis convenerant, quorum nomina posteritati nequaquam videntur abscondenda, & hæc sunt; R.P.M. Joachimus Signorinus de Flor. Provincialis Thusciæ, M. Zacharias de Flor. Diffinitor Capituli, qui cum suis vocalibus elegerunt M. Gregorium de Aretio Diffinitorem pro Provinciā Regni Neapolitani, R. P. M. Marianus Provinc. & M. Gregorius Patavinus Diffinitor Provinciæ Marchiæ Tarvisinæ elegerunt M. Laurentium de Castrofranco Diffinitorem pro Provinciâ Germaniæ.

Præluda futuri Capit. Gen. Faventiæ.

R. P. M. Cæsar de Bononiâ Provincialis, & M. Nicolaus Schiavinus de Cæsenâ Diffinitor Romandiolæ elegerunt M. Thadæum de Bononiâ Diffinitorem pro Provinciâ Narbonensi. R. P. M. Lucas de Mediolano Provincialis, & M. Hieronymus de Placentiâ Diffinitor Lombardiæ elegerunt M. Gabrielem de Placentiâ Diffinitorem Galliæ. R.P.M. Joannes Baptista de Urbeveteri Vicarius provincialis Patrimonij (Diffinitor obierat) electus fuit ipsemet Diffinitor Provinciæ Corsicæ, & R. P. M. Gregorius de Castellaccio Provincialis, & M. Hieronymus Saccus de Summaripâ Diffinitor Genuæ elegerunt M. Joannem Baptistam Milliovaccam Astensem Diffinitorem Hispaniarum. Talibus igitur in Capitulo vocem habentibus simul absque alio capite per Diffinitorem Thusciæ convenientibus actum est priùs de Præsidente, & Vicario Gen. Capituli eligendo, & propositis secretis suffragijs repertus est Vicarius Gener. electus M. Augustinus Bonuccius de Aretio Bononiæ Regens, quem statim per literas Faventiam accersierunt. Is ergo Magistratu suscepto, ea, quæ è Religione viderentur, maturè cum Patribus Diffinitoribus consultare cœpit, & præsertim circa Prædicatores, Oratores, & Theologos, qui cùm orando, tùm concionando, & differendo, cum suis doctrinis, & Religioni simul, & Civitati Faventiæ maximum adhiberent honorem. Nam ut hæc Comitia majori cum decore, tàm in Ecclesiâ, quàm extra celebrarentur, preciosa paramenta Florentini Sacrarij nostri, ut plurimùm fieri consueverat, Florentiâ illuc in magnâ copiâ advecta fuerunt. Vix autem fuerat electio Præsidentis evulgata, quando Apostolicæ literæ coram Patribus sequentis tenoris præsentatæ, & lectæ fuerunt.

PAULUS PAPA III.

Dilectis filiis Diffinitoribus Capituli generalis Fratrum Servor. B.V.M. Faventiæ die 17. Maij celebrandi, cæterisque in Prioris Generalis electione vocem habentibus.

Bulla Pauli 3. pro futuro Capit. Gen.

Dilecti filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Dum appropiaquaret tempus, ut Dilecto filio nostro Dionysio Cardinali S. Marcelli ab officio Generalatûs vestræ Religionis cessandum esset, ipseque omnino onus hoc deponere constanter decrevisset, plures Nobis supplicatum est, ut vobis Vicarium Generalem deputare dignaremur, quod quidem fieri consuetum esse non ignoratis. Verùm multis, justisque de causis animum Nostrum moventibus, sed præcipuè præfati Card. eximiâ erga vestrum Ordinem charitate; quippe qui plura, quæ sui officij erant ad conservandam, & augendam dicti Ordinis libertatem, & ut scitis, vobis explenda permisit. Nos nec Vic. generalem, nec Capituli Præsidentem ullum faciendum esse putavimus, Volentes vobis omnimodam in electione hujusmodi relinquere libertatem. Cùm autem in præsentiâ ad aures Nostras, nec sine molestiâ, pervenerit, non deesse, qui ambitionis flammâ succensi in animarum suarum periculum, & grave Christifidelium scandalum, quam diximus libertatem in carnis licentiam tradere volentes, indebitos quærant favores, electorum animos malis artibus, promissisque solicitent, ut ad Generalatûs dignitatem temerè valeant promoveri, Nos isti malo occurrere, vestræque Ordinis saluti prospicere cupientes, vos commonefacimus, ut memineritis, quòd sicut longe est à peccatoribus salus, ita Spiritûs Sancti gratia corda libera ingreditur, & inflammat. Vobisque propterea singulis, & universis, ad quos spectat in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut solam Deum præ oculis habeates, Priorem Generalem concordibus animis eligatis, prout scitis, & Religionis vestræ status, & temporum postulant conditiones, curetisque eligere, qui moribus, prudentiâ, vitæ splendore, rerumque gerendarum dexteritate præfatæ Religionis illustrator esse possit, & exornator sic enim, & Deo Optimo Maximo, & Nobis rem gratam facietis, vobisque singularis prudentiæ, judicij, ac pietatis nomen, & famam meritò vendicabitis. Quòd si secus (quod Deus avertat) facere præsumpseritis, scitote Generalem Faventiæ per malas artes creatum, Romæ per bonas artes explosum non sine ignominiâ, atque rejectum iri.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 3. Maij 1542. Pontificatûs nostri Anno VIII.

Blo. Ep. Fulgin.

Pridie verò celebrandi Capituli advenerant M. Polydorus Vic. generalis, & M. Paulus de Monticulo Procurator Congreg. cum tabulis authenticis suffragiorum, ut supra dicebatur. Cur similis abusus vota mittendi in scriptis irrepsisset, ut Fratres ipsi de Congregatione ad Comitia generalia personaliter non accederent, sed per Procuratorem suffragia mitterent, satis compertum non habetur, nisi forte quis arbitretur velle Patres Congreg. in eligendis Generalibus potiorem partem habere votorum, adeò ut is sæpè eligeretur Generalis, in quem unus Congregationis arbiter tot, & tantis votis faciliùs inclinaret, & sibimet propensiorem existimarent. Quemadmodum in his Comitijs contigisse ferunt acta ejusdem Capituli, in quibus hæc præcipua habentur verba silentio non prætereunda.

Usus Congregat. votorū mittendorum ad Cap. Gener.

At M. Cyriacus de Paduâ ab eo die, quo in Cardinalatûs cœtum Reverendissimum, & pariter Illustrissimum D. Dionysium Laurerium Dei providentiâ à Sanctiss. D.D. Paulo III. Pontif. Max. percepisset ascitum, existimans eum ob assecutam dignitatem Generalatûs officium sustinere non posse, auro primùm, deinde Marchionis, & Marchionissæ Vasti favoribus, toto Orbe ambiverat, & nihil cùm apud dictum Dionysium, & plerosque alios Cardinales, tum apud

Ponti-

Pontificem prætermiserat intentatum, ut si quâ tandem viâ per bonas, & malas artes Generalatûs assequi posset dignitatem; sed quia præfatum Dionysium, & Summ. Pontificem eâ integritate reperit ornatos, ut nedum æstuanti, & in ambitionem fluctuanti animo assentirent, verum etiam eum stomacho reijcerent, visum est sibi aliam aggredi viam; quocirca ad Fratres Congregationis, ut eorum suffragia in eligendo Generali pro se haberet, animum adjecit, quod Marchionis præfati auxilio facilè consequitur, sicque in scriptis vocibus acceptis munitus ad Capitulum Generale pergere.

Quamobrem D. Cardinalis Laurerius detectis hujusmodi ambitûs insidijs, cupiens ambitiosos istos apparatûs contra Religionis libertatem irritos facere, mandaverat Magistro Alexandro de Saxolo Romano, qui Secretarius, & Scriba Religionis tunc erat, quique sigillum, & librum nomine prædicti D. Generalis Patribus Capituli resignaverat, ut ejusdem nomine quædam monita coram Patribus publicaret, inter quæ illud unum erat, ut in suffragijs ferendis ab omnibus servaretur Constitutio cap. 25. ubi hæc præcisè habentur: *Sed si aliquem, vel aliquos de prædictis, qui habent esse in Capitulo generali, contigerit non venire, non possint alicui committere vices suas.* Quæ antiqua constitutio rursus per Patres ipsius Capituli renovata, & usu recepta fuit per sequens decretum: *Si Fratres Congregationis ad Ordinis generale Capitulum venire contigerit, quicunque venerint, præsentialiterque fuerint, benignè tanquam Fratres nostri Ordinis recipiantur, & eorum suffragia vigorem, & virtutem habeant, sicut & cætera Fratrum Ordinis suffragia. In ordine verò admittendorum suffragiorum antiqua consuetudo servetur. Quicunque verò Congregationis Fratres ad Cap. generale non venire contigerit, non possint alicui committere vices suas, neque scripto, neque alio modo &c.*

M. Cyriaci de Paduâ artes pro ambitu eluduntur.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

Singula quæ in hoc Capite tanguntur ex actis proprijs eorundem Comitiorum breviter collecta sunt.

Comitijs Faventiæ celebratis eligitur M. Augustinus Bonuccius de Aretio 29. Prior Gen. Ord. Serv. B. M. Virg.
CAP. VIII.

Itaque illucescente die Ascensionis D. N. Sacris de more peractis, simulque omnium suffragantium expiatis animis, & speciali R. M. V. præsidio invocato de vocalium numero diligens scrutinium priùs factum fuit: postquam Vicarius Gen. è summo loco omnes fuisset adhortatus, ut omni sublatâ spe, prece, timore, ambitu, & pollicitatione illum in suum Præsidem eligerent,

A quem conscientiâ teste ad grave illud munus obeundum judicarent idoneum. Affuit interim M. Polydorus .r. Scajola Vicarius Gener. cum M M. Paulo, & Marco de Monticulo Nuncijs, & Procuratoribus totius Congreg. offerens pro suâ Congregatione centum, & sex vota in scriptis cum eorum mandatis; quando rursus M. Alexander de Saxolo eis objecit mandatum D. Cardinalis de Constitutione observandâ in electione Prioris Gener. neque ullo modo absentium vota, & præsertim eorum, qui Generali inobedientes, & reluctantes semper fuissent, non esse admittenda. Notum erat enim hæc congregatorum vota astu, & artificijs ad favorem M. Cyriaci de mandato D. Marchionis Vasti Alphonsi Davolos per suum Locum-

B tenentem in Casali majore per vim, & metum procurata fuisse; nam Marchio Ipse minacibus verbis, & literis Polydorum Scajolam Vic. Gener. contestatus fuerat, & contumeliosis verbis deterruerat, nisi Cyriaco faverent, ut Generalis eligeretur. Ipsi verò responderunt se eandem obedientiam, & easdem voces in ipso Capitulo exhibituros, quam pollicitè fuerant antea, & observaverant Majores eorum, quasi tacito consilio sentientes suam Congregationem nunquam aliâ obedientiam præstituram, quàm eam, quæ vel sibi fuisset, vel sibi profuturam sperarent. Quibus utrinque disceptatis Patres Diffinitores superioribus decretis standum esse censuerunt, nec ullo modo absentium vota ad-

C mittenda fore, & ita de nullitate electionis protestantibus Nuncijs Congreg. & recedentibus, ad electionem Generalis deventum fuit. Aderat etiam ibi F. Saba Eques Hierosolymitanus cum alijs cõsimilibus comminatorijs literis ab eodem Marchione missus, præter eas, quas antea Carolus V. Imp. Romam, & ad idem Capitulum pro eodem Cyriaco præmiserat, ut Capituli Generali protestaretur se Fratres omnes è Mediol. statu ejecturum, alijsque Cœnobia daturum, nisi unanimi consensu pro Generali in unum Cyriacum convenirent. Inter eos igitur, qui pro supremo Magistratu à varijs Provincijs proponebantur, cæteris renuentibus, tres tantummodo ad idem officium delecti fue-

D runt, videlicet M. Cyriacus de Paduâ, prout dicebatur, M. Alexander de Saxolo, & M. Augustinus Bonuccius de Aretio, in quem denique collatis suffragijs Fratrum numerus, uno excepto Mag. Hieronymo de Summaripâ, qui pro Cyriaco stetit, repertus est convenisse, quin & plausibili omnium voce solus appetebatur. Electus igitur ab omnibus certatim humeris suppositis in Ecclesiam more Religionis honorandum, & quodammodo invitum, & reluctantem asportaverunt. De cujus electione subinde celebratum fuit publicum instrumentum eodem die 17. Maij 1542. per Petrum de Pritellis. Cæterùm in his Comitijs M. Nicolaus Schiavinus de Cæsenâ

M. Aug. Bonucc. 29. Gener. eligitur.

rurſus in procuratorem Curiæ, & F. Felicianum de Narniâ ſacræ Theologiæ Baccalaureum in publicum Religionis Scribam elegerunt. Poſt hæc diſcuſſis diligenter, quæ pro reformatione Religionis facerent Patres Diffinitores unà cum toto Capitulo ſequentia ſtatuta impoſterum ſervanda fore decreverunt, videlicet.

Decreta Capit. Gener.

1 Divinum officium quotidie in Choro cum punctis, & pauſis, & inclinationibus devotè celebretur, cui ſtudioſi exempti interſint compoſiti ſecundùm eorum vices; cæteri verò non exempti, aut literarum ſtudiis minimè vacantes dietim adſint nullum officialium excipiendo, niſi legitimè occupatum, & qui intereſſe non poterint canonicas horas privatim omnino celebrent, ſub pœnâ arbitrariâ Prioris, &c.

2 Converſi ſingulis diebus dicant & ipſi horas ſuas, ut habetur in ſacroſanctis Conſtitutionibus Ordinis, & diebus feſtivis, & Dominicis omnes ad Miſſam, & ad Veſperas in Choro conveniant.

3 Omni die Veſperi cantetur Salve Regina devotè, & abſque verborum repetitione, cui omnes Fratres adſint ſub pœnâ amiſſionis veſtimentorum.

4 Novitij, & Profeſſi quotidiè Coronam Virginis ante ejus Altare ſimiliter dicant, aut poſt Completorium, aut poſt Veſperas.

5 Sacerdotes ſecundùm formam integram Curiæ Sacræ Romanæ Eccleſiæ Miſſas ſuas devotè celebrent, non nimiâ celeritate, nec tarditate, ſed ſub honeſtâ mediocritate, finientes eas cum Inprincipio, & Salve Reginâ, & Populum benedicant ſecundum morem Religionis aſſuetum.

6 Omnes Fratres, caligas, calceos, ſotulares, & crepidas deferant uniformes, uniformiterque induantur ab eodem veſtiario ſecundùm formam Religionis datam, deponentes veſtimenta in legibus noſtris prohibita, atq; habitus ipſi, & ſcapulares capulas non excedant, neque ad collum ſe elevent, ſed honeſtâ curvitate conficiantur.

7 Verba inhoneſta, ſeu ſcurrilia, aut blaſphemiæ non loquantur Fratres inter ſe, nec clamoribus perſtrepent, nec inceſſu incompoſito, & ſine Habitu eant per Conventum ſub pœnâ unius diſciplinæ.

8 Nullus audeat ſecreta Religionis Secularibus revelare, nec ſibi bona Conventûs, aut alicui Fratri appropriata furtivè vendicare, ſub pœnâ carceris, inde non exiturus, niſi ad arbitrium Reverendiſsimi P. Generalis.

9 Nullus cum Secularibus, præſertim infamibus, nec etiam cum apoſtatis longam contrahat familiaritatem, eoſque in dormitorium non introducat ſine licentiâ Prioris, ſub pœnâ carceris per hebdomadam.

10 Monemus omnes non literis vacantes, ut ſeſe in aliquâ honeſtâ arte exerceant, & qui planam ignoraverint Muſicam, per horâ ſingulis diebus canentes cum aliquo docen-
E te eam diſcere procurent ſub pœnâ amiſſionis veſtimentorum.

11 Hortamur, ut omni ſextâ feriâ Prior habeat Capitulum coram Fratribus, & Religionis benefactores recolat, & aliquem Novitiorum, ſeu Profeſſorum interim jubeat breviter ſermocinaturum.

12 Omni ſextâ feriâ monemus Fratres omnes, ut culpas illas in Capitulo de levi culpâ in ſanctionibus Ordinis contentas humiliter reddant, qui reddendas habuerint.

13 Veſtimenta, quæ dantur Fratribus, de eleemoſynis dentur de menſe in menſem, hoc tamen ordine ſervato, ut Procurator Conventûs menſuales eleemoſynas ſecundùm Fratrum exigentiam diſtribuat, earumque exi-
F tum, & introitum ſcribat in libro appropriato.

14 Nullus exeat è Monaſterio ſolus, nec aſsociatus abſque cappâ, & Prioris licentiâ; nec ſolus diſcurrat domos, aut Vicos circumvicinos, aut prope fores Eccleſiæ; nec aſſociatus domos ingrediatur infames ſub pœnâ carceris 8. dierum, & omnes ſint contenti tantùm bis in hebdomadâ è Monaſterio exire, & cùm exire voluerint cum cappis inclinati benedictionem humiliter petant à Prælato ſuo.

15 Subprior omni menſe ſemel viſitet omnes Fratrum cameras, & videat, ſi in eis ſupellectilia deficiant, & ſi ipſa reſarciri indigeant, quod diligenter procuret.

G 16 Panes, qui portantur à Quæſtore viciſſim ſcribantur, & per P. Priorem, aut per aliquem deputatum, aut per Procuratorem Conventûs videantur ſemel in menſe; qui & computum faciant olei, caſei, & carnium ſub ſe, & panum inventorum.

17 Quolibet menſe Prior, vel Procurator inquirat rationem, ſeu computa cellæ vinariæ, ſubprioriæ, & ſacriſtiæ unà cum aliquo Patre Conventûs diſcreto, atque rationem farinæ, & ejus excrementi, ſicut remuli, ac tritelli non in menſurâ, ſed in pondere Priori, vel Procuratori aliquo P. Diſcreto Conventûs præſente reddi volumus.

18 Librum, in quo, quæ pro Infirmis ab Apothecario, ſive Aromatario recipiuntur,
H conſcribi conſuevit, penes Priorem volumus eſse, ſed nullus ab eo aliquid recipere poſſit, cujuſcunque ſit gradûs, vel dignitatis, niſi malâ valetudine jaceat, vel febre fuerit correptus.

19 Regens, qui pro tempore in Conventu extiterit, duas continuè legat lectiones, alteram ex phyſicis, alteram ex ſententijs, ab Aſſumptione Virginis uſque ad feſtum S. Antonij, & à Nativitate Virginis uſque ad dictum feſtum quotidie habeat circulum, excepto die raſuræ; à Paſchâ verò uſque ad Aſſumptionem legat unum librum ex logicâ Ariſtotelis, vel Scoti.

20 Baccalaureus Conventûs, & Magiſter

Studij

Studij quotidie legant lectionem unam pro Junioribus in logicâ Aristotelis.

21 Omnes Fratres nostri Ordinis, professione in Religione factâ, camisias interulas laneas continuè deferant, atque superiores vestes, quæ ante nullam habeant scissuram, sed à pectore ad fimbrias usque integras gerant sub pœnâ carceris 8. dierum toties quoties.

22 Unusquisque Sacris initiatus ullâ absq; gradûs, vel dignitatis exceptione Breviariû habeat, quo Divinum celebret officium; necnon in choro officium celebrantibus Fratribus nemo per Ecclesiam quavis de causâ deambulare præsumat sub eadem pœnâ.

23 Exemptos omnes, & non exemptos cunctis diebus ad vesperas, cum decantantur, convenire volumus, exceptis Baccalaureo Conventûs, & studentium Magistro, diebus autem festis omnes exempti, & non exempti Matutino, & reliquis horis, (Primam tamen excipimus) intersint omnino.

Datum Bononiæ in Conventu nostro Servorum die 18. Augusti 1542. cum sigilli officij nostri parvi impressione, & nostræ manûs solita subscriptione.

Frater Augustinus de Aretio Generalis.

Hæc verò decreta per Capitulum Gen. promulgata, denique ab eodem Generali Bononiæ die 18. Augusti ejusdem anni confirmata vim, & robur perpetuæ Constitutionis acceperunt. Illud etiam .2. admiratione dignum eodem tempore accidisse ferunt Perusij, ut nobilis Balleoneæ familiæ Virgo Sãctimonialis nostri Ord. Cornelia nuncupata tantæ eruditionis supra fœmineum sexum haberetur, ut cùm de ejus sapientiâ, & virtute ad aures Pontificis fama pervenisset, Paulus Tertius dum eâ in Urbe diversaretur, ad Monasterium accederet; ad cujus pedes exosculandos obviantibus cunctis Monialibus, Soror Cornelia Latinam orationem græcis sententijs refpersam tam eruditè, tam eleganter, tam venustè, & tam expeditè coram Pontifice, & Cardinalibus, qui aderant, habuit, ut Paulus tantam eloquentiam, & vim dicendi in fœminâ admiratus, requisierit, num ipsa quæ dixerat, etiam proprio ingenio composuisset; quæ non modò se ejusdem orationis, sed multarum etiam lucubrationum auctricem fuisse modestissimo eloquio confessa fuit. Quare Pontifex ejusmodi doctissimis colloquijs delectatus, pluries Monasterium illud invisit, ut loquentem, & de omnibus scientijs differentem Sacram Virginem audiret, quam etiam sacris, munificisque paramentorum muneribus pro Ecclesiâ cumulavit, inter quæ adhuc pallium aureum pro Altari cum Pontificio Farnesiorum stemmate ob tanti facinoris memoriam conservatur.

Soror Cornelia Balleonea orat corã Põtifice.

[Ex quo propter Bellicos tumultûs, prout innuimus ad annum 1514. eversus funditùs jacuit Locus noster de Melegnano, rebus deinde in pace compositis, P. Vincentius Bianchi de Varisio primùm, postmodum verò P. Paulus pariter Biãchi ejusdẽ Vincentij Nepos, quorum studio, & industriæ commendatus hic fuit; hisce temporibus iterum ipsum instaurare cœperunt, & in ampliorem, ac decentiorem formam, qualis etiamnum visitur, redegerunt. Quamobrem Locum eundem Vincentius primum quandiu vixit, deinde post ejus obitum Paulus quandiu pariter vixit perpetuò administrarunt, plura Bona eidem recuperarunt, & uberioribus proventibus ipsum instruxerunt, quæ sanè è sequentibus Indultis longè melius constant Priorum Generalium Dionysij, & Augustini Bonuccij.

Conventum de Melegnano administrãt, & instaurãt PP. Paulus, & Vincentius Bianchi.

IN Christi charitate Nobis plurimùm dilecto Filio F. Paulo de Varisio F. Dionysius Laurerius Theologorum minimus, totius Ordinis Fratrum Servorum B.M. sub regulâ S. Augustini Prior Generalis licèt immeritus salutem, & in Domino benè agere. Pastoralis officij Nobis immeritis, Domini tamen adjuvante clementiâ demandati debitum exigit eos præcipuè filios Nostros fovere, rationabilibus prosequi favoribus, quos de ipso Ordine nostro, seque benemeritos esse cognoscimus, ut Religionis nostræ Vinea in Agro Domini plantata palmites undique diffusos extendens in dies producat fructuum ubertatem. Cùm igitur temporum malignitate, transactorum bellorum turbine, Religiosarumque personarum penuriâ non modicâ, Conventus noster S. Mariæ Grattarum de Melegnano Mediolanensis Diœcesis penè fuerit eversus, prædiola quadam direpta, quinimmo, & Conventum ipsum cum ipsius ædificijs, viridario, vineâ quadam in Territorio Meleguani prædicti, seu alibi positâ venditum acceperimus, perque Ven. P. Fratrem Vincentium de Varisio prædicto Patruum tuum Religionis nostræ præfatæ nomine recuperatum, fattisque, ut ipsi vidimus, instauratum, consueverisque Religio prædicta Patres tales in his Locis, quæ de novo per ipsos acquiruntur in laborum suorum præmium, & ut cæteri ad maiorem alliciantur Religionis amplitudinem, in gubernatores, & administratores eorum vitâ durante eligere, & electos confirmare; ipsumque, ut præmittitur, prout literis Nostris patentibus desuper confectis, accedente consensu RR. Patrum in Congregatione Provinciæ Lombardiæ Mediolani die 5. Julij 1538. celebratâ deputatorum latiùs conspicitur, jam d. Conventûs gubernatorem, & administratorem, ut supra constituerimus, & deputaverimus, cumque pro Religionis commodo cupias quandã pecuniarum quantitatem in ampliorem prænominati Conventûs reparationem, incrementumve expendere, ut habeatur in futurum Personæ tuæ ratio supplicari Nobis humiliter fecisti, ut Te in prædicti Patris Fratris Vincentij, cùm ab humanis decesserit, pro tui animi quiete potiori subrogare vellemus. Nos verò tuis honestis supplicationibus inclinati, Te primò ad RR. PP. Capituli nostri Provincialis Definitores remittimus,

Indultũ Gener. Laurerij pro PP. Paulo, & Vincẽtio de Varisio.

simus, atque ab eis ad quoslibet d. Capituli Vocales, qui omnes, prout Nobis retulit R.P.Fr. Hieronymus de Placentiâ Theologus, & Provincialis, habito inter eos maturo consilio unâ voce, nemine discrepante, consenserunt te subrogari. Quare paternis considerantes affectibus, sicuti Nobis præfati Patres persuaserunt in Domino substitutionem hujusmodi in evidentem Religionis utilitatem liquidò cedere, tenore præsentium auctoritate Officij nostri tuis pensatis meritis, & qualitatibus Te præfatum F. Paulum in prædicti P. Fratris Vincentij locum post ejus obitum vitâ tuâ durante, per suprascriptos Patres d. Capituli Definitores, & Vocales substitutum, & subrogatum confirmamus, & approbamus. Decernentes tamen hanc Nostram confirmationem roboris obtinere firmitatem, quoadusque Te, ut bonos decet Religiosos, cum Dei timore, proximi ædificatione, Locique prædicti augmento gesseris. Dantes tibi propterea in spiritualibus, & temporalibus omnes vices, & auctoritates nostras, quæ hujusmodi locorum nostrorum gubernatoribus, & administratoribus dari, concedique solent. In quorum fidem præsentes fieri, & officij Nostri majoris sigilli fecimus appensione communiri.

Datum Mediolani in Capitulo nostro Provinciali ibidem die 2. Maij Anni salutis humanæ 1538. solemniter celebrato cum Nostræ manûs consuetâ subscriptione, videlicet. A Domino factum est istud.

F. Hieronymus Vigiola de Placentiâ Theologus Provincialis, qui supra.
F. Jacobus Philippus Theologus Definitor.
F. Cyriacus Patavinus confirmo quæ supra, &c.
F. Lanfranchinus de Mediolano Definitor subscripsi.
F. Joannes Jacobus de Galsate Definitor subscripsi.

Indultū Gener. Augustini pro iisdem Patrib.

F. *Augustinus Bonuccius de Aretio Theologorum minimus totius Religionis Fratrum Servorum* B.M. *sub regulâ D. Augustini Prior Generalis meritis licèt imparibus, Domino tamen illuminante, Dilecto Nobis in Christo Filio* F. *Paulo de Varisio salutem in eo qui omnium vera salus est. Zelus Religionis nostræ, Officijque demandati cura mentem nostram continuè pulsant, & admonent vigilare, ut Religio ipsa magis, ac magis in dies ad Dei laudem, & animarum frugem merito augeatur, & numero, novasque plantationes, & palmites producens extendatur, necnon & gratiarum spiritualium, quibus ab Apostolicâ decoratur sede, singula quæque illius Loca efficiantur consortia. Cùm igitur Dilectè Fili Nobis exposueris Te excepisse jamdiu Locum Nostrum Melegnani proximis decursis annis reacquisitū exornare, decorare, & in utroque statu ampliorem reddere, perpetuumque per Reverendissimum, & Illustrissimum* D.D. Dion*ysium Tit. S. Marcelli S. R. E. Presbyterum* Cardin*alem, tunc Religionis nostræ Generalem meritissimum, accedente tamen Reverendorum Patrum Definitorum Provinciæ Lombardiæ in Capitulo Provinciali die 2. Maij anni* 1538. *Mediolani celebrato consensu communi, ut illius Literis liquet patentibus, d. Loci administratorem, & gubernatorem perpetuum fuisse constitutum, utque votis tuis faciliùs compos fias, sub obedientiâ nostrâ immediatè jam d. Locus, & in eo commorantes Fratres existant cum eisdem conditionibus, quibus à Prædecessoribus Nostris decorati sunt Fratres Conventûs nostri S. Mariæ de Crovariâ Placentinæ Diœcesis. Nos igitur, qui Religionis nostræ, quantum cum Deo possumus, intendimus totis viribus incremento, tenore præsentium præfatum Locum nostrū, sive Conventum Melegnani prædicti Mensæ Nostræ adscribimus, illumque, & Fratres in eo existentes pro tempore obedientiæ nostræ immediatè subjicimus, omniumque gratiarum, indultorum, & privilegiorum Fratribus Nostris S. Mariæ Crovariæ prædictæ concessorum, ac si eis, et in eo commorantibus Fratribus principaliter forent concessa, facimus participes, & consortes. Non intendentes propterea quin Reverendus P. Provincialis pro tempore possit d. Locum, & Fratres visitare, & rata Reverendissimo Generali annuntiare, & solitum charitativum subsidium accipere. Mandantes insuper, quòd nullus inferiorum nostrorum, præmissis exceptis, Locum dictum, & in eo commorantes Fratres sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, & privationis officij, seu officiorum, audeat, vel præsumat in aliquo molestare. Constituentes Te ulteriùs in d. Loco, & Conventu Administratorem, & Gubernatorem perpetuum. Volentes, ut post decessum tuum Fratres ibidem moram facientes Priorem sibi, quem voluerint, eligere possint, & valeant, qui sic electus auctoritate nostrâ immediatè confirmatus intelligatur, ac ut omnibus gratijs, indultis, privilegijs, & immunitatibus exornentur, quibus, & cætera Loca Ordinis Nostri ab Apostolicâ sunt Sede decorata. Dantes tibi, & successoribus tuis eas omnes vices, & auctoritates nostras in spiritualibus, & temporalibus, quæ hujusmodi administratoribus, & gubernatoribus perpetuis de jure, & consuetudine dari solent, & concedi, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. In quorum fidem præsentes fieri, & Sigilli majoris officij Nostri fecimus appensione communiri.*

Datum Faventiæ in Capitulo nostro Generali ibidem die 17. Maij Anni salutis 1542. solemniter celebrato cum nostræ manûs appositione solita, videlicet. Dominus illuminatio mea.]

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

1 *Quicquid de his Comitijs refertur, ex eorum actis colligitur, & ex historiâ usque ad hunc annum productâ m. s. P. Philippi Mariæ de Bononiâ, qui Sgamaita dicebatur, qui Auctori plures ad varia describenda viam aperuit.*

2 Ex

2 Ex monum. Conventûs de Perusio, & publica Seniorum traditione.

N O T Æ.

[EX ejusdem Augustini Generalis Regesto pag. 195. constat, quòd die 25. Septemb. ejusdem anni 1542. Veronæ P.M. Leonardus de Brixiâ Vic. Generalis Congregationis de Observantiâ, & P.M. Theodorus ejusdem Congregationis convenerunt Veronæ eundem Generalem Augustinum, eique sponte dixerunt se illum in verum, & legitimum totius Ordinis Servorum Priorem Generalem habere, seque eidem oblaturos omnia, & singula Congregationis suffragia. Illis tamen Prior Generalis respondit se eadem nolle, quippe qui ipsis non indigeret,

Paulus de Monticulo asseritur Nuncius illegitimus pro Congregatione ad Cap. Gener.

B *utpote canonicè in Capitulo Generali electus, & à Summo Pontifice Paulo Papa III. confirmatus. Insuper eidem Generali asseruere compositionem illam vocum, quam Paulus de Monticulo ad Capitulum deportaverat, non juridicè factam fuisse, sed metu, & fraude, quatenus Legatus Marchionis cap. 7. relati minatus omnibus fuerat, quod si in Cyriacum de Paduâ non conspirassent eorum suffragia, Monasteria quæcunque in Ditione Cæsareæ Majestatis posita à Congregatione defecissent, adeóque suffragia nulla prorsus esse, quæ Paulus prædictus jactabat, idque pariter asseruit eidem P. Generali P. M. Julius de Mantuâ in Cõventu Marignani. Præterea asseruerunt iidem Patres Leonardus, ac Theodorus Paulum præfatum de Monticulo nun-*

C *cium legitimum non fuisse Congregationis. Mos enim eligendi nuncium hujusmodi ad Capitulum Generale mittendum in Congregatione perpetuò servatus is erat, ut electus antea in Capitulo FF. Congregationis Vicarius ejusdem Generalis, & unanimi omnium consensu per osculum manuum in obedientiæ signum receptus personaliter accedere teneretur ad Capitulum Generale, ibique suffragium dare, quod ab Ordinis Nostri FF. perbenignè admitteretur. Si verò interesse personaliter non posset, nuncium ipsemet eò mittere posset, qui ejus gereret vices; Paulus autem ad Capitulum Generale mittendus electus fuit, antequam creatus fuisset Vicarius Generalis, ad quem solummodo venire, vel mittere Vices gerentem spectabat, quinimmo qui deinde*

D *creatus fuit Vicarius Generalis Paulum nullo pacto legasset, ejusque proinde actiones omnes, & singulas nullius omnino roboris fuisse iidem asseruerunt.]*



A *Dionysius Cardinalis atque Antonius Sanseverinus Protector moriuntur, & Ascanius Parisanus Card. in demortui locum succedit.*

CAP. IX.

COmitijs igitur Faventiæ absolutis, Augustinus Generalis Bononiæ multa per æstivos calores pro administrandâ Religione meditatus, se tandem ad visitanda Cœnobia contulit, & quando magis sperabat sub umbrâ Dionysij Card. posse faciliùs munera officij sui obire, Veronæ præter opinionem durum accepit nuncium, Romæ Dionysium 4. Cardinalem brevi, sed atroci morbo extremum diem persolvisse 17.

Dionysius Card. moritur.

B Kal. Octobris. Cujus defuncti mœrore totus conficitur Ordo noster, quòd columen, decus, & gloriam omnem simul amisisset. Nam præter Cardinalitiam dignitatem, quæ omnium maxima fuerat, si Dionysij spectetur eloquentia in dicendo, prudentia in agendo, sapientia in docendo, & disserendo, sedulitas, & vigilantia in lucubrando; singula hominem universis admirandum præbebant, Angeli enim quondam Generalis operâ ab ipsis ferè incunabulis Dionysius in studijs enutritus, illud de se specimen dederat, ut Perusij, Bononiæ, ac demum Romæ Physicas, Mathematicas, Theologicasque disciplinas multos annos summâ omnium admiratione interpretatus fuisset. Quàm verò disertè, & ve-

C nustè in primarias Italiæ Ecclesias, & novissimè S. Laurentij in Damaso Divinum verbum explicasset; quamque in dicendo, & apud Pontificem, & Cardinales orando gratiam assecutus fuisset; quàm denique Pauli Tertij benevolentiam sibi ob suas præcipuas virtutes comparasset, exitus ipse probavit, & ulteriùs etiam comprobasset, nisi mors improba ipsius futuræ gloriæ, & nostræ omnium utilitati, & lætitiæ obstitisset. Mortuus igitur solemni pompâ, & P. Dominici de Veronâ Baccalaurei publicâ laudatione commendatus, in nostrâ Ecclesiâ sui tituli S. Marcelli honorificè tumulatus fuit, in cujus postea memoriam Augustinus Generalis, ut mœrorem, & squalorem proprium leniret, &

D quam debebat gratitudinem ostenderet, marmoreum hoc monumentum poni curavit 1.

Dionysio Laurerio Beneventano, & tit. S. Marcelli Presbytero Cardinali, Urbinatensi Episcopo, Religionis Servorum Generali gravissimo, ac Legato Campaniæ à Paulo Tertio Pont Max. ordinato, Viro etiam omni ferè scientiarum genere ornato, R. P. M.

Au-

Augustinus Aretinus ejus Alumnus Generalis posuit 1542. vixit Ann. 45. obijt 17. Septembris.

Hunc initio anni sequentis die 16. Februarij secutus est P. M. Hieronymus Amideus de Lucâ, qui gravi morbo solum sex dierum spatio correptus, mortem proximam præsentiens hilari vultu Sacramenta, etiam extremam unctionem ore proprio devotè ultrò efflagitavit, & de imminenti suâ resolutione totus lætitiâ repletus diem illum felicem, jucundum, & tamdiu ab eo expectatum sæpè vocitavit, Deo totis viribus incessanter gratias agens, sensibus integris etiam usque ad ultimum spiritum feriâ sextâ circa 23. horam animam exhalavit. Cujus prudentiæ, & sapientiæ quantum debeat Servitarum Respublica, Cœnobia Provinciæ Mediolani, quæ Ordini conservavit ab impiorum manibus, & Opuscula, quæ de immortalitate animæ contra infideles, & de veritate fidei contra Martinum Lutherum edidit, satis demonstrant. His accedit Quadragesimale omni doctrinâ refertum, cujus originale in Monasterio Servorum Lucæ habetur, in quo hos difficillimos articulos proponit, & doctissimè pertractat contra hæreticos: videlicet; De Sacramentis, Pænitentiâ, Confessione; Libero arbitrio, Fide, & operibus; Merito, Peccato, Divorum cultu; Cœna Domini; Ciborum delectu; Jejunio; Dierum discrimine; Oratione; Voto, Consilijs, Matrimonio; Episcopis; Ceremonijs; Traditionibus humanis, & Concilijs. Quibus viginti articulis Tractatum etiam de Cambijs in scriptum adiunxit, & alium libellum de Divino jure contra eundem Martinum Lutherum D. Antonio de Monte Cardin. Protectori nuncupatum; Item aliud opus Theologicum D. Roberto de Puceis Card. Flor. oblatum. Insuper optimus Præsul iste Cœnobium Consolationis Ferrariæ pro Ordine obtinuit, & Mergellinum delitiarum locum prope Neapolim à sapientissimo Jacobo Sannazario impetravit. Nonnullas elucubrationes Patrum, quæ qui ex hominum memoria exciderant, in lucem edidit. Religionem denique virtutibus, & moribus decoravit: ob suam verò probitatem, ac in concionando sanctissimam doctrinam Senensium Reipublicæ extitit gratissimus, quæ inter suos cives illum connumerare, ac in Senatu admittere, suffragiaque ferre non fuit dedignata: atque ob id Hieron. in suis patentibus literis verba illa apposuit, quæ cecinit Propheta regius: *Montes in circuitu ejus* A Deo namque, & à civitate Senensi, quæ super Montes est constructa, voluit innuere propositum fuisse huic dignitati, quam post tot labores, Ann. Dom. 1534. jussu Paulli III. ut dicebatur, deposuit, & Lucam petens orationibus, ac pijs speculationibus insistens demum obdormivit in Domino.

M. Hieron. de Luca gesta. & obitus.

E Tanto Patre orbata Religio in uno tunc temporis consolabatur Dominico de Veronâ .2. Sacræ Theologiæ Baccalaureo, qui in Romanâ Sapientiâ jamdiù lecturam à Dionysio receptam, tantâ doctrinâ, tanto dicendi lepore, tantâque verborum copiâ in enucleandis divinæ Scripturæ sensibus exercebat, ut omnium Auditorum animos in sui benevolentiam cum admiratione converteret. Erat profectò Dominicus præter ubertatem scientiæ, tam proceræ staturæ, tam speciosæ formæ, ut uno omnium ore mons sapientiæ, vulgò dictus *il Monte* ab omnibus nuncuparetur. Pistorij etiam hoc tempore florebat Venerabilis Pater F. Laurentius, cujus prudentiâ, & morum religiositate permotus Sena-
F tus ille primarium Administratorem Hospitali de Oppido Hospitaleti præfecit, ut infirmorum curæ, & Christianæ hospitalitati meliùs vacare posset.

Cùm autem Patres de Congreg. apud Forum Pompilii convenissent, quem præterito anno in Casali Majore sibi Vicarium præfecerant M. Leonardum de Brixiâ, hoc etiam anno in eadem præfecturâ confirmarunt. Interea Romæ D. Protector .3. Antonius Card. Sanseverinus diutino languore oppressus, tandem 17. Kalen. Septemb. moritur, in cujus locum jure optimo eligitur à Summ. Pont.
Protector Fratrum Servorum D. Ascanius Parisanus, patriâ .4. Tolentinus Card. Ariminensis nuncupatus, quod ante Cardinalitiam
G dignitatem diù eidem Ecclesiæ Ariminensi præfuisset. Hunc M. Nicolaus de Cæsenâ Procurator consultò à Summ. Pont. Protectorem efflagitaverat propter tot & tanta beneficia, quæ ante, & post adeptum Cardinalatum in Ecclesiam S. Marcelli contulerat: magnas enim pecuniæ summas post combustam, & dirutam Ecclesiam, ut reficeretur, sæpe obtulerat, qui & Sacellum sub titulo sanctissimæ Pietatis in eâdem Ecclesiâ sibi, suisque posteris erexit cum sepulcro, in quo denique moriens conditus fuit. Quin & Palatium suum, ne à suis Consanguineis alienari posset, quorum serie extinctâ, ut ad Cœnobium D. Marcelli devolveretur, testamento legavit. His itaque pensitatis beneficijs apud Pontifi-
H cem actum est, ut ipse Ascanius Parisanus non solùm S. Marcelli, sed & totius Ordinis Protector haberetur.

Ascanius Card. Protector creatur.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

1 *Ex monum. Conv. S. Marcelli, & Alphons. Ciacconio in Paulo Tertio.*
2 *Ex monum. Conv. Serv. de Veronâ.*
3 *Alphon. Ciacconius ut supra.*
4 *Ex diarijs Conv. S. Marcelli.*

NOTÆ

N O T Æ.

I Quòd Gianius hìc absque ullâ animi hæsitatione referat inscriptionem Dionysij Laurerij Cardinalis eximij sepulcro appositam, quâ Dionysius dicitur absolutè Beneventanus, quem ipse ad Annum 1527. dixerat de Sieti, opinari meritò licet, quod Gianius re melius consultâ, ac veritate exploratâ sibi suaserit Beneventanum reverâ esse Dionysium, nisi enim hoc ex animo probasset, minimè dissimulasset, etsi non ea se expendisse monstraverit, quæ hoc sibi suaserint, & à veteri sententiâ recedere coegerint. Id ergo ipse pro Gianio etiam aggressus ea primùm expendam, quæ proferunt in medium nonnulli, ut Dionysium de Sieti apud Gephonenses originem duxisse, ibique natum esse ostendant. Proferunt in primis, quòd ibi etiamnum cernere liceat domum ejus Paternam, in quâ natus ipse fuerit. Secundò, quòd ipsum in eo Conventu S. Mariæ Paradisi tanquam ejusdem Alumnum ad Habitum receperit P. M. Eusebius Granita, Vir laude quacunque superior, & in his Annalibus* honorificè commemoratus. Tertiò, quòd adhuc conspicua sint in hoc nostro Conventu Emblemata, & stemma Dionysij cum hac inscriptione: F. Dionysius Laurerius de Sieti Ord. Servorum B.M.V., huius Cœnobij Alumnus S.R.E. Cardinalis. Quartò, quòd in eodem Oppido existat adhuc Familia Laureria, ejusque pervetustum sepulcrum in Ecclesiâ Parochiali SS. Salvatori dicatâ, necnon Aræ Majoris ejusdem Ecclesiæ Icon, quam delineandam curavit Joannes Baptista, quem dicunt Laurerium, ac Dionysij Nepotem, ubi in Cornu Evangelij cernitur Dionysii effigies, & in Cornu Epistolæ Effigies pariter memorati Eusebij, cum sequenti inscriptione.

Dionysium Card. Laurerium Beneventanū esse probatur

*Cent. 4. l. 1. c. 2. ad annū 1536.

Joannes Baptista Laurerius de Giphono ex Cardinalitia Familia ortus, ne Patria, neve Patriæ Templum Salvatori dicatum sine Iconis honore staret, hoc ubi Salvator salutis æternæ Transfiguratione in hominibus demonstravit, ut sic reliquum sibi emensæ jam vitæ Salvatoris merito futurum sit pingi, ac simul ibidem Cenotaphium suum universæ Familiæ Laureriæ sepulcrum, ut in perpetuum pateret cōstrui curavit ætatis suæ 70. Christi verò anno 1591. Mense Maij.

Referunt denique, quòd ibi Palatium ædificandum tanto Viro, ac S.R.E. Cardinali accommodatum curaverit P. M. Augustinus Pastina Ord. Serv. Dionysii Cognatus.

A

Etsi verò conjicere ex his quibusdam libuerit, quòd Dionysius ortus in hoc loco fuerit, mihi tamen, nec libet, nec licet, non modò quia proposita rationum momenta minimè urgent, verùm etiam quia longè validiora occurrunt argumenta, cum auctoritate conjuncta, quæ Beneventanum è clarissimâ Familiâ Laureriâ ostendunt. Utrumque modò expendendum aggredior. Primùm sanè non urgent propositæ rationes: non prima, quandoquidem assequi non licuit, quantumlibet exacta adhibita fuerit ab Illustribus, ac summâ fide dignis Viris inquisitio, Domum hanc paternam, in quâ natus fuerit Dionysius, neque monumentum, neque scriptura ulla occurrit, quæ hoc doceant; quæ si fortè assequeremur, colligere inde quis posset, quòd Dionysio

B

longè Majores domum illam coluissent, Locus ille Patria ipsi fuisset; inde verò Beneventum translati, quod usuvenire pluribus Familijs novimus ex humili loco ad illustriorem translatis, suum ibi genus propagarint, illustrarint, ad nobilitatis gradus provexerint, ac Dionysium nostrum procrearint, qui proinde Beneventanus dicendus omninò sit.

Non secunda. Novum enim non est, quòd in aliquo Regularium Monasterio recipiatur quis ad Habitum, qui longè ab eâ Civitate, vel Oppido, ubi recipitur, suam duxerit originem, quod sanè passim contingere plurimis comprobare possem exemplis. Illud insuper animadvertendum est de Dionysio, quòd eo temporis in

C

amplissimâ Beneventi Urbe, locum non adhuc tenuerat Ordo Servorum, quem jampridem tenuerat in Oppido Sieti. Et vero proximum est, quòd cum Eusebio prædicto Granitâ familiaritatem contraxisset, propterea quòd Bona quædam forte Dionysio Majores in eâ Regione habuissent, prout nuper innuebam, & ad annum 1530. in his Annalibus, ubi de Conventu Mergellinarum in Regiâ Urbe Neapolis agens Dionysio acceptum referendum esse Conventum hunc animadverti; ex quo Dionysius apud Gephonenses divertens, & sacras quandoque Conciones per Quadragesimam habens D. Marchionissæ Piscariæ gratiam inierat, quæ sanctissimis, ac suavissimis ejus colloquijs valdè oblectabatur, subindéque in causâ fuit, ut Dionysius cum Ja-

D

cobo Sannazario prædicti Conventûs Conditore, amicitiam conciliaret.

Non tertia; non enim constat, quòd prædicta Emblemata, Inscriptionem, & stemma, Vir quidam apposuerit Dionysij temporibus proximus, & ob eximiam in rebus historicis peritiam magnæ auctoritatis, quinimmo constare videtur appositum; non enim ibi legimus, quòd Dionysius fuerat Ord. Serv. Generalis, Archiepiscopus Urbini, Campaniæ Legatus, pluribus alijs, & quidem gravissimis pro Apostolicâ Sede Legationibus functus; neque Titulus exprimitur Cardinalitius S. Marcelli, non Annus, quo creatus fuerat Cardinalis, vel quo floruerat, vel quo obierat; quæ sanè prætereunda Viro cor-

data, Viro perito non erant. Longè verò minoris habendam esse constat in pretio inscriptionem hanc, si alteram opponamus in hoc cap. relatam, quam Dionysii sepulcro statim ab ejus obitu apposuit Augustinus Bonuccius, Vir Doctrinâ, & genere clarissimus, Dionysij fidissimus Alumnus, & in supremâ Ordinis Præfecturâ successor, qui proinde optimè noverat, & mores, & genus, & patriam Dionysij, eamque non in humili quodam, & obscuro loco apposuit, sed in Urbe Româ, quam universi terrarum Orbis Theatrum esse nemo sapiens non novit, quò proinde eruditi quicunque, & emunctæ naris Viri confluere solent. Mirari tamen non decet, quòd falsa hæc irrepserit Opinio, adeòque erronea prædicta in Oppido Sieti inscriptio; nam & in amplissimis Civitatibus erroneas hujusmodi inscriptiones legere obvium est, quas recensere utique possem, sed minimè vacat.

Non quarta; In primis enim nemini ferè notum non arbitror, quòd in diversis ejusdem Regni, Provinciæ, vel etiam Civitatis partibus idem occurrit cognomen in pluribus Familiis, quæ nullam inter se consanguinitatem habent, neque ex eodem stipite prodeunt, clarissimæ quædam persæpe, quædam verò è grege, atque vulgares. Præterea licèt reipsâ in hoc Oppido eadem habeatur Familia Laureria, è quâ Dionysius procedit, non ideo tamen assequimur, quòd ibi natus sit Dionysius, & ejus Patriam Oppidum hoc dicere oporteat, cùm longè ante ejusdem ortum Beneventum, ut diximus, translata fuisse censeri possit. Ad hæc Joannes Baptista memoratus in prædictâ Inscriptione dicit utique se ex Cardinalitiâ Familiâ, non autem Dionysij nepotem, vel aliâ consimili ratione cognatum, & quamquam nepotem se diceret, non ideo absque altiori indagine verè nepos habendus sapientibus esset, familiare enim non paucis esse videmus è Genere quodam clariori se prodeuntes jactare, è quo reverâ non prodeunt, quod planè de hoc Joanne Baptistâ suspicari meritò possumus, cùm ipse ex Gephono esse se dicat, Loco nimirum aliâ à Sieti; in hoc autem Loco, nonnullo dicitur esse Laureria Familia. Denique oculari inspectione consequi licet, quod consequuti anno 1719. fuere Viri omni exceptione majores, è quibus hæc omnia accepi, Joannem Baptistam præfatum in sepulcrali illâ inscriptione Lauderium se dicere, & sepulcrum illud universæ Familiæ Lauderiæ ponere, non autem Laureriæ. Hinc jure colligitur, quòd Joannes Baptista gratis dicitur ex Cardinalitiâ Familiâ, cùm è Laureriâ Familiâ non sit, sed Lauderiâ.

Non quinta demum ratio ex asserto Palatio petita; siquidem non constat quis, quo tempore, quove jure Palatium hoc usui Dionysii accommodatum ædificandum curaverit; antequam enim in Albo Cardinalium adscriptus esset, minimè congruebat, quia in Ordine Servorum erat, ibique Paterna Domus fuisse asseritur; postquàm verò dignitatem illam assequutus fuerat, & Archiepiscopatum Urbini, non video quo jure

E *parandum illi esset in hoc Oppido Palatium, qui vel Urbini, vel Romæ commorabatur. Præterea (quod plurimi habendum est) Palatium hoc minimè reperitur, sed potius humilis quædam Domus, quæ ad Laureriam Familiam spectare gratis asseritur, utique Purpurato Viro excipiendo inepta. Quibus omnibus accedit, quòd si reverâ Oppidum hoc, tanti Viri patria esset, plura, eaque præclara, ibidem erecta cerneremus etiam marmorea monumenta, cujusmodi conspicua sunt de aliis hujusmodi Viris, præsertim in humilibus Locis; potissimùm verò, quòd de celeberrimo Viro agimus, non antiquissimo, nec à nostris Regionibus maximè dissito, cujus proindè conditio, & Patria in his innotescere satis commodè potuit, obiit enim anno 1542.*

F *Cùm satis, superque, ni fallor, ostenderim, quòd proposita quinque argumenta pro asserendâ in Oppido Sieti Dionysii patriâ non urgent, quod erat primò ostendendum, alterum modò probandum aggredior; quòd scilicet Beneventum Dionysii patria sit, & à Laureriâ Familiâ ibidem clarissimâ vir tantus prodierit; hoc autem paucis assequimur. Primò quidem ex hactenus dictis de Inscriptione Dionysii sepulcro apud S. Marcellum de Urbe appositâ, quòd satis expendimus, ac de infirmitate rationum, quæ pro Oppido Sieti proferuntur in medium. Modò verò idipsum colligere facillimum erit in primis ex inveteratâ traditione, quæ per duo ferè secula non interruptâ serie ad hæc usque tempora apud Beneventanos invaluit, quæ Dionysium Beneventanum esse jugi tenore docuit. Ex eo deinde,*
G *quòd Beneventi nobiles Familiæ Roscio, & Pedicini de propinquitate cum Dionysio maximè gloriantur; hinc Epistolas quasdam cernere olim licuit, & adhuc fortè licet, quas Dionysius ad Thomam Roscio miserat, in quibus propinquum se dicit. Constat etiam, quòd Isabella Laureria Dionysij Neptis Marsilio Pedicini copulata in Matrimonio fuerat, qui proinde hæreditario jure sacellum pervetustum adivit de Laureriis sub tit. Sanctissimæ Conceptionis in Ecclesiâ S. Mariæ Gratiarum Minorum de Observantiâ, quæ planè affirmat etiam P. Gregorius Carphora Neapolitanus Clericorum Regularium Minorum in Lib., cui tit.* Le Gare degl' Angioli, *in Epistola nuncupatoria ad D.D. Iacobum Pedicini Episcopum Guardiæ Alpheriæ*
H *anno 1681. Quocirca Familia hæc Pedicina summâ veneratione Domi suæ præfati Cardinalis Imaginem servat.*

Confirmatur autem, & quidem maximè, auctoritate plurium gravioris notæ scriptorum, qui Dionysium Laurerium Ord. Servorum B.M.V. Priorem Generalem, & S.R.E. Presbyterum Cardinalem Beneventanum unanimi consensu affirmant. Platina primò recenseatur, sive Auctor, qui Platinæ historiam de Vitis Pontificum, & Cardinalium prosequutus fuit. Alphonsus deinde Ciaconius Ord. Prædicatorum in Vitis pariter Pontificum, & Cardinalium; Marius della Vipera in Episcoporum, & Archiepiscoporum Beneventi Chronologiâ; Ioannes Vincentius

Ciar-

Ciarlanti Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Iserniæ in monumentis historicis Sannij, ubi de Viris illustribus Beneventi; Ferdinandus Ughelli Tom. 2. Ital. Sac., ubi de Episcopis, & Archiepiscopis Urbini; Sforza Cardinalis Pallavicinus in historiâ Concilij Tridentini Lib. 4. cap. 1.; Nicolaus Toppi in Bibliothecâ Neapolitanâ, Pompejus Sarnelli Episcopus Bisegliæ in Episcoporum, & Archiepiscoporum Beneventi Chronologia; Callistus Puccinellius Ord. Servor. Prior Generalis in Compendio Historiæ prædictæ Cardinalis Pallavicini Lib. 4. cap. 1. Communis autem hæc est in Regno Neapolitano sententia, proindeque unanimi consensu recepta in singulis descriptionibus, tum veteribus, tum recentioribus Summorum Pontificum, & Cardinalium, qui in Regno Neapolitano suam Originem duxerunt.

Cùm ergo tot, tantique Viri Beneventanum unanimiter dicant Dionysium, nec unus occurrat, qui eum in Oppido Sieti natum esse scripserit, quo jure Beneventanum esse negandum est, vel revocandum in dubium? An ne Civitas amplissima Beneventi Viros hujusmodi illustres aliunde cogitur emendicare, ut sibi ex ipsis ornamentum accedat, quæ Summos Pontifices, & alios Cardinales è sinu suo produxit? Ad hæc animadverto, quòd præfatus Cardinalis Pallavicinus Beneventanum appellat Dionysium, antequam Cardinalis creatus fuisset, cùm scilicet ad Jacobum Scotiæ Regem Nuncius Apostolicus à Paulo III. missus fuerat. An ne Dionysium puduisset se ex Oppido hoc Originem duxisse, illudque Patriam suam fateri, si verè fuisset, cùm alij non pauci Purpurati Viri ex humili loco nati ipsum minimè dedignati sint? novi planè, quod ubi quis sacrâ Purpurâ à Summo Pontifice decoratur, undequaque circumferuntur Typis impressa eorundem Origo, Patria, Gentilitium Stemma, Cognomen, Nomen, Conditio. Quomodo ergo Beneventanus ab Augustino Boncuccio, & reliquis superiùs memoratis scriptoribus dici absolutè, ac liberè poterat, si Oppidum Sieti ejus patria esset?

Itaque Beneventanum & ipse dicere non vereor Dionysium Laurerium, qui etiam amplissimæ illius Ecclesiæ Archidiaconum, quam Dignitatem obtinuit, sive postquam Sacrâ Purpurâ decoratus fuerat, quod sibi suadere videtur Ciaconius, sive antea, quod vero propiùs esse crediderim, & sentiunt non pauci, quam tamen etiam Cardinalis retinuit; unde nonnisi post ejus obitum alteri collata fuit, Thomæ nimirum Controversi, Episcopo deinde Pennensi, & Hadrianensi, necnon Bononiæ pro Apostolicâ Sede Vicelegato. Cùm igitur hæc ita sint, F. Vincentius Maria Cardinalis Ursinus Ord. Prædicatorum Archiepiscopus Beneventi, Vir sanctitate, doctrinâque non minùs, quàm Dignitate Eminentissimus in Archiepiscopali Palatio suo, unà cum Insignibus octo aliorum S. R. E. Cardinalium Beneventanorum sequens Elogium apponi jussit; quo proinde Dionysium Laurerium Beneventanum esse confirmat.

A Fr. Dionysius Laurerius Ord. Serv. Gener. Prior S. R. E. tit. S. Marcelli Presbyter Card. creatus à Paulo Pp. III. A. D. MDXXXIX. Campaniæ itidem Legatus, ac Urbinatensis Episcopus obijt A. D. MDXLII.

Quod dissertationi huic meæ præclaram imponit Coronidem, & summam tanti Principis Cardinalis Ursini, erga humilem Servorum B. M. V. Ordinem benevolentiam, ac munificentiam plurimis jampridem notissimam, omnibus modò verè conspicuam fecit, quem superstitem adhuc, & incolumem diù servet Altissimus.]

B *Dum Cosmi Reipublicæ Florentinæ Ducis munificentiâ Sacellum Annunc. de Flo. argenteâ supellectili cumulatur, M. Romulus Flor. in Pisano Gymnasio publicus Theologus moritur.* CAP. X.

QUantùm Mediceæ genti debeat Ordo noster, atque in primis Cœnobium Florentinum, modo longum esset in dicem texere, & ea frustra repetere, quæ jam conscripta fuere. Illud tamen hoc ann. 1544. non est silentio prætereundū, quòd Cosmus Reip. Dux Secundus, ut damna, quæ ob publicam necessitatem præterito tempore intulisset Florentinus Senatus, ipse nunc generosâ pietate resarcire curavit. Nam ut Sacellum gloriosæ Annunc. .r. cum totâ Ecclesiâ suis consuetis argenti, & auri ornamentis sublatis restaurarentur, prædium non modici C proventûs eâ lege ipsi Ecclesiæ perpetuò applicavit, ut triginta argentei lychni, duo magni ponderis candelabra, quinque calices, cum alijs candelabris parvis super Altare ipsius Annunciatæ conficienda essent, quæ singula postmodum cumulatè, & adamussim completa fuere. Exortæ interea contentiones inter Augustinum Generalem, & Patres de Congreg. qui ei retinebant consuetas annui commeatûs solutiones per D. Philippi Archinti Vicarij Papæ sententiam ita resolvuntur. 2.

Cosmus Medices Sacellū Dive Annunc. ornat.

Philippus Archintus Vicarius Papæ per sententiam jubet solvi quadraginta scutos à Congregatione pro taxâ Generalis, qui sibi proveniebant propter Conventûs, quos illa acceperat à Nicolao de Perusio Generali, scilicet D Mantuæ, & Judaicæ, & per Generalem Christoforum Conventum Servorum de Venetijs, pro quo solvuntur viginti aurei, & alij viginti pro reliquis Conventibus, ut patet de anno 1424. quando eadem taxa solvebatur.

Huic verò determinationi mutuò consenserunt Augustinus Generalis, & M. Theodorus Caprianus de Mantuâ, quem Patres Congregati rursus Vicentiæ in suum Vicarium delegerunt, & à Generali Augustino confirmatus fuit. Has verò lites, cùm ad aures Pontificis pervenissent, Ascanius Parisanus Protector non potuit per se ipsum dirimere, quia

hoc tempore legationem agebat Perusij, ut etiam novæ Arci construendæ præesset.

P. Sebastianus de Alexandria Magist. creatur.

Cumq; Augustinus Generalis Romæ ageret, videretq; .3. P. Sebastiani de Alexandriâ in augendo Cœnobio S. Marcelli sedulitatem, & quam ob religiosos mores famam, & bonum nomen, & benevolentiam per Urbem sibi conciliasset, non modò ei privilegia Magisterij à Dionysio *Præ*decessore concessa confirmavit, verùm etiam cumulavit, & filium ejusdem Conventûs S. Marcelli declaravit, ut exemplo ediscerent alij quàm oporteat prudenter, & se in rebus agendis cum vitæ probitate benè gerere. Primariam sacræ Theologiæ Cathedram in Pisano Gymnasio summâ cum laude regebat hoc tempore M. Romulus Laurentianus .4. de Florentiâ, qui transacto nono suorum laborum anno in gravem, diuturnumque duorum mensium morbum cum incidisset die 21. Octobris vitam cum morte post annum ætatis suæ 56. commutavit. Ejus obitum quàm graviter ferret Urbs Florentiæ, & Pisarum, quàm molestè acciperent ejus discipuli cum toto Ordine nostro testes fuerunt, qui ejus gesta laudaverũt; duplici enim honore mœrentes Patres censuerunt dignum M. Romulum. Nam Pisis totâ Doctorum Catervâ astante tumularunt, & luculentam in ejus laudes orationem habuit F. Archangelus Brusculo sacræ Theologiæ Baccalaureus, & Magister Studij ejus discipulus, cujus initium est *Probibebat ingens dolor, &c.* Ac deinde Florentiæ in Ecclesiâ Annunciatæ tota Theologorum Universitas ejus inferias rursus die 28. ejusdem mensis innovavit; cujus etiam laudes R. P. M. Zacharias Faldossius Flor. eleganti oratione denuò explicavit. Ortum accepimus Florentiæ M. Romulum anno Dom. 1488. Patre Laurentio de Laurentianis physicæ artis peritissimo, qui cognitâ filij indole, humanioribus literis primùm erudiri, mox Dialecticæ, & Medicinæ operam dare curavit; verùm is mundanæ disciplinæ pertæsus, cùm sexdecim esset annorum Religionis Servorũ habitu indui voluit, & vix ad annum 22. ætatis suæ pervenerat, quando publicis disputationibus, & scholasticis concertationibus altæ spei Juvenis sese strenuè exercere instituerat. Ad virilem denique ætatem cùm pervenisset, summæ sapientiæ prudentiam quoque in rebus gerendis adiunxit; & quemadmodum plura nostri Ordinis Gymnasia rexit, ita etiam varias Cœnobiorum administrationes, & Provinciarũ Præfecturas exercuit; quin & Cœnobijs, tum Bononiæ, tum Florentiæ iterum, atque tertiò fuit Prior. Nec tamen unquam Divini Verbi prędicationẽ per primarias Italiæ Urbes prætermisit, donec Florentiæ epistolas D. Pauli infra annum, & Evangelium per Quadragesimam in Metropolitanâ Ecclesiâ, ipso etiam Cosmo Duce sæpe sæpius præsente, & frequenti populorum concursu gloriosè explicavit. Quamvis scholasticas diversarum facultatum lecturas varijs in locis semper haberet; nam integrum quinquennium Dialecticam in viâ Scoti tam subtiliter Ticini interpretatus fuit, ut eo recedente Ticinenses Scholares conquererentur, è Papiâ Dialecticam cum Romulo abijsse, cunctis dicentibus *Romulus abest, Dialectica deest.* Deinde Florentiam adscitus, ut sacram Theologiam eo in studio publicè explicaret, tantâ demum doctrinâ, & famâ præfulsit, ut transacto quarto ejusdem lecturæ anno; Cosmus Medices Dux in reformando, amplificandoque Pisano Gymnasio primariam Theologiæ Cathedram M. Romulo commendasset; super quã tam altè, tam eminenter doctrinam Scoti enucleavit, atque sustinuit, ut quâcunque opportunitate sibi propositâ Scotum cum Aristotele conciliaret, alterum per alterum explicando, ut jure optimo ab omnibus Scotistarum, & Peripateticorum Princeps acclamaretur. Græcâ, & Hebraicâ linguâ usque adeò delectabatur, ut ingravescente ætate ab Hebraicorum lectione, & studio vix unquam recederet: quare & Aphorismos Hypocratis è Græco in Latinum transtulit, & à multis erroribus vindicavit. Et quoniam eo tempore Lutheri, & aliorum Hæreticorum grassabantur errores, Romulus, tum concionando, tum disserẽdo visus fuit malleus omniũ errorũ, veluti ostẽdunt ipsius quadragesimales lucubrationes, quæ olim circumferebantur, de Purgatorio, de intercessione, Reliquijs, & veneratione Sanctorum, de Indulgentijs, de Sacrificio Missæ, & alijs Sacramentis, de potestate Romani Pontificis, de pueris non baptizatis decedentibus, de providentiâ, de prædestinatione, &c. Præter hæc refert Pocciantius noster M. Romulum Scoti collationes in unum collegisse, & à plurimis erroribus, quibus scatebant, emendasse, & Angelo Generali sub prælo editas nuncupasse. Quatuor libros de elocutione super Periermeniam Aristotelis typis mandasse, & Commentaria in tres libros de Animâ exarasse.

M. Romulus Laurentianus moritur.

In cuius laudem hæc dictavit Quintianus Stoas Poeta Laureatus.

Sit licet ignivomis creberrima fama Pyropis
Et magnum innumeri nomen jaspidibus.
Nullus honos tamen est gemmis tellure sepultis,
Nec retinet formam Bractea operta suam.
Sic licet istud opus sua nomina promeret ingens,
Impleretq; suis clymata nominibus.
Romulus huic nomen majus dedit: inclyta postquam
Eduxit titulis dogmata digna suis.
Addidit huic operi frontem, mendosa refecit
Verba, opus ac tutum candidè Lector babe.
Dat tenebris lucem, mollit prædura, serenat
Obscura, irradiat nubila, saxa domat.

Qui verò ex ipsius Scholâ emerserunt primariæ notæ discipuli, multi quidem ad nostram

ftram notitiam non pervenerunt , his paucis exceptis, qui fuerunt: Athanafius, Hieronymus à Florentiolâ , & Archangelus Brufculo Florentini Patres . Mortuo itaque Romulo, & Cathedrâ Theologiæ vacante adfcitur ad legendum M. Joannes Baptifta Milliovacca Aftenfis .5. qui tunc Ticini morabatur . Nam Cofmus Dux auditâ famâ illius folertifsimi ingenii , & eminentis doctrinæ in ipfius locum ab Auguftino Generali efflagitavit , qui Pifas pervènit die 12. Decembris , & primam lectionem fuper fecundum fent. in viâ Scoti fummâ omnium admiratione inftituit die 15. ejufdem Menfis .

M. Joannes Milliovacca Theologus Pifarum.

[Perantiquum Oratorium S. Rochi extra Terram Luciniani in Thufciâ , quo tempore Ordini Servorum obvenerit , latet ; ad hæc autem tempora refertur ex quo die 29. Augufti 1548. D. Bernardettus de Minerbettis Florent. Epifcopus Aretinus eidem univerit Oratorium aliud SS. Martini, & Antonij . Locum autem hunc anno circiter 1548. ob ingruentia Bella Senenfium folo funditùs æquatum lugemus , cui tamen Cofmus I. Medices Magnus Etruriæ Dux locum alium fuffecit S. Mariæ de Quercu , de quo ad annum 1574. Eodem anno 1544. Ordini noftro accefsiffe Locum quendam extra Perufium , qui dicebatur S. *Mariæ della Cafa Caftalla* , è M.S. Archangeli Gianij colligimus , ficut & alium anno fequente 1545. cui titulus *S. Petri de Perlâ* diftrictûs Baffani in Provinciâ Marchiæ Tarvifinæ ex Regefto Auguftini Generalis pag. 97. qui P. Jofephum de Cutico eidem Loco Priorem conftituit ; cæterùm nil aliud de utroque memorandum occurrit . Eodem pariter anno 1545. Auguftinus Generalis Cõventui S. Annæ de Placentiâ unit , & incorporat Conventum S. Mariæ de Corvariâ in Diœcefi Placentinâ pofitum, de quo dictum eft ad annum 1512. non modò , ut utriufque Conventûs commodo confuleret , verum etiam , & quidem maximè, ut morem gereret P.M. Gabrieli Anguifciola de Placentiâ Viro celeberrimo, de quo iterum ad ann. 1557. & 1560. quatenus ipfius operâ , ac ftudio Locus hic de Corvariâ Ordini noftro accefferit , quem proinde eidem Loco ita præeffe , eumque protegere , & adminiftrare Auguftinus idem decrevit , ut PP. Conventûs præfati de Placentiâ , licèt Priorem Loco illi de Corvariâ annuatim eligendi jus , & facultatem ipfis refervaverit ; id tamen præftare non poffent nifi præmiffo Gabrielis confilio , & expreffo confenfu , quemadmodum conftat ex literis patentibus ejufdem Auguftini Generalis ad hoc Bononiæ datis die 29. Aprilis anni prædicti 1545. in ejus Regefto pag. 158.]

Conv. Corvariæ Diœc. Placent. unitur Convêt. S. Annæ de Placentiâ.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 EX *monumentis , & contractu largitionis Archivi Conv. Florentiæ.*

2 *Ex monumentis Conventûs S. Mariæ in Viâ , & Regefto General. Auguftini.*

A 3 *Literæ patent. habentur in Archivo Sancti Marcelli.*

4. 5 *Inter lucubrationes Mag. Archangeli Brufculo Avunculi Auctoris adhuc reperitur Oratio ejufdem in funere M. Romuli, ex quâ, & ex Poccian. fingula.*

Comitia generalia ob Concilium Tridentinum dimittuntur , & rebellantes Narbonenfes , Patrefque de Congreg. recepto Cænobio Ferrariæ cum Ordine reconciliantur.

C A P. XI.

B IMminente jam tempore, quo Patres , & Prælati fimul cum Principum Oratoribus , & Pontificiis Legatis Tridentum ad Oecumenicum Concilium convenire deberent, & aliorum Ordinum Priores , & Abbates , Generalefque jam illuc iter maturarent , Auguftinus Generalis nofter juffu Pontificis ad Synodum & ipfe profecturus , generalia Comitia hoc anno , ipfo etiam per Bullam mandante Pontifice , cogitur prætermittere : inftauratis tantummodo per fingulas Provincias Capitulis , in quibus nova facta fuit electio Officialium cujufcunque Provinciæ , ficut apertiffimè indicant ejufdem literæ pat. Bononiæ die 30. Aprilis per fingulas Provincias transmiffæ ; in quibus declarat mentem Pontificis effe , ut generalia Comitia Ordinis ob Tridentinum Concilium prætermitti oporteat , ne publicum Chriftianæ religionis bonum ob privatum commodum negligeretur . Quare , & ipfi Patres congregati eodem tempore in Capitulo Baineoli rurfus Theodorum Caprianum de Mantuâ in fuum Vicarium Gener. confirmant . Quibus peractis Auguftinus Generalis Tridentum ad Patres proficifcitur . Videns autem variis impedimentis Sacram Synodum plufquam crediriffet protelari , & interim Provinciæ Narbonenfis rebellionem audiens , celeriter Mediolanum fe contulit , ubi menfe Septembri ad eos Patres reconciliandos Vicarium legavit M. Hieronymum Saccum de Summaripâ , cum mandatis , & literis patentib. die
D 10. Septemb. quas libet hoc loco apponere , ut edifcant ad quos fpectat, probos miniftros, & non rapaces , & tumultuofos , atque imprudentes hujufmodi muneribus , & officiis præficere , ne Paftores lupi rapaces evadant , & greges fibi commiffos difsipent ; cujufmodi feciffe ferunt ibi annis elapfis M. Marcum de Subitio , qui fuâ imprudentiâ , & malâ adminiftratione rebellionem illam ufque adeò excitavit , ut ejus fucceffor M. Profper de Piftorio , non modò ab eis reciperetur , fed etiam malè tractaretur , ut indicant fequentes literæ ; [qui cæteroqui Vir eximius erat , & præclara Doctrinæ fuæ fpecimina exhibuerat pluribus in locis, præfertim verò Piftorij in

Eccle-

Eccl. à Cathedrali, ubi communi omnium plausu coram Urbis Proceribus, Vicario Generali Episcopi, & frequentissimo populo præclarissimâ disputatione habitâ S. Theologiæ lauream statim acceperat, prout refert Sebastianus Vongeschi de Pistorio lib. Memorab. S. illius nostri Conv. pag. 128.]

F. *Augustinus Generalis Ordinis Servorum. Venerabilibus Patribus Conventûs nostrè D. Annunciatæ Civitatis Aquensis, cæterisque Provinciæ nostræ Galliæ Narbonensis Fratribus sal. Noverint dilectiones vestræ, quatenus cùm secundùm nostrarum laudabilium Constitutionum formam generale Capitulum hoc præsenti anno 1545. celebrari deberet, in quo à RR. Patribus Diffinitoribus Generalis, qui per triennium suo functus esset officio secundùm merita confirmari, Provinciarumque omnium Provinciales, atque Conventuum Priores eligi, & ab ipso Rever. Generali confirmato approbari, probatissima semper extiterit consuetudo. Quoniam tamen sub Concilij tempus cadebat ejus celebratio, ad quod Nos cùm ex officio nobis injuncto, tùm ex Sanctissimi D.D. nostri Pauli Divinâ providentiâ Papæ Tertij jussu, accedere debebamus, sicque eidem interesse minimè poteramus, placuit Sanctitati suæ, ut per literas in formâ Brevis Nobis directas apparet, quas in pluribus Religionis Conventibus promulgavimus, & legi fecimus, ut præfatum generale Capitulum, usque ad annum 1548. celebrandum differretur, Nosque per totum futurum triennium Generalatûs officium continuaremus. Sed ne Religio ea pateretur incommoda, quæ si Capitula saltem Provincialia non celebrarentur, facilè perpeti posset, statuit etiam, ut Provinciales, qui per triennium, & Priores, qui per biennium functi sunt officio suo, commutentur, & alij de novo eligantur. Propterea cùm cæteris Provincijs omnibus juxta præfati D.D. nostri placitum præscriptum, & formulam providerimus, ne Provinciæ dictæ immemores esse videremur, R. P. M. Prosperum de Pistorio Nobis jam diù non minùs probitate vitæ, quàm literis, & animi dotibus clarum, & celebrem, auctoritate Apostolicâ Nobis pro hac vice tantùm concessâ in Provincialem eligimus, & electum confirmamus, atque eum literis nostris patentibus cum sic electum, & confirmatum ad vos misimus, ut ipse postmodum Priores Conventuum, qui per biennium functi fuissent suo officio, tanquam Caput amovere posset, aliosque secundùm nostrarum constitutionum formas eligere. At vos, nescimus quo pacto contra disciplinæ ordinem (sicuti non sine maximâ animi Nostri molestiâ intelleximus) obstantes obedientiæ votum Sanctissimo D. nostro Nobis & successoribus præstitam abnegantes, excommunicationisque vincula aspernati, non modò non recepistis, sed ad lapides usque (ut audivimus) currentes, januis clausis illum rejecistis; quare non parum miramur, quânam conscientiâ freti, cum excommunicationis vinculo teneamini, Divina officia, Sacramentaque S. M. Ecclesiæ administrare audeatis.*

E *Quòd si hoc fecisse dicatis, quoniam Provinciales Itali, qui superioribus annis Provinciæ vestræ præfuerunt, in administratione suâ adeò turpiter, & temerè sese habuerunt, ut quo vultis suppliciorum genere existerent digni, miramur, quippe quòd non fuerint apud vos, qui eorum turpia, & scelera Nobis literis significarint, nam & injurias vestras ulti essemus, & pœnas ab illis, qui vos oppresserant, judicio persecuti fuissemus, quare apud vos potiùs, quàm Nos expostulationis est locus, nam vobis, sicuti & cæteris Religionis Fratribus in his, quæ judicium, & justitiam concernunt, non defuissemus. Tamen, ut Patris vobiscum, non Judicis officio perfungamur, nunc secundò R. P. Theologiæ Magistrum Hieronymum à Summaripâ, tàm*

F *doctrinâ, quàm ætate, & consilijs, & morum integritate insignem in Vicarium nostrum elegimus, electumque confirmamus, & ad vos mittimus, qui, & querelas vestras, & omnia vobis illata mala Nobis relaturus suscipiet, quem (sicut cupimus) honorificè, & humaniter suscipietis, vos ab omni, & quacunque, in quam incurristis, excommunicatione absolutos, & immunes intendimus, & declaramus, & ut filios pristino affectu, Religionis gremio complexos cognoscimus; quod si aliter facere audebitis, ipso facto Apostolicâ auctoritate Nobis in hac parte concessâ excommunicationem iterum vos incurrisse volumus, & immunitatibus, gratijs, privilegijsque omnibus, quibus nostri Ordinis Fratres potiuntur, privatos attestamur, atque ad*

G *ulteriora (justitiæ ordine semper servato) procedemus. Hortamur igitur dilectiones vestras in visceribus Jesu Christi, atque Charitatis vinculo, & præcipiendo mandamus, ut ipsi in omnibus, veluti, & personæ nostræ promptam exhibere obedientiam non postponant, quemadmodum & facturos vos esse confidimus. In quorum fidem, &c.*

Datum Mediolani die 19. Septemb. 1545.

His imminentibus periculis cùm Mediolani remedium adhibuisset Generalis, Patavium se contulit, ut etiam ibi conceptum odiũ Congregationis ob sibi ademptum olim Cœnobium Ferrariæ, sedaret, & omnia in pristinam tranquillitatem redigeret. Convenerunt

H igitur M. Theodorus Vicarius Generalis, & M. Gasparinus Venetus Visitator Congregationis cum Augustino Generali, & humiliter de præteritis contumelijs, & erroribus veniam petentes, de cætero polliciti sunt totam Congregationem sub ejus obedientiâ debere esse, & illum, tanquam Patrem, & Pastorem habituros, & ultrò omnibus litibus, & contentionibus Romæ apud Auditores Rotæ per decem, & septem annos ultro, citroque exagitatis, renunciare, annuos proventûs ex consuetudine Generali solvere, confirmationem Vicarij ab eo recipere, & alia hujusmodi servaturos, dummodo Cœnobium Ferrariæ sibi ablatum, cum bonâ veniâ

D. Hie-

D. Herculis Ferrariæ Ducis restitueretur. Quæ omnia Augustinus Generalis pro publicâ Religionis pace libenter probavit, & concessit, prout latiùs in instrumento Patavij per Ser Antonium Mariam de Lipis sub die 29. Octobris Ann.Dom. 1545. Et ita Cœnobium illud, quod tantarum seditionum, & discordiarum occasionem præbuerat in pristinam deditionem Congregationis, assentiente cum suis Consiliarijs Estensi Duce, pervènit. Singula hæc Ferrariæ Augustini Gen. nomine prudenter agente F. Feliciano Narniensi sacræ Theologiæ Baccalaureo, qui die 4. Novembris Theodorum Vicarium Congreg. & Gasparinum Visitatorem in pacificam ejusdem loci possessionem collocavit. De quo negotio optimè absoluto Augustinus Gen. per eundem nuncium Felicianum certior factus Tridentinum reversus est.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

Singula, quæ in hoc Capitulo continentur, ex Regesto Gen. Augustini decerpta sunt [ubi sunt Literæ Generalis ad Ducem Ferrariæ, & hujus ad illum, quas detulit P.M. Felicianus de Narniâ ad opus hoc absolvendum missus cum varijs instructionibus sibi descriptis. Adsunt etiam Literæ, quibus Augustinus Generalis præcipit sub dat. Paduæ die 30. Octobris 1545. P.M. Hieronymo de Ferrariâ, ut restituat Conventum Consolationis Vicario Generali Congregationis. Adest demum relatio habita de hac restitutione à Feliciano prædicto Oretenus P. Generali pag. 106. 107. & 108.]

B. Luciæ de Sardiniâ, necnon MM. Athanasij, Basilij Flor. & Polydori de Brixiâ gesta, & obitus narrantur.

CAP. XII.

B. Luciâ de Sardiniâ.

Beatam Luciam Satrillas de Sardiniâ .t. tertij Ordinis nostri Sororem hoc anno defecisse, veteres Beatorum nostrorum tabulæ referunt; cùm tamen ex Neotericis non desint, qui illam ante hæc tempora decessisse affirment: & huius sententiæ videtur esse D. Hieronymus Cajus Calaritanæ Ecclesiæ Canonicus, vir doctrinâ, rerumque gerendarum prudentiâ insignis. Hic enim in suâ Historiâ de rebus Sardois M.S. aliquando in lucem proditurâ, refert, quòd Beata Lucia de Sardiniâ fuit nobilis Comitissa Culleri [è clarissimâ Familiâ de Satrillas, ut diximus, quæ sanguine coniunctissima est cum Marchionibus de Villaforis &c. necnon cum nobilioribus Civitatis Calaritanæ.] præclara fœmina, & Deo devota; sed præsertim gloriosæ Dei Matri addictissima, quare summoperè lætata est, quando in patriam suam quèdam Patrem nostrum [nomine Alexandrum, ut diximus ad annum 1540. ubi de Conventu Culleri.] appulisse intellexit, qui secum devotissimam Deiparæ Virg. imaginem deferebat, & in quodam oratorio collocarat, ubi piorum eleemosynis Ecclesiam, & Cœnobium erigere cœperat, [uti superiùs diximus ad annum prædictum 1540.] Cui pia Matrona non defuit, quin quoad vires opem ferret, & tandem ab ipso Patre Ordinis Servorum B.M.V. origine perceptâ, talis Instituti amore succensa inter nostras Sorores habitu suscepto cooptari voluit. Anno verò Jubilei accedente, ut Sacra limina Urbis inviseret, Romam summâ cum religione perrexit. Erat autem Romæ Contubernium, quod in Transtiberinâ regione à Generali Alabanto, ut aliàs * dictum fuit, jamdudum institutum pro Sororibus nostris Tertiarijs, quæ ex alijs Civitatibus, & longinquis partibus ad Urbem venissent, & præcipuè pro illis, quæ de Sardiniâ, & Corsicâ illuc properassent. Hujus loci nobilis Matrona Lucia conscia, maluit inter illas pauperes Dei Genitricis Ancillas commorari, quàm nobilium fœminarum Ædes, & præsertim Columnensium Matronarum, a quibus pluries invitata fuerat, frequentare, & hospitio recipi. Ibi igitur Lucia diversata, & regulam Sororum nostrarum meliùs edoctâ sanctum B.M.V. habitum majori cum lætitia. & devotione venerari cœpit, & dum Romæ commoraretur maxima suæ sanctitatis, & humilitatis exempla alijs nobilibus fœminis præbuit, donec in Sardiniam reversa fuit; ubi Ecclesiam nostram Culleri in suo Comitatu frequentans, tandem plena dierum, & bonorum operum Deo animam reddidit. Ejus verò imaginem si quis referre in posterum voluerit facilè peregrino habitu induram cum coronâ calculorum, venustâ & eleganti facie Sororum more velatâ, & cum pileo in capite repræsentare poterit. Inter præclaros quoq; illius tempestatis viros, qui Religionem suâ eloquentiâ, & doctrinâ decorarent M. Athanasius Florentinus .2. in declamando vir præcipuus habebatur; tantâ siquidem dicendi energiâ, & venustate præstabat, ut ubicunque illum oportuisset in primarijs Italiæ Ecclesijs verbum Dei explicare, tantâ populi multitudo confluebat, ut vix Templa, quamvis magna, sufficere possent. Noverunt id Civitates Mediolani, Florentiæ, Genuæ, Neapolis, Romæ, & Venetiarum. Consueverat hic Pater pro exordio suarum Concionum populis pacem annunciare, & polliceri, ut sub hac trinâ literarum specie P. A. X. Paulum, Augustinum, & Christum se se velle tantummodo prædicare sponderet. Hujus suasu Mediolani, cùm in vastâ illâ Metropolitanâ per quadragesimâ concionaretur, marmorea B.P.N. Philippi statua eo in Templo inter cæteras posita fuit, ipsius etiam operâ ex publicâ piorum stipe ornamentum majoris Aræ Annunciatæ de Flor. quod hactenus completum non fuerat, per ingeniosos Artifices, & præcipuè Bartholomeum Angeli perficien-

** Lib. IV. cap. XIII. Cst. III. ad ann. 1492.*

Imago B. Luciæ de Sardiniâ.

M. Athanasius Florent. egregius concionator.

ficiendum curavit, etsi tale opus solum post biennium absolutum sit. Foverat vehementer hunc Patrem Dionysius Card. noster, quod ejus ingenium à primâ juventâ cognovisset ad sacra eloquia explicanda valde dispositum; quare & in præcipuis Ecclesijs Neapoli illum destinavit, quem Jacobus Sannazarius concionantem summoperè admirabatur, & commendabat. Postremò cùm debuisset Athanasius Romam pergere Aquipedij gravi morbo oppressus, hoc anno 1546. mense Febr. extremum diem solvit. Die quoque tertiâ Februarij M. Basilius .3. de Florentiâ onus mortalitatis deponit, cujus ingenium ita erat instructum in omni scientiarum genere, atque Græcis, & Hebraicis literis exornatum, ut omnes materias etiam difficillimas explicaret: facundiâ verò tantâ, tamque eleganti erat decoratus, ut eo orante etiam maxima Templa compleretur. Hujus doctissimi Patris lucubrationes ad Religionis manûs nô pervenerût, alijs ergo nidificavit. Hos secutus est Romæ M. Polydorus Scajola .4. nob. Brixianus, qui post varias suæ Congregat. Præfecturas, ob suam probitatem, & vitæ eminentiam multorum Monasteriorum Sanctimonialium in Urbe Roma sibi à Vicario Summ. Pontificis curam demandatam susceperat; cujus etiam industriâ sartatecta ampliatæ Ecclesiæ S. Mariæ in viâ completa fuerunt. Jam Tridenti de primâ Concilij sessione idibus Decembris proximè habendâ inter Patres agebatur, quando ad Generalem Augustinum pervenerunt literæ M. Hieronymi de Summaripâ .5. Vicarij sui in Provinciâ Narbonensi, per quas intellexit P. Generalis summo studio, & prudentiâ pacatam Provinciam, & ad pristinam obedientiam redactam. Ipse enim secularis brachij Aquensis parlamenti, & præcipuè D. Claudij totius Provinciæ Gubernatoris, qui Summeripæ Comes & Dominus erat, auxilio fretus, facilè potuit Fratres illos reducere, & Provinciam in priorem statum redigere: nam die 21. Octobris Capitulum Provinciale coegerat Aquis sextijs, in quo de pace, de unione, de tranquillitate, & obedientiâ sapienter plura præfatus; Priores, & alios Officiales non sine omnium satisfactione, & communi suffragiorum consensu creavit, & toti Provinciæ præfecit P. Andream Amorosi de Manuaschâ. De quibus omnibus certior Augustinus Generalis Tridenti effectus summo cum gaudio lætum hoc nuncium accepit. Sed viceversâ graviter turbatus ex inopinato interitu M. Cyriaci .6. in Arce Cremonæ; de quo cùm accepisset in tantam vesaniam incidisse, ut gladio se jugulasset, de rei eventu suspicans, & mœrens statim illuc M. Laurentium Mazzchium, qui secum Tridenti agebat, Vic. suum ad hujusmodi facinus recognoscendum per liter. pat. ibi dat. die 27. Junij ad D. Antonium Garganum de Neapoli illius Arcis præfectum destinavit.

Patres Narbonenses cum Gen. reconciliantur.

E *ANNOTATIONES IN CAP. XII.*

1 *Quæ de B. Luciâ refert Auctor à P. Gregorio Alasiâ, qui à præfato Canonico Romæ singula intellexerat, Florentiæ accepit.*

2. 3 *Ex PoccIantio, [ex Sebastiano Vongesco de Pistorio Lib.* Memorab. *S. pag. 125.] & alijs monum. Conventûs Florentiæ.*

4 *Ex diarijs Conv. S. Mariæ in viâ de Urbe.*

5. 6 *Singula ex Regesto Gen. Augustini.*

Beatæ Magdalenæ Carpensis gesta, & creandorum Magistrorum*, seu propter doctrinam, seu propter alia merita discrimen,*
F *& usus expliceantur.*
CAP. XIII.

REbus inter Ordinem, & Congregationem, ut proximè dicebatur, compositis, & pacatis M. Laurentius Ursus de Placentiâ in Castro S. Joannis die primâ Maij Vicarius Gen. Patrum Congregatorum electus per Generalem Augustinum literis pat. Tridenti datis octavo idus Junij, ex veteri consuetudine confirmatur, & approbatur. Obtinuerat Augustinus à Summ. Pontifice, ut vices omnes Capituli Generalis, & Patrum Diffinitorum per se ipsum suppleret, & præcipuè in creandis Magistris, quos emeritâ virtute dignos probasset: inter eos verò,
G qui hanc dignitatem assecuti fuerunt trium tantummodò notitia ad nos pervenit. Prior igitur Magister jure optimo declaratus fuit .1. Dominicus Monte de Veronâ, de cujus præstantiâ in explicandâ Romæ sacrâ Scripturâ, & deinde Aristotelis philosophiâ satis dictum fuit supra *. Alter Baccalaureus Raphael .2. de Vicentiâ, qui tunc in publico Ferrariæ Gymnasio Metaphysicam profitebatur. Hos duos, ut in Ferrariensium Theologorum Universitate doctoratûs insignia reciperent, admisit. Tertius denique Archangelus Brusculo Florentinus .3. quem in Divini verbi prædicatione, post subtiliora Scholasticæ disciplinæ studia plurimùm profecisse intellexerat, & præcipuè in proximè præteritâ
H Quadragesimâ, cujus suasu in Terrâ Scandiani Comites, & Populus Montem pietatis ad publicam paupertatem relevandam erexerant; & hunc Senis, ut Magistralia decora susciperet per suas lit. patentes Tridenti datas die 10. Maij concessit. Voluit etiam Augustinus Generalis in quosdam, seu mediocris literaturæ, seù cujusvis meriti Seniores Patres, suam benignitatem extendere, declarans illos, consueto Majorum more, Magistros non Ordinis, sed tantummodò Generalis, secundùm illud discrimen, quod aliàs* fuit declaratum inter utrosque hujusmodi Magistros. Apparent enim hoc eodem tempore literæ pat. Tridenti datæ die 20. Maij,

** Cent. IV. lib. 1. cap. IX. ad ann. 1543.*

M. Raphael de Vicentia

M. Archangelus Brusculo.

**Cent. 4. l. 1. c. 6. ad ann. 1540.*

In

in quibus ex speciali gratiâ declaratur Magister .4. F. Bartholomeus de Prato. Cùmque in eisdem literis non modò ipsius Patris merita declarentur, verùm etiam privilegia sui Magisterij limitentur, operę pretium duximus ad comprimendam quorundam Magistrorum hujus generis audaciam, & temeritatem, qui se super alios nimis impudenter efferunt, easdem literas hic interserere.

Discrimen privilegiorum inter Magistros Ordinis, & à solo Gener. creatos.

F. *Augustinus, &c. Graves Religionis partes Nobis Divinâ providentiâ tenentes iniunctas, optimi, Christianique Pastoris munus esse existimamus, si eos potissimùm gratijs, ac religiosis privilegijs decorare utamur, quos morũ integritate amplissimos, vitæ honestate integerrimos, virtutibus præditos, deq; Sacrosanctâ Religione optimè meritos esse cognoverimus. Cùm itaque sciverimus, dilecte Fili, te multis jam annis Provinciæ nostræ Thusciæ, præcipuè in Conventu D. Annunciatæ Prati, & Florentiolæ pro Religionis decore, & augmento indefessè laborasse, in pluribusq; Oppidis, & Civitatibus Regni verbum Dei sincerè, & catholicè cum magnâ Ecclesiarum utilitate, proximorumq; ædificatione tractasse, & annunciasse, in hisque te jam consenuisse, nec tamen unquam ætatis, aut dignitatis tuæ pro illius gloriâ ullam esse habitam rationem, ut ingravescenti jam ætati tuæ præmium aliquod rependamus, motu proprio, & certâ nostrâ scientiâ tenore præsentium decernimus, & declaramus, ut in Provinciâ Regni, & in Conventu tuo post Rever. Magistros primum locum immediatè habeas, & alijs gratijs, privilegijs, favoribus, immunitatibus, & exemptionibus gaudeas, & potiaris, quibus alij Sacræ Theologiæ Doctores, de jure, & consuetudine gaudere, & potiri solent. Præcipientes interim, &c.*

In quorum fidem, &c.

Magnam etiam Religionis Indigentiam advertens P. Generalis singulis Provinciarum Præfectis per literas pat. Tridenti datas nonis Junij mandavit, ut absque Capitulis Provincialibus ipsi Præfecti quoscunque Priores in singulis Cœnobijs confirmarent, ne majoribus expensis gravaretur Ordo. Florebat his temporibus M. Philippus Bononiensis Conventûs S. Joseph .5. qui in Gymnasio Perusij philosophiam publicè interpretabatur, quem etiam promptæ, ac tenacissimæ fuisse memoriæ referunt, & in disserendo, disputandoque argutissimi ingenij, quin & complura opuscula, & commentaria composuisse, præsertim in parvis naturalibus Aristotelis, & in octo libros Physicorum. Multò tamen felicius in Monasterio nostro Carpensi religiosis virtutibus claruit Sanctimonialis Virgo Magdalena .6. Hæc humilis genere, humilior religione, inter ipsas Conversas cooptari curavit, & tantâ honestate, & vitæ puritate reputabatur, ut etiam speciosa, & Juvenis per Carpenses Agros ad quæritanda frumen-

B. Magdalenæ, gesta, & obitus.

ta, vina, frugesque alias pro Monasterio,
A liberè dimitteretur. Quo in vili officio tantum suâ bonitate profecit, ut adhuc vivens Beata nuncuparetur à pueris, qui certatim ejus devotione illecti, è suis domibus prodeuntes cum oblationibus, ei tàm frequenter obviabant, ut non opus esset ostiatim eleemosynas petere. Pueri enim dicto citiùs ejus sarcinulas, & sportulas panibus, & alijs obsonijs ultrò implebant, ut ab eâ tantummodo benedictionem, & pias admonitiones reciperent. Cumque ab eleemosynis quærendis sibi aliquando vacare licuisset, pro majori parte in Choro ad orationem tempus insumebat, illam præcipuè Chori partem adeundo, ubi Novitiæ ad primam Horam versiculum illum proferebant *Christe fili Dei Vivi miserere no-
B bis*. Tantâ enim dulcedine audiendo, seu meditando verba illa perfruebatur, ut sæpe sæpius extasim pati, & à terrâ elevari ab alijs Monialibus visa fuisset. Fortè accidit aliquando, ut parvulus filius D. Alberti Comitijs Sacrari, Carpi Præfecti ex repentino morbo deficeret, & penitus moreretur, dum per Nuncios ad interpellandum pro puero Soror Magdalena vocata fuisset, quæ aulam clamoribus, & lachrymis completam ingressa, & ad defunctum infantem perducta, Prophetæ Elisei more super puerum stans, amplexata, & deosculata in pristinam vitam protinus restituit. Cujus beneficij gratiâ Albertus Præfectus à Duce Ferrariæ plurimas exemptiones, & gratias pro illo Monasterio impetravit, &
C nos concessionem authenticam in pergameno proprijs oculis vidimus. Cùm autem defunctionis Magdalenæ dies appropinquarent, obnixè petijt à Sororibus, ut illam vellent extra Ecclesiam in quodam speciali loco tumulari, se enim certò scire futurum aliquando, ut amplificatâ Ecclesiâ suum corpus eo in loco reconditum foret, ubi pedes illarum Virginum in Choro astarent, quæ versiculum in prima Hora proferrent, *Christe Fili Dei, &c.* Et ita non multò post dilatatâ Ecclesiâ, quòd B. Magdalena prophetico spiritu prædixerat, verissimum compertum fuit. In cujus rei memoriam Sorores eo in loco communem sibi sepulturam statuerunt, postquam reverenda B. Magdalenæ ossa exhumata, no-
D bis etiam consulentibus, in decentiorem locum transtulissent. Obitus ejus quando præcisè successerit, etsi reperire non potuimus, circa tamen hæc tempora advenisse intelleximus. Hujus Beatæ exemplar cupiens quisquã effingere Speciosam Ordinis nostri Monialem, absque tamen nigro velo, cum Sarcinulis super humeros, & cum chartulâ in alterâ manu, in quâ scriptum sit illud *Christe fili Dei vivi miserere nobis*, oculis, & vultu in sublime erectis, poterit repræsentare. Non videtur nobis hic oblivioni tradendus P. Sebastianus Vongescus de Pistorio à Cutiliano oriundus, vir rerum, & jurium Cœnobiorum indagator accuratissimus, cujus rei testi-

Imago B. Magdalenæ quomodo exẽplanda.

T monium

monium funt Camplones ab Ipso exarati Pistorii, & apud Montem Politianum, quibus E in locis apud omnes maximo fuit in pretio habitus ob ipsius probitatem, & rerum gerendarum prudentiam. Cujus occasione ad Deiparæ Virg. honorem non pigebit miraculum, ab ipsomet notatum, evulgare. Narrat enim dum Politiani Anno Dom. 1521. Prioris munus obiret, quandam Viduam ad Ecclesiam nostram cucurrisse, & unicum filium fu-

Moribūdus sanatus efficitur. um animam exhalantem, & omni fensu jam desti tutum Beatæ Virgini commendatum, & voto, si spes evaderet, Religioni inter servos suos donaturam; quæ pia vota dum affli-cta mulier offert, Puer jam exanimis caput extollit, à quibusdam devotis fœminis, quæ cereo sacro, & aquâ lustrali illum benedicebant, & aspergebant, atque more Christiano animam ejus Deo commendabant, F extemplo ubi esset mater requisivit, & cibum poposcit. Interim mater gemens domum rediens, filium mortuum suspicans, adeò incolumen invenit, ut è lecto assurgentem, cunctis qui aderant admirantibus, conspiceret, qui paulo post à præfato P. Sebastiano Habitu Servorum B. V. indutus F. Vincentius appella-

Aliud miraculū tus fuit. Ipsemet etiam P. Sebastianus dum adhuc quinquennis esset Ann. Dom. 1489. voto B. Mariæ Virg. Servus futurus oblatus à Patre, si incolumis, cum duobus alijs filijs eo minoribus evaderet è manibus cujusdam Sicarij Joannini de Bussine, qui cum sexaginta alijs grassatoribus diluculò domum ingressus (Pater autem Missæ intererat) ut omnia perderet, & jam parvulos in lecto dormientes G arripuerat, ut è fenestris in terram collideret, sed paternas preces B. Maria Virgo inanes esse non est passa. Itaque filius anno ætatis suæ undecimo in nocte Nativitatis D. N. Jesu Christi ad Habitum nostrum, ut votum paternum persolveret à P. Bartholomæo Pistoriensi receptus brevi optimus religiosus, & diligens regulæ observator evasit, cui quantùm Pistorij Cœnobium debeat ejus monumenta id apertè declarant; nam illud ædificijs, sacrâ supellectili, & redditibus maximè auxit, multa Sanctimonialium monasteria ad Episcopi instantiam rexit, officium B. P. N. Philippi composuit, plures Alumnos ad Ordinem recepit, & sanctè verbo, & exemplo educavit, Societatem Conceptionis H B.M.V. erexit, & regulas observandas composuit, varijs Præfecturis in Ordine, etsi invitè, perfunctus est, & tandem die 21. Februarij morbi calculo oppressus devotè, & patienter Sacris munitus Deo animam reddidit.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

1.2.3.4. *EX eodem Regesto Gen. Augustini, ut supra.*

5 *Ex tabulis Patnianis illustrium Patrum nostrorum, [& Landrophilo in Orat. Anni 1500.]*

6 *Auctor visitans illud Monasterium pro Antonio Generali Corneto singula de B. Magdalenâ partim ex monumentis, partim ex Sorore Virginiâ Carpensi de Agazonis Priorissâ, & Sorore Joannâ, & Sorore. . . . quæ hæc audierunt à Sorore Domitillâ de Pijs, Sorore Camillâ, alijsque Senioribus ejusdem Monasterij diligenter collegit.*

7 *Ex monum. Conv. Pistorij, Lib. 5. pag. 148. fol. 2.*

De præclaris Viris Eusebio Imolensi, Dominico Docto, & Dominico Monte Veronensi, qui Ordinem Servorum plurimùm decorant. *CAP. XIV.*

PEstilentiâ Tridenti graviter sæviente coguntur Patres de Summi Pontificis consensu recedere, & Bononiam, ubi jam paratus erat locus pro Synodo, accedere: ibi verò congregati die 21. Aprilis nonam sessionem celebrarunt; cui etiam interfuit Augustinus noster Generalis, qui eodem die literas pat. pro novo Vicario Gen. Congregationis M. Joanne Mariâ Capellâ de Cremonâ, Soranea nuper electo, per P. Priorem S. Georgij de Bononiâ transmittit. Agebat his temporibus Romæ M. Eusebius de Imolâ, cujus eloquentiam, & doctrinam cum vitæ probitate Paulus Tertius Summus Pontifex, qui plures illum in Basilicâ S. Petri concionantem audierat, demiratus, Apo- *M. Eusebius Imolensis.*
G stolicum Prædicatorem sibi, & alijs summâ cum auctoritate in toto Orbe delegerat. Fuit Eusebius genere Judæus, & in studijs sacrarum literarum Hebraicè eruditus, cumque Faventiæ, nescio quo pacto, moraretur, accidit, ut in die S. Matthæi Apostoli cùm vidisset Christianum quemdam imagines B. M. V. in papyro excusas venditantem, quæsivit ab eo, quidnam sibi vellent imagines illæ Adolescentulæ filium gestantis super brachia; & responso accepto, quod erat typus B. M. V. Dei Matris cum filio Jesu Christo D.N. statim visum sibi fuit cor præ dulcedine emolliri, & prorsus immutari, adeò ut non post multos dies Judæorum instituta detestatus, inter Cathecumenos recipi curasset. Agnoverat Juvenem illum pia quædam Fœmina nomine Francisca de Tondutijs, quæ audità ejus conversione, & quod Christianus fieri cuperet, vehementer gavisa, ipsum ad fontem baptismatis in Cathedrali Faventiæ Anno Domini 1541. tenuit, & in filium suum adoptivum protinus recepit, atque testamento suarum facultatum hæredem fecit. Baptizatus igitur Eusebius, & illud beneficium à B. V. acceptum referre cupiens, ejusdem B.V. Religionem ingressus, nostro Habitu Imolæ indutus fuit. Quo denique in Ordine consuetis studijs invigilans, collatis simul quæ ab Hebræis didicerat ex veteri testamento, cum novâ lege

lege, & Evangelio, egregius Concionator utriusque linguæ brevi evasit. Pollebat Eusebius cùm eleganti, & procerâ formâ, tùm sonorâ voce, magno pectore, expeditâ linguâ, grandiloquo sermone, & ad excitandum, movendumque vehementer aptus; adeò ut jure optimo inter Apostolicos Concionatores infimum locum non teneret, quemadmodum infra variæ de eo explicabunt opportunitates. Hoc eodem anno ad Cœlum migrasse fertur Venetiis B.Cæcilia nostri Ordinis Tertiaria, de quâ in suis poematibus nomen tangit P. M. Joseph noster de Tarvisio: cætera de ipsâ adhuc desiderantur. Imminente interim anno 1548. quando à Sacro Concilio vacatum est, Augustinus Generalis ne à Patribus Sacræ Synodi longè sejungeretur, generalia Comitia .2. apud Bononiam in Oppido Butrij indixerat, quò die 23. Aprilis Patribus simul convenientibus inter cætera decreta, statutum fuit per decem Diffinitores unà cum eodem Augustino, quem rursus Priorem Generalem confirmarunt, sicut & M. Nicolaum de Cæsenâ Procuratorem in Romanâ Curiâ, ut multis simul congestis, & bene examinatis decretis superiorum temporum ad præscriptum Sacrorum Canonum earum rerum, quæ in Sacro Concilio nuper controvertebantur, novæ fierent Constitutiones; quorum cura his quatuor præcipuis Patribus demandata fuit: Magistro Dominico Docto de Paduâ, M. Hieronymo Fantuccio de Bononiâ, M. Zachariæ Faldossio de Florentiâ, & Mag. Hieronymo Sacco de Summatipâ. Hi unanimiter convenientes ex publico decreto Capituli teneantur omnia diligenter examinare, & in compendium redigere, quæ observanda promulgentur *. In his etiam Comitijs actum fuit de recuperandis cæteris Galliarum Provincijs, quemadmodum superiori tempore institerat Dionysius Cardin. unde, & nomine ipsius Capituli F.Laurentius de Butrio cum supplicationibus, & libellis Parisios mittitur ad Parlamentum, & Franciscum Galliarum Regem; at mense Septembri cum regijs litteris .3. revertitur, sed tamen de Provincijs nihil actum apparet. Nomina Patrum Diffinitorum Generalium .4. qui talia decreverunt sunt ista, M. Joachimus de Signorinis de Florentiâ pro Provinciâ Thusciæ; M. Felicianus Capitonus de Narniâ pro Provinciâ Romanâ; M. Julius Faventinus pro Provinciâ Romandiolæ; M. Lanfranchinus de Mediolano pro Provinciâ Lombardiæ; M. Hieronymus Ferrariensis pro Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ; M. Hieronymus Florentiola pro Provinciâ Corsicæ; M. Hypolitus. . . . pro Provinciâ Franciæ; M. Laurentius . . . pro Provinciâ Hispaniæ; M. Dominicus. . . . . . pro Provinciâ Germaniæ; M. Albertus de Castro Novo pro Provinciâ Genuæ: Patres etiam de Congreg. numero centum, qui vocem habebant die 28. ejusdem Soranææ suum celebrant Capitulum, & eundem P. M.

B.Cæcilia Veneta.

**Constitutiones istæ impressæ fuerunt Bononiæ eodem anno 1548.*

A Joannem Mariam de Cremonâ in suum Præfectum rursus confirmarunt. Mense verò Novembri die 4. M. Dominicus Docto extremum diem solvit, In cujus honore hæc habet Pocciant.

M. Dominicus Docto i mortuus

R.P.M. Dominicus Docto eximiæ integritatis vir, necnon insignis eruditionis, atque prudentiæ, qui publicis declamationibus, sanctissimisque moribus ita sibi Urbem Patavinam devinxit, ut & viventem illum omnes mirificè colerent: & mortui memoriam summâ cum laude conservent, immo ipsius Fama ita celebris fuit, ut ipsum non secus, atque oraculum quoddam ex præclariss. Venet. Urbe, tùm pro consilijs capiendis, tùm pro expiandis in confessione criminibus plerique nobilissimi Patritij adirent. In
B *Servitanâ verò Religione ita floruit, ut à primis ferè suæ adolescentiæ temporibus Conventûs Servorum Paduæ gubernacula aggressus, perpetuus ejusdem loci fuerit administrator, & in regendâ Provinciâ, primas ferè obtinuit sedes. Extant hujus Patris monumenta quamplurima manu scripta, quæ Nepos suo Joanni Baptistæ Docto post ejus obitum sunt commendata, ut expurgarentur, ac in lucem ederentur, ad hunc usque diem apud ejusdem Jo. Baptistæ filios conservata. Inter hæc luculentum reperitur in Epistolam ad Hebræos commentarium, & sermones quadragesimales latino sermone conscripti. vixit annos 70.*

Præter hæc Pocciantij .5. habetur etiam,
C quòd scripsit octo homelias in orationem Dominicam valde doctas, & eleganti stylo concinnatas. Expositionem in sacram scripturam, necnon Decisiones casuum conscientiæ. Insuper ejus funeri interfuerunt Episcopus Patavinus, Oratores Civitatis, Lectores cum toto studio, & multitudine Populi, cui ex publico decreto hoc sequens epitaphium in lapide marmoreo positum fuit.

Dominico Castrofranco ex nobili Doctorum Familiæ, Servitarum B.M.V. Ordini à puero usque ad-
D dicto, summo Theologo, fido Sacræ Scripturæ interpreti, claro Evangelicæ fidei Concionatori, bis Ordinis sui Provincialatus munere functo, bis Generalatus regimine renunciato. Anno Ætatis suæ 70. maxima cum vitæ integritate peracto, publico mœrore, publicis lachrymis hìc condito, Civitas virtutibus tanti Viri hìc commorantis illustrata, bene-

ficiorum non immemor hoc monumentum fieri curavit sumptu publico Ann. MDXLIX.

[Quod monumentum vetustate consumptum PP. restituendum curarunt anno 1622. prout constat ex Inscriptione sequenti eidem monumento adiectâ.

Servitæ Patavini, & Castrofrancani Fratres Fratri de se, deque Crucifixi Societate, quam hic Instituit Ann. MDXII. quo sudorem sanguineum semel è facie, semel è latere emisit.

Opt. Mer.

Et Dominicus Doctus Patavij Vicar. Præt. Affini char. Mon. pub. vetustate consumptum restituendum, exornandumque VV. AA. CC. Ann. MDCXXII.]

M. Dominicus Monte Veron.

In hujus tanti Patris locum successerat, qui idem nomen gestabat M. Dominicus de Veronâ, 6. qui postquàm integro decennio Romæ philosophiã publicè professus fuisset hoc anno 1549. elegantissimum, & omni doctrinâ refertum opus edidit, & sub hoc titulo *Placitorum in philosophiâ delineamenta* Augustino Generali nuncupavit. Horum virorum occasione non videtur ulterius differenda memoria superiori tempore prætermissa quorundam aliorum insignium Patrum nostrorum, nempe M. 7. Andreæ de Mandrisio, qui publicè Ticini philosophiam in suâ juventâ professus est, cujus doctrinam admiratus Galeatius Vicecomes Dux Mediolani ipsum inter suos aulicos à sacris, & consilijs adscivit, & sæpe Divinam Scripturam in Metropolitanâ interpretantem summâ jucũditate audiebat. Nam in eâ majori æde Andreas magnâ populi frequentiâ ad ipsius Ducis votum explicavit, & commentaria edidit in psalm. *Qui habitat,* &c. *Miserere mei Deus secundum magnam*, &c. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, &c. Symbolum Apostolorum, & Tractatum de fide Orthodoxâ. Quin & ad multos Principes pro eodem Duce Oratoris munere pluries functus est. M. Dominici Senensis egregij Concionatoris, qui Dominicale, & Sanctuarium edidit. M. Dominici de Alexandriâ, qui posteritati reliquit Tractatum de Providentiâ Dei, & de Primatu D. Petri, & M. Friderici Galli lectoris Sorbonici, qui scripsit in quatuor libros Magistri Sententiarum, & commentaria in Posteriora Aristotelis.

M. Andreas Mandrisias.

E *ANNOTATIONES IN CAP. XIV.*

1 *Eusebius præter monumenta, quæ in Conventu Imolæ, & ex testamento ejusdem D. Franciscæ vidit Auctor, multa etiam ex ejusdem Eusebij ore, dum Florentiæ concionaretur, accepit, & præsertim circa initium, & motum suæ conversionis.*

2 *Ex Poccciant. & monum. Conv. Aretij.*

3 *Ex diarijs, & monum. Conv. Flor.*

4 *Habentur in quodam pergameno Portûs Bussoleti.*

5 *Omnes elucubrationes M. Dominici Docto vidit Auctor in Castro Franco apud ejus Abnepotem D. Joannem Baptistam V. I. D. Ex epitaphio deprehenditur etiam error Pocciantij, & circa ætatem hujus Patris.*

F 6 *Inter monum. Conventûs Servorum de Bononiâ.*

7 *Ex tabulis Patavinis, & Possevino.*

N O T Æ.

Dominicus Docto constituitur Vic. Generalis in Conv. de Castro Franco.

[*Dominicum Docto de quo hîc num. 5. ob eximiam doctrinam, & ingentia beneficia Ordini nostro collata Priorem perpetuum constituit Conventûs S. Jacobi de Castro Franco Venetorum, & Vicarium suum Generalem Augustinus de Aretio Prior Generalis per Literas Tridenti datas sequentis tenoris.*

G R. P. M. Dominico Docto die 14. Maij 1545. Tridenti.

F. *Augustinus &c.* Graves Religionis partes *Nobis Divinâ Providentiâ commissas, ut multa alia omittamus, id potissimùm requirere arbitramur, ut eos gratijs, favoribus, religiosisque privilegijs decorare enitamur, quos doctrinâ amplissimos vitæ, morumque probitate integerrimos, virtutibus præditos, deque Sacrosanctâ Religione benemeritos esse cognovimus, è contrario facinorosorum hominum turpia, & scelera non solùm perhorrescere, sed & graviter quidem coercere, atque comprimere præstemus. Provectæ igitur ætatis tuæ, & multorum laborum tuorum in Religione confectorum, eorum præcipuè, quibus Conventum nostrum Patavij* H *summâ opum indigentiâ laborantem, ad bonum, ac honoris, & utilitatis statum redegeris, & amoris, quo semper Te sumus in Christo magnopere prosecuti, & aliarum Tuarum partium ratione habitâ, quibus semper nostra Religio honestata fuit, ut reliquum Vitæ tuæ summâ quiete, & tranquillitate agere possis, ob animi, ac corporis tui religiosum quietem, & placationem summum totius Orbis Opificem imitantes, qui hominum fidei, laboribus, vigilijs, & erga eum pietati nullibi se multo cum fœnore præmia redditurum non pollicetur, de nostri Officij liberalitate, tibi religiosâ admodum petitione efflagitanti, ut locum, vel Conventum aliquem, quoad vixisses, gubernandum sine inferiorum mole-*


molestiā, seu impedimento concedere dignaremur; Tuis in hac re justis supplicationibus inclinati auctoritate Apostolicâ Nobis in hac parte concessâ harum serie Literarum Conventûs nostri Castri Franchi curam, & regimen tibi quoad vixeris committimus, teque in hujus Loci Priorem, & Animarum illarum Pastorem, & Vicarium Generalem, usque ad extremam vitæ tuæ diem, eligimus, ac deputamus. Eximentes interim te, & Fratres ibidem commorantes ab omnium inferiorum nostrorum obedientiâ, potestate, atque jurisdictione, ita nempe, quòd nec Provinciales, qui pro tempore extiterit, seu quis Vicarius noster, etsi ibidem Religionis indignum comperevint, corrigere, vel ex eo loco quempiam Fratrū possint, aut valeāt removere, sed tuæ quæque subjiciantur auctoritati. Proviso tamen, ut & Generali, & Provinciali solitam Taxam tempore congruo solvere non postponas. In quorum omnium &c.]

A

B

Non defuit etiam hoc quarto seculo fœcundissima Dei Mater (etiam infensissimo humani Generis Hoste frustra semper obsistente) eosdem, ac fortè uberiores in hoc Servorum Agro fructus edere pulcherrimos, ac omni suavitate refertos, & quæ sese hortum conclusum dicit, varijs quoque floribus, & fructibus in hoc Viridario Servorum suorum perpetuò germinare nunquam cessavit; quemadmodum hoc primo libro conscribere adorti sumus, per varias, cùm studiosorum, & eminentium Prælatorum dignitates eximias, tum maximè Cælicolarum merita, præter novas semper ejusmodi Ordinis amplificationes locorum, quæ non modò hactenus relata; sed ulteriùs ampliori rerum ubertate referenda supersunt.

F I N I S.



CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,
AUCTORE
F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO
Liber Secundus.
CONTINENS AB ANNO MDXLIX. USQUE AD MDLIX.



Admiranda Deiparæ Virginis Imago sub titulo S. Mariæ Hierosolymitanæ apud Capuam Urbem, & ejus gratiæ, & favores in varios languentes recensentur.

CAPUT PRIMUM.



APUA Urbs percelebris, & veteris Ausoniæ caput, si quâ laude, vel ab antiquitate, vel à nobilitate, seu quavis rerum gestarum præstantiâ videatur omni commendatione digna, porrò circa pietatem, & religionem semper celeberrima fuit. Potissimùm verò in Dei Matre colenda nemini unquam secunda. Inter eas verò Sacratissimæ Virginis iconas, & imagines, nulla apud Capuanos, & gratiarum, & miraculorum coruscatione præstantior, quàm quæ in proximo ejus loci Monte, veluti in arce ad tuendam Civitatem sub titulo S. Mariæ de Hierusalem à suis Servis, tanquam commilitonibus, perpetuò custoditur, & colitur. Fama est Tancredum illustrem Capuæ Comitem, ex spolijs & exuvijs Hierosolymitanæ victoriæ imaginem quandam B.M.V. de Palestinâ attulisse, quam ad verum S. Mariæ simulacrum à temporibus S. Lucæ depictam referunt; ad cujus deinde similitudinem in vetustissimo pariete supra verticem Tiphatæ Montis illam nostram fuisse delineatam affirmant. Est autem pictura illa speciosæ, & venerandæ Dei Matris sedentis cum Filio stante, & sinistro brachio innitente repræsentans imaginem; ex ejus verò dexterâ tanquam vexillum procedit, & eminet aurea Crux oblonga, & du- A plici brachiorum ordine composita, plum quoddam in se referens emblema, seu hieroglyphicum utriusque Passionis, & Crucis, Matris simul, & Filij. Nostris autem decursis temporibus videbatur delubrum illud nimiâ vetustate consumptum, ruinam quodãmodo minari, ac proinde illius devotioné paulatim deficere; quando de ipsius reparatione hoc anno cogitari cœpit; nam Felicia- B nus Capitonus noster de Narniâ vir doctissimus, & qui fortè illis temporibus in dicendo parem habuit neminem: postquam in præterito Capitulo Gen. Magistralia decora suscepisset, & Concionator percelebris haberetur, in primariâ, majoríque Æde Capuæ concionator pro Quadragesimâ fuerat electus; Cũque ibi plausibili totius Civitatis frequentia divinum verbum explicare cœpisset, singulis C Sabbathis (quòd Concionatorum nostri Ordinis mos antiquissimus esset) de laudibus S. Mariæ Hierosolymitanæ luculentos sermones habuit; in quibus etiam vehementer ruinam illam S. Mariæ deplorabat, arguebat, & Capuanos omnes ad illius restaurationem inflammabat. Quamobrem publico illius Senatûs decrero factum fuit, ut locus ille renovandus Fratribus Servorum B. M.V. perpetuò D commendaretur. Hæc fuit gratia, hi favores, quos Felicianus suâ doctrinâ, & eloquentiâ hoc anno Ordini nostro comparaverat. Cæterùm quod pertinet ad gloriosam illam Imaginem, prætermissis vetustæ antiquitatis miraculis,

Imago S.Mariæ de Hierusalem.

Conv.S. Mariæ Hierosol. de Capuâ Ordini Servor. donatur

raculis, & gratijs, quæ singulis temporibus ex eâ prodierunt à notitiâ nostrâ longè remota, de ijs tantùm præstat modò memoriam recolere, quæ inter alia innumerabilia, nobis selectiora, & graviora relatu visa sunt digna; neque enim singula colligere, sed brevitatis gratiâ pauca hæc carptim ex ipsis tabulis, & monumentis excerpta enarrare.

Plura miracula S.Mariæ de Hierusalem nunciantur.

1 SOror Lucia Ordinis S.Benedicti Capuana per integrum quadriennium utroque oculo orbata, S. Mariæ Hierosolymitanæ requisito favore, statim illuminatur die 18. Aprilis 1545.

2 Francisca Angelettæ Neapolitana quindecim annos cæca, & attacta sese B.M.V. devovens, & oculorum cæcitate, & membrorum attractione liberata fuit. Anno Dom. 1548.

3 Marcus Vallo de Bellonâ sex integros annos oculorum cæcitate detentus fuerat, quando tandem meritis ejusdem B. Mariæ se liberum sensit die 10.Maij, Anno Dom.1550.

4 Florentia à Venafro altero oculo orbata, altero verò caligans, parùm abfuit, quin tota efficeretur cæca; sed B. V. cui se plurimùm commendaverat, præsidio ex utrâque infirmitate videns convaluit die 15.ejusdem mensis, & anni.

5 Joannes Franciscus Hispanus brachio impeditus, & graviter ægrotans tantâ fide, & devotione Templum S. Mariæ de Hierusalem adiens, ipso in limine se sanum præsensit die 28. Maij, Ann. Dom. 1548.

6 Porfida Perota à Camiliano utroq; crure, & tibijs præpedita, & usque ad femora attracta per annos septem, voto emisso, pristinæ sanitati restituta est, Ann. Dom. 1553.

7 Jacobus Guardia de S. Raymundo per annos duodecim brachio, & tibiâ mancus, in die Sanctissimæ Annunc. emisso voto sanus factus est, Ann. Dom. 1560.

8 Margarita Fusca diu membris attractis detenta, B. Virgini se commendans liberatur die 15. Januarij, Ann. Dom. 1560.

9 Christophorus Trivianus familiæ Dedæ surdus, & mutus a nativitate, voto emisso vix templum B. M. V. ingressus fuerat, quando & linguâ, & auribus sanus effectus, loquutus est die 4. Junij 1548.

10 Perpetuo quadriennio aurium surditatem patiebatur Trojanus Sartius de Sorbello, qui tandem B.M.V. præsidio fultus, pristinũ auditum recepit, Ann. Dom. 1555.

11 Anoibal Paganus de S. Anastasio globulo igneo impetitus, & gravissimè vulneratus, beneficio B. V. sanus evasit, anno 1553.

12 Leonardus Rocca de Bellonâ labore fessus dormiens sub curru, quem ductabat, fuit telo in femore confossus, & statim expergefactus S. Mariæ se commendans, detracto ex vulnere telo incolumis evasit, & inimici cuspidem S.Mariæ de Hierusalem obtulit die 4. Augusti Anno Dom. 1568.

13 Die nonâ Maij 1558. Melius Romanus,
A cùm ad molendinum quoddam pervenisset, ubi mola frumentaria velociter circumferebatur, manu ludens, & attrectans ipsam, tandem brachio deprehenso inter ipsam, & inferiorem metam graviter offensus remansit; sed nomine B. V. invocato à confractione illa brachij liberatus fuit.

14 Joannes Antonius Blasij de Fontanellâ nocte quâdam ab inimicis invasus, & decem & octo vulneribus sauciatus, & præcipuè super caput, itaut mortuus judicaretur, Gloriosæ Virginis de Hierusalem beneficio sanitati restitutus est, Ann. Dom. 1553.

15 Marcus de Capuâ Faber ferrarius ferreâ clavâ à proprio famulo graviter in capite percussus, miraculo B.V.M. revixit incolu-
B mis, Ann. Dom. 1559.

16 Cùm tres ex condicto inimici Baptistam de Lombardis Capuanum multis vulneribus affecissent, à quibus se defendere non posset, B.M.V. implorato auxilio, incredibili omnium admiratione sanus effectus fuit die 13. Martij, Ann. Dom. 1583.

17 Mulier de Oppido Vulturni partûs doloribus triduò afflictata, adhuc agebat animam, quando Dei Genitricis beneficio, cui se commendaverat, partum edidit, & brevi incolumis evasit, Ann. Dom. 1554.

18 Margarita Massaria de Cancello partûs doloribus itidem triduo vexata, quòd fœtum mortuum in ventre gestaret, ad mortem angebatur, quando Deiparæ V. præsidio
C mortuum edidit, & sanitatem recepit die 12. Martij 1554.

19 Alphonsus Avellensis dum vindemiæ super arborem navat operam, ob scalæ defectum in terram ruit capite inverso statim moriturus, voto facto, illicò liberatur die 15. Octobris 1540.

20 Matthæus Hortulanus ex altâ arbore inverso capite ad terram cadens, invocato B.M.V. præsidio, nihil mali sensit die 8. Augusti 1557.

21 Cæsar Milanus de Bellonâ tempore vindemiæ cùm super proceram arborem scalæ inniteretur, eâ fractâ, in terram eliditur, adeò ut, dum exanimis penè moreretur intimo cordis affectu, se, & animam suam B. V.
D commendans, statim assurgens nihil videbatur se passum fuisse die 25. Septembris 1571.

22 Leonardus Surdus diù comitiali morbo laborans, post emissum votum, à B. V. liberatus fuit die 6. Maij 1555.

23 Antonius Laurellæ de S. Laurentio articulari, & comitiali morbo per integros annos viginti laborans; tandem B. V. intercessione sanus effectus est, die ultimâ Aprilis.

24 Quatuor jam lustris comitiali morbo quotidie laborabat Stephanus Laurentij de S. Juliano, cumque suam oblatam vitam Dei Genitrici commendasset, post emissum votum, integram obtinuit sanitatem, Anno Dom. 1555.

25 Da-

25 David Cingitanus *Cingano* in Anconitanâ Marchiâ apud Saxum Ferratum furti falsò accusatus, & à satellitibus Præfecti Spinæ captus, tormenta non ferens, quod non patraverat confessus est, & morti adjudicatus, innocentiam suam B. V. de Hierusalem magno cum fervore commendavit, cumque Lictor super furcam in eum ageret, bis, terve laqueo confracto super terram absque ullâ læsione cecidit, & salvus tandem, & innocens à cunctis acclamatus, liber dimissus fuit, die 17. Augusti Anno Dom. 1555.

26 Die 6. Augusti 1551. Scipio Venechiaturi furti accusatus apud D. Carillum Campaniæ Præfectum, & ad quæstionem vocatus, postquam ejusdem Matris Dei gratiâ multa tormenta sustinuisset, inculpabilis repertus, liber dimissus fuit.

27 Franciscus Genere de regione Cingitanâ *Cingano* die 24. Augusti 1574. cum à Satellitibus D. Hieronymi Fatæ Præfecti Campaniæ captus fuisset, quòd crederetur Exulum, & Sicariorum criminosus socius, carceri per annum mancipatus, & tormentis varijs exagitatus, voto ad B. V. facto, tanquam innocens dimissus fuit, Ann. Dom. 1574.

28 Cæsar Felix de Capuâ de crimine, quod nunquam fecisset, falsò accusatus, & in carcere diù tortus, B. V. auxilio sese ab omni calumniâ purgavit, & liber dimissus fuit die 25. Februarij 1558.

29 Pomponius Fortunatus de Gessono aliquando in carceribus detentus, & ad mortem condemnatus, imminens periculum reformidans, consilio, & hortatione Mag. Andreæ nostri Ordinis, qui erat ejus germanus, se voto mancipans B. V. de Hierusalem, & advocatam implorans, sequenti nocte per visum habuit illam sibi obviam, & consolatricem, quæ ei dixit, ut oraret, & causam suam Jesu Christo filio commendaret, & sic die altera Mercurij extra carcerem Divinitùs eductum se agnoscens, mortem evasit, An. Dom. 1551.

30 Joannes de Roccâ siccâ falsò accusatus, & capitis damnatus, nocte præcedente patibuli diem, cum miseriam, & innocentiam simul deploraret, se orando Beatissimæ Virg. commendaret, à vinculis absolutum, & extra carcerem (mirabile dictu) sese liberum deprehendit, & ad Ecclesiam S. Mariæ de Hierusalem accurrens, vota persolvit, die 27. Octobris 1557.

31 Joannes Bernardinus Thomæ de Sorbello incurabili morbo apostematis infra annum graviter oppressus ad Ecclesiam S. Mariæ se vectari curavit, & precibus adhibitis, sanus ad propria reversus fuit, die 28. Aprilis 1555.

32 Faustina Piozza Capuana morbo trium apostematum in pectore tres integros annos laborans, & à Physicis tanquam incurabilis deserta, omnem suam fiduciam in B. V. de Hierusalem convertit, nec propriâ spe frustrata gratiam curationis accepit, die 3.
E Martij 1562.

33 Lucius de Turre Capuanus dum Neapoli Calabriam versus solveret, grandi obortâ tempestate, & lignum, naufragio facto, dum per undas jactatur, S. Mariæ de Hierusalem propriam vitam commendavit, cujus gratiâ ad litus pervènit incolumis, die 7. Augusti. 1552.

34 Fabritius Sarsutus de Capuâ pergens ad purgandum linum in agro, fortè accidit, ut in puteum caderet, ubi dum submergeretur, B. V. implorato præsidio liber evasit, anno 1557.

35 Vincentius Cervi figulus cùm pulverarius ignis triremê, in quâ reperiebatur, in die Epiphaniæ Domini tam violenter incendisset, ut omnes, vel in aera, vel in mare pulsi
F morerentur, & triremis tota combusta remaneret, ipse solus nomine Deiparæ invocato remansit ab incendio illæsus, & à fluctibus simul liberatus, Anno Dom. 1544.

36 Cecidit in profundum aquarum puteum puer filius Cypriani de Lombardis Capuani, cujus omnino salus desperata fuisset, nisi Patris intercessione ad B. Virginem incolumis super aquas illas ludens, & moratus ab omni periculo evasisset, die 15. Augusti 1561.

37 Cæsar Petotus de Capuâ filium habuit nomine Joannem Leonardum, qui cùm esset decem annorum ludens cum alijs circa ripam Vulturni fluminis, casu accidit, Ann. Dom. 1567. die 15. Augusti, ut in profundum alvei
G mergeretur. Parentibus interim fluctuantem filium voto commendantibus S. Mariæ de Hierusalem, & veluti mortuum lugentibus, multi ex ipsius cognatione, & amici præcipites sese dederunt per illas undas, ut puetum, qui jam per horam sub aquis steterat, inter arenas perquirerent, quando ipsum super aquas ludentem repererunt, & suis parentibus incolumem, & alacrem restituerunt.

38 Franciscus de Capuâ dum duos filios, Octavium, & Delium Domi ægrotantes, & cæcurientes haberet, voto emisso ascendendi ad Templum S. Mariæ de Hierusalem, cùm ibi coram Imagine B.V. pro utroque filio orasset, domum reversus, ambos incolumes invènit, Ann. Dom. 1554.

H 39 Antonius Cardonius à Petramolariâ septem perpetuis diebus sanguinem ob pectoris venam excisam ore vomens, absque Medicorũ remedio extremam sibi horam instare videns, ad B. V. supplicationem conversus, de tam vehementi infirmitate illicò convaluit, Ann. Dom. 1554.

40 Alexander Palmerius cùm de scalâ ab alto in terram elisus cecidisset mortuus, voto parentum incolumis evasit, Anno Dom. 1555.

41 Joannes Brunus à Medicis destitutus cum morte colluctans dum crucem manu gestaret recordatus Imaginis S. Mariæ de Hierusalem, quæ similiter cum cruce in manu pin-

pingitur, & ad eam se commendans, statim convaluit, die 11. Aprilis 1571.

42 Die 18. Junij 1578. Ascanius Paull de Cancello desperatâ a Medicis infirmitate laborans, & morti proximus ad nominis B.M.V. invocationem incolumis evasit.

43 Hieronymus Sapius cum à rabido cane morsus fuisset, emisso voto convaluit, die 11. Maij, Ann. Dom. . . .

Sciat autem Lector non solùm ibi plura fieri miracula, verùm etiam, & talia, vera, & à Deo esse, ut patet per sequens miraculum.

Certitudo miraculorum S. Mariæ de Casalis punitur comprobata. 44 D. Paulus Viridis Rector S. Antimi die 24. Aprilis 1564. cùm populum illius Casalis de more ad visitandam Ecclesiam S. Mariæ de Hierusalem in publicâ lustratione duxisset, ad ejus Aram sacra faciens in *Memento Vivorum* raptus in admirationem tot prodigiorum Deum Opt. Max. rogavit, ut tot suæ Matris miracula an essent vera, sibi per aliquod signum revelare dignaretur. Completâ Missâ dum populum sui Casalis simul congregaret, reperit quendam Vincentium Dominici sibi notum, & quem certò sciebat plures annos membris attractis in lectulo cubasse, summâ omnium gratulatione processioni interfuisse, & incolumem Dei gratiâ evasisse. Et ita certior factus fuit de hujusmodi miraculorum veritate.

Hæc, & alia quamplura collegisse testatur P. Frater Joannes Vincentius Zicus Sacrista, & Archivista in Conventu Capuæ, An. Dom. 1612. die primâ Septembris cum legalitate Notarij publici D. Decij Sordoti de Capuâ.

B. Dominica Romana moritur. Hoc eodem anno ad Cœlum migrasse *B.* Dominicam Romanam nostri Ordinis Tertiariam antiquæ Beatorum nostrorum tabulæ referunt, quamvis de eâ præter nomen, & tempus, nihil ulteriùs ad aures nostras pervenerit. Moritur hoc eodem anno 2. D. Ascanius Parisanus Protector pridie nonas Aprilis, qui in proprio Sacello S. Marcelli, non absque ingenti totius Religionis nostræ mœrore tumulatus fuit. Decessit etiam post felicissimum Pontificatum 3. Paulus Papa Tertius Farnesius quarto Idûs Novembris, cui quantum debeat Religio nostra testantur dignitates, et officia, quibus ipsam cumulavit.

Philippus de Utino Vicar. Congr. [Item hoc anno 1549. PP. Congregationis in Utinensi 4. Conventu Vicarium Generalem designant P. Philippum de Utino, prout scribit ad hunc annum Poccianius. Funditùs jampridem diruto Cœnobio cum Ecclesiâ S. Spiritûs, quod Ordo Servorum tenebat Anconæ, eò quod Summi Pontifices Clem. VII. et Paulus III. Civitatem illam Mœnijs, et Arce de novo munire decreverant, ubi Locus hic noster aderat, 90. ferè annis exactis aliò transmigrare oportuit, de quo

Conv. 2. S. Petri de Ancona. fatis ad annum 1461. ac denique Ecclesiam Parochialem S. Petri intra Mœnia adire, quâ adhuc incolimus 4. Cùm enim D. Cyprianus de Familiâ Senilium Nobilis Anconitanus, et Episcopus Auximi Juspatronatus haberet d. Ecclesiæ, et Ordinis nostri Patres vehemen-

A ter amaret, Locum illum cum omnibus juribus, Curâ Parochiali, & Fonte Baptismatis iisdem libentissimè donavit, recipiente P. Maximino de Brixiâ designato Priore, prout cōstat ex Instrumento in pergameno, de quo rog. fuit Ser Jacobus de Monachis Notarius Anconitanus die 1. Septembris 1549. quæ deinde confirmata fuerunt per Bullam Pij IV. anno 1561. die 15. Augusti ibidem inseriam; qui pariter per alias Literas Apostolicas datas Romæ die 25. Septembris ejusdem anni facultatem concessit iisdem PP. exigendi decimas Parochiales. Quo præcisè anno consecrata hæc fuerit Ecclesia adhuc nos latet, id, solùm constat, quòd ex antiquâ consuetudine quotannis recolitur Festum die 28. Maij.

B Frequentissimus eò fit concursus propter Baptismum, ad ipsum enim pertinent tria circiter millia Animarum, quæ partim extra, partim intra Civitatem degunt; quamobrem, ut omnium, & singulorum commodo consulerent PP. in medio Parochiæ Oratorium quoddam anno 1562. pro Parocho construxere, cui Titulus est *Pietra della Croce* situm, & redditûs ad hoc Nobis concedente Prospero Lampognani Mediolanensi, de quo rog. fuit die 5. Novembris 1562. Joannes Baptista Albrisius pub. Notarius Anconitanus. Ibique erecta deinde fuit Societas Spiritûs Sancti pro custodiâ SS. Sacramenti, postmodum aggregata Archiconfraternitati S. Spiritûs de Urbe. In Ecclesiâ hac S. Petri adest perantiqua, &

C maximè Venerabilis Imago B.V. quæ dicitur: *La Madonna della Consolazione di S. Piero*, sub cujus Titulo erat olim Societas Confratrum, qui Oratorium habent Ecclesiæ proximum cum Imagine valde venerandâ SS. Crucifixi. Insuper hoc anno 4. Parochialem Ecclesiam S. Joannis Evangelistæ de Casellis in Regione Pedemontanâ adiere PP. Ordinis nostri, jura illis cedente D. Presbytero Alexandro Grattello, & Julio III. Summo Pontifice approbante per Literas Apostolicas Romæ datas die 21. Februarij 1550. eò quod funditus eversum fuerat ob gravissima prælia Cœnobium S. Mariæ de Populo, quod primò tenuerant ab anno 1501. extra Oppidum, quemadmodum ad eundem annum diximus; *Conv. S. Joannis Evāgelistæ de Casellis*

D hisce verò temporibus Cœnobium hoc S. Joannis iterum à fundamentis longè ampliori formâ excitatum videmus ejusdem Loci expensis. Inter Pirencos anno sequente 1550. sub Catalonia Principatu in Monte valde excelso intra . . . . . Diœcesim prope jugum Cerretanorum vulgò *Puicerda* Conventus Ordini nostro accedit anno 1550. cui Titulus *S. Mariæ Bellilocchi* 4. Hispanicè *Bellocb* recipiente P. Sanchez de Borgia ad Provinciam Hispaniæ olim pertinens; quoniam verò consequentibus temporibus pace initâ inter Reges Catholicum, & Christianissimum Regionis hujus Cerretaniæ pars illa Galliarum Regi subesse cœpit, in quâ Con- *Conv. S. Mariæ de Belilocb.*

ventus hic manet, neque ad Hispaniæ Provinciam amplius spectat, sed potiùs ad Narbonensem. Ibidem colitur summâ veneratione Imago quædam B.M V. miraculis valde coruscans, confluentibus etiam è Galliæ finibus Populis, & publicis Lustrationibus eam quotannis adeuntibus; itidem non mediocri Religione prosecuntur omnes imaginem B. Peregrini Latiosi de Forolivio ob ingentia, & plurima gratiarum genera ejus intercessione ab Altissimo Christifidelibus collata. Eodem pariter .4. anno 1550. P. Bartholomæus de Bononiâ unà cum P. M. Apollonio Painio itidem de Bononiâ Locum quēdam Ordini nostro acquisivit in Ditione Ferrariensi, cui Titulus *S.M. de Cento* ipsi dono datam à D. Francisco Paschalino, annuente quoque Alphonso II. Ferrariæ Duce, cui Loco Prior statim præficitur Idem P. Bartholomæus.]

Conv. S. Mariæ de Cēto.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1 *OMnia quæ Auctor in hoc capite de illâ Imagine, ejusque miraculis conscribit, partim ex antiquâ Cupanorum traditione, quam propriis auribus à Senioribus accepit, dum Neapoli ageret, partim ex monumentis, & tabulis miraculorum illius Ecclesiæ, partim ex authentico pergameno donationis illius loci pro Ordine nostro.*

2. 3 *Ex Alphonso Ciacconio in Paulo Tertio.*

4 *Ex m. s. Archangeli Gianij.*

Conventiones inter Augustinum Generalem, & Patres de Congregatione, cum Bullâ Julij Papæ pro reformandis Pœnitentiarijs de Urbe Ord. Serv.
CAP. II.

ASsiduis sæpe quorundam Religionem inquietantium repullulantibus dissidijs, assidua quoque remedia frequenter inter Generalem, & Congregationem adhibere oportuit. Vix enim cœperat annus 1550. quando ad expianda peccata pro novo Jubileo totus Orbis ad Urbem properabat, jurgia inter Augustinum Generalem, & Vicarium Congregationis * excitata per infrascripta decreta D. Marcelli Cervini Card. nuper Protectoris à Paulo Tertio electi jussu de partium consensu Romæ sedantur. Convenerat enim hinc P. Generalis cum M. Nicolao Procuratore in Curiâ, Inde verò Mag. Philippus Castello Forojuliensis Vicarius Congreg. Utini anno elapso electus, [& hoc anno confirmatus in comitijs Vincentiæ habitis] necnon P. Joannes Baptista Brixianus, & P. Silvanus de Vicentiâ Visitatores Congregationis, & pro ipsis Mag. Joannes Baptista Calderinus de Veronâ Procurator, Prior S. Mariæ in Viâ, & Commissarius Congregat. ut D. Joannes Petrus Feretus Ravennas .1. Episcopus Lavelensis veluti eorum arbiter quascunque differentias inter eos per diffinitivam sententiam componeret, ut indicat sequentis sententiæ summa.

**Philippum de Utino.*

1 *Fratres Congregationis expellendos ab Ordine, & vicissim Ordinis à Congregatione.*

2 *Annuum subsidium dandum P. Generali à Congregatione in quadraginta ducatis aureis.*

3 *Vicarium Generalem esse confirmandum post electionem à Generali juxta Bullam Eugenij Quarti.*

4 *De votis in Capitulo dandis à Patribus Congregationis, qui tantummodo præsentes adsunt, & non per absentes in scriptis.*

5 *Auctoritas Generalis in Congregatione ex Bullâ Eugenij Quarti servetur.*

6 *In creandis Baccalaureis, & Magistris servetur Bulla Clementis Septimi Romæ data die 21. Septembris An. Dom. 1531.*

Quę denique decreta, ut firmiùs robur accipiant, ab eodem D. Protectore firmata, & manu propriâ subscripta fuerunt, *Nos Marcellus tit. S. Crucis in Hierusalem Presbiter Card. totius Ordinis Servorum Protector.* Vix Joannes Maria de Monte Cardin. post varias Purpuratorum Patrum altercationes, ad supremum Apostolatûs gradum cum titulo Julij tertij fuerat assumptus, quando summâ totius Populi Romani congratulatione, & lætitiâ 6. Kal. Martij portam Jubilei aperuerat. Habuerat autem Julius, dum Card. esset, inter chariores, & familiares Mag. Dionysium de Robertis à Burgo S. Sepulcri, quem sibi diù Theologum constituerat, nunc verò in summo fastigio constitutus, non fuit necessarij sui Dionysij oblitus .2. quinimo proprio Archiepiscopatu Sipontino, quem ipse administraverat, Dionysium decoravit, & blandis quibusdam subobscuris verbis eum allocutus, videbatur innuere se aliquando ipsum ad majora promoturum. Dixerat enim Pontifex: *vade Dionysi, age, qui meam inferiorem sedem accipe, futurum aliquando, ut eâdem meâ fortunâ fruaris.* Et hæc inter Pontificem, & Dionysium, ut Archiepiscopus fieret die 6. Maij contigerunt: Quâ die versâ vice accidit, ut Nicolaus Schiavinus .3. de Cæsenâ tot annis in Romanâ Curiâ præclarus Orator obiisset vitam cum morte commutasset. Petijt etiam Perusij celebris vir Joannes Baptista Gambinius .4. à Pisauro Sacræ Theologiæ Baccalaureus, qui diù, & solerter philosophiam publicè in eo gymnasio professus fuerat. Moritur etiam in Pago Passirano .5. M. Clemens Lazaronus de Rohado, vir æquè doctrinâ, ac religiosis moribus vehementer excultus, & summæ prudentiæ in rebus gerendis, suâque administrandâ Congregatione, versu, & solutâ oratione præclarus, & qui in eloquentiâ vix neminem habuerit parem. De quo etiam illud animadvertendum ad tollendam

M. Dionysius de Robertis creatus Archiepisc. Sipont.

MM. Nicolaus Schiavinus, Joannes Baptista Gambinius, & Clemēs Lazaronus moriuntur.

dam ambiguitatem, dum sub ann. 1514. ipsum de Brixiâ nominavimus, non tam de Patrum illorum duorum Cœnobiorum mutuâ animi necessitudine, & locorum vicinitate, quàm non de propriâ patriâ, sed de regione Brixianâ nos annuere voluisse. Per eos etiam dies apud Vicentiam convenientes Patres de Congreg. eundem M. Philippum Castello de Utino in suum Vicarium confirmarunt. Sequenti verò mense Junio Julius Sum. Pont. ad preces Generalis Augustini, ut Sanctimoniales nostræ Jubileum assequi possent in proprijs Monasterijs per speciale diploma concessit, quemadmodum constat ex literis patentibus ejusdem Generalis Romæ datis die undecimâ Junij. Majus tamen privilegium fuit, quod idem Pontifex ob specialem devotionem erga Deiparam Virginem eundem anni Sancti Jubileum, quem consequebantur adeuntes Ecclesias Romæ, concessit hoc anno in die .6. Nativitatis B.M.V. visitantibus Sacellum, & Ecclesiam Annunciatæ de Florentiâ, quemadmodum testantur literæ D. Bernardini Maphei Card. Romæ datæ 22. Augusti, qui tale indultum ex vivæ vocis oraculo Summi Pontificis ad preces Generalis Augustini impetraverat, [cujus hic tenor est.

Julius Tertius Jubileũ concedit Sacello D. Ann. de Flor.

Bernardinus miseratione Divinâ Tituli S. Cyriaci in Thermis S.R.E. Presbyter Cardinalis Maffeus nuncupatus. Universis, & singulis præsentes Literas inspecturis, lecturis, & audituris fidem indubiam facimus, & attestamur SS. in Christo Patrem, & Dominum nostrũ Dominum Julium Divinâ providentiâ Papam Tertium vivę vocis oraculo super hoc Nobis facto omnibus, & singulis utrinsque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam D. Annunciatæ de Florentiâ Ordinis Servorum B.M.V. sub regulâ B. Augustini die Nativitatis ejusdem Virginis Mariæ præsentis anni millesimi quingentesimi quinquagesimi à primis Vesperis usque ad occasum Solis sequentis diei devotè visitaverint plenariam Indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum misericorditer in Domino condonasse perinde, ac si Limina Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & alias Basilicas pro consequendo Jubileo almæ Urbis visituri solitas personaliter visitarent auctoritate Apostolicâ concessisse, & indulsisse.

In quorum fidem præsentes nostras Literas fieri, sigillique nostri appensione communiri fecimus à Nobis etiam manu propriâ subscribendas.

Datum Romæ in Palatio nostræ solitæ residentiæ Die 22. Mensis Augusti Millesimo quingentesimo quinquagesimo. Indictione octavâ Pontificatûs SS. Domini Nostri Julij Papæ III. anno primo.

Ita est B. Card. Maffeus.]

Eodem quoque Pontifice Auctore tollitur quorundam abusus, qui libenter cupiunt extra Religionem esse, & Religionis commoditatibus, & honoribus gaudere: cujusmodi fuerat Romæ Mag. Joannes *Baptista* A Calderinus de Veronâ, qui simul Pœnitentiarij officio in Vaticano, ubi erat Decanus cum bonis proventibus, fungebatur, & nihilominus Prior S. Mariæ in Viâ, & Commissarius Congregationis multos annos fuerat, & adhuc Superioribus invitis perseverare intendebat, quasi tyrannico more, Ecclesiasticorum Principum favore, & præsertim familiæ Farnesiæ fretus, cui à sacris diu inservierat, & in gymnasio Romano Methaphysicam profitebatur, ac si perpetuum dominium sibi usurpasset. Ad hujusmodi igitur convellendam tyrannidem Augustinus Generalis, & Vicarius Congregationis sequentem Bullam .7. impetrarunt.

B *Dilectis Filijs Augustino de Aretio Priori Generali Ordinis Servor. Beatæ Mariæ sub regulâ Sancti Augustini, & Philippo Castello Vicario Generali Congregationis de observantiâ nuncupatæ ejusdem Ordinis.*

JULIUS PAPA III.

Bulla Julij 3. circa Beneficiatos, & Pœnitentiarios Urbis Ordinis Serv.

Motu Proprio. Cùm (sicut accepimus) Fratres Ordinis Servorum sub regulâ Sancti Augustini, & Congregationis ejusdem Ordinis beneficia ecclesiastica ex dispensatione Apostolicâ, seu officium Pœnitentiarij tenentes in Ordine, & Congregatione prædictorum permanere, & inibi officia, quæ inter Fratres ipsarum domorum distribuuntur, exercere, & privi- C *legijs, & immunitatibus, & indultis ejusdem Ordinis, & Congregationis uti, & gaudere, vocemque activam, & passivam habere velint, & contendant: & hæc omnia Constitutionibus Ordinis, & Congregationis hujusmodi, necnon professioni, quæ per eosdem Fratres emittitur, maximè adversetur, & cæteris Fratribus materiam scandali præstent: Nos hujusmodi inconvenientibus (prout Nostro incumbit pastorali officio) occurrere volentes, hac in perpetuum valiturâ constitutione, Apostolicâ auctoritate, ex certâ nostrâ scientiâ statuimus, & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Fratres Ordinis, & Congregationis prædictorum Beneficia Ecclesiastica secularia, vel quorumvis aliorum Ordinum regularia in titulum,* D *vel commendam pro tempore obtinentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes, quâvis auctoritate, & dignitate suffulti existant, in domibus Ordinis, & Congregationis hujusmodi degere, aut commorari, seu officia, & Prælaturas eorumdem Ordinis, & Congregationis obtinere, vel privilegijs, immunitatibus, & indultis prædictorum gaudere, seu vocem activam, & passivam in Ordine, aut Congregatione prædictis habere non possint modo aliquo. Et insuper Fratribus, qui in Ordine, aut Congregatione prędictis professionem tacitam, vel expressam emiserunt, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ districtiûs inhibemus, ne de cætero habitum dimittere, aut ad alium Ordinem*

laxiorem se transferre, vel (si beneficia ecclesiastica, aut officium Pœnitentiariæ non obtinuerint) extra domos Ordinis, aut Congregationis hujusmodi, sine sui Superioris licentiâ in scriptis habitâ degere, aut commorari præsumant. Et ne aliquis statuti, & ordinationis, ac inhibitionis nostrarum ignorantiam prætendere possit: Dilectis filiis Magistro Augustino de Aretio Priori Generali totius Ordinis, & Magistro Philippo Castello de Utino Moderno Vicario Congregationis, & pro tempore existentibus Priori Gener. Ordinis, & Vicario generali Congregationis hujusmodi eâdem excommunicationis pœnâ committimus, & mandamus, quatenus statutum, ordinationem, inhibitionem nostram prædictam inter institutiones, & constitutiones Ordinis, & Congregationis prædictorum registrari; Et per se, vel per alium in singulis Provinciis. Capitulis, & Domibus eorumdem Ordinis, & Congregat. publicari, ac per eorum fratres inviolabiliter observari faciant. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac renitentes. & se præmissis quomodolibet opponentes, aut illis auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè præstantes per censuras Ecclesiasticas, ac alias pro arbitrio imponendas pœnas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsorum Ordinis, & Congregationis etiam juramento roboratis, & statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis tam sub plumbo, quàm in formâ brevis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis quomodolibet concessis. Quibus omnibus latissimè extensis, etiam si de eis &c. illorum tenores &c. hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & sufficienter derogatũ esse decernimus. Cæterisque contrariis quibuscunque. Præsentium etiam absque eo quòd registrentur. aut illis data apponatur, solam signaturam sufficere, & ubique fidem facere decernimus.

L. Placet, & ita mandamus.
L. Videat Protector.
L. Placet in omnibus. M. Card. Sanctæ Crucis Protector.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *EX quodam exemplari hujus sententiæ, quod habetur in Conv. Flor.*
2 *Ex Campione Bononiensi, quem Poccian. ad ann. 1552. refert.*
3 *Ex diariis S. Marcelli de Urbe.*
4 *Ex relationibus P. Joannis Baptistæ Gambini ejus Nepotis.*
5 *Ex monum. Conventûs Robadi.*
6 *Ex lib. D. memorandorum Conv. Flor. [& Pocciantio ad annum 1550.]*
7 *Habetur hæc Bulla in calce Constitutionum Generalis Laurentii Mazocchii.*

Constitutiones, & decreta Marcelli Cervini Cardinalis Protectoris pro totâ reformandâ Congregatione. C A P. III.

MArcellus Cervinus Cardin. vix à Summo Pontifice nostri Ordinis protectionem acceperat, quando inquietantium quorundam ejus mentem querimoniis pertæsus mandavit generalem quandam visitationem, & exactam inquisitionem per omnia Congregationis loca, & personas diligenter fieri, ut tandem ipsis abusibus mederetur, quibus reformationem illorum in deformitatem, & inobservantiam quotidie magis prolabi accepisset. Quare ad omnem, quæ irrepserat, corruptelam tollendam, infrascriptas Constitutiones de cætero observandas decrevit.

QUoniam Regularis antiqua Observantia, quæ olim inter Fratres Congregationis Servorum B.M.V. vigebat, ac maximè laudabatur elapsis temporibus: & in præsenti (sicuti à plerisque testimoniis fide dignis accepimus) diminuta reperitur; propterea quod pleraque Constitutiones, ac Patrum decreta in desuetudinem propemodum abierunt. Nos Marcellus Cervin. tit. S. Crucis in Hierusalem miseratione Divinâ Sanctiss. Romanæ Ecclesiæ Presb. Cardin. ac totius Ordinis Servorum B. M.V. Protector, ad quem ex injuncto Protectoratûs munere spectat curare, ut in dies Dei cultus in dictâ Congregatione augeatur, & ut benè, ac laudabiliter vivendo in rectas Patrum semitas dirigatur; auctoritate Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Julii Divinâ providentiâ Papæ Tertii vivæ vocis oraculo Nobis impertitâ, ac etiam de consilio Reverendi P. Mag. Philippi de Castello dictæ Congregationis Vicarii Generalis, & plurium Magistrorum, & Fratrum, has præsentes Constitutiones, partim innovandas, partim de novo servandas secundùm præsentis temporis exigentiam faciendas esse duximus, factasque promulgari, & inviolabiliter observari, atque in proximâ visitatione, & deinde in generali futuro Capitulo publicari volumus, & mandamus, declarantes nihilominus mentis Nostræ esse ea, quæ nunc forsan temporis brevitate ad notitiam non pervenissent, & propterea omissa forent diligentiùs inquirere velle, & ad hæc addere, quàm minuenda esse videantur. In quorum fidem has præsentes manu propriâ subscriptas, & sigilli Nostri impressione communitas fieri jussimus.

Datum Romæ in Palatio Apost. in camerâ nostræ solitæ residentiæ sub die X. Decembris M. D. L. Pontificatûs Sanctissimi Domini Nostri Papæ anno primo.

Decreta pro reformãda Cong. Servor.

1 In Capitulo generali deputetur ab ipso Capitulo Cancellarius, sive Scriba, qui cunCta Capituli acta diligenter excipiat, & conscribat

scribat in aliquo Libello, qui Libellus debeat servari, & exhiberi in sequenti Capitulo.

2 In visitationibus faciendis Vicarius Generalis semper habeat secum duos Visitatores Collaterales designandos, & deputandos per Diffinitores, & Vicarium Generalem, ut inferiùs dicitur, de quorum consilio, & consensu iniungat pœnitentias, & corrigat errores, si qui fuerint corrigendi.

3 Decernant Diffinitores, & Vicarius Generalis, ut antiquâ constitutione non obstante Vicarius ipse visitet quatuor Provincias semper cum duobus Visitatoribus; ita tamen dividendo Provincias inter Visitatores, ut duarum Provinciarum visitatio, ad duos pertineant Visitatores, aliæ autem duæ Provinciæ à duobus alijs Visitatoribus visitari debeant. Quas Provincias ita Diffinitores, & Vicarius partiri debebunt, ut nemo ex Visitatoribus propriam visitet Provinciam. Visitatorum autem alter teneatur conscribere visitationes fideliter, & distinctè, ut in Capitulo Gen. exhiberi, & conservari possint.

4 Vicarius generalis & Visitatores in visitatione faciendâ, maximâ cum diligentiâ perquirant cubicula uniuscujusque Fratris, vel Magistri, & cautè perscrutentur, num quis eorum teneat libros hæreticos, vel suspectos de fide, & si quos invenerit igni statim tradantur, denunciando tales libros habentes Rev. Protectori.

5 Item per singulos Conventûs legant Bullam Sanctiss. Dom. Nostri, quâ prohibetur omnibus, ne teneant tales libros non obstante quacunque licentiâ priùs impetratâ.

6 Item maximam curam adhibeant Vicarius, & Visitatores in inquirendis Magistris, aut Fratribus, si qui sint in Congregatione de fide Catholicâ minùs benè sentientes, aut de hæresi suspecti, quos debeant Rev. Protectori nunciare, relinquentes tale judicium dominationi suæ Reverendissimæ; & similiter curam adhibeant, ne aut Fratres, aut Magistri teneant in cubiculis signa, & imagines depictas Virorum, aut Mulierum, solùm Salvatoris nostri, B. Virginis, & Sanctorum: Vicarius autem, & Visitatores, si in prædictis aliquo pacto defecerint, sciant se effectû iri indignos quâcunque dignitate, & utrâque voce ad decennium.

7 Examinent similiter Vicarius, & Visitatores, ac perscrutentur in omnibus Monasterijs libros rationum, vel administrationis Monasteriorum, & faciant notam in ipsis libris manu propriâ de ratione visâ approbando, vel reprobando administrationes (prout res exiget) puniendo; & si occurrerit quòd Vicarius legitimo præpeditus impedimento non posset administrationem alicujus Monasterij perscrutari, perscrutandam imponat Visitatori ejus Provinciæ, aut alicui probo Patri, qui manu propriâ notare habeat in libro dictæ administrationis.

8 Priores omnes ad Capitulum generale
E deferant libros redditûum, & expensarum sub suâ administratione sub pœnâ privationis utriusque vocis per triennium, & exclusionis à Capitulo. Etsi ipsi Priores legitimo detenti impedimento non possent ad ipsum Capitulum accedere, mittant sub prædictâ pœnâ libros antedictos, qui libri debeant revideri, & iterum confirmari, vel roborari à duobus, seu pluribus Scrutatoribus eligendis à Diffinitoribus ultra primam revisionem superiùs dictam.

9 Priores non residentes, sed manentes extra Monasterium sibi commissum ultra octo dies sine licentiâ sui Capituli agnoscendâ, & subscribendâ à Vicario generali, efficiantur, & ex nunc declarantur inhabiles ad quamcunque dignitatem per quinquennium,
F neque vestes, aut aliquod solitum emolumentum à Monasterio percipere habeant.

10 Nemo Fratrum designatus, & manens sub obedientiâ alicujus Prioris, possit vagari extra Monasterium, etiam per Provinciam sine licentiâ dicti Prioris in scriptis, liceat tamen Magistris non petitâ licentiâ Monasterium proprium exire, & per Civitatem ire, dummodo Urbem non exeant, Socius tamen quem unusquisque Magistrorum secum ducere voluerit, licentiam impetrare debeat à suo Priore.

11 Et si quis extra Provinciam exire voluerit licentiam habeat in scriptis à Vicario Generali, vel Visitatore illius Provinciæ sub pœ-
G nâ privationis utriusque vocis ad quinquennium, in quam pœnam incurrant etiam Priores eos recipientes non ostensâ licentiâ.

12 Prior cujuscunque loci quantumvis minimi non sit Prior eodem tempore majoris, vel similis Monasterij, nec aliud officium habere possit.

13 Magistri non eant ad Capitulum sumptibus Monasterij, in quo degunt, nisi fuerint electi Discreti sub pœnâ privationis utriusque vocis ad biennium: proprijs tamẽ sumptibus ire possint, & vocem in Capitulo habere. Ubi autem vocentur à Capitulo vel à Priore ipsius Monasterij, in quo celebretur Capitulum causâ disputandi aut prædicandi, teneatur dictus Prior illis præbere viaticum,
H & expensas itineris.

14 Nullus Frater, seu Magister habeat vocem activam in eligendis Discretis cujuscunque Monasterij, nisi per duos menses continuos steterit in dicto Monasterio, hi tamen intelligantur excepti, qui in locum alicujus mortui fuissent suffecti.

15 Non vocales ad Capitulum non accedant sub pœnâ carceris ad mensem, & privationis utriusque vocis ad biennium, exceptis famulis Capituli, vel Fratrum, qui habeant licentiam in scriptis à Vic. Gen.

16 Priores titulares non habeant vocem activam, aut passivam.

17 Servetur Constitutio, quâ declaratur non

non posse creari Priores nisi ad biennium.

18 Priores pro tempore, qui unà cum officio Prioratûs Procuratoris officium exercuerint, careant utrâque voce sex mensibus, & suo officio priventur.

19 Sint contenti Priores communi vitâ in mensâ, & contrafacientes declarentur nunc inhabiles ad quamcunque dignitatem, & pro vestibus non possint habere, nisi ad summum duo scuta plusquam cæteri Fratres.

20 Nullus Prior, aut Visitator possit dare licentiam promovendi ad sacros Ordines, sed solùm Vicarius Gen. qui omnes licentiare possit, modo sint idonei scientiâ, moribus, & ætate, videlicet 22. annorum.

21 Procurent Priores, ut Novitij, vel alij Fratres quotidie legant in mensâ, prout in Regulâ S. Augustini.

22 Ad Matutinum surgant Fratres nocte ante lucem secundùm consuetudinem antiquam.

23 Non admittantur Confessores, nisi idonei, & approbati à Vicario, seu Visitatoribus; qui non probentur, nisi per octo annos ad minus fuerint in Religione in dignitate Sacerdotali, & sic non minus 30. annis: possit tamen Vicarius cum Prædicatoribus Juvenibus misericorditer dispensare.

24 Nemo cujuscunque dignitatis penulas, sive camisias lineas contra Regulam portare audeat, nec . . . . alterius coloris, quàm nigras: item nec vestes in formâ aliâ, quàm tunicæ, nec quas vulgò dicunt *con gli bottoni*, nec cingi alio cingulo, quàm corrigiâ ex corio: cappa verò non sit serico artificiosè laborata circa collum; sed sit suta per quatuor digitos in pectore, sub pœnâ privationis utriusque vocis per annum. Nullus etiam sub eâdem pœnâ portet barbam, nisi sit Magister, vel Baccalaureus.

25 Monasteria Monialium nemo quovis quæsito colore ingredi audeat, nisi Vicarius Generalis cum suis Visitatoribus, & excepto Confessore, sub pœnâ privationis utriusque vocis ad decennium, & carceris per annum. Prior in hoc intelligatur exceptus ex aliquâ solùm urgenti necessitate, cognoscendâ post modum, & approbandâ à Vic. Gen. & Visitatoribus.

26 Confectores libellorum infamatoriorũ per mensem durissimo carceri mancipentur, demum extra carcerem propellantur.

27 Priorissæ Monialium non sint perpetuæ, sed confirmentur de biennio in biennium, prout Monasterio, & Monialibus placuerit.

28 Curent Vicarius, & Visitatores, ut benè claudantur ferratæ Monialium, quæ duplices sint, ita ut manus tangi non possit. Item juxta ferratas ponantur gratæ minutim perforatæ, aut vela, ita ut neque ipsæ videant, neque videantur ab alijs.

29 Auditoria secularibus non facilè pateant, neque concedantur, nisi de licentiâ Cõfessoris.

30 Visitatores quando non visitant maneant semper in suâ Provinciâ cum Vic. Gener. sub pœnâ privationis utriusque vocis, & cujusque dignitatis ad quinquennium. E

31 Factâ visitatione Vicarius Gen. & Visitatores singulis annis portent secum ad Capitulum quoscunq; processûs, quos præsentent Diffinitoribus revidendos, & eos sub excommunicationis pœnâ, & privationis utriusque vocis ad quinquennium comburant coram reis id videntibus, non servato dictorum processorum exemplari aliquo.

32 Vicarius Gen. deposito officio sit Commissarius, & Prior Monasterij S. Mariæ in Viâ de Urbe juxta formam Constitutionum. Nec possit loco sui alium substituere, nisi in causâ infirmitatis, sub pœnâ privationis utriusque vocis, & cujuscunque dignitatis ad decennium. F

33 Constituantur Novitiatûs in Monasterio Servorum de Venetijs; in Monasterio S. Alexandri de Brixiâ. Caveatur tamen, nequis audeat vestire aliquem sine expressâ licentiâ in scriptis à Vicario Gen. & de consensu Capituli Conventûs, ubi vestitur hujusmodi Novitius. Item ne Monasteria Novitiatuum graventur, Parentes Novitiorum, vel Monasterium, ubi vestitus fuerit Novitius, teneantur dare vestitum, & expensas pro Novitio usque ad professionem, quam professionem nullus teneatur, neque possit facere, nisi expletis annis ad minus quindecim; & Novitij stent sub custodiâ Magistri saltem annis tribus. Magistri verò ipsi Novitiorum eligantur Patres bonæ conscientiæ, inculpatæ vitæ, qui moribus splendeant, & se in omnibus bonorum operum præbeant exemplum. Religionis ritûs, ceremonias, officium, cantum maximè Chori, & Grammaticam docere teneantur. G

34 Instituantur in proximo futuro Capitulo studia in ijs Monasterijs, quæ Vicario, & Diffinitoribus magis commoda videbuntur, & si ipse Vicarius, & Diffinitores tàm necessariam Novitiatuum, & studiorum provisionem omiserint; ex nunc declarati intelligantur suspensi à quocunque officio, & privati utrâque voce ad quinquennium.

35 Magistri omnes teneantur in Monasterijs, in quibus degunt, non impediti, ordinarias habere lectiones, scilicet casûs conscientiæ, aut lectiones alias Fratribus utiles legendo, ubi fuerint audientes lectionum capaces, & qui noluerint legere, non gaudeant privilegio Magisterij. Fratres, qui ex evidentibus indicijs, & conjecturis judicantur Divinum officium omittere, priventur voce activâ, & passivâ, & omni officio, & non possint promoveri ad sacros Ordines, qui antea non fuerint promoti. H

36 Priores dent cunctis Fratribus vestimenta, juxta Monasterij facultates, non in pecuniâ, sed in vestibus, & ante alias vestes dent singulis Fratribus unum tonachinum; deficientes autem sint inhabiles ad quamcunque digni-

dignitatem, & officium ad decennium, & ab officio, quo funguntur, removeantur. Lusores, blasphematores, & concubinarij acerrimè puniantur, & careant utrâque voce per biennium.

37 Qui mutuò dant pecuniam, aliquid quantumcunque minimum recipientes, & qui alienas possessiones conducunt, Alchimistæ priventur omni officio, & dignitate, & careant utrâque voce activâ, & passivâ ad decennium.

38 Curent Superiores, ut servetur constitutio in Capitulo XXXI. de non tenendis denarijs penes Fratres, sed reponendis in scrinio trium clavium.

39 Fratres habentes magnam pecuniæ summam, videlicet ultra triginta scuta, teneantur nomine Congregationis, vel alicujus Monasterij de Congregatione in aliquo stabili investire, possit tamen Frater ille habere usufructum boni sic empti, quoad vixerit, nec à quocunque ab hujusmodi usufructu privari, aut impediri valeat, nisi per Capitulum Generale; & qui noluerit, hujusmodi pecuniam ipsam, vel etiam fundum amittat, & usufructum.

40 Baccalaurei transacto hoc anno, in futurum ad nullum promoveantur officium, maximè Visitatoratûs, Prioratûs, & Procuratoratûs, ut commodiùs suis studijs operam dare possint. Item Capitulum Generale non possit eos ad Magisterium licentiare, nisi primo alicujus Capituli Gen. celebrati actus solitos virtuosès exercuerint, videlicet disputando publicè, & prædicando.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

Habentur hæ constitutiones m.s. inter monument. Conventûs Florentiæ.

Julius Tertius Summ. Pontifex Indulta, & privilegia quæque Prædecessorum Ord. Serv. confirmat, & dimidiam decimarum partem remittit.

CAP. IV.

Postquam Julius Summus Pontifex potitam Jubilei solemni ritu clausisset; nostri Ordinis, quem semper unicè amaverat, indulta omnia à præteritis Pontificibus concessa, Augustini Generalis, & Philippi Castello Vicarij Congregationis precibus adductus per sequentem Bullam rursus approbavit, & confirmavit. 1.

Dilectis Filijs Augustino de Aretio Priori Generali Ordinis Servorum Beatæ Mariæ sub regulâ Sancti Augustini, & Philippo Castello Vicario Generali Congregationis de Observantiâ nuncupatæ ejus Ordinis.

A *JULIUS PAPA III.*

Dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecistis, quòd licèt diversi Rom. Pont. prædecessores Nostri diversa privilegia sub varijs formis Ordini, & Congregationi vestris, illorumque Fratribus hactenus concesserint, nihilominus vos pro serenitate mentium vestrarum desideratis illa Apostolico munimine roborari, ac approbari, & confirmari. Quare Nobis humiliter supplicari fecistis, ut omnibus, & singulis privilegijs, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus Ordini, & Congregationi prædictis, & illorū Fratribus concessis, pro illorum subsistentiā firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, illaque juxta formas eorum observari mandare, ac aliàs super ijs opportunè providere de benignitate Apostolicā dignaremur. Nos igitur attendentes fructûs salutares, quos Ordo vester in Ecclesiā Dei hactenus produxit, & producit in dies, ac sperantes quòd de bono in melius perseveret, hujusmodi supplicationibus inclinati omnia, & singula privilegia, exemptiones, indulta, immunitates, & libertates tam per fel. rec. Innoc. viii. eius literis sub data Romæ Milles. Quadring. octuag. septimo. VI. Kal. Junij Pontif. sui Anno iii. quæ incipiunt: Apostolicæ Sedis. & Mare Magnum Fratrum vestri Ordinis nuncupatum. Necnon Julium II., & Clem. VII. ac Paulum III. quàm quoscunque alios Romanos Pontif. Prædecessores Nostros hactenus quomodolibet, & sub quibuscunque tenoribus, & formis in genere concessa, & innovata, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro sufficienter expressis, & insertis haberi volumus. Authoritate Apostolica, & ex certā Nostrā scientiā, tenore præsentium approbamus, innovamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere decernimus. Et pro potiori cautelâ, illa cum illorum extensionibus, ampliationibus, communicationibus etiam de novo concedimus, Vobisque, & pro tempore existentes Priores, & Vicarios Generales, ac Fratres, & personas Ordinis Congregationis vestrorum hujusmodi. Necnon domos, Ecclesias, & loca vestra omnibus, & singulis privilegijs, exemptionibus, indultis, & gratijs quibusvis dictis, & aliorum etiam Mendicantium, etiam de Observantiā nuncupatorum, etiam Prædicatorum, Eremitarum Sancti Augustini, Minorum, Carmelitarum & Minimorum, & aliorum quorumcunque Ordinum Fratribus, & personis, ac Congregationibus, illorumque Ecclesijs, Oratorijs, Domibus, & alijs pijs locis, illorumque Prioribus, Fratribus, etiam Conversis, & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, & de pœnitentiā nuncupatis, & alijs personis per eosdem prædecessores, ac forsan etiam Nos, & Sedem prædictā hactenus quomodolibet, etiam vivæ vocis oraculo in genere concessis, & præsertim piæ m. m. Clem. IV. etiam prædecessoris Nostri inter alia dispo-

Bulla Julij 3. pro confirmat. privilegiorum.

disponentis, quòd nulli ex Mendicantium Ordinum professoribus Ecclesias, Oratoria, loca, vel domos apud Ecclesias, Oratoria, Loca, vel Domos Fratrum Minorum, & Prædicatorum Ordinum prædictorum per trecentas cannas per aera construere, vel ædificare, aut construi, vel ædificari facere possint, uti, frui, & gaudere posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si vobis, Congregationi, & Ordini vestris, necnon domibus, Ecclesijs, ac locis vestris concessa fuissent, scientiâ, auctoritate, & tenore prædictis decernimus: Illorumque transumpta vobis, dictisque Ordini, & Congregationi vestræ, illorumque personis, locis, & bonis in judicio, & extra illud ubicunque per vos, vel alias dicti vestri Ordinis, seu Congregationis personas, seu illorum nomine fuerint exhibita, vel ostensa, suffragentur, ac si in eis Ordo, & Congregatio vestra hujusmodi, illorumque Prælati persona, & loca nominatim fuissent, & essent expressa. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, revocationibus, & restrictionibus, ac in Provincialibus, & Synodalibus Concilijs, edictis generalibus, & specialibus constitutionibus, necnon quorumcunque locorum generalium studiorum Universitatibus, & quibuscunque ordinarijs Prælatis, & personis concessis literis, & privilegijs, etiamsi ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, Illarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, quoad præmissa, specialiter, & expressè derogamus. Et illa nemini in præjudicium præmissorum suffragari posse, aut debere etiam decernimus: Necnon omnibus illis, quæ præfati prædecessores in suis literis hujusmodi voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd transumptis præsentium etiam impressis manu alicujus publici Notarij subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicunque adhibeatur, tam in judicio, quàm extra illud, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si illæ essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die X. Aprilis MDLI. Pont. nostri Anno II.

Ro. Amasæus.

His acceptis Apostolicis literis uterque Generalis, & Vicarius Congreg. de Comitijs Generalibus, pro utroque folicitus Augustinus Ariminum, & Philippus Mantuam pergit. ubi Julij Pontif. Bullam contra Religiosos Beneficiatos jubet per Congregationem publicari in unum Theodorum .2. Caprianum, qui extra Religionem beneficia possidebat, & infra Congregationem utramque vocem habere præsumebat, & fortasse Congregationem rursus administrare prætendebat: sed nihil horum prædictæ Bullæ vigore in Comitijs Sermeti habitis assequi potuit, cùm extra Religionem esse declaratus fuisset; sed M. Joannes Maria Capella de Cremonâ primatum obtinuit, qui eodem anno Ferrariæ Tractatum de Jesu Christi satisfactione, & nostrâ typis mandavit, & Hypolito Card. Estensi nuncupavit. Quod autem addit de eo Panciantius, & Auctor Catalogi Vicariorum Generalium Congregationis, quòd Canonicè non fuerit electus, & alij, quòd postea fuerit suspensus, satis comprehendere non valemus. De Comitijs verò per Augustinum Generalem Arimini habitis Kalendis Maij nihil referre possumus, præter quàm Augustinum confirmatũ fuisse Generalem, & Stephanum de Aretio Procuratorem, & Oratorem in Curiâ electum. Nisi fortè quis arbitretur agitatum, aliorum Mendicantium exemplo de libellis, & supplicationibus ad pedes Pontificis porrigendis pro paupertate Religionis, quæ nõ poterat esse solvendo integras nuper decimas impositas pro Concilio Tridentino, & alijs Christiani Orbis necessitatibus sustentandis. Constat enim quorumcunque Mendicantium Procuratores in Curiâ apud suos Protectores exhibuisse supplicationes pro eorum inopiâ ab hujusmodi gravaminibus eximenda: unde Stephanus Procurator noster unà cum Augustino Generali apud D. Bernardinum Maphæum .4. tit. S. Cyriaci in Thermis Cardin. Viceprotectorem pro Marcello Cervino, qui tunc Tridenti Concilio præerat, supplicationibus porrectis à Summo Pontif. remissionem medietatis decimarum impetrarunt, prout patet ex Bullâ pro omnibus Mendicantibus die 7. Julij Romæ datâ. Eodem quoque tempore, in quibusdam monumentis, non modò Card. Maphæus, sed etiam D. Fabius Magnanellus Card. S. Sylvestri reperitur Viceprotector nostri Ordinis. Unde contingere potuit, sive ut Marcellus, modò alium, & alium præficeret, sive quòd Bernardino absente Magnanellus vices suppleret, uterque enim his temporibus Viceprotector apparet. Per eosdem dies ad Cœlum evolavit Soror nostra Tertiaria B. Juliana de Istriâ .6. cujus gesta desiderantur. Quemadmodum etiam tempora, & acta nobis ignota sunt B. Hieronymæ de Neapoli, cujus nomen, & Imago apparent depicta in majori Arâ Ecclesiæ Montis Falisci, similiter & B. Bonaventuræ de Agro Lucensi, quem fuisse virum summæ simplicitatis, & miraculis clarum referunt non spernenda monumenta Conventûs Lucæ. Eiusdem quoque simplicitatis fuisse ferunt B. Bartholomæum .7. Venetum Alumnum, & sectatorem perpetuum disciplinæ, & bonitatis B. Bonaventuræ de Forolivio, cujus pariter gesta, & tempora desiderantur. Sicuti & de BB. Job Brixiano, & Raphaele

B. Juliana de Istriâ moritur.

B. Hieronyma de Neapoli.

B. Bonaventura Lucẽsis.

BB. Bartholom. Raphael Veneti, & Job Brixianus.

Calbo

Calbo Veneto, quorum imagines in Dormitorio Cœnobii nostri de Utino veneramur.

¶ Eodem anno 1551. Julius Papa III. Bullam pro Conventu S. Joseph de Bononiâ sequentis tenoris dedit.

JUlius Papa III. Ad perpetuam rei memoriam. Inter fideles quoslibet, præsertim Ecclesiasticos, & Religioni mancipatos pacem, & concordiam vigere, & augeri sinceris exoptantes affectibus, illáque propterea processisse dicuntur, ne in recidivum contentionis scrupulum relabantur, sed firma perpetuò, & illibata persistant, libenter, cùm à Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus. Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Generalis, & S. Joseph, aliàs S. Helenæ, ac S. Mariæ stratæ maioris Bononien. Ord. Servorum eiusdem S. Mariæ sub regulâ S. Augustini Domorum, Priorum, ac ipsorum Domorum Conventuum Nobis nuper exhibita petitio continebat. Quòd cùm aliâs inter tunc Priores, & Conventûs dd. Domorum super perpetuâ unione ipsius Domûs S. Joseph Domui S. Mariæ huiusmodi auctoritate quarundam Literarum fel. rec. Callixti Papæ III. prædecessoris Nostri facta, & illius validitate materia quæstionis orta fuisset. Priores, & Conventûs præfati ad evitandum ulteriores litium anfractûs, parcendumque laboribus, & expensis, de consensu, & auctoritate tunc Prioris Generalis, & omnium Definitorum Capituli Generalis einsdem Ordinis, atque dilectorum Filiorum Parochianorum Ecclesiæ ipsius Domûs S. Joseph, quæ etiam Parochialis existit, inter alia convenerunt, quòd Prior, & Conventus ipsius Domûs S. Joseph quatuor tunc expressas Possessiones aratorias, arboratas, vitatas, prativas, & boschivas, cum illarum Domibus, Furnis, Areis, & Teggiis superextantibus, ac honoribus, & oneribus; necnon omnia, & singula iura, & actiones reales, & personales, quæ Prior, & Conventus Domûs S. Joseph huiusmodi incerta alia, etiam tunc expressa possessionem habebant, & habere poterant, Priori, & Conventui Domûs S. Mariæ, Prior verò, & Fratres Domûs S. Mariæ huiusmodi Priori, & Conventui Domûs S. Joseph huiusmodi etiam aliam etiam tunc expressam possessionem, aut illius pretium arbitrio boni Viri communiter eligendi, taxandum sub certis pactis, conditionibus, & modis inibi expressis consignarent, ac unioni præfatæ renunciarent. prout instrumento publ. in Capitulo Generali ipsius Ordinis tunc Ferrariæ celebrato die 2. Mensis Maii, anno à Nativitate Domini 1458. confecto, pleniùs dicitur contineri. Quare pro parte Generalis, & aliorum Priorum, & Conventuum prædictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem concordiæ pro illius subsistentiâ firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere aliquando in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur singularum possessionum situationes, qualitates, quantitates, confines, vocabula, & veros etiam annuos valores, & Instrumenti prædictorum veriorem tenorem, A *præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati concordiam præfatam, necnon prout illam concernunt omnia, & singula in dicto Instrumento contenta, ac inde secuta quæcunque, licita tamen, & honesta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certâ scientiâ approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adiicimus, eáque omnia per Priores, & Conventûs prædictos inviolabiliter observari debere, eosque ab illis quovis modo, & ex quacumque causâ resilire non posse, sed ad concordiæ, & ad aliorum præmissorum observationem teneri, & efficaciter obligatos existere, ac ad id censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & in eodem Instrumento contentis, & expressis cogi, & compelli posse. Sicque per quoscunque quavis* B *auctoritate fungentes Judices, & Commissarios etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & interpretari, atque definiri debere, ac si secus super his à quocunque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, supplentes omnes, & singulos tam iuris, quàm facti, ac solemnitatum forsan requisitarum, & omissarum defectûs, siqui forsan intervenerint in eisdem, & nihilominus dilectis filiis Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, ac Vicario Venerabilis Fratris Episcopi Bononiæ in spiritualibus Generali per præsentes committimus, & mandamus; Quatenus ipsi, vel alter* C *eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Priorum, & Conventuum prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque plenum effectum sortiri, ab omnibusque inviolabiliter observari, necnon Priores, & Conventûs præfatos, ac omnes, & singulos alios, quos ipsæ præsentes Literæ concernunt, illis pacificè frui, & gaudere; non permittentes quenquam contra illarum tenorem quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per* D *censuras, & pœnas præfatas, ac etiam pecuniarias aliáque iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis. servatis Processibus, censuras, & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis, non obstantibus præmissis, & piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de unâ, & Concilii Generalis de duobus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis Vigore præsentium, ad Judicium non trahatur, & aliis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, etiam specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Domorum, & Ordinis prædictorum, Jura-*

*mento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis fir-
mitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudini-
bus contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus
communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede
indultum, quod interdici, suspendi, vel ex-
communicari non possint per Literas Apostolicas
non facientes plenam, & expressam, ac de ver-
bo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.*

*Datum Romę apud S. Petrum sub annulo Pi-
scatoris die 20. Aprilis 1552. Pontificatûs No-
stri Anno secundo.*

Dom. Amaseus.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 *Habetur hęc Bulla extra Maremagnum.*
2 *Ex libro monum. Conv. Robadi fol. 228.*
3 *Ex monum. Conv. S. Marcelli de Urbe.*
4.5 *Auctor in quadam subscriptione Bullę
exemptionum decimarum vidit Cardinalem
Maphęum Viceprotectorem. In aliâ verò sub-
scriptione ejusdem temporis, quę inter monu-
menta Cortonę habetur, vidit nomen Card.
Magnanelli Viceprot.*
6 *Ex antiquis Beatorum tabulis nostri Ord.*
7 *Frater Simon Pelatus à Castellacio in suo
Cron. m. s.*

De claris Viris, qui perinde literarum studijs, & morum Sanctitate Ordinem Servorum decorarunt.
CAP. V.

M. Thomas à S. Marino.

NEc minùs recentiori hoc ævo, quàm
antiquis temporibus florebant Viri
in nostro Ordine eruditissimi, quo-
rum hoc anno in vigiliâ Annuncia-
tionis B. V. moritur in Castroplebis .1. M.
Thomas Tuta à S. Marino dum esset Romanæ
Provinciæ Præfectus. Hunc celebrant monu-
menta illorum temporum, veluti Magistrum
insignem, quòd multos primariæ notæ disci-
pulos erudierit. Rexit enim M. Thomas stu-
dium Perusinum, ubi etiam Methaphysicam
publicè diu interpretatus fuit. Senense, Bo-
noniense, & Patavinum, quo in munere hos
præ cæteris præclaros discipulos habuit Ste-
phanum Bonuccium, & Angelum Morellium
Aretinos, Jacobum Tavanthium Florentinū,
qui tres successivè Generales evaserunt; M.
Cornelium Coradinum de Bononiâ, & Joan-
nem Baptistam de Burgo S. Sepulcri; M. Gre-
gorium de Lucâ, & alios plerosque. Hujus
etiam consilijs frequenter in rebus arduis usus
fuit suæ patriæ Senatus, qui illum tanquam
Oraculum consulebat, & vehementer obser-
vabat, atque prosequebatur. Hujus egregij
viri occasione cogimur hoc loco nonnullos
ejusdem notæ Patres commemorare .2. quo-
rum vel nomina, vel lucubrationes aliàs præ-
termissæ fuerunt, nec certi temporis memo-
ria extat: non desunt tamen, qui inter varia
monumenta, seu libros illorum egregia faci-
nota extollant, & præcipuè Antonius Posse-
E vinus in suo Apparatu sacro, veluti M.

MM. Bernardus Porrus Mediolan. Stephanus de Papiâ. Bartholomęus de Veronâ.

Bernardus Porrus Mediolanensis, qui edi-
dit duos libros de miseriâ hominis, &
de falso cultu Deorum. M. Stephanus de
Papiâ, qui scripsit super quatuor libr.
Mag. sent. M. Bartholomæus de Veronâ vir
acutissimi ingenij, Poeta, Orator, Sophista,
Philosophus, Methaphysicus, Theologus, Ca-
nonista, & Concionator eximius, & gratis-
simus, obijt anno Domini 1482. adhuc juve-
nis; attamen post se reliquit Sermones qua-
dragesimales fœcundissimi ingenij sui monu-
mentum. Pater Pierozzus de Armaleonibus de

Pierozzus & Barôtus de Pistorio.

Pistorio doctrinâ clarus, qui Senis Sacram
Scripturam in Ecclesiâ nostrâ maximâ au-
dientium frequentiâ est interpretatus. Vene-
F rab. P. Barontus de Bonaccursis etiam de Pi-
storio vir antiquâ probitate æquè Deo, & ho-
minibus charus, qui centenario major anno
Domini 1416. ad Patres appositus est. M. Ca-

Carolus de Faventiâ.

rolus Faventinus Orator eximius, cujus testes
sunt orationes habitæ in Sacello Pontificio,
& quæstiones quodlibetales, obijt anno Do-
mini 1491. M. Philippus Ulstadius, qui Opus
reliquit, cui titulus, *Cœlum Philosophorum*,
& extat in Bibliothecâ Florentinâ, sicut &
Sermones Dominicales, & Visitationum re-
ligiosorum, quos exaravit P. Daniel Duccios
de Forolivio. M. Fridericus ex Provinciâ
Narbonēsi, nedum Parisijs Sorbonicus Lector,
verùm etiam varijs in domesticis Italiæ Aca-
demijs Cathedras strenuè sustinuit, cujus do-
ctrinæ testes sunt Commentaria ab eo summo
G studio elaborata in Mag. Sententiarum, &

Cōstantius Venetus.

Posteriora Arist. M. Constantius Venetus, edi-
dit quæstiones super libros de Animâ, & su-
per quatuor lib. sent. M. Gulielmus Dandus

Gulielmus Dādus.

itidem Venetus, scripsit Sermones per annum
omni doctrinâ refertos, & optimum quadra-
gesimale. M. Gulielmus de Alexandriâ vir

Gulielmus de Alexādriâ.

magnæ doctrinæ, & historiarum peritissi-
mus, præter ea, quæ alibi dicta sunt, post se
reliquit sermones varios, Annotationes in sa-
cros utriusque Testamenti libros, & Chroni-
ca Genuensium versibus exarata, licèt mor-
te interceptus extremam manum eis impone-

Andreas de Fulgineo.

re nequiverit. M. Andreas de Fulgineo, poste-
ritati commendavit opus insigne in quatuor
lib. Mag. sent. cui titulus *Speculum Trinita-*

Jacobus Rossius Florent.

H *tis*. M. Jacobus Rossius Flor., posteris conse-
cravit Introductiones in Evangelia totius an-
ni; cujus archetypon extat in Bibliothecâ
Florentinâ, obijt anno Domini 1500. M. Ma-

Marianus de Raconisio.

rianus de Raconisio Ferrariæ anno Domini
1470., exactam elaboravit expositionem su-
per Evangelia quadragesimalia. M. Marinus

Marinus Baldus.

Baldus Venetus, proprio idiomate posteritati
legavit Confessionale pium. Exercitium spi-
rituale pro Servis B.M.V. & eruditam casuum

Petrus Cōtarinus.

conscientiæ Summam. M. Petrus Contarinus
etiam Venetus vir omnigenâ doctrinâ excul-
tus, & Sacræ Script. maximus investigator,
scripsit historias sui temporis universales,

obijt

Andreas Venetus. obiit anno Domini 1485. Andreas Venetus Doctor Parisinus, præter ea, quæ superiùs in secundâ Centuriâ,* adeò extitit memoriâ re- nax, & sorsententias, & rythmos inter con- cionandum, & in omni occasione extemplò proferebat, ut vulgò *Liber apertus* diceretur, & quique sapientissimi Viri semper aliquid novi ab eo discere assererent; idque apertè declarat liber, quem lucubravit, cui titulus *Campus Florum*. M. Petrus de Româ. qui totam ordinavit philosophiam, & Methaphysicam in quæstiones, & ideo dictus est Ordinator Philosophiæ. Verùm, ut ad seriem Annalium nostrorum revertamur; .3. occurrit obstupendum quid circa tumulum B. P. N. Philippi narrandum. Morabatur enim è regione S. Marci juxta Ecclesiam nostram vir quidam nomine Petrus de Per's, qui die quâdam dum cum infantulo filio, qui dicebatur Laurentius, unius anni cum dimidio ad fenestram luderet, fortè accidit, ut infans ex eo loco in viam cadens totus collisus efflarer animam. Quare parentes eo casu perterriti de amisso filio, illum statim super tumulum B.P.N. Philippi ejulantes, & lugentes statuerunt, cujus meritis, & intercessione post dimidiam horam puerulus afsurgens revivifcens incolumis parentibus restituitur. Qui ob tanti beneficij memoriam suppresso nomine Laurentij filium suum deinceps Philippum semper nominarunt. Comitia Congregationis Pisauri habentur, in quibus eligitur M. Joannes Baptista de Gabiano Brixianus Vicarius Generalis. Romæ interea agebat .4. M. Thomas de Flor. Theologus insignis, & qui postquàm ex Ordine ad Congregationem perrexisset in Laterano Pœnitentiariæ munere fungebatur. Augustinus .5. verò Generalis tot studijs Concilij Tridentini, tot arduis itineribus, tot laboribus, & ærumnis confectus, jam in quendam inciderat languorem, ut Medicorum consilio ad Balnea S. Cassiani confugeret, sanitatem, si fieri posset, recepturus. Quo etiam tempore placuit Altissimo rerum Conditori, ut nos humili in Pago Decumani, Florentino tamen ex genere, hac virali Luce frueremur die 19. Novembris circa tertiam noctis horam, ex quâ faxit Deus, ut in extremâ vitæ periodo æternâ randem perfruamur vitâ.

* l. 5. c. 16. ad an. 1431.

Petrus de Româ.

Defuncti suscita tio ad tumulum B. P.N. Philippi

M. Thomas Florentinus pœnitentiarius Romæ.

Auctor Annalium nascitur.

[Hoc pariter anno 1552. Julius Papa III. Conventui S. M. Servorum de Genuâ administrandam perpetuò commendavit Ecclesiam quandam Parochialem sub Tit. S. Desiderij Episcopi, & Martyris positam in vico Bavari districtûs ejusdem Urbis. Locum autem hunc consequentibus annis novis ædificijs instruxerunt, & diu coluere PP. donec inde recedere coacti sunt ex vi notissimæ Bullæ *Instaurandæ*, qui tamen Presbyterum eligunt Parochiæ illi administrandæ præficiendum. Literæ autem Apostolicæ sunt tenoris, qui sequitur. .6.

Conventus Servorum de Genuâ unitur Eccl. S. Desiderij.

A *Julius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

EX injuncto Nobis desuper, licèt meritis insufficientibus, Apostolicæ servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Divinus cultus cum Animarum salute, ubique vigeat, & augeatur, & personarum quarumlibet, præsertim sub Regularis observantiæ disciplinâ studio piæ vitæ vacantium commodis, & utilitatibus per Nostræ provisionis auxilium valeat salubriter provideri. Dudum siquidem omnia Beneficia Ecclesiastica cum curâ, & sine curâ apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & dispositioni nostræ reservavimus. Decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate B *scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cùm itaque postmodum Parochialis Ecclesia S. Desiderij de Bavaro Januensis Diœcesis per liberam resignationem Dilecti Filij Joannis Baptistæ de Luali nuper illius Parochiæ Rectoris de illâ, quam tunc obtinebat per Dilectum Filium Stephanum de Aretio Fratrem Servorum B. Mariæ Ordinis S. Augustini procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam, & per Nos admissam apud Sedem prædictam vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illâ præter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione, & Decreto obsistentibus supradictis; & sicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum moderni Prioris, & Fratrum Domûs hu-* C *jusmodi Servorum Januen. d. Ordinis petitio continebat — Ecclesia ipsa, quæ satis notabilem numerum Parochianorum habet, adeò in suis redditibus tenuis existat, ut redditûs ipsi ad congruam, & decentem pro tempore existentis ejusdem Ecclesiæ Rectoris sustentationem vix sufficiant, & ob illorum tenuitatem hujusmodi Animarum cura dilectorum Filiorum ipsius Ecclesiæ Parochianorum, prout decet, non exerceatur, si Ecclesia ipsa præfatæ Domui, quæ similiter in redditibus, quos ex Indulto Apostolico percipit, multùm tenuis existit, & in quâ multi ejusdem Ordinis Fratres continuò resident, perpetuò uniretur, annecteretur, & incorporaretur, ex hoc profectò cura Animarum Parochianorum Ecclesiæ hujusmodi diligentiùs exerceretur, &* D *Divinus Cultus in eâdem Ecclesiâ non modicum susciperet incrementum, ipsique Prior, & Fratres in suis necessitatibus aliquod reciperent relevamen, pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum asserentium fructûs, redditûs, & proventûs d. Ecclesiæ decem Ducatorum auri de Camerâ secundùm communem æstimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Ecclesiam ipsam eidem Domui perpetuò unire, annectere, & incorporare, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica alijs uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm æsti-*

Bulla Julii III. pro prædictâ unione.

annexionem prędictam, & beneficium, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & E *semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, Priorem, & Fratres prędictos, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijs que Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum pręsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Necnon d. Domûs Fructuum, redditum, & proventuum verum annuum valorem pręsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesiam prędictam, sive premisso, sive quovis alio modo, aut ex ulterius cujuscunque personâ, seu per similem resignationem d. Joannis Baptistæ, vel cu-* F *juscunque alterius de illâ in Romanâ Curiâ, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut constitutionem fel. rec. Joannis Papę XXII. Prędecessoris nostri, quę incipit :* Execrabilis : *vel assecutionem alterius Beneficij Ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quòd eius collatio juxta Lateranensis statuta Concilij ad Sedem pręfatam legitimè devoluta, ipsáque Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum pręsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad Nos hac vice pertineat, cum omnibus juribus, & pertinentijs suis eidem Domui, ita quòd liceat Mo-* G *derno, & pro tempore existenti Priori, & Fratribus Domûs hujusmodi per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem d. Ecclesię, etiam propriâ auctoritate, & absque spolij, vel attentatorum vitio, liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructûs, redditûs, & proventûs hujusmodi, in suos, & Ecclesia, ac Domûs prędictorum usus, & utilitatem convertere, necnon eidem Ecclesię per aliquem d. Domûs Fratrem Presbyterum, aliàs ad id idoneum, ad eorundem Prioris, & Fratrum nutum ponendum, & amovendum in Divinis deserviri, & Parochianorum Animarum curâ hujusmodi exerceri facere, Ordinarij Loci, vel cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ, auctoritate Apostolicâ tenore pręsentium perpetuò* H *unimus, annectimus, & incorporamus. Non obstantibus priori voluntate nostrâ prędictâ, necnon Lateranen. Concilij novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, ac pię memorię Bonifacij Papę VIII. etiam prędecessoris nostri, & alijs Apostolicis constitutionibus, ac d. Ordinis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus contrarijs quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi, vel alijs Beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales d. Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel alia* E *quomodolibet sit processum; quas quidem Literas, & processûs habitos per easdem, ac inde secuta quęcunque ad Ecclesiam prędictam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum prędicium generari, seu si Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Januensi, vel quibusvis alijs communiter, vel divisim ab eadem sit Sede Indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet alijs privilegijs, indulgentijs, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quę pręsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectûs* F *earundem impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris Literis mentio specialis, proviso quòd Ecclesia prędicta debitis propterea non fraudetur obsequijs, & Animarum cura hujusmodi in eâ nullatenus negligatur, sed ejus congruè supportentur onera consueta. Nos enim prout ex tunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est, hactenus, vel inposterùm contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare prœsumpserit,* G *indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romę apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo; die 13. Martij, Pontificatûs Nostri Anno tertio.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *EX relationibus à Magistro Dionysio Torsano de S. Marino acceptis.*

2 *Inter relegendum monumenta, et historiam manuscriptum Fratris Simonis Pelati à Castellacio, necnon Apparatum sacrũ Possevini, hos Viros praclaros deprehẽdit Auctor in pręteritis Centurijs prętermissos, quorum memoria* H *ne penitus pereat, hoc loco recensere voluit.*

3 *Ex processu, qui nuper sacrę Rotę Romanę jussu, Tuderti pro canonizatione B. P. N. Philip. publicè confiatus fuit.*

4 *Inter monum. utriusq; Cœnobij Romę.*

5 *Ex quibusdam literis patentibus ibidem datis die 2. Septembris, quarum originale habetur in Conv. Cortonę.*

6 *Originalis Bulla habetur in eod. Conv. de Genuâ.*



Auga-

Augustino Generali defuncto, tres à Summo Pontifice Julio statuuntur Visitatores usque ad futurum Capitulum Generale.

C A P. VI.

EX balneis S. Cassiani, ad salubres S. P. N. Philippi aquas sub Tuniato monte secesserat languens Generalis Augustinus, ut nova ibi ædificia à prædecessore Dionysio cœpta, & suâ sedulitate ferè completa, eo in deserto per aliquot dies incoleret, & suæ recuperandæ sanitati, omnique tranquillitati consuleret: deinde Romam in hiberna concessit. Ubi post diutinam, ægramque valetudinem die 4. Junij circa decimam octavam horam Anno Dom. 1553. spiritum Deo reddidit. Fuit Augustinus ingenio tàm solerti, ut ætatem præveniens juvenis eruditissimus non sine magnâ omnium admiratione esset: omni scientiarum genere erat cumulatus, ot ait Pocciantius, in explicandis libris disertissimus, in concionibus venustissimus, & in disputationibus invictissimus; cui rei testis est Senarum Civitas, ubi publicè philosophiam professus est; tntius insuper Italiæ Cathedrales Ecclesiæ, & præcipuè Bononiensis, obi in concionando omnium animos attraxit, & conciliavit. Quantùm verò in differendo, & præsertim contra Hæreticos valuerit Tridentina Synodus id manifestè explicat. Pater iste ob suam probitatem, & doctrinam à Julio Tertio (cui erat affinis) ad nonnullius Præsulatûs fuit invitatus, ipse verò magis Religionis utilitatem, quàm honorem proprium desiderans enixè renuit semper. Et Rever. Angeli exempla insecutus sois pateotibus literis eandem posuit subscriptionem, videlicet *Dominus illuminatio mea.* Optimus tamen P. Stephanus Procurator Generalis ejus Alumnus, corpus Aretium deferendum curavit, & his honestavit verbis.

August. Gener. obiens, et laudes.

Augustinus hic Bonuccius Aretinus Servitanæ Familiæ Præsul, cætera norunt, & S. Tridentina Synodus, Roma, ac ferè Orbis totus. Stephanus ejus Alumnus, & Patres Aretini mœst. pos. vixit An. XXXXVII. obijt 4 Junj.

Apposito igitur Generali Augustino ad Patres, de moderandâ interim Religione agitatum est Romæ inter Marcelium Protectorem, & Julium Summ. Pontificem, quorum consilio, & auctoritate die *6.* Julij per lit. Apostolicas etc. tres simul decernuntur Visitatores, qui usque ad futurum Capitulum Generale clavum Religionis simul teneant. Et hi fuerunt M. Zacharias Faldossius de Florentiâ, M. Stephanus Bonuccius de Aretio Ordinis Procurator, & M. Felicianus Capitonus de Narniâ. Qui unanimiter, & non separatim, nec unus sine alio, sed omnes tres simul eandem in administrandâ, & visitandâ Religione auctoritatem exerceant: quod si secus fecerint latæ sententiæ excommunicationis pœnam incurrant. [Literæ autem Apostolicæ sunt sequentis tenoris.

Ordo per tres Visitatores administratur

A

JULIUS PAPA III.

DIlecti Filij Sal. & Apost. Bened. Cùm nuper quondam Augustinus Bonuccius de Aretio totius Ordinis Fratrum Servorum B. M. Generalis apud Sedem Apostolicam vitâ functus fuerit, & d. Ordo in præsentiarum Generali careat: Nos ne propterea Religio ipsa aliquod detrimentum patiatur, sed in suo solido statu permaneat, & illius Fratres in pacis amœnitate, & tranquillitate vivere possint, & disciplina Regularis inibi observetur, ac alias Animarum saluti ipsorum Fratrum consuli possit, & scandalis, quæ ob defectum Generalis in hujusmodi Ordine evenire possent, obvietur, quantùm in Nobis est, consulere volentes, ac de religionis zelo, sinceritate, doctrinâ & in Rebus d. Religionis summâ experientiâ, quibus circumfulti estis plurimum in Domino confidentes, Vos conjunctim, ita ut unus sine aliis nihil facere possit totius Ordinis Fratrum hujusmodi Generales Visitatores, Correctores, & Gubernatores usque ad proximum d. Ordinis Generale Capitulum celebrandum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium constituimus, & deputamus, Vobisque omnes, & singulos ipsius Ordinis Fratres, ac etiam Novitios, & alias quascunque personas cujuscunque dignitatis, status, gradûs, ordinis, & præeminentiæ fuerint, d. tempore durante, toties quoties opus fuerit, nomine nostro visitandi, & errantes corrigendi, ac in Capite, & in membris reformandi, necnon delinquentes quoslibet secundùm illorum excessûs, & delicta puniendi, & castigandi, ac omnimodam in eos, & eorum singulos jurisdictionem in singulis d. Ordinis Domibus, & Conventibus, ac illorum membris gerendi, & exercendi, necnon in rebelles excommunicationis, & alias censuras Ecclesiasticas, ac etiam privationis Dignitatum, & Officiorum per eos, & eorum quemlibet obtentorum pœnas promulgandi, illosque dignitatibus, & Officijs prædictis privandi, & de illis alijs providendi, ac alios in eorum locum surrogandi, necnon Fratres in d. Ordine recipiendi, & professionem ab eis admittendi, Capitula convocandi, & illis interessendi, & præsidendi, necnon generale Capitulum tempore solito, & juxta Constitutiones, seu Consuetudinem ipsius Ordinis determinato indicendi, & illius Locum designandi, statuendi, & ordinandi, ac omnia, & singula alia in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, quæ pro tempore existens Generalis d. Ordinis de jure, statuto, consuetudine, vel privilegio, aut aliàs quomodolibet,

B

C

D

libet, facere, statuere, ordinare, & declarare potest, faciendi, & statuendi, ordinandi, declarandi, exequendi, & exercendi in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsemet Generalis fuisset, plenam, & liberam auctoritate, & tenore prædictis concedimus facultatem, districtè præcipiendo, mandantes omnibus, & singulis Diffinitoribus, Socijs, Provincialibus, Prioribus, Magistris, & cæteris d. Ordinis Fratribus cujuscunque dignitatis, gradûs, Ordinis, & præeminentiæ existentibus sub inobedientia Nostræ, & excommunicationis latæ sententia eo ipso per quemlibet contravenientem incurrendis pœnis, à quibus nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis discrimine, absolvi possint, ut visis præsentibus absque moræ dispendio vos, ut præfertur, in eorum, & d. Ordinis Visitatores, Correctores, & Gubernatores benignè recipiant, & admittant, Vobisque honorificentiam, & reverentiam promptas, debitas, & devotas exhibeant, & in his, quæ ad Generalatûs Officium, curam, & exercitium spectant, etiamsi vobis videbitur, in reformationibus, coercitionibus, correctionibus, pœnis, & alijs quibuscunque actibus, executionibus, mandatis, absque ullâ penitus contradictione sedulò pareant, & humiliter obediant, ac in eorum necessitatibus, & negocijs ad Vos, prout ad Generalem prædictum recurrebunt, seu si viveret recurrerent, recurrant, vestrisque operâ, consilio, & patrocinis utantur alioquin sententias, sive pœnas, quas in rebelles tuleritis, seu statueritis ratas habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac d. Ordinis juramento, confirmatione Apost., vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon quibusvis privilegijs, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in specie, & aliàs quomodolibet, etiam motu proprio concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Dat. Romę apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 6. Julij 1553. Pontif. nostri Anno quarto.

A tergo *Jo. Lacineu.*

Dilectis Filijs Zacharię de Florentiâ, & Stephano de Aretio, ac Feliciano de Narniâ E *Fratribus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ.*]

Quibus statutis Patres Visitatores Religionem lustrando percurrunt, & cùm Florentiam mense Novembri pervenissent Cœnobio Annunciatæ visitato ad Urbem perrexerunt, ut de futuro Capitulo Generali quoad tempus, & locum simul cum D. Protectore decernerent. Adfuerunt etiam Romæ M. Joannes Baptista de Gabiano, qui in præterito conventu anni 1553. apud Forumlivium fuerat Vicarius Generalis confirmatus, & M. Joannes Maria Capella de Cremonâ Visitator. Hi omnes simul inito inter sese consilio D. Marcellum Protectorem consuluerunt, & tandem libellis ad pedes Sanctissimi porre- F ctis per infrascriptas capitulationes, quæ in sequenti Bullâ Summi Pontificis continentur pari consensu de modo conveniendi ad Capitulum Generale, ut omnia pacificè fierent, petierunt.

JULIUS PAPA III.

Bulla Julij 3. de modo celebrādi Capitul. Gen.

AD perpetuam rei memoriam. Quæ pro Religionis conservatione, & augmento, ac salubri illius, & regularium personarum quarumlibet status directione, necnon perpetuâ inter ipsas personas pacis, & tranquillitatis solidatione providè facta fuisse dicuntur, ut firma, & illibata persistant, libenter cùm à Nobis petitur, Nostri muniminis firmitate, aliasque de- G *super disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filij Zacharias, & Stephanus de Aretio, ac Felicianus de Narniâ Visitatores Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Conventualium Apostolicâ auctoritate deputati ex unâ; necnon Jo. Bapt. de Gabiano Vicar. Gen. & Jo. Maria Capella de Cremonâ Visitator Congregationis Observantiæ Beatæ Mariæ hujusmodi partibus ex alterâ, quod ipsi nonnulla pacta, & conventiones inter se inierunt hujusmodi sub tenore, videlicet.*

Primò, quòd Patres Ordinis teneantur admittere quotquot Patres vocales de Congregatione personaliter accesserint ad Capitulum Generale dicti Ordinis, & eorum suffragia habeant vi- H *gorem, ac semper recipiantur, modò ad statutum diem venerint in electione Generalis, sicut & cætera suffragia Patrum Ordinis; habereque possint dicti Patres Congregationis etiam in dicto Capitulo vocem passivam. Quòd si aliquo casu contigerit, quòd Patres Congregationis ad præfatum Capitulum Ordinis personaliter, sive per nuncium non accesserint, nullum tunc præjudicium fiat Patribus Congregationis: sed perpetuò permaneant in jure suo de dandis votis in electione dicti Generalis. Intelligatur tamen, quòd Generalis, qui absentibus Fratribus Congregationis vocalibus omnibus, vel aliquibus legitimè vocatis loco, & tempore statuto ut infra, nec operâ aliquâ eorundem Prioris Generalis*

ralis, & Fratrum Ordinis ab accessu ad dictum Capitulum impeditis, fuerit electus, sit canonicè electus, & ita pro electo habeatur, ac si omnes dictæ Congregationis Fratres vocales accessesint personaliter, & eidem Generali electo vota præstitissent. Quòd si non fuerint vocati, vel fuerint dicti Patres Congregationis impeditè (ut præfertur) electio tunc irrita sit, & nulla.

Secundò, quòd quandocunque celebrabitur Capitulum Generale extra has quinque Provincias infra nominatas, videlicet, Provinciam Thusciæ, Patrimonij, Romandiolæ, Marchiæ Tarvisinæ, & Lombardiæ, seu Mediolani juxta divisionem, & numerationem Conventuum solitam, teneantur Fratres Ordinis admittere omnia vota Congregationis per nuncium ipsius Congregationis legitimè deputatum ad electionem ipsius Reverendissimi Patris Generalis, æquè ac si personaliter adessent Patres ipsi Congregationis vocales.

Tertiò, quòd dicti Patres Ordinis debeant, & teneantur præmonere Reverendum Patrem Vicarium Congregationis de loco, & tempore Capituli Generalis ipsius Ordinis per annum, vel circa; & in casu legitimi impedimenti, quo necesse esset removere dictum Capitulum, & alibi celebrare, saltem per sex menses præmonere ipsum Patrem Vicarium Generalem de stabili, & firmato loco, & tempore Capituli Generalis. Et si infra dictum tempus venerit occasio potissima removendi dictum Capitulum, ut sunt bella, pestes, incursiones, incensiones, inundationesque aquarum, & penuriæ, ac similes casûs, tunc sufficiat tempus intimationis per tres menses. Teneantur tamen Patres Congregationis intimare Reverendissimo Patri Generali, vel Procuratori Ordinis in Urbe, an ipsi sint ad futurum Capitulum Generale dictum personaliter accessuri post intimationem ipsi Patri Vicario Generali Congregationis à Patribus Ordinis per mensem à dicta præmonitione, vel ad plus per duos menses. Quæ quidem præmonitio, & intimatio prædicta fieri possit, & sic fiat à Reverendissimo Patre Generali, vel Procuratore Ordinis in Urbe Reverendo Patri Vicario Generali Congregationis, vel Commissario ejusdem apud Urbem ex parte Patrum Ordinis. Sicque etiam intelligatur ex parte Congregationis, quòd intimatio, ac præmonitio præfata fieri possit, & sit rata, si fiat à Reverendo Patre Vic. Gener. vel Commissario dictæ Congregationis Reverendissimo Patri Generali, vel Procuratori Ordinis in Urbe.

Quarto, quòd quando Patres Congregationis vocales accesserint ad Capitulum Generale Ordinis in Conventibus ipsorum Patrum Ordinis benignè recipiantur, & tractentur Patres Congregationis, æquè ac Patres Ordinis, solvendo tamen ratam juxta tempus, & numerum Fratrum accedentium pro expensis, quæ occurrunt ultra eleemosynas erogatas, vel quomodocunque gratis datas à devotis personis pro subsidio dicti Capituli Generalis: Quæ quidem rata temporis, & personarum cognosci debeat, & declarari per duos Patres, videlicet, unum deputatum ab Ordine, & alium à Congregatione: & in casu dissidij tertius eis per partes addatur.

Quinto, quòd ordo præstandi vota à Patribus Congregationis in Capitulo Generali sit, & esse debeat in hunc modum, quòd Vicarius Generalis præfatæ Congregationis teneat secundum locum: cæteri verò Patres Congregationis distribuantur secundùm ordinem, gradum, & dignitatem, & divisionem Ordinis, ac Congregationis. Intelligendo tamen quòd Patres Ordinis, proportionabiliter referendo singula singulis, juxtà dignitates, & gradûs semper præcedere debeant.

Sexto, quòd ob honorem, & maximam Ordinis Servorum utilitatem, ac non vulgare commodum S.R.E. nullus deinceps in Priorem Ge-
B neralem Ordinis eligi possit, nisi fuerit Magister in Sacrâ Theologiâ, & solemnem professionem in Ordine (si Frater Ordinis fuerit) vel in Congregatione (si fuerit Frater de Congregatione) emiserit: ac per viginti annos continuos in dictis Ordine, vel Congregatione steterit. Pari etiam modo nullus Fratrum Congregationis eligatur in Vicarium Generalem ejusdem Congregationis, nisi fuerit Sacræ Theologiæ Magister, & solemnem professionem in præfatâ Congregatione fecerit, quique ad minus quindecim annis continuis in eâ permanserit.

Ultimò, quòd sicut per præsentes Conventiones intelligi volumus, & intelliguntur cassatæ, & annullatæ, & penitus abolitæ cunctæ aliæ præteritæ conventiones, consuetudines, privi-
C legia, & prætensiones materiam votorum, & suffragiorum dictæ Congregationis in electione Generalis tangentes, & in se continentes, ita ut nullum intelligatur in præsenti, & per præsentes fieri præjudicium alijs conventionibus, pactis, privilegijs, juribus, & actionibus, quas tam Patres Ordinis, quàm Patres Congregationis haberent inter se, vel habere prætenderent.

Ego Frater Zacharias indignus Visitator Apostolicus quia ijs omnibus interfui, confirmo, quæ supra continentur.

Ego Frater Stephanus de Aretio Visitator Apostolicus pacta, & conventiones suprascripta confirmo, & approbo.

Ego Frater Felicianus de Narniâ Visitator Apostolicus confirmo prædicta pacta, & conven-
D tiones, & approbo, & subscribo manu propriâ.

Ego Frater Joan. Baptista de Gabiano Vicarius Generalis Congregationis Servorum supradicta omnia, videlicet præfatas conventiones, & pacta confirmo, & approbo manu propriâ.

Ego Frater Joan. Maria Capella de Cremonâ Visitator Congregationis supradicta omnia confirmo, & approbo.

Approbamus omnia suprascripta, ac fidem facimus ea omnia uno omnium supradictorum, & aliorum Fratrum consensu fuisse firmata, & inita.

Marcellus Cardinalis Sanctæ Crucis Protector.

Quare

Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut pactis, & conventionibus, ac Capitulis præinsertis robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliisque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur eosdem Zachariam, & Stephanum, ac Feliciauum, necnon Joan. Bapt. & Joan. Mariam, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis (si quibus quomodolibet innodati existant) ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati pacta, conventiones, & capitula prædicta ad eorum subsecutum approbationem rata, & grata habentes, illa omnia, & in eis contenta, & inde secuta quæcunque Apostolicâ auctoritate tenore præsentium ex certâ scientiâ approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, necnon perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, ac partes in eis nominatas ad illorum omnium observationem teneri, & hinc inde efficaciter obligatos existere, & ad id Censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogi, & compelli posse; sicque per quoscunque judices, & commissarios quavis aliter judicandi, & interpretandi authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Supplentes omnes, & singulos juris, & facti defectûs, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautelâ, ea omnia, prout superiùs acta sunt, perpetuò statuimus, & ordinamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibusvis tenoribus, ac quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, & motu proprio, & simili scientiâ concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, etiam expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes. Illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XX. Decemb. MDLIII. Pont. Nostri Anno IV.

[Item Summus Pontifex anno sequente 1554. Conventui, & Ecclesiæ S. Alexandri de Brixiâ Privilegium concessit aliis Ordinis Nostri Ecclesiis jampridem concessum celebrandi solemniter Missam in sero Sabbathi Sancti, prout constat ex Literis sequentibus, quarum Originale servatur in Archivo ejusdem Conventûs de Brixiâ, quod egomet perspexi die 4 Septembris 1715.

Privil. Julij 3. de celebrandâ Missâ in sero Sabb. S. in Eccl. Brixiæ.

R*Aynucius miseratione Divinâ Tit. S. Angeli Presbyter Card. Dilectis in Christo Priori, & Fratribus Domus S. Alexandri Congregationis Servorum B.M.V. Brixien. sal. in Domino. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, non immeritò promeretur, ut votis vestris, illis præsertim, per quæ Divinus cultus suscipit incrementum, & Christi fidelium animarum saluti consulitur, gratum præstemus assensum. Hinc est, quòd nos devotis vestris in hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo Nobis facto, Vobis, & pro tempore existentibus Domûs S. Alexandri hujusmodi Priori, & Fratribus, ut in singulis cujuslibet anni Sabbathi S. diebus Missam, & Officium celebrari juxta morem Romanæ Curiæ consuetum in Ecclesiâ vestrâ præfatâ per idoneum vestri Ordinis Sacerdotem jejunum post Vesperas, ante tamen occasum Solis, seu crepusculum noctis. Ordinarij Loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, celebrari, & recitari facere, ac præfatus Sacerdos Missam, & Officium, ut præmittitur, celebrare similiter possit liberè, & licitè, & absque alicujus censuræ, seu pœnæ Ecclesiasticæ incursu possitis, & valeatis perpetuò, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & liberam impartimur facultatem. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac tam Provincialibus, quàm Synodalibus, dictorumque Domûs, & Ordinis statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.*

Dat. Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officij Pœnitentiariæ 5. Idus Januarij Pontificatûs D. Julij Papæ III. Anno quarto.]

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 *EXemplar Bullæ habetur Florentiæ.*
2 *In calce Constitutionum Laurentij Mazzocchij Generalis Romæ impressæ, Anno Domini 1556.*



In Comitijs Generalibus Veronæ habitis, in quibus novæ Constitutiones decernuntur, Laurentius Mazocchius à Castro Franco 30. Generalis eligitur.
C A P. VII.

INstabant Comitia Generalia Veronæ mense Maio habenda, quò jam properabant Visitatores, quorum duo dum essent Florentinæ ditionis cum Cosmo Duce I. de rebus pro Cœnobio Annunciatæ agendis tractarunt: nam Cosmus avitâ Majorum suorum pietate, & Religione illectus. 1. Cœnobium illud plurimùm amabat, publicæque illius saluti, & decori, quantùm fieri posset assiduè, consulebat; quod familiarissimè a primis incunabulis ipsorum Patrum consuetudine delectatus fuisset. Inter eos verò Mag. Zachariam Faldossium, quòd doctrinâ, morum probitate, elegantiâ formæ, suavi comitate cæteris præstaret, atque ob id Principum gratiam facilè inire posset, Cosmus super omnes alios diligebat, & ei jam supremum Ordinis Magistratum suâ auctoritate parare curaverat. Defuncto igitur Augustino non defuit inclytus Dux plures commendatitias literas. 2. pro Zachariâ ad suum Oratorem, qui erat Bernardus de Justis, ad Cardin. Pisanum, ad Marcellum Cervinum Protectorem, & usque ad Summ. Pontificem dirigere, & omnem lapidem movere, ut Ordinis Servorum Generalis Prior præficeretur; movebatur etiam Ducis mens eâ ratione, quòd ducenti jam transissent anni, ex quo nullus Florentinus Pater in eo Magistratu consedisset, dedecens existimans præcipuum totius Religionis Caput, & decus tàmdiù eâ dignitate vacasse. Curavit etiam, quòd hoc negotium Aloysio Lippomano Episcopo Veronensi, quem Marcellus Protector Capituli generalis Præsidentem statuerat, vehementer commendaretur. Id etiam magnoperè optasse demonstrarunt Florentini Patres, qui ex publico decreto literas, & ipsi ad Marcellum Prot. pro eodem negotio scripserunt nomine omnium, quos Mag. Michael Angelus Naldinus Prior ad id pro decore sui Cœnobij, & Patriæ hortatus fuerat die 22. Junij, ut patet ex lib. memorab. ejusdem Convent. Quamobrem his gratiosis officijs fultus Zacharias, accedente Sociorum consensu plausibili favore jam Generalis Prior designatus ad Comitia hilaris Veronam proficiscebatur, quâ tamen in Capitulo evulgatâ famâ, finis nequaquam præteritis auspicijs respondit. Id primum causæ fuit. 3. quod Angelus, Hieronymus Lucensis, Dionysius Laurerius, quem plurimi Aretinum faciebant, & posttemò Augustinus pariter Aretinus subsequentes in Provinciam Thusciæ quadraginta annorum cursu Præfecturam Generalem exercuerant. His deinde accedebat aliorum prætendentium æmulatio; his quoque adjungebatur perpetua multorum ipsis Florentinis gloriam
A invidentium obmurmuratio. Denique omnium tumultuaria vox erupit, quòd Principes Italiæ semper ea, quæ Religiosorum essent, pro suo arbitrio componere vellent; cùm dedecens videretur, & Ecclesiasticâ disciplinâ indignum religiosa officia per externos Principes politicè, & non secundum regularem normam tractari: atque ob id factum, ut Comitia in loco libero sub Venetorum Repub. non ex alicujus arbitrio haberentur. His accedebat, quòd Patres de Congreg. qui non mediocrem in eo Capitulo partem habebant, non æquo animo ob vetustam quandam in Florentinos indignationem, vel animi amaritudinem, in electionem Zachariæ, parum propensi essent, quòd ipsius auctoritatem,
B nescio quâ fatali ominatione, plurimùm vererentur. Non obstante, quòd Episcopus Lippomanus, prout habuerat in mandatis, his Fratrum objectionibus occurrere summâ cum dexteritate tentasset. Cæterum statuti dies Comitiorum approximabant, quando nonnulli publicæ libertatis amatores, & pro Marchiâ Tarvisinâ stantes de moderandâ futuri Generalis auctoritate, deque limitando supremi Magistratùs tempore, spem omnem Zachariæ perturbare cœperunt. Nam alij damnabant in præteritis Generalibus usurpatam quandam auctoritatem creandi quosdam Sciolos, qui nequidem Stesichori tria novetant, & imperitos Magistros, quos viri doctissimi æquari sibi ægrè ferebant, & eos om-
C nino ab hujusmodi privilegijs absolvendos esse mussitabant, quòd turpissimum esset eadem privilegia æquè ignaris, ac doctis communia fore. Alij criminabantur in præteritis Generalibus licentiam quandam tribuendi sibi quorundam defunctorum spolia. 4. quasi ad eos, non sine aliquâ detestandæ proprietatis notâ, jure devoluta fuissent. Neque deerant, qui nimiam eorum indulgentiam in concedendis officijs. 5. & facultatibus manendi extra Claustra, & secularia Beneficia possidendi, & administrandi, non absque ingenti totius Ordinis detrimento, & dedecore exprobrarent. Posttemò una omnium erupit vox ad Religionis libertatem facessere, ut Prior Gener. transacto triennio suæ ad-
D ministrationis, vellet, nollet, ab officio vacaret. Hæc dum inter Fratres disseminarentur, unus Laurentius Mazochius à Castro Franco, vir ingenio acer, & qui nuper Parisijs præclarum de se in publicis concertationibus specimen dederat, & in Italiam reversus, in Concilio Tridentino vir eruditissimus agnitus, quique in varijs concionibus, & disputationibus vigentes Lutheri errores fuerat insectatus, eâ lege Zachariæ objicitur, quòd is Generalatùs officio accepto post triennium renunciare teneretur, & per novas Constitutiones præteritis abusibus, & incommodis Religionis unà cum D. Protectore mederi curaret. Quæ vox inter Fratres extempore erum-

erumpens tam plausibili omnium consensu recepra fuit, tam grata Veneris Præfectis, ut E omnes relicto Zachariâ in unum Laurentium Generalem sub specie publicæ libertaris consenserint. Quod planè consilium bonumne, an Religioni perniciosum fuerit, alterius judicium esto. Eventus enim, & rerum mutatio, & Servitanæ Familiæ perturbatio longo post tempore indicarunt, & Historia ipsa demonstrabit. Acclamationes libertatis cum publicis elogiis hoc in Capituln non defuerunt. Via enim electus fuerat Laurenrius, quandò per Ecclesiam, & Cœnobium Mazochia stemmata cum hoc elogio *Libertas* visa fuerunt appensa. Magister Joannes Vitrianus de Rhegio Procurator in Curiâ statuitur .6. & multa pro confirmandâ, & afferendâ Religionis libertate super officio Generalis decreta fuerunt. Quæ omnia cùm in Constitu- F tionibus Laurentij Mazochij Generalis Romæ impressis videri possint, supervacaneum est hoc locn reponere. Unum illud non est silêrio prætereundum. 7. quod Frarres omnes, qui Magistralibus privilegijs ea solâ prærerirorum Generalium auctoritare potirentur, ijs omnino absolvi, neutiqnam de cærero gauderent. Quare Sebastianus de Aleaandriâ, Bartholomæus de Prato, Andreas de Florentiâ, Raphael de Cortonâ, & alij plerique mulri per Generale Capitulum à mutuato sibi Magistratu, quem per favorabiles fenestras magis, quàm per portam virturis adepti fuerant, omnino privantur, & in pristinum ordinem suæ professionis rediguntur. Habetur eodem tempore, & loco Pattum Congregationis generalis Conventûs, in quo eligitur G Vicarius generalis P. M. Paulus Vicentinus. Interea singularum Provinciarum Præfectis, & Officialibus electis, & varijs super novis Constiturionibus condendis diversorum Patrum consilijs receptis, Lautentius Generalis ad Urbem cum Joanne Procuratore profectus fuit, & ibi tum cum Magnanello Viceprorectore, tum Eugubij, quò sæpe Marcellus .8. salubrioris aeris, relevandique animi gratiâ, ad suum Episcopatum properabat, plures menses diversatus, de Constitutionibus examinandis, & demum approbandis egerant, quibus diligenter perpensis sola Summi Pontificis approbatio desiderabatur. Quandò vertenre interim anno Julius Summ. Pontifex diù podagrâ afflictatus brevî in lentam febriculam lapsus, quæ principio neglecta paulatim H eacrevit, ann. 1555. 10. Kal. Aprilis è vitâ migravit. Beneficus quidem nobis Pontifex, cum suâpre alacri, & munificenti narurâ, tùm etiam ipsius Augustini Bonuccij concivis, & affinis gratiâ, tùm maaimè Marcelli Protect. auctoritate, & benevolentiâ apud Pontificem plurimùm valente, multa in nobis, quantùm per illud breve tempus licuit, privilegia contulit.

M. Laurentius à Castro Franco 30. Gen. elig.

Julius 3. moritur.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

1 EX *Diarijs Conv. Florentiæ.*

2 *Plures ejusdem Cosmi Ducis literæ inter monum. ejusdem Flor. Archivi habentur, ex quarum tenore singula collegit Auctor.*

3 *Hæc plures Auctor ab Avunculo suo M. Archangelo Brusculo, & alijs ejusdem temporis senioribus accepit.*

4 *De spolijs defunctorum pro Generalibus multa varijs ex monum. & diar. apparent exempla. vide præfatas Constitution. cap. 33.*

5 *Ex eorundem Generalium regestis multæ ejusmodi facultatis patentes pluribus concessæ apparent.*

6 *Ex monum. Conv. S. Marcelli.*

7 *Ex ipsis Constitutionibus cap. 24. de Magistrorum privilegijs, & Auctor ex ipsis agnovit, qui quamvis multis meritis probarentur, tamen in pristinum ordinem reducti, non amplius nuncupabantur Magistri.*

8 *Id constat ex literis Card. Dandini Protectoris, quæ in eisdem Constitutionibus impressæ habentur.*

Creato simul & defuncto Marcello Pontifice, Paulus Quartus ejus successor Hieronymum Dandinum Card. Protectorem, & Constitutiones Ordinis approbat.

CAP. VIII.

NOvendialibus de more pro Julio celebratis, cæteris Cardinalibus, qui Romæ aderant, Conclave ingredientibus, aberat Eugubij Marcellus, qui tandem ad Urbem accedens, & ipse Conclave ingressus, unâ omnium voce Summus Pontifex v. idus Aprilis salutatus est. Cujus electione si cæteri gavisi fuerunt, quid dicendum de nostro Laurentio Generali, qui tàm brevî summam Protectoris gratiam inierat? Nam quando Urbs Roma, immo totus Orbis aurea secula in uno Marcello reviviscere sperabat, & S. Marcelli speciem in eo intueri, antiquorumque Pontificum exemplum, & probitatem experiri, brevî mors improba Virum integerrimum, & Sanctæ Ecclesiæ tam opportunum Pontificem Kalendis Maij è medio sustulit. Magna quidem Ordini nostro jactura ea obitu Marcelli subsecuta est, quando ipsius Religionis, & reformario in moribus, & in spiritualia, & temporalia incrementum sperabatur. Eodem etiam Mense post duos & viginti dies Joannes Petrus Caraffa Card. in Marcelli locum successit Paulus Quartus nuncuparus. Hæc dum Romæ agerentur, Laurentius Generalis de mandato D. Protectoris Vicentiam ad Capitulum Congregationis concesserat, urgebat enim jussio Marcelli Cervini Card. qui, ut superiora decreta executioni mandarentur, fœlicitè curaverat. Laurentius igitur negotijs Congregatorum implica-

Marcellus 2. Pontif. creatur.

Paulus 4. Pont. creatur.

plicatus hoc anno provincialia Comitia suspendere cogitur, quemadmodum constat Stephano Bonuccio Aretino Thusciæ Præfecto mandatum, ut absque Capitulo Provinciam Generalis nomine lustraret, & singulos in Cœnobijs Priores confirmaret, ut in lib. D. monum. Conv. Flor. Joannes igitur Procurator, assumpto ad Pontificatum Paulo Quarto, de novo Protectore supplicationes porrexit, & D. Hieronymum Cardin. Dandinum impetravit. Patres verò Congregationis Vicentiæ celebratis Comitijs P. M. Paulum Vicentinum in suum Vicarium Generalem confirmarunt. Per eos dies Ferrante Gonzagâ pro Carolo V. Imperatore Mediolanensem Provinciam moderante, & præsertim Astensem Urbem, diù bellis vastatam, reparante, ac mœnia cum novis propugnaculis muniente, factum est, ut venerabile illud, ac perantiquum Cœnobium nostrum S. Catharinæ cum totâ Ecclesiâ parum religiosè destrueretur, Fratribus ex suo antiquo, venustoque, & amplo domicilio decedentibus, qui in angustû locum rubeæ turris S. Secundi, ubi nunc degunt, recepti fuerunt. Huic autem ruinæ non minor jactura successit, quando plures insignioris notæ Patres eodem tempore defecerunt. Nam Pisis M. Joannes Baptista Urbevetanus Theologus, ac Philosophus ætatis suæ nulli secundus, ubi sacra, & humana secreta in publico Gymnasio subtilissimè pandebat, repentino morbo sublatus à Domino evocatur; & cum ingenti Academiæ Pisanæ jacturâ, ac lacrymarum copiâ in Monasterio Servor. S. Antonij sepulturæ traditur; in ejusque laudem quamplurima Sepulcro à doctissimis Viris affiguntur carmina, quorum ad memoriam perpetuam tanti Patris hæc silentio non sunt prætereunda, videlicet.

D. Hieronymus Cardin. Protect. 24.

M. Joannes Baptista Urbevetanus moritur.

Elysias velox, quid tam properaris ad oras,
An ne ideo Cœli sevior ira tui est?
Heu decus Cœli causas, terreque notantem,
Pandentemque sacre religionis iter,
Siccine mori? sic ferre diem sua fata tremendum?
Est tandem nostrum cuique necesse mori.
His ergo ereptus vinclis tua tecta videre,
Incipis, ac dulci conditione frui:
Hinc summi causas Cælo specularis ab alto,
Atque Patris cernis Cœlica regna tui.
Vive igitur, prorsus nullo interitura sub ævo,
Cui dedit æternum gloria parta decus.

In locum verò demortui Joannis Baptistæ pro Pisanâ lecturâ Metaphysices sufficitur alter Joannes Baptista Librantius de Burrio, qui eandem lecturam Bononiæ plures annos publicè exercuerat. Hoc eodem anno devotus Virginis Servus M. Joachimus Signorinus de Florentiâ, & ipse 27. die Septembris hujus anni ita religiosè, ita catholicè dissolvit hujus carceris vincula, ut in Cœlestes sedes evolasse jure sit credendum; nec mirum, quorum enim est vita religiosa, mors in conspectu Domini est pretiosa; ob id Pater misericordiarum huic optimo Viro paternarum traditionum observatori præcipuo, ac regularis vitæ Zelatori eximio gloriam suam donavit, & eum ad Cœlestia regna perduxit, cùm ut mercedem consequeretur laborum, tum ut in Cœlis suis orationibus Ordinis intercessor fieret, sicut in terris quoad vixerat, extitit tutor.

M. Joachim. Fla. moritur.

Quos pariter secutus fuit Mag. Alexander Tottus de Brixiâ sacræ Theologiæ Doctor eximius, literis Græcis, & Hebraicis etiam valde excultus, antiquorum quoque monumentorum solers indagator, qui inter alia Ingenij sui posteris transmisit, Observationes Historiarum totius ditionis Brixianæ, circa Romanorum epitaphia, & alia monumenta in lapidibus reperta, quæ omnia habentur Brixiæ in nostrâ Bibliothecâ, ipsius operâ pluribus voluminibus, & spatio auctâ. Joannes autem Procurator in Curiâ, qui cum D. Protectore de confirmandis Constitutionibus diligenter examinatis, pluries egerat, ab eodem tandem Dom. Card. Dandino ad pedes Sanctissimi oblatas per sequentes literas apostolicas à Paulo IV. approbatas obtinuit, quæ Literæ ab initio earundem Constitutionum impressæ videri possunt.

PAULUS PAPA IV.

AD perpetuam rei memoriam. Cùm dilectus filius Noster Hieronymus tit. S. Marcelli Presb. Cardinalis, quem totius Ordinis Beatæ Mariæ Servorum apud Nos, & Sedem Apostolicam protectioni proximè præfecimus, pio muneri satisfaciendi cupidus, aliquot ipsius Ordinis Constitutiones, quæ tempore fel. Rec. Marcelli PP. II. prædecessoris Nostri, tunc in Cardinalatûs honore constituti, & ejusdem Ordinis Protectoris dispositæ, & ordinatæ fuerunt, ad Nos attulerit, ut Apostolicæ authoritatis firmitate roborentur: Primum ipsius Cardinalis curam, & cogitationem valde probavimus: Deindè Constitutiones ipsas accuratè considerari, cognoscique jussimus. Itaque cùm pietatem, & Religionem in primis ergo omnipotentem Deum, beatissimamque, & gloriosissimam Virginem Mariam ejus Matrem, necnon firmamentum, & conservationem ejusdem Ordinis, tum exempla denique vitæ pio, & Religioso more traducendæ his contineri videremus: Ne quid in eâ ratione desideretur, quibusdam additis, integrum, & justum hujus regularis disciplinæ corpus confici mandavimus. Quamobrem idem Hieronymus Card. Protector, simulque Dilectus filius Magister Laurentius de Castro Franco dicti Ordinis Prior Generalis Nobis humiliter supplicarunt, ut Constitutiones præfatas confirmare, & approbare dignaremur. Nos igitur eorundem precibus benignè annuentes, omnes, & singulas Constitutiones prædictas, & in eis contenta, quoscunque illorum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, Auctoritate Apostolicâ

tenore pr̨esentium confirmamus, & approbamus, illis'que perpetuæ firmitatis robur adjicimus; E *& ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere decernimus, atque mandamus. Et ne quisque, illis ullo pacto, quovis prætextu, aut quæsito colore contradicere, aut secus, quàm per eas disponitur, facere audeat, vel præsumat, inhibemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, ejusque superioribus quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæteris'que contrariis quibuscumque.* F

Dat. Romę apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxviij. Novemb. MDLV. Pont. nostri Anno Primo. *Jo. Berengus.*

Nonnulla de novo accedunt Ordini Servorum Loca.

CAP. IX.

Monast. D. Annunciatę de Tuderto.

HIsce temporibus referenda nobis occurrunt Cœnobia quædam Ordini Servorum de novo concessa, & quidem primò Tuderti pro Monialibus. Ex quodam pervetusto Sodalitio Virorum, ubi in Hospitali sub Tit. Annunciatæ curæ ipsis erat de Pauperibus, factum est, ut B. V. auspice Monasterium Sacrarum Virginum G excitaretur anno 1554. annuente D. Joanne Andreâ Cœsio illius Urbis Episcopo, & Sodalitij prædicti Confratribus assentientibus. Nam paucæ quædam Virgines ibi simul vitam ducere decreverunt Religiosum Habitum albi coloris indutæ ad significandam Virginalem Deiparæ puritatem. Interim duobus circiter annis exactis contigit, ut quidam Ordinis nostri Sacerdos nomine Philippus de Passiniano Conventui S. Marci præesset, & ab Episcopo instituetetur à confessionibus illarum Virginum, in quibus peculiarem animadvertens devotionem in B. V. sensim cœperat iisdem suadere, quam acceptum eidem Virgini foret, si nigrum induerent Habitum in obsequium Dolorum, quos Ipsa in Passione, & Morte Unigeniti Filij sui subijt, juxta H Ordinis nostri Institutum. Postmodum verò, scilicet anno 1565. prout è Campione quodã colligimus apud hujus Monasterij sacras Virgines adhuc existẽte, sive an. 1556. prout è m.s. Archangeli Gianij didicimus, P.M. Felicianus Amuccius, seu Capitonius de Narniâ Vir celeberrimus, & Archiep. deinde Avenionensis, de quo pluries in his Annalibus præclara fit mentio, cùm Quadragesimales in eâ Cathedrali conciones haberet, earundem Virginum probitate perspectâ easdem ex integro instituit sub Habitu, & Regulâ Ordinis Servorum; quinetiam, ut omnia ritè, & ad normam procederent duas ex Ordinis nostri Sororibus, sive Spoleto, sive aliunde Tudertum vocandas curavit, quarum operâ, & studio Monasterium illud sanctissimis Legibus, & optimis moribus institutum brevi summopere excrevit, sive numero, sive sanctitate, quemadmodum hisce quoque diebus, quibus hæc scribimus, non mediocri Virginitatis pudore, morumque honestate maximè præstat, cujus rei præ cæteris exemplum esto Ven. Soror Anna Maria Fini, de quâ ad annum 1650. Primus ergo, qui has Virgines Habitu Servorum induit, Felicianus prædictus reverà fuit, cui deinde successit P.M. Gaudiosus de Perusio, qui plures alias ad eundem Habitum ibidem recepit. Quænam fuerit, & cujus formæ Ecclesia, quam primò hic tenuere Moniales, mihi sanè incompertum est, compertum autem omnino est, quòd Ecclesia, quam adhuc cernimus, loco veteris ædificari cœpit à fundamentis anno 1616. quo primum lapidem posuit D.D. Antonius Corneo Urbinatensis Vic. Generalis D. Cardinalis Lantes Episcopi Tudertini, prout ad eundem annum dicemus.

Conv. S. Salvatoris de Quadernâ.

Eodem anno 1554. Locus quidam accedit Ordini Servorum sub Tit. S. Salvatoris, & Eremitorij de Quadernâ ipsum recipiente die 11. Februarij P. Alexandro Mutio de Bononiâ, de quibus rog. fuit Vincentius Bennius. Insequente anno 1555. P. M. Antonius Olivarius de Summaripâ Ordinis Servorum quàm maximè acceptus D. Claudio à Sabaudiâ Comiti Summæripæ eo temporis pro G Christianissimo Galliarum Rege Gubernatori Massiliæ, sibi nullatenus defuit, quin hujus Viri Clarissimi benevolentiâ, & præsidio Ordo noster in eâ quoque amplissimâ Civitate sedem aliquam teneret, idque fei citer est assecurus. In superiori Civitatis hujus parte antiquissimum erat Peregrinorum Xenodochium cum Ecclesiâ sub Tit. S. Jacobi Apostoli, vulgo *de Spasis*, ibique Hospitium erat, seu Domicilium pro Rectore, qui Sacramenta Ecclesiastica Peregrinis administraret. Contigua huic erat alia pariter Ecclesia sub Tit. Dominæ, seu S. Mariæ Lauretanæ. Conventione cum ejusdem Xenodochij, sive Ecclesiæ S. Jacobi initâ, necnon D. Mariæ Lauretanæ Rectoribus, utriusque Ecclesiæ possessionem recepit. Subinde verò vitæ san- H ctioris exemplo, Doctrinæ præstantiâ, industriâ, & labore, prædictus Antonius Maria Loci hujus incremento indesinenter consuluit, quandiu vixit (ibi enim vitam cum morte commutavit) Fabricam ipsius amplificavit, sacrâ suppellectili non mediocriter Ecclesiam instruxit, & utriusque Ecclesiæ cultũ quàmmaximè promovit, cujus exempla consequentibus annis imitatus P. Joannes Rolandus morum integritate, & prudentiâ præstans Locum eundem Bonis mobilibus, & immobilibus valde locupletavit. Itidem PP. MM. Germanus Sardò, & Gabriel anno circiter 1651. iterum fermè à fundamentis instaurarunt,

Conv. S. Mariæ de Laureto Massiliæ.

runt, & exornarunt. Duæ quidem olim erant Ecclesiæ, ut diximus, sed ab anno usque 1622. A ex utràque una tantùm evasit amplioris, & elegantioris formæ, ex eo quoque percelebris, quòd instituta in eàdem fuerit Congregatio clarissima Habitûs Ordinis Servorum utriusque sexûs Summo Pontifice approbante, cujus Apostolicæ Literæ in Archivo hujus Loci servantur, ad augendam Christifidelium pietatem, & erga B.V. venerationem. Confraternitas hæc composita est ex 72. præcipuis Massiliæ Civibus, qui Protectores vocantur, necnon ex plurimis aliis utriusque sexûs Christifidelibus Habitu prædicto B.V. sub Tit. Septem ejusdem Dolorum indutis juxta Apostolicæ Sedis Indulta. Quotannis fit solemnis per universam Urbem Processio, prout fert Ordinis nostri consuetudo, in quà insignem B B.V. Imaginem deferunt Viri quidam dicti pœnitentes nigrâ veste indui sub Tit. S. Joannis Baptistæ decollati, qui ex Instrumento publico tenentur non modò Processioni præfatæ interesse, sed & Religiosorum illius nostri Conventûs Cadavera ad sepulcrum associare, & unà cum Patribus exequias celebrare. Pluribus, & quidem insignibus SS. Reliquiis illustris hæc est Ecclesia, præsertim verò ob præcipuum erga Deiparæ Dolores cultum, quem sanè luculenter ostendunt æquè ac B.V. patrocinium plurima vota ante ejus Imaginem appensa. Illustris quoque est ob eximiam Christifidelium devotionem erga S. Jacobum Apostolum, quem eò adeuntes opem illius imploraturi sibi propitium experiuntur, maximè verò Parvuli Variolis, aliisque morbis affecti, ideoque oculorum usu C capti, ipsi enim vestibus induti cœrulei coloris, pileo item, & baculo Peregrinorum ad iotar muniti per annum integrum singulis diebus ad Aram ejusdem Apostoli accedentes visum recuperare solent. Eodem anno die 9. Junii possessionem corporalem acceperunt Patres in Civitate Astensi novæ cujusdam Ecclesiæ, cui Titulus est S. Secundi de *Turre rubeâ*, ex quo funditùs everso fuit prior S. Catharinæ Locus, de quo ad ann. 1263. ejus tamen titulo retento, quemadmodum superiori capite dictum est, quem locum deinde Raynutius Card. Farnesius jussu Pauli IV. Ordini nostro confirmavit Pontificatûs sui anno IV. Ecclesia hæc Parochialis venera- D bilis est præcipuè propter Carcerem S. Secundi Martyris, aliorumque SS. Martyrum, ubi modò Turris est Campanaria, ibi autem adhuc apparet Locus, in quo Jesus Christus S. Secundum visitans stetisse fertur cum Cruce super lapidem quendam valde proinde conspicuum in imâ ejus parte à latere Epistolæ juxta Altare, quod cum Statuâ marmoreâ eidem S. Secundo dicatum ibidem est, & in eodem Lapide, ideo Crate ferreâ, & custodiâ desuper ligneâ, clave obseratâ munito, impressa traduntur à Christo pedum vestigia. Apparent etiam ibidem vestigia duorum

Conv. 2. Astensis

Illustris propter carcerem S. Secúdi

Fontium ex utraque parte Altaris, quorum alter oleum, aquam alter emisisse eo temporis dicitur. Cæterùm Cœnobium hoc valde quoque conspicuum est ob insignes Alumnos, qui ex eo prodiere, maximè verò Joannem Baptistam Millovacca, de quo pluries in his Annalibus III. & IV. Centuriâ.

Item hoc anno 1555. deplorandas subiit vices Conventus noster apud Lucernam, in Sabaudiæ Ditione, de quo ad annum 1488. Cùm enim Galliarum Rex Franciscus Castra movisset adversus Philippum Hispaniarum Regem, & plures è militibus Hæretici essent, implacabili semper in Parochos, & quoscunque Catholicos odio acti illos hinc, & inde fugantes ab eorum Ecclesiis recedere, & oves sibi commissas deserere plerunque coegerunt, eorum Loca, & Bona invasere, quodcunque crudelitatis genus in eosdem exercentes, maximè verò Clericos, & Sacerdotes, tum Seculares, tum Regulares. Quo factum est, ut Locum hunc nostrum apud Lucernam occupaverint, & Ordinis nostri Fratres ibidem degentes variè vexatos, & pessimè affectos exinde turpiter expulerint, qui proinde diu exules postliminio Locum hunc repetere nonnisi post plures annos potuere, cum scilicet inter prædictos Reges rebus in pace compositis cum eorum Exercitu, Hæretici quoque inde recedere, & sua repetere coacti fuere. Verùm Catholicis, proindeque nostris Fratribus damna ab Hæreticis illata reparare, Ecclesias, & alia Loca sua instaurare studentibus, non diu licuit ibidem pacificè perseverare, cùm iterum anno 1595. eò iterum præcipites ruerint Hæretici, quemadmodum ad eundem annum erit nobis dicendum.

Deplorandæ vices apud Lucernam.

In Trivio extra Beneventum, quà Neapolim itur, pium erat in Ecclesiâ quadam B.V. Simulacrum sub Tit. S. Mariæ Angelorum, quod singulari devotione Christifideles venerabantur. Locum hunc Confratres quatuor Societatum, videlicet SS. Trinitatis, S. Mariæ ad Martyres, S. Bartholomæi, & S. Bernardini, anno sequente 1556. Ordini nostro largiuntur, ejusdem nomine recipiente P. M. Ambrosio Platinâ de Placentiâ Provinciæ in Regno Neapolitano eo temporis Præfecto, qui plurimùm huic operi contulit, ut ad annum 1559. dicemus, annuente D. Thomâ Contubernio de Benevento Archiepiscopi Vicario Generali. Consequentibus verò temporibus Ecclesiam hanc Viri quoque Principes haud mediocriter exornarunt, ut voto se solverent, quo B.V. se obstrinxerant ob varia, & insignia gratiarum genera ab eàdem ipsis collata, quam omnes sibi valde propitiam sentiebant, maximè verò Puerperę unà cum Infantulis, quos cum oblationibus quibusdam eidem sistere solebant, de qua iterum ad annum 1559. Cap. XV. Locum hunc propterea maximè celebrem, nostrâ tandem tempestate ob gravissimos terræmotus funditus eversum, & quidem pluries diu desideravit

Conv. S. Mariæ Angelorum de Benevéto.

vit Ordo Servorum, sed summâ erga Ordinem nostrum benevolentiâ D. Fr. Vincentij Cardinalis Ursini Archiepiscopi, singulatique beneficentiâ iterum à fundamentis excitari modò videmus, prout susius ad annum 1720. Ad eundem annum 1556. referendus est locus quidam cum Ecclesiâ in Agro Mediolanensi sub Tit. S. Rochi apud S. Columbani Oppidum Ordini nostro concessus, olim sanè exemptus ad Provinciam Lombardiæ pertinens, postmodum verò Conventui nostro de Melegnano unitus.

Conv. S. Rochi apud Oppidũ S. Colũbani.

Anno siquidem 1524. pestiferâ lue in his regionibus grassante Ecclesia hæc constructa fuit piorum eleemosynis S. Rocho nuncupata, in cujus possessionem Episcopus Laudensis anno sequente 1525. Presbyterum quendam immisit nomine Christophorum de Magistris. Hic verò cùm Fabricam perfecisset, prout pollicitus fuerat, & Ecclesiam hanc non mediocri emolumento administrasset, non sine pluribus, iisque gravibus incommodis, anno tandem 1555. eidem renunciavit apud illam Communitatem S. Columbani Patres Ordinis Servorum illis proponens apud Melinianum degentes qui curam haberent ejusdem Ecclesiæ, ibique Domicilium sibi statuerent. Quod sanè Communitas quàmlibentissimè probans annuentibus quoque PP. Chartusiæ de Papiâ, tanquam Oppidi illius Feudatarijs P. Paulo Bianchi de Varisio eo temporis Priori apud Melinianum ipsam cum omnibus ejus juribus tradidit, qui nomine Ordinis recepit assensum præbentibus P. M. Joanne Mariâ de Bonipertis Provinciali in Lombardiâ, & P. M. Laurentio de Castro Franco Priore Generali datis Literis apud Comum die primâ Augusti 1556.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

OMnia, & Singula in hoc Capite contenta colliguntur ex monumentis eorundem Conventuum.]

Multorum, qui Musicæ artis insignes ex Ordine Servorum Professores fuerunt, memoria proditur. CAP. X.

ANTE tempora Andreæ Generalis de Faventiâ, neque canendi in Choro, neque pulsandi Organa usus habebatur in nostris Ecclesijs, quando in priori illâ Religiosorum simplicitate Divina legendo tantùm persolvebantur, uno excepto Cantico ad Beatissimam Virginem *Salve Regina*, quod quotidie post Completorium maximâ cum devotione canebatur. Cæterùm ad exhilarandas piorum mentes, qui Ecclesias nostras frequentarent, in medio ipsius Ecclesiæ conveniebant, qui de Sodalitijs nostris essent Laici, ad laudes, rythmos, & hymnos, aliasque symphonias in honorem D. N. J. Christi, ipsius gloriosæ Matris, & E Sanctorum, prout festi tulissent dies, post Vesperas modulari. Cumque vidisset Andreas in alijs Ecclesijs novum usum inolevisse de Organis pulsandis, id multò decentiùs convenire Ecclesijs B. M. Virginis, ut ibi Angelici concentûs haberentur, existimavit: quare Florentiæ primùm, deinde Bononiæ, & alibi Organa conflari jussit, ut in secundâ Cent. l.3. c.10. dicebatur, ac proinde sensim emersit psallendi, canendi, & pulsandi consuetudo, quæ deinceps tàm excellenter excrevit, ut his temporibus in summo gradu haberetur; cum præsertim à tempore Antonij Alabanti, quando Cœnobium Florentinum administrabat, ex Gallijs, ex Germanijs artis musices peritissimos viros, & Fratres nostros conduxit F pro cantu, & musicâ illius Ecclesiæ, adeò ut Templum nullum Florentiæ haberetur, quod D. Annunciatæ in musicis concentibus Delubrum æquaret, quin oportuit aliquando in varijs Comitijs generalibus nostri Ordinis, & Novitios illius Cœnobij, & alios Cantores, ut aliàs* dictum fuit, Bononiam, Faventiam, Viterbium, Vetralam, & ad alia loca adducere. Hujus autem præclaræ, & liberalis artis multi ex nostris tàm excellenter eruditi evaserunt, & ipsam musices facultatem callebant, ut si ipsa amissa fuisset, eandem iterum invenire potuissent. Inter quos hi, qui ad memoriam nostram pervenerunt, probatissimi recensentur; nempe PP. Petrus, & Andreas Galli .1. percelebres, & optimi Musices Ma- G gistri, & cantores venustissimi, unà cum P. Alexandro seniore Florentino, qui nedum Florentiæ, Bononiæ, Romæ, verùm etiam per totam, & extra Italiam modulos canentes, & Organa pulsantes in maximâ omnium admiratione extiterunt. P. Mathias Justinopolitanus Magister Capellæ in Ecclesiâ nostrâ Servorum Venetijs, sæpissimè in Ecclesiâ D. Marci Organa pulsare, ibique suaviter modulari efflagitatus, & per Italiam, & Galliam auditus omnium voce Mag. Cantorum appellabatur. Pater verò Elias Zoto Venetus inter amœnissimos Musarum hortos educatus, sic suavissimos Musicæ liquores degustavit, ut ipsa ars a naturâ sibi indita videretur, cujus concentûs, ut cœlestis harmonia varijs in H Cathedralibus præcipuè Venetiarum, Veronæ, Mantuæ, Patavij, & Mediolani maximo audientium stupore haberetur. Ejusdem facultatis extitit etiam excultus M. Anselmus Tarvisinus, prætet eminentiorem sacræ Theologiæ peritiam, in quâ Quadragesimales conciones omni doctrinâ refertas evulgavit. Insuper & M. Simon Veronensis Philosophus, Theologus, & Orator in primis præclarus, sed & cantu, & in pulsandis harmonicis instrumentis clarissimus. Hi autem omnes super hanc liberalem artem plura monumenta posteris reliquerunt, innumera Madrigalia, motecta, & id genus mirâ dulcedine, & suavitate referta elaborarunt à cæteris musicæ

artis

Usus canendi Salve Regina.

Usus Organorũ in Eccl. nostris.

* *Cent. 2. l. 3. c. 11.*

Petrus, & Andreas Galli, Musici peritissimi.

Alexan. Flor.

Matthias Justinopolitan.

Elias Zoto Venetus.

M. Anselmus Tarvisinus.

M. Simon Veronensis

artis peritissimis jucundissimè excepta. Ex quibus postremò usque ad nostram diem emi- A nentes discipuli emerserunt, qui non tantùm Ecclesias nostras, sed & varias Cathedrales, Patriarchales, Regias, & Pontificias, Venetiis, Bononiæ, Romæ, Urbini, Salerni, Genuæ, Mantuæ, & alibi Capellas rexerunt.

Alexan. Mellinus Flor. Ut unus Frater Alexander Mellinus junior, Prioris alumnus de Florentiâ .2. qui ob suas animi dotes, & eximiam Musices peritiam à Summo Pontifice Leone X. Vaticanæ Capellæ Magister deputatus est, Madrigalia quamplurima, Motecta, Psalmos, & alia, quæ in Ecclesiâ Sacri Palatij decantari solebant, incredibili omnium admiratione suis transmisit posteris, *M.Maurus Flo- rent.* M. Maurus .3. qui literas Latinas, Græcas, Hebraicas ita tenuit, ut nemo meliùs perceperit, & scientias omnes, tùm B humanas, tùm Divinas sic memoriæ ingenioque fixas habuit, ut illæ fermè sibi innatæ crederentur; & Cosmographiæ adeò operam dedit, ut totius Orbis Provincias, Urbes, sitûs, loca, tractûs tandem omnes meliùs nosset, quàm ij, qui diutius in eis habitassent; & denique sic Musicæ insudavir, ut universos armonicos sonos sibi à naturâ nullâ dubitatione concreatos esse necesse fuerit affirmare; plura lectu dignissima peperit, quorum magna pars ob litem inter Servitas, & Humiliatos exortam dispersa est, ab ineunte namque ætate Humiliatorum familiæ Monachus extiterat; at cum Religionem illam prolabi prospiceret, & proximè abolendam instinctu Divino potiùs, quàm humano præsagisset, to- C gam Servorum suscipiendam tutiùs existimavit. In quo sacro Ordine tantùm sibi præmemoratis habitibus inter doctissimos homines excellentiæ comparavit, ut tanquam oraculum ab omnibus coleretur; quare, & inter antiquos Academicos hoc præclaro agnomine nuncupabatur *Philopanaretus*. Ob quam rem ejus habitaculum doctis, & egregijs viris semper refertum erat, qui ad eum, tanquam ad commune diversorium literarum, accedebant, & nemo Florentiam, qui aliquid saperet, unquam adibat, quin in primis Maurum, Maur que cellam, libros, tabulas, signa, instrumenta armonica, & cætera id generis, quibus maximè delectabatur videre non cuperet. Hujus itaque Patris labores, etsi ubi- D que dispersi sine nomine in hominum manus deferantur, hæc tamen Opuscula typis habentur impressa, scilicet, Sphera idiomate Etrusco conscripta annotationibus, ac adlectionibus plurimis locupletata, ad Geometriam, Cosmographiam, Spheromantiam, & proportiones elementorum, ac corporum cœlestium maximè conducens. Huic accedit traductio Spheræ Sacri Boschi annotationibus illustrata, Sphera Theologica, & Christiana; Sphera Platonica ad Cosmum Medicem Ducem: De arte navigatoria; atque tandem Epitome utriusque musices suis discipulis dicatum, & servatur in Bibliotheca Servorum

B.M.V. Cum autem ad sexagesimum tertium A ætatis suæ annum vitam produxisset, nullam priùs infirmitatem expertus, postremò gravi morbo oppressus à morte subripitur, & in Ædibus D. Annunciatæ tumulatur anno Domini 1556. die 27. Septembris. Ejus ... ò laudes pro subsellijs habuit P.M. Zacharias Falcossius Florentinus. His denique Patribus 1 mors ipsa hoc eodem anno æquavit M. Hie- 2 ronymum Fantuccium de .5. Bononiâ nobili 3 stirpe quamvis præclarum, virtutibus tamen 4 præstantissimum; ferunt enim ipsum fuisse 5 sacris utriusque juris canonibus eruditum, 6 profundum Theologum, facundum Oratorem, ac tandem sui temporis Oraculum apud Bononienses habitum. Commentaria in Sacram Scripturam reliquit, ac alia id generis solertissimi ingenij sui monumenta, & lucu- B brationes, postquàm varias sui Ordinis dignitates, & munera feliciter obijsset, posteritati reliquit. Magnus quoque occurrit obiter celebrandus Juris utriusque Doctor, ac Sacrorum Canonum interpres M. Paulus Raynerius de Monticulo Mediolanensis dictus, quem Patres de Congregatione in Capitulo Sermeti rursus in suum V catium hoc eodem anno elegerunt, & Laurentius Generalis, qui interfuit, ipsum confirmavit.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 *Os octo priores Musicos valde extollit F. Simon Pelatus de Castellaccio in suo* C *Chron. M.S. sub Generalatu M. Antonij Alabanti.*

2.3 *Ex Cathalogo illustrium Florentinorum Michaelis Poccianti; Florentiæ edito anno Dom. 1589.*

4 *Septem discipulos M. Mauri Auctor probè cognovit, & de singulis fuit ocularus testis.*

5 *Ex tabulis Putintanis, & Pocc. ad ann. 1540.*

Laurentius ad præscriptum novarum Constitutionum post triennium Magistratum deponit, in cujus locum per communem Synodum Bononiæ præficitur 31. Generalis M. Gabriel Angustiola Placentinus.

CAP. XI.

At Laurentius Generalis dum se per novas leges prædecessorum licentiæ occurrisse, & tanquam novæ libertatis assertorem sibi gloriam, & benevolentiam comparasse arbitraretur multorum judicio, & Generalatûs majestatem labefactasse, & Reipublicæ nostræ plurimum offecisse à plerisque credebatur: dicebant enim prudentiores Patres non advertisse Mazochium in coarctanda Generalis Præfecturæ duratione Homericum illud à Peripateticis usurpatum, *quod entia nolunt malè disponi: ergo unus Princeps*. Unus perinde regiminis diuturnitate ac ejusdem unitate personæ. Nam

Nam in se ipso experiri cœperat, quàm in multis refriguisset reverentialis obedientiæ promptitudo in eo Superiore, qui uno tantùm triennio duraturus esset, qui vix enumeratis, ac cognitis subditis, vix celeriter peragratis Provinciarum Cœnobijs, Magistratum relinquere deberet, qui vix conditas leges evulgare, nedum præcipere, & executioni mandare posset. Damnabatur à plerisque triennalis illa administratio, tanquam Servitanæ Reip. non minus exitialis, & perniciosa, quàm corpori curando diversa, atque inter sese pugnantia pharmaca, varijque nec sibi cohærentes adhiberentur Medici, quorum varia remedia infectum corpus ad interitum, potiùs quàm ad sanitatem ducunt. His accedit quòd per totum triennium intimo ambitionis morbo laborarent hi, qui magnam in sese non parendi, sed imperandi spem concepissent; atque hinc dissidia, rixæ, contentiones, & æmulationes invicem inter eos, qui ejusmodi dignitatem aucupari curasset. Hinc discolis aperta licentia faciendi quicquid libuisset, unicâ illâ spe innixis, quòd elapso triennio eorum scelerum corrector mutandus esset. Hinc tandem alijs cum Absalone, & Adon â aperta facultas sperandi, atque dicendi: Ego regnabo. Alijs verò data copia contemnendi Magistratum brevì duraturum. Quare de Laurentio, alioquin viro doctissimo, & solertissimi ingenij, atque moderatæ naturæ illud occurrit proferendum, quòd in hujusmodi deliberationibus vir probus cupiens vitare Carybdim, incidit in Scyllam illius perpetuæ difficultatis nondum ad plenum enucleatæ. Num Reip. magis conducat temporalis plurimorum, an perpetua unius administratio. Nam optimam suam mentem Mazochius si cum callidis aliorum versutijs impensius contulisset, non tàm præcipiti consilio Generalem Præfecturam cum eo brevi spatio attemperasset. Cæterum quâ constantiâ, & fortitudine animi Ordinis regimen eo pacto Veronæ susceperat Laurentius in Domino confisus, qui & pro Tesserâ, *Auxilium meum à Domino* utebatur, eâdem mentis firmitate, & moderatione in Comitijs Bononiæ die 18. Maij celebratis abdicavit, Cincinnatum illum imitatus, qui à Dictaturâ ad proprios agros colendos summâ animi alacritate reversus fuisset: nam Mazochius tantâ animi compositione præditus erat, ut nihili faceret a summâ Præfecturâ ad vilissima quæque munia descendere. At Campegius Episcopus Bononiensis, quem D. Protector eidem Capitulo generali Præsidentem constituerat, tanti viri probitatem, & præstantiam non ferens ita parvipendi curavit, ut S. Marcelli .1. de Urbe Prior præficeretur, & ita dignitati Mazochij aliquo modo consulendum censuit .2. Instauratis igitur 220. Fratrum conventualium, & 110. Observantium suffragijs Generalis Prior eligitur M. Gabriel de Placentiâ, qui familiæ Anguisciolæ doctrinæ præstantiâ, dicendi facundiâ, morumque gravitate eo in Capitulo nemini secundus, honorem illum à Domino recognoscens, grati animi ergo illud psalmographi in stemmate usurpaverat: *Benedic anima mea Domino*. In Curiâ verò denuò adsciscitur Ord. Procurator M. Stephanus .3. Bonuccius de Aretio.

M. Gabriel de Placentia 31. Prior Gener. eligitur.

Inter alios, qui hęc Comitia suis disputationibus, & doctrinis cohonestarunt, Patres, hi recensentur, M. Benedictus à Burgo S. Sepulchri Regens Ferrarię, P. Joannes Antonius Rondinus Neapolitanus, P. Paulus Sanctes de Paduâ, & P. Jacobus Tavanthins Florentinus, qui à suâ juventâ etiam in Cap. Gen. proximè Veronæ celebrato acuti ingenij sui specimen præbere incœperat. Ex his denique Comitijs hæc pauca decreta præcipuè pro respectu Generalium officio persunctorum habendo emanarunt, & erga Patres, qui pro Ordinis augmento operam navarent. .5.

Decreta Capitul. Gener.

1 *Quòd unusquisque, qui aliqua Loca acquisierit ad Ordinem, possit ea per se, vel per alios quoad vixerit, sine molestiâ alicuius gubernare. ipso tamen mortuo libere administrentur ab officialibus Religionis, sicut & alia loca Ordinis.*

2 *Quòd ubi Generalis renuntiaverit officio suo assideat Successori, ut Collegæ, donec sit expletum Cap. Gener.*

3 *Quòd per idem tempus Cap. General. sedeat cum RR. PP. Diffinitoribus, informatus, diffinitorque in causis ad ipsos RR. PP. Diffinitores pertinentibus.*

4 *Quòd donec vixerit præcedat omnes RR. PP. Magistros Ordinis, exceptis PP. Procuratore Ord. Provincialibus, & socijs Provinciarum pro tempore.*

5 *Quòd Proc. Ord. non possit ad idem officium iterum assumi, nisi transactis tribus annis, & quòd peracto officio suo teneatur, & cogatur recedere ab Urbe.*

Eodem quoque loco, & tempore Patres de Congregatione, qui ad suffragia danda communiter venerant in proprijs suis Comitijs eundem Magist. Paulum unanimi consensu sibi Vicarium Gen. confirmant. Quod & ipsi experimento didicissent Optimorum præfecturam prorogandam, potius quàm mutandam salùs Reip. conducere. Absolutis Comitijs dum Gabriel totus in visitandâ Religione est, anno revoluto .6. Julins Bovins ob præcipuam in nobis devotionem Altare majus Servorum de Bononiâ munificè exornandum suscipit: quare accersito Fratre Joanne Angelo Montursio de Florentiâ statuario probatissimo Aram marmoream gloriosæ Dei Matri die 4. Octob. incœpit, ejusque filio Jesu Christo Redemptori consecravit, quod opus integro biennio per eundem Opificem eleganti structura, ut nunc videre est, absolutum fuit. Apud Casale majus die 27.

Apri-

Aprilis Anno 1558. conveniunt Patres de Congreg. & M. Joannem Antonium Vallo- tum à Cocalilo de Brixiâ in Vicarium eli- gunt. Quam verò jacturam fecerit his tem- poribus Congregatio illa testes sunt, qui Mag. Philippi .7. Castello de Utino, & M. Fortu- nati .8. Signoroni de Brixiâ obitum, & lau- des conscripserunt. Nam Philippus anno ela- pso, dum Commissarius & Prior S. Mariæ in Viâ Romæ ageret, ingenti studiosorum mœrore interijt, postquam suam Congrega- tionem tam strenuè pluries administrasset, & constanti animi virtute tutatus fuisset. Nunc ibidem sequitur hoc anno prædictus Fortuna- tus, & ipse in Curiâ Romanâ aliquandò Commissarius pro Congregatione, vir con- cionando, disputando, atque publicè legen- do cùm Mediolani, tùm Romæ omnium con- sensu declamator egregius, cujus operâ, & suasione Conventus S. Dionysij de Mediola- no non fuit demolitus, dum mœnia, super quibus est positus, reficerentur. Audiebat enim persæpe legentem Pauli epistolas in Ca- thedrali ipse Cæsar summâ veneratione, quo- niam conciones illius tali doctrinâ, & San- ctorum Patrum sententijs erant refertæ, ut vulgò ab omnibus scientiarum Arca appella- retur. Vir fuit eleganti facie, gravi, ac ve- nustâ, demissâ barbâ, vivaci oculorum acie, & totus aspectus venerandus, adeò ut in eo species corporis mentis probitatem indica- ret.

Philippi Castello, & Fortunati Signoroni obitus, & laudes.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

1 *EX monum. Conv. S. Marcelli propriâ ma- nu Mazochij conscriptis.*

2. 3 *Ex Poccantio & monum. Conventûs Flo- rentiæ.*

4 *Horum disputantium assertiones impressæ ad- huc conservantur in Bibliothecâ Patrum Flo- rentinorum, quæ habetur Pisis.*

5 *Hæc decreta habentur exemplata ad calcem Regesti M. Joannis Baptistæ Milliovaccæ Assen. Gen.*

6 *Ex Poccant. in Chron.*

7. 8 *Habentur inter monumenta Conv. S. Ma- riæ in Viâ, & Brixiæ.*

Pavore terræmotûs Urbs Florentia exterrefa- cta ad Sacratiss. Annunciatæ imaginem certatim confugiens pia vota offert.

CAP. XII.

NIHIL unquam triste, aut molestum accidit sinitimis Florentiæ, & Etru- riæ Terris, quod Gloriosissimæ Dei Genitricis Annunciatæ præsidio re- paratum non fuerit, & nisi civiles discordiæ, & intestina odia aliquando obstitissent, un- quam Urbs Florent. ex quò Vultum illum san- ctissimum cœlitus receperat, bellis oppugna- ta fuisset. Quod si aliquando pestilentiam passa est, ignis combustionibus, vel aqua- A rum alluvionibus oppressa, ad Deiparæ Vig. Annunciatæ delubrum confugiens, illicò li- berata fuit. In cujus rei testimonium tabulæ depictæ, quibus parietes ferè omnes conte- guntur, cerea, argenteaque vota, ac deni- que grandia virorum, & fœminarum simula- cra, quibus undequaque contignationes, & gradûs varij replentur, præter eas, quæ tho- lo, & laquearibus appensæ visuntur imagines, id apertissimè indicant. Quando ædificium illud speciem fori, & amphiteatri innumeris hominibus pleni, quàm Templi speciem re- fert si quis, vel in atrio diversa armorum trophæa spectet, vel intus innumerabiles ho- minum imagines intueatur. Quamobrem op- portunam hanc occasionem nacti, quòd die B 17. Aprilis præsentis anni 1558. circa horam prandij insuetus, & formidabilis in toto Flo- rentinorum districtu terræmotus accidit, cu- jus concussione Florentinus populus perterri- tus ad vota, supplicationesque, & pro præ- sidio B. Virginis implorando, protinus confu- git, incipiendo ab ipso Metropolitanæ Cle- ro; unde major fuit formido, & pavor timo- rem incutiens, quàm damnum, & ruina, quæ in tàm magnâ, pleràque ædificijs Urbe nihil ferè detrimenti secutum fuerit. Hanc gratiam populus acceptam referre cupiens, turmatim ad Templum D. Mariæ illis diebus accurrere, illicque supplicationes, & gratia- rum actiones peragere, & vota persolvere non cessabat. Nam Prælatorum, Canonico- C rumque, ac Religiosorum exemplo permotus populus, qui varijs illuc lustrationibus perre- xissent, à die 17. Aprilis usque ad dimidium Maij tantus fuit cæterorum Sodalitiorum, Confraternitatum, & populorum die, no- ctuque concursus, ut fuissent Patres coacti suam Ecclesiam more castrorum per milites, & satellites custodire, quin & ante fores li- gneis Cancellis, & propugnaculis varijs Tur- barum impetus cohibere. Cogebantur etiam quandoque, vellent, nollent, Sacratissimum Annunciatæ Vultum sublatis velaminibus, & cortinis, populo visendum exponere: cla- moribus, & vociferationibus complebatur Templum, adeò ut Divina officia, & Sacri- ficia, aut interciperentur, aut omnino impe- D direntur; nihil aliud in Templo audiebatur, quam *misericordia, misericordia*, nihil præter *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ.* Non defuerunt in tam frequenti tumultu scandala plura, & parùm abfuit, quin pueri suffocarentur, & Mulieres prægnantes depe- rirent, vel abortum facerent: sæpè magis concurrentibus vicatim ex finitimis Oppidis, & Pagis, qui Florentinæ ditionis erant, sin- gulis cupientibus Vultum Annunciatæ videre. Fortè aberat per eos dies Cosmus Dux, qui Pisis, & Liburni diversabatur. Is audita fa- mâ extuantis populi, imminentibus periculis prudenter occurrere volens (monuerant Pa- tres, & de his rogaverant inclytum Ducem)

per suas literas Liburni datas die 4. Maij, Patribus Annunciatæ mandavit, ut ne cuivis amplius Sacrum Annunciatæ Vultum, eo inconsulto, conspicuum facerent. Se enim hac in parte consuetâ Reip. potestate usurum, cui ab Eugenio Quarto ob tantæ Imaginis reverentiam jus fuerat concessum super illo Virgineo ostendendo simulacro. Quare Principis edicto promulgato, pedetentim cessavit tumultus, non tamen usque ad hanc diem nostrum cessat adhuc frequentia, & devotio. Et quomodo cessabit unquam concursus ad Matrem gratiarum; quam non modò Serenissimi Etruriæ Principes sæpissimè venerandam, adorandamque adeunt; verùm etiam externi Magnates ad eam Urbem accedentes, nunquam ab eâ discederent, nisi priùs eâ devotione, & illius Vultûs intuitu compotes fierent? Quando & populi ipsi, qui centies, & millies illum conspexerunt, nunquam illius intuitu satiantur. Quare de Divino hujus Beatæ Virginis aspectu illud Psalmographi usurpari potest: *Sicut oculi servorum, & oculi Ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi Florentinorum ad Dominam Matrem suam, donec misereatur ipsorum*. Et quid non misereatur quotidie invocata gratiarum, & misericordiæ Mater? & quis frustra ejus imploravit auxilium, tot gratiarum, & miraculorum exemplis excitatus? Ne igitur tot admirabilium memoria ullo unquam tempore desiderari possit, utile, opportunumque duximus calamum aliquantulum à proposito historiæ, ad Gloriosæ Annunciatæ miracula conscribenda convertere. Non quòd Etruscis, aut Italis hæc nostra conscriptio clara fiat, cùm non defuerint veteres, recentioresque Scriptores, qui istiusmodi miracula metro, & prosâ Italicè ediderint. Inter priores enim, qui de Annunciatæ mirabilibus fuerit præfatus, extitit Mag. Paulus Attavantes in suis dialogis ad Petrum Medicem: deinde M. Cosmus Favilla multa de suo Ordine complectens, multa quoque vetustiora miracula ejusdem Imaginis simul in unum codicem collegit, qui habetur in nostrâ Bibliothecâ Florentinâ; recentiori verò tempore M. Michael Pocciantius multa pariter miracula ejusdem, ut typis mandarentur, simul composuerat, sed morte intercedente M. Lucas Ferinius de Prato ejus Alumnus prælo commisit apud Marescottum anno Dom. 1596. sub titulo mysticæ coronæ annorum Beatæ Mariæ Virginis numerum sexagintatrium miraculorum. Franciscus Bocchius Civis Florentinus, qui in humanioribus literis parem sui neminis habuit neminem, in suo tractatu de admirabili cultu Annunciatæ quamplura etiam miracula complectitur, quem apud Sermartellios edidit anno Dom. 1604. Paulus Baronus Florentinus heroico carmine sexaginta illa tria virgineæ coronæ miracula egregiè decantavit, & apud Franciscum Tosium impressa anno Dom. 1614. Mariæ Magdalenæ Austriacæ Magnæ Ducissæ Etruriæ nuncupavit. Novissimè tandem E P. Joannes Angelus Lottinus de nostrorum Patrum consilio, & auctoritate usque ad numerum octuaginta ejusmodi miraculorum cum tabulis æneis eleganter conscripsit, & eorundem Patrum nomine Christinæ Lotaringiæ quondam Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ Coniugi, postquam apud Cecconcellium impressa fuissent anno Dom. 1619. dedicavit. Qui verò miracula latino sermone evulgaverint, ut extra Italiam per Europam saltem propalarentur, neminem adhuc reperio.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

*QUæ in hoc Capite enarrantur, singula ab Auctore collecta fuerunt, ex libro me*F *morabilium Conv. Annunciatæ de Florentiâ.*

Enarrantur potiora illa miracula, & gratiæ Imaginis Annunciatæ de Florentiâ, quæ ab anno 1280. usq. ad præsens 1558. certis temporibus, & annis contigerunt.

CAP. XIII.

OPeræpretium videretur illud Sacratissimæ Virginis Annunciatæ de Florentiâ referre, quod in ejus compingendâ Imagine Divinitùs accidit, ut Bartholomæus ipsius Auctor Vultum Annunciatæ, non suis penicillis, & coloribus, sed G Angelorum manibus completum deprehendisset. Verum cùm plura de sacratissimo illo Vultu conscripserimus Centuriâ primâ lib. 2. cap. 16. supervacaneum videtur modò eadem repetere, quorum loco id superaddere non erit inutile, quod nostris temporibus satis eleganter cecinit Prosper Tatius Florentinus in suo Tractatu de ipsius Templo apud Marescottos edito.

Virgo ibi picta manu angelicâ, ceu forma pererrat,
Visitur Empyreâ latè mandata Tonantis,
Magna ferens, sensusque gravesque è sede Gabriel.
Visitur, officijs magnis intentus uterque;
H *Nunciat hic, illa angelico dependet ab ore;*
Illa timens gaudet, tingitque hic ora rubore,
Spiritus interior, informis forma renitet;
Immortale ferunt certantia pectora utrinque:
Perpetuò hic pendent argentea lumina centum;
Candelabra nitent centum, centumq; sacrata
Vota Deo argento; argento jacet Ara; Ministrè
Sacrorum adsistunt centum, mirabile visu!

1 Duxerat Florentiæ vir nobilis, & prædives paris conditionis speciosissimam uxorem, ex quâ masculam prolem, quam multis votis imploraverat à B. Virgine Annunciatâ, obtinuit; sed insperato casu accidit, ut infans vultu & toto corpore niger appareret,

cujus

cujus primo obtutu tota conturbatur domus, marito in uxorem furente, quam veluti impudicam arrepto pugione parùm abfuit, quin continuò interficeret; habebat enim domi emptitium Servum genere Maurum, de cujus cum uxore concubitu, statim suspicionem concepit: at mater ipsius nullâ interpositâ morâ filij furorem suis amplexibus, & lachrymis fœmineâ sagacitate compescuit, dicens: fili mi, mea sit honoris tui vindicta; ego quidem prudenti consilio ulciscar, & hæc impudica condignas luet pœnas, salvo familiæ nostræ honore, triduum tantùm indignationi tuæ parce, & hanc vindictam mihi concede. Marito igitur Urbe discedente iram, & rem dissimulante, Socrus venenatum pharmacum parari curavit, & interim, ut infans pædore, atque inediâ consumeretur, in cunâ absque lacte, & alio subsidio detineri jussit, donec efflaret animam, qui non cessabat ejulatu, vagituque die, ac nocte thalamum complere, matre ægerrimè audiente doloribus plenâ, & partûs puerperijs præpeditâ, atque decumbens, nullum ei ferre poterat auxilium, nisi lugendo, & suam innocentiam semper Virgini Annunciatæ commendando. Posterâ die accedit Socrus cum venenatâ potione, & acerrimis verbis puerperam obiurgans ait: jubet maritus tuus pharmacum hoc debere purgare impudicitiam, & dedecus tuum, quod familiæ nostræ intulisti; quod si nolueris sumere, illicò filius meus aderit, qui atrocissimis vulneribus te totam confodiet; quare satiùs erit, ut hac potione & tuo simul, & nostro dedecori consulas. Tunc mulier accepto vase, quod veneno plenum erat, antequam ori admovisset, heu mi Socrus, inquit, quæ me tantopere hucusque amasti, ne me quæso hoc uno solatio prives, ut filium meum, antequam simul moriamur, videam, atque deosculer; cæterum innocentiam meam, & injuriam, quam patior, judicet Altissimus Deus, te quoque Gloriosissimam Virginem Annunciatam testem innocentiæ meæ, & calamitatis, quam injustè patior, judicem invoco; nunquidem mereor, ut Angelus Domini de meâ innocentiâ marito meo, sicut olim Joseph viro tuo de summâ tuâ integritate fidem faciat; te unicam tantùm, quod innocens ego sim, apud homines testem adhibeo, tu miserorum Advocata miserere mei. Hæc vix protulerat puerpera, quando Socrus, ut Nurui hac in parte morem gereret, ejulantem infantem è cunâ sublatum ulnis, & ori ejus proferens, filium vidit non amplius nigrâ sed albâ facie, & sibi vix credens nudatum infantulum totum ab illo in album mutatum cognovit. Quo obstupendo miraculo tota perterrita, pharmacum projecit, veniam petijt, Nurum cum parvulo simul exosculata, maritoque, ut bono animo esset in uxorem, protinus nunciavit, & hanc sibi à Deo tentationem immissam recognoscere, ut inde patientiam, & timorem Dei libentiùs amplecti disceret. Hoc igitur fuit, quod modò sciatur, initium signorum Virginis Annunciatæ de Florentiâ, anno 1280.

A

2 Perpetuum bellum cum semper fuerit inter Teucros Tyrannos, & Hierosolymitanum Equestrem Ordinem S. Joannis, generosus quidam miles fortè fortunâ à pyratis Turcarum captus multis conatibus tentabatur, ut Christianam fidem cum Maumettanâ Religione commutaret; cumq. vir nobilis crucem, quam in pectore gestabat, strenuè defendes, ejurare nollet, in sylvâ tandem eâdem loricâ, & armis indutus, quibus captus fuerat, ad ignem damnatur, & ad arborem alligatus, & multâ lignorum strue circumcirca stipatus, strenuè propriam fidem tuebatur, nec de succenso igne quicquam pro Christo

B

tristabatur, tantumodo suam fidem, & innocentiam sacratissimæ Annunciatæ commendans: cæterùm admoto igne, & protinus flammis non in altum, ut solent, ascendentibus, sed in diversa effusis circumstantes obruere, & fidelem virum illæsum relinquere cæperunt; quo miraculo alij in fugam conversi, alij facti pœnitentes Christianam fidem amplexari, Equitem à flammis, & vinculis absolutum securi fuerunt; hujus miraculi adhuc statua in Templo Annunciatæ conspicua ab anno 1410. apparet.

3 Inter Principes, & Magnates, qui Federicum Tertium dum Romam pergeret pro Imperiali diademate suscipiendo associarent, inclytus Juvenis Bavariæ Princeps in Italiam secum concesserat, cumque Florentiæ cum

C

Imperatore diversaretur, accidit, ut per eos dies tam gravi morbo opprimeretur, ut de sepulturâ magis quàm de humano remedio inter ejus familiares ageretur, Medicis quibuscunque jamjam de suâ salute desperantibus. Consueverat autem Princeps sæpesæpius cum Imperatore Sacellum Annunciatæ maximâ cum devotione venerari, & omnem suam fiduciam in sacratissimam illam Imaginem, quam pluries fuerat intuitus, habere, quare nullâ morâ factum est, ut voto emisso, pristinas vires reciperet, & incolumis evaderet, Ann. Dom. 1451.

4 Bartholomæus Faber ferrarius, dum super altam turrim sexaginta brachiorum propè portam Florentiæ, quæ dicitur *del Prato*

D

nidum volucrum è quodam foramine extrahere tentat, à duobus anguibus repente invasus, atque perterritus, dum se ab illis defendere nititur, præceps ab alto in terram cadens, cum per aera se Annunciatæ commendat incolumis evadit, quemadmodum indicat adhuc illius votum cum turri appensum; & id contigit Ann. 148r. In die S. Bartholomæi Apostoli.

5 Diris cruciatibus, & intestinis doloribus usque ad necem premebatur Innocentius Octavus Pontif. Max. nec ullum levamen ad comprimendos dolores, nec ullum opportunum remedium à Physicis inveniri, & adhi-

beri poterat, donec Joanne Michaelio Cardin. & Ordinis Servorum Protectore suadente, pia Pontificis mens ad vota, & supplicationes conversa totam suam fiduciam in D. Annunciatæ de Florentiâ Imaginem contulit, & quam speraverat protinus sanitatis gratiam recepit, Anno 1486.

6 Solemnes nuptiæ apud Laurentium Tornabonum virum primarium Florentiæ habebantur, ad quas inter alios Orator quidam Hispanus, qui pro suo Rege Alphonso ad Pontificem proficiscebatur, cum suis famulis invitatus fuit. Erat autem in loco præcipuo munificus abacus auro, argentóque cælato pro dapibus apponendis in convivio instructus, quare unus ex famulis Hispani Oratoris duo argentea vasa clam ex eo abstulit; deprehenditur furtum, fit clamor per custodem, fur non invenitur, quamvis tota suspicio super Hispani famulos caderet; unde ille, qui furatus fuerat, sibi præcavens, nunciat Domino suo alterum ex servis suis nomine Franciscum nefarium illud scelus commisisse, nullâ morâ capitur Franciscus à satellitibus ferreis catenis, & compedibus in carcerem detruditur, condignam facinoris pœnam propediem recepturus, cumq; Beatissimæ Virgini Annunciatæ, quam antea cum suo Hero contemplatus, veneratusque fuerat, plurimis lachrymis, & precibus commendasset, præcedente nocte Dominicæ diei, dum miser præsentem calamitatem in somnis meditatur, continuò novum aspicit sibi apparere fulgorem, & carceris ostiolo aperto, videt speciosissimam sibi adesse mulierem, niveo candore ornatam, quæ compedibus, & catenis solutis, illum extra carcerem usque ad portam primam Ecclesiæ Annunciatæ manuducit; quâ continuò apertâ, in atrium Ecclesiæ introducitur Franciscus, ubi cum reliquum noctis in oratione, atque gratiarum actione consumpsisset, diluculò tandem eo in atrio à Fratribus deprehensus, rem, ut sibi acciderat, per ordinem narravit, cujus rei famâ Hispanus Princeps permotus, & calumniam Francisco illatam in proprium accusatorem retorquens, jussit nefarium illum in carceribus torqueri, qui tandem furti simul, & calumniæ reus, pœnas condignas retulit; Francisco Sanctissimæ Annunciatæ præsidio absoluto, & in pristinam Domini sui gratiam recepto. Anno Dom. 1486.

7 Carolus Octavus Francorum Rex, dum juvenilis gloriæ percupidus Italiam minis, & cæde compleret, & jam Fivizanum igneis tormentis solo ferè æquasset, in planitiem Lunensium descenderat, ut Serezanam Urbem invaderet; hanc Florentinus Senatus strenuè defendebat, quando miles quidam nomine Cicogninus audentiùs in Gallorum phalanges propriâ virtute irruere conabatur; sed casu accidit, ut utroque crure per immissam sagittam usque ad mortem confoderetur, quo in periculo constitutus ad preces Sanctissimæ Annunciatæ conversus, tandem voti

E compos de vulneribus illis convaluit. Anno Sal. 1494.

8 Nicolaus & Jacobus fratres Abrutini cùm à Lanciano per Adriaticum mare ad publicum emporium Nuceriæ in Apuliam navigarent (erant enim ditissimi Mercatores) inter Insulas Diomedeas à Turcarum pyratis capti, Constantinopolimque advecti tercentum aureorum pretio cuidam viro primario *Bascià* venditi fuerunt; Nicolaus ad Mulierum Domini ministerium præficitur, Jacobus vestibus consuendis fattoriæ arti deputatur; Nicolaus interim, quòd esset solerti ingenio, & affabilitate humanissimè præditus, talem apud illas fœminas gratiam inierat, ut brevi Dominus ejus zelotipiam, & indignationem non parvam in ipsum conciperet,

F quare illum ab eâ administratione semotum, ut incredibili, inusitatáque afflictionis genere vexaret, ferrum eo artificio fabrefieri fecit, ut totum hominem collo, manibus, pedibusque simul incurvatum detineret, affligeretque vehementissimè, hac miserrimâ tribulatione angustiatus Nicolaus pristinam devotionem, & fidem in B. V. Annunciatam de Florentiâ, quam olim peregrinorum more inviserat nunquam dereliquit, quin quotidie sua vota ei persolveret: jam trigesimus advenerat mensis, ex quo Nicolaus eo in agone Christianam exercuerat patientiam, quando Dominus suus magnum convivium contribulibus, & amicis parari jussit, quod dum dis-

G ponerent Aulici, factum est, ut ferrei illius instrumenti vincula solverentur, & Nicolaus per medios illius domûs famulos cum ferro liber evaderet, nemine illum vidente præter Jacobum Fratrem, qui tanti eventûs admiratus, Nicolaum secutus, ambo è Thraciâ in Italiam reversi, recto itinere ad Annunciatæ Delubrum venientes, idem instrumentum ferreum cum propriâ imagine Sacratissimæ Virgini devoverunt. Anno 1506.

9 Evangelista Gregorij Florentinus Ferrarius faber dum die 8. Maij suam artem in officinâ exerceret, à tribus suis inimicis hostiliter invasus tredecim vulneribus trucidatus, jam vitam agebat, quando ad Gloriosam Dei Matrem conversus de tot vulneribus convalescens, voti sui compos factus fuit. Anno

H 1507.

10 Inter juga Montium Apenninorum extat pagus nomine *Pietra mala* ad fines Florentinorum, & Bononiensium, ibi Cauponam, & hospitium regebat quidam Jacobus, qui cognomine dicebatur *lo Scheggia*, quem usque ad necem quatuor ex finitimis ipsum odio infectabantur, & aliquando inito consilio denso in nemore, illum nihil verentem, turpiter, & proditoriè invaserunt, & decem atque octo vulneribus percussum, semimortuum reliquerunt, tredecim enim super caput, & faciem receperat fœdissima vulnera, quæ ei proximam imminere mortem indicabant;

ipse nihilominus Deiparæ Annunciatæ præsidio fretus, seque ei commendans brevi sanitatem recepit, & suam imaginem cum totidem vulneribus pro voto suspendit tholo Ipsius Ecclesiæ, die 14. Julij 1515.

11 Jovanettus ab insulâ Cyrni, quæ vulgò dicitur *Corsica*, dissoluto Caroli V. exercitu contra Solimanum è finibus Pannorum ad patriam revertebatur, quandò à Sicarijs in itinere invasus gravi vulnere cum ferreâ clavâ in caput percutitur, adeò ut cerebrum cum sanguine difflueret, quin etiam equo, armis, indumentis, pecuniâ, & omnibus utensilibus semianimis, & seminudus expoliatus in proximam turrim omni destitutus auxilio, & remedio detruditur, ex quâ post 50. dies incolumis evadit. Quod verò è tam gravi, mortalique vulnere nullo humano remedio adhibito sanus fuisset effectus, & denique è tam tetro carcere liberatus, id totum Dei Genitricis, cui se plurimum commendaverat, beneficio adscribens, celeriter è Pannoniâ Florentiam se contulit, ut pares Virg. Annunciatæ gratias, & vota rependeret. Anno Dom. 1532.

12 Kalendis Novembris 1547. accidit, ut intempestâ nocte superiora laquearia donûs Pistoris, ubi dicitur Florentiæ *il Fornaio della Vacca*, nimio frumenti pondere gravata ruerent, & totam ferè familiam suffocarent; quâ in ruinâ Dominicus Justi pistor D. Annunciatæ favoribus recordatus, & protinus ad ejus præsidium confugiens, summâ totius viciniæ admiratione incolumis evasit.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

Complura alia miracula, quæ sequentibus annis, usque ad finem hujus Centuriæ contigerunt, juxta seriem historiæ conscribenda esse censuit Auctor.

De miraculis, & gratijs præcipuis Sanctissimæ Annunciatæ de Florentiâ, quæ certo tempore carent.
CAP. XIV.

1 Rupertus Sfortij ex Terrâ Piscium post maritimum naufragium, in quo lignum simul, & proprias merces amisit, parum absuit, quin & ipse submergeretur sed tanto in discrimine ludetiam sibi accidir mali, ut dum natando vitam tueri quæreret, in durissimam incidit servitutem; nam supervenientibus pyratis fit mancipium Turcarum, & durâ catenâ circundatus in teterrimum fuit intrusus carcerem. His igitur malis à Deo monitus, quòd in prosperitate non fecerat, in adversitate integro corde ad pietatem, & devotionem conversus Gloriosæ Dei Matri Annunciatæ suam calamitatem commendavit; quare voto emisso, ut si liberet evaderet, nudus, ac ut in mari captus fuerat, ad Sanctissimam Annunciatam A de Florentiâ celeriter properaret, quamobrem vix hujusmodi voto facto, sese à catenâ, & carcere liberum sensit, & nudus coram Altare B. Virginis sese præsentavit.

2 Joannes Epidauri ad fines Dalmatiæ natus vir prædives, & excellens Chyrurgus, dum Florentiæ ageret, Bononiam vocatus ad quandam infirmitatem curandam, preciosam secum argenti, & auri gazam ferebat; quod cum præsensissent jam quidam prædones, sibi eo in itinere pacificè, & fraudolenter junxerunt, & loci, ac temporis opportunitatem nacti post sextum milliare à Florentiâ multis vulneribus trucidarunt, & in quandam foveam extra viam magno superimposito lapide, quasi mortuum absconderunt, argento, ac B auro ipsius, & vestimentis potiti, nulla inerat miserrimo viro vociferandi, nulla respirandi facultas, nisi interiùs spiritus, quo se Virgini Annunciatæ commendaret. cumq; viatores alij inde transirent, observatâ magnâ sanguinis effusione, quasi per vestigium hominem eâ in foveâ jacentem, & jam animam agentem invenerunt: quare illum inde super humeros sublatum in viciniori domo recrearût; qui alligatis vulneribus, quasi nihil sibi contigisset, Sanctissimæ Annunciatæ beneficio convaluit, & suam imaginem eo in templo suspendit.

3 Antonius Bernardi miles in quodam prælio cum duobus socijs ab hostibus captus, & coram Duce adversæ partis adductus, om- C nes tres capitis damnari; jamjam sub securi pœnam luere debebant, quando priore Socio ante ejus oculos obtruncato, idem supplicium debebat subire Antonius, jam parata securis, jam velati oculi, jam genuflexus Antonius extremum ictum lictore agente expectabat; quando ei in mentem venit immeritam, & indignam mortem, omnemque suam Innocentiam Virgini Annunciatæ commendare. Quid ultra, jam securis caput abscinderat, sanguine undique è collo diffluente, parùm quid pelliculæ abscindendæ supererat, ipsam dum spiculator abscindere tentat, caput admirabili modo cum reliquo corpore adeò copulatur, ut ne quidem cicatrix abscissi colli appareret, quo viso miraculo Carnifex, quasi D exanimis super terram cecidit, & toto circumstante exercitu obstupuere omnes, salutem misero acclamantes, quare vinculis absolutus, & libertate donatus ad Aram Annunciatæ confugit, tanti facinoris in propriâ imagine, quæ adhuc suspensa conspicitur, monumentum reliquit. Tertius quoq; supererat decollandus nomine Petrus, qui & ipse viso Antonij miraculo omnem suam fiduciam in eandem D. Annunciatæ imaginem collocavit; verùm Lictor, ut eodem munere fungeretur, Petrum sub securi jamjam decapitandum aptaverat, cumque ut securi feriret ambas manus simul extolleret, illicò factum est, ut brachia super humeros post cervicem

adeò retorquerentur, ut nullo conatu inde dimoveri possent, membris, & articulis manuum, & brachiorum penitus attractis, quasique post terga revinctis; obstupuere qui aderant, & iterum exclamare cœperunt: Salvetur innocens homo, salvetur innocens homo. Dum autem Petrus è patibulo eripitur, protinus Carnificis brachia ad proprium locum visa fuerunt reverti, quare Petrus, qui parem gratiam cum Antonio à B. Virgine receperat, par quoque votum persolvit.

4 Agebat apud Senatum Florentinum pro Francisco Sfortiâ Mediolanensium Duce Nicodemus Tanchedinus de Terrâ Pontremoli vir nobilis doctrinâ, & literis apprimè eruditus, qui tantam Reipublicæ gratiam orando, & agendo pro suo Principe inierat, ut Senatoriâ dignitate tanquam Florentinus civis cohonestaretur: tempore verò ineunte in quemdam membrorum languorem incidit, adeout omnium dissolutis articulis graviter, & diu in lecto torqueretur, nulla Medicorum cura, non pharmaca, non remedia quæque sibi prodesse poterant; quare vir prudens, & pius omni humanâ desperatâ salute, ad vota mentem convertit, & præcipuè erga Beatissimam V. Annunciatam; cujus tandem præsidio convalescens, multas suarum divitiarum eleemosynas Virginis Annunciatæ pauperibus erogavit, ac tandem voti compos, amissam recuperavit sanitatem.

5 Paschalis de Aretio vir strenuus, & in re bellicâ vehementer exercitatus, dum Mediolanenses cum Januensibus fortiter dimicarent, casu accidit, ut in quodam speciali congressu à Januensibus comprehenderetur, qui hominis inspectâ, & cognitâ virtute sperabant per varia tormenta hostium Mediolanensium secretiora consilia ex ejus ore posse rimari; verùm secùs accidit, nam ad Paschalis fortitudinem animi in illis perferendis tormentis tantum pietatis, & devotionis erga B. Virginem superadditum fuit, ut eâ in quæstione vir strenuus ligneæ statuæ magis, aut æneæ, quàm viventis hominis speciem præseferret, cujus rei admiratione commoti Januensium animi omni sepositâ feritate (sic inspirante Gloriosâ Dei Matre Annunciatâ, cui sese Paschalis plurimùm commendaverat) multâ in eum humanitate usi, liberum dimiserunt, quam quidem libertatem Paschalis à B. V. Annunciatâ, quàm à Januensibus receptam, agnoscens, illicò ad templum illud promissa vota persolvit.

6 Joannes de Flisco Dux Mediolanensium copiarum, dum fortiter in acie milites ad pugnam hortatur, ab adversario pugione in gutture transfoditur, quare illicò deficiens ad tentoria asportatus, jam jam, nullo proficiente remedio, sed multo profluente cruore, agebat animam; quo in periculo vir strenuus ad B. Virg. Annunciatam toto corde conversus, brevi desperatâ omninò salutem Gloriosæ Virg. intercessione meruit impetrare.

7 Regebat summâ cum potestate Aragonensium copias Hercules Estensis vir inclytus in Neapolitano Regno contra Gallorum exercitum defendendo, cùm die quâdam, pugnâ utrinq; fervente, præclarus Dux à tergo in altero fæmore lanceâ transfigitur; quo vulnere accepto, de propriâ salute dubius omnem moriendi, vivendique rationem B. V. Annunciatæ arbitrio commendavit, pollicitus equestrem statuam in ejus Templo positurus, quemadmodum postea recuperatâ sanitate, summâ cum devotione promissa fuit executus.

8 Post solemnes regalesque nuptias inter Estenses, & Gonzagas nobilissimos Principes celebratas, Franciscus Dux Mantuæ, qui Isabellam Estensem in uxorem duxerat, & summo pro is desiderio, stirpisque in Mantuano Principatu propagandæ tenebatur, quando secus factum est, ut brevi Isabella in gravem, occultumque morbum incidisset, cui etiam melanconicus quidam superinductus humor, omnem convalescendi spem ademisse videbatur. Aderat fortè inter pedissequas, & Matronas Aulæ adolescentula quædam nomine Susanna speciali voto ipsi Annunciatæ de Florentiâ addictissima; hæc verò cùm die quâdam familiariter ad lectum Dominæ suæ accederet, cœpit cum eâ de admirabili imagine Annunciatæ de Flor. plura pertractare, cujus suasione Isabella ad vota conversa cœpit in dies à morbo relaxari, & semper beneficium illud speciali gratiæ Virginis Annunciatæ tribuere, non modò ex eo morbo sese liberam præsensit, verùm etiam ejusdem Virginis favore trium Principum tempore ineunte mater effecta fuit, & hi fuerunt Fridericus, Hercules, & Fernandus; quare voti compos Templum Annunciatæ Florentiam præsens adivit, propriam suam imaginem cum præcipuis donarijs, & sacrâ supellectili munificè obtulit.

9 Cyprus insula Mediterranei maris, dum Gentilitatis superstitio viguit, Veneri sacra cujusvis effrenatæ libidinis incentivo dedita lascivam illam petulantiam diù servavit, ubi dedecus & impudicitia, nullâ pudoris habitâ ratione, regnare consueverunt: hac autem nefandâ libertate plurimùm delectabatur Regina quædam nomine Catharina mollissima fœmina, & ad libidinem, quantùm credi possit, proclivis. Pervenerat ad aures Reginæ interea Sacratissimæ Annunciatæ de Flor. miraculorum, & gratiarum fama non vulgaris per proprios ejusdem Ordinis Servorum Concionatores diffusa, qui per oras illas usq; ad Orientales Indias verbum Dei disseminabant; quandò tandem Catharina turpem illum vivendi usum abhorrens, ad contemplandam pudicitiam, & honestatem Sanctissimæ Virginis tota se dederat; quare præteritam vitam summis lachrymis deplorans, & corpus suum varijs pœnitentiæ afflictationibus macerans, tandem in verum Christi obsequium, & plea-

& plentissimæ Virginis exemplar redegit, quin etiam proprio exemplo totam ferè Insulam ad honestiorem pudicitiæ frugem reduxit; hoc verò donum novæ castitatis à Gloriosâ Dei Matre Annunciatâ acceptum referens, propriam imaginem cum plurimis donariis in Italiam ad ejus Templum transmitti, & offerri curavit.

10 Lucretia nobilis fœmina Tornabonæ familiæ de Florentiâ uxor Petri Cosmi de Medicis morbo incurabili se gravatam præsentiens, omnem suam spem in D. Annunciatæ imaginem collocaverat, quam ejus conjux marmoreo Sacello non multò ante exornaverat, & ipsa quoque sacra supellectili munificè compleverat: huic igitur Sacratissimæ Imagini vovit se quotannis quatuor millium aureorum impendia pauperibus ad honorem B. V. largituram, si ex eâ infirmitate convalescere mereretur; suscepto igitur voto, & gratiâ receptâ, quod ultrò pollicita fuerat, semper in pauperes erogavit.

11 Petrus Laurentij Medices adhuc puer in gravem inciderat morbum, quem quò minus curabilem agnoscerent Medici, eò à Parentibus lugebatur filij non recuperanda salus; verùm Laurentius cum Clarice Orsinâ coniuge, B. M. Virginis auxilio fretus natum voluit, quòd si ex eâ infirmitate convalesceret, argenteam ipsius statuam æqualis ponderis eidem Annunciatæ offerret; quod cum ex voto obtinuisset, quod promiserat, munificenti ac pio animo præstitit.

12 Gabriel Matthei Pistoriensis dum post secundam noctis horam securus per Civitatem non procul ab Ecclesiâ S. Dominici graditur, a tribus armatis inimicis repente invaditur, atque viginti duobus vulneribus gravissimis totus ferè confoditur, ac semianimis, & moribundus relinquitur, & à propinquis omni spe destitutis jam funus in diem posterum parabatur; quando Gabriel ad Angelum sui nominis, & ad Virginem Annunciatam mente, potiùs quàm oculis respiciens, & sese totum ei commendâs, ingenti omnium Pistoriensium admiratione è tam periculoso discrimine propriæ imaginis voto oblato, eripitur.

13 Puella quædam, cujus nomen desideratur, filia erat D. Argentonis, qui in Galliâ ob proprias virtutes plurimùm apud Franciæ Regem valebat; hæc sensim occultâ quâdam infirmitate usque adeò ægrotare cœpit, ut jamjam pater de propriæ filiæ salute intimo cordis affectu conquereretur, nulla el pharmaca, nulla adhibere remedia poterant, totum in cassum, quod à Medicis pro ejus salute tentaretur: de miraculis autem, & gratiis Annunciatæ de Florentiâ certior factus, pater statim spirituale hoc remedium filiæ adhibendum curavit; voto igitur emisso cum cereâ filiæ imagine, & aliis munificis oblationibus Florentiam se transtulit, & gratiam pro filiâ obtinuit.

14 Monachus quidam S. Benedicti Dominicus nomine acerrimo, & pestilenti morbo laborans, humanâ Medicorum curâ nequaquam convalescere valuit, non tamen cœlestis remedii opem prorsus amisit; quare noctu quâdam dum in cubili languesceret multis lachrymis sese, & propriam salutem Virgini Annunciatę commendavit, ac statim futurę sanitatis signa præsensit; mane igitur facto, & accersito Medico quæsivit ab eo, ut ex signis externis de suâ ægritudine judicium ferret; quam Physicus vix pulsu tentato, & aliis inspectis excrementis, obstupuit, quærens ab infirmo quodnam remedium sibi eâ nocte adhibuisset; qui respondit nihil aliud præter lachrymas, & vota ad B. Virginem Annunciatam; cui Medicus: optimam partem elegisti Pater, observa quod vovisti, propter quod sanitatem adeptus es, quod & Monacus diligenter curavit Missam ad Altare Annunciatæ celebrando, & propriam imaginem, inter alia illius Templi trophæa, offerendo.

15 Antonius quidam genere Zingitanus in Africâ natus propriis viribus, & labore pauperem familiam cum uxore alebat, quando post levem infirmitatem repentino casu obrutus interijt, & spatio viginti quatuor horarum super terram defuncti more jamjam sepeliendus jacebat; quando Clericis ejus sepulturam parantibus incredibili omnium stupore Antonius è terrâ assurgens, rursus inter vivos Dei Genitricis Annunciatę beneficio restituitur. Dum enim alii de familiâ defunctum lugebant, devota uxor puro, & simplici corde Marirum D. Annunciatæ commendaverat, & insolitam hanc admirabilem gratiam recepit, prout aliquando in tabulâ ibi depictâ & videre, & legere nobis, & singulis licuit.

16 Antequam preciosa ornamenta Templi Annunciatæ in communem Reip. Florentinę usum converterentur, aderat inter argentea vota Eustorgij Manphredi Principis Faventię non mediocris spectanda imago, quam Princeps ipse in clade Anglariensi, Nicolao Piccinino superato, & fugato, Eustorgius ipse vulneratus, & captus à Florentinis in publicis eorum carceribus detinebatur: cumque noctu aliquâ, tùm vulneris, tum carceris propriam miseriam ęgerrimè deploraret, seque Virgini Annunciatę ex animo commendaret, posterâ die factum est, ut cùm in Senatu Florentino de iis, quæ ad bellum spectarent, varia consilia decernerentur, vox quædam ad favorem Principis repentè inter eos erupit, quâ totus simul Senatus in eam sententiam concurreret, ut Eustorgio vita simul, & libertas concederetur; quam quidem gratiam pius Princeps à Cœli Reginâ, quàm à Senatu acceptam ratus, eandem quoque per argenteam imaginem, & alia donaria cumulatè rependere curavit.

17 Antonius à Romenâ de Casentino perditissimis moribus assuetus, in grave discrimen incidit, quo tandem vitam in melius muta-

mutaret; nam aliquando ab inimicis invasus novem & triginta vulneribus trucidatus, usque adeò deformis evaserat, ut nullum adhuc humani corporis sibi vestigium superesset; hac autem vexatione tentatus resipiscere cœpit, ac teactam vitam deplorare instituit, gestorum criminum pudere, pœnitere, misericordiam, & veniam implorare, atque ut facilius à largitore gratiarum veniam impetraret, patrocinantem Beatissimam V. Annunciatam summis lachrymis sibi propositam invocare cœpit; cujus spe neutiquam defraudatus, animæ simul, & corporis sanitatem recuperare meruit.

18 Occulto quodam languore vexabatur Petrus ille Soderinus, qui ob suæ probitatis, & prudentiæ specimen Florentinæ Reip. perpetuam meruerat dictaturam; quando humanis remediis, & Medicorum consiliis deficientibus, Reginæ Cœli Annunciatæ præsidium affuit, nam Petrus ad cœlestia remedia conversus, Annunciatæ implorato præsidio ex tam gravi periculo, sεque morbo convaluit, & quod de suâ appendendâ imagine votum pollicitus fuerat, te ipsâ complevit.

19 Dum Bartholomæus ab Insulâ Corsicæ strenuus miles in conflictu Regis Franciæ cum Januensibus audacter nimis, & viriliter impetum belli sustineret, triginta vulneribus impetitur, quibus medendis, cum nulla sufficeret humana ratio, Divinum ei Gloriosæ Annunciatæ affulsit præsidium, eâ namque puro corde invocatâ, susceptoque voto, de infirmitate convaluit.

20 Petrus nobilis Hetos Montis S. Mariæ, dum apud oppidum Petræ Sanctæ in Etruriâ præliaretur, altero oculo per igneum sclopum ferè orbatus remanserat, neque enim tam vehementi ictu spes ulla salutis reperiebatur; quare Dux Magnanimus ad certum, securumque remedium Genitricis Annunciatæ invocandæ firmâ deliberatione confugit, nec frustra quidem, brevi enim pristinâ luce, & sano oculo restituitur.

21 Inter Mugellana nemora ferox deprehensus, & à venatoribus variè exagitatus Ursus, dum canum lattatûs, sagittarumque impetûs evadere curat, rusticum quendam Spadinum nomine, qui agrum suum colebat, obvium habuit, cum quo congressus, & pavidum virum fortiter amplexatus unguibus jamjam genas dilacerare cœperat; quando Spadinus omni spe destitutus, in eâ calamitate totum sese Virginis Annunciatæ præsidio commisit; cujus sanè Deiparæ nomine vix per eum invocato, ferox illud animal veluti ovis ante pastorem rel cto Spadino, quasi suæ feritatis oblita mansuescere cœpit. Hujus rei imago pro voto adhuc ipsius Templi tholo suspensa apparet.

22 Judicis Rotæ officium exercebat in veteri Palatio Florentinę potestatis D. Nicolaus Vandinus de Imolâ, huic erat puer parvulus nomine Accursius, qui fortè fortunâ super fe-

E nestram altioris solarii ipsius Palatii ludens irreparabili casu præceps cecidit, genitore vidente, ab altitudine triginta brachiorum super lapideum stratum; coluerat pater diutinâ veneratione Templum Annunciatæ, cui filium per aera cadentem statim ex animo commendavit, nec voto frustratus, quando puer ex eo casu nihil mali, Virgine Annunciatâ protegente, passus fuit.

23 Mariottus *del Piglia* nuncupatus Ronconus Cortonensis falsò de quodam gravi crimine accusatus, & coram Judice in quæstionem adductus, Innocentiam suam Virgini Annunciatæ commendavit; non obstantibus enim apparentibus accusatorum indiciis, conscius ipse sibi Beatam V. deprecabatur, ne tormentorum vi cogeretur propriam famam

F deturpare, & vitam in discrimen ponere; quare per quindecim vices equuleo tortus, appositis etiam gravissimis ponderibus ad pedes viriliter absq; sensu doloris tormenta illa sustinebat; quando tandem affuit quidam curiæ explorator, qui ejusdem facinoris auctorem deprehensum Mariotti Innocentiam Judici propalavit hujus imago eodem in Templo suspensa cernitur.

24 Obstupendum quid supra humanæ naturæ captum repræsentat adhuc tabula quædam eodem in Templo Annunciatæ suspensa, nimirùm fuisse virum quendam nomine Dominicum Petri in Casentinensi agro apud Templum B. Virginis, quæ dicitur *del Sasso*, hic post gravissimum morbum, morti proxi-

G mus, pro salute corporis, & animę nullum aliud refugium sibi profuturum præter B. V. Annunciatam excogitavit, cui sese totum devovit; nihilominus, ut magis, ac magis elucerct in eo Virginis gratia, factum est, ut Dominicus moreretur; interim paratur funus, & postridie fit in Ecclesiâ S. Donati, ubi dicitur *Benzana* consueta, depositio Cadaveris; jam quadragesima transibat hora ab obitu defuncti, quando Dominicus linteis, & infulis pluribus obvolutus, de foveâ assurgit; domum revertitur incolumis, referens cognatis, & affinibus D. Annunciatæ beneficio se ad vitam revocatum fuisse.

25 Mulier, quæ nomine Magdalena de Florentiâ, dum purgandis, abstergendisque &

H exsiccandis ad Solem lineis tota intenta super tectum graditur, improviso pedis lapsu ab altitudine tecti super terram cadens, facilè collisa fuisset, nisi per aera Virginem Annunciatam, cujus sæpè venerabatur imaginem, invocasset; quare tribus tantummodo super lapideum viæ stratum fractis dentibus, nihil detrimenti ulteriùs passa fuit.

26 Quo tempore Bartholomæus Alvianus generalis Ductor Veneti exercitûs contra Gallorum impetus dimicabat, vir quidam nomine Bernardus Dominici de Vevellis pro suis negociis per Venetum exercitum transiens, Patavium profecturus ab Alviani militibus, veluti explorator, comprehensus fuit,

quem

quem Bartholomeus nimio Zelo, & militari suspicione exagitatus (crudele quidem facinus) nullâ hominis excusatione, & innocentiâ auditâ, nec cognitâ, statim suspendio damnavit; nec ullâ morâ suspenditur ad arborem infelix, & innocens homo, qui tamen omnem suam fiduciam in B. V. Annunciatam resignavit; pendens igitur integro die usque ad diluculum sequentis, tanquam mortuus à satellitibus derelictus, B. Virginis beneficio, prout ipse retulit, laqueo confracto redivivus in terram absque ullâ corporis læsione, ab alto decidit, qui statim Florentiam perrexit, & unà cum eodem capistro votum, quod spoponderat, devotissimè persolvit.

27 Tiberius Blandolinus Mediolanensis miles strenuus, dum in quodam conflictu rem bellicam audaciùs quàm par fuisset proprio marte exerceret, ictum gravioris sclopi ignei in faciem accepit, cujus percussione in terram elisus, & à militibus in tentorium deportatus, mortem continuò expectabat, nam Chirurgus eâ vultûs deformitate perterritus, nihil se sperabat humanâ arte in eum proficere; quandò magnanimus miles die sequenti dum funus parabatur, Gloriosæ Annunciatæ præsidium intimis præcordijs impetravit, nam eâdem horâ, quâ Medici ipsum expiraturum prædixerant, aliquantisper sese intetiùs tecreari, & meliùs habere præsensit; quare Medicis rursus accitis, non multò post ijs ipsis miraculum attestantibus, & de ipsâ vultûs deformitate, atque infirmitate convaluit, protinus soluto, quod suâ mente conceperat, voto.

28 Mariottus Juliani Meleti, vir æquè animi, ac corporis robore præstans, & maritimis præcipuè congressibus fortis, & audax non fuit aliquando veritus primarium vexillum Alphonsi Neapolitani Regis, dum Populon à obsidebat, è supremâ Triremi auferre, & in faciem hostium contumeliosè varias in partes proscindete; cumque apud Florent. summum ex tanto facinore gloriam assecutus fuisset, & jam in ordine militari conspicuus fieret, aliud consimile facinus adhuc forat aggressus, quando incautus in hostium manûs incidit, qui prioris iniuriæ, non immemores, Mariottum flammis vivum damnarunt; quamobrem in proximo nemore ad arborem ligatum, & aridis lignis circumseptam, ignibus devorandum tradunt: verùm Mariottus extremo illo in discrimine, quam diu coluerat, Annunciatæ Imaginem propitiam sibi quoque adesse præsensit: nam flammis hinc inde præter ordinem naturæ ab invicem separatis, nec corpus ab ipsis lædebatur, nec virilis militis animus deterrebatur, quin potius in ministros illos flammæ effundebantur; idcirco adstantium omnium *Miraculum*, *Miraculum* proclamantium, consilio, & judicio decernitur, ut Mariottus flammis absque illius offensâ extinctis Annũciatæ meritis liber dimittetetur; qui tanti beneficij non immemor, proprium illius prodigij exemplum, cum suâ imagine ad gloriam Dei Genitricis in ipsius Templo apponi curavit.

29 Paris quoque roboris, & virtutis in re bellicâ existimabatur ijsdem ferè temporibus vir quidam nomine Sinus, qui quantum genere, & agresti Patriâ obscurus habebatur, tantùm gloriæ varijs in prælijs sibi comparaverat. Is in quodam conflictu contra Aragonenses Reges dimicans, & ab adversarijs captus jamjam fuerat morti damnatus; cumque ad patibulum duceretur, hæc verba sepe reliquis audientibus repetebat: O *Santissima Annonziata di Firenze, prendi cura di me, e porgemi ajuto*; quibus sanè vocibus perculsus adstantium militum animus, continuò severitatem, & indignationem omnium non modò demulsit, verùm etiam, ut captivo illi indulgeretur, adeò mentes commovit, ut una omnium repente vox erumperet, *Salvetur Sinus*, *salvetur Sinus*, *ob reverentiam Virginis Annunciatæ*; quare absolutus, & liber dimissus Florentiam protinus ad Matrem Gratiarum confugit, & in signum recepti beneficij propriam ibi reliquit imaginem.

30 Maximâ reverentiâ coluerat à teneris annis Marcus Cambinus Pistoriensis Imaginis Annunciatæ nomen, & simulacrum, nec ulla fine ipsius devotâ invocatione fuisset ab eo prætermissa dies, quare invasus aliquando à plurimis inimicis, pavidus, & inermis quinquaginta vulneribus usque adeò trucidatur, ut triginta quinque ictibus caput, & facies tota deturparetur: in tantâ igitur, & tam gravi angustiâ vitæ constitutus infelix Marcus, corde tantùm præsentem calamitatem advocatæ suæ Virgini Annunciatæ cõmendabat, cujus tandem speciali favore admirantibus cunctis, & certum, verumque prædicantibus miraculum, convalescere meruit, & Imaginem toridem gladijs, & vulneribus confossam, ad perpetuam rei famam in Templo Annunciatæ obtulit.

31 Franciscus de Monte Murlino, apud Castrum novum non procul à Tortonâ, falsò accusatus de quodam capitali crimine, & per satellites captus ad examen, cùm esset viribus imbecillis, atque pusillanimis nõn valuit equulei tormenta perferre; quare ejusdem criminis, quod nequaquam perpetraverat, reus ex propriâ confessione judicatus, ad patibulum sustinendæ mortis nullâ interpositâ morâ damnatur; sub securi igitur obtruncandus Franciscus, multis lachrymis suam innocentiam sub Beatæ Virginis tutelâ cunctis audientibus commendabat, quando carnifex extremum justitiæ officium exequens, gladio cordulam, ponderosam securim super ejus collum sustinentem præscidit, quæ tamen præcipiti cursu cadens super collum ejus, ac si ab aliquo præpediretur, nihil nocumenti miserrimo Francisco attulit: hoc viso miraculo adstantes salutem misero damnato publicâ vociferatione poscebant; unde speciali Dei-

paræ beneficio causâ Francisci diligentiùs inspectâ, innocens ab judicibus deprehensus, E liber ab omni calumniâ, & à vitæ periculo dimittitur, qui tam præcipui favoris non immemor, statim Florentiam proficiscitur, ut Virgini Annunciatæ quas poterat gratias, & dictis, & factis propriâ hujus miraculi imagine oblatâ referret.

32 Gerardus Joannis ab Austriâ vir cui tobur & furor simul arma audacter ministrabat, multos suâ feroci immanitate contra se provocaverat, adeo ut die quâdam à plurimis, communi consilio ferocem Gerardum è medio tollere decreverant, agmine facto invaderetur, à quibus dum se viriliter defendere contendit, ab altero illorum tam gravi, & lato vulnere in ventre confoditur, ut diffluentibus intestinis & excrementis, alvo aperto, cadens in terram, mortuus ab ipsis fugientibus crederetur; inde tamen super loculum F asportatur, incessanter Virgini Annunciatæ moribundum corpus, & animam commendabat: jam enim medicorum judicio omni desperatâ salute funus parabatur, dum miser homo anteactæ vitæ crimina deplorans, & militaris audaciæ pœnitens, totusque in Deum conversus votum vovit suam præteritam consuetudinem, si vita ei superesset, in Beatæ Virginis Obsequium mutaturus; itaque voti compos, cum è tam gravi periculo evasisset, quod reliquum vitæ fuit, armorum sepositо usu, mansuetudinem, modestiam, cum sui dejectione, semper prosequutus fuit, & de tanto beneficio Matri gratiarum Annunciatæ pia officia, & oblationes cum propriâ imagine persolvit.

33 Quatuor imagines ad prototypum referentes quatuor mulieres à spiritibus immundis vexatas, & à divâ Virgine Annunciata liberatas eodem in Templo conspiciuntur, nam in oppido Capitonis de Balneo erat domus quædam, in quâ diabolus cum tribus satellitibus sese fortiter communierat, & vires suas super matremfamilias nomine Sylvagiam (Vaggia dicunt Etrusci) ac super duas filias ejus, simulque neptem acriter exercebat, nec ullum super energumenas illas, quin vehementer à diabolo torquerentur, poterat adinveniri remedium; quare maritus Sylvagiæ, nomine Julianus, talem suæ domus jacturam ægerrimè ferens, illius præsidium fore implorandum censuit, quæ sola dæmonis caput conterere meruit: ad Virginem Annunciatam igitur confugit, & citato cursu totam illam familiam ad Annunciatæ fores, Florentiam adducit, cujus vestibulum vix tetigerant vexatæ illæ fœminæ, quando maligni illi spiritûs omni conatu gestiebant earum ingressû ab eo sacello avertere; vicit tamen eorum nequitiam misericordiæ Mater, ad cujus Imaginem prostratæ mulieres, protinus liberari meruerunt.

34 Simultates, ex intestino odio inter Sebastianum ex Oppido Campillæ ad Tuniatum montem cum suis adversarijs, eo consilio E sedare Magistratus Reipublicæ Florentinę tentaverat, ut nemo illorum per temporum inducias, datis utrinque vadibus, alteram partem lædere præsumeret; hoc nihilominus non obstante decreto, septem viri adversariæ partis diabolico furore perciti, Sebastianum inermem oblatæ fidei possessorem atroci animo invadunt, & lethali trium vulnerum pugione confodiunt, quin & cadenti, & penè morienti utramque oculorum pupillam crudeliter eruunt; quare infelix Sebastianus, & oculis orbatus, & vitâ ferè defunctus, mentis aciem in Beatissimam Dei Matrem Annunciatam adeò ferventer dirigit, ut quod ars, & natura non potuisset, id sibi à Mariâ Virgine cumulatè concederetur: moribundo enim, & vulneribus, vitâ, & oculis orbato, F lux priore clarior in uno oculorum, simul & semel restituitur, quemadmodum preclarè indicant monumenta cum propriâ imagine eodem in Templo Annunciatæ suspensa.

35 Martinus de Nigro à Luco Mugellani Agri ab inimicis ex condicto invasus (novem erant contra unum) multis, iisque gravissimis vulneribus toto corpore discerptus, jamjam agebat animam, nec vivere poterat; quando Gloriosæ Dei Matris, quam intimis præcordijs invocaverat, auxilium opportunè sibi adesse præsensit, dum brevi è tam gravi discrimine se prorsus liberatum agnovit.

36 Exagitabatur frequenter mulier quædam nomine Angela Joannis Politianensis ab incredibili malignorum spirituum numero, qui sæpè discerpebant illam, quo minùs G officia naturæ exercere posset, inde & jugi vesaniâ debacchari videbatur, quin & maligni illi spiritûs plerumque ei illudebant, ferè suffocabantque miseram obsessam; verùm cùm die quadam nequissimi illi spiritûs ad horam recessissent, Angela in se reversa multis lachrymis calamitatem suam Beatissimæ Virgini Annunciatæ commendavit, vovens se illius Templum Florentiæ adituram, si à nefarijs illis dæmonibus liberaretur; vix talia protulerat Angela, quando insurgentibus malignis illis spiritibus gravissimè vexata fuit, donec exanimis in terram cadens veluti mortua lugebatur à parentibus; sed non modicâ interpositâ morâ, surgens è terrâ, prorsus liberatam fuisse testata fuit, & illicò, quod voverat, libenti animo persolvit.

H 37 Vir strenuus, & bellicę gloriæ percupidus, Bernardinus Antonii de Insulâ Sardiniæ, quæ antiquis Ichnusa dicta fuit, cùm sibi in proprio solo fortuna adversari ob invidentium æmulationem prospiceret, quò minùs militares honores pro sui animi magnitudine assequeretur, Sardiniâ relictâ, trajecto Ligustico mari, primùm Genuam appulit, deinde Mediolanum se contulit, ubi ex assiduis prælijs sperabat suum robur, & militarem virtutem facilè cognosci, atque remunerari posse, quod & ei actu tùm ex sententiâ contigisset: cogni-

cognitâ enim Bernardini virtute, inter gregarios milites continuò fuit honorificè adscriptus; verùm cùm in primo militari congressu manûs cum hoste conferere debuisset, Bernardinus adeò ferociter, & audacter inter confertos armatos insiluit, totusque sese proripuit, ut brevî ab hostibus circunfusus, à tergo vulneratus, mox truc datus, in terram confossus cecidir, atque in proximaoı foveam tanquam mortuus nocte superveniente projectus fuit, extremus tantùm Bernardinn supererat emittendus spiritus, cùm ei succurrit de tot celebratis per præcones Evangelij admirabilibus Annunciatæ de Florentiâ, cui sese totum devovens, statim sibi propitiam tam admirabili modo præsensit (id enim aperto ore passim, & ubique attestabatur) quòd apparens sibi Gloriosa Dei Mater, & propriâ manu singulas vulnerum rimulas tangens, singulas quoque, cicatricibus obductis, eâ in nocte sanavit; unde Bernardinus diluculò ex foveâ illâ assurgens sese totum ab inflictis vulneribus prorsus sanatum agnovit, & ut de tanto beneficio Virgini Annunciatæ gratias rependeret, Florentiam profectus fuit, omnibus palam faciens, quod sibi miraculum ex podalyriâ Virginis manu accidisset, de quo etiam memorandum trophæum suæ imaginis eodem in Templo dicavit.

Hæc igitur, & ampliora multa tum numero, tum magnitudine admiranda signa. si quis Annunciatæ delubrum inviserit, facilè poterit & laquearia, & parietes ipsos propriis oculis rimari, & ex ipsis appositis tabellis legere, quæ quàm grandia, quàm obstupenda, quàm innumerabilia sint, sequens descriptio metrica ejusdem Prosperi Tatij facilè attestati videtur.

Postibus è magnis dependent diruta motu
Oppida terrifico, atque urbes, montesque superbi.
Demissas intus cernes hinc inde catervas
Pontificum, Regumque, Ducûque effundere vota.
Ac genteis cernes, misit quas barbara tellus,
Confugere ad vota, & pronas exposcere numen.
Dependent sacris cæci, mutilique columnis.
Erepti pendent ursis, pendentque latrone
Immani obsessi, turpi fatoque propinqui.
Ense hic nec desunt affecti vulnere tetro,
Damnati hic capite, sævis strictique cucullis,
Addicti æternis vinclis, trucique triremi,
Huc huc confugiunt, nec cassa in vota feruntur.
Solliciti hic nautæ, oppressique è fluctibus atris
Auxilium implorant mœste, Divamque precantur.
Ac dum persolvunt reduces pro munere grates,
Suspendunt votas naveis, ac naufraga vela.
Ægri hinc, ò pietas ingens, solamina captant,
Seu cum lethali solvuntur corpora febri,
Aut misero in partu mulier tonat æthera fletu.
Hic fiunt steriles optatâ prole parentes.
Auris surda capit ferientes aera voces,
Ac neque lingua caret cupido sermone, pedesq;
Officio utentes repetunt vestigia tuta.
Nullus & huc se fert frustra, quin gratia dia
Omnibus usque patet, cupiunt qui regna salutis.

Duplex Imago B. Virginis Patavij, & Beneventi, necnon florentissima primariæ notæ præconum juventus Ord. Servorum celebratur. C A P. XV.

PAtavinum Cœnobium, etsi multis nominibus conspicuum, quòd eo in florentissimo studio multi evaserint viri præclari, & doctrinâ illustres, speciali tamen gloriosę Virginis Simulacro, quod unà cum fundamentis ejusdem Cœnobij ab antiquâ Carrariensium stirpe prodierit, prę-clarissimum semper extitit. Id temporibus elapsis multa demõstrando mirabilia, quibus Altissimus ostendit suæ Matris celsitudinem, & gloriam; quæ quamvis innumerabilia ferè Patavinę genti miracula, & gratiæ fuerint, libuit tamen ex multis parva hæc in testimonium aliorum, prout .t. accepimus, memoriæ mandare.

Miracula B. M. V. Patavij

D. Prudentiana Tridentina filia D. Vincentij, cùm per duodecim annos contracta fuisset in cruribus, itaut non posset sine ligneis fulcris incedere; hujus autem infirmitatis occasionem fuisse dixit ex desperatione, quòd Pater ejus illam graviter verberasset, unde & Diabolum invocavit multoties, quo facto cognovit statim suum corpus flammâ quâdam quodãmodo comburi, & extinctâ flammâ sese contractam, ut supra, sensit, per duodecim annos absque ullo Medicorum consilio, vel remedio, qui Medici fatebantur se infirmitatem illam, ejusque causam ignorare; donec quarundam Mulierum suasione, ut huic Virgini votum voveret; quo facto, & sacrâ communione sumptâ sub die tertiâ Junij in Sabbato, cum in eâdem Ecclesiâ ad Missam obdormisset, adfuit sibi quædam Mulier illam expergisci faciens, dicens: surge, quia elevatur Sacramentum; quæ illicò expergefacta, & respondens, non possum: sibi auxilium ab eadem Muliere polliceri audivit, & statim se sanam ex integro agnovit, surgens & gratias agens coram Populo abiecit ligneas cruces, & sic confessa est coram Domino Aloysio à Sole, qui erat unus ex deputatis Præfectis super his miraculis per Magnificam Communitatem Patavij.

Gasparinus filius Nicolai . . . . . . Mercatoris, & D. Lauræ cæcus à nativitate annorum quinque voto per parentes facto visum recepit die tertiâ Junij ejusdem anni 1559.

Adriana filia D. Catharinæ uxoris Marci Biogoni annorum octo de Villâ Vicirovedæ, cùm casu quodam cecidisset in Puteum profundum aquæ, & cadens invocasset B. Virginem de Paduâ Ordinis Servorum, nec haberet per plures horas, qui illam ex inde educeret, puella quædam duorum annorum, quæ

dicebatur Apollonia quibusdam gestis, & planctu indicavit parentibus casum illius Adrianæ; qui citò accurrentes, & puellam extrahentes, voto facto ad B. Virginem, illam adduxerunt ad Ecclesiam; quæ cum vidisset imaginem B. V. statim alacris, & læta confessa est eandem fuisse Mulierem, quæ illam in puteo associasset, & ab aquarum submersione liberasset, & hoc sub die 24. Junij ejusdem anni.

B.M.V. de Benevento.

Superiori Imagini Patavinæ adjungenda etiam videtur Beneventana .2. ad quam quidem Imaginem ingens populorum ex quibuscunq; Regni partibus fit concursus, cùm Beatissima Virgo ibi sui ipsius merita distribuere dignetur in liberando oppressos à Dæmone, & ab alijs varijs infirmitatibus: cujus etiam opem implorantibus nobis, dum Illius Cœnobij Præfecturam exerceremus ab acutissimæ febris morbo, quo valde periclitabamur, liberati fuimus. Hujus verò imaginis cum eo loco assequendæ Auctor fuit M. Ambrosius de Platinâ, qui cum Neapolitani Regni Præfecturam administraret, eâ in Cathedrali ad concionandum vocatus, tantum suâ facundiâ Beneventani populi gratiam inijt, ut facilè locum illum adipisceretur, prout superiùs ad annum 1556.. Florebant insuper eo tempore, tùm in concionando, tùm in differendo viri præstatissimi. Nam Eusebius Imolensis .3. anno elapso quinto idus Octobris diplomate Apostolico à Paulo Quarto Côcionator Apostolicus confirmatus, ne à quâcunque personâ, cujuscunque conditionis sit, molestetur, seù impediatur. Paulus Ordelaphus generalis Auditor Cameræ Apostolicæ mandat omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Vicarijs, &c. per totum Orbem, ut requisiti ab eodem M. Eusebio, favorem, & auxilium præstent, quotiescunque à Judæis, seù Christianis molestetur, vel impediatur, sed liberè admittatur ad Dei verbum prædicandum toties quoties, &c. & compellant Judæos ad ejus prædicationem, & procurent eleemosynas pro sustentatione, & itineribus ipsius, &c. Tali igitur auctoritate fretus Eusebius, per varias Mundi partes verbum Dei disseminando plures peccatores ad bonam frugem reduxit, probos confirmavit, & multas Hebræorum familias ad veram fidem Catholicam perduxit, præcipuè in Hispaniâ, & Regno Lusitaniæ, ubi à Rege Joanne benignè acceptus persæpè in suis prædicationibus cum totâ Curiâ auditus fuit. Magno etiam in pretio habebatur apud Patres de Congreg. M. Amans .4. de Brixiâ, qui tùm in Concilio Tridentino de Divinâ prædestinatione subtiliter differendo, & facundè concionando, tum Romæ, & per totam ferè Italiam quantùm valeret ipsius eximia doctrina, singulis apertè demonstravit, qui & post se multos suæ doctissimæ disciplinæ sectatores reliquit. Non deerant etiam novella germina, quæ virgineum Agrû exornarent, suisque doctrinis redolerent.

M. Eusebius Ap. Concionator apud Regem Lusitaniæ.

M. Amans de Brixiâ.

M. Hieronymus Brunerius .5. de Casellis, quem D. Baccodius apud Ducem Sabaudiæ Apostolicus Nuncius Prædicatorem Apostolicum præfecerat, contra Hæreticos, & præcipuè Hugonotas in Vallibus Galliæ adjacentibus: M. Cornelius Coradinus .6. de Bononiâ, qui cùm græco eloquio plurimùm valeret, in Græciam his temporibus ad explicandum Dei verbum profectus fuerat. Per Italiam verò Evangelium summâ cum gloriâ in primarijs Ecclesijs explicare cœperant Hieronymus Florentiola de Florentiâ, Benedictus de Burgo S. Sepulchri, Felicianus Narniensis, Andreas de S Bernardo, Alexander Zanius de Scandiano, Andreas de Burgo S. Sepulchri, Raphael Maphæus Venetus, Eliseus de Biffolis Flor. Nicolaus Alphanus de Perusio, Joannes Maria Capella, Hieronymus Quainus de Paduâ, Bartholomæus de Seravizzâ. Hippolytus Zafaleonius Ferrariensis, Cyprianus de Brixiâ, Gaudiosus de Perusio, Lucas Machiavellus de Bononiâ, qui græcâ latinâq; eloquentiâ multùm valebat, Michaelangelus Naldinius de Florentiâ, Angelus Maria Torsanus Ariminensis, Dionysius Caballus de Butrio, cujus eximiæ doctrinæ testimonium inter cæteras ejus elucubrationes est expositio in Quartum Sent. quæ in Bibliothecâ Florentinâ asservatur, Archangelus Bruscolo, & Jacobus Tavanthius Florentini; sed de his Junioribus plura Deo dante suis locis. Verum cùm nunc occurrat ad seriem nostræ historiæ calamum revocare, Patres de Congreg. habentes sua Comitia Conioli confirmant suum Vicarium eundem Mag. Jo. Antonium .7. Vallotum. Paulus autem Quartus .8. in gravem morbum prolapsus in decrepitâ ætate 15. Kalen. Septembris obdormivit in Domino. Fuit hic Summ. Pontifex vir religiosissimus, & in administrandâ Rep. Christianâ optimæ, & sanctissimæ mentis, nisi gravis ætas, & infirmitas suis sanctissimis cœptis obstitisset; tanti refert in quę tempora, vel optimi cujusque virtus incidat. Viros autem religiosos quantùm amaverat, tantùm irreligiosos Apostatas exorruit, in quos etiam per Ecclesiasticas censuras acriter animadvertit, ut unusquisque eorum ad Claustrum, & pristinam obedientiam reduceretur. Hunc Sanctissimum Pastorem non multò post sequutus est Hieronymus Dandinus .9. Protector noster, quem gravi morbo oppressum cum consueto Conclavi exire domum oportuit, ubi brevi ante Pontificis electionem interijt pridie nonas Decembris, ad Ecclesiam sui tituli appositus, & honorifico sepulcro tumulatus cum sequenti epitaphio in marmore.

M. Hieron. de Casellis

M. Cornelius de Bononia.

M. Hieron. Florêtiola, & permulti.

Hieronymo Dandino Cæsenati S. R. E. Cardin. hujus Ecclesiæ Titulari, & Ordinis Protectori, Anselmus Protonotarius Apostoli-

cus

cus, & utriusque signaturæ Referendarius Patruo optimè merito annuo redditu Fratribus assignato, ut pro ejus anima pridie nonas Decemb., quo die obijt, anniversarium celebrent 1559. ætatis 50.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

1 EX authentico M.S. pergameno in Conv. Patavij sub die 18. Junij per varios Notarios registrata.
2 Ex Pocciant. & ipso Auctore.
3 Bulla habetur in Archivo Conv. Bononiæ.
4 Ex monum. Conv. Brixiæ, & ex ipso Concilio Tridentino.
5 Ex Cathalogo Virorum illustrium de Summaripâ per F. Gregorium Alasiam editum Carmagnoliæ ann. D. 1612. in Capitaneo Bernardino Gallinâ.
6 Ex varijs Generalium Regestis de Concionatoribus.
7 Auctor in assignando Capitulo Cogreg. Pocciantium non sequitur, sed versoribus S. Mariæ in viâ monumentis, & Vicariorum Cathalogo inhæret.
8 Ex Alphon. Ciacc. in Paulo Quarto.
9 Circa Dandinum Card. animadvertendum, quòd quidam varijs ipsius titulis decepti, plures eodem ferè tempore Protectores in medium afferunt; nam propter familiam dicebatur Dandinus, propter primum titulum Card. S. Matthæi, novissimè tandem tit. S. Marcelli.

NOTÆ.

[NOn injucundum erit, & importunum Apostolicum Diploma pro Eusebio Imolensi, de quo hic nu. 3. per extensum inserere, quod est sequentis tenoris.

PAULUS Quartus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Eusebio de Imolâ Presbytero Imolen., in S. Theologiâ Magistro salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm à Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officij nostri ad debitum perducatur effectum. Sanè pro parte tuâ fuit propositum coram Nobis, quòd aliàs fel. recordationis Paulo Papæ III. Prædecessori nostro exposito, Te S. Theologiæ Magistrum existere, Prædecessor noster de tuarum Literarum scientiâ, aliarumque virtutum tuarum meritis informatus, Te in Apostolicæ Sedis Prædicatorem, & sub illius Protectione recepit, & aliorum Apostolicorum Prædicatorum numero, & consortio favorabiliter aggregavit, tibique, ut in quocunque loco de Locorum Ordinariorum licentiâ Verbum Dei etiam coram Hebræis utriusque sexus, cum facultate compellen-
A *di hebræos ipsos ad interessendum prædicationibus tuis, prædicare, ac Lectiones in sacrâ Paginâ, & sacrâ scripturâ ubique legere, interpretari, & docere, omnibusque, & singulis Privilegijs, prærogativis, favoribus, gratijs, & Indultis, quibus alij Apostolicæ Sedis Prædicatores de jure, vel de consuetudine, aut aliàs utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere posses, & valeres concessit, & nonnulla alia tibi indulsit, prout in Literis Apostolicis desuper confectis latiùs, & pleniùs dicitur contineri. Quæ omnia pro illorum subsistentiâ firmiori Apostolico à Nobis petijsti munimine roborari: Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati concessionem, Indultum, & omnia alia in præfatis Literis Apostolicis desu-*
B *per confectis contenta, & inde sequuta quæcunque, licita tamen, & honesta, rata, & grata habentes, ea omnia, sicut piè, & providè facta fuerunt, & in illorum pacificâ, vel quasi possessione ea exercendi existis, Apostolicâ authoritate confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, & communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo quin-
C *quagesimo octavo quinto Kalendas Octobris, Pontificatûs nostri anno quarto.*]

A. de Avila.

Varia Ordini Servorum de novo concessa referuntur Loca, & Induita.
CAP. XVI.

[AB anno usque 1556. ad 1560. Ordini Servorum de novo addicta referenda Nobis occurrunt Loca ex Regesto Generalium potissimùm petita, nimirùm D. Annunciatæ de Viciâ in Diœcesi Astensi, quod est Oppidum DD. Comitibus de Rotarijs subjectum, quorum maximè
D beneficentiâ dono datus, ac deinde eorundem necnon Patrum ibi degentium studio Locus hic noster circa hæc tempora restauratus, & Bonis immobilibus longè meliùs instructus fuit, quo circa ad annum circiter 1557. eundem referendum censuimus, quem tamen longè antiquiorem esse, & Ordini nostro concessum longè antea non dubitamus, etsi veram ejus originem consequi minimè licuerit, ex quo propter Bellicos tumultûs, & militum depopulationes monumenta quæcunque perierint. Locus quidem in edito Colle positus peramœnus est, & solitariæ vitæ ducendæ aptissimus, quem proinde Angelus Maria Montursius Generalis solitudinis valde

Conv. D. Annunciatæ de Castilione Viciæ.

valde studiosus, ut notissimum est, & ad annum 1600. meliùs constabit, consequentibus annis Invisens plurimùm commendavit. Prædicti DD. Comites Locum hunc, & PP. ibi degentes eximiâ benevolentiâ prosequi consueverunt, ibique sepulcrum cum illis commune habere non dedignantur. Eodem pariter anno 1557. relatus apparet in Diarijs S. Mariæ in viâ de Urbe P. Joseph de Monte Rotundo Prior Conventûs S. . . . . de Maliano in Sabinis, de quo nil aliud exploratum habemus. Anno autem sequente 1558. Ordinis nostri Patres Aquenses Locum de novo adiere, cui Titulus erat S. Antonij Aquarum Sextiarum Patroni in mediâ ferè Urbe situm annuentibus Consulibus illius Loci Rectoribus, ex quo dirutus jacuit Locus alter longè opulentior, quem extra Civitatem tenebant, de quo diximus ad annum 1517. cui Titulus erat D. Annunciatæ, quem novo etiam huic Loco apponere sibi gloriosum putarunt. Hæc sanè Ecclesia valdè celebris est ob insignem quandam B.V. Imaginem Infantibus maximè propitiam; pluries enim contigit, ut Infantes ex utero matrum emissi mortui, ante sacram hanc Imaginem expositi ad vitam revocarentur, ac tandiù lucis hujus usurâ fruerentur, quandiu sacro Baptismate abluti Divinæ Gratiæ compotes fierent. Ibi quoque varia exercentur Religionis Officia, quò frequens fit Populorum concursus, præsertim verò cultus Dolorum B.M.V. instituta sub ejus Tit. Societate. Quâlibet enim primâ Dominicâ mensis publicæ venerationi exponitur venerabile Sacrę Eucharistię Sacramentum post celebrationem primę Missæ, quæ solemniter cantatur de SS. Corpore Christi; ante meridiem verò benedictione Populo collatâ deponitur, sed iterum ad Vesperas exponitur; quibus solemniter persolutis circumfertur per Urbem processionaliter Argentea B.V. Septem Dolorum Imago, cantantibus de more Patribus Planctum B. M. V. *Stabat Mater*, qui cæteroqui Litanias quasdam olim cantabant ritu speciali compositas, prout fertur à P.M. Gabriele Provenzali, qui cultum hunc primò ibidem promovit. Postquam verò Ecclesiam omnes redierint, benedictione iterum SS. Sacramenti populo collatâ, ipsum reponitur, & ita sacra functio completur, quod planè mris esse in singulis Ecclesijs Provinciæ nemo non novit, publicæ nimirùm venerationi SS Eucharistiam exponere, tum mane usque ad meridiem, tum iterum ad Vesperas usque ad Solis occasum, quibus diebus Festum aliquod recolitur solemniter, vel aliud quodcunque Religionis opus exercetur, quò populi certatim concurrere consueverunt. Loci hujus Fabricę promovendę non defuere, qui larga prębérent subsidia. Pręterea Balthassar de Getent ex Aquis Sextijs oriundus Archiepiscopus Ebroduni in Delphinatu ob singularem in Ordinem Servorum affectum Testamento legavit,

Conv. 2. D. Annunciatæ ad Aquas Sextias.

E ut Sacellum in eo Loco ædificaretur, in quo prior fuerat Conventus, & pię ejusdem Foribus Ordinis nostri Stemma exponeretur, ne veteris illius Conventûs unquam periret memoria, quod planè Sacellum anno 1555. PP. nostris annuentibus extructum fuit eâ lege, ut eorum juris esset, ibique prò libito ijdem Missas, & Divina Officia celebrarent, quæ quidem omnia constant ex Instrumento publico habito inter Patres hujus Conventûs, & Nepotem prædicti Archiepiscopi Hæredem in Archivo eorundem Patrum asservari. Cæterùm novus hic Conventus intra Mœnia Civitatis consequenti seculo iterum fermè à fundamentis excitatus fuit, ac pluribus commodis instructus operâ potissimùm, ac studio eximij P.M. Germani Sardo, quem egomet

F probè cognovi. Haud procul ab Oppido Montis Fani in Diœcesi Auximi extra Portam dictam *la Porticella* Ecclesia quædam antiquitùs erat B. Virgini consecrata, in Loco quodam dicto *Ginestreto*, in quâ Divina peragebat Mysteria, tanquam Capellanus, Sacerdos quidam Ordinis nostri nomine Julius de Guardinis de Mantuâ. Cùm autem anno 1558. inde recessisset P. Julius, ut Ordinis sui Claustra repeteret, Communitas Montis Fani in unum congregata die 19. Augusti ejusdem Anni hujus Ecclesiæ Cultui consulere volens, unanimi omnium consensu eandem liberè concessit eidem Ordini, ad hoc ut ibi duo saltem Sacerdotes, & alter è Fratribus Conversis degerent, necnon singulis biennijs

Conv. S. Mariæ de Ginestreto.

G aliquis ex eodem Ordine Quadragesimales Conciones in eodem Oppido haberet, quibus omnibus opportunè consuleret annua quædam subsidia erogando. Patres ergo Locum hunc coluere, ibique societatem erexere nedum Habitûs B.M.V. Dolorosæ, annuente D. Cardinali Gallo Episcopo Diœcesano, verùm etiam alteram sub Tit. SS. Trinitatis, ac denique tertiam sub Tit. S. Rochi. Paulatim quoque Cœnobium construxerunt pluribus Patribus excipiendis accommodatum, Communitate jugiter subsidia quædam tribuente. Verùm ob notissimam Innocentij X. Bullam *Instaurandæ*, inde recedere coacti fuere PP. anno 1652. quantunlibet Communitas habitâ publicâ deliberatione annuos polliceretur proventûs, qui quatuor Sacerdo-

H tibus, & duobus Fratribus conversis alendis satis esse possent. Cùm ergo recessissent inde Patres, sicut ex alio eorundem Conventuum recesserant ob eandem rationem PP. Tertij Ordinis S. Francisci, cui Titulus erat S. *Maria del Soccorso* extra Portam, quæ respicit Maceratam, utriusque Loci proventûs de mandato S. Congregationis ab Episcopo Diœcesano aggregati fuere, prout constat ex Instrumento de quo rog. fuit die 18. Novembris 1653. Ser Joannes Marius Arrigoni Cancellarius Episcopalis Auximi, Monasterio erigendo Monialium quarundam sub regulâ S. Bernardi expensis Communitatis. Verùm

rùm anno 1672. cùm adhuc Monialibus hisce eò recipiendis plura deessent, Monasterium ipsum eadem Communitas Ordini Servorum concessit, quemadmodum fusiùs dicendum Nobis erit ad annum 1673. Anno deinde 1559. apud Monticulum Rhegij in Ditione Mutinensi reparare damna cœperunt PP. elegantis illius Conventûs, quem ibidem ab anno usque 1487. Ordo noster tenuerat, quæ eidem illata fuere à militibus præsertim Hæreticis, cùm inter Mutinæ, & Parmæ Duces gereretur Bellum anno 1557. Quòd autem lachrymis perpetuò prosequi necesse erit, utpotè irreparabile damnum, illud est, quòd Hæretici milites Ædiculam solo æquarunt, in quâ servabatur Ulmus admirabilis, de quâ superiùs ad d. annum 1487. & Ulmum ipsam cum Tabellis quibusque votivis, & quidem plurimis, ibidem appensis radicitùs eversam in cineres redegerunt, Christifidelium pietatem erga B. Virginem ejusque mirabilia despectui habentes, & irridentes; ex quo factum est, ut eorundem Christifidelium pietas aliquantulum deferbuerit, quâ B. V. ibidem prosequebantur. Verum tamen est, quòd procedente tempore PP. sicuti paulatim Ecclesiam, & Conventum iterum à fundamentis excitarunt, ita & Sacram illam Ædiculam instaurarunt, in quâ Ulmus præfata servabâtur, ibique Altare iterum erexere, & Statuam ligneam B.M.V. Filium Jesum inter ulnas gestantis, efformandam curarunt, & pristinam ejusdem Virginis apparitionem, de quâ ad annum 1487. expressam, Christifidelibus iterum colendam proposuere. Recensenda demum hisce temporibus occurrunt pauca quædam alia Loca Ordini nostro concessa, Oratorium scilicet in primis sub Titulo S. Mariæ de Valle Capitis Fluminis, quod Patribus nostris S. Georgij de Bononiâ dono dedit hoc anno cum aliquibus Terræ jugeribus Mense Octobri D. . . . . . de Bentivolijs, ubi statim præfectus fuit perpetuus administrator P. Patiens de Mantuâ, cujus ergo donatas Ordini fuit, quem tamen non diù tenuit, quemadmodum ad annum 1570. dicendum nobis erit. In Regesto autem Generalis Joannis Baptistæ Milliovacca recensentur anno sequente 1560. Conventûs S. Mariæ Farnesij, & Conventus S. Mariæ de Varano. Ad annum 1542. in Regesto Generalis Augustini relatus, Conventui Parmæ unitur; quo pariter anno Ordo noster recepit Locum alium sub Tit. S. Mariæ Montis Acuti medium inter Civitatem Astensem, & Summamripam, quem tandem ob varia Bellorum discrimina, & incommoda deserere coacti Patres fuere.

Reparātur damna Eccl. & Conv. de Monticulo Rhegij.

Oratorium de Valle Capitis Fluminis

Conv. S. M. Farnesij, S. M. de Varano, & S. M. Montis Acuti.

Recepit, & alium in Insulâ Corsicæ sub Titulo S. Mariæ Gratiarum *di Belgodere*, sive *di Balagna* sub Episcopatu Marianensi, & Ajacensi, quem ab anno usque circiter 1542. constructum coluere PP. Capuccini, exactis autem quindecim annis deseruere. Hunc subinde illius Oppidi Communitas Ordini Servorum liberè possidendum tradidit, ejusdem Patres perpetuò sustentandos pollicita, ijque ipsum habitare primùm cœperunt anno 1560. à quo tamen cum post plures annos recessissent ob annonę fortasse defectum, eundem rursus postliminio repetere decreverunt anno circiter 1590. quem etiam instaurarunt, amplificarunt, & Ecclesiam exornarunt, & ob venerationem erga Dolores B. Virginis illustriorem fecere.

Conv. S. M. Gratiarū di Belgodere sive di Balagna in Insulā Corsicæ.

Summo Pontifice Paulo IV. anno 1556. Moniales quędam Ord. S. Dominici in Monasterio S. Mariæ Magdalenę eo tempore degentes extra Portam Saragotiam Civitatis Bononię, Civitatem eandem ingressæ Ecclesiam fortè adiere S. Joseph in Galierâ, quam Patres Servorum tenebant post bis centum & sexaginta circiter annos, à Conventu S. Helenę, ut ibi diximus, eò translati. Cùm autem Sorores istas quidam ex ijs Patribus advertissent Ecclesiam huc, & illuc circumquaque oculis perlustrantes, earum desiderijs occurrere cupientes, unà cum ipsis miscère colloquia cœperunt; inde verò Conventûs interiora subeuntes unà cum Patribus Sorores (tunc enim Clausuræ legibus ipsę minimè arcebantur) plurimum voluptatis ex hujus Loci Fabricâ, alijsque ejusdem commoditatibus se capere dixerunt. Cùm verò ad propria repetere illis libuit, quęcunque ibi viderant Consororibus apud Saragotiam nunciavere, quę statim incensę desiderio Locum illum assequendi, & proprium ijsdem Patribus concedendi, lapidem omnem moverunt, ut voti compores fierent. Reque ipsâ Patrum sui Ordinis operâ, maximè verò Michaelis Ghislieri Alexandrini eo temporis Romę Commissarij S. Officij, qui deinde Cardinalis fuit, & Summus Pontifex Pius V. appellatus, factum est, ut Paulus Papa IV. Monialium votis annuens Literas Apostolicas daret Anno 1559. sequentis tenoris.

Monast. S. Joseph de Bononiā in Galiera Paulus IV. concedit Monialibus S. Mariæ Magdalenæ.

PAULUS PAPA IV.

AD perpetuam rei memoriam. Inter multiplices curas, quibus rerum occurrentium varietate distrahimur, illam libenter amplectimur, per quam Religiosa Loca gubernari, ac status Religiosarum personarum utriusque sexûs accommodari, ipsæque personæ Deo duce securè, ac commodè, & honestè vivere possint. Cum itaque, sicut accepimus, extra mœnia, & Portam Saragottæ, ac in suburbijs Civitatis nostræ Bononię ab immemorabili tempore citra unum Monialium sub invocatione B. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Augustini sub curâ, & Habitu, ac secundùm regularia Instituta Fratrum Prædicatorum de Observantiâ degentium. Et in d. Civitate aliud Virorum sub invocatione S. Joseph Ordinis Servorum B. Mariæ prope stratam Galieræ nuncupatam, & Forum Boarium ritè constructa, & ædificata Monasteria existant, & ia

in utroque quamplurimi d. Ordinis Fratres, & Moniales respectivè Divinis beneplacitis vacantes in humilitatis spiritu, & sub odore bonæ famæ degant, & Altissimo continuò famulentur; Nos attendentes Monasteria Monialium, & Moniales ipsas propter sexûs fragilitatē in illis cum honore, & sanctimoniâ conservandas majori curâ, & diligentiâ, quàm Virorum indigere, & diversis etiam exterarum nationum, & Cataphractorum milites irrefrænabili multitudine per Agrum nostrum Bononien. nonnunquam pertransire, et in dd. suburbijs de necessitate hospitari, & aliquandiu permanere. Et propterea ne contingat Monasterium ipsum B. Mariæ Magdalenæ ab ipsis militibus violari, aut eorum occasione aliquid, quod à Religione alienum sit, ibidem evenire, seu Moniales ipsas ob earum fragilitatem ab eisdem militibus seduci, aut illis, ac d. Monasterio iniurias, seu oppressiones, aut violentias aliquas, ac ipsi Religioni dedecus aliquod inferri, sed ut earum honori, & honestati, ac felici successui debitè provideatur quantùm in Nobis est, favorabiliter consulere volentes, motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicę potestatis plenitudine in B. M. Magdalenæ, S. Augustini, & in S. Joseph Monasterijs præfatis Servorum B.M. præfatos Ordines, & easdem Invocationes Apostolicâ auctoritate tenore præsentium penitus, & omnino supprimimus, & extinguimus, ac in S. Joseph, B. M. Magdalenæ, S. Augustini, & in B. M. Magdalenæ Monasterijs præfatis Servorum B. M. Ordinis præfatos erigimus, & instituimus, ac Invocationes hinc inde sint, quòd S. Joseph, B. M. Magdalenæ, & B. M. Magdalenæ Monasteria præfata S. Joseph de cætero nuncupentur, commutamus, necnon B.M. Magdalenæ modernas Priorissam, & Moniales ad S. Joseph, & S. Joseph Monasteriorum præfatorum modernos Priorem, & Fratres ad B. M. Magdalenæ Monasteria præfata cum eorum, & cujuslibet eorum privilegijs, libertatibus, Reliquijs localibus, paramentis, ornamentis Ecclesiasticis, & alijs bonis transferimus, ac S. Joseph, cui cura dilectorum Filiorum Parochianorum illius Ecclesiæ, quæ etiam Parochialis existit, imminet animarum, cum clausuris, & Altaribus in eo etiam forsan de Jurepatronatûs laicorum etiam Nobilium existentibus, ac omnibus Domibus illi contiguis, & adhærentibus ad illud spectantibus etiam in Emphiteusim perpetuam, seu aliàs per illius Priorem, & Fratres quibusvis personis quacunque dignitate fungentibus concessis, ac horto, seu Viridario d. dilectis Filijs Quadraginta Viris super regimine Civitatis dictæ empto modernis, & pro tempore existentibus Priorissæ, & Monialibus d. Monasterij B. Mariæ Magdalenę, necnon B.M. Magdalenæ Monasteria præfata cum ipsius Monasterij B. M. Magdalenæ Domo Castaldionis nuncupata etiam modernis, & pro tempore existentibus S. Joseph Monasteriorum præfatorum Priori, & Fratribus pro eorum respectivè perpetuis usibus, & habitatione, ac cum alijs omnibus juribus, & pertinentijs, & introitibus suis, exceptis tamen, & seclusis terrenis d. Monasterio B.M. Magdalenæ contiguis, quæ ad modernas, & pro tempore existentes Priorissam, & Moniales, sic, ut præfertur, translatas, prout antea spectabant, & pertinebant, spectent, & pertineant, perpetuò concedimus, & assignamus, eisque, & eorum singulis, ut ad Monasteria ipsa hinc inde cum eorum Privilegiis, Indulgentiis, libertatibus, Reliquiis localibus, ornamentis, & paramentis, ac Bonis præfatis se transferre, & illorum Jurium, & pertinentiarum præfatorum corporalem possessionem liberè apprehendere, & sibi perpetuò remanere. Necnon dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Gubernatori d. Civitatis, ut adhibitis, & sibi assistentibus tribus, aut quatuor Nobilibus Viris de corpore quadraginta Virorum per Amplissimum Senatum dd. Quadraginta Virorum eligendis, & super hoc pro negocio deputandis manu regiâ negotium ipsum quoad æqualitatem valoris fructuum Monasteriorum præfatorum, si super hoc differentiam aliquam oriri contingat, terminare, componere, & ad finem, & effectum debitum deducere; & in eventum, quòd propter aliquod impedimentum prædicta permutatio ad effectum deduci non possit, illam eâdem manu Regiâ in quocunque alio loco cum quacunque, seu quibuscunque personâ, seu personis, Collegio, Universitate, tam Regularium Religiosorum, quàm etiam Secularium, etiam privatarum personarum, cum moderamine tamen æqualitatis pretij, ut supra jacere, ac desuper providere, statuere, & ordinare, ac exequi, quę ad totalem eius deductionem, perfectionem, & absolutionem necessaria videbuntur, respectivè possint, plenariam, & liberam licentiam concedimus. Ipsique Gubernatori moderno, ac pro tempore existenti, ut id modo præmisso omninò efficere deberet expressè committimus, & mandamus, ac curam animarum præfatam ab ipso Monasterio S. Joseph penitus abdicando illam filijs modernis, & pro tempore existentibus Correctori, & Fratribus Monasterij, seu Domûs S. Francisci de Paula etiam Bononien. non longè ab hinc distante, quibus cura dilectorum Filiorum Parochianorum Parochialis Ecclesię S. Benedicti, etiam Bononien. d. auctoritate commissa est, prout illam exercent, exercendam cum honoribus, oneribus, & emolumentis solitis, & consuetis etiam committimus, & demandamus, ac præmissa, & infrascripta omnia, & singula perpetuò inviolabiliter observari debere. Et ita per quoscunque Judices etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate. Necnon si secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane, auctoritate, & tenore præfatis decernimus, & declaramus. Mandantes Correctori, & Fratribus præfatis sub nostrę indignationis pœnâ, ut curam ipsam suscipiant, & Ecclesiastica Sacramenta Parochianis Ecclesiæ Monasterij S. Joseph

sepè hujusmodi ministrent, & Parochiani ipsi ad illos recursum habeant, & eos pro eorum Rectore recognoscant, necnon Ven. F. Episcopo Bononien. seu dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti Vicario Generali in virtute S. Obedientiæ, & etiam sub nostræ indignationis pœnâ, quatenus præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit solemniter publicantes Priorissæ, & Monialibus, necnon Priori, & Fratribus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciat illos, & illorum singulos præmissis respectivè pacificè frui, & gaudere & illa firmiter observari, & juxta illarum tenorem adimpleri non permittentes illos, & illas, aut eorum, seu earum aliquos, seu aliquas quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, vel rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia apportuna Juris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis Processibus, Censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij secularis, non obstantibus præmissis, & si opus fuerit, de non tollendo jure quæsito, & alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Monasteriorum, & Ordinum prædictorum, juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque, indultis Apostolicis, etiam Mari Magno, etiam alijs quomodolibet nuncupatis illis in contrarium quomodolibet forsan etiam motu simili concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, & forsan dissensus, seu consensus defectu Prioris, & Fratrum, seu Priorissæ, & Monialium prædictorum contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, seu divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Nos ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quocunque, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 3. Julij 1559. Pontificatûs nostri anno quinto.

F. de Torres.

Hujusmodi autem Literis consequi id, quod optabant, non potuere Moniales, eò quòd Paulus idem IV. morte præventus die 18. Augusti ejusdem Anni executionem earundem urgere non potuerit. Quin etiam in Pontificatu successor Pius IV. re meliùs consultâ, & Patribus nostris de Bononiâ diligenter, ut par erat, auditis, prædictas Literas revocavit, & districtè præcepit, nequis ullatenus ageret de hujusmodi Conventuum permutatione, prout constat ex dicendis ad annum 1562.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

Quæcunque in hoc Capite referuntur ex eorundem Conventuum monumentis excerpta fuere, & Bulla originalis Pauli IV. apud S. Joseph de Bononiâ asservatur.]

Alterum hujus quartæ Centuriæ librum si quis vel triumphantis Reginæ Cœli Capitolium, seu sydereum gloriæ suæ Cœlum nuncupaverit à recto conscriptarum rerum fortè tramite haud quaquam aberraverit. Nam etsi multa de præclaris illustrium virorum rebus in eo congesta fuerint, potior tamen gloriæ Dei Matris pars hoc in libro recensetur; Cum tot ipsius gratiæ, & intercessionis admiranda trophæa, incipiendo à capite usque ad calcem collecta fuerint, & præcipuè circa Imaginem illam Virginis Annunciatæ de Florentia à qua, veluti à fonte gratiarum, omnis hujus nostri Ordinis gloria processit. Quare hujus libri optima conclusio erit, si tantæ Patronæ nostræ elogia consueta universæ Ecclesiæ persolvamus dicentes, quòd illa suo jugi præsidio sit; Mater omnium gratiarum; Causa nostræ lætitiæ; Vas insigne devotionis; Salus infirmorum; Refugium peccatorum; Consolatrix afflictorum; Et auxilium omnium Christianorum. Amen.

F I N I S.

CENTURIÆ QUARTÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,
AUCTORE
F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO
Liber Tertius.
CONTINENS AB ANNO MDLX. USQUE AD MDLXX.



Alexander Farnesius à Pio Quarto Protector designatur, & in Comitijs Ferrariæ Joannes Baptista Milliovacca Astensis 32 Generalis eligitur.

CAPUT PRIMUM.



AM Pius Quartus, qui antea dicebatur Joannes Angelus Medices Mediolanensis, Cathedram Petri ascenderat, quando de novo Protectore assequendo soliciti erant Patres nostri. Nam Anguisciola Generalis toto marte contendebat, cùm esset patriâ Placentinus, & sub ditione Octavij Farnesij Ducis, ut Alexander .1. Card. ejus Frater nostri Ordinis protectionem susciperet. idem magnopere tentarunt Romæ cum Stephano Procuratore Ordinis Commissarius Congregationis, & Joannes Baptista Calderinus publicus Methaphysicus, & Decanus Pœnitentiariorum S. Petri, qui Farnesiæ familiæ addictissimus, & præcipuus Alexandri familiaris fuerat. Quare Farnesius tot precibus per Apost. literas Romæ datas die 6. Martij desente prop. motu Pio IV. Summo Pontif. protectionem Ordinis nostri libenti animo accepit; eâ tamen lege, ut cùm esset gravissimis sæpe negotijs, vel Legationibus præpeditus .2. Antonius Fachinettus Neocastrensis Episcopus, & ejus familiaris vices suę protectionis quandoque gereret. Unde Religio nostra sub tanto Principe patrono revirescere, ac reviviscere visa fuit. Vix enim protectionem susceperat, quando à Summo Pont. 3. die 23. Martij plenariam Indulgentiam (id enim A tunc non ita facilè concedebatur) pro futuro Cap. Generali, quod Ferrarię statutum fuerat, obtinuit: atque in gratiam Octavij Farnesij Fratris sui Placentiæ Ducis, ut renunciatio Magistratûs Gabrielis Anguisciolę aliquo honesto colore decoraretur, ipsum Pręsidentem Capituli declaravit; & nisi Mazochij Constitutiones obstitissent, ipse etiam Magistratum B eundem illi prorogari curasset, tanta fuerat Gabrielis probitas, prudentia, & gravitas in eo administrando officio, ut summâ cum pace, justitiâ, & tranquillitate integrum illud triennium ab Ordine nostro transigeretur. Convenientibus igitur ex omnibus Religionis partibus, tam Congregatis, quàm Conventualibus, 265. enumerati fuerunt, qui pro C novo eligendo Generali suffragia ferrent die 20. Maij 1560. Competitores ad eundem Magistratum duo deprehensi sunt, Hieronymus Fantuccius de Bononiâ, & Joannes Baptista .4. Milliovacca Astensis, ambo primarię notę, & optimè de suo Ordine promeriti, alter primarius Declamator, alter scholasticus Lector, uterque doctus, uterque facundus, & in D rebus gerendis prudens. Vicisset fortasse ob familię nobilitatem Hieronymus de Bononiâ, nisi tam apertè dum Ferrariam proficisceretur sua consilia pro futuro Generalatu familiaribus socijs propalasset. Quare communis favor, & sors, severitatem Hieronymi Fantuccij

Alexăd. Farnesius Card. Protect.

tuccij declinans, ſuper Aſtenſem ſummo omnium applauſu cecidit. Cum enim Joannes Baptiſta plurimos ſibi tàm diù legendo diſcipulos comparaſſet, & ſuâ comitate omnium benevolenriam inijſſet, facilè ab omnibus receptus. Magno tam Congregatorum, quàm Conventualium applauſu, necnon totius Civitatis Ferrariæ, ac omnium ſtudenrium, qui magnis, & validis clamoribus illum appellabant verum Patrem, Ducem, & Paſtorem torius Ordinis, atque virtutum, Prior Gen. plauſibliirer acclamatus fuir. Procuraror autem in Curiâ electus fuit M. Felicianus Amuccius de Narniâ, cujus Competitor fuit M. Hieronymus Quainus de Paduâ. Diffinirores Generales hujus Capituli fuerunt hi, Mag. Franciſcus de Senis Thuſciæ Diffinitor, M. Hieronymus Fantucclus de Bononiâ Romandiolæ, M. Hippolytus Vigiola de Placentiâ Lombardiæ, M. Laurenrius Mazochius à Caſtrofranco Marchiæ, M. Philippus Mucagatta de Caſtellaccio Genuæ, F. Hieronymus Maillolus de Neapoli Provinciæ Regni, M. Antonius Maria Olivarius de Summaripâ Narbonenſis, & M. Perrus de Juſtinopoli Hiſtriæ. Officiales majores in hoc Capitulo electi fuerunt pro Provinciâ Thuſciæ M. Srephanus Bonuccius de Aretio Socius Prioris Gen. & M. Archangelus Bruſculo de Florent. Provincialis. Pro Prov. Patrimonij Mag. Gaudioſus de Peruſio Socius Prior. Gen., & M. Benedictus de Burgo S. Sepulchri Provincialis. Pro. Prov. Romandiolæ M. Thomas de Bononiâ Socius Prioris Gener. & M. Joannes Antonius de Arimino Provincialis. Pro Provinc. Lombardiæ M. Joannes Paulus de Mediolano Socius Prioris Gener. & M. Joannes Maria de Galeate Provinc. Pro Prov. Marchiæ Tarviſinæ M. Laurenrius de Veronâ Soc. Prioris Generalis. Sed ipſo renuncianre creatus eſt M. Hieronymus de Paduâ, & M. Hieronymus de Ferrariâ Provincialis. Prov. Genuæ M. Hieronymus Placentius de Papiâ Socius Prioris Gen. & M. Antonius Bonus de Summaripâ Provincialis. Pro Prov. Regni Neap. P. Joannes Anronius Rondinus Baccalaureus de Neapoli Socius Prioris Gener. & P. Hieronymus de Neapoli Provincialis. Pro Prov. Narbonenſi M. Anronius Maria Olivarius de Summaripâ Provincialis. Pro Prov. Corſicæ P. Joannes Jacobus de Vineali Provincialis, & pro Prov. Hiſtriæ M. Perrus de Juſtinopoli Provincialis. Inrer alios qui in his comirijs concertariones cathedrales habuerunr ſunr hi, M. Joannes Baptiſta Librantius de Butrio Publicus Bononiæ Mernaphyſicus, Paulus Sanctes de Paduâ Baccalaureus, Hieronymus Ferrus de Piſis, Jacobus Tavanthus, Michael Poccianrius, & Bartholomæus Florentini. Qui demum Ferrarienſium, & Religionis Laudes duplici Oratione in Cathedrali, & Eccleſiâ noſtrâ celebraret, fuit vir ille eloquenriæ alumnus Lucas Macchiavellus de Bononiâ, qui etiam Orationem unam Hippolyto Eſtenſi Card. nuncupatam typis mandavit, aliam verò nulli dicatam. Patres etiam de Congregatione ibidem convenientes M. Primum Reſtam .5. Mediolanenſem ex Priore S. Mariæ in viâ in ſuum Vicarium Gen. eâ lege conſtituunt, ut ſi Sanctitati D. N. Papæ placuerit more Generalium Ordinis ipſe, & ſucceſſores in poſterum per integrum triennium perſeverent, quod & libentiſsimè per Apoſtolicas lireras hoc eodem anno approbatum fuit; & ita cœperunr Patres Congregati de triennio in triennium unà ſimul cum Ordine ſua Comitia celebrare. Hoc eodem anno nullo unquam tempore deficienribus gratijs, & favoribus Virg. Annunc. de Florentiâ, factum eſt, ut nobilis quædam Matrona Bononienſis nomine Margarita integrum decennium cæciratem oculorum æquo animo paſſa fuiſſer, vix emiſerat votum tranſeundi Bononiâ Florentiam ad eam venerandam imaginem, quando repente viſum recuperavit, & ita pedes Apenninorum jugis ſuperatis ad Sacellum Virg. Annunciatæ, votum, quod promiſerat, pio, & libenti animo perſolvit.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1. 2 *EX monum. Conv. S. Mariæ in viâ, & ex Bullâ, quæ habetur in Regeſto Millioàvaccæ Gen.*
3 *Bulla habetur inter monum. Conv. Ferrariæ.*
4 *Singula de hoc capite habentur in Regeſto ejudem Gen. & in m. s. Pocciant.*
5 *Ex Pocciant. in Chron.*

NOTÆ.

[DE Gabriele Anguiſciolâ Viro celeberrimo, cujus hîc fit mentio num. 3. & alibi in his Annalibus, adijcere omnino decet ſequens elogium in Sacrario Eccleſiæ noſtræ S. Annæ de Placentiâ publicè expoſitum.

Quidquid Laudis, gloriæ, & honoris
A. S. P. Q. R.
Ob mores Civitati reſtitutos
M. Port. Catoni
Statuâ Conſulari in Templo erecta
Olim attributum eſt.
Id omne
Reverendiſſimo Gabrieli Anguiſciolæ
Generali digniſſimo,
Ac ætatis ſuæ
Verbi Divini Præconi primario.
Mæcenati, Patrique ſuo in Chriſto,
Optimè de Religione merito,
Acceptum referentes hujus Cœnobij Patres
Tantorum beneficiorum non immemores,
Hoc ei monumentum faciundum curavere
XVI. Kal. Aprilis MDLX.]

De claris Theologis Ordinis nostri aquè defunctis, ac viventibus.
CAP. II.

PRimariâ Sacræ Theologiæ Cathedrâ in Gymnasio Pisano propter novam Aftensis Generalis electionem vacante, CosmusDux Florentiæ die 27. Augusti lecturam illam .1. Jacobo Tavanthio, qui tunc Florentinæ domûs Academiam regebat, procurantibus Archangelo Bruscolo Provinciali Thusciæ, & Zachariâ Faldosslo, libentissimè contulit, & meritò quidem, sicuti postea multos annos probavit eventus. Hunc etiam, post fundatam anno sequenti Equestrem S. Stephani Religionem, iisdem Militibus rubeâ Cruce signatis, Theologum à sacris summâ cum laude præfecit. Eodem quoque tempore, die videlicet decimâ Septembris, P. Joannes Angelus .2. Montursius statuarius nemini secundus Capitulum, quod olim Benitiæ familiæ fuerat, argillâ, picturis, & statuis ornandum in Cœnobio Annunciatæ eo Patrum consilio suscipit, ut ibi congregetur Sodalitium Pictoriæ, Sculptoriæ, & Architectonicæ artis cum communi eorum Sepulturâ, & ut ibi quotannis Sanctissimæ Trinitatis solemne celebretur. Per eosmet dies in Cœnobio S. Jacobi de Castro Franco Venetorum animam Deo reddidit M. Laurentius Mazochius .3. in die Nativitatis B. M. Virginis, strenuus peracuti ingenij, & in quo virtus potiùs, quàm ambitio vigebat, cujus solet tiam, & doctrinam Paulus Tertius Sum. Pontifex, dum esset Card. expertus, quòd in convincendis, confutandisque Lutheranorum erroribus plurimùm valuisset, præsertim anno 1520. die 28. Octobris Ferrariæ, dum in Cathedrali Apologetica Theoremata contra sectarios Martini sustinuisset, Hæreticum quemdam concionatorem adeò convicit, ut palynodiam decantare, & resipiscere cogeret. Hæc, inquam, expertus Summus Pont. ipsum Prædicatorem, & Pœnitentiarium Apostolicum ubique terrarum, cum summâ facultate destinavit, concedens ei, ut à quibusvis Sedis Apostolicæ casibus absolvere posset, & vota quæcunque (consuetis exceptis) commutare, & super quartum gradum Matrimonij dispensare. Quibus privilegiis Laurentius communitus indefatigabilis, & impiger ad Gallos profuso munere obeundo, profectus fuerat, & Parisijs præcipuè, ubi jam Sorbonicâ in Academiâ Magistrales honores accepetat, grande de suâ doctrinâ, & catholicâ pietate periculum fecerat, & sacra Dei mysteria pluries explicaverat, multos hæreticos à verâ Dei lege aberrantes ad meliorem frugem reduxit, sicuti & quamplures peccatores in animabus expiandis, Sacramentorum administrationi, ac verbi Evangelici explicationi semper intentus, & indefessus. Multas quoque domesticas nostri Ordinis Academias rexit, varia officia, & dignitates usque ad Generalatum prudenter exercuit, & nuper post absolutam S. Marcelli de Urbe administrationem, in proximis Ferrariæ Comitijs Prior Tarvisij electus, vix Præfecturam susceperat, quando die 16. Augusti in morbum incidit, quo sensim ingravescente sese per Veredarios in Patriam transferri voluit, & Castri Franci, ubi natus fuerat, ibi in fata concessit honorificè tumulatus cum hoc marmoreo monumento.

Lauren. tij Ma. zochij laudes, & obitus

B

Laurentio Mazochio Theologo doctissimo Fratrum Serv. Ord. optimè omnium merito, & ejus aliquandò Generali, Fratres S. Jacobi pientiss. pos. Obijt in Domino, Anno Dom. 1560. die 8. Septemb. & ætat. suæ 70.

F

Multa lucubravit, consarcinavitque Pater iste Laurentius, quæ ad Physicas, Theologicas, Scripturalesque enodandas difficultates, & excitandas contemplationes valde conducerent, si aliquando impressa fuissent, & non inutiliter apud suos, quemadmodum vidimus, latitarent. Illud etiam obitet non videtur de Laurentio prætereundum, quòd cum Dei, & Beatę Virg. verus servus existeret, ideò necesse fuit, ut illum tentatio aliquomodo, sicut ignis aurum, probaret. Invidentium enim quorundam nequitiâ, dum Romę Cœnobio S. Marcelli præesset, apud S. Inquisitionis officium falsò delatus, otium carceris laudabiliter consumpsit. Ibi namque totum psalterium cum Canticis Magnificat, & Benedictus, necnon Symbolum Athanasii, heroico carmine decantavit. Dialogum inter carnem & spiritum, de ingrato Carceris otio consolatorium carmen, & alia quamplura exaravit. Odas italico idiomate super Ave Maria, Regina Cœli, & Salve Regina devotè cecinit. Verùm qua a ejus liberatio differebatur, etsi pluries libellos supplices versibus exaratos (poesim enim prætet cæteras virtutes non mediocriter callebat, quâ eâ in adversitate plurimùm solabatur) S. Officij Commissario, D. Protectori, & Summo Pontifici porrexisset: Deo, & B. M. V. causam suam operosiùs commendabat. Quando ei per visum venerabilis quidam senex illi apparuit, blandis verbis dulciter solando, hortans insuper ut bono animo esset, & Deo gratias ageret; quoniam quamprimum ab omni calumniâ erat absolvendus, & pristinæ libertati restituendus, ut rei eventus comprobavit, in cujus veritatis testimonium, & gratiarum actionem saphico metro hymnum devotè cecinit. Quæ omnia adhuc in bibliothecâ nostrâ Pisanâ conservata apertè indicant Mazochium non modò virum solutâ oratione, verùm

G

H

Nota apparit.

verùm

verùm etiam versu eruditum fuisse. Interea P. Generalis 4. Religionem lustrando, etiam Sanctimonialium loca more Majorum visitabat, confirmando seù innovando Priorissas, & alias Officiales Monasteriorum, quemadmodum ex varijs literis pat. Mense Septembri datis apertissimè constat, Sororem Catharinam institutam fuisse Priorissam Monasterij S. Angeli in Vado; Sororem Felicem de Spoleto Priorissam Spoleti; Sororem Eufrasiam Priorissam Monasterij de Viterbio; Sororem Nicolaiam de Perusio Institutam fuisse Priorissam ad novum regendum Monasterium D. Annunciatæ de Tuderto cum Sorore Martâ de Viterbio, & alijs quibusdam S. Catharinæ de Sutnatibus, ut Sorores nostras Tertiarias, quæ paulo ante M. Feliciani hortatione arctiori vinculo claustralis observantiæ sese mancipaverant. Idem fecit P. Generalis circa omnium aliorum Monasteriorum administrationem Monialium nostri Ordinis.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *EX indice Doctorum Pisani studij, & monum. Conventûs Florentiæ.*
2 *Ex monumentis ejusdem Cœnobij.*
3 *Auctor quæ de Mazochio profert, Castri Franci inter monum. reperijt, & conclusiones impressas vidit apud D. I. V. Doctorem D. Petrum Martam.*
4 *Ex Regesto ejusdem Generalis.*

Pius Quartus Bullam Julij Tertij circa beneficiatos Ordinis nostri declarat.
CAP. III.

MULTÆ intereà irrepserant contentiones, & difficultates juxta consuetudinem illorum temporum circa nostros Pœnitentiarios Urbis, aliosque hujusmodi beneficiatos propter Bullam Julij Tertij, qui illos eximebat ab Ordine, & à privilegijs nostris regularibus. Quamobrē reclamantibus ipsis, quòd dum publicis Ecclesiæ Romanę officijs inservirent, deterioris conditionis haberentur, quàm alij Fratres, qui eadem munera non administrabant. Quare Summ. Pontif. Pius Quartus ad hujusmodi difficultates tollendas, Superiorem Julij Tertij Bullam per sequētes Apostolicas literas ad favorem ejusmodi beneficiatorum declaravit.

Dilecto filio Joanni Baptistæ Astensi Priori Generali Servorum.

PIUS PAPA IV.

MOtu proprio, &c. licèt aliàs fel. recordat. Julius Papa Tertius Prædecessor Noster per eum accepto, &c. Fratres Ordinis Servorum sub regulâ S. Augustini, & Congregationis ejusdem Ordinis beneficia Ecclesiastica ex dispensatione Apostolicâ per seù officium Pœnitentiarij tunc tenentes in domibus Ordinis, & Congregationis prædictis permanere, & inibi officia (quæ inter Fratres ipsarum domorum distribuebantur) exercere, ac privilegijs, immunitatibus, & indultis ejusdem Ordinis, & Congregationis uti, & gaudere, vocemque activam, & passivam habere volebant, & contendebant, & ut omnia Constitutionibus Ordinis, & Congregationis hujusmodi instrumenta professionis, quæ per eosdē Fratres committebātur, maximè adversabantur, & cæteris fratribus materiam scandali præstabant. Ejusmodi inconvenientibus occurrere volētes per ejus cædulam in formâ motûs proprij sub suâ in perpetuum valiturâ constitutione Apostolicâ auctoritate pro certâ suâ scientiâ: inter alia ex tunc decreto perpetuis futuris temporibus dicti Fratres beneficia Ecclesiastica secularia, vel quorumvis aliorum Ordinum regularia in titulum, vel Commendam pro tempore obtinentes, aut officium Pœnitentiariæ exercentes quâvis auctoritate suffulti existerent in domibus Ordinis, & Congregationis hujusmodi degere, aut commorari, seù officia, & Prælaturas eorundem Ordinis, & Congregationis obtinere, vel privilegijs, immunitatibus, & indultis prædictis gaudere, seù vocem activam, & passivam in Ordine seu Congregatione prædictis modo aliquo habere non possent, statuerit, & ordinaverit, firmiterque credatur de mente & intentione ipsius Julij Prædecessoris tunc fuisse per constitutionem, & statutum, ac ordinationem suā præfata nolle dictos Fratres beneficia sive officium prædictum pro tempore obtinentes sub suorum obedientiâ Superiorum vivere volentes, quorum bona pars viri tunc erant, & sunt literati, & exemplaris vitæ, cumque aliqui ex eis in sacrâ Theologiâ Magistri, nec ullam cæteris præbent scandali materiam, verùm eis bono sunt exemplo, in dictis domibus debere permanere, nec inibi officia Fratribus ipsarum domorum distribui solita, exercere, minusque privilegijs, & alijs præfatis uti, & gaudere, ac vocem prædictam habere . . . . tamen nonnulli plusquam oportet vitiosi super præmissis . . . . ejusdem Julij Prædecessoris aliter quàm in Bullâ . . . . interpretantes, possent desuper cum dictis eorum Superioribus fortasse controvertere. Nos ad omne super præmissis dubium omnemque . . . . erbendi, & altercandi materiam tollendam, & ne defectu declarationis præmissorum controversiæ in dicto Ordine per illius Fratres hujusmodi, cum eorum Superioribus, ac scandalo oriantur, desuper opportunè providere volentes, motu simili, tenore præsentium, auctoritate Apostolicâ ex certâ scientiâ nostrâ, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus mentis, & intentionis ejusdem Julij Prædecessoris per constitutionem, statutum, & ordinationem sua prædicta, tunc non fuisse fratres beneficiatos, seu Pœnitentiarios hujusmodi habitâ per eos super præmissis ab eorum Superioribus in scriptis licentiâ speciali, & sub eorum obedientiâ, & in domibus institutis prædictis

Bulla Pij IV. declarās Bullam Julij 3. circa Fratres beneficiatos.

dictis vivere voleates, tunc minimè, sed eos duntaxat intellexisse, qui sic beneficiati, vel Pœnitentiarij existerent, & modo præmisso licentiam non haberent, & iisdem eorum Superioribus obedire negligerent, vel recusarent in dictis domibus nequaquam permanere, nec ibidem officia prædicta exercere, minusque privilegijs, & alijs prædictis uti, & gaudere, nec vocem prædictam habere posse, vel debere, & nihilominus potioris pro cautelæ suffragio etiam hanc Nostram constitutionem similiter perpetuò valitura constituimus, & ordinamus, & de cætero perpetuis futuris temporibus nullus ex fratribus Ordinis prædicti pro tempore beneficiatus, vel Pœnitentiarius existens in dictis domibus nisi de speciali moderni, & pro tempore existentis dicti Ordinis Generalis, ac Provincialis ejus Provinciæ, cujus talis beneficiatus, aut Pœnitentiarius extiterit, eorumdem Generalis, & Provincialis subscriptionibus, & sigillis munitâ, ac interim tali eam obtinente sub eorumdem Generalis, & Provincialis obedientiâ permanente duntaxat, ut non aliàs aliter, nec alio modo permanere, nec ibidem officia prædicta exercere, minusque privilegijs, nec alijs prædictis uti, atque gaudere, neque vocem prædictam habere possit, aut debeat . . . eosdem vestris constitutiones, statutos, & ordinationes hujusmodi, etiam per quascunque literas Apost. quavis etiam derogatoriarum derogatione, aliâsque efficaciores, & insolitas clausulas, necnon irritantes, & alia decreta in se continentes nunc derogari, nec derogamus esse censeri priori, & si eis derogari contingat, derogatio hujusmodi minimè suffragetur, ut sic super præmissis omnibus, & singulis per quoscnaque intelligi, interpretari, & diffiniri debere, sublatâ eis quâvis aliter intelligendi &c. potestate, facultate, & auctoritate, & quicquid secus, & quomodocunq; fieri contigerit irritum, & inane decernimus, & ne quis declarationis, constitutionis, statuti, ordinationis, & decretorum hujusmodi ignorantiam prætendere possit Dilecto filio Magistro Joanni Baptistæ Astensi Moderno, & pro tempore existenti totius prædicti Ordinis Generali sub excommunicationis pœnâ committimus, de manu cujus . . . declarationem, constitutionem, statutum, ordinationem, & decreta Nostra hujusmodi inter ejusdem Ordinis Constitutiones registrari, & per se, vel alium, seu alios in singulis Provincijs, Capitulis, & domibus ejusdem Ordinis publicari, & per eorum fratres inviolabiliter observari faciat, Contradictores quoslibet, & rebelles, & renitentes, & se præmissis quomodolibet opponentes, vel contradictoribus &c. hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè præstantes per censuras Ecclesiasticas, & alias pro arbitrio imponimus pœnas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac ipsius Ordinis, etiam juramento &c. roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, aut sub plumbo, quàm in forma E *mâ Brevis per quoscunq; Romanos Pontifices Prædecessores Nostros sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, & cum quibuscunque clausulis, & decretis quomodolibet concessis &c. quibus omnibus, & singulis literis, &c. specialemetiam sit eis &c. illorum tenores, &c. hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & sufficienter derogatum esse decernimus, cæterisque contrarijs quibuscunque, & quod principalis Nostri motus proprij sola signatura sufficiat, & ubicunque etiam in judicio, & extra fidem faciat clausulâ contrariâ non obstante.*

Placet motu proprio.

Inter eos, qui statim hujus bullæ privilegio potiretur, & à nobis referri possit, extitit F Mag. Joannes Baptista .2. de Burgo S. Sepulchri Pœnitentiarius Basilicæ Lateranensis, qui in superioribus Comitijs ad ferendum suffragium admissus fuit. Sicuti etiam concessum fuit P. Angelo .3. de Aquipendio Pœnitent. S. Mariæ Majoris, necnon P. F. Menio .4. de Veronâ Rectori, Hospitalis SS. Christophori, & Jacobi in Villâ Montis Cheldæ Diœc. Vicentinæ, electo à D. Cæsare de Traversis Patritio Vicentino, juxta legatum D. Nicolai de Maltraversis civis Vicentini. Videbantur autem his temporibus Patres nostri Francigenæ ad meliorem frugem inclinare, & cum cæteris Fratribus nostris Italiæ communicare. Receperat enim anno prætere- G ito Parisijs inter suos Conventuales P. Bonifortum Alasiam de Summaripâ de licentiâ P. Generalis, illuc per lit. pat. Veronæ dat. 24. Decembris, admissum. Quare optimus Pastor oves suas ad caulam adducere exoptans, hoc anno Vicarium Gen. Franciæ destinavit P. M. Philippum Mucagattam juniorem de Castellaccio, ut per suas lit. pat. Romæ datas 14. Maij. Sed rei eventus declaravit, Subditos facilè admittere, Superiores autem nequaquam. Florebat his temporibus Romæ M. Hieronymus .5. Morigia de Angleriâ, qui talem morum probitatem cæteris suis virtutibus adjecerat, ut Joanni Angelo Medices dum Cardinalis esset, à Sacris, & Confessionibus inserviret, cujus etiam gratiam, & familiaritatem adeò inierat, ut creatus Ponti- H fex, illum statim S. Eusebij de terrâ Canobij Abbatem constitueret, & pro Carolo Borromeo Cardinali Nepote, qui nunc inter Sanctos cœlesti gloriâ fruitur, Theologum legeret. Diu etiam floruerat Romæ P. Christophorus Fabritij de Fulgineo .6. in Lateranensi Basilicâ Pœnitentiarus, qui cum ibi hoc anno decessisset, à Canonicis ejusdem Basilicæ ad S. Marcellum honorificè delatus fuit. Hujus adhuc extat privilegium inter monumenta Conventûs S. Marcelli sub datum Romæ 1555. cujus capita substantialia hic inferenda putavimus, ut omnibus notum sit, cujus conditionis, & quantæ auctoritatis fuerint hujusmodi

P. Hieronymus Morigia Abbas S. Eusebij.

jusmodi nostri Patres Pœnitentiarij Sacrarum Basilicarum de Urbe.

Privilegia nostrorum Pœnitētiariorū de Urbe.

PRimò sunt ipsi Pœnitentiarij Summ. Pontifici, & nulli alteri immediatè subiecti cum Socijs eorumdem.

2 *Possunt Socium eligere sibi, & electum mutare, qui quamdiù in Societate, & servitio Pœnitentiarij permanet exemptus est ab Ordine; ut ipsemet Pœnitentiarius.*

3 *Possunt sibi eligere Confessorem, & electum mutare, qui eandem habet potestatem super Pœnitentiarium, quàm Pœnitentiarius super alios pœnitentes.*

4 *Possunt in Domibus suæ habitationis Missas celebrare, aut celebrari facere cum Altare portatili abs'que licentiâ ulteriori.*

5 *Possunt ministrare, seu ministrari facere suis familiaribus Ecclesiastica Sacramenta.*

6 *In articulo mortis plenariam habent indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum, quæ vulgariter dicitur à pœnâ, & culpâ.*

7 *Sunt Capellani, & familiares continui commensales Summ. Pontificis.*

8 *Quod dicti Collegij Pœnitentiarij sunt Summi Pœnitentiarij continui Commensales, & omnibus gratijs, libertatibus, immunitatibus, privilegijs, exemptionibus, honoribus, & indultis gaudeant, quibus sui Commensales continui gaudent, & utuntur, perpetuò sub protectione Sedis Apostolicæ permansuri.*

Hoc eodem anno mortuus est Autuerpiæ inter nostros Fratres, qui *Bogardi*, idest Servi, in Belgio vocantur .7. M. Nicolaus ille Stupha Florentinus, de cujus doctrinâ, & lucubrationibus in Lutheranos aliàs dictum fuit.

Ludovicus de Faventiâ Vir celebris.

¶ Hisce pariter temporibus floruisse refert Tonduzzius in Historiâ Faventiæ P. Ludovicum de d. Civitate ex Ordine Servorum multiplici scientiarūm genere insignem, rerumque gerendarum peritiâ præclarum, ideo pluries in Hispanias directum Vicarium Generalem ad negocia magni momenti obeunda, quæque feliciter obivit. Recolendum omnino hic est, quod de Senensi nostrâ Ecclesiâ scribit Hieronymus .8. Macchi Civitatis illius antiquitatum indagator exactissimus, quòd scilicet cum Civitas illa amplissima, dicta proinde *Virginis*, in gravioribus suis calamitatibus Deiparæ præsidium implorare semper consueverit, & publicas ad hoc lustrationes Cleri, & Populi habere sacram Imaginem quandam, vel insignem Sanctorum Reliquiam circumferendo, hoc anno 1561. circumducta per Urbem solemniter fuit B. V. Imago, quæ in Ecclesiâ Servorum colitur, quam verosimile est fuisse Imaginem B. V. Dolorosæ, ex quo Hieronymus nullum ejusdem expresserit Mysterium, sed tantummodo scripserit *la B. Vergine de' Padri de' Servi*; patet enim apud rerum nostrarum peritos, quòd B. V. Ordinis nostri Patrona, ac Titularis sub invocatione, ac Titulo ejus Dolorum com-

Senis circumferuntur processionaliter Imagines B. V. & Reliquiæ SS. quæ in Ecclesiâ nostrâ servantur.

munitet intelligatur, quod exinde quoque
A confirmare licet, quòd cùm referat idem Hieronymus circumductas per Urbem pariter fuisse eâdem solemnitate, & ijsdem de causis consequentibus annis alias ejusdem Virginis Imagines, præter Dolorosam, Titulum earumdem specialem exponit anno videlicet 1569. *l'Assunta de' Padri de Servi*, anno 1592. *la Madonna del Popolo de' Padri de' Servi*; anno 1639. *la Madonna del Belverde de' Padri de' Servi*, singulas quidem maximæ venerationis Imagines, quas proinde singulari pietate prosequentes Populi Divinam misericordiam consequerentur, quemadmodum & alijs temporibus insignes Sanctorum Reliquias ex eâdem Ecclesiâ Servorum eductas per Urbem circumferre consueverunt, modò nimirum
B S. Andreæ Apostoli, modò corpus B. Francisci Patrizzi, modò caput, & alias quasdam Reliquias B. Joachimi. In oâ maritimâ Romæ alia pariter B. Virginis Imago summæ venerationis apud .9. Ischiam, quod est Oppidum Ducatûs Castri, quod olim Farnesiæ Genti parebat, erat vulgò dicta, *La Madonna d'Ischia*, in Ecclesiâ ejus nomini dicatâ sub Tit. S. Mariæ de Plebe. Locum hunc Patres Servorum de Mantuâ ab eâ Communitate receperunt eodem anno 1561. die 23. Augusti. Præcipuum ejusdem Festum in die Assumptionis B. M. V. ingenti populorum affluentiâ colitur ab immemorabili tempore, quamobrem Paulus Papa III. Jubileum perpetuum ibidem hac die concessit Literis Apostolicis
C ad hoc dâtis, sicut & alias Indulgentias singulis mensibus, & quoties Populus cum Clero quotannis ex voto publicâ lustratione Ecclesiam hanc adire consuevit. Quæ de hoc Loco sint satis, de alio S. Rochi in eodem Oppido dicemus ad annum 1580.

Conv. S. Mariæ de Plebe Ischiæ.

Anno autem sequente 1562. apud Sablonetam .9. cùm Dux Vespasianus, hujus nominis primus, Gonzaga Mœnia excitare voluisset, quibus Urbem circumvallaret, & ad modum Arcis redigeret, solo æquandum esse decrevit Conventum, & Ecclesiam, quam sub Titulo D. Blasij Ordini nostro concesserat D. Marchio Fridericus Gonzaga Mantuæ Dominus, de quo ad annum 1448. Quamobrem illius Loci Patres Conventu, & Ecclesiâ destituti, implorato à reliquis Ordinis Conventi-
D bus subsidio, Conventum iterum, & Ecclesiam sub Tit. S. Nicolai a fundamentis erexere, quam Fabricam tamen idem Dux solo pariter æquandam esse constituit, quippe qui augustiorem aliam excitare meditabatur, & ijsdem Patribus concedere, quos vehementer amabat, quemadmodum re ipsâ perfecit consequentibus annis sub Tit. S. Mariæ Incoronatæ, prout dicendum Nobis fusius erit ad annum 1594. Recensere hic etiam juvat Monasteria quædam Monialium, quorum sanè primariam originem compertam non habemus, sed in Regesto Generalis Zachariæ Faldossi de Florentiâ relata Nobis occurrunt ad hunc

Conv. 2. S. Nicolai de Sablonetâ.

annum

annum 1562. minimè proinde prætereunda, scilicet S. Mariæ Magdalenæ de Brixiâ, S. . E . . . Calvisani Diœcesis Brixiensis, S. . . . . . Diœcesis Cremonensis, S. Mariæ de Mestre, S. . . . de Salonâ, & S. . . . . . . & S. . . . de Mandello.

Recolendum denique est, quòd .10. Summus Pontifex Pius IV. hoc eodem anno 1562. revocavit permutationem Conventuum S. Mariæ Magdalenæ Monialium de Saragotâ extra Bononiam, & PP. S. Joseph de Galierâ Ordinis Servorum in eâdem Civitate degentium, quam decreverat Paulus Papa IV. prout diximus ad annum 1559. per similes Literas Apostolicas sequentis tenoris.

PIUS PAPA IV.

Pius P. IV. revocat permutationem Conv. S. Joseph in Galierâ cum Monialibus de Saragotâ.

F A*d futuram rei memoriam. Cùm post nostram ad Summi Apostolatûs apicem Deo favente assumptionem cordi illud præcipuè habuerimus, cuncta per Prædecessores nostros Romanos Pontifices in damnum, aut læsionem, seu præjudicium personarum ad falsam quorundam suggestionem, seu expressionem gesta, seu potiùs ab eis extorta revocare, & in pristinum statum reducere. Et sicut exhibita Nobis pro parte dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Monasterij S. Joseph Bononien. Ordinis Servorum B. M. propè stratam Galieræ nuncupatam, & Forum Bourium petitio continebat, quædam Literæ in formâ Brevis à fel. rec. Paulo Papâ IV. Prædecessore Nostro emanaverint tenoris subsequentis. Paulus Papa IV. Ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices curas, &c.* vide talem Bullam supra Cent. IV. Lib. II. Cap. XVI. pag. 191. G *Cumque permutatio ipsius Monasterij S. Joseph pro d. Monasterio Monialium S. Mariæ Magdalenæ per ipsum Paulum Prædecessorem nostrum, ut in ipsis Literis continetur, facta in grave ipsorum Prioris, & Fratrum damnum, ut ex fide dignorum relatione Nobis factâ accepimus, tendat, ac idem Monasterium S. Joseph pro ipsarum Monialium, quæ numero centum, & ultra existunt, habitatione capax non existat, propterea, & ex alijs justis causis animum nostrum moventibus eosdem Priorem, & Fratres in d. Monasterio S. Joseph, in quo de præsenti degunt, pacificos, & quietos conservare volentes, Prioris, & Fratrum Nobis super hoc porrectis supplicationibus inclinati, permutationem præfatam, quoad ipsos Priorem, & Fratres locum non habere, nec eos desuper molestari volumus.* H *Ac omnia, & singula in eisdem Literis contenta ipsos Priorem, & Fratres concernentia tantùm, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium revocamus, cassamus, annullamus, ac viribus penitus, & omnino evacuamus, eosdemque Priorem, & Fratres in d. possessione manutenendos, & conservandos esse, ac eos sub dd. Literis nullatenus comprehensos esse, nec comprehendi posse, sicque per quoscunque Judices tam Ecclesiasticos, quàm seculares, quâvis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et ita mentis Nostræ incommutabilis esse volumus, decernimus, & declaramus. Non obstantibus omnibus, quæ Paulus Prædecessor in eisdem Literis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris 1562. Pontificatûs nostri anno tertio.

F. de Torres.

Cæterùm, his non obstantibus, completa non diu post fuit hæc permutatio, quemadmodum ex ijs constabit, quæ dicenda Nobis erunt ad annum 1566]

ANNOTATIONES IN CAP. III.

1 *EXemplar habetur inter monum. Convent. Florentiæ.*

2. 3. 4 *Ex Regesto Gener. Joannis Baptistæ Millìovaccæ.*

5 *Ex tabulis Painianis, & diarijs exp. Conv. S. Mariæ in viâ: sed veriùs ex Regesto Millìovaccæ Ubi non Angleriæ, sed S. Eusebij de Terrâ Cænobij Abbas vocatur.*

6 *Ex monum. Conv. S. Marcelli de Urbe, & ex Regesto Gen. Millìov. lib. 11. Conventuum Generalium fol. 2.*

7 *Ex libro memorab. Conv. Florentiæ.*

8 *Ex Monum. Conv. Senarum*

9 *Ex Monum. eorundem Conventuum.*

10 *Bulla originalis habetur in eodem Conventu S. Joseph.*

Comitia generalia propter Concilium Tridentinum dimittuntur, & P. Joannis Angeli celeberrimi Sculptoris funus, & opera enarrantur.

POstquam Pius Quartus Summus Pont. intermissum præterito tempore Concilium Tridentinum denuò instaurari jussisset, cogitur Joannes Baptista Generalis noster inter eos Patres adesse, qui jam ad sacram synodum profecti fuerant .1. constat enim ipsum inter octo Patres connumeratum fuisse, quibus demandata fuit cura examinandi, & ventilandi materiam de Sacramento Ordinis pro futurâ sessione habendâ, quæ fuit septima sub Pio Quarto, & 23. ipsius Concilij. Hæc cùm Tridenti ageret Generalis noster, M. Angelus Maria Torsanus Ariminensis sapientissimus Theologus, ac eloquentissimus Orator, post diù navatam operam Divinis Scripturis, librum edidit maturæ considerationis super Proverbia Salomonis, necnon postea varias impressit Orationes lepore, & plurimis historijs refertas, de laudibus diversarum Civitatum Umbriæ, & Æmi-

M. Angelus Maria Torsanus.

Æmiliæ, Joanni Baptistæ Milliovaccæ dicatas. Jam absoluto anno 1562. tempus advenerat celebrandorum generalium Comitiorum .2. Faventiæ, quæ Patres necessitate compulsi eo tempore dimittere coguntur; nam Generalis Astensis, ut supra dicebatur, Tridenti præpeditus, non poterat munus sibi demandatum super vigesimam tertiam sessionem deserere, quæ celebranda erat die 15. Julij 1563. Quare oportuit Comitia in sequentem annum differre. Nam Alexander Farnesius Protector per Apostolicum Diploma Generalatûs officium Joanni Baptistæ ad hoc prorogari per annum curaverat, ut eâdem in Synodo perseverare posset. Quod & de officio Procuratoris in Curiâ factum fuit. Cæterùm, ut eo unius anni durante impedimento nullum detrimentum pateretur Ordo, atq; graviora impendia Provincialium Comitiorum evitarentur, Joannes Baptista Generalis supradicti diplomatis vigore statuit, sic administrandas fore Provincias, & singula Cœnobia; nam in qualibet Provinciâ Vicarium unum generalem constituit, qui convocatis simul Provinciali, Socio, & tribus Cœnubiorum Prioribus in eâ Congregatione, Provincialis, qui elapso triennio suâ præfecturâ functus fuisset, unà cum Socio suis renunciarent officijs; quod & de singulis Prioribus completa illâ congregatione itidem factum intelligeretur, adeò ut novi Officiales tàm Provinciæ, quàm Cœnobiorum pro eo anno crearentur. Constat enim causâ exempli, quòd in Provinciâ Thusciæ die 7. Junij M. Michaelangelus Naldinus unà cum Elisæo Bissolo Priore Conv. Flor., & alijs duobus Prioribus Pistorij, & Cortonæ, Florentiæ habitâ Congregatione primùm recepit resignationem Præfecturæ Hetruriæ M. Archangelo Bruscolo unà cum M. Stephano de Aretio socio ultrò abdicantibus, in quorum locum pro eo anno prædicti Patres elegerunt Priorem provincialem M. Angelum Morellium de Aretio, & M. Hieronymum de Florentiâ Socium, quos idem Vicarius Gen. confirmavit. Pari quoque modo actum est in Provincijs Patrimonij, & Regni Neapolitani, quibus præfuit Vic. Gen. M. Felicianus Amucius de Narniâ Ord. Proc. & sic de singulis alijs. Quod an inter Patres Congregationis servatum fuerit circa confirmationem, seù mutationem Vicarij Gen. & aliorum Officialium, non benè compertum est, alijs pro Vicario statuentibus M. Joannem Paulum Cardellium de Novariâ; alijs asserentibus eumdem M. Primum Restam perseverasse. Hoc eodem anno ingens sui desiderium posteritati reliquit .3. P. Joannes Angelus Michaelis Montursius peregregius Statuarius, & Architectus clarissimus. Novit id Florentia, & Roma, in quibus nobilissimis Civitatibus jussu Clementis VII. complures statuas, seu veteres restauravit, seu novas ex marmore elegantissimè sculpsit; & licèt eo tempore vi-

Modus creandi officiales singularũ Provinciar. extra capitulũ.

P. Joannis Angeli Mõtursij Sculptor. opera, & obitus.

gesimum sextum ageret annum majores tamen superasse, uno ore affirmant omnes hu-
A jus artis periti; in statuâ verò S. Cosmi (quæ hactenus in Sacrario novo S. Laurentij de Florentiâ conspicitur) antiquos æquasse concludunt; cujus viri fama cùm ad Illustrissimum Andream Aurias pervenisset, venerabilem, ac magnificam Ecclesiam, quam ad honorem S. Matthæi ædificandam Januæ proposuerat, ipsius arti dimittit, ac sepulcrum amplissimum, in quo ossa erant reponenda, construendum demandat; quod cum Serenissima Respublica Januensis intueretur, Architectum generalem totius ditionis constituit, & statuam illorum singulorum oculis admirandam, quæ adhuc ante fores publici Palatij reperitur, conficiendam imponit; ibique statuam S. Joannis Evangelistæ miro artificio elabo-
B ravit, quæ in Choro Cathedralis Ecclesiæ ab omnibus conspicitur; quæ omnia cùm mirabili artificio ad finem perduxisset, Nobilissima familia Sanazaria Neapolitana, quæ tenebatur monumentum erigere, in quo cineres sapientissimi Jacobi Sanazarij conquiescerent, item ei in Ecclesiâ nostrâ Mergellinæ faciendum statuit: quo opere suscepto, an gloriam Sculpturæ attulerit, testis est inter cætera lapis ille marmoreus quadrangularis, quo methaphoricè opuscula ejusdem Jacobi Poetæ declaravit. Famâ Illius Siciliam usq; diffusâ, propterea populi illi, præsertim Messanæ Civitatis Magistratus, illuc eum non mediocri proventu deducunt; nec profectò suâ ipsorum opinio eus fefellit, turres enim munitissimas contra Turcas ædificandas studuit,
C Civitatem fortissimis mænibus circumdedit, novam Cathedralem Ecclesiam à fundamentis erexit, quam duodecim Sacellis in honorem duodecim Apostulorum decoravit; ibiq; elegantissimam D. Petri Apostol. statuam miro artificio struxit. Duobus insuper fontibus elegantissimè sculptis Urbem decoravit, quæ ne ingratitudinis vitio denigrata existimaretur, tantum Patrem inter alios Cives adscribit, quod licet sibi perjucundum fuisset, propriam tamen Patriam, ac gratissimos Fratres revisere magnoperè exoptabat; quapropter fine his imposito, inde discedit, ibidem alumnum relinquens. Cum verò erga pauperes pientissimus semper extitisset, Neapolim perveniens, Hospitali (infirmis penitus desti-
D tutis) quingentos nummos aureos libentissimè donat, & alios quingentos Hospitali D. Annunciatæ humanissimè elargitur: quibus bonis operibus peractis ingenti omnium Patrum lætitiâ ad Monasterium tandem D. Annunciatæ de Florentiâ pervenit, ut ibi Domino serviens, his, quæ tantùm ad salutem animæ conducunt, operam navaret: sed cum Magnificus D. Julius Bovius de Bononiâ, ut jam dicebatur, Aram majorem Servorum Bonon. construendam hoc tempore curaret, Patrem istum exurat, ut tale opus faciendum assumat, cui morem gerens munus hoc liben-

tissimè suscepit, & per duos annos eleganrissime illud absolvens, stupore non modico cunctos affecit: quo demum egregiè peracto Florentiam reversus eâ spe, ut opus illius fontanæ, quæ in foro Ducali modò visitur, sibi conficienda traderetur, cujus etiam exemplar jam aggressus fuerat, quando invidentium quorundam ipsius gloriæ studio, opus ipsum alteri elaborandum cessit; Interim propriis sumptibus Sacellum, quod est intra septa Conventûs D. Annunciatæ magnificè exornat, atque id honori Sanctissimæ Trinitatis decernit, illudve (ut alias diximus) de Patrum consensu Academiæ vulgò *del disegno* nuncupatæ, quam ipse hoc eodem tempore instituerat, assignavit; bonorum denique operum repletus Civitatem sanctam artificio Divino ædificatam ingreditur annum 64. suæ ætatis agens, & in eodem Sacello ingenti Patrum dolore, atque Academicorum jacturâ non modicâ, reconditur. Funus ejus multi præclari viri suâ præsentiâ associarunt, inter quos multi Sculptores, & Pictores per suas vices feretrum, psallentibus nostris, aliisq; Regularibus Patribus, super humeros deportarunt, & M. Michaelangelus Naldinius, qui Corrector ipsius Academiæ, & Prior Cœnobij Annunciatæ, cujus etiam consilio imagines, & picturæ cum totâ structurâ ipsius Capitulli perfectæ fuerant, de ejus laudibus orationem habuit, præsentibus inter alios Vincentio Borghinio Xenodochij Innocentium Præfecto, Ugolino Griffunio Magno Altopassi Præceptore, & Cosmi Ducis primario à secretis, ac insuper Ludovico Beccatello Archiepiscopo Ragusino. Hæc verò memoranda Patrum nostrorum eò libentiùs enarramus, quod ad eundem habitum 4. idem institutum, eandemq; professionem hoc anno die 6. Martij Deo, & gloriosâ ejus Matre auspicibus, ante undecimum ætatis nostræ annum admissi fuerimus. Quamvis ejusmodi præclaris viris longè impares, animo tamen ejusmodi aliorum virtutis extollendæ, & gratitudinis exhibendæ nequaquam segniores.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1. 2 *Ex monum. Convent. Flor. & Tarvisij.*
3 *Ex historiâ de Pictoribus, & Sculptoribus Georgij Vasarij celeberrimi Pictoris, & Sculptoris Aretini, & ex lib. memor. Conv. Flor. & ex ipso Pocciantio.*
4 *Ex lib. memorabilium Conv. Flor. constat Auctorem recepisse habitum Novitiorum Dominicâ primâ Quadragesimæ per manus Hieronymi Florentiolæ Vicarij, Elisæo Bissolo Priore absente.*



E *M. Zacharias Flor. 33. Gen. Faventiæ electus, proponit de Constitutionibus ad præscriptû Concilij Tridentini reformandis.*

CAP. V.

NOVO superveniente anno 1564. Pius Summ. Pontifex Sacræ Tridentinæ Synodo finem imposito, extremas preces, acclamationes, & gratiarum actiones 7. Kal. Februarij edici jussit. Quando Generalis Astensis ad propria sui Ordinis munera, & officia reversus fuit. Jam indicta erant Comitia celebranda Faventiæ; dum tres potissimùm pro novo adipiscendo Magistratu Competitores, non odijs, neq; simultatibus, sed suffragiorum numero, & favore simul decertabant. Omnes quidem seu doctrinam, seu prudentiam in rebus gerendis spectes, æquâ lance præclari, Zacharias Gasparis de Faldossiis Florentinus, Felicianus Amuccius de Narniâ, & Joannes Virrisnus de Rhegio, quorum unusquisque suos Asseclas, & Patronos habebat. Felicianum Alexander Farnesius Protector tanquam suum præcipuum Theologum proponebat; D. Aloysius Estensis Cardin. suum Theologum Joannem pariformiter promoveri curabat; Zachariam verò Cosmus Flor. Dux cæteris anteponebat, tot sollicitationibus diversorum Cardinalium fretus, & novissimè conniventis Farnesij maximâ spe innixus. Adveniente igitur die comitiorum vigesimâ Maij Patres de Congregatione pro Feliciano stabant, Farnesij voluntati, prout semper consueverant, adhærentes; sed numerus suffragiorum Ordinis pro Zachariâ omnem difficultatem superavit. Quare instauratis votis, deprehensus est Zacharias Faldossius 2. de Florentiâ 207. suffragiis fuisse Magistratum adeptus, quem D. Cæsar 3. Balacherius de Placentiâ pro D. Cardinali Protectore Præsidens Capituli confirmavit. Præerant huic Capitulo Generali infrascripti Diffinitores, Thusciæ 4. M. Stephanus Bonucclus de Aretio. Romanæ M. Andreas de Burgo. Romandiolæ M. Cyrillus Francus de Bononiâ. Lombardiæ M. Gabriel Anguiscicla Placentinus. Marchiæ Tarvisinæ M. Ambrosius de Platinâ. Januæ M. Philippus Mucagatta de Castellacio. Neapolis F. Stephanus de Gessono. Narbonæ M. Antonius Maria Olivarius de Summaripâ. Vicarius Generalis Cong. M. Primus Resta de Mediolano. Reliqui verò officiales majores hi sunt: M. Michaelangelus Naldinus Socius Generalis, & M. Angelus Morellius de Aretio Provincialis Thusciæ; M. Andreas à Burgo S. Sepulcri Socius, & M. Gaudiosus de Perusio Provincialis Patrimonij, M. Pompilius de Bononiâ Socius, & M. Joannes Antonius de Faventiâ Provincialis Romandiolæ; M. Augustinus de Monticulo Socius, et Philippus de Placentiâ Provincialis Lombardiæ; M. Seraphinus de Tarvisio Socius, & M. Hieronymus de Paduâ Provin-

Tridentina Synodus absoluta

Zacharias de Flor. 33. Gener. eligitur

Provincial's Marchiæ Tarvisinæ: M. Bartholomæus de Seravitiâ Socius, & M. Philippus Mucagatta de Castellaccio Provincialis Januæ; P. F. Antonius de S. Angelo in Vado Socius, & P. F. Stephanus de Giphono Provincialis Regni; M. Antonius Maria Olivarius de Summaripâ Provincialis Narbonæ; P. F. Jacobus de . . . . . Provincialis Corsicæ, M. Petrus de Justinopoli Provincialis Histriæ. Demum de præficiendo Procuratore Ordinis fit conventus: Competitores M. Archangelus Bruscolo de Florentiâ, & M. Benedictus à Burgo S. Sepulcri doctrinâ, & eloquentiâ pares: sed ne tota Religionis potestas videretur ad Florentinos devolvi, major suffragiorum pars in M. Benedictum consensit. In his Comitijs actum est de observando iam evulgato Concilio Tridentino circa illa præsertim decreta, quæ ad Regulares spectare viderentur. Quare Zacharias omnes Provinciarum Præfectos hortatus fuit, ut in quorumcunq; Cœnobiorum Visitatione adnotarentur sivè abusus, atq. defectus, qui ad præscriptum Sacræ Synodi reformatione aliquâ indigerent. Quibusdam verò alijs gravioribus Patribus mandatum fuit, ut in præteritis constitutionibus evulgatis, & à Paulo IV. confirmatis, omnia illa, quæ prædictæ Synodo deprehenderentur adversari, & aliquâ correctione digna censerentur, simul in unum colligerentur per prædictos Patres, quorum unus extitit Archangelus Bruscolo, qui singula earum Constitutionum, quæ emendanda forent, adnotavit. In his comitijs, quòd sciatur, disputarunt M. Damianus de Flor. Regens Senarum, M. Jacobus Tavanthius de Flot. Hippolytus de Parmâ, & P. Justus Navius de Veronâ publicam orationem habuit de laudibus virtutum Religionis. Patres etiam de Congreg. Forolivij suum Conventum faciunt, & Vicarium Generalem sibi deligunt, nemine inter eos penitus discrepante, M. Joannem Paulum Cardellium .5. de Novariâ, & id quidem optimo jure, quia Parer iste inter eos primas habebat: Vir facili, tenaci, & perpetuâ memoriâ, doctrinâ, & eloquentiâ tàm differendo in Cathedrâ, quàm in Suggesto declamando singularis. Id noverunt Mediolanum, Venetiæ, Ancona, Roma, & aliæ percelebres Italiæ Cathedrales. Id experta fuit publica Sapientia Romæ, ubi diù Cathedram primariam exercuit, & ejus tandem eloquentiam testantur, quæ typis mandatæ fuerunt ann. Dom. 1575. conciones in libro, qui inscribitur *Prediche di diversi illustri Teologi*. Nec defuerunt etiam eodem tempore eiusdem notæ præclari viri .6. Angelus Aretinus, qui cùm domesticum Florentiæ studium regeret, Senas evocatus fuit ad interpretandum publicè philosophiam. Hieronymus Quainus Paduæ in publico Gymnasio Sacram Scripturam explicabat. Bartholomæus à Seravitiâ Ticini Mathematicas facultates interpretabatur. Cyrillus Francus Theo-

Plures Viri præclare doctrinâ

A B C D

logiæ Cathedram in Bononiensi Studio regebat. Venetijs Raphael Maphæus impedimendis suis, aliorumq. concionibus, pijsq; opusculis pro animarum salute, necnon colligendis nostri Ordinis antiquitatibus, operam navabat. Nicolaus etiam Alphanus de Petusio sacrarum literarum peritissimus, homo perjucundus, atq; œconomus singularis, in explicandis verò Divinis laudibus eruditissimus Concionator; et Lucas Macchiavellius de Bononiâ orator clarissimus complures orationes omni eloquentiâ refertas edendas curabat, necnon dialogos quos *de homine* inscripserat. Verùm dum hi, cum plerisque alijs suâ doctrinâ Religionem collustrant, non desunt etiam qui sanctissimis moribus, & religiosis exemplis eundem Ordinem conspicuum reddant. Florebat enim his temporibus .7. B. Michael de Bonardis à Pinarolo, qui Genuæ præsertim maxima suæ Sanctitatis indicia dedit, solo signo crucis adhibito innumeros ferè à varijs languoribus, & infirmitatibus liberando, cujus imago genuflexa junctis manibus Jesum Christum crucifixum contemplans, & adorans in Ecclesiâ nostrâ Genuensi depicta visitur. Altero interea accedente anno 1565. Hugo Boncompagnus Cardinalis profectus in legatione ad Regem Hispaniarum, duos sibi Theologos delegit M. Felicem Peretrum Franciscanum, & M. Stephanum .8. Bonuccium nostri Ordinis Aretinum, qui tunc erat Prior S. Marcelli, cuius postea professionis occasione ad maximam Cardinalatûs dignitatem ineunte tempore meruit promoveri, veluti suo loco dicturi sumus. Hoc eodem anno Marcus Antonius .9. Cardinalis Amulius tituli S. Marcelii inspectâ loci paupertate, & quòd ex tenui proventu Religionis nostræ non posset in integrum reparari vetus illa combustio, & ruina Ecclesiæ S. Marcelli, quæ usque ad tempora Leonis X. secuta fuerat, supplices libellos Summ. Pontifici Pio IV. porrexit, ut dignaretur ex ipso saltem spirituali thesauro Ecclesię per Bullam Indulgentiarum huic tantæ ruinæ reparandæ occurrere; quibus benignè annuens Pius Pont. amplissimam Indulgentiarum Bullam Romæ datam die 7. Septembris, concessit ijs, qui restaurandę Ecclesię piam operam navassent, cuius summa hęc erat.

B. Michael de Pinarolo.

Indulg. pro reparādâ Ecclesiâ S. Marcelli.

Primò, concedit Indulgentiam plenariam omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs visitantibus Ecclesiam S. Marcelli, ceterasq; Ecclesias nostri Ordinis per universum Orbem spatio trium annorum, toties quoties illas visitaverint in die Natalis D.N. Jesu Christi, Annunciationis, & Assumptionis B. M. V. etiam infirmis, & invalidis si per alios visitare fecerint.

Secundò, concedit omnibus, ut sibi possint eligere Confessarium approbatum ab Ordinario Regularem, sivè Secularem, qui eos absolvere valeat ab omnibus peccatis, & censuris, exceptis in Bullâ Cœnæ contentis, & dispen-

dispensare, & commutare vota, præter solita quinque Papæ reservata.

Tertiò, mandat, quòd nullus de hujusmodi publicatione Fratres impedire præsumat; Immo hortatur Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c. ut eas ubiq; publicare faciant solemniter eisdem formis, &c. quibus in favorem fabricę S. Petri de Urbe publicari solent.

Quartò, hac indulgentiâ durante nulla alia in iisdem Ecclesiis publicetur, seù permittatur.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *AUctor ipse à Senioribus accepit.*
2. 3. 4 *Singula hæc ex Regesto ejusdem Generalis.*
5 *Ex monum. Conv. S. Mariæ in viâ.*
6 *Hic, & cæteri Patres ex Poccian. in Chron.*
7 *Ex relationibus Seniorum Patrum Genuensium, qui illum agnoverunt, & monumentis illius Conventûs.*
8. 9 *Ex monum. Conv. S. Marcelli de Urbe.*

M. Fœlicianus Amuccius de Narniâ eligitur Archiepiscopus Avenionensis, & B. Raphael de Barulo, atq. M. Octavius Pantagathus onus mortalitatis deponunt. CAP. VI.

VIX è vitâ decesserat Pius IV. quando divino potiùs, quàm humano consilio Pius V. Carolo Borromæo Card. viro Sanctissimo procurante, septimo idus Januarij Petri Cathedram ascendit. Is igitur .1. M. Feliciani nostri præstantiâ cognitâ, vacanti Avenionensi Ecclesiæ Archiepiscopum eo consilio die 24. Martij præfecit, ut populum illum ab insurgente hæreticâ finitimorum pravitate in Catholicâ fide contineret; nec suâ spe fraudatus Pontifex, quando Felicianus ex assiduis declamationibus, ac disputationibus librum illum in Hæreticos verè aureum collegit, & typis mandavit prænotatum *Explicationes Catholicæ*. Cujus doctrinæ plurimùm postea detulit, & legendo, & scribendo in hæreticos, ut ipsemet sæpè sepius asserebat, doctissimus vir ille Robertus Bellarminius Cardinalis. De ejus etiam electione plurimùm gavisus fuit Alexander Farnesius Card. Protector noster, quòd vidisset familiarem Theologum suum tanti à Summo Pontif. fieri. Magno intereà zelo Sanctus Pontifex Catholicæ religionis intendens reformationi, & à Sacris incipiens, novum Breviarium, & Missale evulgare curaverat; unde cogitur Ordo noster veterem illam celebrandi missam in sero Sabbati Sancti .2. consuetudinem prætermittere, & in ordinem aliarum Ecclesiarum mane celebrare, [Bullam enim edidit sequentis tenoris.

Fœlicianus de Narniâ Archiep. Avenion.

Bulla Pij V. revocātis facultatē celebrādi Missam in Sero Sabbati S.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Pius Divinâ Providentiâ Papa Quintus, ad cujus notitiam pervenit, quòd nonnulli Cathedralium, etiam forsan Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Conventuum, Domorum, & aliorum piorum Locorum secularium, & diversorum Ordinum, ac militarum Regularium Prælati, Capitula, Clerici, Fratres, aliique superiores, & personæ antiquum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum in statutis Missarum celebrandarum temporibus pervertere satagentes, diversas licentias, & facultates, Missas, quæ mediâ nocte, & seu in aurorâ Nativitatis, ac de mane Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, & forsan aliarum Festivitatum juxta prædictum Ritum celebrari consueverant, de sero etiam forsan circa Solis occasum vigiliæ Festivitatum earundem in suis Ecclesiis, & Capellis celebrandi, seu celebrari faciendi, ab Apostolicâ Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore existente variis prætextibus impetraverunt, illisque jampridem utuntur, hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumque Patrum Decretis deviare considerans, ac propterea hunc abusum ab Ecclesiâ Dei submovere volens, omnes; ac singulas licentias, & facultates hujusmodi hactenus etiam motu proprio, vel quorumvis etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, & alias Literas desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habens Apostolicâ auctoritate, ex certâ scientiâ revocavit, ac omnino cassavit, & annullavit hac præsenti perpetuò valiturâ constitutione, quibusvis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, aliisque superioribus, & personis eorundem Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, & Domorum, & aliorum Piorum Locorum in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis suæ, ac perpetuæ suspensionis à Divinis pœnâ districtiùs inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore, hujusmodi licentiarum, & facultatum hujusmodi, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant; ac mandans Locorum Ordinariis, ut eandem præsentem Constitutionem sub prædictis, & aliis sibi benè visis pœnis per quoscunque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & personas hujusmodi inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet auctoritate Apostolicâ compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, & aliorum Locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, & locis, illorumque Capitulis, Conventibus, superioribus, & personis, ac Ordinibus sub quibuscunque teno-

moribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac aliàs quomodolibet concessis, approbatis, innovatis, quibus omnibus ipsa Sanctitas sua illorum tenores pro expressis habens, specialiter, & expressè derogavit, illaque, quoad præmissa, cassavit penitus, & annullavit, cæterisque contrariis quibuscunque. Decernens præsentes, earumque copias per aliquem ex suis cursoribus in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Lateranen. ac Cancellariæ Apostolicæ Valvis affixas, omnes, cùm primùm earum notitiam habuerint, perinde afficere, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet, & ita mandamus. M.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Indictione nonâ, die verò 29. mensis Martij Pontificatûs SS. in Christo Patris & D. N. Pij Divinâ Providentiâ Papæ Quinti anno primo, suprascriptæ Literæ lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt in Locis suprascriptis, ut moris est, per me Bernardinum Andreutium Apostolicum Cursorem.

Scipio de Octavianis Magister Cursorum.]

Nec minus invigilabat super reformandas Sanctimoniales Virgines, cùm enim accepisset Monasterium Ordinis S. Dominici extra mœnia Bononiæ, ubi dicitur Vallis Petræ, in tàm aperto loco non posse ità commodè religiosam honestatem observare, procurante Bononiense Senatu, statuit Virgines illas ad locum nostrum S. Joseph de Galierâ hoc eodem anno trãsferendas esse .3. quare oportuit ut Generalis Zacharias veterem illam nostri Ordinis Sedem à temporibus Bonif. 8. cederet, & Fratres ad præfatum locum S. Mariæ Magdalenæ extra Portam Saragotię secedere; quod quàm ægre tulissent antiquiores Patres nostri non oportet modò referre: illud tamen pium spectaculum non est silentio prætereundum, quod eâdem simul horâ utrobiq; decedentes Sorores in Curribus advectæ, & Fratres maximo in numero pedites procedentes, illæ ad Galieram, isti ad Saragotiam per diversas vias Cruce hinc inde pręcedente, Patres nostri unà cum P. Generali, & luminaribus multis, quasi inferias celebrantes per Urbem super plaustra sericis cortinis cooperta ossa Patrum nostrorum, psallente Choro, & populi multitudine spectante Kalendis Junij ad novum locum deportarunt, [Literæ Apostolicæ ad hoc Romæ datæ sunt sequentis tenoris.

PP. S. Joseph de Galierâ Bononiæ transeũt in Saragotiam.

PIUS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Pro nostri muneris officio quantùm in Nobis est curare, & procurare debemus, ut quæ de vitandis periculis Sacrarum Virginum Cœtui ob iniquam, vel

A *certè suspectam Locorum positionem imminentibus, aliisque honestis causis Prædecessoribus nostris benè, ac prudenter ordinata sunt; etsi demum æquitatis, vel justitiæ specie abrogata, pia, Sacrisque Canonibus juxta dispositione nostrâ ad debitum effectum reducantur, ritèque compositis ibi rebus omnibus eâdem operâ consulatur, ut aliæ Regulares personæ Locis suis hac de causâ cedentes, quo minori potest dispendio prægraventur. Olim quidem, ex quo illa Sanctimonialium Monasteria extra Mœnia Urbis, vel Oppidi constituta malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus sine ullâ sæpè custodiâ exposita conspiciuntur, fel. rec. Paulus Papa IV. Prædecessor noster hac ratione adductus dilectas in Christo Filias Priorissam, & Moniales*

Bulla Pij V. pro trãslatione PP. Bononiæ de Galierâ in Saragotiam.

B *Monasterij S. Mariæ Magdalenæ in suburbiis Portæ Saragotię Civitatis nostræ Bonon. Ordinis S. Augustini sub curâ, & habitu, regularibusque institutis Fratrum Prædicatorum de Observantiâ nuncupatorum degentes in Domum S. Joseph Viæ Galieræ prope Forum Boarium d. Civitatis Ordinis B.M. Servorum, ac vicissim illius Priorem, & Fratres, in d. Monasterium B. Marię Magdalenę voluit transferendos; sed suis super hoc Literis executione non demandatis, pię mem. Pius Papa IV. etiam Prędecessor noster, illas certis suadentibus causis per suas etiam literas revocavit. Nos verò plenam bonorum omnium notitiam habentes, Sacrique Concilij Tridentini constitutione de hujusmodi Mulieribus, quę foris sunt, intra Urbium Mœnia*

C *traducendis promulgatâ fortiùs impulsi periculoso dd. Monialium statui pleniùs occurrere, simulque ipsorum Prioris, & Fratrum indemnitati, quantùm potest, consulere cupientes. Motu proprio, & ex certâ scientiâ nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine curam Animarum dilectorum Filiorum Parochianorum Ecclesiæ Domûs S. Joseph hujusmodi, quæ etiam Parochialis existit, ab ipsius Domo, & Ecclesiâ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium penitus abdicamus, eamque cum suis honoribus, oneribus, & emolumentis consuetis Ecclesiæ Domûs S. Benedicti Bononien. Ordinis Fratrum Minimorum parùm inde remotæ, similemque curam habenti adscribimus, ac dilectis Filiis illius Conventui, & Fratribus perpetuò demandamus,*

D *volumusque ipsos Parochianos ad illos tanquam Pastores Animarum suarum, & eandem Ecclesiam S. Benedicti de hinc confugere. Ipsos verò Correctorem, & Fratres in virtute S. Obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœnâ curam ipsam suscipere, illamque pariter, ut veterem erga eosdem Parochianos eadem opera exercere. Præterea in Monasterio B. M. Magdalenæ S. Augustini, in Domo verò S. Joseph B. Mariæ Servorum Ordines præfatos supprimimus, & extinguimus, ipsasque invocationes invicem permutamus; Ita quod ante hac S. Joseph debinc B. Mariæ Magdalenæ, & rursus, quòd B. Maria Magdalena nuncupabatur, de cætero S. Joseph nomine invocetur, ac Priorissam, & Conventum*

tum

tam universum Monialium ex ipsâ nunc Domo S. Joseph, extra ad nunc Monasterium B. Mariæ E Magdalenæ Ordinis S. Augustini intra; & vicissim Priorem, & Fratres præfatos inde ad ipsam sic reformatam S. Joseph Domum extra muros Bonon. hujusmodi cum suis utriusque Privilegijs, Indulgentijs, & Libertatibus, necnon Reliquijs localibus, ornamentis, paramentis, & alijs Bonis mobilibus transferimus, & ipsum nunc B. Mariæ Magdalenæ Monasterium in Civitate prædictâ constitutum cum illius Ecclesiâ, & in eâ Altaribus etiam de Jurepatronatûs laicorum etiam nobilium existentibus, ac clausuris, omnibusque Domibus illi contiguis, & adhærentibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, & in Emphiteusim perpetuam, seu aliàs per ipsius Priorem. & Fratres quibusvis personis, qua cunque dignitate fungentibus concessis, ac Horto, seu Viridario à dilectis Filijs Quadraginta F Viris Regiminis d. Civitatis præsidentibus empto dd. Priorissæ & Conventus. Contra verò Priori, & Fratribus B. Mariæ Servorum hujusmodi Domum nunc S. Joseph extra Civitatem Bonon. ac etiam illius Ecclesiam, necnon Domus Castaldionis nuncupatam pro eorum usu, & habitatione cum omnibus iuribus, fructibus, redditibus, & proventibus suis, exceptis tamen, & seclusis d. Terrenis, d. Domui nunc S. Joseph contiguis, quæ ad dd. Priorissam, & Conventum, ut priùs pertineat, perpetuò concedimus, & assignamus. Ita quòd liceat ex nunc utrisque ad sua cuique assignata Loca cum Privilegijs, Indulgentijs, Libertatibus, Reliquijs Localibus, ornamentis, paramentis, ac Bonis præfatis transire, illorumque . . . . jarium, & G pertinentiarum præfatorum corporalem possessionem liberè apprehendere, & ibi perpetuò remanere. Quia verò nostræ omnino intentionis est, animumque ita nostrum induximus, ut præmissa quamprimùm perficiantur; Idcirco dilecto Filio nostro Gabrieli Titali SS. Joannis, & Pauli Presb. Cardinali Paleotto nuncupato Ecclesiæ Bonon. ex dispensatione Apostolicâ Præsuli per præsentes motu simili committimus, & mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, omnia, & singula præmissa debitæ executioni demandare, ac Priorissam, & Moniales, necnon Priorem, & Fratres præfatos ad mutuam Translationes hujusmodi intra octo dies postquam præsentes Literæ d. Gabrieli Cardinali præsentatæ fuerint, cum effectu faciendas, etiamsi Monasterium dd. Priorissæ, & Monialibus assignatum pro tanto illarum numero de præsenti ca- H pax non sit, etiam sub Censuris Ecclesiasticis, ac pecuniarijs pœnis ejus arbitrio infligendis, apponendis, & applicandis, alijsque Juris, & facti remedijs, quacunque appellatione remotâ compellere. Præterea, si aliquam differentiam super inæqualitate valoris fructuum Monasteriorum præfatorum oriri contingat, ut omnis occasio querelæ penitus amputetur, causam, & causas, seu differentias hujusmodi cum omnibus, & singulis suis incidentijs, dependentijs, emergentijs, annexis, & connexis summariè, ac sine aliquo ordine judiciario, ac scripturâ, quacunque appellatione remotâ, & manu regiâ componere, & decidere, fineque debito terminare procuret. Nos enim omnes, & singulos suprascriptos, ac quoscunque alios sua in præmissis communiter, vel divisim interesse putantes, & in decreto, seu executione citationis præsentium vigore per eum decernendæ nominandos, etiamsi per Edictum locis publicis affigendum citandi, eisque, ac quibusvis Judicibus, & personis, quibus opus fuerit, etiam sub censuris, & pœnis præfatis, ac simili Edicto inhibendi, & in eventum non paritionis Censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, Interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque Brachij secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, cæteraque in præmissis, & etiam ea necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi plenam, liberam, & amplissimam tribuimus facultatem. Decernentes motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus neque Priorissam, & Moniales, neque Priorem, & Fratres, vel eorum Generales, aut alios Superiores, seu Religiones suas, neque Parochianos præfatos etiam ratione enormis, & enormissimæ læsionis, aut quacunque aliâ causâ à præfatâ nostrâ adjudicatione ullo unquam tempore reclamare, vel resilire, neque præsentes Literas subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis juris, & facti defectu notari, neque quempiam illorum eadem præmissa impugnare, aut eorum annullationem procurare posse, sicque per quoscunque Judices ordinarios, ac delegatos etiam Cameræ Apostolicæ Palatij Auditores, ac S.R.E. Cardinales sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari debere, irritum quoque. & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Cæterùm ne occasione quæstionis, seu controversiæ hujusmodi, ac quovis alio prætextu translationes, & reductiones præfatæ impediantur, volumus, & d. Auctoritate statuimus illas omnino intra dictos octo dies fieri; deinde omnes hujusmodi quæstiones modo præmisso componi, tractari, & fine debito terminari debere. Non obstantibus literis Pij Papæ IV. & alijs præmissis, ac nostrâ de non tollendo iure quæsito, alijsque constitutionibus, & ordinationibus, Cameræque Apostolicæ Regulis, necnon Monasteriorum, Domorum, & Ordinum præfatorum Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs, indultis conservatorijs, & Literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, necnon Collegijs, Universitatibus, & Civitati Bonon., ac quibusvis alijs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & iteratis vicibus etiam motu, & scientiâ similibus innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus

spe-

specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, ac harum serie specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si Prioribus, Conventibus, Superioribus, Collegijs, & personis præfatis, vel quibusvis alijs communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 6. Aprilis 1566. Pontificatûs nostri anno primo.

Cæsar Glorierius.

Hujus autem rei monumentum apparet impressum lapidi in eadem Ecclesiâ S. Joseph in Saragotiâ, ubi modò habitant Patres.]

Per eos quoque dies Zacharias Generalis augendæ Religionis percupidus, atq; prędecessorum consilijs inhęrens, de Provincijs Hispaniarum valde solicitus erat, cùm pręsertim audisset quantum suâ pręedicatione proficeret, & quanti fieret apud Joannem Regem Portugallię M. Eusebius .4. de Imolâ, qui ad eas oras amplâ cum potestate per C Joannem Baptistam Altensem Generalis Vicarius, & Apostolicus Concionator pręmissus fuerat; quare & ipse per lit. pat. Florentię datas die 10. Maij Vicarium suum, & pręsertim Sororum Pedis Crucis de Valentiâ Rectorem, & Confessarium P. Franciscum .5. Tovar ad Hispanos legavit, ut nova loca acquireret, quemadmodum Ann. Dom. 1564. ad preces Monialium Molvedri pręmiserat M. .6. Ludovicum de Faventiâ, qui pluries in earum administratione, & in eodem Vicariatu generali se benè gesserat. Inter hec recolendę memorię occurrit beata mors P. nostri Raphaelis de Barulo patriâ Ascriviensis Dalmatię. Hic ab ineunte ætate suscepto B.V. habi- D tu, & Laicorum emissâ professione, humillimus semper Deo, & Patribus nostris inservire studuit. Illud mirum de eo refertur, quòd cùm a Cœnobio nostro extra Barulum ad Terram pro quęritandis elecmosynis progrederetur, vix ipsius voce perceptâ, puerorum, & utriusque sexûs pia turba illi obviam ibant, qui ultrò eleemosynas eidem deferebant, quibus oneratus, ad Cœnobium rediens, extra Baruli portam semper egenorum multitudinem inveniebat, in quos tantâ charitate vir Dei flagrabat, ut illis omnem collectam eleemosynam distribuens, denuò Terram ingrederetur, & facilè alias eleemosynas pro Fratribus nostris inveniebat, in tantâ erat apud

Eusebius Concion. Apost. apud Joannem Regem Lusitaniæ,

B. Raphaelis de Barulo obitus & gesta.

populum illum veneratione; & hoc modo A quoties ad quæstum properaret, semper priores oblationes Christi pauperibus erogabat, posteriores verò pro Fratribus conservabat. A' Barulitanis summâ existimatione colebatur, non modò ob eximiam in egenos charitatem, sed etiam ob maximam pœnitentię in se ipsum austeritatem, sciebat enim Dei spiritu ductus, Diabolum valdè oblectari crapulâ, ebrietate, & corporis commodis, nam pręter tunicam, & ceteros regulares habitus, nudus omnino, & absque calceis semper incedebat. Cellam, ubi quiesceret, non habebat, sed cùm lassitudine victus, noctu aliquantulum somni capere vellet, in refectorio humi sic indutus cubabat. Quòd si vel levibus quibusdam Diaboli suggestionibus nocturno tē- B pore aliquando tentaretur, ad illas fugandas præter alia remedia, se totum gelidâ aquâ madefaciebat; frequens illi Sacramentorum usus, assidua oratio, incredibilis abstinentia, & summâ cum simplicitate humilitas, ac mansuetudo erat. His igitur virtutibus, & armis protectus B.V. Servus, nullâ pręcedente morbi infirmitate, de suo tandem obitu Divinitùs admonitus, ad extremum vitę pervenit; nam intempestâ quâdam nocte, præter suam consuetudinem fortiter exclamare cœpit, & Fratres excitare, quòd se à Deo evocari assereret, & ideo sacris sacramentis velle muniri: quare P. Bartholomæus Janatasius Gephonensis de Sieti ad ejus clamorem assurgens, & cum in Ecclesiam properantem secutus, ejus confessionem excepit, & sacrâ Communione ante B. V. Altare refecit, ubi illicò sic genibus flexis, manibus junctis, oculis ad Cœlum intentis, ferventi spiritu orans, devotissime animam exalavit, cęteris Fratribus ad rei novitatem accurrentibus, & præ admiratione sic exanimem, & genuflexum ad instar S. Pauli primi Eremitę contemplantibus, & in Servo B.M.V. Deum laudantibus. Cujus obitu per vicinia evulgato, pręcipuè Baruli, magnâ Populi frequentiâ catervatim tribus illidus diebus, quibus ad multitudinis instantiam insepultus remansit, maximâ devotione visus, & veneratus fuit, singuli saltem frustulum vestimentorum ipsius expostulantes. Siquis ejus imaginem D delineare vellet, genibus & manibus complicatis, cervice Cœlum versus erectâ coram B. Virginis Arâ cum sarcinulis super humeros, & calculorum coronâ in manibus effingere poterit. Ad extremum jam pervenerat annus iste, quando Romę M. Octavius Pantagathus de Brixiâ extremum & ipse diem persolvit 14. Kal. Januarij. Hic ab incunabulis Pomponium Letum habuit Magistrum, quo duce in humanioribus primùm valde eruditus evasit, gravioribus deinde studijs intentus Parisios concessit, ubi tam diù literis operam navavit, quoad Sorbonicam lauream sui Magisterij, postquam dè se egregium præbuisset periculum, accipere mereretur. Doctor igitur

Imago B. Raphaelis.

Octavius Pantagathus de Brixiâ.

tur

tur Partinus in Italiam remeavit, cumque in omni genere scientiarum esset apprimè ex- E cultus, temporibus Leonis X. ab Antonio de Monte Card. Protect. Romam ascitus, Cathedrâ in Romanâ Sapientiâ ab eodem Sum. Pontifice donatus fuit, ubi quantum diù legendo profecisset, testes sunt omnes illius temporis viri doctissimi, qui illum tanquam Asylum, & literarum Oraculum adibant, & ob suas eximias virtutes *Pantagathum* appellabant. Cui ob elegantiam scribendi Guilelmus Sirletus, qui postea fuit Cardinalis, plurimum deferebat. In histor js conscribendis tàm excellens habitus, 8. ut Chronographus ab Antonio Possevino valdè laudatus, & approbatus fuerit, et [in Apparatu Sacro. Appendix ad lit. O. hęc de eo scripta fuerint: Octavius Pantagathus, qui Vir Religiosus, & F Doctus vivebat anno 1550. & quod excurrit scripsit Chronographiam, quę M.S. in folio extabat in Bibliothecâ Vincentij Pinelli. quę post ejus mortem fuit transvecta Patavio Neapolim.] à quo Octavio Pantagatho Honuphrius Panuinius cùm Romanas antiquitates imprimeret, mutuatus est plurima. Paulus verò Manutius in epistolis suis, eum nostri sęculi *Varonem* appellat, Joanni Salviato Card. adeò charus, ut ejus operâ à Summ. Pontif. Abbas Mazariensis, qui locus est Sicilię, institueretur. Insuper Antonius Muretus ejus consuetudine maximè delectabatur, qui in Comment. super Catullum, illum in omni genere honestarum artium excellentem vocat, quòd multa veterum Poetarum loca de- G pravata emandarit. Quare non abs re Carolus Malatesta in ejus obitu ad Paulum Manutium hęc carmina cecinit.

Quis nunc, Paule, meas rumor sic occupat aures?
Decessit nobis fortè ne Pantagathus?
Heu scelus indignum, quæ demetit omnia falce,
Invidit doctis commoda tanta viris?
Quis nunc exponet nodosa poemata Vatum,
Sculptaque in antiquis carmina marmoribus?
Quis veterum nummos, mensuras, pondera, ludos,
Nomine, quo pisces, quove vocentur aves?
Ploremus cuncti pariter decur unus horæ
Momento Hesperij decidit omne soli.

De quo tandem mihi plura alia Brixiæ ho- H norificè testatus est Illustris D. Io. Franciscus Morsonus Theologus, Canonicus, & Examinator Diœcesis Brixianæ. Summo itaque Urbis, & studiosorum mœrore in ipsâ Româ apud S. Mariam in viâ sub marmoreo elogio, quod, renovatâ Ecclesiâ, hodie inter rudera visitur, tumulatus fuit.

D. O. M.

Octavio Pantagatho Brixiensi Sodalitatis Servorum Observant. Sodali, Viro antiquæ probitatis, tantique erga omnes officij, ut unus in Urbe Patris cognomine coleretur. Augustinus, & Jo. Antonius Ricciardi Hæredes ex testamento, Avunculo benemerito pp. Vixit annos 73. Menses 4. die 20. Obijt anno sal. 1566. 14. Kal. Januarij.

Aviditas illorum, qui tam indignè, & inverecundè monumenta, & libros clarissimorum virorum vili pretio vendere consueverunt, nos cogit hoc loco vel invitos ejusdem celeberrimi Pantagathi præclaras lucubrationes silentio involvere. Nisi fortè fortunâ ex suis collectaneis quidam ex Riciardis Brixianus in suis operibus de Symbolicâ theologâ fructuosè satis plura mutuatus fuerit. Impressum Venetijs etiam fuit hoc anno Itinerarium peregrinationis Venerabilis P. Noè Bianci Veneti ad Sanctum Jesu Christi sepulcrum. quò ipse de superiorum licentiâ perrexit, & feliciter remeavit.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 POcciant. in Chron.
2 Ex ejus bullâ Romæ 29. Martij. [*Exemplar hujus Bullæ vidi in Bibliothecâ nostrâ Vesis die 4. Martij 1719., quod hic transcripsimus.*]
3 *Ex epitaphio ejusdem Ecclesiæ S. Joseph, & Pocctan. ad annum* 1564.
4. 5. 6 *Ex Regesto eorundem Generalium.*
7 *Ex attestatione jure jurando factâ per ipsummet P.F. Bartholomæum Confessarium, & alios plures Patres, qui illum noverunt per examen in scriptis constat. à M. Jo. Baptistâ Mirto de Neapoli Provinciali.*
8 *Ex apparatu sacro Antonij Possevini.*

De horis canonicis, & Missâ in festo B. P. N. *Philippi renovatis.*
C A P. VII.

VEtus illud antiquorum Patrum desiderium de B. P. N. Philippo canonizando eò vehementiùs Generalis Zachariæ pulsabat animum, quò existimaret præcipui muneris esse Florentinum pro concive laborare, cui etiam accedebat Cosmi Ducis propensio in Parriam, ut nihil antiquius haberet, quàm suos Patricios cùm virtute, tùm religione præclaros, conspicuos, & clariores reddere. Quod fortasse uttique ex sententiâ contigisset, nisi Summus Pontifex tot bellorum cladibus nimis exagitatus fuisset. Non tamen defuit Zacharias, quin undequaque perquisitis, & simul congestis antiquorum codicibus acta ejusdem B. P. ad præ-

scri-

ſcriptum Romani officij conſcribi, evulgari, & obſervari in noſtris Eccleſijs curaret. Plerique igitur ad id muneris excitari plura officia pro horis canonicis in Feſto B. Philippi compilarunt, quemadmodum jam inter Patres Congregationis P. Hieronymus Biancus de Mutinâ Officium hujuſmodi Paravij impreſſum M. Paulo Vicentino Vicario Gener. Congregationis dedicaverat. Verùm nullus fortaſſe, aut propiùs, aut elegantiùs rem attigit, quàm P. Hippolytus Maſſarinus Lucenſis, tunc ſtudioſiſſimus juvenis, qui plurimis Patribus hortantibus, præſertim Archangelo Bruſculo, idem officium B. Philippi cum ſuis geſtis ex antiquioribus elegantiori ſtylo compoſuit, Venetijs impreſſum ann. Dom. 1560. & Patri Dionyſio Lucenſi nuncupavit. Ejus quoque Miſſam ex antiquis codicibus ordinavit, quæ cùm publicè probaretur, in Miſſali Romano illius temporis recepta fuit impreſſa apud Joannem Variſcum Venetijs 1569. Cujus Exemplar ne penitus oblivioni mandaretur, libet eò diligentiùs inter hos Annales referre, quò noſtris his diebus inter compulſorias ſcripturas Proceſſus ſuper ejus canonizatione Florentiæ conflari, de verbo ad verbum admiſſum, receptumq; vidimus.

MISSA SANCTI PHILIPPI CONFESSORIS,

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

Introitus.

ECce ſervus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium gentibus proferet.
Pſalm. Laudate nomen Domini, laudate ſervi Dominum. ℣. Gloria.

Oratio.

DEus, qui, cùm adhuc inimici eſſemus, omnia ſanguine filij tui reconciliari voluiſti; præſta quæſumus, ut in hac ſolemnitate beati Philippi Confeſsoris tui ſanctorum orationibus pio corde gaudeamus. Per eundem, &c.

Lectio Epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

FRatres, ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto; nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles, nos autem ignobiles. Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus. A Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc. Non ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſsimos moneo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. *Grad.* Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo, fluenta gratiæ propinavit in populo ſanctus Dei Philippus, & accepit ſtolam gloriæ conſummatione virtutis. ℟. Fidelis Servus virginis, quem invenit vigilantem protinus otiens ex alto Dominus rex gloriæ.

Alleluja. Nobilis genere, ſed ſanctitate nobilior fuit glorioſus Philippus, qui mundi opibus contemptis cœlos viſitat, viâ bonitatis, atque hic multiplici gradu claritatis.

Alleluja. Ora pro nobis apud Deum venerande Confeſsor, ut fallacis carnis jacula ſu- B peremus, & Virgini Dei Matri devotè ſerviamus.

Sequentia Sancti Evangelij ſecundùm Mathæum. cap. 6.

IN illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, aut enim unum odiò habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manduceris; neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus eſt, quàm eſca, & corpus pluſquam veſtimentum? Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, C neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum unum? & de veſtimento quid ſolliciti eſtis? conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt; non laborant, neque nent. dico autem vobis; quoniam nec Salomon in omni gloriâ ſuâ coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater veſter cœleſtis, quia his omnibus indigeris. Quærite ergo D primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.

Off. Glorioſe pater Philippe, qui tua ſequutur veſtigia, humiliter ſervit Mariæ; quam attollimus in ſecula.

Secreta.

HÆc dona, Domine Deus, qui Servis tuis regnum paras in cœlis, ſanctifica, & hoſtiæ ſpiritalis oblatione ſuſceptâ; ab omni peccatorum ſervitute nos libera, & interceſſione beati Philippi fac, ut tibi, tuæque dignè mereamur ſervire Genitrici. Per Dom.

Communio.

SAlve Dive Philippe Florentię Decus, lux, & forma Servorum, carnis ab exilio duc nos ad regna Polorum.

Postcommunio.

PIetatem tuam, Domine, beatus Philippus pro nobis exoret, ut sicut beatissimæ Genitricis filij tui Mariæ servus extitit in terris, ita nos sub tantæ Matris patrocinio ad te pervenire cupientes, eum vitæ nostræ protectorem habere mereamur in cœlis. Per eundem.

Monast. Pedis Crucis de Valentiâ.

[Ad eundem annum 1566. referenda sunt Loca quædam Ordini nostro concessa. Primò quidem Monasterium Monialium quæ nuncupantur de *Pede Crucis* de Valentiâ, quatenus hoc recensitum apparet in Regesto Generalis Zachariæ Faldossi de Florentiâ die 10. Maij hujus anni, qui eo tempore Sanctimonialibus illis regendis præfecit P. Franciscum Favar Hispanum, ibique deinceps integritate vitæ, & disciplinæ regularis studio floruisse plurimas Sorores aliunde constat. Cæterùm ad annum 1598. referunt quidam ex recentioribus Loci hujus originem, quod fusiùs ad eundem annum exponemus, & renovationem, seu instaurationem potius ejusdem fuisse dicemus, cùm dubitare non liceat Monasterium hoc reipsâ fuisse pro Monialibus nostri Ordinis erectum hoc anno 1566. ex quo ipsum in prædicto Regesto recensitum legimus, quod planè recensitum non fuisset nisi ad Ordinem nostrum reipsâ spectasset. Ex eodem Regesto didicimus, quòd eodem anno ad Provinciam Genuensem pertinebat Conventus quidam, cui titulus erat S. . . . . de Castelietto, de quo nil aliud exploratum habemus, sicut & de Conventu S. . . . . de Castro Novo Provinciæ Romanæ addicto, cujus Prior electus ibidem legitur anno 1567. P. Angelus de Pitiliano. Referri quoque solet ad annum 1566. circiter Conventûs cujusdam origo Augustæ Taurinorum sub Tit. S. Benigni cum Ecclesiâ Parochiali, quem Sabaudię Dux Emmanuel Joanni Baptistæ Milliovacca Astensi Viro celeberrimo alibi in his Annalibus memorato eo tempore Methaphysicam in Universitate illâ Taurinensi profitenti largitus fuerat, quem proinde Generalis Zacharias perpetuum ibi Priorem constituit. Cæterùm Locus hic reipsâ formam Conventûs sibi nunquam vendicavit, quemadmodum Philippus Ferrarius Vir è nostris eximius significavit P. Gregorio Alasiæ per Literas Papiæ datas die 22. Septembris 1621. ex quo Apostolica Rescripta ad hoc necessaria expedita nunquam fuere, sed Parochialis quædam erat Ecclesia in Foro majori, & prope Portam, quæ dicitur *S. Benigni*, seu corrupto nomine *Balegno*; ibi ergo ad obitum usque habitavit Milliovacca, & Ordinis nostri Patres Locum ipsum deinceps tenuissent, & in formam Conventûs redegissent, si P.M. Gaudiosus de Perusio Procurator Ordinis in Curiâ Romanâ eo temporis Summi Pontificis assensum obtinuisses, quod minimè præstitit, quâ de causâ non definierim, illud planè constat, quòd D. Hieronymus de Ruvere Card. & Archiepiscopus Taurinensis vehementer optabat, quòd Locum Ordo Servorum teneret, qui tandem æquatus solo fuit ob publicum dilatandi Fori commodum. Jacturam hanc, & quidem gravissimam aliquomodo reparatam sensit Ordo noster consequentibus temporibus, cùm eidem, sed extra Urbem accessit Locus sub Tit. S. Salvatoris, & S. Valentini, prout dicendum erit ad annum 1657. Referendum deoique est ad hunc annum 1566. Monasterium, quod in Civitate Pisauri Victoria Farnesia de Ruvere à fundamentis excitavit pro Monialibus Tertij Ordinis Servorum sub Titulo Purificationis B.M.V. prout constat ex Literis Apostolicis Pij Papæ V. in Archivo Episcopali illius Urbis asservatis. Ibi ergo Sorores, & quidem plurimæ, juxta Ordinis Servorum instituta religiosissimæ vitæ genus semper duxere, prout ex ejusdem Loci monumentis intelligere licuit.]

Conv. S. . . . . de Castelletto S. . . . de Castro Novo, & S. Benigni de Taurino.

Monast. Purificationis B.M.V. Pisauri

In Comitijs generalibus Bononiæ in Conventu S. Joseph decernuntur novæ Constitutiones, & evulgatur historia Religionis Michaelis Pocciantij de Florentiâ.

C A P. VIII.

TEmpore generalium Comitiorum accedente, Summ. Pontifex Pius V. ad cohonestandum, relevandumque Capitulum illud, amplissimas pro singulis Ecclesijs etc. nostri Ordinis Indulgentias visitantibus illas in diebus Dominicæ Palmarum, Annunciationis B.M.V. & Pentecostes, necnon in triduo ejusdem Capituli, plenariè concessit, sub datum Romæ die 12. Februarij. Eodem quoque zelo futuri Capituli Zacharias Gen. præmiserat Archangelum Brusculo, qui in Æde S. Petronij per Quadragesimale jejunium conciones haberet, quo in munere quantùm prævaluisset suâ eloquentiâ, & doctrinâ Brusculus testantur adhuc parietes illi, quòd confluentium ad conciones Bononiensium multitudinem vix capere possent: testatur & illud memorandum, quod accidit, ut in tantâ dicendi auctoritate perterritus Franciscus Panigarola adolescens, qui tunc Bononiæ studiorum causâ commorabatur, preteritæ vitę pœniteret, & suasione Archangeli Brusculi rebus Mundi postbabitis, ad cinericium sagum S. Francisci confugeret, quo in Ordine quantum suâ prædicatione postmodum valuisset, Italia tota cognovit. Insuper D. Farnesius Protector Zachariæ Generalis inspectâ solicitudine, & diligentiâ

in

in administrandâ Religione cum Summ.Pontifice egit, ut non obstante Constitutione de solo triennio Priorum Generalium, ejus officium in aliud triennium prorogaretur. Cur autem id factum sit apertissimè declarant verba Apostolicarum literarum, quæ ad Id Romæ datæ fuerunt die 18. Aprilis, sic enim habent. .2.

Nos igitur, qui dicti Ordinis felicem successum, & illius personarum tranquillum statum sinceris desideramus affectibus, Sperantes, quòd tu ob Religionis zelum, vitæ munditiam, morum honestatem, aliaq; laudabilia probitatis, & virtutis merita, quibus te Altissimus insignivit, eidem Religioni plurimùm fructuosus eris, hujusmodi supplicationibus inclinati, triennium præfatum ad aliud triennium à dictâ die 17. Mensis Maij inchoandum auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de speciali gratiâ prorogamus, pariter & extendimus, &c.

Literæ Card. Farnesij Idem quoq; Cardin. Farnesius .2. præfatum Zachariam ejusdem Capituli Gen. Præsidentem sequentium literarum tenore præfecit.

Alexander miseratione divinâ Episcopus Tusculanus S.R.E.Vicecancellarius Cardinalis Farnesius nuncupatus, Ordinis & Congregationis Beatæ Mariæ Servorum Protector. Cùm propediem Capitulum Generale Fratrum Ordinis, & Congregationis Beatæ Mariæ Servorum in Civitate Bononiæ celebrandum sit, multáque in eo gravia, & diversa negocia ad Christianam religionem, & bonos mores maximè spectantia tractanda esse intelligamus. Nos qui Ordinis, & Congregationis prædictorum Protectorem gerimus, considerantes negocia ipsa maturiùs, & salubriùs expediri posse, si quispiam vices Nostras repræsentans ibi Nostrâ auctoritate intervenerit hujusmodi consideratione adducti. Venerabilem Virum Magistrum Zachariam de Florentiâ ejusdem Ordinis ad præsens Generalem, ad Nostro nomine in dicto Capitulo præsidendum, tenore præsentium constituimus, & deputamus, cum plenâ, & omnimodâ potestate gerendi, faciendi, & exercendi omnia, & singula, quæ Nos ipsi, si personaliter inibi interessemus, gerere, facere, & exercere valeremus. Ex nunc, prout ex tunc, quicquid per eum gestum, actumve fuerit gratum, & ratum habentes. In quorum fidem præsentes Nostras fieri, & per Secretarium Nostrum infrascriptum subscribi, ac sigilli Nostri, quo in similibus utimur, jussimus appensione muniri.

Datum Romæ in Ædibus nostræ solitæ residentiæ. Die XXVIII. Aprilis Millesimo Quingentesimo sexagesimo septimo Pontificatûs Sanctissimi D.N.D. Pij Divinâ providentiâ Papæ Quinti Anno Secundo.

A. Card. Farnesius Protector.

Carol. Gualterut. Secret.

Die igitur Comitiorum accedenre, lectæ A primùm fuerunt superiores literæ Illustrissimi D. Protectoris; deinde publicatum Diploma Apostolicum de confirmatione Prioris Generalis, quibus universus .4. tam Congregationis, quàm Ordinis Patrum ingens numerus plausibili gratulatione consensit. In Romanâ verò curiâ statuitur Procurator M. Gaudiosus Floridus de Perusio, cui, cùm mediocris literaturæ esset, pro sustinendâ Cathedrâ Sapientiæ hujusmodi Procuratoribus consuetâ, sufficitur iterum Lector ejus Prædecessor M. Benedictus de Burgo S. Sepulcri. Horum Comitiorum summa .5. fuit, ut quæ jam per Provinciales circa Constitutionum reformationem collecta fuissent, diligenter examinarentur, probarentur que & in novas B Constitutiones per Apostolicam Sedem approbandas cederentur. In his etiam Comitijs monumenta Religionis vigilantiâ, & studio Magistri Michaelis Pocciantij elucubrata, & in unum collecta, atq; sub hoc titulo *Chronicon Ordinis Servorum* edita, summo omnium desiderio evulgantur. Opus quidem Religionis Servorum verè aureum, quod nobis hactenus tanquam Cynosura in hoc vasto Annalium pelago viam feliciter aperire potuit, cui quantùm lucis conferibendæ historiæ nostræ exhibuit, tantundem gratiæ nos debere fatemur. Hæc quoque Comitia per plures literarios agones doctissimorum virorum cohonestata fuerunt. Publicè enim & in D. Petronij, & in Ecclesiâ nostrâ Servorum, & alibi disputaverunt hi præclari viri, quì inter C alios numerantur .6. MM. Jo. Baptista Librantius de Butrio Methaphysicus Pisarum, & Damianus de Florentiâ, & PP. Aurelius Menochius de Bononiâ, & Alexander Vinea de Summaripâ. Inter eos quoque dies Comitiorum Lucas Machiavellus pro suâ consuetudine præclatam habuit orationem ad Patres de Rep. in pristinam libertatem, & in antiquam vivendi rationem vindicanda. Absolutis tandem Comitijs generalibus Ordinis, celebratum fuit in Ecclesiâ S. Georgij Capitulum Congregationis die 21. ejusdem, quò convenerant Patres ad conferenda suffragia numero 110. qui in suum Vicarium Generalem elegerunt .7. M. Joseph Fredium de Ser-D meto Mantuanum, qui eodem consilio suas Constitutiones reformandas fore proposuit, ut & ipsæ ad normam Sacri Concilij Tridentini redigerentur.

Zacharias iterum apostol. auctor. Gen. tũ firmatus.

[Eodem anno 1567. Zacharias Generalis de Florentiâ quamlibentissimè concessit Ordinis immunitates, & indulta societati illi, ex quâ Florentiæ septem Beati Fundatores nostri exiere, quæque à veteri situ ad illum translata, ubi nunc est, prout diximus ad annum 1233. Titulum obtinuit S. Zenobij Civitatis illius Patroni, quæ antea dicebatur solùm societas Laudensium, seu Laudantium, B.M.V. Confratribus ergo illius Societatis, & quidem plurimis, atque conspicuis humil-

Zacharias Ge. concedit Privil. Ordin. Societ. Laudẽsium Florentiæ.

limè poſcentibus privilegia prædicta indulſit, prout conſtat ex Literis ejuſdem patenribus, quarum originale ſervatur in eadem ſocietate, ſequenris renoris.

FR. Zacharias de Florentiâ Sacrarum Literarum humilis Profeſſor, ac totius Ordinis Servorum B.M.V. ſub regulâ S. Auguſtini Prior Generalis. Devotiſſimis, ac Deo dilectis Viris Gubernatori, Conſiliarijs, Reformatoribus, cæteriſque hominibus, ac perſonis Confratriæ Landenſium (ut olim dicebatur) Beatæ Mariæ Virginis, aut S. Zenobij (ut nunc fertur) ſalutem, & pacem in eo qui eſt omnium ſalus, &c. Divinæ diſpenſationis in Almâ Servorum Religione participes effecti, Deique optimi maximi, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ſummam bonitatem cognoſcentes, non poſſumus non ſummoperè laudare, ſemperque magnifacere, & favoribus omnibus hanc veſtram Societatem proſequi, cùm certò cognoverimus Religionis Noſtræ Servorum B.M. initia, & exordia ex eadem Societate, tanquam ex petrâ Cruce Chriſti percuſſâ (Spiritu S. illuſtrante) uberrimo fonte manaſſe, atque illius Societatis Filios, tanquam olivarum novellas ſurgentes, jactis noſtrę Religionis fundamentis, vitâ, moribus, probitate, Sanctitateque ita claruiſſe, ut non ſolùm Servitunæ Familiæ augmentum, decus, & honorem non mediocrem attulerint, verùm etiam Sacroſanctę Romanę Eccleſię quotidie hactenus ſedulò inſervierint. Proinde quâ poſſumus charitate, Chriſti imitatores effecti, omnipotentis Dei benignitate confiſi, ac Chriſti Servatoris pietate commoti, atque meritis Beatę, & Immaculatę Virginis Marię, ſub cujus glorioſo Titulo inter cæteras Religiones, Ordo noſter Servorum à primęvâ ſui fundatione noſcitur ſpecialiter inſtitutus, innixi, ut faciliùs Cœlorum Regna conſequi valeatis, S. Sedis Apoſtolicę prædicta auctoritate tum præſentes, tum futuros univerſorum, & ſingulorum Religionis Indultorum, Privilegiorum, Miſſarum, Officiorum, Orationum, Prædicationum, Lectionum, Diſputationum, Jejuniorum, Eleemoſynarum, Peregrinationum, Diſciplinarum, Vigiliarum, Abſtinentiarum, Devotionum, Votorum, Contemplationum, Meditationum, Studiorum, Exercitationum, & aliorum quorumcunque meritorum, quę tam per Fratres, & Sorores de Tertio Ordine nuncupatas, quàm per Fratres, & Sorores Clauſtrales Ordinis Noſtri per univerſum Orbem degentes operari contigerit, plenariè participes facimus tenore pręſentium, & univerſa predicta impendimus, & impartimur, ut hoc multiplici ſuffragiorum pręſidio, & in pręſenti gratiam, & in futuro valeatis æternæ vitę pręmia poſſidere. Addentes inſuper de dono, & gratiâ ſpeciali, quòd poſtquã Divinę placuerit voluntati de exilio præſentis vitæ vos vocare, cum Habitu noſtro (ſi libitum fuerit) ſepeliri, ac etiam dum obitus veſter fuerit Generalibus Comitijs denunciatus, idem fiat pro vobis officium, quod pro Fratribus, & Sororibus noſtris Defunctis in toto noſtro Ordine communiter fieri conſuevit. In quorum omniũ fidem præſentes ſcribi, & ſigno Officij Noſtrî muniri fecimus.

Dat. Florentiæ in Venerabili Monaſterio D. Annunciatę MDLXVII. Die 25. Martij in die Annunciationis.

Cum noſtrę manu ſubſcriptione, *videlicet. Dominus ſuſcepit me.*

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

1 *HArum Indulgentiarum conceſſio habetur inter monumenta Conventûs S. Joſeph.*
2. 3. 4 *Inter monum. Conv. Florentię.*
5 *Ex actis ejuſdem Capituli.*
6 *Horum theorematũ impreſſa videri poſſunt in Bibliothecâ Piſanâ Patrum Florentinorum.*
7 *Ex Cathalogo Vic. Gen. & ex ipſis Conſtitutionibus Ferrariæ impreſſis ann. Dom. 1570.*

Ordo Servorum rurſus per Pium V. inter Mendicantes connumeratur, & multis privilegijs cumulatur.
CAP. IX.

INterea Summus Pontifex perceptis gravaminibus, & alijs incommodis, quibus ſub quæſito colore novæ Synodi Tridentinæ, paſsim, & ubiq; vexabantur ab Ordinarijs, & Prælatis Fratres Ordinum Mendicantium, Bullam illam .1. proprio motu evulgavit, de privilegijs, & immunitatibus quorumcunque Religioſorum Mendicantium Romę datam 17. Kal. Julij. Verùm ambigentibus multis, quinam eſſent inter Mendicantes computandi, quibus indultum illud ſuffragaretur, idem Pont. per ſequentem Bullam .2. qui verè eſſent Ordines Mendicantes, declaravit.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei memoriam.

ROmanus Pontifex, tam univerſalis Chriſtianæ, quàm ſingularum ejus Religionum præcipuus defenſor, omnibus illarum incommodis, pro ſui paſtoralis officij debito libenter occurrit, & eorum indemnitati ſalubriùs, juxta temporum, morumq; exigentiam, declarationibus, & alijs remedijs, conſulere ſolet opportunis. Sanè licet dilecti filij omnium Mendicantium Ordinum Fratres à contributione Seminarij Clericorum in quâlibet Civitate juxta ejuſdem Concilij formam erigendi per Tridentini Concilij decreta eximantur.

Fratres Servor. iterum inter Mendicantes computantur.

Noſque inter alia eiſdem Mendicantium Ordinum Fratribus conceſſa privilegia, eos, & eorum quemlibet tam à Seminarij hujuſmodi contributione, quàm ſubſidio quomodolibet, necnon decimis quibuſcunque, & certis alijs oneribus Apoſtolicâ auctoritate ſimiliter exemerimus,

mus, & liberaverimus, eosq; ad illorum omnium contributionem, nullo unquam tempore cogi, & compelli posse decreverimus.

Cùm tamen, sicut non sine animi Nostri molestiâ nuper accepimus, nonnulli locorum Ordinarij, & forsan in Provincialibus concilijs, eo forsan sub prætextu, quod Ordinum Mendicantium Fratres hujusmodi Bona stabilia ex indulto, seu dispensatione Apostolicâ retinere possunt, & propterea Mendicantes reverâ non sint, eos ad Seminarij subsidij, Decimarum, & aliorum onerum hujusmodi contributionem cogere forsan præsumpserunt, & indies præsumunt, in grave ipsorum Ordinum gravamen, & præjudicium non modicum. Nos animo revolventes eos ex fructibus Bonorum hujusmodi varias Reipublicæ Christianæ utilitates afferre, cum ex ipsis varios Magistros, & Doctores manuteneant, ex quorum Doctrinâ ipsorum Fratres Novitij eruditi postmodum effecti, gregem Dominicum prædicationibus suis, consilijs, confessionibus, orationibus, alijsque innumeris pietatis operibus juvent, & pascant: eorumque domos non minùs, imo magis, quàm ea, quæ per Ordinarios erecta sunt Seminaria, vocari posse, & propterea Mendicantium nomen amittere nullo modo debere. Volentes idcirco omnem dubitandi materiam amputare, omnes & singulos Mendicantium Ordinum Fratres hujusmodi, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon quarumcunq; litium, & causarum coram quibusvis judicibus, & ubicunq; quomodolibet pendentium status, & merita, nominaque & cognomina judicum, & collitigantium, necnon quorumcunque privilegiorum, indultorum, exemptionum, & immunitatum eorumdem Ordinum Mendicantium Fratribus hactenus quomodolibet concessorum, tenores præsentibus pro expressis habentes; lites quoque, & causas præfatas, ut præfertur, pendentes, ad Nos harum serie avocantes, illasq; penitus extinguentes, & collitigantibus hujusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes. Motu proprio, non ad ipsorum Fratrum, vel alicujus eorum Nobis super hæc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulos Quatuor Mendicantium Ordinum, videlicet, Sancti Dominici, & Sancti Francisci, ac Eremitarum Sancti Augustini, necnon Carmelitarum, & quos etiam recenseri volumus Servorum Beatæ Mariæ nominibus comprehensos Fratres, eorumque domus, Monasteria, & loca, etiamsi in communi propria Bona tam mobilia, quàm immobilia, & stabilia, ac alia quæcunque possederint Mendicantium vocabulo, & omnibus, & singulis Mendicantium privilegijs eis quomodolibet concessis, uti posse, & debere, nec super præmissis ullo unquam tempore molestari posse, auctoritate Apostolicâ per

A *præsentes statuimus, & declaramus, ac tam Concilij Tridentini, quàm omnia, & singula alia decreta, statuta, ordinationes, privilegia, & jura de Mendicantibus loquentia ad omnes, & singulos Ordines præfatos, eorumque domos, & loca, etiam propria Bona, in communi tamen retinentes, extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfatâ per easdem præsentes declaramus. Ac insuper eisdem Ordinarijs, & quibusvis alijs tam ecclesiasticis, quàm secularibus, quàvis auctoritate fungentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, & alijs arbitrio Nostro moderandis pœnis, similiter per præsentes mandamus, ut si quid per eos tam nostro, quàm prædecessoris Nostri temporibus, tam ratione Seminarij subsidij, & decimarum,*

B *quàm aliorum onerum hujusmodi exactum fuit, id totum eisdem Fratribus, omni morâ, & dilatione postpositis, restituant, districtiùs inhibentes eisdem locorum Ordinarijs, cæterisque personis tam ecclesiasticis, quàm secularibus, quavis auctoritate fungentibus, & cujusvis dignitatis, gradûs, & conditionis existentibus, ne eosdem Mendicantium Ordinum Fratres præfatos, Bona hujusmodi retinentes quovis prætextu super Seminarij subsidij, & decimarum contributione molestare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præsumant. Decernentes quoque præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, minusve sub*

C *quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, & restrictionibus, & alijs contrarijs dispositionibus tam per Nos, quàm etiam successores Nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiã derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcunque tenorum existant, includi, sed illis non obstantibus in suis robore, & efficaciâ persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, etiam sub Datum, etiam per ipsos eligenda de novo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis Nostræ esse, & ad hoc, ut perpetuâ firmitate subsistant, vim*

D *validi, & efficacis contractûs inter Sedem Apostolicam, & præfatorum Ordinum Mendicantium hujusmodi Fratres habere debere. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari debere: irritum quoque, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, necnon quarumcunque tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum*

Deca-

Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Thesaurarijs, & quibusvis alijs in eisdem Ecclesijs dignitates obtinentibus, ubilibet, & in quibuscunque Regionibus, Terris, & locis existentibus per præsentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Fratrum, vel alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisq. in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ eosdem Fratres, & eorum singulos præmissis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum quempiam super illis quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo. Et nihilominus legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris Nostri de unâ, & Concilij Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præsentium ad judicium non extrahatur, & alijs Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Concilijs editis specialibus, vel Generalibus constitution. & ordination. ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu simili, & ex certâ scientiâ, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet, etiam consistorialiter concessis, approbatis, confirmatis, & sæpiùs innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, illorumq. totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quòd præsentium transumptis manu alicujus notarij publici subscriptis, aut alicujus Prælati, vel in dignitate Ecclesiasticâ constituti, sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Quodque eædem præsentes in Valvis Cancellariæ Apostolicæ, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Floræ per aliquem ex cursoribus Nostris publicentur, & inter extravagantes constitutiones perpetuò valituras conscribantur: ac postquam publicatæ fuerint, plenam, & indubiam fidem faciant: necnon omnes, & singulos illas concernentes, perinde ligent, ac si essent personaliter intimatæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die Primâ Octobris. MDLXVII. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

Jo. Alf. Naldi.

A. Calorius.

Multi hac tempestate florebant Divini verbi concionatores, multi etiam ad Sacram Scripturam varijs in locis, per publicas Cathedras juxta formam Sacri Concilii Tridentini interpretandam deputantur. Nam Florentiæ M. Michaelangelus Naldinius summâ omnium admiratione Archiepiscopalis Theologus epistolas D. Pauli in majori Æde interpretabatur .3. Michael Poccianrius apud Monachos S. Benedicti Sacram Scripturam dilucidabat, Itidem apud Cistercienses Archangelus Brusculo Genesim explicat, & in Palatio Apostolici Nuntij Symbolum Apostolorum interpretabatur, cujus eloquentiæ, & venustatis in dicendo facundia usque adeò primarias Italiæ Urbes affecerat, ut magni Prælati, & Principes certatim illum apud se habere contenderent; hoc enim anno Arimìnenses cum suo Episcopo Brusculum efflagitabant pro sequenti Quadragesimâ. Eundem .4. satagebat habere Fulvius Corneus Card. & Episcop. in suâ Ecclesiâ Perusinâ. Brusculum multò magis exposcebat Alexander Farnesius Protector in suâ Ecclesiâ S. Laurentij in Damaso, cujus denium auctoritas omnium aliorum desiderium superavit. M. Alexander Gianius de Scandiano Theologus Cathedralis Tudertinæ similiter Divinum verbum explanabat. M. quoq; Lucas Machiavellus Bononiensis varias exercuit Lecturas apud Monachos Camaldulenses, Benedictinos, Vallumbrosanos, & Olivetanos. Ad Claravallensem Abbatiam apud Mediolanum pro eâdem explicandâ Scripturâ, & Sacrâ Theologiâ interpretandâ successivè mittuntur MM. Jo. Baptista Micola de Mediolano .5. Damianus de Florentiâ, Felicianus de Cumis, & Alexander Vinea de Summaripâ. Hac etiam de causâ M. Jo. Baptista Milliovacca .6. quondam Generalis ex Methaphysico Montis regalis Augustam Taurinorum transfertur pro eâdem explicandâ Divinâ Scripturâ. Hieronymus Quainus Paduæ in publico gymnasio instituit explicare Apostolorum Acta, in quorum primâ lectione elegantissimam de sacrâ historiâ orationem habuit, quæ postea typis mandata fuit. Idem quoque dicendum esset de quamplurimis, qui hac eâdem tempestate florebant, & varias hujusmodi lectiones per diver-

diversa Italiæ loca exercebant, quorum nomina faxit Deus scripta sint in libro vitæ. Florebat bis quoque diebus, & publicè philosophiam Perusij profitebatur Mag. Jacobus Philippus de Brixiâ, qui ob ejus eximias virtutes, & hujus facultatis excellentiam à cunctis *il Filosofo* vocabatur.

[Ad hæc tempora quoque referenda omnino est Conventûs illius origo, quem Ordo Servorum possidet apud Guastallam Principibus de Gente Gonzagâ subiectam. Cùm ab anno usque 1539. D. Fernandus Gonzaga Guastallæ Dominus ipsam instaurare, & longè meliùs munire cœpisset, idemque animi propositum coluisset ejus Filius Dux Cæsar. Regulares quoque illuc inducere decrevit, prout æternæ salutis assequendæ studium postulabat. Itaque hoc anno 1568. Ordinis nostri Patribus situm concessit, ut Ecclesiam, & Conventum ibi construerent, & Populi necessitatibus consulerent; larga quoque pecuniæ, & rerum mobilium subsidia eximiâ liberalitate conferens ad idem opus complendum maximè accommodata, annuente Archipresbytero illius Loci Præsule Ordinario D. Lælio Peverari Patritio Mantuano, operâ potissimùm cujusdam *P.* Constantini pariter de Mantuâ Definitoris Generalis. Certior de hac re subinde factus P.M. Joseph Fredo de Mantuâ Vicarius Gen. Congregationis Servorum de Observantiâ *P.* Julium Borromæum è Civitate Florentiæ oriundum, & Conventûs S. Barnabæ de Mantuâ Alumnum, eò misit cum Literis patentibus sequentis tenoris.

Conv. D. Annunciatæ de Guastallâ.

NOs F. Joseph Fredo de Mantuâ Theologus, & Generalis Vicarius totius Congregationis Servorum de Observantiâ, omnibus, & singulis has nostras lecturis, inspecturis, visuris, necnon audituris salutem in eo, qui est omnium vera salus.

Noveritis, quòd jam multis elapsis diebus Illustrissimus Dominus D. Cæsar Gonzaga Ariani Dux Melfictæ Princeps, Comes Guastallæ &c. necnon Serenissimi, ac Catholici Hispaniarum Regis Cataphractorum Militum in Italiâ Dux benemeritus, ac optimus ad ea maturè prospiciens, quæ prædecessorum suorum Illustris Virorum animi magnitudinem, morum integritatem, ac omnium virtutum cumulum omnibus ferè hominibus luce clariùs ostendebant, statuit ac omnino decrevit, Divino afflante Spiritu pro suorum Guastallæ Subditorum spiritualibus, ac Ecclesiasticis beneficijs, necnon pro nostræ Congregationis Divæ Virgini Mariæ dicatæ incremento, Monasterium à fundamentis omnino construi, ac eidem ea Bona pro dote impertiri temporanea, quæ Fratribus in præfato loco pro tempore degentibus necessaria videbuntur. Quare Nos, qui universitati, & Bona, quæ S. Matris Ecclesiæ honorem, decorem, ac utilitatem, necnon augmentum concernunt summopere optamus, statuimus, ac omni meliori modo, viâ, ac jure, quo possumus decernimus, ac declaramus idem Monasterium, quod pro tempore erigetur in præfato Oppido Guastallæ, pro nostræ Congregationis nobili membro recipere, quod ex nunc pro tunc acceptamus, ac recipimus, & eidem Conventui Prioratûs titulum impartimur; statuentes insuper, ac omnino decernentes, quòd ejusdem Conventûs juxta tenorem nostrarum laudabilium Constitutionum R.P.F. Julius Borromæus de Mantuâ Prior existat, & omninò curet idem Monasterium construi, & erigi, cui denique eam auctoritatem, quæ Prioribus nostris concedi solet libenti animo maturè impartimur, idque libentissimè facimus, cùm eundem ab ejus ineunte ætate virum Religiosum, probum, moderatum, honestum, ac satis virtutibus decoratum semper agnoverimus. In quorum omnium fidem res

Dat. in Conventu nostro S. Barnabæ Mantuæ die 5. Maij 1568.

F. Joseph de Mantuâ Gener. Vic.

Locus ✠ Sigilli.

His Literis acceptis Julius Guastallam petijt, ubi Dux Cæsar eum varijs, & illustribus benevolentiæ significationibus excepit, utpote sibi, & Uxori D. Camillæ Borromeæ, quæ Soror erat S. Caroli pariter Borromæi, charissimum, ipsisque antea notissimum, cujus jampridem religiosâ consuetudine, & familiaritate maximè delectati, ipsum ibi retinuerunt, Animas proprias ejus curæ, ac diligentiæ quoad æternam salutem dirigendas committentes, cui sacellum etiam commendaverant S. Mariæ de Castello in Ecclesiâ S. Bartholomæi Apostoli tunc erectum, ubi pluribus annis exactis Sacellum aliud longè elegantiùs constructum fuit B.V.Mariæ nuncupatum, ut in eo quotidie Divina perageret mysteria.

Julius ergo tot, ac tantis suffultus præsidijs, necnon D. Dianæ pariter Borromeæ ejus Sororis Fabricæ tum Ecclesiæ, tum Conventûs promovendæ manum statim admovit sub Tit. D. Annunciatæ, ibique degere cœperunt quatuor Sacerdotes, & duo Conversi statim ac eò processerat Fabrica, ut illorum usui satis esse posset. Interim singulis Patribus Divino cultui augendo Principum benevolentiæ magis in dies, ac magis sibi conciliandæ, & Populi commodo opportunè consulendo sedulò invigilantibus: Julius in eo quoque totus erat, ut Bona immobilia, & annuos proventûs augeret, quod fanè feliciter assecutus fuit operi semper intentus per spatium 24. Annorum, quos ibi jugiter exegit, quandiu vixit, perpetuus hujus Loci Administrator, utpote Fundator, ad annum scilicet usque 1593. quo è vivis excessit ætatis suæ sexagesimum agens, cui omnes indiscriminatim unanimi doloris sensu parentarunt, & Patres Viro huic eximio de se optimè merito elogium, & Imaginem super ejus sepulcrum posuere.

Post-

Postmodum nullâ interpositâ morâ PP. quos Julius ad Ordinem admiserat, & hujus Loci magis semper illustrandi studiosos reliquerat, Carolus præsertim, & Annibal de Zenonis, Ecclesiam longè ampliorem, & elegantiorem à fundamentis iterum excitare cœperunt, qualis nunc visitur ad umbilicum perductâ, consequentibus annis usque in præsens longè semper illustrior, tum si Fabricæ ordinem spectemus, tum si sacram supellectilem, tum si præcipuum eorundem Patrum studium, quod ipsemet aliquando summâ animi voluptate ibidem perspexi, in augendo Dei cultu, ac B.V. Dolorum, de quo fusiùs erit Nobis dicendum ad annum 1672. & 1699. præsertim verò de Monialium Tertij Ordinis Collegio singulari Principum illorum pietate, ac beneficentiâ erecto, qui Majorum suorum sequentes vestigia locum hunc, & PP. eximiâ benevolentiâ complectuntur, proindeque totius Populi, veluti delicium dicere licet.

Tiphemi demum hoc anno conventiones quędam initę apparent inter illius Cœnobij Patres, & Confratres Societatis S. Marię Gratiarum in illâ nostrâ Ecclesiâ antiquitùs erecta.]

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

1. 2 *Habeutur inter Bullas impressas extra Maremagnum nostrum Observandum in attestatione primi exemplaris D. Hieronymus Austriacus de Corregio Card. se subscribit tanquam Viceprotector Ord. Servorum, & cùm Auctor nihil præter subscriptionem reperire potuerit, nullam quoque aliam de eo mentionem facit.*

3 *Auctor hæc oculata fide, & proprijs auribus cùm esset adolescens testari potest.*

4 *Ne id perfunctoriè ab Auctore in gratiam Avunculi sui dictum credatur, adhuc supersunt literæ eorumdem Prælatorum ad Generalem Zachariam inter ejusdem gesta in Conv. Flor.*

5 *Ex Regesto ejusdem Generalis.*

6 *Ex attestatione M. Philippi Ferrarij Alexandrini quondam Gen. qui tunc erat ejus auditor.*

7 [*Ex monumentis illius Conventûs.*]

Novis evulgatis Constitutionibus Pius Quintus Indultum pro tumulandis Confratribus in Ecclesiâ D. Annunciatæ de Florentiâ concedit.

C A P. X.

Recentiores igitur Constitutiones ad normam Sacri Concilij Tridentini reformatæ, ac denique per duos S.R.E. Cardinales Alexandrum Farnesium Protectorem, & Scipionem Rebibam Siculum, qui nuncupabatur Cardin. de Pisis, approbatæ, jussu tandem, & auctoritate Pij E Summi Pontificis per Bullam Romæ datam die 15. Aprilis confirmatæ, è prælo in publicum prodeunt. In quibus multa renovata circa ætatem Sacrorum Ordinum, circa Confessarios, circa electiones Officialium, circa Prædicatores, & alia hujusmodi. Illud denique plurimùm commendandum in ipsis circa moderationem confluentium Fratrum ad Capitulum Gen. ad numerum tantùm trium vocalium pro qualiber Provinciâ. Cæterùm cum hæ Constitutiones maximè cohæreant posterioribus legibus in Capitulo Parmæ an. Dom. 1580. promulgatis, atq; etiam cum Marimagno, & dilucidario Regulæ S.Augustini operâ M. Michaelis Poccianij Florentini impressæ appareant, supervacaneum videtur plura de ipsis referre.

Constitutiones novæ sub Gen. Zacharia evulgantur.

F [Bulla Summi Pontif., quâ Constitutiones hæ confirmantur, est sequentis tenoris.

P I U S P A P A V.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Romanus Pontifex ex commissi sui Pastoralis officij debito Sacri Concilij Tridentini decretis favorabiliter inhærens, ac quarumlibet Religionum prospero statui, directioni, & reformationi intendens, illaque propterea ab alijs providè facta, matureque discussa fuisse noscuntur, ut firmiùs subsistant, Apostolico munimine roborari convenit, contraria illis, si quæ G *sint, revocando. Sanè cum aliàs Venerabilis Frater noster Alexander Episcop. Tusculanus Cardinalis Farnesius nuncupatus Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ sub Regulâ S. Augustini Protector providè considerans certa statuta à dilectis Filijs Fratribus dicti Ordinis in Capitulo Generali de Anno Domini MDLIV. Veronæ celebrato edita tanquam apertè dicti Concilij Tridentini decretis contraria reformatione indigere, sæpius huc de re tum verbis, tum scriptis dilectum Filium Zachariam Faldossium modernum ipsius Ordinis Generalem admonuisset, ut in alio Capitulo Generali de anno ejusdem Domini MDLXVII. Bononiæ tunc celebrando prædicta statuta dicti Ordinis Superioribus reformari faceret. Præfatique Generalis, & Superiores non minùs accuratè, quàm diligenter* H *eadem statuta reformassent, & aliu de novo edidissent, Nos dicto Alexandro Cardinali vivæ vocis oraculo dedimus in mandatis, ut und cum dilecto Filio nostro Scipione tituli S. Angeli Presbytero Cardinali de Pisâ nuncupato, alijsque viris in eâ re peritis prædicta ultima statuta diligenter inspicerent, & quæ probanda essent, probarent, & denique supremam illis manum imponerent. Cum autem, sicuti accepimus, postrema illa statuta exactissimè ab Alexandro Episcopo, & Scipione Cardinalibus, alijsque viris prædictis, visa, perpensa, matureque discussa, & honesta, ac utilia reperta fuerint, prosperumque dicti Ordinis statum concernant.*

Pius V. confirmat Constitutiones Gen. Faldossij.

Extracta fideliter die 22. Oct. 1718. ex Originali in Pergameno existente in Archivo D. Ann. de Flor.

Nos,

Nos, qui cunctarum Religionum utilitatem, & salubrem illarum directionem sinceris exoptamus affectibus, Generalem, & Congregationem, illorumque singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Necnon omnium, & singulorum statutorum prædictorum, & inde secutorum quorumcunque tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes; ac priora statuta prædicta, videlicet de Anno Domini MDLIV. edita, & inde secuta quæcunque harum serie revocantes, cassantes, irritantes, & annullantes, ac nullius momenti, & roboris esse volentes, ac ad eorundem Generalis, & Congregationis super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, postrema statuta prædicta, sicut præfertur, revisa, ac prout illa concernunt, omnia & singula in illis contenta, & inde secuta quæcunque, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos tam juris, quàm facti defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem, necnon quamcunque solemnitatem forsan requisitam, & prætermissam supplemus. Decernentes illa per Generalem, & Congregationem, illorumque singulos prædictos inviolabiliter observari debere, necnon eosdem Generalem, & Congregationem, eorumque singulos nullo unquam tempore ab illis resilire posse, sed ad illorum perpetuam observationem teneri, ac efficaciter obligatos fore, & ad id per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliáque opportuna juris, & facti remedia ipsius Generalis arbitrio imponenda, moderanda, applicanda, & ab illis absolvenda cogi, & compelli posse. Necnon revocationem, cassationem, irritationem, annullationem, voluntatem, approbationem, confirmationem, adjectionem, suppletionem, præsentesque literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu alio vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, argui, & impugnari non posse, sed illas semper perpetuò validas, & efficaces fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, sicque per quoscunque Judices, & Commissarios, quâvis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Marco Antonio Archiepiscopo Theatin. & Baldo Episcopo Amerin., ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes Literas, & in eis contenta, quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Generalis, & Congregationis prædictorum, & eorum cujuslibet fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostrâ Generalem, & Congregationem, eorumque singulos prædictos revocatione, cassatione, irritatione, annullatione, voluntate, approbatione, confirmatione, adjectione, suppletione, & decreto, alijsque præmissis juxta præsentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eosdem Generalem, & Congregationem, illorumque singulos desuper per quoscunque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, aut inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, pœnas prædictas, aliáque opportuna Juris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, necnon legitimis super his habendis, servatis processibus illos sententias, censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarando, necnon eas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij PP. VIII. prædecessoris nostri de unâ, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præsentium ad Judicium non trahatur, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis dictis Ordini, & Congregationi, illorumque superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam pluries concessis, & confirmatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu, scientia, & potestatis plenitudine specialiter, & expressè derogamus contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 25. Aprilis MDLXIX. Pontificatus Nostri Anno Quarto

Cæ. Glorierius.

Mandaverat Sum. Pontifex pro observantiâ decreti Sacri Concilij Tridentini, ut quique Prælatorum ad suas Ecclesias curandas proficiscerentur; & ut à majoribus ediscerent minores, cogitur Alexander Farnesius Card. ad suum Archiepiscopatum Montis Regalis in Siciliam properare. Ne igitur Ordo noster omni prorsus protectione in Romanâ Curiâ careret, Scipio Rebiba .2. Cardinalis Pisanus, qui probè nostrum vivendi modum in approbandis Constitutionibus perceperat, ejus loco sufficitur Viceprotector die 17. Junij, cui postea M. Raphael Maphæus Venetus opusculum de statu animæ cum charitate decedentis contra Hæreticos, nuncupavit. Per idem ferè tempus Summ. Pont. Pius V. auditâ, & cognitâ famâ gratiarum, & miraculorum gloriosæ Virgin. Annunciatæ de Florentiâ, & quàm frequenti viventium concursu Templum illud pro assequendis à B. V. favoribus adiretur, ad preces quorumdam Sodalitiorum ejusdem Civitatis, quorum Confratres communi consensu sepulturas ibidem sibi delegerant, & eandem Matrem viventium, etiam defunctis patrocinantem quodammodo declararet, sequens Indultum Societatibus Annunciatæ, & S. Joannis Baptistæ de speciali privilegio pro suis Confratribus ibidem tumulandis, concessit .3.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Speciale indultū de confratrib. tumulandis in Ecclesiâ Annunc. de Flor.

DEcet Romanum Pontificem ad ea libenter intendere, per quæ quælibet personæ mutuâ in se confraternitatum benevolentiâ sociatæ, si prævia per eos non fuerit facta aliter dispositio, etiam post mortem ab invicem non separentur; ac ea, quæ propterea facta fuisse dicuntur, ut perpetuò firma, & illibata persistant, Apostolici muniminis adijcere firmitatem. Exponi sanè Nobis nuper fecerunt Dilecti filij Confratres Confraternitatum Sancti Joannis dello Scalzo *nuncupati, & Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Florentinorum, quòd nuper, seu dudum postquam ipsorum Confratres, videlicet Confraternitatis Sancti Joannis Baptistę ære, & sumptibus primò dictæ Confraternitatis quemdam lapideum, seu marmoreum tumulum, sive sepulcrum subterraneum in Ecclesiâ Annunciationis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis dictæ Civitatis Ordinis Servorum, prope Altare majus ipsius Ecclesię situm, pro universis hominum cadaveribus dictæ Confraternitatis, tum tunc descriptis, quàm in posterum describendis, in numero Confratrum primò dictę Confraternitatis, eorumque conjugum, & utriusque sexûs filiorum destinatum publicè, & ornatè. Secundò dictę verò Confraternitatis Confratres hujusmodi, alterum similem tumulum, seu Sepulcrum, cum duabus clausuris, circum circa multis vasibus, & lilijs ornatum, prope scalas, scaleas nuncupatas, perpetuę Capellanię ad Altare Beatę Mariæ Magdalenæ situm, in dictâ Ecclesiâ respectivè fundaverant, & construxerant, cumque tam primò quàm secundò dictarum Confraternitatum Confratres hujusmodi in diversis locis, varijs parochialibus Ecclesijs subditis, dictę Civitatis habitantes, à pro tempore existentibus Rectoribus in illis animarum curam exercentibus impedirentur, & prohiberentur in tumulis, seu sepulcris prefatis defunctorum Confratrum cadavera sepelire, licèt à tempore constructionum eorundem usque adhuc, ipsi jam inibi inhumata, & sepulta fuissent, cumq; ipsorum omnium voluntas esset, post eorum funus tali tumulo eorum ossa deponere, utriusq; Confraternitatis Confratres, seu earum major, & sanior pars, in unum ad sonum campanę, ut moris est, convocati, & congregati, ac in numero sufficienti coadunati, ipsarum tamen quęlibet separatim, habitoq; priùs inter eos maturo colloquio, & consultatione, super præmissis tam ipsorum, quàm successorum suorum nominibus, vivâ voce, neminéque eorum discrepante, unanimes, & concordes declararunt, eorum cadavera posthac in prefatis, per eos conditis tumulis respectivè sepelienda esse, dummodo ad id Noster accederet assensus, quod tamen deberet intelligi de Confratribus ab intestato decedentibus, & suam ultimam voluntatem publico testamenti instrumento non declarantibus, ac aliàs, prout in diversis instrumentis publicis desuper confectis pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, Confraternitatum huiusmodi Confratres cupiant declarationem, & decretum, seu declarationes, & decreta per eos respectivè, de eorum cadaveribus in dictis tumulis, sive sepulchris, sepeliendis, ut premittitur, facta, aliáque premissa Nostro, & Sedis Apostolicę munimine roborari. Quare pro ipsorum Confratrum parte Nobis humiliter supplicatum fuit, ut sibi in premissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos qui fidelium quorumlibet votis libenter annuimus, eaq; favoribus prosequimur opportunis, eosdem Confratres, eorumque singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon singulorum instrumentorum tenores presentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dummodo jura parochialium Ecclesiarū hujusmodi illarum Rectoribus debita, semper salva remaneant, & si sic ab intestato decedentes ulibi viri, videlicet majorum, & mulieres virorum suorum sepulturam non habuerint, ac nisi ab eis aliter dispositum, & ordinatum fuerit, declarationes, & decreta hujusmodi, aliáque premissa, ac prout ea concernunt, omnia, & singula in dictis instrumentis, ut præfertur, ac aliàs quomodolibet contenta, necnon inde sequuta quæcunque, licita tamen, & honesta, Apostolicâ*

stolicâ auctoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis plenariæ, A *inviolabilis, & perpetuæ firmitatis robur adjicimus, omnesq; & singulos tam juris, quàm facti defectûs, siqui forsan intervenerint in eisdem, supplemus. Decernentes illa valida, & efficacia fuisse, & esse, ac perpetuò fore, suosque plenarios, & integros effectûs obtinere, necnon etiam à parochialium Ecclesiarum Rectoribus hujusmodi, & alijs omnibus, quos ea quomodolibet concernunt, & pro tempore concernent, inviolabiliter perpetuò observari debere; ac Côfratres, & successores præfatos super premissis per Rectores, & alios supradictos, etiam loci Ordinarium quâvis auctoritate, quomodolibet molestari, impediri, perturbari, vel inquietari non posse, sicque in premissis ab omnibus censeri,* B *& ita per quoscunq; Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus pro potiori cautelâ, premissa omnia, & singula eisdem Confratribus, & successoribus auctoritate, & tenore prefatis etiam perpetuò concedimus, & indulgemus. Et nihilominus venerabili fratri Episcopo Fesulano, sive ejus Vicario in spiritualibus generali, & Dilectis filijs Curiç causarum Cameræ Apostolicç generali Auditori, ac Magistro generali Alitpassi Florent. Duc. per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo,* C *aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, prçsentes literas, & in eis contenta quçcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsorum Confratrum, aut alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisq; in premissis efficacis defensionis prçsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ easdem prçsentes, & in eis contenta quçcunque integrè, & inviolabiliter observari, ac eosdem Confratres illis pacificè, & quietè uti, frui, & gaudere, non permittentes eos, aut eorum quempiam desuper contra earundem prçsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac* D *legitimis super his habendis, servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, non obstant. felicis recordationis Bonifacij PP. VIII. prædecessoris Nostri de unâ, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo quis ultra tres dietas vigore præsentium ad Judicium non trahatur, & quibusvis alijs Apostolicis, ac in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis. Privilegijs*

quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, prçsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, Cæterisq; contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ Apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die XXV. Februarij MDLXIX. Pontificatûs Nostri Anno Quarto.

M. Angelus Spatha.

[Tria modò recensenda Nobis occurrunt Loca Ordini nostro hisce temporibus concessa, prout ex earundem monumentis colligere Nobis licuit. Primum quidem in Agro Pisano apud Rossignanum Locum quendam anno 1569. obtinuere Patres D. Annunciatæ de Florentiâ ab incolis illius Oppidi ijsdem sponte donatum, cui Titulus erat S. Martini. Plures quidem annos ipsum coluere Patres, & rebus necessarijs instruxere, præ ceteris autem celeberrimus Jacobus Tavanthius; verùm ob Loci penuriam, & alia incommoda pluries inde recessere, iterum verò rediere, sed tandem Archiepiscopo Pisano ipsum liberè resignarunt. *Conv. S. Martini de Rossignano.*

Eodem pariter anno prope Terram *de Monte* in Diœcesi Papiensi alterius Loci possessionem adiere Patres, ex quo Conventus antiquior S. Annæ apud Burgum S. Martini funditus eversus jacuerat. Novæ hujus Ecclesiæ, cui Tit. est D. Annunciatæ, primum Lapidem posuit die 6. Aprilis Episcopus Diœcesanus, necnon Conventûs usui Patrum designandi in eo situ, quem ipsis dono dederat Marcus Antonius Bellonius de Casale Montis Ferrati, prout constat ex pub. Instrumento, de quo rog. fuit Joseph Cosio pub. Not. die 16. Novembris 1569. quod in pergameno servatur in Conventu S. Stephani de Alexandriâ, nomine Ordinis recipiente P. Melchior de Vineali. Marcus Antonius prædictus, & Jacobus Franciscus Valentianus Bonis quibusdam etiam immobilibus ipsum deinceps instruxerunt, eòque Patres, quæcunque apud Burgum prædictum S. Martini sibi commoda fuerant, transtulere, quæ sanè translatio confirmata deinde legitur in Comitijs Generalibus Parmæ celebratis anno 1579. *Conv. D. Annun. de Mōte*

Denique ad annum 1570. vel ut alij sentiunt 1566. referenda est origo Conventûs SS. Mariæ, & Petri de Capite Fluminis in Diœcesi Bononiensi Bononiam inter, & Ferrariam, annuentibus D. Raynucio Card. Farnesio eo tempore Bononiæ Antistite, & Zachariâ Faldossio Ordinis nostri Priore Generali. Fabricius, & Horatius de Suzzis Fratres germani Patribus nostris dono dedere Ecclesiam quandam, quam ipsi sub Titulo S. Petri in proprio eorum situ erexerant anno 1559. & hisce temporibus perfecerant. Nomine Ordinis Locum hunc recepit P. Blasius de Cæsenâ, quem deinceps *Conv. SS. Mariç, & Petri Capitis Fluminis.*

fovere semper consueverunt, & annuis proventibus augere ex eadem Familiâ de Suzzis Virgilius, Philippus, & Apollonius. Parochialis est, & Fonte Baptismatis instructa hæc Ecclesia, cui Parochum primò constituit Archiepiscopus P. Blasium prædictum. Cohærere autem posse crediderim diversa scriptorum placita, quoad annum, quo Locus hic Ordini nostro concessus fuit; vero enim proximum est, quòd anno 1566. ipsum receperint Patres, sed anno solùm 1570. ipsum adierint, ibique formam Conventûs instituerint. Quæ quidem omnia ex varijs monumentis M.S. accepi Ferrariæ anno 1715. Mense Julio, quæ in Archivo Conventûs S. Mariæ Servorum illius Civitatis asservantur, cùm Locus hic pariter ad Provinciam Romandiolæ pertineat, ideoque alius habendus est à Conventu, qui æquè dicitur de capite Fluminis, de quo ad annum 1559. quem scilicet Bentivolia Gens Patribus S. Georgij de Bononiâ, ut ibi diximus, tradiderat, quem tamen non multò post deseruere PP. ubi tandem Parochialis hæc successit Ecclesia, de quâ modò agimus Provinciæ Romandiolæ Patribus concessa.]

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 *ORiginale hujus Bullæ in pergameno est in Archivo D. Annunc. de Flor.*

2 *Id apertissimè apparet ex ejus literis Romę datis die 17. Junij ad Zachariam Generalem.*

3 *Originale hujus Bullæ habetur inter res sacras D. Annunciatæ.*

Zachariâ Generali defuncto, administratur Ordo per duos Visitatores, donec celebrato Capitulo Cæsenæ Stephanus de Aretio præficitur 34. Generalis.

CAP. XI.

ALtero ineunte anno, duo præclara Ordinis nostri lumina Florentę uno ferè mortis impulsu extincta fuerunt, Zacharias Faldosius Generalis, & Michaelangelus Jo: Francisci Naldinius, qui prior ingenti studiosorum mœrore decessit. Hujus autem Naldinij merita, & virtutes inter hos Annales ex aliorum, potiùs quàm ex proprijs verbis attexere satius erit. Nam Pocciantius inter elogia illustrium Florentinorum hæc de Naldinio protulit .t. *Michaelangelus Naldinius Ord. Servorum B. M. V. Sacræ Theologię Magister, vir sanè omnium virtutum genere præditus. Philosophus subtilissimus, atq; Theologus suâ tempestate non secundus. Hinc est, quòd in exquirendis Sacræ Scripturæ locis obscurissimis, ita ingenij sui acumine cæteros præstabat, quòd ab omnibus tanquam oraculum venerabatur. Quemadmodum Florentia Civitas hoc sibi tunc suaderi*

Michaelangelus Naldinius.

agnoscebat, cum in Cathedrali Ecclesiâ Job patientissimi Prophetæ secreta, incredibili omnium admiratione legendo, concionandoque investigaret. Quâ de re Pastor ille vigilantissimus, ac doctissimus Antonius Altovita Archiepiscopus Florentinus sæpius dicere ausus est: Nequaquâ *ab alio, nisi ab eo, tum sacræ paginæ arcana, tùm philosophiæ naturalis secreta meliùs, & perfectiùs percepisse; ideirco Theologum sibi constituendum, ac eligendum esse voluit, cum quo (merito suæ virtutis) sæpius disserebat, atque sermonem faciebat. Verùm quod in ipso magis dignum admiratione videbatur, fuit, quòd quicquid de Virgilio, Cicerone, Terentio à teneris annis sub Præceptorum disciplinâ fuerat imbutus, adhuc integrè recordabatur. Immo quicquid in dies legebat, memoriâ tenebat. Vir certè tanti ingenii, & memoriæ, quod nemini, aut paucis hoc à naturâ elargitum esse prospicimus. Hic est ille Pater, qui ut Concionator multas Divino verbo Civitates illustravit; ut Theologus Divinarum rerum arcana pandidit; ut Philosophus acutissimus plura Aristotelis opera dilucidavit & Romæ publicè professus est; & ut sapientissimus Pater suæ Religionis officijs functus est, quibus prudenter administratis, tandem an. ætatis suæ 60. vitâ functus est 1570. Laudatione funebri F. Fabianus Florentinus Servita ipsum cohonestavit. Hæc posteris transmisit, videlicet: Homilias 32. in tres partes digestas hetrusco sermone laboratas super Job, quarum prima primæ partis circa præfationem libri Job versatur; prima secundæ partis est de Sacrificijs novi, & veteris Testamenti. prima verò tertiæ partis est de custodiâ cordis Job; prima omnium autem Homiliarum hunc in modum exorditur:* Chi considera diligentemente la vita di S. Paolo. *Hoc opus sanè egregium inscribitur Speculum patientiæ Job. Hæc de eo in prædicto Cathalogo. [Viri hujus eximij, ejusque Operum meminit etiam Antonius Possevinus in Apparatu sacro]* Quibus addendum quod omni admiratione dignum ex ejus ore testatum accepimus; quadam enim nocte in mediâ quiete sopore oppressus Auctoritatem quandam Sancti Augustini per somnium meditans, ex quâ difficultatem sibi occurrentem enodare cupiens è lecto assurgit, opera S. Augustini evolvit, & dum in proprio codice chartas revolvendo auctoritatem reperit, statim è somno expergiscitur, & somnio evanescente, cubiculum ad quiescendum repetit; illucescente verò diluculo, cum ad consuetum studium reverteretur, deprehendit se in prætacito somnio locum S. Augustini, quem excogitaverat, adinvenisse, & id sibi sæpesæpius in somnis contigisse affirmabat. Quæ res procul dubio, quàm assiduæ lectionis, & nunquâ intermissi studij, vir solertissimus fuerit, apertissimè declarat, & quomodo nunquam à lectione ingenium revocasset. Verùm multò ampliùs commendandus Michaelangelus, quòd Divino ei assistente præsidio extremum diem summâ cum contritione, & religiosâ pie-

pietate facris communitus, & Christi D. Nostri passionem meditabundus, quâ horâ A Patres nostri feriâ quintâ Majoris Hebdomadę Cœnam Domini in Ecclesiâ celebrant, fanctissimè perfolvit, ac fpiritum Deo reddidit die 23. Martij, & posterâ die Parafceves magnâ Civium, & præfertim ftodioforum cum varijs carminibus confcriptis ad ejus feretrũ appofitis, comitante catervâ fepolturæ traditur. Proximus huic feriâ tertiâ Refurrectionis horâ quintâ noctis.2. Magister Zacharias Generalis post brevem apopleticam infirmitatem è vitâ migravit. *Zacharias Gen. moritur.* Cujus fapientiam, & in regendo prudenriam varijs in Præfecturis ftrenuè adminiftratis, præter fexennium Generalatûs, apertè Ordo nofter expertus fuerat, ut tot animi ornamenta à Deo accepiffe, & fub ejus protectione exercuiffe demonftraret, B pro confueto fuę fubfcriptionis elogio hoc è Pfalmographo fibi affumpferat dictum: *Dominus fufcepit me*. Sanctifsimos namqoe ordines ftatuit, graves exactiones revocavit, charitativa fubfidia pauperibus Monafterijs dimifit, totam Religionem perluftrando in antiquum nitorem reftituendam omni conatu intendit, & cuncta tandem, quę Ordini utilia cognovit, perficere enixus eft. Cujus reliquas laudes ficuti jam M. Lucas Machiavellius eleganti oratione dum viveret, profecutus fuerat, fic etiam nunc ejus funus amplâ laodatione decoravit idem, qui fupra, P. Fabianus de Florentiâ vir eloquens, & in erudiendis adolefcentibus Gymnaftes præclarus. C Summis etiam laudibus, mœftiffimisque nænijs vitum .3. hunc deploravit univerfus Theologorum Urbis Florentię cœtus, quem ipfemet deftitutum, ac penè collapfum fuâ prudentiâ, & auctoritate reftituit anno 1565. & ejus veteres, ac prorfus intermiffas leges per novas conftitutiones rurfus fanciri, & in integrum refiei curaverat. Interim Ordo fecundum Conftitutiones adminiftratur. Hi fuerunt Archangelus Brufculo Socius Generalis, & Jacobus Tavanthius Provincialis Thufcię. In his enim, quæ ad Generalatûs officium fpectabant confuetudo inoleverat, ut Socius Gen. femper Priorem Provincialem precederet. Agebat tunc Cęfenę M. Archangelus .4. illoc à Generali præmiffus Concionator Quadragefimę in Cathe- D drali pro futuro Capitulo Gener. quemadmodum præterito triennio in Cathedrali Faventiæ eâdem de causâ illum deftinaverat Generalis Aftenfis. Ufu quidem eo tempore habebatur, ut infignioris notæ Declamatores pro aucupandâ Civium gratiâ, ad ea loca mitterentor, in quibus generalia Comitia habenda forent. Jacobus verò Tavanthius Pifis ftatim Florentiam venit, & accepto figillo Generalis cum alijs opportunis Bononiam perrexit, & cum Brufculo, quæ circa proxima Comitia difpofuerat Zacharias, de concionibus habendis, de fuftinendis difputationibus, deq; alijs hujufmodi opportunis providere cœperunt. Atq; interim Patribus de Congregatio- A ne fuum Capitulum Mantuę die 25. Aprilis celebraturis intereffe voluerunt, in quo electus fuit quarto loco M. Jo. Maria Capella de Cremonâ, [quam electionem Vicarij Gen. confirmatam voluere PP. omnes Congregationis per publicum Inftrumentum ad perpetuam rei memoriam, de quo rogat. fuit Mantuę die 29. Aprilis 1570. Camillus Filius Anfelmi Compagnoni de Georgijs Notarius Mantuanus, & extat in pergameno in Archivo Noftro Cremonenfi, quod ibi vidi die 4. Augufti 1715.] Sic & cęteris Capitulis Provincialibus juxta novam Conftitutionum formam præfuerunt .5. Qui verò pro honeftando generali Conventu, hi præcipuè recenfentur Doctores celebres, nempe MM. Jo. Paulus B Cardellius de Novariâ, Jo. Philippus de Uftiano, Regens Brixiæ, Jo. Hieronymus de Cremonâ, Jofeph de Viglevano, Theodorus Oldradus de Sablonerâ Baccalaureus, Auguftinus Goruccius de Aretio, Cornelius Peracinius de Piliorio, Archangelus de Tortonâ, & multi alij. Interea de novo Præfecto Ordinis controvertebatur, quisnam futurus effet Generalis Servorum, etenim M. Joannes Vitrianus de Regio Aloyfij .6. Card. Eftenfis præfidio, cui à Sacris Romæ continuò inferviebat, vehementer ad Generalatum inhiabat, Benedictus fimiliter Bituricenfis, & Gaudiofus Floridus de Perufio, qui tunc erat Ordinis Procurator, eandem dignitatem affectabant. Molti ex Patribus infpectâ virtute, & C meritis fimul cum modeftiâ, & prudentiâ Archangeli Brufcoli, in eum publicâ voce conveniebant. Hugo Boncompagnus Cardin. quem Stephanus Bonuccius de Aretio Theologus eximius in Hifpaniam ad Regem proficifcentem Legatum fecutus fuerat, cupiens illum aliquâ dignitate remunerare, cum Farnefio Protect. pro eo agebat, ot in eâ præfecturâ ftatueretur. Huic etiam Brufculus fummâ animi moderatione contentus, & qui fe magis ad obedientiam, quàm ad imperium profitebatur paratum, & quòd tanquam ex aliquâ fpeculâ Stephanum profpiceret magnam gloriam ex imminentibus fibi in pofterum prælationibus huic Ordini allaturum, non modò ei deferebat, verùm etiam pro eo D ftabat, & quæcunq. fuffragia, & præcipuè Patrum Congregatorum, qui pro fe erant, in eum convertere nitebatur. Tertio igitur idus Maij illucefcente die Patribus exiguo numero, juxta novas Conftitutiones Cæfenæ congregatis, Capitulum generale inftituitur, Præfidente in eo de mandato D. Farnefij Protectoris D. Adovardo Gualando de Pifis Epifcopo Cæfenati, & in capite refidentibus pro defuncto Generali .7. Archangelo Brufculo, & Jacobo Thavantio, qui fuæ præfecturæ ftatim in manus M. Angeli Morellij de Aretio primi Diffinitoris renunciarunt. Deinde fuffragijs inftauratis, inter alios repertus eft Prior Gener. electus M. Stephanus Bonuccius *M. Stephanus de Aretio Gen. eligit.*

de

de Aretio; & in curiâ M. Angelus Morellius Procurator Ordinis. Electores autem hi fuerunt: MM. Archangelus Brusculo, & Jacobus Thavantius Florentini loco Generalis. Mag. Gaudiosus Floridus de Perusio Procurator Ordinis. Pro Provinciæ Tusciæ MM. Angelus Morellius de Aretio Diffinitor, Philippus de Cortonâ Socius, & Damianus de Florentiâ Provincialis. Pro Provinciâ Patrimonij MM. Andreas de Burgo S. Sepulchri Diffinitor, Nicolaus Alphanus de Perusio Socius, & Augustinus de Castroplebis Provincialis. Pro Provinciâ Romandiolæ M. Aurelius Menochius de Bononiâ Diffinitor, P. Salvaror de Mutinâ Socius, & M. Lucas Machiavellius de Bononiâ Provincialis. Pro Provinciâ Lombardiæ M. Augustinus Nuvolaria de Monticulo Diffinitor, P. Baccalaureus Felicianus de Como Socius, & M. Jo. Baptista Micola de Mediolano Provincialis. Pro Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ MM. Ambrosius Platina de Portu Buffoleto Diffinitor, Hieronymus Quainus de Paduâ Socius, & Hippolytus de Ferrariâ Provincialis. Pro Provinciâ Januæ MM. Hieronymus Vigiola de Papiâ Diffinitor, Philippus Mucagatta de Castellacio Socius, & Bartholomæus de Seravitiâ Provincialis. Pro Provinciâ Regni M. Melchior de Aretio Provincialis. Pro Provinciâ Narbonensi P. Petrus Dolundi Provincialis. Et pro Congregatione MM. Jo. Maria Capella de Cremonâ Vicarius Gener. & Joseph Fredius de Mantuâ Commissarius. Qui omnes in Ecclesiam convenientes promptam General. de more exhibuerunt obedientiam. Cumq. ex recentioribus Constitutionum decretis plurima per Prædecessorum statuta fuissent, parùm, aut nihil superfuit in his Comitijs agendum, nisi hortari, & jubere, ut quæ jam statuta fuissent, executioni mandarentur.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

1. 2 *AUctor horum funeri interfuit, & oculatâ fide quicquid refert, testari potest.*

3 *Si quis ulteriùs videre percupit, quæ de Zacharâ restauratore universitatis Florentinæ referuntur, consulat novas ipsius Constitutiones, quas Auctor ipse ejusdem Universitatis jussu cum catalogo illustrium Theologorum Florentinæ Urbis compilavit, & edidit apud Sermartellios Flor. 1614.*

4 *Ex ejusdem Quadragesimali, quod inter alias lucubrationes tomo . . . . insertum est.*

5 *Ex Regesto Stephani Generalis.*

6 *Hæc Auctor adolescens illius temporis à majoribus dictari audivit.*

7 *Ex Regesto præfati Generalis Stephani.*

NOTÆ.

[*ELectionem Vicarij Generalis, de quâ hic num. 5. confirmatam voluere Patres omnes vocales Congregationis per publicum Instrumentum ad perpetuam rei memoriam, de quo rog. fuit Mantuæ die 29. Aprilis 1570. Camillus filius Anselmi Compagnoni Pub. Not. Mantuanus, quod in pergameno asservatur in Archivo Conventûs nostri S. Victoris de Cremonâ, & egomet ibidem vidi die 4. Aprilis 1715.*]

PP. Congregat. confirmāt Vic. Gen.

Bulla Pij Papæ V. pro Unione Congregationis, & Ordinis Servorum in Comitijs Cæsenæ publicatur.
CAP. XII.

ABsolutis Comitijs, jam Patres, ut ad propria reverterentur, postridie dimissi fuissent, nisi præsidentis Episcopi jussu remorati forent. Die itaque 15. Maij rursus convocato Capitulo, Sanctissimi Pij Papæ mentem de novâ ineundâ unione inter Congregationem, & Ordinem de mandato D. Card. Alexandrini, notam fecit. Quare lectis ejusdem Cardinalis literis Romæ datis pridie nonas ejusdem per D. Ludovicum Joannis de Zanotis Civem Cæsenatem, Notarium, & Cancellarium suum, Bullam sequentem Stephano Generali, Angelo Procuratori Ord. Joanni Mariæ Vicario Gen. Congregationis ejusque Commissario, alijsque utriusque partis vocalibus præsentibus, & audientibus explicari, & observari mandavit.

PIUS Episcopus servus servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

PRo Nostri muneris officio, & charitate paternâ, quâ omnes Religiosorum Ordines prosequimur, quæcunque ad illorum statum, salutaremque tranquillitatem pertinere arbitramur, ea providere, & adjuvante Domino rectè constituere conamur. Inter eos autem, Ordinem beatæ Mariæ Servorum animadvertimus, cujus professores, ex quo ipse primùm institutus est, per complures annos eisdem legibus, & institutis omnes viventes, unâ tantùm familiâ contenti, ab uno quoque Priore Generali regebantur. Postea verò ijs (ut in rebus humanis evenire solet) paulatim ab instituto regularis observantiæ defluentibus, quidam ex his cupientes primi instituti disciplinam colere, arctioremque vitam ducere, se à reliquis ejusdem Ordinis segregarunt, & Sedis Apostolicæ indulto suffulti, creato sibi Vicario generali, cui subessent, novam familiam constituerunt, eamq; Congregationem Beatæ Mariæ Servorum nominaverunt. Sed (proh dolor) successu temporis hæc ipsa Congregatio usque adeò à regulari observantiâ prolapsa est, ut ab illis ipsis, Ordinis Servorum primi instituti nomen retinuerunt, parùm, vel nihil differre videantur. Quamobrem, ut omnes, & singuli tam Ordinis, quàm Congregationis professores ad regularem observantiam revocentur, & quasi renoventur, commodiùsq; insti-

Bulla Pij V. pro uniendâ Congr. ad Ord. Serv.

insuper gubernentur, utq; qui unum Religionis induunt habitum, hi sub unâ, eâdemque regulâ, A *uniusq; professionis voto viventes, in observantiam canonicæ Religionis uniformes reperiantur, Nosq; ab uno tantùm Generali superiore, non autem à duobus, de morum reformatione, rationem faciliùs exigere valeamus: quæ omnia commodiùs fieri posse arbitrati sumus, si eos ab invicem distinctos, in unum idemq; corpus conjungentes, in unum eandemq; familiam, sub eâdem disciplinâ, regularíque observantiâ, & & uno dumtaxat capite viventem redigeremus. Quare de Apostolicæ potestatis plenitudine prædictum Congregationis nomen, & Vicariatûs officium supprimimus, extinguimus, & penitus abolemus, ac modernum Vicarium Generalem ab ejus officio absolvimus, omnesque & singulas dictæ Congregationis domos, Conventûs, & Fratres uni Priori Generali Ordinis, veluti supremo ipsius Religionis, & Ordinis capiti, supremamque in eodem Ordine potestatem, & auctoritatem habenti, prout regularia ipsius Ordinis instituta sibi concedunt, perpetuò subesse, & ei in omnibus parere volumus, & mandamus, ac etiam Prioribus cujuslibet provinciæ, in quâ ipsę domus, & Conventûs consistunt, subjicimus, & subiecta esse decernimus, prout aliæ domûs, & Conventûs dicti Ordinis, sive Religionis subjiciuntur: itaut una deinceps uniusmodi obedientia, observantia, & disciplina regularis, unum nomen Ordinis B. Marię Servorum omnibus commune sit, omnes uni Generali, & Provincialibus pareant, omnes, ad quos id pertinet, simul ad Capitula generalia, & provincialia conveniant, vocemque activam, & passivam habeant in eisdem. Proindè revocamus, & deinceps invalida censemus omnia, & quęcunque statuta, consuetudines, conventiones, concordias, & alia pacta, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, & quâvis aliâ firmitate munita, necnon omnia, & quæcunque privilegia, exemptiones, dispensationes, & indulta Congregationis, etiam pro bono pacis, & conservatione Religionis edita, & concessa, ac etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ, deque Apostolicę potestatis plenitudine confirmata, multiplicatisque vicibus innovata, extensa, & moderata, quatenus pręsentium effectum, & executionem differre possent, vel quomodolibet impedire, quorum omnium tenores, ęquè atque ad* D *verbum insererentur, pręsentibus haberi volumus pro expressis. Decernentes prędicta omnia firma, & inviolata fore, necnon irritum, & inane quicquid secus per quoscunque, quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Priori Generali, ac universis, & singulis dictæ Congregationis, cæterisque Fratribus prędicti Ordinis Beatę Marię Servorum per Apostolica scripta mandamus, ut pręsentes literas humiliter recipiant; & quęcunque in ipsis continentur, aliâ desuper à vobis non expectatâ jussione, mentisve nostrę declaratione, firmiter custodiant, & in omnibus studiosè obedire procurent. Quin etiam ipsi Priori Generali præcipimus, ut easdem præsentes, ac quicquid* A *pro earum executione statuetur & decernetur, in omnibus domibus, & locis virorum, & mulierum, necnon ab omnibus Fratribus, & Sororibus inviolatè faciat per se, vel alium, seu alios observari. Quoscunque contradictores, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium, & favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, vel ingenio, præstantes, tam Ecclesiasticos, quàm laicos, cujuscunque dignitatis, gradûs, ordinis, & conditionis fuerint, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, censurasque, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc auxilio brachij secularis. Non* B *obstantibus piæ memor. Bonifacij Papæ Octavi prædecessoris Nostri, de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, alijsque Apostolicis constitutionibus, quodque aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, cæterisque contrarijs quibuscunque: volumus autem, ut præsentium exempla, etiam impressa, dicti Prioris, vel Prælati Ecclesiastici, ejusve curiæ sigillo, & notarij publici manu obsignata eandem illam prorsus fidem ubique locorum in judicio, & extra illud faciant, quàm ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.* C *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrę suppressionis, extinctionis, abolitionis, absolutionis, voluntatis, mandati, subiectionis, decreti, revocationis, & præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ. 1570. Tertio Nonas Maij. Pontificatûs Nostri Anno V.

Cæsar Glorierius.

H. Cumyn.

Quibus perlectis Apost. literis M. Jo. Ma-D ria Capella de Cremonâ Vicarius Gen. Congregationis cum suis socijs vehementer expavit, & totus consternatus, extremam hanc suæ Congregationis jacturam graviter indoluit, atque insperato consilio protinus ad Urbem, ut, quod contigisset, cum Farnesio consuleret, & pedes Pontificis adiret, citato cursu cum suo Commissario profectus est. Non deerant ex Patribus Congregationis, qui magnis clamoribus in Florentinos succenderentur, impium, & hostem perpetuum, atque ingratissimum beneficiorum culpantes Zachariam Generalem, qui per subreptionem, & inauditâ parte, quin etiam clam Farnesio Protect. talem in eos ruinam apud

Pon-

Pontificem molitus fuisset, quos viceversâ à Florentino Senario antiquitùs oriundos potius tutari debuisset. Et ita in eum, veluti proditorem, & iniquum hostem aperto ore subsannabant, varijsque maledictis invehebant. Quibus ex adverso non deerant, qui præteritas rebelliones, assiduas contentiones, & jurgia perpetua cum Generalibus & Patribus Ordinis objicerent, duram eorum cervicem, & obstinatum modum in Fratres Ordinis, atq; hujusmodi alia obiurgarent, idq; justo Dei judicio factum, ut qui Superiori parere semper neglexissent, eidem tandem impostetum subditi perpetuò fierent. Talibus verò jurgijs obmurmurantes, & obloquentes hinc inde Patres, prudens Generalis absoluto Capitulo, ad propria reverti jussit; ille verò, ut mandata Pontificis impleret, Venetias versùs profectus fuit.

Stephanus Generalis unionem Congregationis cum Bullâ pro toto reformando Ordine Servorum, mandante Pontifice, exequitur.

CAP. XIII.

POstquam Summus Pontifex per præcedentes literas totius Religionis gregem sub uno Pastore tantùm constituisset, pro eo quoq; in melius regendo, & moderando censuit normam quandam per alias literas Apostolicas eidem Ordini, ut totus reformaretur, præficere.

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla reformationis.

POstquam Nos, Deo auctore, Ordinem Fratrum Beatę Marię Servorum, ante hac in duas familias divisum, antiquato Congregationis nomine, quod altera sibi asciverat, in unum idemq; corpus, ac in unum, eandemq; familiam uni duntaxat capiti subiectam sub eâdem Regulari disciplinâ reduximus, expedit certa quædam incommoda, quæ bonum omne in Religione pervertunt, excidere, ut deinceps omnes communibus institutis, & legibus suæ professioni magis convenientibus viventes, salubriùs dirigantur. Quocirca cum omnis Religio privatæ proprietatis usu labefactetur, & corruat. Nos ad illam ex dictâ familiâ exterminandum, ac simul emendandos eos, qui de officijs, & muneribus ambitiosè obtinendis jampridem inoleverunt, & alios nocentes ejus mores, novosque inducendos ante omnia intenti, de Nobis attributæ potestatis plenitudine revocamus, & abolemus omnia, & quæcunque privilegia, dispensationes, licentias, permissiones, & indulta habendi, & retinendi privatum dominium, usum, usumfructum, possessionem, & proprietatem quorumcunque Bonorum immobilium, mobilium, & semoventium, necnon domorum, cellarum, hortorum, pecuniarum, & aliarum rerum, Generali, Provincialibus, Conventualibus, Prioribus, ac alijs fratribus, etiam causâ senij, infirmitatis, vel cujuscunq; pij operis prætextu, vel intuitu per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, ejusve Legatos, vel etiam dicti Ordinis Superiores, etiam Motu proprio, & ex certâ scientiâ concessa, confirmata, & innovata, quibuscunque concepta formulis, ac clausulis, & decretis suffulta, quorum omnium tenores habemus præsentibus pro expressis, volumusq; illa omnia, & singula vires, & effectum de cætero non habere, quin etiam Fratres prædictos (quicunque sint) privato, & Bonorum, & rerum omnium prædictorum quomodocunque acquisitorum & ad eos obventorum, dominio, usu, usufructu, proprietate, titulo, & possessione privamus, dictâque possessione amovemus, & amotos nunciamus, resq; & bona ipsa omnia in communes suarum cujusque domorum, & prædicti Ordinis usus convertenda concedimus, mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, Generali, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus supradictis, ut rerum, & Bonorum omnium prædictorum possessionem nomine domorum, & locorum suorum capiant, ut illa, illorumque fructûs in communes conventuum usûs convertantur. Cæterùm præcipimus, atq; interdicimus, ne deinceps ullus omninò Fratrum prædictorum, sive privatus, sive Prioris Conventualis, sive Provincialis aut Generalis officio fungens, etiam prætextu hujusmodi privilegiorum, dispensationum, permissionum, & indultorum, seu inveteratæ consuetudinis, aut quâcunq; aliâ causâ proprium quicquam, aut privatum, neq; ædes sive in claustro, sive alibi separatas habeat; sed omnia ubique communia sint, & quisq; unicâ cellâ, eâdemq; cum cæteris aliorum Fratrum coniunctâ, nudis omnino parietibus ac lectulo, & mensâ humilibus, quemadmodum pauperes religiosos decet, contentus esse debeat. Proinde cameræ, sive ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum, & commoditatem cujusque Conventûs redigantur, vel si cellæ communis dormitorij pro Fratrum numero non sufficiant, & illæ Cameræ, vel ædiculæ, ad formam communis dormitorij aptari possint, in dormitorium commune redigantur, sin minus destruantur, ac materia, & cæmenta ad fabricam Conventûs, si opus fuerit, convertantur, vel vendantur, & pretium ad communem usum Conventûs conferatur. Sed nec ulli omnino ambitus fiant, aut pecuniæ, etiam pro confirmationibus, sigillo, vel scripturâ, aut quacunque aliâ re, vel causâ solvantur, aliæve pactiones, seu promissiones intercedant, seu munera, aut xenia quocunque modo mittantur; neve quisquam, etiam in officio existens, pecunias, aut quicquam aliud de provinciâ, seu domo sibi commissa, vel aliunde Priori, Generali, seu alij cuicunque conferat, vel remittat. Quicunque secus fecerint, in pœnam privationis Prioratuum, & officiorum omnium incidant, & ad futura inhabiles habeantur.

tur, & pro culpis etiam tanquam fures puniantur, prout Nos illos privatos, & inhabiles declaramus eo ipso; procurationibus tamen Generali ex universo Ordine, Provincialibus ac Prioribus ex suâ cuique Provinciâ, & Visitatoribus ex domibus, & locis visitandis debitis nequaquam per præsentes sublatis. Ad reformandos autem alios dicti Ordinis mores ulteriùs progrediendo, ex iis, quæ pro salubri hujus Religionis statu, & felici directione, aliòqui instituta hucusq; reperiuntur, quæ nec præsentibus contraria sunt, nec illorum effectum impedire possunt, nihil omninò detrahere, sed illa immota custodiri volentes, de simili potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, ut Fratres omnes, etiam Superiores, & quicunque privilegiati, nisi tempore Quadragesimæ, & Adventûs Domini, prædicationis munus obierint, omnibus Divinis officiis, diurnis, & nocturnis intersint, aliis verò temporibus cum ipsis Prædicatoribus, & Lectoribus, iis diebus quibus prædicant, & legunt, Superiores pro arbitrio dispensare possint. Ipsis etiam Superioribus, & aliis officialibus, eo tantùm tempore, quo actu in negociis Conventûs, & Ordinis occupati sunt, aliquid remittatur. Missæ, Matutinum, & aliæ horarum canonicarum preces, processiones item, Anniversaria, defunctorum memoriæ, integræ suo debito tempore attentè cum cantu solemni in diebus, quibus convenit, juxta regularia dictorum Fratrum instituta, celebrentur, nec satis habeat quæque domus Missas, sive fundatione, sive statuto, sive consuetudine debitas, vel præscripto Superioris Conventûs designatas duntaxat celebrasse; sed Fratres omnes Sacerdotes, Missam etiam non adstricti, frequentissimè celebrent. Clerici, & Conversi semel in hebdomadâ peccata sua confiteantur, & singulis saltem mensibus sacram Eucharistiam sumant. Jejunia juxta suam regulam, & constitutiones omnino servent. In unaquâq; domo pauciores Fratres non sint duodecim. Si quæ autem domus hunc familiæ numerum alere non potest, Fratres cum Bonis ex eâ domo in aliam transferantur, provisione adhibitâ, ne Ecclesiæ destruantur, sed ad ejus populi commoditatem conserventur. Permittimus tamen, ut in domibus, quæ iter facientibus Fratribus commodæ sunt, saltem quatuor Fratres, non minores quinquaginta annis, constanti, & probatâ vitâ maneant, si plures ea domus alere non potest, nullæ porro domûs supra vires onerentur. In singulis domibus omnibus Dominicis, & festis diebus prædicationes verbi Dei habeantur. In majoribus studiis Regentes duas lectiones Theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de sacramentis, vel de vitâ sanctè, rectèque instituendâ; alteram verò speculativam ex catholicis, & approbatis Doctoribus superioris arbitrio statuendis; in minoribus verò unâ lectione ex Theologiâ practicâ contenti sint. Ceterum curent superiores, ut in singulis Conventibus Fratres maximè in conscientiæ casibus, & reliquis, quæ ad audiendas confessiones pertinent, ob rei gravitatem, & necessitatem summo studio, ac diligentiâ exerA ceantur. Singulis item diebus festis Romanus Catechismus ad Parochos in singulis Conventibus legatur. Si qui Regentes, & Lectores, aut alii Fratres, libros prohibitos habere sine speciali Sedis Apostolicæ licentiâ fuerint deprehensi, ultra pœnas juris communis, & quæ à sancto officio Inquisitionis hæreticæ pravitatis talibus imponuntur, perpetuò munere legendi, prædicandi, & confessiones audiendi privati existant; ad omnia item officia inhabiles activâ voce cureant, & passivâ. Nullus ad aliquem gradum promoveatur, nisi ætate, vitæ probitate, & literaturâ præstans, & in eis probatus per examen diligens à Priore Generali, seu ab aliis, qui per eum huic muneri ordinabuntur, faciendum, deinde in Capitulo Generali publicè iterB andum. Ætas autem, & tempus studii, ac cursus exprimatur & præterea probetur, quòd promovendus nullâ unquam infamiâ, seu sinistrâ opinione fuerit maculatus. A promovendis ad gradûs hujusmodi nihil omnino exigatur, nec etiam spontè oblatum accipiatur, veruntamen si promotione factâ Conventus promotorum aliquid religioni donare voluerit, id, quicquid sit, Procuratori Generali Ordinis tribuatur, ut ad levationem onerum, & omnium sumptuum Religionis conferatur, eodem Procuratore acceptorum, & expensorum rationem Priori Generali, & diffinitoribus redditur. Cæterùm omnes à decem annis promoti rursus per probos, & idoneos viros à Priore generali in quâq; Provinciâ constituendos, examinentur, & qui saltem medioC cri scientiâ in Theologiâ præditi reperti non fuerint, usu, & exercitio gradûs suspendantur, nec debeant privilegio gradûs hujusmodi gaudere. Caveant præterea Superiores licentiam ulli Fratri concedere, ut ad aliquos Ordines sacros, sive majores, sive minores promoveri possit, nisi ille in ætate legitimâ constitutus, & literaturâ ad eos requisitâ præditus sit, habeatque omnia, quæ à sacris canonibus, regularibusque institutis requiruntur, aliter promotus ab suorum Ordinum executione suspendatur, & licentiam concedens officio deponatur, & per sexennium inhabilis ad omnia officia habeatur. Sed & Nostra Constitutio, quâ cavetur ne quis Regularis ante emissam à se expressam professionem regularem, ad Sacros Ordines promoveD ri possit, inviolabiliter observetur. Sacerdotes ad audiendas peccatorum confessiones ordinandi vitâ, moribus, & literaturâ probati, & quoad mulieres ætatis provectæ habeantur. In omni domo hujusmodi Sacerdotes ex prædicto ordine constituantur, quibus, & non aliis, Fratres omnes peccata sua debeant confiteri. Priores omnes nunquam ultra biennium durent, sed biennio functo ipsorum officium vacet, nec ad illud met in eodem Conventu in sequens protinus biennium rursùs constitui possint. Nulli item Fratri in eodem Conventu plus biennio manere liceat, exceptis sexagenario majoribus, quibus aliquid ex causâ Superioris arbitrio poterit condonari. Ad hæc nullus omnino Priorum, administrationem bono-

bonorum, & aliarum rerum, dispensationemq; pecuniarum, & redditium suæ domus, etiam nomine Conventûs, per seipsum habere, sive exercere, vel sese in eis interponere possit, sed universum id onus tribus Religiosis à Priori generali ita demandetur, ut primus rerum, & bonorum, inferendorumq, in eam redditium curam habeat; alter tanquam depositarius pecunias, ac cætera ab illo importata fideliter asservet; reliquus de pecuniis, & rebus à depositario captis, Priori, & Fratribus, ac domus universæ de necessariis, veluti dispensator, provideat, mandante tamen ipso Priore, qui unicuiq; non secundùm proprium affectum, sed charitatis regulam providere curabit, officiorum hujusmodi invicem confusione penitus interdictâ. Cæterum ij tres, tam impensi, quàm accepti singulis mensibus suo Priori, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejusdem domûs probatioribus, rerumq, usu peritis, deinde ipsemet rursus præsentibus Priore, & peritis prædictis, Priori gener. vel Provinc. vel Visitatoribus, quotiescunq; visitationis officium fecerint, denique ipse Prior gener. in omni proximo Cap. gener. saltem coram tribus judicibus ab ipso Cap. constitutis, illorum omnium, & etiam universæ administrationis suæ, tam publicè, quàm privatè rationem reddere teneatur. Pecuniæ omnes, & quæcunq. aliæ res cuicunque privatim, etiam intuitu personæ undecunque donatæ, sive relictæ fuerint, superiori, horarum viginti quatuor intervallo, exhibeantur, qui illas statim depositario committat, & inde tantùm exhibitori ministrari jubeat, quantum rei convenientis præsens necessitas videbitur postulare. Fratres omnes, etiam superiores & quomodocunq; privilegiati (ægrotis tantùm exceptis) in refectorio cibum capiant, & communi mensâ utentes, communibus epulis vescantur. In primis autem senum, & ægrorum, necnon Prædicatorum, & Lectorum cura habeatur, ita ut nihil eorum necessitati, & commoditati desit. Omnes prædicti quocunque gradu, & honore sint, camisiis laneis, & reliquo vestitu ejusmodi, eodemque honesto, & professioni convenienti, omni præterea supellectili, & instrumento pauperi, atq; humili utantur. Nullus privatum hortum habeat, sed omnes omnibus domûs sint communes, præterquam quoad infirmariam, & Novitios, qui hortum, sive viridarium sejunctum habere possint, in quo cæteri nullatenus ingrediantur. Novitij etiam oblati ante decimumoctavum ætatis suæ annum completum non recipiantur, neque ante decimumnonum completum ad professionem admittantur. Qui hactenus recepti etiam oblati, decimumquintum annum non compleverint, dimisso habitu Religionis, domum ad parentes, & necessarios etiam inviti remittantur, vel aliàs omnino emittantur, nec postea in ædibus unde exierint, aut in aliis ejusdem Ordinis domibus, ullo modo debeant conversari. Laici, qui vigesimum quintum annum non attigerint, ad serviendum non acceptantur, & qui recepti etiam nunc eâ ætate minores sunt, rejiciantur. Novitij non admittantur, aut educentur, nisi in Conventibus insignioribus, in quibus dormitorium, & Capitulum habeant omnino separatum, cujus ingressus aliis Fratribus sit penitus interdictus. In eisdem domibus sit unus Magister ætatis provectioris, moribus, & doctrinâ præditus, qui diligentem habeat prędictorum novitiorum curam, & illis præsit, ipsi autem in grammaticâ, cantu, cæremoniis, & iis, quæ ad Christianam disciplinam faciunt, instruantur, nec è loco Novitiatûs, nisi ad Ecclesiam, refectorium, & ad publicas processiones, & interdum ad aliquam honestam recreationem, cum fidâ custodiâ exire debeant. In quâque domo sit unum vestiarium commune, in quo omnia omnium Fratrũ vestimenta conferantur, quæ ejusmodi sint, eademque nullâ exquisitâ arte laborata, sed simplicia, & honesta, ita ut nec unum ab altero distinguatur. Cui vestiario custos præficiatur, qui munditiæ, refectionis, & distributionis eorundem vestimentorum curam gerat. In omni domo locus tutus cum armariis, seu capsis habeatur, in quibus scripturæ, privilegia, contractûs, & omnia jura ad domum pertinentia, itemq; res pretiosę Ecclesiarum, etiam sacræ, cum suo inventario, seu repertorio authentico asserventur, præter eas, quæ quotidiano sunt Ecclesiæ usui necessariæ, quæ in Sacristiâ, & per Sacristam custodiantur, ita tamen, ut res sacrę à profanis distinguantur. Hujus autem loci tres sint claves, quarum unã Prior, alteram Depositarius, tertiam Procurator domûs habeat. Simili quoque modo inventarium Bonorum mobilium cujusq; Ecclesiæ, & domûs, necnon immobilium, & quorumcunque jurium ad Conventum pertinentium, in formâ probante conscribatur, deq eo exemplum authenticum fiat duplicatum, ut alterum in propriâ domo remaneat, alterum vero in Archivo insignioris, seu principalis domûs ejus Provinciæ reponatur. In omni domo Infirmaria commodo loco constituatur pro Fratribus infirmis, cui Infirmarius ordinetur, per quem domus ipsa de illis omnibus, quę ad animę, & corporis infirmorum salutem commoda, & necessaria sunt, charitativè provideatur. Postremò Prior cujusque domûs pręcipuam curam gerat, ut Ecclesię in suis structuris conserventur, & reparentur, mundę pręterea, & expurgatę, uti decet, contineantur, atque illis de libris, vasis, ornamentis, & aliis ad Altaris ministerium, & Divinum cultum pertinentibus provideatur, quę pariter munda, & nitida conserventur. Res Sacristię, cujusvis generis sint, nullo modo alienentur, nec pignori opponantur, nec ullo modo alicui accomodentur, sed solùm Ecclesię proprię serviunt. Decernentes irritum, & inane quicquid secus per quoscunque, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Priori generali, ac omnibus Fratribus prędictis per Apostolica scripta mandamus, ut quisque pro se pręsentes literas humiliter recipiant, & quęcunque in eis statuta, decreta, & mandata sunt, aliâ desuper à Nobis non expectatâ jussione, aut mentis Nostrę declaratione, firmiter custodiant,

&

& in omnibus studiosè obedire procurent. Quin etiam eidem Priori generali committimus, ut ipse easdem præsentes in proximo, & deinceps futuris Generalibus, & Provincialibus Capitulis, & frequenter in omnibus domibus publicè legere, ac eas, & quicquid pro earum executione, & observatione, tam in ipsis Capitulis Generalibus, vel etiam extra illa, ab ipso adhibitis aliquot ex alijs Prioribus, vel Diffinitoribus prædictis, quos duxerit eligendos, statuetur, ordinabitur, & decernetur, in omnibus Prioratibus, ac ab omnibus, & singulis Prioribus, Fratribus, & personis prædictis inviolatè faciat per se, vel alium, seu alios observari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac etiam protestantes, & reclamantes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore, vel B *ingenio præstantes, tam Ecclesiasticos, quàm laicos cujuscunque dignitatis, gradûs, ordinis, vel conditionis fuerint, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam Prioratuum, dignitatum, & administrationum privatorias, ceteráque juris, & facti remedia opportuna, appellatione postpositâ, compescendo. Quin etiam contendentes prædictos in censuras, & pœnas suprascriptas incidiße declarando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Nonobstantibus Nostris de non tollendo jure quæsito, & de annali, ac triennali possessore, alijsque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis prædicti juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis* C *firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis illi, ejusq; superioribus, & personis, eorumque singulis per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractûs, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, & in specie concessis, confirmatis, ac etiam alijs reformationibus, quotiescunque ac quocunque tempore factis, & promulgatis, ac quibuslibet alijs indulgentijs, & literis Apostolicis specialibus, & generalibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum, seu dictorum Ordinariorum* D *jurisdictio, seu executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris literis mentio specialis. Quæ omnia contra earundem præsentium tenorem, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Deniq; etiam volumus, ut ipsarum præsentium exempla, etiam impressa, & Capituli, vel Prioris generalis, seu alterius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, aut ejus Curiæ sigillo, & Secretarij cujusvis eorum, vel Notarij publici manu obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum in judicio, & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omni-*

no hominum liceat hanc paginam nostræ revoca- A *tionis, abolitionis, voluntatis, privationis, amotionis, nunciationis, concessionis, mandati, præcepti, interdicti, declarationis, statuti, ordinationis, permissionis, decreti, & commissionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio Kal. Junij Pontificatûs Nostri anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

B

Stephanus Generalis interea Venetijs agebat, ut præcipuum illud Congregationis Cœnobium sub suâ obedientiâ reciperet; quâ in re vir prudens tantâ usus est moderatione, & tolerantiâ, ut nonnullorum Fratrum, qui nobilium Senatorum auctoritate fovebantur, repugnantiam facilè superaret. Suffragabantur enim Generali frequentes literæ commendatitiæ Alexandrini, & Farnesij Cardinalium ad Joannem Antonium Fachinettum Vicelegatum, qui à Pontifice jussus eâ in re Generali apud Senatum auxiliatus fuit. Quamobrē & jugi Stephani patientiâ, & Legati sedulitate, necnon optimorum quorumdam Patritiorum favore, & præcipuè clarissimorum C DD. Francisci Justiniani, & Justi Mauroceni, quibus jam Ordinis participationem bonorum spiritualium impertiverat, post integrum mensem Dominico die, tertio Kalendas Julij P. F. Marinus Venetus Prior Servorum, & F. Alexander Venetus Prior Judaicæ cum cæteris Patribus utriusque Cœnobij benignitatem, & longanimitatem tàm probi viri experti .2. promptam Generali Stephano, & Successoribus obedientiam exhibuerunt, & simul & semel novam Pontificis reformationem susceperunt: sicuti in Excellentissimo Serenissimæ Reip. Collegio coram D. Duce pro ipsis assistentibus PP. Hieronymo Martello, & Hieronymo Grimano Venetis spoponderant. [Quę sanè constant ex Instrumento D sequenti.

Conv. Venetiarum ad obediētiā Ord. revertuntur.

IN *nomine Domini Amen. Noverint universi, & singuli præsentis publici Documenti Seriem visuri, & lecturi, quòd Anno Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Millesimo quingentesimo septuagesimo, Indictione tertia decimâ, die verò Jovis, vigesimonono mensis Junij Pontificatûs autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. Pij divinâ providentiâ Papæ quinti anno quinto. Reverendissimus P. S. Theologiæ Magister D. Frater Stephanus Bonuccius de Aretio benemeritus Prior Generalis Ordinis Servorum pro executione debitâ ex mandato Apostolico literarum Apostolicarum à prælibato S. D. N. emanatarum de anno præsenti tertio*

 Nonas

Nouas Maij sub data Romæ, ac sub Bullâ plumbeâ more Romanæ Curiæ expeditarum tenoris infra sequentis; videlicet: Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pro nostri muneris officio, & charitate paternâ, quâ omnes Religiosorum Ordines prosequimur, &c. Vide reliquum supra Cent. IV. Lib. III. Cap. XII. pag. 222. *Convocatis Ven. Patribus Monasteriorum S. Mariæ Servorum de Venetiis, & S. Mariæ Novellæ à Judaicâ Venet. ejusdem Ordinis, præmisso sono campanellæ, ut moris est, in refectorio Monasterij præfati S. Mariæ Servorum loco ad hujusmodi negotium congruo, in quo Capitulo infrascripti interfuere Reverendi Patres. Reverendus P. Prior F. Marinus Venetus, P.F. Hieronymus Martellus Venetus, P. F. Hieronymus Grimanus Venetus, P. F. Hieremias Venetus Vicarius, P.F. Daniel Venetus Baccalaureus, P.F. Grassadeus de Mantuâ, P.F. Anselmus Lauredanus Venetus, P.F. Thadæus Venetus, P.F. Archangelus Vicentinus, P.F. Vincentius Veronen., P. F. Natalinus Venetus, P.F. Marcellus Venetus, P. F. Julius de Bergomo, P. F. Hieronymus de Brixiâ, P. F. Petrus Venetus & P.F. Philippus de Perusio omnes Sacerdotes, F. Cosmus de Veronâ, F. Paulus de Bononiâ, F. Tobias de Veronâ, F. Antonius Venetus, F. Andreas Venetus, F. Benedictus Venetus, F. Augustinus Venetus, F. Hieronymus Mediolanen., F. Gregorius Venetus, & F. Joannes Baptista Mantuanus omnes Clerici, ac F. Paulus Venetus, F. Patiens Brixien., & F. Stephanus Venetus Conversi, omnes residentes in præfato Monasterio S. Mariæ Servorum, necnon R. P. Prior F. Alexander Venetus, P. F. Lucillus de Brixiâ, P.F. Guilielmus Venetus, P.F. Laurus Venetus. P.F. Petrus Paulus de Vincentiâ, P.F. Deodatus de Soraneâ, P.F. Hippolytus de Mantuâ Sacerdotes, F. Gaspar Venetus, & F. Cornelius de Bononiâ Clerici, & F. Andreas de Mutinâ Conversus, omnes Monasterij S. Mariæ Novellæ à Judaicâ. Quibus omnibus sic congregatis exposuit, quòd licet Literas ipsas Apostolicas usque sub die vigesimâ quintâ instantis publicaverit, & vix illarum seriem in omnibus executus fuerit, eisque præfati RR. PP. assenserint, & debitam præstiterint reverentiam, & super id in Excellentissimo, & Illustrissimo Collegio assistentibus sibi RR. Patribus Fratribus Hieronymo Martello, & Hieronymo Grimano Venetis cum Serenissimâ Dominatione colloquium habuerit, nulla nihilominus facta extiterit fides nec publica, neque privata; desideraret igitur, ut de, et super præmissis publicum conficeretur instrumentum, ut ubique locorum, & omni tempore manifestè constaret executio ipsa. Unde denuo Literas prædictas in mei Notarij, & testium infrascriptorum ad hæc vocatorum, & rogatorum præsentiâ prænominatus R. P. Generalis juxta in omnibus illarum seriem, tenorem, & continentiam executus est, præsentibus supra-scriptis Ven. Patribus utriusque Monasterij, sic, ut præmittitur, capitulariter convocatis, & congregatis, & tanquam S. Sedis Apostolicæ* E *obedientiæ filijs assentientibus, debitamque præstantibus reverentiam. De, & super quibus omnibus, & singulis rogatus, ac requisitus fui ego Notarius infrascriptus, ut præsens publicum conficerem Instrumentum.*

Acta fuerunt hæc Venetijs in Loco suprascripto, præsentibus D. Joanne de Sanctis q. D. Martini Cive Veneto, & Ser Dominico q. Ser Leonardi Paternostrario habitatore in hac inclytâ Civitate in Contratâ S. Salvatoris, Testibus vocatis, & specialiter rogatis.

Ego Joannes Figolinus q. D. Alberti pub. Apostolicâ, Imperiali, & Venetâ auctoritate Notarius præmissis interfui, & præsens publicum Instrumentum exinde confeci, publicavi, & subscripsi rogatus, & requisitus cum signo mei F *Tabellionatus solito, & consueto.*

Locus ✠ Signi.]

Quibus peractis non fuit difficilè postmodum Generali aliorum Congregationis Cœnobiorum jura vel per se ipsum, vel per alios Commissarios recipere. Nam cùm esset Veronæ propediem Romam profecturus, per literas patentes die 8. Julij cum suâ solitâ subscriptione *Dominus illuminatio mea* .3. Mag. Ambrosium Platinam Marchiæ Tarvisinæ Diffinitorem Gen. virum probum, pium, prudentem, ac in Religionis regimine maximè versatum, in toto dominio Veneto suum Commissarium præfecit. Hic primus Brixiæ Cœnobium S. Alexandri die 12. Julij assen- G tientibus P.M. Alexandro Tominâ de Ustiano Priore, & Cæteris Fratribus sub obedientiâ Prioris Gen. recepit; deinde Rovatum, Bergamum, & Utinum usque profectus omnia Cœnobia sub eâdem obedientiâ suscepit. Idem dicendum extra dominium Venetum de reliquis Congregationis Cœnobijs, quibus vel per Generalem, vel per suos Commissarios receptis, unionem tandem totius Religionis Servorum à tot præteritis Generalibus frustra tentatam, ad Summi Pontificis præscriptum cum novâ reformatione optatum, & felicem hunc finem habuisse, Stephanus Generalis Romæ ad pedes Summ. Pontificis mense Augusto retulit. Quo etiam mense per literas pat. pridie Kal. Septembris suum Vi- H carium, & Visitatorem in Provinciâ Narbonensi .4. M. Claudiuum de Raconisio illuc destinavit, ut novam reformationem indiceret, & observari curaret. Quâ in Provinciâ Marsiliæ circa hæc tempora obierat .5. M. Antonius Maria Olivarius de Summaripâ, qui ob suas virtutes, doctrinam, & rerum gerendarum prudentiam apud omnes in maximo habebatur pretio, & præcipuè D. Claudio à Sabaudiâ Tenciæ, & Summeripæ Comiti, &c. necnon Massiliæ Præfecto charissimus, quem facilè ad Episcopatum promovendum à Pio V. Summ. Pont. cui satis familiaris fuerat, dum Albæ esset Prior, impetrasset; nisi senio confectus, & oculorum luce orbatus,

Congr. & Ordo Servor. simul uniuntur.

Obitus M. Antonii de Summaripâ.

saluti

faluti propriæ, potius quàm alienæ intentus obdormiſſet in Domino. Non defuerat interea M. Joannes Maria Capella, qui omnem lapidem Romæ ad præfatam exturbandam unionem fruſtra moviſſet, Summo Pontifice ſemper in eâdem ſententiâ perſeverante; ad ejus tamen pacandam, emolliendamq; mentem, ac ſimul conſervandam quoquo modo dignitatem ſui Vicariatûs, Farneſio Protectore hortante, & procurante, mandavit Pius V. ut idem Joannes Maria primus in Religione, & in omnibus gerendis rebus Socius Priori Generali perpetuò aſſideret, quemadmodum conſtat ex litteris .6. F. Umberti Locati Ord. S. Dominici Epiſcopi Balneoregij, de mandato Summ. Pontificis Romæ datis die 14. Octobris.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

1 EX *additionibus ad Chron. Pocciant. ejuſdem Auctoris.*

2 *Ex publico inſtrumento, quod habetur in Archivio Florentiæ.*

3 *Hujuſmodi acta habentur apud Auctorem.*

4 *Ex Regeſto ejuſdem Generalis.*

A 5 *Ex Catalogo virorum illuſtrium de Summariyâ à Venerabili P. F. Gregorio Alaſiâ materno idiomate, Ann. Dom. 1611. Carmagnoliæ edito.*

6 *Originariæ hæ litteræ apud Auctorem habentur.*

B

N O T Æ.

[DE *Ambroſio Platinâ, quem hîc memorat Gianius nu.3. ſcribit hæc Poccianius ad annum 1559. in Chron. His diebus in Agro Virgineo floret R.P.M. Ambroſius Platina Concionator eloquentiſſimus, qui ſuis virtutibus, moribus, vigiliis, ac laboribus, Religionis digni-*

C *tatem cum utilitate conjunctam perpetuò exquiſivit, & ejus induſtriâ Ordini apud Beneventum donatur Venerabile Templum S. Mariæ, ad quod quidem Templum hoc anno ingens Populorum ex quibuscunque Regni Partibus fit concurſus, cum Beatiſſima Virgo ibi ſua ipſius merita diſtribuere dignetur in liberando oppreſſos à Dæmone, & infirmitatibus.*]

F I N I S.



CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ SACRORUM ANNALIUM ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS,

AUCTORE

F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Liber Quartus.

CONTINENS AB ANNO MDLXXI. USQUE AD MDLXXXIII.



ADMONITIO AD LECTOREM.

NON est quod amplius, candide Lector, eas nos in disquirendis antiquorum testimonijs pro astruenda rerum veritate tantopere discurriemus, aut à te in ipsis perlegendis tempus ne quicquam contristetur. Nam Auctor ipse ad eam hoc tempore aetatem pervenerat, ut ipsemet decimum nonum annum agens, quaeque conscribenda in posterum per seipsum investigando referre posset; quippe qui omnia fere nostri Ordinis loca lustraverit, & quae vidit, & quorum pars aliqua fuit, nequam in aperto theatro sequentium eorum oculata fide referre possit; exemplo ab alijs Scriptoribus sumpto, qui cum de rebus præsentibus suorum temporum historiam contexuerint, res visas ubiq. eiorum adminiculo enarrarent. Sic Tucidides inter Græcos, sic plerique inter Latinos & nuper Franciscus Guicciardinus inter Etruscos non contemnendus Auctor, præsentium memoriam conscripserunt. Quam igitur fidem exhibuit Auctor veterum monumentis, quis in posterum sibi non præstandam inficiabitur? Bonæ igitur fidei possessor æquus sit possessor, & vale.

De Sacra Fascia B.M.V. in Ecclesia nostra Terdonæ.

CAPUT PRIMUM.



NTER Divinas exuvias, sacrasque reliquias Patrum quondam Humiliatorum, qui hoc anno justo Dei judicio per Apostolicum decretum Sanctiss. Pont. Pij V. penitus è medio sublati fuerunt, sancta Fascia Gloriosæ Dei Matris, quam sibi pro filio inter ulnas bajulando contexuerat, contigit, ut dono Civitatis Terdonæ S. Archiepiscopo Carolo Borromæo permittente, eâ in Ecclesiâ collocaretur, & his Fratribus commendaretur, qui sub titulo, & vexillo Dei Genitricis Servi Mariæ nuncupantur. Quomodo verò tam pretiosum Reginæ Cœli munus Patribus ipsis Humiliatis obtigisset, antiquum illud Chirographum, quod adhuc conservatur cum eâdem Fasciâ, apertissimè ex sequentibus verbis innotescit.

Historia Sacræ Fasciæ B.M.V. *MCCXXXVII. inditione nonâ die lunæ sexto Mensis Augusti præsentata fuit Fascia Gloriosissimæ Virg. Mariæ, quæ portata fuit ex Sancto Sepulcro in Hierusalem per bonum F. Petrum Guilardium, manibus F. Gulielmi Lodale Præpositi S. Marci Ordinis Humiliatorum Terdonæ 5. extra portam de Turcharello intus circa horam nonam in præsentiâ Fratrum infrascriptum: Fratris Almerij de Suavis, F. Francisci Versinæ, F. Petri de Braidâ, F. Gulielmi de Castronovo, F. Ruphini de Sarzano, F. Joannis Morando, F. Gualterij Zavani, F. Barnabæ Bellardi, F. Jacobi de Arogatis, F. Benedicti de Mariniis; præsentibus etiam infrascriptis Civibus DD. Corrado de Cassano filio D. Rainerij, Petrino de Castelletto, filio quondam D. Archipresbyteri, Joanno Carolo D. Azij. Quia Frater Petrus recessit ab hac Civitate Terdonæ, eò quòd mortui essent omnes affines morbo epidimiæ, uno tantùm germano excepto, qui Religiosus erat, ad præsens S. Sepulcrum, qui fuit tunc ad Sanctum Sepulcrum, qui germanum suum visitandi gratiâ, ubi postea stetit per annorum trium spatium, quo tempore F. Petrus rogavit prædictum germanum, ut eidem ostenderet reliquias ibidem existentes; & gratiâ à Mauro quodam impetratâ, qui ipsarum claves, & curam habebat, locus, ubi erant ingressi, totus tremuit; cùmq; fasciam vidisset inscriptum haben-*

habentem hæc verba : Questa è la Fascia, la quale fece nostra Madonna con le sue mani, e teneva al collo quando fuggì in Egitto per sostenere suo Figliolo N. S. G. C. *pretio dato dicto mauro denariorum decem auri, fasciam habuit, statimq; abiit inde summâ cum lætitiâ, ipsamq. fasciam exportavit, præsentavitque prædicto D. Præposito, postq; dies tres exactos à die præsentationis mortuus est dictus F. Petrus*.

A Huic verò Fasciæ quanta fuerit adhibita reverentia, & devotio, etiam ab ipsis Insubrium Ducibus præcipua indulta Fratribus ipsis Humiliatis concessa apertissimè indicant. Nam Ludovicus Mediolani Dux anno Domini 1496. die 5. Octobris, per suas lit. pat. Terdonæ datas, Cœnobium, & Ecclesiam illam, ne ludis, blasphemiis, effrænatâq; scelestium hominum licentiâ labefactaretur, perpetuò exemit à militari hospitalitate. Quod & multo ampliori privilegio Christophorus Madruccius Card. Episcop. & Princeps Tridentinus ann. D. 1556. die 14. Decembris, cùm esset Mediolani Præfectus, & Caroli V. vices gereret, idem Templum, & Cœnobium liberali munificentiâ, & christianâ pietate cohonestavit. Hæc pretiosissima Fascia in Urbe Terdonæ tantæ venerationi, & fidei, maximè apud devotum fœmineum sexum continuò habetur, ut vix nulla ex præcipuis Matronis prægnans, eam, vel exosculari, vel sibi ad partûs incolumitatem deportari, & venerari non procuret. Cujus quidem sacri thesauri occasione Ecclesia illa, & Cœnobium nostris temporibus induitur à P. Bartholomæo Ferrarij de Terdonâ elegantiori, & ampliori structurâ exornata fuit. Nec mirum videri debet, quod passim, & ubique Sacratissimæ Dei Matris ejusmodi reliquiæ habeantur, quandoquidem eadem erga ipsam officia à proprio filio relata fuerint, quæ illa in Calvario Ipsi filio contulit. Nam post ejus mortem unà cum Joanne Evangelistâ, Josepho ab Arimathiâ, Nicodemo, Gamaliele, Lazaro, Magdalenâ, Marthâ, & aliis mulieribus, referunt Methaphrastes, & Gregorius Turonensis, Clavos, Lanceam, Spongiam, Linteum, Syndonem, Velum, Sudarium, Vestes, Flagella, Coronam spineam, Sanguinem, & denique singula, habere potuerunt passionis instrumenta, eo consilio collegisse, ut per Orbem terrarum venerarentur. Pari quoque consilio postmodum ab Apostolis de reliquiis, Indumentis, aliâque supellectili B. Virginis factum intelligimus, ut ab eisdem Apostolis per Urbem jugiter ad fidelium devotionem augendam, distribuerentur. In cujus rei testimonium ipsius reliquiis jam multæ Ecclesiæ erectæ fuerunt, & præcipuè Constantinopoli Sacris Fasciis, quibus ejusdem beatum corpus in Monumento involutum fuerat, Templum dicatum, ut post alios scribit Juvenalis Hierosolymorum Patriarcha in Epistolâ ad Pulcheriam Augustam; aliud quoque delubrum

Varia templa antiquitus erecta pro sacris reliquiis B.M.V.

pretiosissimæ ejus Zonæ, de quâ Germanus Bizantij Antistes, & Euthymius Monachus apud eundem Methaph. & denique in eâdem Constantinopolitanâ Urbe in regione Bachernâ vestibus ejusdem Deiparæ Virg. aliud Templum à Leone Imperatore magnificè extructum fuit. Quibus sanè pretiosissimis ferè omnibus muneribus, orientali plagâ à Christianæ fidei hostibus devastatâ, Italiæ regio ditata fuit. Nam præter hanc venerabilem Fasciam, quam obiter contemplantes, cùm nunquam viderimus, à longe veneramur. Italia ipsa Lauretanâ domo in Piceno meruit decorari, Perusium Umbriæ caput conspicuum illum B. V. nuptialem annulum devotissimè conservat, & in Cathedrali, ingenti omnium veneratione, colitur, quem pariter

B summâ multarum clavium curâ, partim à Senatu, partim à diversorum Cœnobiorum religiosis Præfectis, inter quos connumeratur Prior noster Servorum, custoditur. Prati quoq; in Etruriâ habetur Cingulum, quo se præcingebat, quod plures in anno fit frequenti populo conspicuum. Alia pariter ejusdem vitta Bononiæ in Ecclesiâ S. Stephani ostenditur. Cortonæ in Ecclesiâ nostrâ pars capillorum asservatur, quemadmodum Venetiis, Veronæ, & Romæ haberi refertur, & in Oppido S. Joannis Florentinæ ditionis in Arni Valle, maximâ Oppidanorum frequentiâ, & devotione quotannis Lac ejusdem Virginis ostenditur. Sed ut ad nostram Fasciam revertamur; ipsa est lanea, & polymita, latitudinis quatuor digitorum, & longi-

C tudinis circiter brachiorum trium, in cujus extremitatibus pendent ad ornatum argenteæ laminæ posterius additæ cum stemmatibus hinc Vicecomitum Ducum, & inde Civitatis Terdonæ; &, quod magis in eâ admirandum, usque ad hanc diem illæsa, atque integra perseverat, cujus nequaquam infuscatus est color; talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodijt artificis.

Gregorius XIII. Stephanum Generalem Episcopum Alatrinum creat, & Cardinalis S. Severinæ fit Viceprotector Ordinis.
CAP. II.

D PIUS V. Summ. Pont. post quam Ecclesiæ Catholicæ clavum optimè rexisset, & hostium Christianæ fidei hæreticorum, & Turcarum victoriâ, terrâ marique, propitiante Deo, retulisset, æquè dierum, ac bonorum operum plenus, & perpetuâ gloriâ dignus, nec sine sanctitatis odore hoc anno sarcinâ mortalitatis depositâ, quod diu concupiverat, æternâ potitur requie Kal. Maij incredibili omnium mœrore, præsertim Ordinis nostri, cui tum uniendo, tùm reformando vehementer profuit. Huic post celebrata novendiala summo Purpuratorum consensu in Apostolicâ Sede successit Hugo Bon-

** Lucæ Machiavelli varia Orationes habentur M.S. in Bibliot. nostrâ Florent. Pisis etiam rectâ, & ego vidi ibidem die 6. Decemb. 1715.*

Boncompagnus Bononiensis Card. tit. S. Sixti die 13. Maij. Qui deinceps fuit dictus Gregorius XIII. In cujus publicâ congratulatione Bononiæ Lucas noster Machiavellus *præclaram habuit apud Bononiensem Senatum Orationem de felicitate urbis Bononiæ, ob Gregorij XIII. ad Summi Pontificatûs assumptionem; quam cum evulgasset, Philippo Boncompagno Card. Nepoti nuncupavit. Inter eos verò dies M. Joannes Baptista Miliovacca Astensis quondam Generalis, viam universæ carnis ingreditur, qui logicus, physicus, & Theologus præstantissimus extitit, & in differendo acutissimus. Novit id universa Servorum Religio, quam suâ sapientiâ decoravit; idem testantur generalia Comitia, quibus adfuit, quæ suis disputationibus illustravit; idem insoper confirmant omnia Italiæ Gymnasia, præsertim tamen Pisarum Academia, ubi per quindecim annos maximo omnium stupore publicè Methaphysicam, & Theologiam edocuit, quarum quidem scientiarum difficultates inter publicos congressus adeò dilucidavit, & strenuè tutabatur, ut à plerisq; qui illum audiebant, per quandam admirationem *Magnus Diabolus* diceretur. Hic insuper Generalatûs dignitati præpositus, cùm celebraretur Sacrosancta Tridentina Synodus, à Summo Pontifice illuc destinatur, ubi suæ doctrinæ testimonium reddidit, & apud Sacros Patres in maximo extitit pretio; immo post depositum Magistratum, cùm ab invictissimo Sabaudiæ Duce Carolo, cui optimè nota fuerat ejus eximia doctrina, In Academiâ Montis Regalis Subalpinæ Regionis Cathedrâ primariâ Methaphysicę donatur, quam postea Augustæ Taurinorum, quò studium transtulerat, in sacram Scripturam, ut dicebatur, commutavit. Ubi tandem senio confectus, & gravi morbo oppressus cessit in fatis, apud Dominicanos tumulatus. In obsignandis verò literis patentibus dum esset Gen. hoc elogio usus est: *Exaudita est oratio mea*. Cùm autem Stephanus Generalis lætum illud nuntium accepisset Hugonem Cardin. suum ad apicem Apostolatûs assumptum, citato cursu post Comitia Provincialia celebrata, ad Urbem perrexit, & ad pedes Summi Pontificis benignè exceptus, non multò post mense Decembri eo consilio Episcopus Alatrinus creatur, ut meliore opportunitate ad majora promoveri posset. Per idem tempus D. Cardin. Farnesius, & Cancellariæ onere, & Viterbiensis Legationis munere, alijsque gravissimis curis perpetuò gravatus, cùm difficile posset protectionem nostram solus sustinere, adjutorem sibi adhibuit Julium Antonium Sanctorium Card. S. Severina nuncupatum, qui in hoc protegendo Ordine suas vices gereret.

Mors M. Joannis Baptistę Astensis.

Stephanus Gen. Episc. Alatrinus.

E

In Comitijs generalibus Arimini Angelus Morellius Aretinus trigesimusquintus Prior Gen. eligitur.

CAP. III.

Generalium Comitiorum tempus advenerat, quando totus ferè Ordo Ariminum, ubi prius indicta fuerant, summâ cum lætitiâ properabat, ut unum Generalem Præfectum Stephanum nuper Episcopum electum inviserent omnes; tantâ enim Pater iste benignitate, & dexteritate omnium animos devinxerat, & tantâ prudentiâ universæ Religionis nostrę grave onus sustinuerat, ut æquè Congregationis, ac ipsius Ordinis communem in se convertisset amorem. Quamobrem opus fuit, ut non

F modò Capitulum Generale, sed etiam quarumcunq; Provinciarum haberentur Comitia, & numerus excederet octingentorum Fratrum. D. Farnesius Cardin. Protector, ut decus ejusdem Stephani Episcopi, & Generalis conservaretur, illum præfecerat, ut suo loco in his Comitijs præsideret. Die igitur nonâ Maij convenientibus simul omnibus Stephanus e summo loco tantâ verborum dulcedine, & charitate allocutus est Fratres, ut omnium corda emolliens in lachrymas converteret, cujus sermonis finis fuit, ut sese penitus officio abdicaret, licèt omnibus, quæ in Capitulo gerenda forent, ut Præses assisteret. Non defuissent ex præteritis jam com-

G petitoribus, qui generalem illum Magistratum appeterent, sed unius Stephani consilio fors cecidit super M. Angelum Morellium Aretinum, qui è Procuratore Ordinis trigesimus quintus Generalis uno omnium consensu, pariter & suffragijs salutatus est, & ex duobus MM. Damiano de Florentiâ, & Cornelio Coradino de Bononiâ, qui procurationem in Curiâ affectabant, æquis ferè suffragijs, uno, vel duobus exceptis, simul concurrentes, relicitur Damianus, eligitur Cornelius Proc. Generalis in Curiâ. Electores, qui jam in singulis Provincijs, juxta formam Constitutionum Zachariæ, designati fuerant, & suffragia in hoc Capitulo ferrent hi recensentur. Reverendissimus Episcopus Alatrinus, Generalis Mag. Angelus de Aretio. Proc. Ord. M.

Angelus Morellius Gen. 35.

H Joannes Maria Capella de Cremonâ Socius Generalis. Pro Provinciâ Tusciæ MM. Damianus de Florentiâ Diffinitor, Bartholomæus de Flor. Socius, & Philippus Sembolus de Cortonâ Provincialis. Pro Provinciâ Patrimonij MM. Antonius Fuccius Diffinitor, Joannes Baptista Socius, & Franciscus de Canetulis Provincialis, omnes de Burgo S. Sepulchri. Pro Provinciâ Romandiolæ M. Cyrillus Francus de Bononiâ Diffinitor, P. Petrus de Faventiâ Socius, & M. Aurelius Menochius de Bononiâ Provincialis. Pro Provincia Lombardiæ M. Joseph Ferredjus de Mantuâ Diffinitor, P. Julius Picinardus de Cremonâ

mona Socius, & M. Andreas Blanconus de S. Bernardo Provincialis. Pro Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ MM. Cœlestinus de Vicentiâ Diffinitor, Joannes Baptista Giazzanus de Utino Socius, & Paulus de Tarvisio Provincialis. Pro Provinciâ Januæ M. Claudius de Raconisio Diffinitor, P. Balthassar Gallus de Raconisio Socius, & M. Alexander Vinea de Summaripâ Provincialis. Pro Provinciâ Regni P. Joannes Baptista Mirtus de Neapoli Baccalaureus, Provincialis. Pro Provinciâ Narbonensi P. Joannes Philippus . . . . . . Provincialis. Non defuerunt qui summâ omnium Ariminensium alacritate hæc Comitia suis virtutibus decorarent, & quod fortè nunquam accidisset Pontificalis Missa in die Pentecostes per D. Stephanum Episcopum solemni ritu, & ingenti populorum numero celebrata fuit; multæ Conciones habitæ, multi disputationum agones, & plurima selecta juventus magnum de suis virtutibus specimen prębuit, ex quo plerique ad Magistralia decora, laureasque baccas fuerunt admissi; ex quibus Angelus Generalis Patriæ dulcedine illectus, & suorum propriis meritis devinctus duos Aretinos Nicolaum Barbolanum, & Augustinum Gorucciuni more Majorum Magistrali laureâ decoravit. Strenuè igitur disputarunt in his Comitijs idem Nicolaus, & Augustinus Aristotelicæ doctrinæ perpetuus Sectator, Cornelius Peracinius de Pistorio, Seraphinus Piscius, Dominicus Sylvanus, Angelus Maria Montursius, Lælius Balleonius, omnes Florentini, Anselmus Sethis Perusinus, & alij juniores Baccalaurei, & studentes cum suis præcipuis Assistentibus. Verùm inter omnes hi tres tamquam veterani commilitones Cyrillus Francus de Bononiâ publicus Theologus, Julius Malcalceatus de Mediolano ibi Regens, & Aurelius Menochius itidem Bononiæ Regens, palmam præripuerunt. Non deerant interea ex Patribus olim Congregationis, qui & apud Protectorem, & Summum Pontificem tàm grande, & numerosum familiarum corpus sub alienis Provincialibus redactum, conquererentur, & ægrè ferrent administrari. Ex alterâ verò parte intollerabile videbatur Socijs Provinciarum, ut eorum officia erga Generalem ab uno Joanne Mariâ Capellâ de Cremonâ ex decreto Pij V. præoccuparentur, cùm ipse solus passim, & ubique deberet esse perpetuus Socius Generalis. Hæc igitur cùm in his Comitijs utrinq; ventilarentur, fiunt ex condicto conventiones, ut totum Congregationis corpus in duas Provincias, & sub duobus Provincialibus ex eodem corpore præficiendis, regeretur; & deinceps M. Joannes Maria Capella proprio & Congregationis nomine, Sociale officium liberè in perpetuum deponeret; in quâ fanè conventione quinq, & octuaginta ex Patribus Congregationis, partim Magistri, partim Priores, partim Baccalaurei, & Discreti, qui in his Comitiis vocem habebant, subscripserunt; quemadmodum vidimus inter alia monumenta Conventûs Cremonæ, & innuere

A videtur Bulla Gregorij Summi Ponr. proximè apponenda. Interea Mag. Cornelius Ordinis Procurator gravi impedimento Bononiæ detinebatur, quo minùs suum officium in Curiâ exercere posset; quare Gregorius Sum. Pont. per Apostolicum diploma Romæ datum 8. Septembris Ordinis Procuratorem declarat M. Aurelium Menochium de Bononiâ, qui tunc erat Præfectus Provincialis Romandiolæ. Inter præsentis anni gesta deplorandum, & perpetuo mœrore dignum scribentibus nobis enarrare occurrit, nimirum Archangeli Bruscoli obitum, 3. quem sicut natura Avunculum nobis paravit, ita ingens charitatis amor obsequentissimum Patrem conciliavit. *Archang. Brusc. Flor. obitus.*

B E' Venerijs igitur, ubi integrum biennium verbum Dei tùm in Ecclesiâ nostrâ Servorum, tùm in S. Apostoli, & aliquando à Senatu invitatus in Æde S. Marci explicaverat, in Patriam tandem valdè fatigatus concesserat. Ex quo tempore plures menses languens non poterat pro suâ consuetudine animum à studijs, & à calamo revocare, donec mense Octobri ingravescente morbo, die tandem Apostolorum Simonis & Judæ transacto, post decimam noctis horam, Sacris communitus, Spiritum Deo reddidit, annum agens secundum & sexagesimum, quem in proximo S. Thomæ Apostoli die completurus erat. Id mirum in eo Patre, ut vix septimum agens mensem, ex utero Matris tam facilè,

C tam vivido spiritu prosiliret, ut omnium admirationi, nondum ferè natus, esse cœpisset. Anno tertiodecimo in humanioribus literis enutritus, clam parentibus ad Ordinem nostrum confugit, & habitu suscepto tam avidè Rethorum documenta apprehendit, ut nihil operosiùs appeteret, quam oratiunculas componere, sermones recitare, ambones ascendere. Vix sextumdecimum compleverat annum, quando coram Patribus de suâ eloquentiâ sæpe sæpius signa præclara dedit; unde M. Victorius Florentinus inter alios Patres ipsius dicendi suavitate, & facundiâ devinctus, ac specialem ejusmodi protectionem suscipiens, à superioribus Ordinis impetravit, ut non observato aliorum ordine, aut tempo-

D re Bruscolus tam adolescens in Suburbijs Florentiæ per Quadragesimam se declamando exerceret. Quare decimoseptimo suæ ætatis anno occasionem nactus cujusdam declamatiunculæ ad Pratenses, usq; adeò viri illi eâdem dicendi venustate capti, Bruscolum turmatim pro diebus festis proximæ Quadragesimæ in Ecclesiâ S. Mariæ Concionatorem statuerunt. Quo in officio ita se gessit adolescens, ut brevi omnium admirationi fieret, & deinceps Bruscoli agnomine cœpit concionator præclarus evadere. In eo admirabantur omnes ea, quæ in pronuncianda valde necessaria fore monebat Marcus Tullius Cicero, nimirum vocis, vultûs, & gestûs moderatio

ratio cum venustate. Hæc de crepundijs Avunculi nostri tamquam primordia à senioribus nostris accepta sufficiant. Cætera de Sacris suis Magistratibus pluries honestissimè perfunctis, de religiosis moribus, de assiduis in concionando laboribus, de infatigabili, ac perpetuo scribendi studio sempiterni testes esse possunt sex magni suarum lucubrationum codices in nostrâ Bibliothecâ Conv. Florentiæ, præter illa, quæ de eo Epidauri Joannes Mazonius Cremonensis in epistolâ heroico carmine cecinit, & quæ Franciscus Bocchius Florentinus Civis, & humanarum literarum professor lib. 2. de viris illustribus Florentinis solutâ oratione de Brusculo edidit, & quæ nos olim in tractatu de verâ origine Ordinis Servorum vernaculâ linguâ conscripsimus, de quo tandem cumulatè sufficiat, quòd dum Romæ in Æde S. Laurentij in Damaso 1568. quadragesimali tempore verbum Dei annunciaret, Pius V. Summ. Pont. vigintiquatuor Cardinalium, qui unâ simul die ipsum audierant, testimonio commotus, ipsum pluries in Vaticano audire voluit, & inter celebriores ipsius tempestatis Concionatores Brusculum primas habere declaravit; de quo etiam in publicâ oratione, quam in Capitulo Generali Faventiæ 1564. F. Justus Navius de Veronâ hæc inter alia multa de Brusculo protulit; *nam mirum est quâ dicendi copiâ, quo splendore verborum, quâ sententiarum subtilitate, quàm multiplicibus, ac varijs sacri eloquij testimonijs Archangelus Brusculo pollere, ac circumfluere videatur; est illi dulcis in exhortando suavitas, vehemens in redarguendo invectio, summa in probando gravitas, magna in persuadendo fides, in laudandis virtutibus præcipua ubertas, in flagitijs execrandis mira contentio, incredibile disponendi artificium, doctrinæ, & eloquentiæ præclarissima laus, quam omnes suspiciunt, & dignitatem singularem miris laudibus prosequuntur.* Sed quorsum hæc è cur de nostro Patre, cujus beneficentiæ id totum, quod in hac Religione sumus, tribuere tenemur, scribentibus nobismetipsis tantum renovare dolorem? Ejus funus eleganti sermone laudavit Mag. Damianus Regens Florentini studij præter carmina multa studiosorum ejus inferijs apposita, ex quibus liceat hoc unum ad ipsius perpetuam memoriam exarare.

Brusculus atq; Archangelus idem nomen adeptus
Viribus exiguus fuerat, doctissimus arte;
Quem grano similem produxit Vita Synapis;
Et nunc extollit sublimis ad Æthera virtus.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

1 *Omnia ex Regesto ejusdem General. Angeli.*

2 *Ex eorumdem theorematibus impressis.*

3 *Auctor de suo Avunculo modestè paucis agens ad altos scriptores, & ad propria ipsius Brusculi studia, quæ assidua, & magna in sex voluminibus apparent in Bibliothecâ Conventûs Florentiæ Lectorem remittit.*

Consecratur Ecclesia de Pistorio. Indulgentia quædam pro Ecclesiâ D. Annunc. de Flor., & quorumdam Conventuum origo.
CAP. IV.

EOdem anno 1573. D. Felicianus de Narniâ Archiepiscopus Avenionensis, de quo in his Annalibus ad annum 1576. & alibi ritu solemni consecravit Ecclesiam nostram D. Annunciatæ de Pistorio die 10. Julij, cujus rei monumentum juxta Aram ejusdem Principem legitur in pariete hisce versibus conceptum. *Consecratur Eccl. D. Annunc. de Pistorio.*

Quod sciant posteri omnes Reverendissimus D. Felicianus Capitonius de Narnia Ordinis Servorum Archiepiscopus Avenionensis Ecclesiam hanc, & Majorem ejus Aram indicta quotannis Indulgentia quadraginta dierum summa cum celebritate, ac solemni pompa sacravit die 10. Julij. MDLXXIII.

Altare hoc majus deinde iterum decentiori formâ fabrefactum Alexander Caccia Episcopus Pistoriēsis die XI. Novemb. MDCVII. solemni ritu consecravit, reconditis ibidem SS. Reliquijs, videlicet Particulâ Cathedræ S. Petri Apostoli, Ossium S. Thomæ Apostoli, S. Saturnini Mart. SS. Virginum, & Martyrum Cœciliæ, Barbaræ, & Praxedis Virginis, indictâ quotannis Indulgentiâ 40. dierum.

Florentiæ pariter die 15. Maij ejusdem anni D. Antonius Altorrita Archiepiscopus omnibus utriusque Sexus Christifidelibus, qui Ecclesiam Annunciatæ Illius Civitatis, & Sacellum Virginis Mariæ nuncupatæ *del Soccorso* omnibus Sabbati diebus, & singulis ejusdem B.M.V. Festivitatibus devotè visitaverint, ibique Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, 40. dies de verâ Indulgentiâ, in formâ Ecclesiæ consuetâ, perpetuis futuris temporibus elargitur. Hujus Indulti transumptum authenticum manu Archangeli q. Joannis Antonij Vignali illius Curiæ Cancellarii factum ex eâdem Curiâ extractum in Archivo nostro D. Annunciatæ servatur. De hac B.V. Imagine, ejusque solemni Translatione dicendum erit ad annum . . . . . *Indulg. pro Sacello B. V. del Soccorso Flor.*

Ap hunc annum referenda videntur Loca quædam Ordini Servorum concessa. In primis

Conv. S. Rochi de Milonariâ.

mis sciendum est, quòd in Diœcesi Beneventanâ Oppidum est, quod Milonaria dicitur à quodam pervetusto Duce Milnne fortè sic dictum; prope autem, & extra illud, Hospitale quoddam erat perantiquum sub Tit. S. Rochi. Locum hunc Communitas illa, annuente Archiepiscopo Beneventano, Ordini nostro concessit die 24. Maij 1573. quippe quæ Concionatorem quendam è nostris nomine Joannem Antonium Berganellium de Castro Franco Venetorum summoperè diligebat, & plurimi faciebat, cujus proinde operâ potissimùm Locus iste Nobis accessit, & præ cæteris Julius Cæsar de Minadocis in Oppido illo Vir primarius larga contulit subsidia singulari quidem munificentiâ pro Ecclesiæ restaurtatione, cui Tit. est S. Mariæ Gratiarum, & S. Rochi, & pro constructione Cœnobij; cujus exempla deinde quamplurimi etiam ex finitimis secuti Ecclesiam eandem exornare certatim studuerunt. Situs hujus Loci in edito colle amœnissimus saluberrimi aeris est, & solitariæ vitæ ducendæ accommodatus. Ad eundem annum 1573. referunt nonnulli Locum, quem tenuit Ordo Servorum sub Tit. SS. quatuor Coronatorum de Aquilâ in Provinciâ Romanâ. (Locum enim alium antea sub Tit. D. Annunciatæ tenuisse dicitur Ordo Servorum, de quo tamen nihil aliud nobis innotuit) eò quòd originem ejusdem exploratam non habuere, & hoc solùm intellexerunt, quòd eidem Loco hoc anno unita fuit sacra quædam Ædicula super pontem prope Cœlestinorum Abbatiam posita, ubi plurima patrabat Altissimus miracula Deiparæ meritis, & intercessione. Ipse quoque ejusdem originem deprehendere nondum potui. Verùm antiquiorem hoc anno esse non dubito, & ad annum saltem 1564. referendam, quia Locum hunc legimus in Regesto Generalis Faldosi, & Milliovacca ad d. annum. Postmodum verò ipsum deseruere Patres habitâ quadam cum Capuccinis permutatione, de quâ dicendum erit ad annum 1607. In Regesto autem Generalis Angeli Morelli de Aretio recensita hoc etiam anno 1573. apparent loca sequentia, scilicet S. . . . . . . in Castro S. Cassiani in Provinciâ Romandiolæ, S. Mariæ de Ajacio, & S. Mariæ de Facciâ in Insulâ Corsicæ, ex quo palam est, quòd Alacensis Conventus ab Ordine nostro recessit nonnisi consequentibus annis, & quidem cum maximâ Ordinis ejusdem jacturâ. Cùm enim Ajacium Arx munitissima in eâ Insulæ parte sit, quæ proximè respicit Insulam Sardiniæ, interiecta siquidem sunt octo solùm, vel decem milliaria; Vicarius idem Generalis Loca nostra quæcunque utriusque Insulæ regebat, quod sanè plurimùm Conventibus præsertim Sardiniæ adjumento erat, nec ulteriùs eadem regendi forma servari potuit, eò quòd reliqui Corsicæ Conventus ab Insulâ Sardiniæ nimium distent, nisi potius dixerim, ac fortè veriùs, quòd

Conv. t. SS. quatuor Coronatorum de Aquilâ.

Conv. Castri S. Cassiani, S. M. de Aiacio, & S. M. de Facciâ in Corsicâ.

nonnisi ægerrimè utriusque Insulæ Patres eidem A Præfecto parere potuerint ob varia hominum ingenia, & diversitatem Dominij. Denique eodem anno 1573. Clarissima familia Balleonia de Perusio Ordini Servorum jugiter addictissima, & ejus nomine Comes Octavianus, & D. Virginia ejus Uxor Comites Castri Petri Ecclesiam quandam cum Cœnobio sub Tit. S. Mariæ Gratiarum de Camposano eidem Ordini concedunt, ejusdem nomine recipiente P. M. Francisco de Canetuiis de Burgo S. Sepulcri Provinciali Patrimonij, præsentibus PP. Jacobo Foresio de Tuderto, & Hieronymo Milesis de Castro Plebis Priore Conventûs S. Mariæ Veritatis de Viterbio, habito pub. Instrumento, de quo rog. fuit Gaspar Guarduzius de Castro B Civitellæ Diœcesis Balneoregiensis.

Conv. S. M. Gratiarum de Camposano Castri Petri.

Ex eodem Regesto intelligimus pariter, quòd Angelus prædictus Generalis, cùm Mantuę ageret, P. Philippo de d. Civitate per Literas patentes ibi datas die 24 Augusti 1574. mandavit, ut locum quendam nomine Ordinis nostri quamprimùm reciperet sub Tit. S. Mariæ in Terrâ Bossuli Diœcesis Cremensis, nihil autem aliud de hoc Loco compertum est nobis.

Conv. S. M. Bossuli.

Diruto Conventu S. Rochi anno 1548. ut ad eundem diximus, quem Ordo Servorum tenebat apud Lucinianum in Valle Clanarum, ad hæc usque tempora destituti propriâ Sede ibi fuerunt ejusdem Ordinis Patres non sine gravi tum Populi, tum ipsorum mœrore. C Quoniam verò Cosmus primus Magnus Etruriæ Dux, cujus imperio, ut diximus, dirutus fuerat prior S. Rochi Conventus, aliam Sedem ijsdem pollicitus fuerat, statim ac præsto ipsa fuisset; hisce temporibus PP. Voti compotes evasere, qui cæteroqui ab anno usque 1543. Divina peregerunt Mysteria in Sacello S. Antonij, quod positum erat in Ecclesiâ illius Oppidi, & unà cum Oratorio S. Martini dicto *della Fabrica* extra idem Oppidum Ordini Servorum, ejusque prædicto Conventui S. Rochi unitum fuerat, quemadmodum constat ex sequentibus.

Ordini Servor. conceditur Eccl. S. M. de Quercu prope Lucinianum.

Bernardettus de Minerbettis de Florentiâ Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcop. Aretinus.

D *Venerabili Magistro Joanni Salvatoris de Luciniano S. Theologię Professori, ac Priori S. Rochi prope, & extra Castrum Luciniani Vallis Clanarum Ordinis B.M. Servorum nostræ Aretinæ Diœcesis, ac Fratribus d. Conventûs salutem in Domino. Ex parte vestrâ coram Nobis fuit expositum, quòd cum facultates hujusmodi vestri Conventûs ita tenues existant, ut Fratres in eo degentes ex eis non possint vitæ necessaria percipere; Quodque si simplex Oratorium S. Martini de Fabricâ extra Terram Luciniani, & Capellania ad Altare S. Antonij in Ecclesiâ S. Angeli de Luciniano prædicto Archipresbyteratûs nuncupata d. Conven-*

Conv. S. Rochi de Luciniano uniuntur Orator. S. Martini de Fabricâ, & Capella S. Antonij in Eccl. S. Angeli.

tui per Nos unirentur; ex redditibus, & proventibus dd. Oratorij, & Capellæ sic vestræ inopiæ consuleretur, ut commodiùs in d. Conventu vivere, & liberiùs tam vos, quàm qui pro tempore in d. Conventu degerent, debitum valeretis, & valerent Omnipotenti Deo, & Beatissimæ Virgini reddere famulatum. Quapropter Nos attendentes petitionem vestram hujusmodi fore justam, & consonam rationi, & libenter id annuentes, ex quo Religiosarum Personarum commoda cum Divini cultûs augmento proveniant. Viso consensu per honorabilem Virum Dominum Vitum olim Nicolai de Petruccis Civem Senensem Patronum d. Capllaniæ S. Antonij, de quo apparere vidimus manu Ser Antonij Mariæ Cæsaris de Mariottis de Asciano Notarij publici sub die 19. Februarij 1542. Auctoritate Nostrâ ordinariâ, & quâ fungimur in hac parte, & salvo Sedis Apostolicæ beneplacito, quatenus expediat, & non aliter, Oratorium simplex S. Martini de Fabricâ, & Capellaniam ad Altare S. Antonij in Ecclesiâ S. Angeli de Luciniano respectivè prædictâ cum omnibus juribus, & pertinentijs suis eidem Conventui vestro S. Rochi in perpetuum univimus, & incorporavimus, prout unimus, incorporamus, & annectimus per præsentes. Ita quòd cedentibus, & decedentibus moderuis ipsorum Oratorij, & Capellaniæ Rectoribus, seu illud, vel illam etiam quomodolibet dimittentibus, liceat Vobis corporalem, realem, & actualem Oratorij, & Capellaniæ, Juriumque, & pertinentiarum prædictarum possessionem auctoritate propriâ liberè apprehendere, illorumque fructûs liberè percipere, & in vestros, & d. Vestri Conventûs usûs, & utilitatem convertere. Volumus autem, quòd Nobis, & successoribus nostris libras octo ceræ albæ laboratæ, quatuor scilicet nomine d. Oratorij S. Martini, & quatuor sub nomine Capellaniæ S. Antonij anno quolibet sub Tit. Censûs in Ecclesiâ Cathedrali Nostrâ Aretinâ, & in die S. Donati solvere debeatis, & teneamini, & quòd ad prædicta faciendum vos efficaciter obligetis. In quorum fidem præsentes fieri fecimus, & per Notarium infrascriptum subscribi, ac sigilli, in quo est impressa Imago BB. Apostolorum Petri, & Pauli ob carentiam nostri proprij, pro nunc appensione muniri.

Datum, & actum Florentiæ in Domo nostræ solitæ habitationis die 29. Mensis Augusti 1548. præsentibus ibidem Reverendo Magistro Hieronymo de Florentsolâ Provinciali Ordinis Servorum, & Achille de Morone familiari nostro Testibus ad præmissa vocatis, habitis, & rogatis.

Ego Scipio Ser Alexandri de Braccesis Notarius pub. Civ. Flor. de prædictis rog. in fidem, & de mandato, &c.

Itaque Luciniani Communitas Ordini Servorum addicta eidem liberè concessit Ecclesiam à se, & ex piorum eleemosynis constructam prope, & extra Oppidum B. M. V. consecratam, sub Tit. S. Mariæ de Quercu, de quâ, & ejusdem Virginis Imagine ibidem miraculis illustri mox erit dicendum, accedente consensu Francisci Magni Ducis Etruriæ, & Episcopi Aretini approbatione in Literis patentibus sequentis tenoris.

Stephanus Bonuccius Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Aretinus.

UNiversis, & singulis has nostras Literas inspecturis, lecturis pariter, & audituris, quosque infrascriptum tangit negotium, quique sua quomodolibet putaverit interesse, salutem.

Quoniam jis, quæ ad Divini Cultûs augmentum, Fidelium solatium, & eorumdem Animarum salutem tendere dignoscuntur, favorabiles esse debemus atque benigni. Cùm itaque Nobis expositum sit aliàs Communitatem Luciniani Vallis Clanarum nostræ Aretinæ Diœcesis donasse, & seu quovis alio titulo concessisse Religioni S. Mariæ Servorum in Thusciâ Ecclesiam S. Mariæ vulgariter nuncupatam della Quercia prope, & extra d. Castrum Luciniani cum omnibus juribus, bonis, & pertinentijs suis, cum quibusdam pactis, capitulis, & conventionibus, & ad id accessisse assensum Serenissimi DD. Francisci Medices Magni Ducis Etruriæ, & pro parte R. P. F. Augustini de Scrossiano S. Theologiæ professoris, ejusdem Religionis Servorum Studici, & Procuratoris ad infrascripta, & alia constituti à R. P. F. Philippo Semboli de Cortonâ ejusdem Ordinis, & Provinciali Thusciæ petitum sit à Nobis d. concessionem approbari, & confirmari; & quatenus opus sit d. Ecclesiam cum Capitulis, pactis, & conventionibus productis, & m. l. . . . . concessione appositis, & aliàs inter agentes d. Religionis Servorum, & d. Communitatis factis d. Religioni annecti, & uniri, & incorporari. Nos propterea Stephanus præfatus Episcopus Aretinus, visis d. concessione rogatâ manu Ser Francisci Bennij Notarij publici Florentini, Cancellarij d. Communitatis, vel alterius Cancellarij sub die 29. Novembris 1574. Capitulis, & pactis inter prædictas partes propriâ factis manu Ser Joannis Petri de Carminatis Notarij publici Florentini rog. sub die 6. Maij d. anni 1574. consensu d. Serenissimi Magni Ducis rogat. manu Ser Jo. Baptistæ Juliani sub die 12. Aprilis proximi præteriti, & repertis his omnibus rationi, & juri consonis, & tendere ad Divini Cultûs augmentum, & salutem Animarum Fidelium, & omnibus visis videndis, & consideratis considerandis, Jesu Christi, ejusque Gloriosissimæ Matris Virginis Mariæ nominibus invocatis, auctoritate nostrâ ordinariâ, & omnibus melioribus modis, jure, causâ, & formâ, quo, quâ, quibus, magis, meliùs, validiùs, & efficaciùs de jure potuimus, & possumus d. Concessionem de d. Ecclesiâ S. Mariæ de Quercu factam d. Religioni Servorum, cum pactis, Capitulis, cautelis, & conventionibus prædictis, & omnia, & singula in præmissis gesta, facta, & decre-

Eadem Loca S. Martini, & S. Antonij uniûtur Eccl. S. M. de Quercu.

decreta approbavimus, & confirmavimus, approbamus, & confirmamus, Nostramque, & Nostri Episcopatûs auctoritatem interposuimus, & interponimus pariter, & Decretum, & quatenus opus sit, & non aliter, d. Ecclesiam S. Mariæ della Querciá *cum omnibus ejusdem juribus, bonis, & pertinentijs d. Religioni S. Mariæ Servorum in Thusciâ univimus, incorporavimus, & annexImus, unimus, incorporamus, & annectimus in perpetuum, & d. Ecclesiæ S. Mariæ* della Quercia *simplicem Ecclesiam, seu Oratorium S. Martini de Fabricâ extra Terrã Luciniani, & Capellam ad Altare S. Antonij in Ecclesiâ S. Angeli de Luciniano alias Religioni Servorum unitas d. Ecclesiæ, & annexas, unimus, & annectimus cum omnibus eisdem juribus, bonis, & pertinentijs, dando, & concedendo d. Religionis Priori, qui pro tempore fuerit in d. Ecclesiâ S. Mariæ* della Quercia *de Luciniano ejusdem Ecclesiæ, ac pro dictarum Ecclesiæ S. Martini, & Capellæ S. Antonij in spiritualibus, & temporalibus curam, regimen, & administrationem, necnon facultatem, & auctoritatem fructûs, redditûs, & proventûs quoscunque ad eandem Ecclesiam, & Capellanum spectantes percipiendi, levandi, & exigendi ad Divini Cultûs augmentum, & commodum Fratrum, Prioris'que in eadem Ecclesiâ degentium conversandi; dummodo intra d. Ecclesiam, & Capellaniam non negligant, sed debitè exequantur, contradictores, & rebelles quotcunque per censuram Ecclesiasticam compescendo. Quæ omnia, & singula Vobis supradictis tenore præsentium intimamus, notificamus, & ad memoriam reducimus. In quorum omnium, & singulorum fidem has nostras per infrascriptum Notarium fieri, Nostri'que Magni sigilli jussimus, & fecimus impressione communiri.*

Datum, & actum Aretij in Palatio Episcopali anno Dominicæ Incarnationis 1575. Indictione tertiâ, tempore Pontificatûs SS. in Christo Patris D.N.D. Gregorij Divinâ providentiâ Papæ XIII. & Serenissimo D. D. Francisco Medici Magno Duce Etruriæ Dominante, die verò 14. Mensis Maij, præsentibus ibidem Ser Juliano Agnoletti de Quaratâ Clerico Aretinæ Diœcesis, & D. Francisco Rabio de Bononiâ testibus ad præmissa omnia, & singula adhibitis, vocatis, & rogatis.

Stephanus Bonuccius Episc. Aretinus.

Quæ postmodum rata in primis habuerunt, & confirmarunt Angelus Morellius de Aretio Ordinis nostri Prior Generalis, Socius, Provincialis Thusciæ, & Definitores Capituli Provincialis, prout constat ex sequentibus Actis descriptis in Regesto Generalis Jacobi Tavanthij fol. 148. quod servatur in Archivo Conv. D. Annunc. de Florentiâ.

F. *Angelus Morellius de Aretio Ordinis Servorum Prior Generalis, Socius, Provincialis Thusciæ, & Definitores Capituli Provincialis Florentiæ celebrati die 26. Maij 1575. videntes concessionem, & donationem factam à* A *Populo, & Communitate Luciniani Ecclesiæ S. Mariæ* della Quercia *nuncupatæ Ordini nostro Servorum, & consensum Serenis. M. Ducis Etruriæ sub die 12. Aprilis ejusdem anni, necnon Bullam, & Confirmationem Reverendiss. Episcopi Aretini sub die 14. Maij ejusdem anni. Insuper conventiones factas inter præfatam Communitatem ex unâ, & R.M. Philippum Sembolum de Cortonâ Provincialem Thusciæ loco Religionis cum consensu Reverendiss. Generalis sub die 12. Decembris 1574. ex alterâ, in quibus potissimùm convenitur die 26. Januarij 1575. manu Ser Joannis Petri de Carmignanis Notarij Flor. ut Bona omnia, quæ fuere Conventûs S. Rochi nostri Ordinis d. Terræ Luciniani, nunc penitus diruti, novæ Ecclesiæ, &* B *Conventui præfato S. Mariæ* della Quercia *applicentur, præcipuè etiam Bona omnia duarum Capellarum, quæ jam à Reverendiss. Episcopo Aretino anno 1548. die 29. Augusti, vel quocunque alio veriori tempore concessa, & applicata fuerunt Conventui, & Fratribus in eo degentibus, videlicet S. Rochi, in perpetuum, jam diruti; & considerantes hæc omnia in augmentum Divini cultûs, & decus Religionis, & Provinciæ tendere, omnes præfatas conventiones inter Communitatem supradictam, & Rev. Provincialem, & applicationem præfatorum Bonorum duarum Capellarum S. Martini, & S. Antonij confirmarunt, & rata, & confirmata in perpetuum dixerunt. Non obstantibus in contrarium quibuscunque applicatione fructuum,* C *concessione, vel permissione alicui alteri Conventui facta, vel alijs quomodocunque. In quorum omnium fidem, & ad perpetuam rei memoriam præsentes Literas scribi, & sigillo Reverendiss. Generalis communiri fecerunt.*

Dat. Florentiæ die 29. Maij 1575. cum eorumdem subscriptione.

Ita est F. Angelus de Aretio Gen. Serv.
Ego F. Bartholomeus de Florentiâ Socius Generalis Provinciæ confirmo.
Ego F. Philippus de Cortonâ Provincialis Thusciæ confirmo.
Ego F. Jacobus de Florentiâ Definitor in Capitulo Prov. confirmo.
Ego F. Lucas de Lucâ Definitor in Capitulo Prov. confirmo.
D *Ego F. Marcus Antonius de Cortonâ Definitor confirmo.*
Ego F. Marcus de Aretio Definit. confirmo.

Rata deinde habuit, & confirmavit Gregorius Papa XIII. per Apostolicas literas Tusculi datas Idibus Septembris 1583. prout ad annum 1585. dicendum erit.

Interim mandâte Angelo de Aretio Ordinis nostri Priore Generali per Literas Patentes Romæ datas in Conventu S. Marcelli die 12. Decembris 1574. P.M. Philippus Semboli de Cortonâ vir eximius, & in his Annalibus ad annum 1575. commemorandus, eo temporis in Etruriâ Prior Provincialis hujus Loci pos-

possessionem adijt. Subinde Patres ann. 1575. Dei, ac Deiparæ cultui magis in dies, ac magis augendo consulere cœperunt, ex quo factum est, ut Populi etiam è remotioribus partibus famâ miraculorum adducti eò frequenter adierint, etiam publicâ Lustratione institutâ, & fabricam Conventûs, necnon ejusdem annuos redditûs promovere studuerint, quocirca consequentibus temporibus ab Apostolicâ Sede impetrarunt, quòd in hac Ecclesiâ ipsis perpetuò liceret Missas celebrare, quas celebrare tenebantur in Ecclesiâ, seu Capellâ deinde dirutâ S. Antonij, de quâ superiùs, ut patet ex Literis patentibus Urbani Papæ VIII. Romæ datis anno 1623. quinto Idus Septembris, & ex earundem Literarum executione factâ per Joannem Baptistam Ciofium Vicarium Generalem D. Antonij de Riccis Patritij Florentini Episcopi Aretini sub dat. Aretij die 19. Martij 1624. quæ in eodem Conventu asservantur, de quo fusiùs ad d. annum 1624. Ut autem exploratam omnes habeant celebritatis hujus Ecclesiæ, & Sacræ Imaginis B.V. originem, recolendum in primis est, quòd in his Annalibus dictum est ad annum 1529. de miraculis quibusdam Venerandæ huic Imagini tributis; ex quo palam fit, quòd ante prædictum annum coruscare miraculis eadem cœpit, postmodum verò constructa in ejus honorem fuerit præsens Ecclesia, ut et ejus dignitati, & Populorum devotioni satis superque fieret, anno siquidem 1569. cujus rei monumentum apparet in lapide juxta eandem Ecclesiam hisce versibus conceptum.

Fundatum, ac consecratũ fuit Templum hoc anno salutis MDLXIX. Idibus Aprilis. Quo tempore aquæ emanarunt istæ: sitientes bibite omnes.

Quæ tamen Ecclesia consequentibus annis in ampliorem, & augustiorem formam, qualis nunc visitur, redacta, consecrata solemniter iterum fuit anno 1617. die 16. Maij ab Episcopo Aretino præd. D. Antonio de Riccis, quod ex Epitaphio publicè ibidem posito constat. Præterea sciendum est, prout communis fert Traditio, quòd Mulier quædam de Luciniano vulgò dicta *la Bigia del Cassa*, quæ diu commorata fuerat in Nepesinâ Regione, anno circiter 1560. à B. Virgine in Somnis monita fuerat, ut restaurandam apud Lucinianenses curaret humilem nimis Ædiculam, in quâ hæc servabatur Imago, adeò scilicet dirutam, ut Imago ipsa sub dio omnino posita pluviæ sentiret incommoda. Itaque B. V. obtemperans mulier, prædictam Imaginem statim adijt, ibique frequenter humillimè provoluta, & plura exercens pœnitentiæ genera seipsam Virgini commendabat, Deipara ergo se aliquando eidem Mulieri conspiciendam ibidem exhibens, iterum illam monuit, ut resarciendam Ædiculam hanc apud Lucinianenses curaret; & ut ejus dictis fidem præberent Lucinianenses, præcepit mulieri quòd vas aquâ plenum capiti suo impositum ore tamen inferiùs converso deferens Lucinianum adiret, quod cum præstitisset, Populum statim irridentem ipsam offendit, & tanquam fatuam circumferentem. Verùm Deiparæ mandatis apud illius Castri primarios expositis, & miraculi veritate perspectâ, omnes, & singuli turmatim Ædiculam adiere, & de construendâ in honorem illius S. Imaginis Ecclesiâ Communitas illa deliberavit. Deinceps verò miraculis illustrior fieri cœpit sacra prædicta Imago, & Populorum erga ipsam veneratio mirum in modum excrevit. Hinc singulis annis è varijs illius regionis partibus plurimi institutâ publicâ processione, eò venerabundi adire consueverunt, & pia munera offerre, quòd sanè constat ex elencho quodam, cujus initium est die 27. Julij 1564., & ad annum 1634. usque prosequitur, & in Ecclesiâ publicè expositum apparet unà cum relatione plurium miraculorum, de quibus fusiùs dicemus ad annum prædictum 1634. Sciendum denique est, quòd Imago hæc B. Virginem repræsentans filium suum Jesum mortuum in gremio sustinentem. Dicitur vulgò *de Quercu*, eò quòd juxta Ædiculam, in quâ olim servabatur, quædam erat Quercus; Ædicula autem ipsa ibi omnino erat, ubi nunc est Ara princeps Ecclesiæ, ita quidem, ut ad veterem Ædiculæ murum augmentum illud accederet, quo deinde augustior Ara successit.

Eccl. S. M. de Quercu prope Lucinianum erigitur.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex Monumentis eorundem Conventuum.]

Summi Pontificis Gregorij decreto duo superadduntur Ordini Servorum Provinciales Præfecti, Venetus, & Mantuanus.

CAP. V.

ALoysius Cardin. Estensis viso, quòd M. Joannes Vitrianus de Regio suus familiaris Theologus nunquam potuisset generalem hujus Ordinis præfecturam assequi, quem summo honore dignum existimabat, vacante Pontiniacensi Abbatiâ cum Gregorio Pontif. Max. egit, ut saltem ad honorem illum proveheretur; quod cum benignè præstasset Gregorius, M. Joannes Abbatiali infulâ cohonestatus fuit. Hæc dum in Urbe tractarentur, Angelus Generalis Religionem visitando, & provincialia Comitia celebrando, lustrabat, quando ad eum literæ pervenerunt Romæ datæ nonis Maij, in

D. Joan. de Regio Abb. Pontin.

quibus Alexander Farnesius Protector, & qui ejus vices simul gerebat Julius Antonius Sanctorius solicitè monebant Generalem, ut conventiones inter Ordinem, & præfatam Congregationem in preterito Capitulo Gen. habitas de duabus declarandis Provinciis cum suis Officialibus, quàm primùm exequi curaret, juxta tenorem præsentium literarum Summi Pontificis, quarum auctoritate factum est, ut duæ Provinciæ cæteris superadderentur in Ordine nostro Veneta, & Mantuana.

GREGORIUS PAPA XIII.

Bulla de duabus Provinc. Venetâ, & Mant.

AD Perpetuam rei memoriam. Ad Romanum Pontificem spectat, cujus est, non solum videre quid agatur, verùm etiam providere quid agendum sit, vires suas intendere, ut discordiæ, & controversiæ, illarumque fomites à Religiosorum Ordinibus, piè, ac sanctè à priscis Patribus institutis exuleut, & explodantur; & ut inter eos, qui in habitu humilitatis, & sinceritatis Regi pacifico in claustris famulantur, concordia maximè vigeat, quæ ad eum finem facta fuisse noscuntur, ut perpetuò firma, & illibata persistant, Apostolico munimine roboramus. Hinc est, quòd cum nuper acceperimus dilectos filios Angelum Morellium modernum Ordinis beatæ Mariæ Servorum Priorem, & Aurelium de Bononiâ ejusdem Ordinis Procuratorem generales ex unâ, & Joannem Mariam Capellam, & Julium de Picenardis de Cremonâ, olim abolitæ Congregationis Beatæ Mariæ Servorum Professores ex alterâ, partibus tam suo, quàm universorum dictæ olim Congregationis professorum ad infrascriptam concordiam in publicum instrumentum redactam, & per dilectum filium Thideum de Marchis clericum Bononien. Cameræ Apost. Notarium rogatum devenisse, cujus tenor talis est, videlicet.

In nomine domini Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quòd cum, prout asseritur, postquàm fel. rec. Pius Papa Quintus animadverterit universi Ordinis Beatæ Mariæ Servorum professores, & fratres, qui superioribus temporibus uni tantùm Priori generali parebant, & ab eo regebantur, unâque familiâ contenti erant; succedentibus temporibus illam in duas separasse, ac divisisse, & alteram Congregationis nomine sibi assumpto, superiorem, quem Vicarium generalem appellarunt, sufficiente ad id Sedis Apostolicæ facultate suffultum delegisse, illas ambas in unum censuit redigendas, utque uni tantùm, videlicet Priori generali dicti Ordinis omnes parerent. Congregationis nomen, & officium Vicariatûs suppressit, & abolevit, & Vicarium generalem dictæ Congregationis tunc existentem ab officio Vicariatûs, quo in dictâ Congregatione fungebatur, absolvit, ac dicto Priori generali abolitæ Congregationis universos subesse voluit, ita ut deinceps eadem & obedientia, observantia, regularisque disciplina, idemque nomen nullâ habitâ differentiâ, omnibus commune esset, prout in literis suppressionis, abolitionis, & unionis hujusmodi per dictum fel. rec. Pium Papam V. editis contineri dicitur; deinde verò cum R. P. Fr. Joannes Maria Capella de Cremonâ sacræ Theologiæ Magister, ejusdem olim Congregationis professor, & tunc Vicarius, ac alii ejusdem abolitæ Congregationis Fratres, & professores ad eundem Pium Pap. V. super his omnibus recursum habuerunt, vel etiam coram eo adversus præmissa reclamarunt, idem Pius Papa V. curam revidendi ea, quæ in dictis literis continebantur R. P. D. Fratri Uberto Episcopo Calneoregen. tunc officii sanctissimæ Inquisitionis generali Commissario, ut sibi postmodum omnia, quæ circa præmissa reperisset, referret, demandavit; qui auditis Fratrum extinctæ Congregationis nonnullis rationibus vivæ vocis oraculo, ut idem R. P. D. Frater Ubertus Episcopus, & commissarius tunc asserebat, ab eodem Pio Papa V. sibi facto, eundem Magistrum Joannem Mariam, dicto Reverend. universi Ordinis prædicti Priori generali in socium Apostolicâ auctoritate adjunxit, cum quo idem Reverend. Prior generalis negocia omnia, quæ in Religione occurrerent, communicaret, prout successivè factum fuit, & in ejusdem Reverendi Magistri Fratris Joannis Mariæ locum, si eveniret ipsum infirmitate, aut alio legitimo impedimento detineri, alium dictæ olim Congregationis professorem assumendum esse, omnesque dictæ olim Congregationis laudabiles consuetudines & more utentium comprobatas, in omnibus domibus dictæ Congregat. observari, nec fratres Congregationis etiam per translationem de unâ ad aliam domum infimul immisceri debere, nisi res ipsa, ac scandali timor aliud suasisset, prout idem Reverendus Pater Magister Joannes Maria coram asserit literis patentibus per dictum R. P. D. Fratrem Ubertum Episcopum desuper confectis præmissa attestantibus declaravit, eamque mentem suam esse idem sanctæ M. m. Pius Papa V. quòd prædictus Frater Jo. Maria Socius Prioris generalis Ordinis prædicti esse deberet, etiam Illustrissimo, & Reverendiss. D. Domino Alexandro Episcopo Tusculano Cardinali Farnesio nuncupato, ordinis præfati Protectori, ut pro parte dicti Reverendi P. Magistri Fratris Joannis Mariæ prætenditur testatus fuit; cum autem hæc omnibus Sanctissimo in Christo Patri Domino Nostro Domino Gregorio Pap. XIII. à sui Pontificatûs initio enarratis, ut in eodem socii munere præfatus Reverendus Frater Joannes Maria perseveraret, idem Sanctissimus D. N. commiserit. Cumque præfati tam Ordinis, quàm antiquatæ Congregationis Fratres inter se desiderarent, ut amicabiliter unà simul se componerent, ac de quibuscumque controversiis inter eos exortis transigerent. Idem Sanctissimus D. N. curam eidem Illustrissimo, & Reverendiss. D. Alexandro Cardinali Protectori, adhibitò etiam ad id Illustrissimo, & Reverendiss. D. Julio Antonio Sanctorio tituli S. Bartholomæi in Insulâ Presbytero Cardinali sanctæ Severinæ appellato

*lato demandaverit ; qui Illustrissimi Domini
Cardinales partibus ipsis diligenter auditis,* E
aas, ut ad aliquam licitam, & honestum concordinm, & compositionem inter sese devenirent, pluries hortati fuerunt ; hinc ideo factum est, ut Reverendus Pater sacrę Theologię Magister Frater Angelus Morellius de Aretio modernus dicti Ordinis Prior generalis, ac fratres dicti Ordinis ex unâ, & dictus Reverendus Magister Fr. Joannes Maria, necnon Fratres dictę olim Congregationis professores partibus, ex alterâ, ad quandam concordiam. transactionem, & convëctionem, pactaq; & Capitula infradicenda, reservato semper ejusdem Sanctissimi D.N. Papę, & Sedis Apostolicę confirmatione, & beneplacito, devenerunt, quam partes ipsę in publicum redigere testimonium decreverunt. Hinc propterea fuit, & est, quòd anno à nativitate F
*Domini MDLXXIV. Indictione secundâ, die verò 12. mensis Martij, Pontificatûs prelibati Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Gregorij Divinâ providentiâ Papę XIII. anno secundo, iu mei Camerę Apostolicę Notarij, testiumq. infrascriptorum ad hęc specialiter vocatorum, & rogatorum prȩsentiâ, personaliter constitutus Reverendus Pater Magister Angelus Morellius modernus Prior Generalis, cum interventu Reverendi ejusdem sacrę Theologię Magistri Fratris Aurelij de Bononiâ dicti Ordinis Servorum professoris, ac in Romanâ Curiâ universi Ordinis predicti Procuratoris Generalis Apostolicâ auctoritate deputati, prout de eius deputatione per Breve ejusdem
Sanctissimi D.N. Papę desuper expeditum, sub* G
*Datum Romę apud S. Marcum die octavâ Septembris, MDLXXIII. Pontificatûs sui anno secundo, quod mihi Notario ad effectum illud prȩsenti Instrumento inserendi exhibuit, prout infra : Rever. Magister Frater Joannes Maria supradictus, necnon Rever. Fr. Julius de Picenardis de Cremonâ ejus olim Congregationis professor tam proprio nomine, Jure, & interesse respectivè. quàm vice, & nomine, ac tanquam procuratores omnium, & singulorum dictę olim Congregationis Professorum, prout de eorum procurationis mandato constare asseruerunt instrumento in Capitulo Generali Ariminen. de Anno MDLXXIII. facto, & à Fratribus dictę olim Congregationis subscripto, cuius copiam
mihi Notario publico infrascripto dederunt, te-* H
noris inferius inserti, & nihilominus de rato, ratihabitione, ac ratificari faciendo prȩsens concordię, & transactionis instrumentum, ac omnia, & singula in eo contenta, quatenus opus sit, promittentes partibus ex alterâ, qui quidem Reverendus Pater Magister Angelus Prior generalis auctoritate, & proprio nomine sui Generalatûs officij, ac nomine omnium, & singulorum dicti Ordinis Fratrum, ac cum interventu prefati Magistri Aurelij Procuratoris generalis ibidem prȩsentis, & quatenus opus sit assensum, & consensum prȩstantis, ac dictus Magister Joannes Maria, & Frater Julius Procuratores, & quibus supra nominibus ex causâ compositionis, & transactionis prȩfatę ad concor-
E *dium, conventionem, & capitula infra dicenda spontè, & ex eorum certis scientijs spontaneis, & deliberatis voluntatibus omnibus melioribus modo, viâ, jure, causâ, & formâ, quibus magis meliùs, tutiùs, validiùs, & efficaciùs facere potuerunt, & debuerunt, possuntque, & debent, mutuâque inter eos stipulatione interveniente devenerunt, Videlicet: quòd duo Provinciales ex olim dictę Congregationis professoribus, secundùm regularia ejusdem olim Congregationie instituta, deligendi, deputentur, & præficiantur, qui curam omnium dictæ Congregationis Monasteriorum, Conventuum, & domorum, in duas partes, & Provincias dividentes juxta earum limites postmodum præscribendos habere, ipsiq; Rever. Patri Magistro Angelo, & pro tempore*
F *existenti ejusdem Ordinis Priori generali, utè etiam alij ejusdem Ordinis Provinciales perpetuò subesse teneantur. & debeant. Quòdq; dictè omnes, & singuli præsentes, & futuri Fratres ejusdem olim Congregationis, illorumque Priores, & Provinciales, in omnibus dictis eorum domibus, Conventibus, & Monasterijs vivere secundùm dicti Ordinis constitutiones, reformationes, & alia regularia instituta, seu laudabiles consuetudines, siqua tamen arctiora habeant, atque illas, & illa observare, & observari facere similiter teneantur, & debeant. dummodo decretis Sacri Concilij Tridentini, ac dictis suppressionis, & unionis literis, ac alijs etiam literis ejusdem fel. rec. Pij Papę V. super reformatione dicti Ordinis emanatis, dictisque*
G *Ordinis constitutionibus non contradicant, nec repugnent, dictasque constitutiones, reformationes, instituta, & consuetudines arctiores nullo modo relaxare, sed potiùs augere, & ampliare, ad majorem, arctioremq observantiam valeant, ac quòd Provincialium, Priorum. Diffinitorum, Sociorum, & aliorum Officialium electiones concurrentibus, duabus ex tribus partibus eorum, qui vocem in Capitulis habuarint, fiant juxta antiquam illorum consuetudinem; necnon quòd dicti Provinciales, Priores, Diffinitoree, & Socij, ac reliqui Officiales in domibus, Conventibus, & Monasterijs dictarum de novo constituendarum Provinciarum eandem habeant, & perpetuò retineant auctoritatem, potestatem, & facultatem, quam alij*
H *ejusdem ordinis Provinciales, Priores, Diffinitores, Socij, & Officiales de Jure, vel consuetudine habent, vel habere possunt, aut quandocunque poterunt in futurum. Item, quòd Capitula Provincialia habeantur, & celebrari debeant singulis quibusque annis, juxta constitutiones ejusdem Ordinis, & alia regularia instituta, quòdq. dictarum ambarum Provinciarum de novo constituendarum Capitula pro tempore habenda, etiam dicti Reverendi Patris, & pro tempore existentis Prioris generalis scientiâ, simul, vel separatim congregari, & conveniri possint. Item, quòd dictus Reverendus Magister Frater Joannes Maria Socius, ut se pratendebat, Apostolicus dicto Socij officio, seu munere*

per-

perpetuò cedere teneatur, prout ibidem in eorundem mei Notarij, testiumq; præsentiâ cessit, & renunciavit; & tam ipse, quàm supradictus Frater Julius procuratores dictorum Fratrum extinctæ Congregationis nomine, dictum Socij munus renunciaverunt, & renunciant, ac à seipsis perpetuò abdicaverunt, & abdicant. Item, quòd super præmissis omnibus, & singulis, rebusq; alijs porrectis supplicationibus, obtineatur ab eodem Sanctissimo D.N. Papâ confirmatio, & approbatio, etiam cum ampliationibus, & declarationibus, modóque & formâ eidem Sãctissimo D.N. Papæ benevisis, quæ omnia, & singula præmissa, & in præsenti publico instrumento contenta supradictæ partes, quibus supra respectivè nominibus, altera alteri, & è converso perpetuò attendere, & inviolabiliter observare promiserunt, & eis non contravenire, dicere, vel opponere in judicio, vel extra, quavis occasione, vel causâ, seu prætextu aliter teneri voluerunt, altera alteri, & è converso ad omnia, & singula damna, expensas, & interesse, præmissorum occasione, quomodolibet patienda, facienda, & sustinenda, de quibus quidem damnis, expensis, & interesse, stare, & credere voluerunt soli, & simplici juramento partis quæ illa faciet, patietur, & sustinebit, absque aliquâ aliâ probatione, & testium productione, pro quibus omnibus, & singulis præmissis, sic tenendis, complendis, & inviolabiliter observandis, supradictus Reverendus Pater Magister Angelus modernus Prior Generalis cum interventu, & assensu, quatenus opus sit, præfati Magistri Aurelij generalis Ordinis Procuratoris seipsum, ejusque in dicto officio successores, & Fratres, tam præsentes, quàm futuros dicti verò Reverendi Magister Joannes Maria, & dictus Frater Julius de Cremonâ seipsos, & dictos olim Congregationis professores, similiter tam præsentes, quàm futuros, ac omnes præfati sui, suorumq; successorum, & Ordinis præfati bona omnia mobilia, & immobilia, præsentia, & futura ubicunque existentia in ampliori formâ Cameræ Apostol. cum solitis, & consuetis clausulis, citra tamen procuratorum constitutionem, alter alteri, & è converso ad invicem, & respectivè òbligarunt, & hipothecarunt, & quilibet eorum obligavit, & hipothecavit, renunciavitq; cuicunque appellationi, reclamationi, et recursui, ac rescriptis, et alijs quibuslibet concessionibus Apostolicâ auctoritate, Motu proprio, et ex certâ scientiâ concedendis, quibus mediantibus præsentis concordiæ executionem impediri, seu differri, aut retardari posset, & sic tactis sacrosanctis Scripturis corporaliter, in manibus mei Notarij infrascripti, ad sancta Dei Evangelia tam pro maiori præmissorum observatione, quàm quòd in præmissis, seu eorum aliquo, non intervenit, nec interveniet fraus, dolus, vel simoniæ labes, aut quævis alia illicita pactio, vel corruptela, quibus supra nominibus, tam in eorum proprias, quàm aliorum animas jurarunt; super quibus omnibus, & singulis petitum fuit à me Notario publico infrascripto, videlicet, unum, vel plura, pu- A blicum, seu publica conficerem, atque traderem instrumentum, & instrumenta. Actum Romę in Monasterio S. Marcelli, & in mansionibus dicti Reverendi Patris Magistri Angeli generalis. Præsentibus ibidem Magnifico D. Pyrrho Mazzoni Clerico Aretin. Diœc. Auditore Reverendi P. D. de Vitellis Cameræ Apostolicæ Clerici: Reverendo D. Antonio Bosco Clerico Majoricen. & D. Juliano de Damianis Aromatario in plateâ sancti Marcelli testibus ad præmissa vocatis, habitis, atq; rogatis.

Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dictarum prædecessori literarum, abolitionis Congregationis, ac reformationis ejusdem Ordinis tenores, ac si de verbo ad verbum his Nostris literis insere- B rentur, præsentibus pro expressis, vel etiam insertis habentes omnia, & singula præmissa in quibus concordatum fuit, & quæ dicto instrumento continentur, necnon concordiam, aliasq; illius conditiones, cæteraq; omnia, & singula, quæ in eodem instrumento comprehenduntur, & prout illa concernunt, & inde sequuta, & sequenda quæcunque Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos, tam juris, quàm facti, & solemnitatum, etiam substantialium, & speciali forsan notâ designandarum, vel mandatorum, & procurationis dictarum partium ad præmissa contrahenda, aut alios defectus, etiam quòd præmissis, qui illis interve- C nire debebant, non interfuerunt, vel ad alios actus, quibus maximum præjudicium forsan inferri posse prætenditur. Illi omnes, qui interesse debebant certâ die vocati, aut capitulariter congregati non fuerint, & illi omnes, qui vocari debebant evocati non sint, supplemus; Prioremq. gener. totius Ordinis præfati, omnesque tum Ordinis, tum dictę olim Congregat. Fratres, vel professores, necnon aliquos, quos eadem præmissa respiciunt, nullo unquam tempore à præmissis resilire, vel ab eisdem se subducere, aut illis contrafacere, dicere, vel venire, etiam sub prætextu cujusvis læsionis, quantumvis enormis, & enormissimæ, posse, sed ad illorum observationem exactè omnes personas antedictas teneri, & obligatas esse statuimus. Et ad obser- D vationem præmissorum sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis cogi, compelliq; valere, ordinamus, perpetuumque silentium utrique partè super præmissis omnibus imponimus. Sicq;, & non aliter per quoscunque Judices, & Commissarios, & dictum Alexandrum Cardinalem, & alios pro tempore ejusdem Ordinis Protectores, ac causarum Palatij Apost. Auditores, ac quoscunque S. Romanæ Eccl. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, ac diffiniri debere. Ac si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Quocirca venerabilibus Fratribus

Cremonen. ac Balneoregien. Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiæ Cameræ Apost. generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant omnia, & singula prædicta, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties ab aliquo interesse in præmissis habente, fuerint requisiti, solemniter publicantes, & in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant omnia, & singula præsentibus literis comprehensa, & alia præmissorum occasione necessaria, aut aliàs, quæ circa eadem duxerint quomodolibet opportuna, auctoritate nostrâ, juxta tamen illarum seriem, & formam efficaciter, firmiterque observari. Non permittentes super illis aliquos quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas omni, & quacunque appellatione postpositâ compescendo. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris Nostri de unâ, & in Concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque Apostol. constitutionibus, ac Monasteriorum tum Ordinis, tum abolitæ Congregationis prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumque Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis, & innovatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Ad hæc etiam mandamus præsentium exemplis, vel impressis manu publici Notarii subscriptis, ac personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ sigillo munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ Nostris originalibus literis exhibitis adhiberi ubique consuevit.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 20. Aprilis MDLXXIV. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

Cæ. Glorierius.

Conventûs igitur Patrum illorum, qui de Congregatione priùs dicebantur, utriusque Provinciæ eodem mense Majo celebrantur, in quibus novi Officiales ad præscriptum Cõstitutionum, & superioris Bullæ eliguntur. In Provinciâ Venetâ præficitur primus Provincialis M. Joannes Baptista Grazzanus de Utino; in Mantuanâ verò M. Antonius Rodulphus à Pisauro, & ita sub uno, eodemque Pastore universus grex Servorum visus est tandem pacificè degere.

In hac divisione Provinciarum, Venetæ, & Mantuanæ assignata illi fuere Cœnobia quæcunque in Ditione Venetorum, vel in Locis eidem finitimis eo temporis erant, reliqua verò Provinciæ Mantuanæ, prout & monumenta nos docent Conventûs S. Mariæ Servorum de Venetiis, experientia ipsa ostendit. Ratihabita pariter hoc anno fuit proposita concordia inter Ordinem Servorum, & Congregationem eorundem de Observantiâ per publicum Instrumentum, quod his Annalibus inserere non importunum, nec injucundum arbitror pari fermè ratione, quâ inserta ibidem fuit præfata Summi Pontificis Bulla, est autem tenoris qui sequitur.

IN Christi Nomine Amen. Anno ab ipsius Nativitate millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Indictione secundâ, die verò Dominico, penultimo Mensis Maii, tempore verò Serenissimi D.D. Maximiliani Dei gratiâ Romanorum Imperatoris electi, Mantuæ, & in Monasterio RR. FF. S. Barnabæ Ordinis Servorum S. Mariæ, & in loco, ubi ad præsens fit Refectorium d. Monasterii, sita in Contratâ Unicornu, præsentibus Magistro Julio q. Ludovici de Marchionibus Cæmentario Mantuan. Contratæ Montis Nigri, qui ad delationem mei infrascripti Notarii ejus propriâ manu corporaliter tactis Scripturis ad S. Dei Evangelia juravit, & jurando asseruit se bene cognoscere infrascriptos alios sequentes testes, de ipsisque, et singulis omnibus plenam, perfectam, et claram habere cognitionem Mag. Francisco q. Bartholomæi Gallinæ horti. Mant. Contratæ Bovis, & Mag. Julio q. Joannis de Milleriis Sutor Mant. Contratæ Navis, omnibus Civibus Mantuanis, ac Testibus notis, et idoneis ad infrascripta, et singula omnia vocatis, et rogatis; ibi congregato, & coadunato Ven. Capitulo olim Congregationis B.M. Servorum Mantuæ celebrato, Provinciarum scilicet Mantuæ, et Venetiarum procedentibus, intervenientibusque omnibus solemnitatibus ad convocandum, coadunandumque d. Ven. Capitulum d. olim Congregationis servari solitis, & requisitis, et præcipuè trino sono Campanellæ præmisso, ut in similibus moris est, in quo quidem Ven. Capitulo intervenerunt infrascripti Reverendi FF. S. Theologiæ Magistri, videlicet, R.P.F. Raphael de Veronâ socius Reverendissimi P. Generalis, R.P.M. Joannes Baptista de Utino Provincialis, R.P.M. Cyprianus Diffinitor, R.P.M. Joannes Jacobus Venetus Diffinitor, R.P.F. Gulielmus de Clusono Diffinitor, R.P.F. Hortensius de Veronâ Diffinitor, omnes prædicti primi Officiales Provinciæ Venetæ, R.P.F. Constantinus Triaca de Mantuâ socius Reverendissimi P. Generalis, R.P.M. Annibal de Pisauro Provincialis, R.P.M. Joannes Paulus Cardellus Diffinitor, R.P.M. Cornelius de Cottoneo Diffinitor, R.P.F. Aurelius de Sablonetâ Diffinitor, omnes præfati primi Officiales provinciæ Mantuanæ, R.P.M. Anselmus de Cottoneo, R.P.M. Joseph de Mantuâ, R.P.M. Raphael Venetus, R.P.M. Hierothæus de Mantuâ, R.P.M. Joseph de Viglevano, R. P. M. Joannes Hieronymus de Cremonâ, R.P.F. Daniel Venetus Baccalaureus, R.P.F. Paulus Venetus Bacca-

calaureus, R.P.F. Theodorus Mantuanus Baccalaureus, R.P.F. Jovita Baccalaureus, R.P.F. Joannes Baptista de Pisauro, R. P. F. Clemens de Soraneâ, R.P.F. Gregorius de Mediolano, R.P.F. Angelicus Mantuanus, R.P.F. Irenæus Mantuanus, R.P.F. Camillus de Sermeto, R.P.F. Semilius de Mantuâ, R.P.F. Joannes Maria de Mantuâ, R.P.F. Ambrosius de Pisauro, R.P.F. Hieronymus de Pisauro, R. P. F. Peregrinus de Pescbertâ, R.P.F. Alexander Venetus, R.P.F. Hieronymus de Foro Pompilij, R.P.F. Anselmus Venetus, R.P.F. Vincentius Vincentinus, R. P. F. Guilielmus Venetus, R.P.F. Natalinus Venetus, R. P. F. Hieronymus Germanus Venetus, R.P.F. Julius de Forolivio, R.P.F. Hieronymus de Perusio, R.P.F. Theodorus de Utino, R.P.F. Ambrosius de Casale Majori, R.P.F. Sylverius Vincentinus, R.P.F. Dominicus de Vincentiâ, R.P.F. Ghilbertus Perusinus, R.P.F. Julius Borromæus, R. P. F. Ludovicus de Soraneâ, R. P. F. Sebastianus Brixiensis de Malaguzis, R.P.F. Alexander il Malè nuncupatus, R.P.F. Aloysius Brixiensis, R. P. F. Jacobus de Monte Ferrato, R.P.F. Joannes Baptista de Casale majori, R.P.F. Raphael Placent. R.P.F. Cyprianus de Placentiâ, R.P.F. Antonius M. de Placentiâ, R.P.F. Augustinus de Placentiâ, R.P.F. Urbanus de Utino, R.P.F. Augustinus de Cottoneo, R.P.F. Archangelus de Salis, R.P.F. Maximus Brixiensis, R.P.F. Lucretius Brixiensis, R.P.F. Daniel de Veronâ, R.P.F. Grandilius Brixiensis, R.P.F. Angelicus Brixiensis, R.P.F. Laurentius Brixiensis, R.P.F. Aurelius Bergomensis, R.P.F. Bonifacius Brixiensis, R.P.F. Felicianus de Mediolano, R.P.F. Aloysius Bergomensis, R.P.F. Claudius de Mãtuâ, R.P.F. Damianus de Veronâ, R.P.F. Prosper Bergomensis, R.P.F. Gratianus de Carpi, R.P.F. Vincentius de Veronâ, R. P. F. Julius Bergomensis, R. P. F. Hieronymus Perusinus, R.P.F. Celidonius de Perusio, R.P.F. Jacobus de Perusio, R.P.F. Pius Placentinus, R P.F. Angelus de Mediolano, R.P.F. Cyrillus de Brixiâ, R.P.F. Joannes Baptista de Zogno, R.P.F. Servus de Placentiâ, R.P.F. Ammonius de Mantuâ, & R.P.F. Ludovicus de Bergomo, omnes supradictæ olim Congregationis B.Mariæ Servorum Fratres Professores vocales tantùm in valido, & sufficienti numero, majoremque, & saniorem partem constituentes ad infrascriptum officium specialiter congregati, & coadunati, affirmantes, & asserentes sese habuisse, & habere plenam, indubitatamque scientiam de compositione, transactioneque, & concordiâ inter Reverendissimum P. Mag. Angelum Morellinum modernum Priorem Generalem totius Ordinis Servorum cum interventu R. Procuratoris Generalis in Romanâ Curiâ d. Ordinis nomine omnium, & singulorum d. Ordinis Fratrum ex unâ, & R. S. Theologiæ M. Joannem Mariam Capellam de Cremonâ ejusdem olim Congregationis professorem, & tunc Vicarium Generalem, ac R.F. Julium de Piccenardis de Cremonâ ejusdem olim Congregationis professorem tam proprio nomine, & vice, quàm respectivè uti, & tanquam Procuratores omnium, & singulorum d. olim Congregationis professorum de rato, & ratificari faciendo, promittentes partibus ex alterâ & instrumento publico per D. Thideum de Marchis Cameræ Apostolicæ Notarium die duodecimâ Mensis Martii proximè præteriti confecto initâ, factâ, & firmatâ, deque omnibus, & singulis in eodem Instrumento contentis, & inter cætera de promissione de rato prædictâ, quod quidem Instrumentum in eodem Capitulo, ut supra, celebrato, & convocato, prius, ut asseruerunt, perlectum, & per ipsos RR. Professores diligenter consideratum, mihique infrascripto Notario manu prædicti R.P.F. Julii de Piccenardis ad effectum illud præsenti Instrumento inserendi datum, atque traditum extitit in pergameno, & in formâ Liberculi scriptum, & per d. D. Thideum subscriptum, & signatum, ac Literis legalitatis illius à Reverendissimo D. Patriarchâ Alexandrino Cameræ Apostolicæ generali Auditore emanatis, ejusque sigillo cordulis rubeis appenso munitum, quod quidem Instrumentum denuò etiam per me Notarium publicum infrascriptum, in suprascriptorum Testium præsentiâ perlectus, & per ipsos RR. Fratres Professores auditum, & intellectum extitit, cujus quidem Instrumenti tenor est, qui sequitur, videlicet. In Nomine Domini Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quòd cùm, prout asseritur, postquam fel. rec. Pius Papa V. animadverterit universi Ordinis B. Mariæ Servorum professorum, & Fratres, qui superioribus temporibus uni tantùm Priori Generali parebant, & ab eo regebantur, unâque Familiâ contenti erant, succedentibus temporibus illam in duas separasse, ac divisisse, & alterâ Congregationis nomine sibi assumpto, superioremque Vicarium Generalem appellarunt, sufficiente ad id Sedis Apostolicæ facultate suffultâ delegisse, illas ambas in unum censuit redigendas, utque, uni tantùm, videlicet, Priori Generali d. Ordinis parerent omnes, Congregationis nomen, & officium Vicariatûs suppressit, & abolevit, & Vicarium Generalem d. Congregationis tunc existentem ab officio Vicariatûs, quo in d. Congregatione fungebatur, absolvit, ac d. Priori Generali abolitæ Congregationis universos subesse voluit, itaut deinceps eâdemmet obedientiâ, observantiâ, regularique disciplinâ idem nomen nullâ habitâ differentiâ omnibus commune esset, prout in Literis suppressionis, abolitionis, & unionis hujusmodi per d. fel. rec. Pium Papam V. editis contineri dicitur: deinde verò cum Reverendi Patres Fr. Joannes Maria Capella de Cremonâ S. Theologiæ Magister ejusdem olim Congregationis professor, & tunc Vicarius, ac alii ejusdem abolitæ Congregationis Fratres, & professores ad eundem Pium Papam V. super his omnibus recursum habuerunt, vel etiam coram eo adversus præmissa reclamarunt, Idem Pius Papa V. curam revidendi ea, quæ in dd. Literis com-

complectebantur R. P. D. F. Uberto Episcopo Balneoregien. tunc Officij SS. Inquisitionis ge- E *nerali Commissario, ut sibi postmodum omnia, quæ contra præmissa reperisset, referret, demandavit; qui auditis Fratrum extinctæ Congregationis nonnullis rationibus vivæ vocis oraculo, ut idem R. P. D.F. Ubertus Episcopus, & Commissarius tunc asserebat, ab eodem Pio Papâ V. sibi factæ, eundem Mag. Joannem Mariam d. R. universi Ordinis præfati Priori Generali in Socium Apostolicâ auctoritate adjunxit, cum quo idem R. P. Prior Generalis negocia omnia, quæ in Religione occurrerent, communicaret, prout successivè factum fuit, & in ejusdem R. Mag. F. Joannis Mariæ locum, si eveniret ipsum infirmitate, aut alio legitimo impedimento detineri, alium d. olim Congregationis professorem assumendum esse, omnesque d.* F *olim Congregationis laudabiles consuetudines, & more utentium comprobatas, in omnibus Domibus d. Congregationis observari, nec Fratres Congregationis etiam per translationem de unâ ad aliam Domum insimul immisceri debere, nisi res ipsa, ac scandali timor aliud suasisset, prout idem R. P. Mag. Joannes Maria constare asserit Literis patentibus per d. R. P. D. F. Ubertum Episcopum desuper confectis, præmissa attestantibus, declaravit, eamque mentem suam esse idem sanctæ Mem. Pius Papa V. quòd præfatus F. Joannes Maria Socius Prioris Generalis Ordinis prædicti esse deberet, & Illustrissimo, & Reverendissimo D.D. Alexandro Episcopo Tusculano Cardinali Farnesio nuncupato Ordinis prædicti protectori, ut pro parte d. R. P. M. F.* G *Joannis Mariæ prætenditur, testatus fuit. Cùm autem his omnibus SS. in Christo Patri D.N.D. Gregorio Papæ XIII. d. sui Pontificatûs initio enarratis, ut in eodem Socij munere prædictus R. F. Joannes Maria perseveraret, idem SS. D. N. commiserit; cumque præfati tam Ordinis, quàm antiquæ Congregationis Fratres inter sese desiderarent, ut amicabiliter una simul se componerent, ac de quibuscunque controversiis inter eos exortis transigerent, Idem SS. D. N. curam eidem Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Alexandro Cardinali Protectori, adhibito etiam ad id Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Julio Antonio Sanctorio Tit. S. Bartholomæi in Insulâ Presbytero Cardinali S. Severinæ appellato, demandaverit. Qui Illustrissimi D. D.* H *Cardinales partibus ipsis diligẽter auditis, eas, ut ad aliquam licitam, & honestam concordiam, & compositionem inter sese devenirent, pluries hortati fuerunt; hinc ideo factum est, ut R.P. S. Theologiæ Magister F. Angelus Morellius de Aretio Modernus d. Ordinis Prior Generalis, ac Fratres d. Ordinis ex unâ, & d. R. Magister F. Joannes Maria, necnon Fratres d. olim Congregationis professores partibus ex alterâ ad quandam concordiam, transactionem, & conventionem, pactáque, & capitula infradicenda, reservato semper ejusdem SS. D. N. Papæ, & Sedis Apostolicæ confirmatione, & beneplacito, devenerunt, quam partes ipsæ in* *publicum redigere testimonium decreverant.* E *Hinc propterea fuit, & est, quòd anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo Septuagesimo quarto, Indictione secundâ, die verò 12. Mensis Martij Pontificatûs prælibati SS. in Christo Patris, & D.N.D. Gregorij Divinâ providentiâ Papæ XIII. anno secundo. In mei Cameræ Apostolicæ Notarij, testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum, & rogatorum præsentiâ personaliter constituti R. P. M. Angelus Morellius modernus Prior Generalis cum interventu R. ejusdem S. Theologiæ Mag. Fratris Aurelij de Bononiâ d. Ordinis Servorum professoris, ac in Romanâ Curiâ universi Ordinis præfati Procuratoris Generalis Apostolicâ auctoritate deputati, prout de ejus deputatione per Breve ejusdem SS. D. N. Papæ* F *desuper expeditum sub datum Romæ apud S. Marcum die 8. Septembris 1573. Pontificatûs sui anno secundo, quod mihi Notario ad effectum illud præsenti Instrumento inserendi exhibuit, prout infra, ex unâ, & R. Magister Joannes Maria præfatus, necnon R. F. Julius de Ficcaardis de Cremonâ ejusdem olim Congregationis Professor tam proprio nomine, jure, & interesse, respectivè, ut præmittitur, quàm vice, & Nomine, ac tanquam Procuratores omnium & singulorum d. olim Congregationis Professorum, prout de eorum procurationis mandato constare asseruerunt Instrumento in Capitulo generali Ariminen. d. anno 1573. facto, & à Fratribus d. olim Congregationis subscripto, cujus copiam mihi Notario publico infrascripto* G *dederant tenoris inferiùs inserti, & nihilominus de rato ratihabitione, & ratificari faciendo præsens concordiæ, & Transactionis Instrumentum, ac omnia, & singula in eo contenta, quatenus opus sit, promittentes partibus ex alterâ. Qui quidem R.P.M. Angelus Prior Generalis auctoritate, & proprio nomine sui Generalatûs officij, ac nomine omnium, & singulorum d. Ordinis Fratrum, ac cum interventu prædicti Mag. Aurelij Procuratoris Generalis ibidem præsentis, & quatenus opus sit assensum, & consensum præstantis, ac dd. M. Joannes Maria, & F. Julius Procuratores, & de quibus super nominibus ex causâ compositionis, & transactionis prædictæ ad concordiam, & conventionem, & capitula infradicenda, sponte, & ex eorum* H *certis scientiis spontaneis, & deliberatis voluntatibus omnibus melioribus modo, viâ, jure, causâ, & formâ, quibus magis, meliùs, fortiùs, validiùs, & efficaciùs facere potuerunt, & debuerunt, possuntque, & debent, mutuâque inter eos stipulatione interveniente devenerunt, videlicet, quòd duo Provinciales ex olim d. Congregationis professoribus secundùm regularia ejusdem olim Congregationis instituta deligendi deputentur, & præficiantur, qui curam omnium d. Congregationis Monasteriorum, Conventuum, & Domorum in duas Partes, & Provincias dividen. juxta earum limites postmodum præscribendos habere, ipsique R.P.M. Angelo, & pro tempore existenti ejusdem Ordinis Priori*

Gene-

Generali, uti etiam alij ejusdem Ordinis Provinciales perpetuò subesse teneantur, & debeant; quodque dd. omnes, & singuli præsentes, & futuri Fratres ejusdem olim Congregationis, illorumque Priores, & Provinciales in omnibus dictis eorum Domibus, Conventibus, & Monasterijs vivere secundùm d. Ordinis Constitutiones, reformationes, & alia regularia instituta, seu laudabiles consuetudines, siquæ tamen arctiora habeant, atque illas, & illa observare, & observari facere similiter teneantur, & debeant, dummodo decretis Sac. Tridentini Concilij, ac dd. suppressionis, & unionis Literis, ac alijs etiam Literis ejusdem fel. rec. Pij Papæ V. super reformatione d. Ordinis emanatis, dictisque Ordinis Constitutionibus non contradicant, nec repugnent, dictusque Constitutiones, reformationes, instituta, & consuetudines arctiores nullo modo relaxare, sed potiùs augere, ac ampliare ad majorem, arctioremque observantiam valeant; ac quòd Provincialium Priorum, Definitorum, Sociorum, & aliorum Officialium electiones concurrentibus duabus ex tribus partibus eorum, qui vocem in Capitulis habuerint, fiant juxta antiquum illorum consuetudinem. Necnon, quòd dd. Provinciales, Priores, Definitores, & Socij, ac reliqui Officiales in Domibus, Conventibus, & Monasterijs dictarum de novo constituendarum Provinciarum eandem habeant, & perpetuò retineant auctoritatem, potestatem, & facultatem, quam alij ejusdem Ordinis Provinciales, Priores, Definitores, Socij, & Officiales de Jure, vel consuetudine habent, vel habere possunt, aut quandocumque poterunt in futurum. Item quòd Capitula Provincialia haberi, & celebrari debeant singulis quibusque annis juxta Constitutiones ejusdem Ordinis, & alia regularia instituta. Quodque dictarum ambarum Provinciarum de novo construendarum Capitula pro tempore habenda, etiam d. R.P. & pro tempore existentis Prioris Generalis scientiâ simul, vel separatim congregari, & conveniri possint. Item quòd d. R. Mag. F. Joannes Maria Socius, ut se prætendebat, Apostolicus d. Socij officio, seu muneri perpetuò cedere teneatur, prout ibidem in eorundem mei Notarij, testiumque præsentiâ cessit, & renuntiavit, & tam ipse, quàm supradictus F. Julius procuratorio dd. Fratrum extinctæ Congregationis nomine d. Socij munus renuntiaverunt, & renuntiant, ac à seipsis perpetuò abdicarunt, & abdicant. Item quòd super præmissis omnibus, & singulis, rebusque alijs porrectis supplicationibus obtineantur ab eodem SS. D. N. Papâ confirmatio & approbatio, etiam cum ampliationibus, & declarationibus, ac concessionibus, modoque, & formâ eidem SS. D. N. Papæ benevisis quæ omnia, & singula præmissa, & in præsenti publico Instrumento contenta suprascriptæ partes, quibus supra respectivè nominibus altera alteri, & è converso perpetuò attendere, & inviolabiliter observare promiserunt, & eis non contravenire, dicere, vel opponere in judicio, vel extra, quâvis ratione, vel causâ, seu prætextu, aliàs teneri voluerunt altera alteri, & è converso ad omnia, & singula damna, expensas, & interesse, præmissorum occasione quomodolibet facien. & sustinen. de quibus quidem damnis, expensis, & interesse stare, & credere voluerunt soli, & simplici juramento partis, quæ illa faciet, patietur, & sustinebit, absque aliquâ aliâ probatione, & Testium productione. Pro quibus omnibus, & singulis præmissis, sic tenendis, complendis, & inviolabiliter observandis suprascriptus R. P. M. Angelus modernus Prior Generalis cum interventu, & consensu, quatenus opus sit, P. M. Aurelij Generalis Ordinis Procuratoris, seipsum, ejusque in d. officio successores, & Fratres tam præsentes, quàm futuros. Dicti verò RR. M. Joannes Maria, & d. F. Julius de Cremonâ procuratores seipsos, & d. olim Congregationis professores similiter tam præsentes, quàm futuros, ac omnes prædicti sua, suorumque successorum, & Ordinis præfati bona omnia mobilia, & immobilia, præsentia, & futura, ubicunque existentia in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ cum solitis, & consuetis clausulis, citra tamen procuratorum constitutionem, alter alteri, & è contra, ad invicem, & respectivè obligarunt, & hypothecarunt, & quilibet eorum obligavit, & hypothecavit. Renuntiaruntque cuicunque appellationi, reclamationi, & recursui, ac rescriptis, & alijs quibuslibet concessionibus Apostolicâ auctoritate motu proprio, & ex certâ scientiâ concedendis, quibus mediantibus præsentes concordiæ executionem impedire, seu differre, aut retardari posset, & sic tactis Sacrosanctis Scripturis corporaliter in manibus mei Notarij infrascripti ad SS. Dei Evangelia tam pro majori præmissorum observatione, quàm, quòd in præmissis, seu eorum aliquo non intervenit, nec interveniet fraus, dolus, vel simoniæ labes, aut quævis alia illicita pactio, vel corruptela, quibus supra nominibus tam in eorum proprias, quàm aliorum animas jurarunt. Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit à me Notario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem Instrumentum, & Instrumenta. Actum Romæ in Monasterio S. Marcelli, & in mansionibus d. R. P. Angeli Generalis, præsentibus ibidem Magnif. D. Pyrrho Mazzoni Clerico Aretinæ. Diœc. Auditore R.D.D. de Vitellis Cameræ Apostolicæ Clerico, R. D. Antonio Bosco Clerico Majoricen. & D. Juliano de Damianis Aromatario in Plateâ S. Marcelli Testibus ad præmissa vocatis, habitis, atque rogatis. Tenores verò Brevis Apostolici, ac copiæ Instrumenti mandati procurationis, de quibus supra fit mentio, sunt quæ sequuntur, videlicet.

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam. Cùm, sicut accepimus in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Servorum B.M.V. Mensibus proximè præteritis in Civitate nostrâ Ariminî celebrato F. Cornelius de Bononiâ Procurator Generalis ejusdem Ordinis in Romanâ Curiâ electus

electus fuerit, deindéque compertum habuerimus, utque etiam successivè Nobis, & Congregationi Ven. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Officio S. Inquisitionis præsidentibus constiterit ipsum F. Cornelium in Procuratorem hujusmodi eligi, vel deputari non potuisse, & ad illud munus exercendum inhabilem fuisse, & esse, propterea quòd idem F. Cornelius tempore fel. rec. Julij Papæ III. Prædecessoris nostri per Cardinales tunc d. Inquisitionis Officio præfectos per eorum diffinitivam sententiam contra eum prolatam, hæreticus declaratus extitit, & tanquam pœnitens ad hæreses publicè in Ecclesiâ B.M. super Minervam de Urbe abiurandas perductus fuit, prout eas palam coram populo abiurasse dicitur; & licet ad priora officia fuerit restitutus, nondum tamen ad Lectionis munus, quod quidem d. Procurationis officio coniuncto coniunctum est, neque etiam ad alia majora ejusdem Ordinis Officia habilitatus, nec secum desuper dispensatum fuerit. Quare volentes pro nostro Pastoralis officij debito, ne Ordo prædictus aliquod exinde detrimentum patiatur, in præmissis opportunè providere, motu proprio, & ex certâ nostra scientiâ ac de Apostolica potestatis plenitudine ipsum F. Cornelium ad d. Procuratoris officium habendum, exercendum prorsus inhabilem fuisse, & esse, & illud nullatenus exercere posse, aut debere. Declarantes dilectũ Filium F. Aurelium pariter de Bononiâ d. Ordinis professorem, in Provinciæ Romandiolæ Priorem Provincialem, ab ipso Provincialatûs officio, quo teneretur, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium absolvimus, eumque motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus Ordinis prædicti Procuratorem Generalem in Romanâ Curiâ cum auctoritate, facultatibus, omnibusque honoribus, oneribus, gratiis, privilegijs, & emolumentis, quibus alij similes Procuratores ipsius Ordinis, frui, potiri, & gaudere solent, & possint usque ad proximum futurum Capitulum Generalem d. Ordinis, auctoritate, & tenore prædictis creamus, facimus, constituimus, & deputamus. Mandantes in virtute S. obedientiæ, & sub Arbitrij nostri pœnis tam Generali, quàm Provincialibus Prioribus, & alijs Superioribus quocunque nomine nuncupatis, necnon Fratribus, & personis d. Ordinis, ut visis præsentibus eundem F. Aurelium in Procuratorem Generalem hujusmodi juxta tenorem præsentium sine morâ recipiant, & admittant, ipsumque pro tali tractent, & habeant, non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordination. Apostolicis, ac d. Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam inter alia in casu mortis, vel inhabilitatis Procuratoris hujusmodi, per certas tunc expressas personas alium usque ad Capitulum Generale surrogari debere disponentibus: privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quomodolibet concessis, & confirmatis, quibus omnibus, & eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore E permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 8. Septembris 1573. Pontific. nostri anno secundo. Cæsar Gloriertus.

In Christi Nomine Amen. Occorrendo per servizio, e bisogno della già Congregazione delli RR. PP. di S. Maria Frati de Servi osservanti constituire uno, ò più Procuratori tanto nella Città di Roma, quanto in ogn' altro luogo subietto alla giurisdizione di S. Santità, e altre giurisdizioni nella Causa, che verte, & è per vertire tra gli Frati della già Congregazione osservanti da una, e gli RR. PP. dell' Ordine dall' ultra nanti S.S., & nanti à ciascuno altro Giudice Ecclesiastico, ò secolare; e per far protesto nel Capitolo Generale da farsi nella Città F d' Arimini in amplissima forma con tutte l' autorità, e podestà che possono avere gli detti Frati già dell' Osservanza per far tal negozio, e con autorità, che il d. Procuratore, ò Procuratori possino sostituire uno, ò più Procuratori, e quello farà bisogno; e perchè non potendo così facilmente convocarsi tutti per eseguire nella Città d' Arimini quanto si è detto di sopra. Imperò per la presente tutti quelli Padri della già d. Congregazione osservanti, che si trovano al Capitolo Generale nella Città d' Arimini vocali, e non vocali, che desiderano quanto si è detto di sopra per osservazione della presente si sottoscriveranno di sua propria mano, come se fusse proprio un Istrumento publico, e giurato, costi- G tuiscono gl' infrascritti Padri, dandogli autorità, e facoltà d' esseguire a quanto s' è detto di sopra, i nomi de quali saranno i susseguenti, videlicet, nomina sunt hæc. Il R.P.M. Giovanni Maria Capella da Cremona Socio Apostolico Generale, Il R. P. M. Gio. Battista Calderino Penitenziero di S. Santità. Il R. P. M. Gio. Paolo Cardello Novarese, Il R. P. M. Gio Giacomo Milo da Venezia, il R. P. M. Anselmo da Codogno, il R. P. M. Gio. Battista Grezano da Udine, il R.P.M. Ripsuno Verardi da Brescia, il R.P.M. Giosesso de' Freddi da Mantova, il R.P.M. Celestino da Vincenza, il R. P. M. Antonio Ridolfi da Pesaro, il R. P. F. Cornelio de Peni da Codogno Baccegliero, il R. P. F. Hieronimo Grimano da Venezia, il R.P.F. H Giulio de' Picenardi da Cremona, il R.P.F. Constantio Lanzoni da Mantova, il R.P.F. Gulielmo Pagliocchi da Venezia, il R. P. F. Cornelio Sura da Cocuia Bresciano, il R. P. F. Damiano du Grano da Verona, il R.P.F. Ruffaele de' Genevesi da Verona, il R. P. F. Arcangelo de' Medeis da Piacenza, il R. P. F. Luigi Gilberti da Bergamo, il R. P. F. Gulielmo da Clusone Bergamasco, il R.P.F. Lorenzo Faberio da Roado, il R.P.F. Gio. Paolo Sirello da Perusia, il R. P. F. Giosepppe da Vigevano Maestro, il R. P. F. Hieronimo da Cremona. Io Frate Anselmo di Codogno accetto, e confermo, ut supra. Io F. Gio. Paolo Cardello confermo, & accetto. Io F. Cornelio da Codogno accetto, e confermo,

ut

ut supra, Io F. Raffaele da Verona, Io F. Giulio da Cremona confermo, et accetto, Io Frate Antonio Ridolfi Pesarese accetto quanto di sopra omni mel. modo &c. Io F. Raffele Veneziano de' Maffei confermo quanto di sopra, Io F. Costanzo Lanzone confermo quanto di sopra, e accetto, Io F. Luigi Gilberti confermo come di sopra è scritto, Io F. Teodoro Mantuano accetto, e afferma quanto di sopra, Io F. Aurelio da Sabioneta afferma quanto di sopra è scritto, Io F. Ottavio da Vincēza confermo quanto di sopra, Io F. Gulielmo da Venezia confermo, ut supra, Io F. Celestino da Vincenza afferma, ut supra, Io F. Leone da Verona accetto, e confermo quanto di sopra, Io F. Giulio da Bergamo confermo quanto di sopra, Io F. Domenico da Vincēza confermo quanto di sopra è scritto, Io F. Damiano Grano da Verona quanto di sopra confermo, Io F. Gio. Maria Vicentino confermo, ut supra, Io F. Vincenzio confermo, ut supra, Io F. Hortensio da Verona confermo, ut supra, Io F. Geronimo da Pesaro confermo quanto di sopra, Io F. Hieronimo Mantuano confermo, ut supra, Io F. Mauro da Mantua confermo, ut supra, Io F. Agostino da Codogno confermo, ut supra, Io F. Gio. Battista da Piasenza confermo, ut supra, Io F. Gio. Battista da Casal Maggiore confermo quanto di sopra si contiene, Io F. Bonaventura di Codogno confermo quanto sopra, Io F. Marsilio da Roado confermo, ut supra, F. Cyrillus Brixien. affirmatur, Io F. Hieronimo Grimano da Venezia confermo, & accetto, Io F. Alessandro da Venezia confermo, quanto di sopra si contiene, Io F. Giovanni Battista Prior del Convento di Cluson confermo, ut supra, Io F. Prospero afferma, ut supra, Io F. Gio. Battista Grazzano da Udine confermo quanto di sopra, Io F. Giuseppe da Vigevano confermo, ut supra, Io F. Girolamo Martelli di Venezia confermo quanto di sopra, Io F. Bartolomeo Personello Bresi confermo quanto di sopra, Io F. Arcangelo da Sali confermo quanto è scritto di sopra, Io F. Lorenzo Faberio da Roado confermo quāto è scritto di sopra, Io Fr. Vincenzo da Verona afferma quanto di sopra è scritto, Io. F. Lucillo Zucco da Cucaglia afferma quanto di sopra è scritto, Io F. Anton Maria da Piacenza confermo quanto è scritto di sopra, Io F. Pellegrino da Peschiera confermo, e accetto quanto di sopra è scritto, Io F. Daniele da Verona confermo quanto di sopra, Io F. Ambrosio Pesarese confermo quanto di sopra, Io F. Clemente Bonatti da Soragna afferma quanto di sopra, Io F. Arcangelo da Pesaro confermo quanto di sopra, Io F. Anselmo da Venezia confermo quanto di sopra, Io F. Sebastiano Malaguzzo di Roado Bresciano confermo quanto di sopra, Io F. Feliciano de Carpi confermo, ut supra, Io F. Feliciano Pesarese confermo, ut supra, Io F. Feliciano da Milano confermo, come di sopra, Io F. Gilberto Perusino confermo, come di sopra, Io F. Giulio Sbraglio da Udine afferma del tutto quanto è qui su scritto, Io F. Valerio da Roado confermo, ut supra, Io F. Gio. Paolo Perusino confermo, & afferma, ut supra, Io F. Policarpo Mantuano afferma ut supra, Io F. Pietro Veneto afferma, & accetto, ut supra, Io F. Girolamo da Forlimpopoli confermo, ut supra, Io F. Giacomo Milo da Venezia, accetto, e confermo, Io F. Francesco da Pesaro confermo quanto di sopra, Io F. Martino da Bergamo confermo ut supra, Io F. Angelico Mantovano confermo quanto di sopra è scritto, Io F. Ammonio da Mantova confermo quanto di sopra è scritto, e così afferma anch' io F. Paolo da Venezia quanto di sopra, Io F. Girolamo Bartii da Perosa confermo quanto di sopra, Io F. Gioseppe Verardi da Brescia afferma, ut supra, Io F. Servo da Piasenza confermo, ut supra, Io F. Pio da Piasenza confermo ut supra, Io F. Augustino da Piasenza afferma, ut supra, Io F. Olimpio da Carpi confermo quanto di sopra, Io F. Luciano da Vicenza confermo, ut supra, Io F. Valeriano Bergamasco confermo, ut supra, Io F. Lodovico di Bergamo confermo, ut supra, Io F. Gregorio da Arco confermo quanto di sopra, Io F. Gio: Maria Capella di Cremona Socio Apostolico del Reverendissimo P. Generale accetto il carico del Procuratore, come è scritto di sopra, Io F. Gio. Girolamo da Cremona confermo il tutto. -- Conservatores Ecclesiæ libertatis Civitatis Forolivij, ad propalandam veritatem attestamur suprascriptam auctoritatem à suprascriptis Fratribus subscriptam fuisse, dictasque subscriptiones fore, & esse manu subscribentium respectivè, ex relatione tamen D. Antonii Mariæ Arnutij Concivis nostri jure jurando nobis facta; In quorum fidem, &c. Datum Forolivij die 14. Maij 1573. Locus ✠ Sigilli. Franciscus Guarinus Secret. Mant. &c. Quia ego Thideus de Marchis Bononien. Cameræ Apostolicæ Notarius præmissis interfui, ideo eas subscripsi, signavi, & publicavi rogatus. Nos Alexander Riarius Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Patriarcha Alexandrinus, ac SS. D. N. Papæ, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, &c. Universis attestamur suprascriptum D. Thideum de Marchis de præinserto Instrumento rogatum fuisse, & esse publicum, fidelem, legalem, & authenticum, & Cameræ Apostolicæ Notarium, illiusque Instrumentis, & Scripturis publicis in judicio, & extra plenariam semper adhibitam fuisse, & adhiberi fidem, in cujus rei testimonium præsentes fieri, & per Notarium nostrum infrascriptum subscribi, sigillique nostri jussimus appensione muniri. Dat. Romæ in Palatio nostro sub anno à Nativitate Domini 1574 Indictione secundâ, die verò 18. Mensis Martij Pontificatûs SS. in Christo Patris D. N. D. Gregorij Divinâ Providentiâ Papæ XIII. anno secundo. Gaspar Raidottus Notarius scripsit. Sigilli ✠ Locus. - Cupientes propterea omnes & singuli prædicti RR. PP. promissionem per dictos RR. PP. Joannem Mariam, & Julium de ratificari faciendo, ut præfertur, factam adimplere, & alia infrascripta facere, propterea spontè, & eorum certis scientijs, ac spontaneis voluntatibus

bus, omnibusque melioribus modo, viâ, jure, causâ, & formâ, quibus magis, meliùs, tutiùs, & securiùs, & validiùs potuerunt, & debuerunt, possantque, & debent, compositionem, transactionem, & concordiam, ac instrumentum prædictum, omniaque, & singula in eodem instrumento contenta quæcunque acceptarunt, ratificarunt, & approbarunt, ac acceptant, ratificant, & approbant; illamque, & illa perpetuis futuris temporibus rata, grata, valida, & firma habere, tenere, attendere, & observare, & in nullo contravenire, dicere, vel opponere de Jure, vel de facto in judicio, vel extra promiserunt, aliis teneri voluerunt ad omnia damna, interesse, & expensas præmissorum occasione quomodolibet facienda, & faciendas, & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, compositionem, transactionem, & concordiam prædictas, ac omnia, & singula suprascripta cum supradictis R.P. M. Angelo Priori Generali, ac alijs ejusdem Ordinis professoribus absentibus, me Notario pub. infrascripto uti publicâ, & authenticâ personâ, pro ipsis, omnibusque aliis quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum præsente, stipulante, & acceptante cum eisdem conventionibus, pactis, & capitulis, modoque, & formâ in suprascripto instrumento contentis, fecerunt, & faciunt, pro quibus omnibus, & singulis præmissis sic tenendis, complendis, & observandis suprascripti RR. PP. Officiales, & professores, vocales tantùm sese ipsos, eorumque successores, ac omnia, & singula dictæ olim Congregationis bona mobilia, & immobilia, præsentia, & futura, ubique existentia in ampliori formâ Cameræ Apostolicæ cum solitis clausulis, & vinculis, citra tamen Procuratorum constitutionem, non recedendo ab obligatione in præinserto instrumento factâ, & alijs in eo contentis obligarunt, & hypothecarunt, cum renuntiationibus, & alijs clausulis, de quibus in ea; & sic prædicta omnia promiserunt quoque sincerè, fideliter, & prorsus inviolabiliter attendere, & observare, ut supra, certiorati tamen priùs ad plenum à me infrascripto Notario, sicuti verba prædicta habent, vim, & effectum juramenti vigorem legis municipalis, aliàs super hoc sancitæ per q. Illustrissimum, & Excellentissimum DD. Federicum Gonzagam olim primum Ducem Mantuæ fel. rec. de anno 1528. Quæ verba hîc apposui de ipsorum voluntatibus, & consensibus volentium ea dictas habere vires, dictumque Juramenti sortiri effectum in omnibus, & per omnia, prout in ipsâ lege continetur. Suprascriptis, & singulis omnibus adfui ego Franciscus Bonipertus natus providi viri D. Gasparis Notarij Civis, publicusq; Mantuanus auctoritate Imperiali Notarius, & ea rogatus scribere publicè scripsi, & me hîc subscripsi.

Registratum fuit per me Carolum Vaccam Notarium Serenissimi Mantuæ Domini primo Septembris 1575. Ego Marcus Filius D. Baptistæ de Rubeis Civis Mantuanus pub. Imperiali auctoritate Notarius supradictum Instrumentum rogatum, & abbreviatum per suprascriptum nobilem virum D. Franciscum de Bonipertis Notarium publicum, & Civem Mantuanum, ab ejus abbreviaturis de sui Mandato in hanc publicam formam redegi, & factâ accertatione me solitâ cum attestatione subscripsi.

Et ego Franciscus Bonipertus natus providi Viri d. Gasparis Notarij Civis, publicusque Mantuæ authoritate Imperiali Notarius Instrumentum ratificationis suprascriptum per memetipsum rogatum, & extractum alijs implicitum ab extensionibus meis per antescriptum de Rubeis quoque Notarium Mant. in præfatam publicam redigere feci formam; & quoniam cum extensionibus meis præfatis diligenti præhabitâ collatione, de eo in omnibus concordantiam extare comperij, eapropter in præmissorum robur, me hîc solito mei Tabellionatûs signo subscripsi, & annotavi.]

De duobus Patribus, & quatuor Beatis Virginibus è vitâ migrantibus.
CAP. VI.

EOdem quoque anno duo nostri Ordinis redolentia germina deficiunt, Eusebius de Imolâ, & Joannes Baptista Calderinus de Cremonâ, de quorum meritis, & virtutibus longum nunc esset indicem texere. I. Nam Joannes Baptista Divinis, humanisque literis versatus diù Romæ fuit, & Methaphysicalem Cathedram eâ in Sapientiâ plures annos exercuit. Decertabant in eo scientiâ simul, & religio, quâ tantùm valuit, ut non modò Pœnitentiarij officio in Vaticano tam diù fungeretur, quòd aliorum Decanus evasisset; verùm etiam, & familiæ Farnesiæ perpetuus criminum expiator ante Pontificatum Pauli Tertij, usque ad hæc tempora esset, non sine maximâ Farnesiorum benevolentiâ, & reverentiâ erga ipsum. Quanti verò apud Curiam haberetur Pater iste, tria successivè Conclavia Cardinalium apertissimè declarant, quibus ipse eorundem Purpuratorum Confessarius publicus deputatus fuit. Quali autem in tam magnis opportunitatibus moderatione animi sit commendandus Calderinus, unum illud satis demonstrat, quod à Duce Farnesio, à Ducissâ, à totâ familiâ, à plerisque Prælatis, & Cardinalibus ipsis frequenter monitus, ut aliquid pro se efflagitaret, nunquam adduci potuit, ut vel tantillum quid pro se à quovis exposceret; cùm enim in adoratione Marcelli Pont. qui fuerat Protector noster, & valde familiaris ejusdem, Calderinus, post Cardinales, antequam Conclave dissolveretur ad ipsius pedes accederet, monitus à Pontifice, ut aliquid per se peteret, plenariam tantummodò in articulo mortis indulgentiam pro se humiliter petijt, monens unumquemq; illorum, qui terrena sapiunt, & tàm avidè Mundi fausta appetunt, quàm conducibilius sit spiritualia, & non tem-

M. Jo. Baptista de Cremoni mortuus.

M. Eusebius de Imolâ moritur. temporalia pro nostrâ salute ab hujusmodi Pastoribus reposcere. Eusebius .2. verò, quem Divinis auspiciis Virgo Deipara à Judaicâ cæcitate ad clarum Christianæ fidei jubar, ut aliàs * dicebatur, eduxerat, postquam Apostolici Concionatoris munus per Italiam, & Hispanias multos annos optimè navasset, improba mors è medio sustulit quinto Kal. Decembris. Is enim jàm senio, & laboribus confectus Imolam ad patriam suam perrexerat, ubi Cœnobium variis ædificiis amplificare cœperat, & magnis librorum voluminibus ditaverat, & quod non est silentio prætereundum, Franciscum Beoium de Butrio altæ Indolis adolescentem Sanctæ Virginis habitu donavit, & Servorum gregi adjunxit, quem nostris temporibus Episcopum Scalensem, & Ravelensem vidimus. Cætera de Eusebio cum in variis horum Annalium locis respersa fuerint, * non oportet nunc frustra repetere.

* ad an. 1547.

* ad ann. 1559.

His duobus præclaris viris è medio sublatis, anno Sanctissimi Jubilei accedente dum Romæ aperiuntur factæ quatuor Januæ pro expiandis peccatis, quatuor quoque Sydera Beatarum Virginum micantia portas Cœli ingrediuntur, quæ tantoperè in hoc nostro virgineo agro pro Dei Matris famulatu laborarunt, quarum nomina sunt; hæc B. Artemisia Caroli de Tudetto, BB. Margharita, & Euphemia de Spoleto, & B. Lucia de Veronâ.

B. Artemisia de Tuderto. Fuit Artemisia .3. ex numero illarum puellarum, quæ inter primordia illius Monasterij receptæ cum maximo fervore devotionis educabantur, unde à primâ juventâ servitutis Dei & B.V. cui ultrò se emancipaverat, jugum ferre instituerat, quare de virtute in virtutem procedens ad eam brevi perfectionem venit, ut speculum humilitatis ab omnibus haberetur. Regulam sui Ordinis inviolabiliter servabat, ferream zonam, ultra perpetuum cilicium, semper gestare solebat, quæ in ejus obitu cum carne simul conglutinata reperta fuit; duas etiam catenulas sub cilicio ejus corpus undequaque circumdantes in deliciis habuit; jejunij quadragesimalis tempore, quotidie aliis catenis corpus suum, cæteris verò anni temporibus pluries in hebdomadâ, flagellabat; frequens, & familiare sibi erat jejunium, præsertim tempore quadragesimali; ter per hebdomadam solo pane, & aquâ contenta, quemadmodum & reliquo tempore feriâ sextâ ob passionis Domini memoriam, & Sabbatho ob præcipuum cultum in B.M.Virginem: in reliquis verò diebus tàm parcè reficiebatur, ut ad extremum vitæ præter ossa, & pellem nihil in eâ superesse videretur. Patiens ad omnia, & tantæ humilitatis, & modestiæ, ut iracundiæ labem penitus ignoraret. Nemini subsannabat, omnes verebatur, alterius erratis facilè compatiebatur, crebris lachrymis æquè aliena, ac sua delicta sæpe sæpius deplorabat, & à Domino veniam precabatur. Ad obedientiam, tàm Superioris, quàm aliarum semper parata, hora

A tis nocturnis, atq; diurnis in Choro assidua, pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis magnoperè oblectabatur. Tam copiosis abundabat lachrymis, & præsertim in mentali oratione, quâ saltem bis in die exercebatur, ut qui stratum vidisset lachrymarum imbre conspersum, alteram Magdalenam appellasset; & quamvis solitudinem, & silentium vehementer amaret, suavis tamen in aliarum conversatione, & gratissima omnibus sese exhibebat. Hac igitur arctissimâ vivendi consuetudine ante dimidium annorum suorum, qui triginta fuerunt, à cœlesti Sponso ad æternas nuptias evocata fuit. Cum enim ex assiduis genuflexionibus in altero poplite maximus tumor increvisset, magnam quoq. ei febrem intulit, ex quâ tandem in sero Purificationis

B B.M.V. Sacris munita, integris sensibus, postquam ultrò benedictionem cum aquâ Lustrali à Matre Priorissâ Elisabethâ Liliâ recepisset, & cæteris astantibus Sororibus pacem nunciasset, ad Regulæ observantiam hortata fuisset, sublatis in Cœlum oculis, de certâ laborum suorum retributione hilarescens, Spiritum Deo reddidit. Tantus interim Sororum ejulatus continuò audirus, quantus fuerat priùs omnium illarum Sororum in suam Artemisiam amor. Dum autem funus curatur, & feretrum in exteriori Ecclesiâ locatur, insolito quodam more duodecim seculares piæ Virgines, quæ beatum corpus custodiebant, & illud tangere, exosculari manus, & pedes non cessabant, omnibus testatæ fue-

C runt summam inde dulcedinem, fragrantiam hausisse, unde tamen ipsius Sanctitatis certum argumentum sumerent, quod contra cadaverum naturam suavem illum odorem tecepissent. Quibus omnibus Patres nostri in ejus funere perceptis, Artemisiam in album Beatarum Virginum nostri Ordinis ascribendam esse censuerunt. Ejus imago poterit ad instar lugentis, & coram Jesu Christo Crucifixo flentis fœminæ cum suo monachali habitu, & ferreis flagellis in manu, & macilenti vultûs pallore effingi.

Pari quoque veneratione statuerunt habendam esse Sororem Margaritam .4. quæ inter alias Virgines Monasterij nostri de Spoleto diuturnam, sanctitateq. plenam traduxit vi- B. Margarita de Spoleto.

D tam, quæ non multò post B. Artemisiam ad Cœlum evolavit. Hæc à teneris annis Sacro cælibatu inter eas Virgines dicata, septuaginta circiter annos humilitate, & devotionis fervore prædita, Deo, & Beatissimæ Virg. famulata fuit. Hæc namque incessanter non modò statutis horis in Choro, verùm etiam in quolibet Monasterij angulo, ubi Sanctæ habebentur imagines, orabat, psallebat, meditabatur, & Deum, & Beatissimam Virginem perpetuò Divinis laudibus extollebat. Cumque S. Joannem Baptistam sibi præ ceteris tutelarem, & patronum delegisset, atq. in suo cubiculo ejus veneraretur imaginem, factum est, ut coram eo lætam ipsius nativitatem recolens,

colens, & plura lumina in ejuſdem honorem accendens, atque præ ſenectute in lectulo cubans, eodem feſto S. Joannis, ſicut optaverat, tam placidè, tamq. ſuaviter, poſtquam ſacris munita fuiſſet, lævâ ſub capite appoſitâ, obdormivit in eo, cujus ſæpe dexteræ ad exemplum miſticæ Sponſæ, amplexus concupiverat, illud frequenter uſurpans *Leva ejus ſub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Hanc tali modo ſuper lectum jacentem cùm vidiſſent ſorores, an quieſceret, vel defuncta eſſet, non modico ſpatio ambigebant, donec mortuam deprehenſam, veluti communem omnium Matrem (octuageſimum enim ſuperaverat annum) profuſis lachrymis, pijſque ſuffragijs tumularunt. Ejus imaginem ex jam prænarratis poſſumus facilè confingere cujuſdam vetuſtæ, & gravis fœminæ coram imagine S. Joannis Baptiſtæ, ſuper lævam caput innixum habentem, & ibi luminibus accenſis meditabundam ſtantem cum chartulâ, *Dextera illius amplexabitur me*.

B. Euphemia Palectonia. Altera ſimiliter in eodem Monaſterio paris pietaris, & religionis hoc endem anno Margaritam ſecuta fuit nobilis Spoletana Virgo Euphemia Palectonia .5. Hæc verò Virago, potius quàm fœmina, ob perpetuum agonem, quem aſſiduè cum Dœmone habuit, nuncupanda videtur. Nam die, noctuq; ſemper à ſæviſſimo humani generis hoſte infeſtabatur, & continuò Divinâ ei aſſiſtente gratiâ, orationis ſcuto protecta, de eo victoriam reportabat: poſt hujuſmodi colluctationis frequentes victorias, tam ardenter, tàm generosè Chriſtum Sponſum ſuum amabat, ut pro eo ſanguinem fundere, & martyrium ſubire concupiſceret; quin & alijs Conſororibus illud D. Pauli ſemper prædicabat *Mihi mori pro Chriſto lucrum*. Supra vires in aſſiduis laboribus exercebatur, ne minimum otioſæ vitæ ſpatium remitteret; ſuper hæc omnia ſemper humilis, ſemper patiens, ſemper hilaris, ſemper obediens. Rerum cœleſtium adeò contemplationi dedita, ut ex ejus ore nihil procederet, quod Deum, Jeſum, Mariam Virginem, B. Philippum, ſanctos Patres noſtros, Sanctos Angelos, & cœleſtem Sanctorum curiam non redoleret; In ſuis colloquijs nulla Soror ab eâ diſcedebat, niſi de Divinis rebus magis, ac magis edocta. Humanas delitias, mundanaſque commoditates, tamquam religioſæ paupertatis venena, vehementer exhorrebat; parvâ, & paupere chlamyde, anguſto ſtrato, & nudato cubiculo contenta. His igitur communita virtutibus, & ſemper contra Adverſarium armata Virago Palectonia, quod diù concupierat, cumulatè tandem à Domino impetravit. Integro enim biennio ante mortem quoddam martyrij genus ſupra ſe viriliter, & infracto animo ſuſtinuit; id verò fuit quod eo temporis ſpatio totam ferè contractam, & membris deſtitutam oportuit in lecto cubare, & ibi longo experimento illud Pauli: *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut reportetis promiſſionem*, ediſcete.

E Verùm, quæ ſeſe diù in paleſtrâ tentationum exercuerat, pro nihilo habuit diuturnam illam infirmitatem ferre, & alijs virtutibus fortitudinem ſuperaddere, ſæpe dicens: *Cùm infirmor tunc fortior ſum*. Talibus denique ſpontanei martyrij trophæis Euphemia in morte potita fuit; nam ſicut alijs martyribus ſigna victoriæ non deſunt poſt mortem, ita placuit Deo hanc virilem fœminam eodem paſsionis inſtrumento, etiam in feretro decorare; ſiquidem ferunt, quemadmodum Patriarcha Jacob contractis ad ſe pedibus jacuiſſe defunctum, pari modo Euphemiam pedibus, & genibus contractis ad oſtentationem ſuæ victoriæ, cùm in feretro, tùm in ſepulcro jacuiſſe. Hanc ſi quis repræſentare cupiat,
F manu alterâ Dœmonem flagellantem, & alterâ martyrij palmam geſtantem Sororem effingere poterit.

B. Lucia de Veronâ. Quarta denique, B. Lucia de Veronâ .6. occurrit. Fuit autem Veronæ antiquo tempore uſque ad hanc noſtram diem Sodalitium quoddam tertij Ordinis Sororum noſtratum, quæ multiplici religioſæ vitæ exemplo ſingulis temporibus floruerunt. Inter eas verò, quæ ad aures noſtras pervenerunt, Lucia velut Lilium quoddam ſummæ puritaris magnum hoc tempore ex ſe candorem præſtitit: nam ſexaginta ferè annorum ſpatio, charitatis operibus adeò intenta fuit, ut ab omnibus, veluti ſanctitaris ſpeculum, haberetur. Inter cætera verò de eâ narratur Noſocomio miſe-
G ricordiæ ſtatutis horis, magnâ fidelium ædificatione, annis duodecim infirmorum, & quorumcunq, languentium neceſsitatibus inſerviſſe, quibus plagas incurabiles, & horridas, ut altera Senenſis Catharina, dulciter leniebat, & oſculando tergebat, omneſque immunditias, fœtores, & id genus alia maximâ cum voluptate ob Chriſti amorem, & proximi charitatem libenter ſufferebat: inſuper verborum ſuavitate ad patientiam hortans, omnes ſolabatur, & morbi vim blandè ſublevabat. Donec circiter hunc annum, Civitate peſtilentiâ laborante, Beata Soror ejuſdem charitatis erga epidimiæ morbo oppreſſos amore incenſa, unà cum Sorore Barbarâ Sociâ, audacter, ut alter S. Rochus, & ſine
H mortis timore, præter mulierum conſuetudinem, illis in omnibus inſervire cœpit; verùm eodem morbo & ipſa tandem ſaucia, cum morti appropinquaret, in Campo Martio ſociam ſuam Barbaram, quæ & ipſa eodem contagio premebatur, precata eſſet, ut alternatim Litanias de more recitarent, cui Barbara, cùm ob morbi vim non poſſe, reſpondiſſet: ego, Soror mea, pro te, & me, affata eſt, Litanias recitabo. Quibus devotè abſolutis Deo, & B. Virgini ſe cõmendans Barbaram talibus alloquitur: O Soror chariſsima, curſum meum conſummavi, Mundum relinquo, ad Paradiſum tranſeo, & ei vale dicens, expiravit. Hujus imaginem uniuſcujuſque arbi-

trio

trio compingendam relinquimus, nisi quis alterâ manu crucem, alterâ caput cadaveris gestantem cum coronâ calculorum effingat.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 *EX monum. Cœnobij S. Mariæ in viâ de Urbe.*

2 *Auctor Eusebium agnovit, & Florentiæ in Ecclesijs D. Annunciatæ, & S. Laurentij ingenti Florentinorum frequentiâ concionantem audivit, & tùm ex eo, tùm ex monum. Conv. Imolæ singula didicit.*

3 *Quæ de Artemisiâ dicuntur, accepit Auctor ex relatione Sororis Fulgentiæ de Butijs ejusdem Monasterij ætatis supra septuaginta, quæ coram Sorore Clarâ de Aslancollis Priorissâ, & Sorore Dorotheâ de Floridis Vicariâ singula hæc testata fuit de visu, D. Lucalberto Peto Canonico Tudertino decimo Kal. Febr. 1621. quod prædictam Artemisiam cognovisset, & cum eâ diù conversata fuisset.*

4. 5. *Accepit Auctor singula ex traditione, & certis testimonijs plurium antiquarum Sororum ejusdem Monasterij, & præsertim à Sorore Gaudiosâ de Fabritijs venerabilis Monasterij Priorissâ.*

6 *Ex varijs colloquijs, quæ Auctor Veronæ, dum ibi concionaretur cum tertiarijs Sororibus numero triginta, & earum traditione accepit.*

N O T Æ.

[*SOror Artemisia, de quâ hîc nu.3. dicitur, de Tuderto censenda est, quia in eo Monasterio sanctissimè vixit, cæterùm Patria illi fuit Perusium, juxta veterem traditionem, ad nos usque non interruptâ serie propagatam, & juxta monumenta ejusdem Monasterij.*]

De admirabili oraculo S. Mariæ Virginis pro construendo ipsius Templo Civitellæ.
C A P. VII.

COnfluentibus undique ad Sacrum Jubileum ex diversis partibus Europæ Christicolis, non deerant Romæ viri Religiosi, qui in quâcunque ex præcipuis quatuor Basilicis Pœnitentiarij munus exercerent; ex nostris verò præsertim in S. Mariâ ad præsepe P. Angelus de Aquipendio, M. Joannes Baptista de Burgo S. Sepulcri, & P. Joannes Maria de Placentiâ. Quo interim tempore Viri de Civitellâ, quæ inter Ariminum, & Bertinorium nullius diœcesis est, Ordinem S. Mariæ Servorum apud se habere ab Angelo Generali nostro solicitè flagitabant. Cùm enim ab anno 1556. admirabili B.M.V. monitu amplum, & augustissimum Templum ei dicassent, anno deinde 1595. ritu solemni consecratum à D.D. Angelo Perutio Episcopo Sarsinæ die 27. Julij; statuerunt A etiam hoc tempore, ut per suos Servos perpetuo famulatu administraretur, cujus loci possessionem solemni celebrato instrumento die 15. Maij 1575. receperunt Patres nostri. Hujus verò delubri videtur admiranda fundatio nullo modo prætermittenda a nobis, qui B. Mariæ V. præconia semper enarramus, & celebrare tenemur. Prædicto igitur tempore *Apparitio B. M.V. Civitellæ.* 1556. erat Civitellæ puerulus quidam unde cim annorum Pasquinus nomine, filius quondam Martini de Vineali ejusdem Curiæ, simplex, humilis, & timens Deum, sed vehementer ejus pientissimæ Matri addictus. Erat non longè Sacra quædam Ædicula prope Suasiam Fluvium, quam puer Pasquinus quotidie adibat, & calculorum Coronam ad honorem B B.M.V. ibi devotè persolvebat. Accidit igitur, ut die Mercurij Kalendarum Aprilis, cùm puer ibi consueto devotionis fervore Sacram illam Imaginem salutasset, cœpissetq; discedere, vocem sibi dicentem audivit, fili mi, revertere, & huc ad me accede; tunc Pasquinus conversus vidit eodem in loco speciosissimam puellam, cœruleâ chlamyde, & candidis velaminibus ornatam, quæ illum monuit, ut suo nomine illius Agri Dominum consuleret, præciperetque ut tantùm ejusdem fundi sibi dono largiretur, quantùm pro erigendo Delubro ad honorem Deiparæ Virginis sufficere posset. Hac verò insolitâ visione, & voce perterritus puer Domum reversus in lectum incidit, ubi per octo dies ex eo rutilantis visionis fulgore cæcutiens, & pavidus C tacuit, donec altero die Mercurij ad consuetam devotionem rediens, post salutatam de more B. Virginem, hilaris, sanus, & videns ad propria remeavit: nihil omnino tunc ab eadem audivit, ex quo rursus eandem quotidie devotionem frequentare instituit. Tertiò demum insequente die Mercurij eandem vocem se redarguentem absque aliâ visione audivit, quod præteritis monitis minimè paruisset, nec Patronum agri, ut habuerat in mandatis, adijsset. Quare Pasquinus hærens animo non statim, sed die Dominico quæ adiverat Isabellæ quondam uxori Francisci de Amaduzzijs, ad quam locus ille pertinebat, singula per ordinem retulit. Cumq; Viduæ filius major Vincentius Amaduzzius Bononiâ D per eos dies reversus fuisset, accepto tùm à Matre, tum à Pasquino puero Virginis oraculo, tantum agri, quantum pro sacro ædificio necessarium foret, libentissimè cessit. Unde altero die Mercurij succedente puer ex usu ad Sacram Ædiculam accedens vidit Gloriosam Dei Matrem super Altare dexterâ manu elevata benedicentem sibi, & iterum monentem, ut ædificio quantò citiùs construendo operam navaret, ultrò pollicita, quòd ei singulis Mercurij, & Sabbathi diebus se videndam exhiberet. Quare Pasquinus puer majori quotidie fervore incensus statutis horis venerabundus locum adiens, proximo

Sabbatho candem vlſionem habuit, apparente ſibi ſuper Altare ipſâ Sacratiſsimâ Imagine man bus extenſis, & iuſſus monente, ut ſuo nomine populis illis nunciaret; hortaretuiq; ad quatuor temporum inſtans jejunium, expiandáque peccara ad Divinam indignationem placandam. Primâ igitur jejunorum feriâ Mercurij, que fuit 20. Maij, publica totius populi luſtrario ad pręfatam Ædiculam cum pſalmis, & hymnis, puerulo Paſquino pręcunte, celebrata fuit, ubi poſt communes ſupplicationes, pectorum tunſiones, & lachrymas, & poſt celebratam Miſſam, ſuper eamdem Aram apparuit ipſa imago B.M.Virginis dexterâ, ut aliàs, elevata populo benedicens. à Paſquino puero tantummodò, ab aliis verò nequaquam, viſa; magnus tamen irruit ſuper univerſum populum timor, capillis erigentibus, & trementibus membris, cordibuſque palpitantibus, & univerſâ plebe veniam, & miſericordiam implorante. Demum fundato ei, ut præceptum fuerat, Templo, ſemper ſe propitiam populis illis Civitellæ, per varias opportunitates ex multis gratiis, & favoribus præbuit. Quæ quidem cœleſtia munera ex ore infantium plerumque conſuevit Glorioſa Dei Mater hominibus abundè conferre, ſicut ſingula hæc de Terrâ Civitellæ ex authentici Chirographi relationibus accepimus ab Archangelo Ballorino de Bononiâ noſtri Ordinis Theologo, dum ibi per Quadrageſimam Divinum verbum explicaret. Verùm, ut ad Annales noſtros revertamur P. Anſelmus Mazzius .2. de Florentiâ poſtquam ob ſuos religioſos mores Noſocomium Fighinenſe à Seriſtoriâ Familiâ adminiſtrandum recepiſſet, quinto idus Martij animam Deo reddidit; cui ſucceſsit F. Raphael Ferrinius ejus nepos. Per hæc ipſa tempora lucem hanc reliquerunt P. Salvator de Mutinâ .3. muſicæ artis peritiſsimus, qui in Cathedralibus Terdonæ, Mutinæ, & poſtremò Senis Capellæ Magiſtrum egit, pluresque, & varias edidit ſymphonias, ac egregios poſt ſe canendi, pulſandiq; tyrones reliquit, Horatium Vecchium, Franciſcum Farinam, & alios, inter quos M. Archangelus de Rhegio, qui ei in eâdem Cathedrali Senenſium multos annos ſucceſsit, qui & ipſe varias in hac arte compoſitiones poſteritati reliquit. Claruit, & his temporibus P. Hieronymus de Cæſenâ M. Capellæ Ratiſponæ D. Alberti Ducis Bavariæ. Moritur etiam Romæ M. Hyppolitus Zaphaleonius Ferrarienſis Provincialis Marchiæ Tarviſinæ publicus ejuſdem gymnaſij Methaphyſicus, qui etiam diu S. Officij Conſultor extitit. Cui ſuccedit in eâdem lectuiâ M. Dionyſius Taxus de Ferrariâ. Senis quoque per hoc idem tempus è medio tollitur M. Philippus Sembolus de Cortonâ Provincialis Thuſciæ, vir certè, niſi tam citò ſublatus, magnæ lectionis, in quacunque facultate verſatus, & qui his temporibus glorioſè in eodem Studio Methaphyſicam Ariſtotelis interpretabatur, quæ ſanè lectio noſtris Magiſtris multos annos in illâ Academiâ familiaris fuerat poſt Angelum Moreilium Aretinum, poſt Jacobum Datum, & Cornelium Senenſes, multoſque alios, quos modò recenſere non oportet. Interea Generalis Angelus more veterum prædeceſſorum eupiens Ordinem noſtrum denuò in Græcia reſtitui .4. P. Stephanum de Aquipendio ſuum Vicarium cum omnimodâ facultate ad Cretenſes eo conſilio mittit, ut aut vetera Cœnobia recuperare, aut nova condere procuret, literis pat. ad hoc Romæ datis pridie Kal. Januarij.

Mors P. Anſelmi Flor.

P. Salvatore de Mutinâ.

M. Archangeli de Rhegio.

P. Hieronym. de Cæſenâ.

M. Hyppoliti de Ferrariâ

M. Philippi de Cortonâ

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

1 *EX libro campione ejuſdem Eccleſiæ, ubi ad verbum habetur exemplatus proceſſus, & contractus per manus quondam Juris utriuſque Doctoris Papi q. Mongiardini de Cocconibus Politianenſis., qui tunc erat ibi Commiſſarius, & Locumtenens.*

2. 3 *Horum omnium Patrum defunctionem ex certâ ſcientiâ poteſt Auctor atteſtari.*

4 *Ex Regeſto ejuſdem Generalis.*

Recenſentur nonnulla ſpectantia ad Provinciam Lombardiæ, & ad Conventum S. Mariæ Gratiarum de Placentiâ, necnon aliorum Locorum conceſſio.

C A P. VIII.

AD componendas diſſenſiones quaſdam, quæ in Provinciâ Lombardiæ exortæ fuerant hiſce diebus ob nimiam Viſitatoris cujuſdam Generalis ſeveritatem, Summus Pontifex Gregorius XIII. P.M. Benedicto Priori Conventûs S.M. Servorum de Biturgio per Literas Apoſtolicas Romæ datas die 27. Septembris hujus anni 1575. mandat, ut Apoſtolicâ auctoritate provideat, & quidquid viderit tranquillitati publicæ maximè expedire decernat. Literæ autem ſunt ſequentis tenoris è Regeſto Generalis Tavanth.i pag. 29. ab anno 1580. ad annum 1582. depromptæ.

Apoſtolicus Viſitator in Provincia Lobardia.

A tergo

Dilecto Filio Benedicto Priori Conventûs S. Mariæ Servorum S. Sepulcri Sac. Theologiæ Magiſtro.

Intus

GREGORIUS PAPA XIII.

DIlecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut accepimus, in Provinciâ Lombardiæ Ordinis Servorum B.M. multæ diſſenſiones, & diſcordiæ inter ipſos Fratres ſuperioribus diebus exortæ ſint, & maximè, quòd Prior Generalis ejuſdem Ordinis ad ipſam Provinciam viſitandam perſonaliter non ſe contulerit, ſed F. Dominicum de Mediolano de eâdem Provinciâ Vicarium ſuum, aut Commiſſarium Generalem ad Viſitationem hujuſmodi peragendam

dam deputavit. Inter quem, & F. Andream d S. Bernardo prædictæ Provinciæ Provincialem non benè conveniebat; unde idem F. Dominicus diversas inquisitiones, & examina super vitâ, & moribus Religiosorum ipsius Provinciæ faciendo, ad privationem multorum Priorum, necnon d. F. Andreæ Provincialis, eo tamen inandito, de facto processit. Quare quieti, & tranquillitati d. Provinciæ consulere volentes, Nos ipsi de alio visitatore idoneo, qui munus ed, quæ decet, prudentiâ, & charitate adimplere studeat, providere decrevimus. Itaque in primis prædictum Dominicum Vicarium, aut Commissarium, ut præfertur, deputatum revocantes, & ab officio hujusmodi, & munere destituentes, & amoventes, Te, de cujus integritate, prudentiâ, & erga rectam honestumque studio plurimùm in Domino confidimus, Generalem Visitatorem in d. Provinciâ Apostolicâ auctoritate tenore præsentium constituimus, & deputamus. Dantes tibi facultatem prædictum Andream Provincialem, si tibi constiterit, illam minus ritè, & rectè suspensum, seu privatum fuisse, in suam pristinum munus, & officium restituendi, & reintegrandi. Necnon omnia, & singula Monasteria, & Conventus ejusdem Ordinis, & Provinciæ tam in Capite, quàm in membris visitandi, atque reformandi, necnon omnes, & quoscunque Fratres, & Religiosos d. Provinciæ quomodolibet delinquentes, seu culpabiles repertos iuxta canonicas sanctiones, & eorum regularia instituta corrigendi, puniendi, & castigandi, atque omnia acta, & gesta per eundem F. Dominicum constituendi, audiendi, & recognoscendi, atque prout, secundùm Deum, cognoveris expedire, & ejusdem Ordinis Constitutiones terminandi, atque definiendi, aliasque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, & sibi in præmissis non parentes per censuras Ecclesiasticas, & pœnas tibi visas, & alia opportuna remedia, appellatione postposità, compescendi. Mandantes Priori Generali prædicto, necnon quibusvis aliis Prioribus, & Officialibus, & Fratribus d. Provinciæ, ut Te in Visitatorem hujusmodi promptè recipientes tibi in omnibus officium hujusmodi concernentibus pareant, faveant, & intendant, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis, Indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus sufficienter pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 27. Septembris 1575. Pontificatûs nostri anno quarto.

Idem Summus Pontifex eodem anno triginta dies de verâ Indulgentiâ in perpetuum concedit omnibus, & singulis Christifidelibus A verè pœnitentibus, & confessis, qui in Ecclesiâ S. Mariæ Gratiarum de Placentiâ interfuerint, quoties ibidem cantetur post Completorium Antiphona *Salve Regina*, vel alia quæcunque juxta rubricas dicenda. Præterea septem annos, ac totidem quadragenas per biennium concedit omnibus, ut supra, qui in formâ consuetâ visitaverint eandem Ecclesiam, ibique preces ad Deum effuderint à primis vesperis usque ad totam Dominicam proximè sequentem Palmarum, quemadmodum constat ex ejusdem Literis Apostolicis, quæ ibidem in pergameno servantur. Hic autem obiter adnotare lubet, quod ex hujus Cœnobij monumentis, quæ egomet proprijs oculis lustravi Mense Augusto 1715. perspicuum est olim fuisse Pœnitentiarium in Basilicâ B S. Mariæ Majoris de Urbe P. quendam nomine Joannem Mariam de Rhegio.

Indulg. pro Eccl S. Mariæ Gratiarum de Placentiâ.

Joannes Maria de Rhegio Pœnitentiarius S. M. Majoris.

Ecclesiam nostram de Faventiâ, de cujus orgine dictum est ad annum 1313. postmodû annuente D. Sylvestro *della Casa* Florentino Episcopo illius Civitatis, P. Marcus de Veronâ ex Ordine Servorum Episcopus Bertinori cum Indulgentiis consuetis die 15. Martij anno 1422. cum esset ibidem Prior P. Antonius de Forolivio, solemni ritu consecraverat. Insuper eandem singulis annis die 25. Martij D. Annunciatæ ejusdem Ecclesiæ Titulari nuncupatâ, Communitas unà cum Clero Seculari, & singulis Artibus processionaliter adeunt, quandam pecuniæ summam eidem C offerentes conventione hac mutuò initâ cum Patribus illius Conventûs anno 1556. Anno autem 1572. erecta ibi fuit Societas B. M. V. dictæ *dell Incoronata*, cujus Tutelaris est ejusdem B.V. Imago in hujus Ecclesiæ pariete in Sacello quondam Aræ principi proximo depicta, quam eâ veneratione prosequuntur omnes, ut Titulo *Dilectæ* circumferant, ejusque Festum celebratur die prædictâ 25. Martij, quam Mulieres omnes etiam Nobiles eò deferre, vel deferendos curare Infantes fascijs involutos solent, ejusque Altari imponere, plures cereos offerentes, ac B. Virginis præsidio commendare. Pridie verò hujus Festi in primis Vesperis Clerus secularis ab Ecclesiâ Cathedrali, uti modò dicebam, nostram hanc D petit, honorificè à Patribus in limine exceptus una cum Artibus prædictis; Societatis hujus Confratres Cappam nigram induti sub Ordinis nostri tutelâ sunt, qui proinde anno 1575. Angelo Morellio de Aretio Generali statuta 37. laudabilia exhibuere approbanda, & confirmanda, quæ reipsâ Angelus confirmavit, postquam eadem confirmaverat, & observari mandaverat D. Joannes Baptista Episcopus Faventinus, impresso Ordinis nostri sigillo, his verbis: *Statuta supradicta, ordinationes, & Constitutiones Societatis, sive Fraternitatis B.M.V. de Incoronatâ in Conventu Fratrum Servorum Faventiæ approbamus, & confirmamus, & in honorem Dei, omnipotentis Matris*

Nonnalla de Ecclesiâ Serv. de Faventiâ.

Matris suæ, & SS. omnium, necnon in salutem Animarum inviolabiliter observari mandamus die 8. Julij 1575. F. Angelus Morellus de Aretio Ordinis Fratrum Servorum Generalis indignus.

Sacellum hoc varijs picturis, alijsque ornamentis haud mediocriter instauratum conspicitur ad præclara B.V. gesta spectantibus. Ibi quoque est veterum Sororum nostri Ordinis, & Habitûs Societas cum Sacello satis superque exornato nonnullis circumquaque honorificis ad Ordinem nostrum pertinentibus egregiè delineatis. Verùm de hoc, & alijs hujusmodi dicendum erit ad annum 1641. sicut & ad annum 1594. iterum de B. Jacobo Philippo, cujus venerabile corpus ibi quiescere diximus ad annum 1483. ac denique ad annum 1673. de celebritate S. P. N. Philippi in hac Urbe.

Anno sequente 1576. Loca quædam de novo Ordinis Servorum accedunt. Primò quidem extra Oppidum Soliani, cuius Dominus, & Princeps erat Joannes Baptista de Malatestis in Diœcesi Ariminensi, Communitas Ordini eidem concessit Hospitale quoddam antiquum Pauperum usui designatum, ut construeretur ibidem Cœnobium, & in ampliorem formam redigeretur sacra illa vetus Ædicula, quæ vulgò dicebatur, *La Chiesa dello Spasimo*; huic donationi libenter subscripsere tum Episcopus, tum Princeps de Malatestis prædictus, idque debemus P. Hieronymo Columbino, qui professionem Regularem in Ordine Servorum Mantuæ emiserat, sed Oppidum hoc natale illi fuerat solum, & Populo illi maximè acceptus erat. Item in Regno Neapolitano Locum quendam sub Tit. S. Mariæ de Constantinopoli Cirignola Ordini nostro fuisse ex Regesto Generalis Tavanthij intelligimus, in quo ad hunc annum 1576. recensitus apparet. De Loco quodam pariter, cui Titulus S. . . . . de Albigauno in Ditione Genuensi, quem Ordo noster habuit, nihil aliud exploratum Nobis est quàm, quòd Partibus nostris de Genuâ hoc eodē anno solvendum quotannis censum sex Librarum monetæ Genuensis pollicentur PP. Conventuales S. Francisci habito publico Instrumento, propterea quod PP. istis Conventualibus Locum hunc PP. nostri concessere. Ad eundem pariter annum referri potest origo Conventûs illius, quem sub Tit. S. Matronæ V. & M. cujus Corpus in eâ Ecclesiâ quiescit, tenuit olim Ordo Servorum extra Civitatem Barchinonæ, quæ caput est Principatûs Cataloniæ in Hispaniâ Tarraconensi. In primis enim hoc anno P. Gregorius de Spinosâ à Generali Ordinis Jacobo Tavanthio constitutus ejus Vicarius in Regno Aragoniæ cum Literis etiam ad D. Joannem de Riberâ Archiepiscopum Valentiæ commendatitiis, quæ constant in ejusdem Generalis Regesto pag. 229. ad annum 1578. Locum hunc, sive Ecclesiam de Jurepatronatûs Civitatis Barchinonæ nomine

Conv. S. M. de Spasimo Soliani.

Conv. S. Mariæ Cirignolæ, & de Albigauno.

Conv. S. Matronæ de Barchinonâ.

E Ordinis Servorum ab illo Senatu recepit unà cum alijs Patribus, ut Sacrum prædictæ V. & M. Corpus in eâ Ecclesiâ positum custodiret, & debitâ veneratione cum universo Populo prosequeretur. Anno autem 1577. eò appulere PP. Franciscus Scerda de Valentiâ eo tempore Confessarius Monialium nostri Ordinis S. Annæ de Molvedro Vicarius Generalis in Regno Valentiæ ab eodem Generali Tavanthio constitutus; item Bartholomæus Rodrighes, & Alphonsus Campo pariter de Valentiâ S. Theologiæ Magistri, necnon PP. Antonius Sosa, Ferdinandus, Philippus, & alius Rodrighes facultate ab eodem Generali acceptâ propagandi Ordinem Servorum B. M. V. per singula Hispaniarum Regna.

F Subinde Civitatis hujus Primarij, utpote pietate præstantissimi, Patres istos perhumaniter excepere, quippe qui de ipsorum virtute, & industriâ præclarâ opinione conceptâ, plurimum sibi, Civitati, & Regno adjumento eosdem fore sperarent, quamobrem Locum hunc S. Matronæ iisdem iterum concessere, necnon facultatem erigendi ibidem, & in alijs illius Regni partibus Ordini nostro Cœnobia, quod consequentibus annis etiam per alia Hispaniarum regna assecuti fuere, quemadmodum è dicendis in his Annalibus constabit. Itaque apud S. Matronam in Colle positam, quem vulgò dicunt *Montem Judaicum* saluberrimi tunc aeris, & valde amœno, ubi quiescunt etiam Corpora SS. Fructuosi Archiepiscopi Aragoniæ, Eulogij, & Augu-

G rij Martyrum, habitare cœperunt PP. & quamvis à Civitate per unum milliare distarent, non mediocriter tamen Populorum necessitatibus, & religioni consulebant. Ibi fanè perseverarunt ad annum usque 1618. quia verò tunc gravis, & malè olens evadere cœpit aer ob aquam ad ima Collis stagnantem, inde recedere coacti fuerunt, & intra Mœnia Civitatis ibi construxere Cœnobium, ubi erat Collegium, quod vocabatur *B. Philippi* jampridem erectum, in quo studiorum causâ nostri commorabantur Adolescentes, quòd fusiùs explicandum erit ad annum supradictum 1618.

H *ANNOTATIONES IN CAP. VIII.*

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monumentis eorundem Locorum.]



Jaco-

Jacobus Tavanthius Gregorio Summ. Pontifice mandante 36. Generalis Ordinem administrat, & Felicianus Archiep. Avenionensis cum alijs plerisq; moritur. A

C A P. IX.

GRegorius Summ. Pont. januis Jubilei clausis repentinam Christicolarum mortalitatem, quæ quotidie ob sævissimam pestilentiam grassabatur, ægerrimè ferens, & decedentium animarum pastoralem solicitudinem habens, ijsdem ferè indulgentijs tam defunctis, quàm viventibus opitulari hoc tempore non cessabat. Quare Michaelis Pocciantij nostri Florentini, qui tunc Romæ Cœnobium S. Marcelli regebat, supplicationibus inclinatus, Altare privilegiatum pro animabus defunctorum in Ecclesiâ Annunciatæ de Florentiâ cum amplissimis indulgentijs die 15. Februarij concessit. B. Ex quo deinceps per totam ferè Italiam hujusmodi pia suffragia pro defunctis in præcipuis Ecclesijs propagata fuerunt. Inter eos verò, qui hujusmodi sacrificiorum pro defunctis beneficio potirentur, unus fuit M. Damianus de Florentiâ Prior Conventûs Annunciatæ paulò ante defunctus V. Kal. Februarij, vir in omni scientiarum genere valde eruditus, & qui plurimis in locis, tùm nostra, tùm aliorum domestica gymnasia, & Cathedras suis scholasticis speculationibus egregiè texerat, atque in declamando, & orando nemini secundus. Hunc autem non post multos menses C secutus est Mag. Michael Pocciantius Florentinus, qui Lugduno è quadragesimali prædicatione Florentiam reversus, iniquo fato, inopinatâq; morte octavo Idus Junij peremptus fuit. Cujus funus quemadmodum contigit nobis pro rostris deplorare, & laudare, sic nunc opere pretium duximus aliorum potius quam nostris verbis ipsius condecorare memoriam. Nam præter nænias, & elegiacum carmen in ejus laudem à D. Joanne Montio decantatum, Lucas Ferrinius ejus alumnus inter elogia Illustrium Florentinorum hæc de Pocciantio edidit.

M. Damianus Florent. moritur.

Michael Pocciantius Ordinis Servorum B. M. V. sacræ Theologiæ doctor insignis, Philosophus, ac Historicus non vulgaris: Divini D *verbi declamator dulcissimus, & in exquirendis rebus antiquissimis indagator accuratissimus. Vir sanè omnium virtutum genere perpolitus, qui suâ immaturâ ætate Florentiæ apud suos Patres, Cassinensemque familiam annis non paucis tùm Philosophiam, tùm Theologiam professus est. Præter insignes quosdam discipulos, quos in sacrâ Theologiâ erudivit, qui deinde ad magna Sacerdotia provecti fuerunt, cujusmodi fuit Ludovicus de Martellis Episcopus Clusinus, & . . . . de Antinoris, quem etiã Pisas cum Archiepiscopatum illum adiret, tamquam ejus Theologus comitatus fuit paulò ante quàm è vitâ migrasset, quâ virtute, ut optimus* A *Divini verbi declamator Civitates nonnullas, & Italiæ, & Galliæ magno populorum concursu exornavit. Quinimmò, ut sapientissimus Pater Bibliothecam nobilissimam in Cœnobio Divæ Annunciatæ, cujus erat filius, erexit, atque optimis libris (plurimis alijs antiquissimis ad professionem religiosorum minimè facientibus reprobatis) decoravit. Quamplurima etiam suæ Religionis officia est consecutus, quibus prudenter ministratis, tandem sui ortus anno 41. efflavit animam. Hæc sui ingenij monumenta posteris relinquens.*

Historias suæ Religionis ab anno 1233. quibus temporibus Servorum Religio initium sumpserat usque ad annum 1566., quo tempore prædictam historiam typis ipse excussit.

B. *Dilucidarium in regulâ D. August.*

Mare magnum Servorum B. M. V. iterum posteris transmisit cum additionibus, & annotationibus nonnullis.

Constitutiones ejusdem, suæ Religionis à Pio Quinto propositas imprimendas curavit, & notatis quibusdam explicuit.

Librum maternâ linguâ conscriptum de vitis septem sanctorum Patrum fundatorum Religionis Servorum mirificè dictavit, cui adjecit discursum de Religione, ac sanctitate civitatis Florentinæ, atq; omnium Ecclesiarum, hospitalium, ac Societatum catalogum. Illustrique D. Bartholomæo Concinio ex Comitibus Pinnæ, ac Tallæ dicavit. Adornaverat etiam egregium opus de illustribus viris Florentinis, quod morte præventus perficere non potuit, sed Lucas C *Ferrinius de Prato ejus alumnus & confecit, & auxit, & typis mandavit Flor. anno Domini 1589.*

Michaelem verò præcesserat ante triduum eâdẽ iniquâ morte sublatus M. Bartholomæus Florentinus ejusdem Prov. Socius. Invalescente interim magis quotidie Venetijs, Vincentiæ, Patavij, Mediolani, Ferrariæ, Placentiæ, Veronæ, & in multis alijs Italiæ Urbibus pestilentiâ, Capitulum generale Bononiæ indictum, & Indulgentijs Gregorij Sum. Pontif. communitum intermittere oportuit; quibus etiam incommodis illud nuper accedebat, quòd Angelus Generalis eâ in con- D gregatione Theologorum, & Canonistarum fuerat cooptatus, in quâ grave illud negotium D. Corranzæ Archiepiscopi Toletani apud Pontificem controvertebatur; unde impossibile erat, quòd ipse nostri Ordinis Præfectus ab Urbe discederet, & cùm totus eo in negotio esse deberet, visum fuit per Pontificium diploma de alio Ordinis Moderatore providere. Aderat tunc Florentiæ M. Jacobus Tavanthius Pisani gymnasij Theologus primarius, quem Franciscus Magnus Etruriæ Dux ob suas egregias virtutes, religiosos mores, & ob diuturnam, quam à Cosmo Patre acceperat, Cathedram, plurimi faciebat, cui nuper Angelus Generalis super Comitia

illius

*Hæ Literæ in pergameno asservantur Pisis in Bibliot. sibi d PP. Florentinis erectâ.

illius Provinciæ suas vices demandaverat, quando septimo Kal. Julij Apostolicas literas Romæ datas undecimo Kal. ejusdem, & per A. Farnesium Protectorem transmissas * pro suâ Generali præfecturâ accepit; ad quem etiam Angelus Generalis, quo se a tanto onere subduceret, sigillum, & alia Officij munera libentissimè misit. Quare in eodem Capitulo provinciali Thusciæ lectis Pontificijs literis Jacobus Tavanthius trigesimus sextus Generalis declaratus, receptusque fuit, & in ejus locum Pisas mittitur ad legendum M. Dominicus Sylvanus Florentinus. Quibus peractis Jacobus Romam profectus, ad pedes sanctissimos Papæ post benedictionem, facultatem accepit omnia illa supplendi, quæ vel per Comitia provincialia, vel per Capitulum Generale ordinanda forent. Qua in re etiam M. Aurelius Menochius de Bononiâ rursus in Procuratorem Ordinis confirmatus fuit, cum quo simul, & cum M. Anselmo de Cotoneo sibi adiunctis eliguntur pro Venetâ Provinciâ M. Cyprianus Verardus de Brixiâ Provincialis, & P. Laurus de Venetijs Socius, & ita de alijs eligendis factum est, præcipuè in illis Provincijs, quę ob ingravescentem epidimiæ morbum congregari non possent. Singulorum verò nomina hæc sunt MM. Lucas de Lucâ Socius, & Eliseus Biffolus de Flor. Provincialis Thusciæ, MM. Gilibertus de Aquipendio Socius, Joannes Baptista de Burgo S. Sepulchri Diffinitor, & Antonius Fuccius de eodem Burgo Provincialis Patrimonij, P. Salvator de Butrio Socius, & M. Cyrillus Francus de Bononiâ Provincialis Romandiolæ. M. Nicolaus de Castelletto Socius, & M. Archangelus de Rhegio Provincialis Lombardiæ, M. Paulus de Tarvisio Provincialis confirmatus Marchiæ Tarvisinæ, M. Archangelus de Terdonâ Provincialis Genuæ; M. Nicolaus de Aretio Provincialis Regni; P. Michael Basi Provincialis Narbonensis. Itidem quoque factum in illis Cœnobijs, ubi vel confirmare, vel denuò creare Priores oportuit.

Jacobus Tavanthius Florent. 36. Gen.

P. Octavius de Bononia Poeta, & Orator.

Agebat tunc Romę insignis quidam Poeta, & Orator P. Octavius Cæsarius de Bononiâ cujus extat adhuc oratio gratulatoria habita tertio Kal. Augusti in Conventu S. Mariæ in viâ ob novum Jacobi Generalis adventum; qui etiam gesta B.P.N. Philippi hetrusco carmine cecinit, & multas alias hujusmodi orationes, & poemata sub prælo edidit. Quo etiam tempore Felicianus Amuccius è suâ sede Archiepiscopali Romam concesserat, & post Sanctorum pedum Gregorij oscula ad proprios lares profectus, Narniæ languescere cœpit, inde Capitoni inter suos affines extremum vitæ diem persolvit, in eâ Parochiali Ecclesiâ honorificè tumulatus, cujus tamen Monumentum marmoreum in Ecclesiâ nostrâ Narniensi ad perpetuam rei memoriam Mag. Prosperus Boncambius in hæc verba apponi curavit.

Mors Feliciani Archiep. Aven.

Magistro Feliciano Capitono Narnien. Ord. Serv B. M. V. Archiep. Avenionensi à Pio V. Pont. Opt. Max. creato, Concionatori eloquentissimo, Carolo IX. Francorum Regi gratiss. in omni virtutum, & disciplinarum genere eruditiss. qui adversus hæreses egregium volumen scripsit, tamquam de Ecclesia benem. F. Prosperus Boncambius S. T. D. posuit, an. sal. MDCXI.

De Feliciano plura passim inter hos Annales dicta sunt, præter illa quę P. Justus Navius de Verona in pręclarâ suâ Oratione de laudibus Oratorum nostri Ordinis satis abunde in Comitijs Faventiæ habitis 1564. ac demum præconia illius ex ipso Pocciantio in Chron. satis diffusè habentur.

Jacobus Tavanthius Generalis tum instituendo novo Sacello pro reliquijs B.P.N. Philippi, tùm Ordini amplificando operam navat.

C A P. X.

AD pedes Summi Pontificis Gregorij profectus publicam sui Ordinis calamitatem ex jugi pestilentiæ duratione deplorans, consilium a Sum. Pont. efflagitat, quomodo in tanto rerum discrimine posset Religionem suam administrare, quam nullo modo præsens visitare posset, omni viarum undequaque, & civitatum aditu præcluso, cui Gregorius plenam impertivit facultatem, ut quod præsens non posset, per literas, & alios ministros implere curaret. Unde opus fuit per singulas ferè Provincias, aut præteritos confirmare Superiores, aut in eorum defectu novos præficere. Idcirco P. Generalis in Provinciâ Tarvisinâ Rectorem Provincialem instituit M. Hieronymum Qualnum, in Venetâ confirmavit M. Cyprianum Verardum de Brixiâ, in Mantuanâ M. Anselmum de Cotoneo Provincialem constituit, in Lombardiâ M. Nicolaum de Castelletto, in Genuensi M. Nicolaum de Scrofano, & ad Provinciam Narbonensem M. Alexandrum de Summaripâ in suum Vicarium generalem destinavit, qui in Capitulo Provinciali P. Michaelem Basi Præfectum Provincialem cōfirmavit. Per eos dies accidit Florentiæ, ut vir quidam .2. nomine Joannes ex longinquis partibus ad Templum S. Mariæ Annunciatæ eâ spe confugeret, ut cum diù oculorum cæcitate laborasset, ipsius gloriosæ Dei Matris intercessione liberaretur, nec frustra peregrinationem compleverat, quando Dei Genetricis

Miraculū illuminati Cæci Florentiæ.

tricis beneficio amissum, diuque optatum lumen in ejus Sacello recepit, monens unumquenque, si in quavis tribulatione constitutum se reperiat, quomodo salutem sperare possit. Interea Jacobus Gen. -3. Tudertum ad ossa B. Philippi veneranda se contulerat, ubi cùm comperisset ipsius aram, & Sacellum à temporibus Antonij Alabanti obsolescere, & quasi in cœno, & squallore jacere beata ossa illa, prætetitorum socordiæ providere cupiens, de novo construendo, exornandoque Sacello, ejusque reliquijs in decentiorem locum transferendis secum cogitare cœpit. Quare ab eo tempore per integrum biennium ex collectitijs oblationibus majus Sacellum argillâ, auro, picturisque exornari jussit: curâ datâ P. Honorato de Perusio, qui tunc erat Prior Tuderti. Cumque non posset præsens visitare loca Ordinis, nec præfatas eleemosynas colligere, M. Nicolaum de Castelletto per omnia Lombardiæ loca exactorem constituit per literas pat. Bononiæ datas die 12. Septembris. In Provinciâ verò Mantuanâ ejusmodi collectorem fecit M. Joannem Mariam Capellam de Cremonâ, qui Gulielmo Mantuæ Duci à Sacris inserviebat; & ut magis, ac magis ad id operis inflammarentur piorum corda, Vitam B. P. Philippi ipsemet per otium collegit, & vernaculâ linguâ evulgavit. Nec minori studio curabat Tavâthius Religionem extra Italiam, & præcipuè per Hispanias propagari, ac subinde occasionem nactus quorundam Hispanorum, qui Habitum B.M.V. exposcebant, illos sic indutos ad illas oras transmisit, [quemadmodum superiùs diximus Cap. VIII.] & cum eis primarios quosdam per varias Provincias suos Vicarios ad nova acquirenda loca destinavit, cujusmodi fuerunt P. Franciscus Scerda Valentinus Vicarius Gen. in Regno Valentiæ, & Confessarius Monialium Molvedri, & P. Gregorius de Spinosâ Vicarius Generalis in Regno Aragoniæ, unà cum PP. Bartholomæo Rodriglio & Alphonso Campos Sacræ Theologiæ Doctore suis concivibus; necnon PP. Ferdinandus, Antonius, Philippus, & Rodriques, quibus P. Generalis literas dedit ad Archiepiscopum Valentinum D. Joannem de Riberâ, in quibus originem narrabat Religionis Servorum, quam propagari cupiens in illis regionibus, illuc mittebat illos Patres, ipsum in Domino rogans, ut benignè eos amplecti vellet. P. verò Emmanuel Tavera Lusitanus ex Sodalitio quodam Jesuitarum, quem Everardus Mecurianus Præpositus Gen. ut B.M.V. Habitum sumeret, liberè dimiserat, ad Regnum Portugalliæ destinatus fuit, simul cum PP. Luctetio, Martino Pereirâ, & Ferdinando Sahavedrâ Hispalensibus, [quos ad Habitum Servorû B.M.V. P.M. Arelius de Bononiâ in Romanâ Curiâ Procuratot ejusdem Ord. Servorum receperat.] Per Italiam jugiter plures Ordinis beneficos, & Patronos per literas pat. in benevolentiam

Sacellum B. Philip. Tuderti renovatur.

Jacobus Gener. dilatâdi Ord. per Hispanias curâ gerit.

A Religionis augere, & præcipuis privilegijs confirmare satagebat; nam literas communicationis privilegiorum spiritualium D. Juliæ de Medicis Octaviani Baronissæ, ut ad locum S. Laurentij fundandum excitaret, Neapoli dedit an. 1577. die 26. Decemb.: parì quoq; solicitudine ejusdem generis literas concedit D. Gulielmo, & cæteris Dominis familiæ Pusterlæ, & D. Lauræ Stampæ de Como, D. Beatrici Stanghæ Ponzoniæ Dominæ Castelletti, DD. Comiti Paulo de Sesso, & Gentile de Razisis conjugi de Veronâ; D. Federico Cathaneo de Mantuâ. DD. Herculi de Vicecomitibus, Uxori, Natis, Matri, & familiæ. D. Felici Novello Episcopi Perusini Secretario. DD. Comiti, & Equiti Camillo Vizanio, Isabettę Blanchinæ, & natis.
B D. Helenæ Bentivoliæ uxori D. Jasonis Villacij, & filijs. D. Deiphebo Marchioni Sotaneæ. D. Isabellæ Paliavicinæ, & liberis. DD. Marchionibus Ludovico, & Battiano de Belgioso, necnon D. Barbaræ Trivultiæ, & Barbianæ conjugibus, filijs, & filiabus, & alijs plerisq, brevitatis gratiâ dimittendis. Ijs ipsis diebus eodem morbo grassante multa de præcipuis Patribus nostris improba mors spolia retulit, ex quibus non videntur silentio prætereundi præclariores, qui ad nostram notitiam pervenerunt. Mortuus est enim Bardij M. Dionysius de Butrio, Venetijs Mag. Raphael Maphæus, qui varia ingenij sui monumenta posteris reliquit, scripsit enim tres libros de Oratore Christiano, unum de
C modo confitendi, sermones varios, duos libros de tebus quadragesimalibus, sermones de Sanctis per totum annum, expositionem super epistolas ad Galatas, & Judæ Apostoli, quo commentario graphicè hæreticorum ingenia descripsit, enarrationes in psal. aliquot, Panegyricum Mantuanorum; Comment. in Historiam Ordinis Servorum; de vitis illustribus ejusdem Ordinis; de scriptoribus item Veneris, qui anno 1570. Venetijs prodierunt. Et M. Lucas de Lucâ Socius Tuscia dum ibi concionatetur. Perusij Mag. Nicolaus Alphanus senio confectus. Florentiæ Mag. Seraphinus Pescius Prior D. Annunciatæ, cujus vita, si longior fuisset, præclarum de se specimen in concionando per uni-
D versam Italiã reliquisset. Ticini M. Bartholomæus de Setavitiâ Theologus insignis, sed in explicandis Mathematicis nemini inferior, quippe qui primus omnium Ticinensem Mathematicarum Cathedram multos annos tàm plausibili famâ sustinuit, ut quotãnis ejus ephemerides, etiam post mortem à cunctis studiosis summoperè desiderarentur. Scripsit de naturâ Planetarum, & Commentaria in Euclidem, cui in eadem Lecturâ successit M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ eandem Cathedram ad hanc nostram diem an. 1622. retinens.

Participationes bonorũ spiritualium multis conceduntur.

Patres præclari morbo consumpti.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 *EX Regesto ejusdem Gen.*
2 *Auctor tabulam hujus miraculi in vestibulo hujus Ecclesiæ vidit.*
3 *Ex eodem Regesto.*
4 *Habentur m. s. in Bibliothecâ Pisis à Patribus Florentinis erectâ.*
5 *Ex eodem Regesto.*

Supplicationibus Jacobi Gen. Gregorius Pontif. Max. vetera Ordinis privilegia confirmat.
CAP. XI.

JAcobus Generalis infracti animi, & perpetui laboris vir egregius, & suo muneri sedulò invigilans, die, noctúque pro nostro Ordine extollendo potissimùm satagebat. Româ igitur discessurus, ut tandem pestilentiâ cessante universam Italiam peragrando inviseret, iterum ad pedes Pontificis pro benedictione accessit, & de speciali dono gratiæ approbationem veterum sui Ordinis privilegiorum per apostolicas literas sequentis tenoris impetravit. .1.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla confirmationis privilegiorum Ordinis

DUm ad uberes, quos sacri Mendicantium Ordines in agro Dominico quotidie faciunt fructûs, attentâ mente respicimus, & diligenti indagine perscrutamur, quàm mirabilem sese Deus ostendat in illis, per voluntariam paupertatem Mundum, vigiliis carnem, & orationibus Dæmonem acerrimum humani generis hostem superando, non possumus omni favore, & spiritualibus gratiis ex thesauro Domini, cui Divinâ providentiâ præsidemus, eosdem benignè non prosequi, ac locupletare, in quorum numero cùm Ordo Servorum Beatæ Mariæ Virginis sub felicis recordationis Gregorio Papâ Nono, Spiritu sancto inspirante, & Beatâ Dei Genitrice operante initium sumens, & deinde ab Alexandro IV. Urbano IV. Clemente IV. prædecessoribus Nostris connumeratus, approbatus, H *& confirmatus, & variis privilegiis, facultatibus, indultis, & gratiis jampridem decoratus, quotidie in vineâ Domini verbo, & exemplo, jejuniis, orationibus, vigiliisque plurimùm laboret, paternâ charitate amplectendum à Nobis, & specialibus, spiritualibusque gratiis tam temporalibus, quàm spiritualibus, necnon Indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum relaxationibus, ac remissionibus prosequendum esse censemus, ut antiquis exemptionibus, indultis, immunitatibus, libertatibus, & gratiis eidem Ordini Servorum olim concessis Nostrâ accedente auctoritate confirmatis, approbatis, sublatis quibuscunq; impedimentis possint Servitæ Fratres, & singuli etiam Christifideles statutis die-* E *bus eò libentiùs ad Ecclesias Servorum convenire, & orationi ferventiùs incumbere, & reliqua Christianæ fidei opera sedulò exercere, quò se cœlestis gratiæ dono conspexerint ubertùs esse refectos. Quâ de re dilectus filius Jacobus Tavanthius Florentinus Sacræ Theologiæ professor, ac nostrâ auctoritate ejusdem Ordinis Servorum Generalis Prior, supplex ad pedes Nostros postulavit, ut præmissa omnia confirmare, & approbare, ac Indulgentias, & peccatorum remissiones, & relaxationes Christi fidelibus, in quibus clausula porrigendi manûs adjutrices, ac elargiendi eleemosynas continerentur, pridem revocatas, extra eam clausulam, Christi fidelibus, aliâ formâ easdem consequendi præscriptâ, revalidare, approbare, & confirmare* F *Apostolicâ benignitate dignaremur. Nos igitur eundem Ordinem Servorum specialibus favoribus, & gratiis prosequendum, ac eundem Fratrem Jacobum Tavanthium ejusdem Ordinis Priorem Generalem, & dicti Ordinis singulas personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum seriè absolventes, & absolutos fore censentes, ac exemptionum, privilegiorum, Indulgentiarum, libertatum, indultorum, & gratiarum quarumcunque eidem Ordini Servorum concessarum tenores, præsentibus pro expressis, ac de verbo* G *ad verbum insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, indulta, libertates dicto Ordini, illiusque Ecclesiis, ac domibus, ac ab illo dependentibus locis concessa, quatenus sint in usu, & sacris canonibus, ac Concilio Tridentino non contraria, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, inviolabilisque firmitatis robur adjicimus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Indulgentias verò per suprascriptos Romanos Pontifices, vel à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatis cum dictâ clausulâ porrigendi manûs adjutrices, aut eleemosynas concessas, & per felicis recordationis Pium Papam Quintum etiã* H *prædecessorem Nostrum revocatas, demptâ eâ clausulâ, ita tamen, quòd hi Christifideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando sint contriti, & confessi, & communicati, ac loco eleemosynæ prædictæ juxta prædecessorum Nostrorum voluntatem erogandæ, septies orationem Dominicam, totidemque Salutationem Angelicam recitent, vel Vesperas pro Defunctis, aut ante Sanctissimum Domini nostri Jesu Christi Corpus terram exosculentur, ac pro hæresum extirpatione, sanctæq. Matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace, & unione pias ad Deum preces effundant, & aliâs juxta Prædecessorum Nostrorum literarum seriem moreat, aliaque peragant, in pristinum,*

num, & eum, in quo ante revocationem hujusmodi erant, statum restituimus, ac revalidamus. A *Decernentes præsentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut derogationibus similium, vel dissimilium privilegiorum, gratiarum, Indulgentiarum, & aliarum quarumcunque concessionum nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, censerique debere, ac de subreptionis, vel obreptionis vitio, & intentionis Nostræ defectu notari, aut impugnari non posse, sed præsentes validas semper, & efficaces existere, ac perpetuò suffragari, sicq. & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque Judices, & delegatos, quâvis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane quicquid secus super hisà quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabilibus Fratribus Maceratensi, & Ariminensi Episcopis, & dilecto Filio causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Jacobi Tavanthij Prioris Generalis, vel Fratrum dicti Ordinis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate Nostrâ Jacobum Tavanthium Priorem Generalem, Ordinemque prædictum, & alios, quos dictæ Nostræ literæ respiciunt, confirmatione, approbatione, revalidatione, alijsque præmissis iuxta petentium continentiam, & tenorem pacificè frui, & gaudere: Non permittentes eundem Jacobum Tavanthium Priorem Generalem, & alios quoscunque indebitè molestari, perturbari, & inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis sè opponentes, vel non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus similis memoriæ Bonifacij Papæ Octavi de unâ, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres leucas, vigore præsentium, ad judicium non trahatur, ac quibusvis Apostolicis in provincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, privilegijsque & indultis quibusvis in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus. Contrarijs quibuscunq; Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolicà sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Cæterùm, quia difficile foret præsentes literas circumferri, volumus præsentium exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac dicti Ordinis Generalis Prioris, vel Ordinis sigillo obsignatis eandem prorsus fidem in judicio, & extra haberi, quæ præsentibus exhiberetur ubiq; gentium, & locorum adhiberetur.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XX. Aprilis MDLXXVIII. Pontificatûs Nostri Anno sexto.

B Attentis quoque selectæ quorundam juventutis studijs, & laboribus, quibus aut laurea bacca, aut Magisterium debebatur, & per intermissa Comitia generalia fuerat interceptum, à Summ. Pontifice obtinuit .2. ut in quâlibet Provinciâ duos Baccalaureos, & totidem Magistros creare posset. Quibus gratijs optimus Pater cumulatus, post acceptam benedictionem, solicitus, & hilaris totum ferè Ordinem per Italiam citato cursu lustravit, & præcipuè Mediolani de rebus illius Provinciæ cum S. Archiepiscopo Carolo Borromæo diligenter egit, cujus deinceps perpetuam benevolentiam assecutus est. His proximè gestis Tavanthius Romam reversus, cùm domesticam sui Florentini Cœnobij administra- C tionem, quam satis œconomicè introduxerat olim * ad preces Angeli primi Aretini Leo Sum. Pontif. circa quindecim Patres discretos, sensim antiquari prospexisset, rursus de renovando ejusdem Cœnobij gubernio, tum circa rerum, tum morum administrationem cum Summo Pontif. egit, à quo Apostolicas literas impetravit Priori, & Patribus ejusdem Conventûs Annunciatæ directas, in quibus mirificus ordo publicæ rei gubernandæ pro eo Cœnobio continetur, sub datum Romæ apud S. Petrum die 22. Novembris 1578. Quarum tenor tantæ auctoritatis postmodum fuit, ut etiam novæ Constitutiones Ordinis cap. ultimo plurimùm deferre videantur.

* anno 1516. v. Cent. 3. l.5.c.23.

D *ANNOTATIONES IN CAP. XI.*

1 *Bulla habetur inter res sacras Conv. Annunciatæ de Florentiâ.*
2 *Ex Regesto ejusdem Generalis.*



Referuntur Privilegia pro Ecclesiâ D. Annunciatæ de Florentiâ, & pro ex-Generalibus, necnon origo quorundam Conventuum.
CAP. XII.

Indulg. pro Eccl. D. Annunciatæ de Flor.

SUmmus Pontifex Gregorius XIII. pro singulari suâ erga Jacobum Tavanthium Ordinis nostri Priorem Generalem benevolentiâ plura sanè eidem Ordini privilegia indulsit hactenus recensita, quibus modò adijcere licet, & alia tum Ecclesiæ D. Annunciatæ de Florentiâ, tum alijs ejusdem Ordinis concessa. In primis Altare privilegiatum pro Animabus Defunctorum in Ecclesiâ prædictâ D. Annunciatæ concessum fuisse dictum est ad annum 1576. quod pariter alijs Ecclesijs pari benignitate indulsit. Verùm hoc anno 1578. Ecclesiæ prædictæ de Florentiâ, quam summâ veneratione prosequebatur, Indulgentias plenarias perpetuò concessit, prout constat ex Literis Apostolicis sequentis tenoris.

GRegorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Dum præclara meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum Virgo Maria Dei Genitrix sedibus prælata sydereis, quasi Stella matutina perrutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, quòd ipsa est . . . . . . Mater misericordiæ, & pietatis, amica humani Generis consolatrix, pro salute Fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula exoratrix ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potiùs debitum reputamus, ut Ecclesias ad laudem sui nominis dicatas indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterij Annunciatæ Florentinæ Ord. Fratrum Servorum in debitâ veneratione habeatur, ac à Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsique Christifideles eò libentiùs devotionis causâ ad illam confluant, quò ex hoc dono cœlestis gratiæ uberiùs conspexerint sese esse refectos, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, confessis, ac Sanctissimâ Communione refectis, qui d. Ecclesiam in Purificationis, Annunciationis, & Assumptionis ejusdem B. M. V. Festivitatibus, & earum singulis à primis Vesperis usque ad occasum Solis earundem Festivitatum annuatim devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, Hæresum extirpatione, Sanctæque Matris Ecclesiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò concedimus, & elargimur, contrarijs non obstantibus quibuscunque.

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Decembris 1578. Pontificatûs nostri anno septimo. *Cæ. Glorierius.*

Privilegia pro Ex-Generalibus.

Ex eo quòd in Constitutionibus Ordinis Servorum Romæ impressis anno 1556. & Florentiæ anno 1569. decretum, appareat, quòd habeatur honesta ratio illius, qui munere Generalatûs perfunctus fuerit, Angelus Morellius de Aretio, qui Præfecturam hanc administraverat usque ad annum 1576. quo Tavanthius in eâdem successor, ut diximus, electus fuerat à Summo Pontifice, vel quivis alius ab Alexandro Cardinali Farnesio Protectore petierat, ut quâ potiebatur auctoritate explicaret, quænam in specie honesta ratio habenda foret de viris hujusmodi, qui Generalatûs munere perfuncti fuissent, & maximè num tradere ipsis liceret Conventum aliquem ab ijsdem eligendum, & liberè, quandiu viverent, administrandum. Itaque Cardinalis, ut eo, quo decebat, ordine procederet, de hac re Generalem Tavanthium primò consuluit, ut sibi quidquid in Domino expedire videretur, ingenuè significaret, quod sanè præstitit, sicut & præstitere Socius Generalis, Provincialis, & Definitores Provinciæ Thusciæ, quemadmodum constat ex Literis ultrò citròque datis anno 1577. ex ejusdem Tavanthij Regesto pag. 12. collectis, quæ sunt sequentis tenoris.

Extra

Al Molto Rev. P. Il Generale dell' Ordine de' Servi.

Intus

Molto Rev. P. Generale.

*PArendoci poco conveniente per tutti i rispetti, che un Generale doppo che egli hà finito il suo Triennio torni Frate privato, come era prima, e resti sotto libertà de' Priori, & altri Officiali del Convento, dove egli si trova, con poca, e niuna dignità della Religione, avemo pensato, che sia bene dichiarando quelle parole della Constituzione, * che vuole, che illius habeatur honesta ratio; d' assegnarli un Convento, nel quale egli abbia, finchè vive, la suprema autorità con quel rispetto, e prerogativa, che si deve ragionevolmente a chi ha governato una volta tutto l'Ordine, siccome anche ci vien detto da' Cardinali instrutti di ciò, che si costuma nell' altre Religioni ben instituite, che hanno il Generale a tempo. E però ci pareva ragionevole di dovere assegnare nel sopradetto modo al P. M. Angelo d' Arezzo Generale passato il Convento d' Arezzo sua Patria, dove egli potesse riposarsi onestamente questo resto della vita sua in caso, che alla Religione, ò a Noi non tornasse bene valersene ad altro. Ma non ci siamo risoluti à farlo, se prima non ne intendiamo il parere di V. P., la qual desideriamo, che ce ne dia avviso quanto prima pienamente, nè avendo riguardo alcuno, che ella si ritrovi quasi nella medesima causa, ma secondo il giusto, e l' onesto, e la dignità della sua Religione. E il Signore Iddio la conservi, e prosperi.*

* V. Const. impressas Romæ an. 1556. & Florentiæ anno 1569.

Di Roma il primo d' Aprile 1577.

Tutto di V. P. Il Card. Farnese.

Rispo-

Risposta del P. Generale.

Illustrissimo, e Reverendissimo mio Sig. sempre Colendissimo Sal.

LA dichiarazione di quel luogo delle nostre Costituzioni: habeatur honesta ratio illius *fatta da Lei, se a nissuno Padre dell'Ordine nostro debba piacere, à me doverebbe essere carissima per essere Figlio, e Professo della prima Casa, che abbia l'Ordine nostro. Nondimeno perchè Ella mi commette, che senza riguardo alcuno io li dica l'animo mio, dirò (e mi perdoni) liberamente quanto io sento in simil caso. Che s'abbia rispetto à chi depone questo officio del Generalato è cosa ragionevole, ma qual debba essere, questo è difficile à ritrovarlo; mi piacerà, che chi averà deposto il Generalato abbia la precedenza sopra tutti gl'altri Maestri ancorchè fossino Priori, e che dal Generale, che attualmente è in offizio, e il Procurator dell'Ordine in fuora, precedesse tutti gl'altri. Del darli un Convento à sua amministrazione finchè egli vive, questo non piace à molti, e avendo chiesto io di già parere a Padri, e alla Provincia di Romagna, e di Toscana, non pare, che se ne contentino, atteso che facilmente per l'avvenire potrebbero quattro, ò sei de primi Conventi, che abbia l'Ordine essere sotto governo particolare, e non sotto l'obedienza del Generale. Io gli hò detto così liberamente il parer mio; Lei è Padrona di me, e della Religione, determini come gli piace. E quanto al P. M. Angelo à me averà ogn'abilità ragionevole, e giusta. Dio la conservi, e feliciti, ed esaudisca l'Orazioni, che per tutto'l nostro Ordine continuamente si fanno per lei.*

Di Fiorenza li 20. Aprile 1577.

Di V.S. Illustris., e Reverendiss.

Umil Servidore
F. Jacopo Generale de Servi.

Lettera de'PP. Definitori di Toscana al medesimo Sig. Cardinale Farnese Protettore.

Illustris., e Reverendiss. Monsignore.

GRan fastidio aviamo preso intendendo dal nostro P. Generale, mentre eravamo congregati per fare gl'Officiali della Provincia, che non provedessimo alla Casa d'Arezzo, atteso che il P. M. Angelo Aretino aveva messo in consideratione à V.S. Illustrissima, e Reverendissima quella particola: habeatur illius honesta rat o; *perchè d. P.M. Angelo non solo vorrebbe la superiorità sopra gl'altri, ma anche un Convento in Commenda. La cagione del fastidio nostro è, che un nostro Toscano abbia voluto cercar quello, che non hanno fatto tanti Generali anteriori à lui, quali fuggendo l'ambizione si sono contentati star nelle lor Case senza questi pensieri. A noi par duro, non attendendo solo al presente, ma al futuro, che la Religione nostra poverissima di Conventi n'habbia à dare uno per*

A *uno à chi esce di Generale; e dovendolo eleggere loro medesimi si può pensare, che piglieranno i migliori, d'onde viene avvilita l'autorità del nuovo Generale, dannificate le Case, rovinati i Monasteri, e si farà contro le nostre Leggi, le quali non vogliono, che i Monasterij si diano in commenda à nessuno,* ne transeant Loca nostra in alienum jus, *dimodochè questa Religione, che è la più povera di facoltà, e di Case, in brieve tempo diverrà mendica. A Noi non piace (sia sempre detto con quella riverenza, che dovemo) lasciando à V.S. Illustrissima, e Reverendissima di far quanto gli piace, sappiamo bene che sono alcuni di noi, che non sono tanto vecchi, che non abbino à vedere la manifesta rovina di questa nostra Religione, quando questo segua. Della superiorità, che egli brama, si*
B *parrà strano à quei Padri nostri qualificati, onorati, e vecchi più di lui, ce ne rimettiamo, se ben vediamo, che farà odibile, tanto più che egli è il sesto Generale doppo la Legge triennale, e voglia far conto di quello, che altri non si sono curati. Ci è parso dire il nostro animo à V.S. Illustrissima, e Reverendissima, come à Protettore amorevolissimo, e oculatissimo di questa povera Religione, rimettendoci però di tutto quello, che à lei piacerà. Intrattàto seguiremo a far Orazioni per l'esaltazione di V.S. Illustrissima, e Reverendissima.*

Di Fiorenza il dì 22. d'Aprile 1577.

Di V.S. Illustris., e Reverendiss.

C *Servitori Obligatissimi*
Io M. Luca Sozio Generale confermo ut supra.
Io M. Eliseo Biffoli Provinciale di Toscana confermo ut supra.
Io M. Serafino Posci primo Definitore confermo quanto è scritto.
Io M. Lelio Baglioni secondo Definitore confermo quanto di sopra.
Io F. Vincenzo Ciri da Siena terzo Definitore confermo quanto di sopra è scritto.
Io F. Christofan da Pistoja quarto Definitore confermo quanto sopra.

Ex eodem Regesto pag. 163. intelligimus, quòd eodem anno 1578. die 14. Aprilis Pa-
D tribus Vocalibus Provinciarum Venetæ, & Mantuanæ Sermeti congregatis ad celebrandum Capitulum denunciavit P. Generalis omnibus, & singulis, rogavit, & adhuc in virtute salutaris obedientiæ præcepit, ut si quis illorum sciret, aut memoriâ teneret, vel in scriptis haberet particularia, & regularia quædam instituta arctiora, quàm sint in Constitutionibus communibus totius Ordinis, eadem Priori Generali significaret, qui eorundem observantiæ ex animo incubuisset, nedum in hujus Capituli celebratione, sed in singulis Ordinis Conventibus, quâ factâ denunciatione, dimissi prædicti PP. omnes, Prio-

Deliberatio quoad circa Provincias Venetæ, & Mantuanam.

Priore Generali absente, simul inter se convenere. Deinde habito consilio Socij, Rectores Provinciarum, Magistri, & Baccalaurei ad Generalem accedentes significaverunt, nihil ipsis tunc esse, quod arctiùs præcipiendum esse videretur, sibique mentem potiùs esse, quòd nihil innovaretur, tum quia Magistri quidam illarum Provinciarum non aderant, tum quia rem hanc ad Comitia Generalia referendam esse censebant. Hic autem referre pariter juvat ex eodem Regesto pag. 113. vel 163. quòd in Capitulis Provincialibus prædictarum Provinciarum fieri consueverat Processio per Urbem, & solemnis celebratio Missæ de Spiritu S. in Ecclesiâ Cathedrali.

Recolenda modò sunt nonnulla Cœnobia hisce temporibus Ordini Servorum concessa. In primis in præfato Regesto inter Priores Provinciæ Narbonensis descriptum apparet anno 1577. Cœnobium S. Joannis de Podio Tertij, & in eo fieri dicitur Capitulum Provinciale, cui præfuerit tanquam Vicarius Generalis illius Provinciæ P. M. Alexander Vinea de Summaripâ. Anno autem 1578. Communitas Oppidi cujusdam, quod vocant *de Castinis di strada* Diœcesis de Aqui, sacram quandam ædiculam sub Tit. S. Mariæ Gratiarum propè, & extra Oppidum positam, Episcopo annuente, Ordini Servorum concessit, ejus nomine recipiente P. M. Archangelo de Terdonâ in Provinciâ Genuensi. Cùm autem B. V. intercessione admiranda quàmplurima operaretur Altissimus ibidem ad augendum Matris suæ honorem, & ad Christifidelium utilitatem, PP. nostri piorum eleemosynis quàmcitissimè, & quàmfacillimè Ecclesiam conspicuam construxere unà cum Cœnobio eorundem Patrum usui valde accommodato, cui sanè operi plurimùm contulit quidam P. Jacobus de Cassinis. Eodem Anno Locus alter Ordini Servorum accessit in Provinciâ Neapolitanâ, vel saltem circa hæc tempora, non enim explorarum habere adhuc licuit, quo anno præcisè accesserit.

Conv. S. Jo. Bapt. de Podio Tertij.

Conv. S. Mariæ Gratiarum de Cassinis.

In Agro Nolano ad radices Montis Vesuvij Terra quædam est ab Octaviano Imperatore nuncupata, quippe qui ad animi sui voluptatem, tanquam in sui Delicio ibi frequentes diversari consuevisse perhibetur. Hac potiebatur tanquam Regis Feudatarius Bernardettus Medices Frater Germanus Alexandri Cardinalis Medices, qui deinde Summus Pôtifex Leo XI. nuncupatus fuit, postmodum verò eo vitâ functo D. Julia pariter Medices illius Conjux pro suâ erga Ordinem Servorum devotione Ecclesiam ibi sub Tit. S. Laurentij erexit, & Cœnobium pro Patribus excitare cœpit à fundamentis, annuis quoque proventibus, prout opus erat, assignatis, Locum hunc nomine Ordinis recipiente P. M. Joanne Baptistâ Myrto illius Provinciæ Præfecto. Recensendi denique sunt ex eodem Regesto Tavanthij ad annum 1579. Conventûs S. Mariæ de Viterchiano in Provinciâ Romanâ Conventui nostro de Viterbio unitus, cæteroqui longè antiquior, quippe quem in Regesto Generalis Milliovacca descriptum legimus ad annum 1564. ubi pariter descriptos habemus Conventûs Civitellæ, & Montis Fani; qui duo tamen ultimi, alij esse videntur ab iis, quos modò tenet Ordo Servorum in Provinciâ Romandiolæ, & Mantuæ; hos enim illis posteriores esse patet ex dictis ad annum 1575. & ex dicendis ad annum 1673. Prætereà Conventûs S. Salvatoris de Catinulâ, & S. Mariæ de Olivellâ S. Eliæ in eadem Provinciâ Neapolitanâ.

Conv. S. Laurentij de Octaviano.

Conv. S. Mariæ de Viterchiano, de Civitella, de Monte Fano, de Catinulâ, & de Olivellâ S. Eliæ.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

Quæcunque referuntur in hoc Cap. colliguntur è monumentis illorum Conventuum, & alijs in eodem Capite allegatis.]

De celebri Capitulo Gener. Parmæ, & Jacobi Tavanthij confirmatione. CAP. XIII.

Optatus tandem generalium Comitiorum dies advenerat, quo Patres post tot contagiosæ mortalitatis discrimina sui Pastoris præsentiâ frui possent, & Pastor vicissim suas oves agnoscere valeret. Nam Jacobus Gen. anno elapso cum Alexandro Protectore egerat, ut commodiùs Parmæ, quàm alibi conventus Fratrum diù intermissus haberetur; cui etiam Octavius Farnesius Placentiæ, & Parmæ Dux, tum ut fratri suo morem gereret, tùm ut propriam munificentiam in hunc Ordinem ostenderet, libentissimè annuit. Horum verò omnium egregius præco voluit esse Ipsemet Generalis, qui per illam Quadragesimam in Cathedrali Parmæ Divinum verbum, summâ Parmensium expectatione, suis doctissimis concionibus explicavit. Nec defuit Summus Pont. Gregorius favorabili Indulgentiarum gratiâ optatis nostris pro illo Capitulo respondere. Horum verò Comitiorum rerum copia, Fratrum numerus, Sacrorum rituum, & doctissimorum Virorum publicus apparatus, vetera illa antiquorum Capitula æquarunt, in quibus & nos, post primum studiorum tyrocinium, partem aliquam pro nostrâ tenuitate habere meruimus. Decreverat igitur Jacobus singula tam appositè, tam ordinatè fieri, ut à die Resurrectionis usque ad diem Sanctissimæ Trinitatis, nullus prætermitteretur dies festus, in quo duplex concio in propriâ, & in Cathedrali Ecclesiâ, & singularis disputatio non haberetur. Nam Dominicâ in Albis M. Alexander Gianlùs de Scandiano concionem in Cathedrali, cui etiam summa rerum ejusdem Capituli, tanquam Generali Vicario commissa fuit, & M. Hyppolitus Massatinus Lucensis Regens Ferrariæ primam Cathedram habuit, respondente sub eo Fratre Prospero

Conciones, & disputationes in comitijs gen. Parmæ.

spero Roffetto Florentino. Kal. Maij M. Cornelius de Senis pro concione, & M. Franciscus Maria Bardellius Florentinus Regens S. Joseph Cathedram sustinuit. Dominicâ secundâ M. Cornelius Peracinius de Pistorio Concionatus, & M. Joannes Baptista Michol-la Regens Mediolani theoremata tutatus fuit. Dominicâ tertiâ M. Nicolaus de Aretio pro suggestu, & M. Anselmus Setus de Perusio Regens Cathedram ascendit. Dominicâ quartâ idem Mag. Anselmus concionator, & Angelus Maria Monturlius Regens Florentinus Commentarium, quem edidit in primum Sententiarum plurimis ex suis discipulis respondentibus, Octavio Farnesio Duce praesente, egregiè defendit: respondentes verò fuerunt FF. Hieronymus, & Dionysius de Florentiâ, Angelus Maria Politianus, Augustinus Lucensis, Dionysius Burgensis, & Petrus Franciscus Barberius de Placentiâ. Idem quoque Regens feriâ secundâ, & tertiâ subsequentibus, & eundem Commentarium sustinuit, & theorematibus FF. Hieronymi, & Dionysii praedictorum de Florentiâ assistens fuit. Dominicâ quintâ M. Apollonius Painius de Bononiâ pro concione, & M. Laelius Balleonius de Florentiâ Regens Senarum pro disputatione statuti suum munus exequuntur. Jam ad 7. Kal. Junij completis ejusmodi literatorum hominum praeludijs Capitulum generale institutum est, in quo qui suffragia ferrent hi fuerunt, MM. Augustinus Goruccius de Aretio Diffinitor Thusciae, Hieronymus Floridus de Perusio Diffinitor Romae, Joannes Baptista Librantius de Butrio Diffinitor Romandiolae, Paulus de Tarvisio Diffinitor Marchiae Tarvisinae, Joannes Baptista Michol-la de Mediolano Diffinitor Lombardiae, Cornelius Portus de Cotoneo Diffinitor Mantuae, Antonius de Castronovo Diffinitor Genuae, Cyprianus Verardus de Brixiâ Diffinitor Venetiarum, Ludovicus Medus de Aquis Diffinitor Narbonensis, Dominicus Sylvanus Socius Thusciae, Marcellus Raphaelius de Perusio Socius Romae, Cyrillus Francus de Bononiâ Socius Romandiolae, Theodosius de Cavacurtâ Socius Lombardiae, Gabriel de Venetijs Socius Venetiarum, Theodorus Oldroardus de Mantuâ Socius Mantuae, Julius de Veronâ Socius Marchiae Tarvisinae, Bartholomaeus Astensis Socius Genuae, Titus Nasius de Florentiâ Provincialis Thusciae, Joannes Mathiolus de Perusio Provincialis Romae, Augustinus de Veruculo Provincialis Romandiolae, Alexander Gianius de Scandiano Provincialis Lombardiae, Paulus Venerus Provincialis Venetiarum, Joannes Hieronymus de Cremonâ Provincialis Mantuae, Joannes Maria de Castrofranco Provincialis Marchiae Tarvisinae, Hieronymus Brunerius de Casellis Provincialis Genuae, Joannes Baptista Myrtus de Neapoli Provincialis Regni. Quibus in unum congregatis, & sacris servatis ritibus, Jacobus Generalis post piû, & omni affectu pastorali sermonem, è summo loco descendens, officio abdicavit, totâ potestate in primum Diffinitorem collatâ; deinde literis Cardinalis Farnesij praemissis, lectum fuit Apostolicum diploma, quo non obstantibus Constitutionibus liberum Jacobo Tavanthio fiebat, & Electoribus concedebatur, ut rursus in Generalem eligi posset, quod & summâ omnium consensione, & Octavij Farnesij Ducis expectatione continuò secutum est. Electus igitur Tavanthius in Generalem summâ alacritate ad Ecclesiam ducitur, & post solemnem ei obedientiam â Patribus exhibitam, F. Prosperus Roffettus de Florentiâ ambonem ascendens, gratulatoriam de laudibus Jacobi Tavanthij orationem habuit, post Vesperas M. Paulus de Venetijs Octavio Duce praesente Cathedram sustinuit; postero die in vigiliâ Ascensionis horâ consuetâ M. Augustinus Goruccius de Aretio Regens Bononiae conclusiones de sex diebus Creationis (prima nostri ingenij rudimenta) defendit, nobis utcunq; ad argumenta respondentibus. In die Ascensionis, & in alijs ferijs Pentecostes alij primae notae praecones in Cathedrali concionati fuerunt, quemadmodum & alij plerique ex junioribus in Ecclesiâ nostrâ tùm conciones, tùm disputationes habuerunt, quorum memoriam non tenemus praeter unius Cyrilli Franchi publici Theologi Bononiae, qui eodem die Ascensionis egregium agonem in Cathedrali sustinuit, ubi etiam per suas vices M. Robertus, & M. Marcellus Raphaelius Perusini, & M. Nicolaus de Scrofano, & M. Anselmus Compagnonus de Mantuâ, F. Stephanus de Tradate eodem modo Divinum verbum explicarunt. Nobis quoque contigit Dominicâ infra Octavam Ascensionis inter eosdem juniores comprehendi, qui in Ecclesiâ nostrâ concionem habuerunt, Sermonem enim habuimus super illud, *Exivi à Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum*, mysticum Christi circulum pro nostrâ salute cum solari motu comparantes. Postremò solemni ritu in die Pentecostes Gen. cum toto Capitulo Sacra in Cathedrali celebravit, & inter Missarum solemnia M. Hippolytus Massarius de Lucâ luculentum de laudibus Parmensium cum summâ gratiarum actione sermonem habuit, Clero, Senatu, Populo, & Patribus nostris astantibus. Caeterùm quâ rerum affluentiâ Capitulum illud, tùm Ducis, tùm Senatûs, tum populi munificâ liberalitate abundaverit, supervacaneum esset nunc referre; superant enim haec omnia Scribentis calamum, & legentium opinionem. Quae verò in his Comitijs decreta fuerunt haec recensentur.

PP. Vocales. — *Jac. Tavanth. eligitur Gen.*

1 *Fiant per Reverendissimum Generalem, & Reverendos Procuratorem Ordinis, & inferiùs deputandos formulae literarum patentium, quibus omnes officiales uti teneantur, eaque imprimantur, & colligentur constitutiones.*

2 Fiat

2 Ftant etiam per eosdem Officium B. Mariæ die Sabbathi recitandum, & commemorationes Sanctorum Ordinis pecaliarium, & imprimantur simul cum Constitutionibus.

3 Imprimatur etiam Maremagnum Innocentij VIII. & confirmatio privilegiorum S.D.N.

4 Inserantur verba Bullæ reformationis inter verba Constitutionis proprijs Capitulis, prout res exposcit.

5 Ordo dignitatum Religionis sit iste. In Capitulo Generali, Prior Generalis: Procurator Ordinis in Romana Curiâ, Diffinitores Generales, Provinciales secundùm dignitatem Provinciarum, quarum hic sit ordo. Thuscia, Patrimonium, Romandiola, Lombardia, Marchia Tarvisina, Veneta, Mantuana, Genuensis, Neapolitana, Narbonensis, Corsica, & Sardinia.

6 Socius semper locum teneat post Provincialem, & etiam eo absente præcedat omnes alios, nisi contingat Provincialem alterius Provinciæ adesse, tunc enim ille immediatè stet post provincialem loci.

7 Magistri postquam Generales fuerint, habeant semper vocem in Capitulo Generali, & præcedant quoslibet Magistros etiam Seniores.

8 Socius, & Diffinitor sint Magistri in Theologiâ, habeatq; Socius à Provinciâ suâ pro subsidio, ut in visitationibus adesse possit, nummos aureos octo.

9 Baccalaureus Conventûs stet immediatè post Magistros, cæteri Baccalaurei non præcedant quinquagenario majores.

10 Vicarius Prioris teneat locum suæ professionis, nec habeat quicquam super alios pro vestimentis.

11 Ubi fuerint duo Ordinis Conventûs in eâdem Civitate, in publicis processionibus eant aut simul, aut separatim pro locorum antiquâ consuetudine.

12 Baccalaurei eligantur in Capitulo Provinciali illius Provinciæ, in quâ professionem emiserint, à Generali, Provinciali, Socio, & duobus Diffinitoribus Magistris, cæteríque duo Diffinitores adsint electioni, veluti testes, & antequam Baccalaurei eligantur, probentur validè per electores dictos per assignationem punctorum cum lectione, & disputatione privatâ, sicque probatos, atque electos Generalis teneatur Baccalaureos pronunciare; & propter hoc nulli studentium denegetur quovis quæsito colore accessus ad Capitulum.

13 Studentes deputentur in Visitationibus per Generalem, Provincialem, & Socium.

14 Magistri eligantur in Capitulo Generali per Diffinitores Generales simul cum Priore Generali, fiatque valida probatio per publicam disputationem, sicq; electis Prior Generalis statim teneatur dare literas testimoniales, ut possint in aliquâ Universitate insignia suscipere.

15 Generalis solus in Capitulo Provinciali deputet Regentes in consuetis locis, assignetque quos voluerit studentes ex admissis in visitationibus.

16 Soli Priores, qui eliguntur in Capitulo Provinciali, vocem in eo habent, Prioresque membrorum, seu Conventuum auctoritatem omnino excludantur, teneanturque his in anno capitulo Conventûs rationem reddere.

17 Generalis semel in triennio visitet omnia Ordinis loca simul cum Provinciali, & Socio; Provincialis verò singulis illis duobus annis, in quibus cum Generali non visitaverit, visitet simul cum Socio, causæ verò spectantes ad Priorem Generalem, aut ad Provincialem terminentur per ipsos solos extra visitationem.

18 Si contingat mori, aut privari Priorem, subrogetur alius per Generalem, si ille fuerit in Prov. sua minùs per Provincialem, sed teneatur certiorem facere Generalem, & hic institutus habeat vocem in Capitulo Provinciali.

19 Priores eligantur in Capitulo Provinciali per secreta suffragia à Provinciali, Socio, & Diffinitoribus, possitque Prior Generalis sic electos, si judicaverit expedire, non confirmare, non tamen possit alios in eorum loco subrogare, sed id per eosdem electores fiat.

20 Nullus libros, quantumlibet minimos, aut scripta sub proprio, sive sub ficto nomine imprimat sine Generalis licentiâ.

21 Expensæ, quæ fiunt in aliquo foro extra Religionem pro crimine Fratris alicujus, solvantur à Conventu, cujus fuerit filius.

22 Provinciales faciant librum, in quo descriptæ sint origines Conventuum suæ Provinciæ cum eorum proventibus, reliquijs, & alijs ad eos pertinentibus, & eos Romam servandos mittant.

23 Provinciæ omnes possint quotquot voluerint Magistros ad officium Generalis, & Procuratoris proponere.

24 Generalis officio fungatur per triennium tantum, quo transacto omninò eligatur alius Generalis, & qui fuerit Generalis non possit iterum reassumi, nisi post vacationem unius sexennij, & Provincialis etiam non possit assumi ad munus Provincialis in eadem Provinciâ, nisi post sexennij vacantiam, in aliâ tamen possit immediatè assumi, si in eâ nulli fuerint Magistri.

25 Ponatur in Constitutionibus ordo Visitationis secundùm sacros Canones, decreta Concilij, & Ord. Privilegia, idipsumque statuatur in modo judicandi.

26 Ad Priorem Conventualem pertineant causæ omnes contentæ in Capitulis de levi, & de gravi culpâ, sed nullo modo possit ferre materiam excommunicationis; fungaturque Prior officio suo, & Fratres corrigat, etiam præsente Prov. in casibus ad eum spectantibus, neque aliquid ex his Provinciali remittat.

27 Ad Provincialem pertineant causæ gravioris culpæ, quas ille secundùm formam Constitutionum judicabit, nec ullam ad Generalem remittat.

28 Ad solum verò Generalem spectabunt causæ contentæ in Cap. gravissimæ culpæ.

29 Capita de levi, gravi, & gravissimâ culpâ corrigantur secundùm Canones, & Ordinis Instituta.

30 Sta-

30 Statim post obitum alicujus Fratris Prior Conventûs id significet Provinciali, Provin- A *cialis autem Provincialibus reliquis, qui id significabunt Monasterijs omnibus, ut ubilibet fiant pro defunctis Fratribus statuta suffragia.*

31 Rev. Patres Socius Romandiolæ, Provincialis Venetiarum, & Provincialis Lombardiæ servatis suprascriptis statutis, corrigant in cæteris Constitutiones, & petant ab Illustriss. Protectore, & S.D.N. confirmationem, & jurent in manibus Rev. Generalis hoc negotium se fideliter tractaturos, & non permissuros, quantùm in eis fuerit, ut hæc suprascripta statuta aliquâ ratione permutentur; & debeant dicti Rev. Patres Romæ adesse sub finem Junij, & agant agenda omnia simul cum Rev. Generali, & Rev. Procuratore Ordinis.

Horum omnium, & singulorum Scriba fuit M. Marcellus Raphaellius de Perusio. Postremò electus fuit Ordinis Procurator in Curiâ M. Antonius Fuccius de Burgo S. Sepulchri. Quatuor etiam Comitia provincialia ad majorem Fratrum numerum eodem in loco, & tempore habita fuerunt, nempe Etruriæ, Romæ, Romandiolæ, & Lombardiæ, & ità Fratres numero computati fuerunt quadringenti quinquaginta.

De varijs Constitutionibus, & de secundâ Translatione B. P. Nostri Philippi.
CAP. XIV.

JAM Patres pro ventilandis, conscribendisque Cõstitutionibus à Capitulo deputati, ad Urbem pervenerant, & unà cum Procuratore Generali coram DD. Cardinalibus Farnesio Protectore, & Julio Antonio S. Severinâ Viceprotectore de legibus reformandis quotidie rem expendebant. Hæc dum Romæ agerentur, Jacobus Generalis post completum, & exornatum Sacellum B. Philippi, Tudertum secesserat, ut optatam venerabilium ossium translationem perficeret. Die igitur Dominico XVIII. Kal. Septembris, postquam cum Angelo Cæsio Episcopo, & cum Clero, & Senatoribus Urbis convenisset, & jam Indulgentia plenaria à Summ. Pontifice Gregorio accepta per Tibicines evulgata fuisset, ad venerabilium reliquiarum translationem deventum est. Nam Episcopo cum Clero, & populo astante solemni pompâ ex antiquo loco, ubi jacuerant per annos 260. ossa B. Philippi educta fuerunt, & per Urbem super Canonicorum, Fratrumq; vicissim humeros, magno devotionis applausu, delata, atque tandem in Arcu'â ligneâ sub novâ Arâ condita fuerunt, & tribus clavibus contecta, quarum priorem Episcopus, alteram Senatus, & posteriorem custodiendam Fratres acceperunt. In prospectu verò illius Sacelli ad perpetuam rei memoriam carmen hoc à Magistro Andreâ Blanconio de S. Bernardo appositum fuit.

Translatio secunda B.P.N. Philippi.

Pura fides, probitasque Patrum, & pia dona Sacellum
Hoc summo struxere Deo, & tibi Dive Philippe.
Excellens Jacobus opus Tavantbius egit
Pro pietate suâ, quod nemo fecerat ante.

Non defuerunt etiam alij Patres pro suo studio, præsertim juniores, qui multa carmina in hujus translationis laudem cecinerunt, quemadmodum inter monumenta Bibliothecæ Patrum Florentinorum Pisis extructæ videre licet. FF. Petrus Franciscus, Archangelus Betonus, Valerius Sera Veronenses, B Anselmus Balneus de Mantuâ, Archangelus Gianius, Prosperus Rossettus Florentini, Paulus Torsanus Ariminensis, Octavius Cæsarius Bononiensis, David Blanconius de S. Bernardo, Philippus Ferrarius de Alexandriâ, & Antonius de Butrio. Per eos quoque dies novæ Constitutiones Romæ diligenter examinatæ per DD. Cardinales prædictos, & probatæ; extremam tandem à Summ. Pontifice benedictionem, & confirmationem receperunt, & Venetijs sequenti anno impressæ fuerunt. Verùm ne quis aut levitati Patrum nostrorum, aut inani motui animi tribuendum putet, quod sæpesæpius Constitutiones Fratrum Servorum editæ fuerint, unum illud animadvertere oportet, Religionem Servorum C veluti parvam cymbam magnæ navi Ecclesiæ alligatam per ejusdem vestigia sive per tranquillum, sivè per turbarum adnavigasse mare: hinc factum est, ut post priora illa Patrum nostrorum Scita, leges Fratrum Servorum ad varias Ecclesiæ perturbationes, seu commotiones, aut mutatas, aut renovatas fuisse. Ex quo enim tempore fundamentum illud jacuerunt veteres illi Patres, Gloriosæ Virginis oraculo moniti, super Regulam B. Augustini circa Dei, proximique dilectionem, gliscente interim numero Fratrum B.P.N. Philippus primos condendæ legis lapides super imposuit, quando in Cap. Gen. Pistorij 1268. primas conscripsit constitutiones, quarum si præcipua præcepta spectentur, vel circa ju- D ventutem educandam, vel circa mores corrigendos, nulla unquam mutatio facta fuit, nisi aliquâ publicâ Ecclesiæ necessitate urgente, aut aliquo Summorum Pontificum privilegio favente, quædam ad præscriptum Sacrorum Conciliorum aut declarata, aut superaddita fuerunt. Nam post Concilium Lugdunense sub Gregorio X. cogitur Lotheringus Gener. plura superaddere decreta; post Viennense quoq; Concilium emanarunt aliæ Constitutiones, quæ primæ editæ fuerunt ab Apostolicâ Sede, ut constat ex Bullâ Clementis VI. sub anno 1346. Dito interim sub Urbano Sexto succedente Schismate in Ecclesiâ Dei, exortisq; in Religione dissensionibus quam-

Constitutiones FF. Servorum cur sæpe sæpius renovatæ.

plurimis, ita ut Fratres Galli ab Italis recederent, & multa mala sequerentur usque ad Concilium Constantiense: rursus Martino V. mandante, & privilegia Ordinis præterita approbante, aliaq; plura concedente, novas rursus Constitutiones edere oportuit, usque ad reformationem Eugenij IV. post Concilium Florentinum. Quis igitur ex tot, tantisq; publicis perturbationibus, ex tot Conciliorum decretis, ex tot rerum varietatibus, veterum illorum Patrum sapientiam in renovandis legibus, vituperare poterit? Recentioribus verò temporibus cum Antonius Generalis Alabanrus de Bononiâ magnum illud indultum privilegiorum ab Innocentio VIII. impetrasset, operæpretium fuit, Constitutiones, & Maremagnum non multò post anno 1505. Venetijs sub prælo evulgare, ut omnibus manifesta fierent. Alijs deinde perturbationibus Ecclesiæ succedentibus ob Lutheranam hæresim, gravesq; alias opportunitates obsidionis, & deprædationis Almæ Urbis, cùm de reformandâ universali Ecclesiâ ageretur sub Paulo III. Augustinus Generalis de Aretio vetera, & nova decreta in Constitutiones redigere cogitur. Superveniente demum Tridentinâ Synodo, Laurentius Mazochius Generalis primùm, qui plurimis ejusdem Concilij Sessionibus interfuerat, deinde Zacharias Florentinus Gen. post completum, & evulgatum Concilium cogitur uterque primas, & secundas Constitutiones edere. Postremò tandem Pio V. Summo Pontifice In Cathedrâ Petri sedente, duo præcipua circa Ordinem nostrum ipsius jussu secuta fuerunt, nimirum Congregationis, & Ordinis unio; atq; totius Religionis Servorum reformatio, quæ quidem duo sicuti magna, & gravia fuerunt negotia, & quæ plures difficultates secum attulerunt, ita succedēte Gregorio XIII. non sine prævio consilio Patrum Ordinis, & Cardinalium S. Severinæ, & Farnesij Protectoris, tandem per novas Constitutiones digesta sunt, & per sequentes literas Apostolicas comprobata.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, Dilecti filij Fratres Ordinis Servorum Beatæ Mariæ semper Virginis, sub Regulâ Sancti Augustini viventes, in Capitulo Generali nuper mensibus præteritis ab eis Parmę celebrato simul congregati, nonnulla statuta ad felicem statum, & directionem, ac reformationem ejusdem Ordines fecerint. Atque dederint in mandatis dilectis filijs Alexandro Provinciali Lombardiæ, & Paulo Provinciali Venetiarum, ac Cyrillo Socio Provinciæ Romandiolæ, ut unà cum dilectis filijs Jacobo de Florentiâ Priore Generali, & Antonio de Burgo sancti Sepulchri Procuratore in Romanâ Curiâ dicti Ordinis, omnes ejusdem Ordinis Constitutiones juxta literas reforma- E *tionis ejusdem Ordinis, per Fel. Record. Pium Papam V. prædecessorem Nostrum facta, atque juxta dicti Ordinis Regularia instituta corrigerent, ac reformarent, & simul cum alijs in dicto Capitulo statutis ederent, & earum à Nobis confirmationem peterent. Ipsi verò simul in Monasterio sancti Marcelli de Urbe dicti Ordinis convenientes, prædictas Constitutiones juxta literas Reformationis prædictæ, ac statuta in eodem Capitulo Generali decreta correxerint, reformarint, & compilarint, nonnullas dubietates, quæ in eis erant, explicantes, ac etiam quædam alia de novo addentes, prout eis visum est expedire; atque illas deinde à Nobis confirmari humiliter supplicaverint. Nos verò Constitutiones prædictas, & per eosdem Priorem* F *Generalem, & secum deputatos Fratres prædictos (ut præfertur) correctas, & reformatas, dilecto filio nostro Julio Antonio Tit. Sanctè Bartholomæi in Insulâ Presbytero Cardinali Sanctæ Severinæ nuncupato, ejusdem Ordinis apud Nos, Sedemq; Apostolicam, pro Venerabili, Fratre Nostro Alexandro Episcopo Portuen. Cardinali Farnesio nuncupato, Protectore, Viceprotectori, revidendas, & examinandas remiserimus, dictusq; Julius Antonius Cardinalis, illas accuratè, ac omni cum diligentiâ revidenit, & examinaverit: Cupientes easdem Constitutiones, & ordinationes ab omnibus, quos illæ quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, diligenter, & exactè observari. Ac Priorem Generalem, & secum deputatos prædi-* G *ctos, atque alios universos ejusdem Ordinis Fratres à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, Interdicti, alijsq; Ecclesiasticis Sententijs, Censuris, & Pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, (ad effectum præsentium dumtaxat consequendum) harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Necnon Constitutionum prædictarum tenores, præsentibus pro expressis habentes. Ac revocantes in primis alias ejusdem Ordinis Constitutiones, præsertim editas de Anno Domini 1569. Hujusmodi supplicationibus inclinati omnes, & singulas Constitutiones, & Ordinationes prædictas à Priore Generali, ac secum deputatis Fratribus prædictis correctas, refor-* H *matas, compilatas, & editas, & ab eodem Julio Antonio Cardinale (ut præfertur) revisas, & examinatas, atq; omnia, & singula in eis contenta ex certâ scientiâ, Apostolicâ authoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus. Illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adijcimus. Ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti, & solemnitatum, etiam substantialium defectus (si forsan qui intervenerint in eisdem) supplemus. Præcipimus quoque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ pœnâ omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, quatenus de cætero Constitutiones, & ordinationes præfatas inviolabiliter observent, & observare studeant. Decernentes*

pra-

præsentes literas nullo unquam tempore subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, vitij, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi; seu etiam per Sedis Apostolicæ de Latere Legatos, aut Vicelegatos, seu dictum Alexandrum Cardinalem, & pro tempore existentem Protectorem, seu Viceprotectorem, aut Generalem, & Superiores dicti Ordinis, vel quoscunq; alios, quavis authoritate revocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse; sed Constitutiones, & ordinationes prædictas à Priore Generali, & secum deputatis Fratribus hujusmodi correctas, & reformatas, ac ab eodem Julio Antonio Cardinale revisas, & examinatas perpetuò validas, & efficaces fore, & esse: necnon suos plenarios, & integros effectus sortiri. Sicque in præmissis ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Judices, & Commissarios, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & alios quavis authoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere. Necnon irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrariũ quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes (illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm, quia difficilè foret præsentes literas ad singula quæq; loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, & similiter dictâ authoritate decernimus, quòd transumpto præsentium literarum sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici munito, & manu Notarij publici subscripto eadem fides tàm in judicio, quàm extra illud ubilibet adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Septembris 1579. Pontificatûs Nostri anno octavo.

Cæsar Glorierus.



A *Publicis supplicationibus ad Virginem Annunciatam Urbs Florentia à morbi periculo præservatur, & Card. S. Severina declaratur Protector 26. Ord. Servor.* C A P. XV.

URBS Florentina magno pavore angebatur temporibus istis, quòd audiret undique finitimas Civitates morbi contagione ferè devastatas, idemque periculum sibi graviter imminere, nec aliud sibi ad tantam evitandam calamitatem superesse refugium, quàm ad orationis præsidium converti. Quâ in re Clerus, & populus ex condicto conveniunt, ut publicæ in Ecclesiâ Annunciatæ preces fiant per ad usus 40.
B horarum, qui D. N. J. Christi in Sepulchro quiescentis typum referret; id verò quantò tariùs, eò ferventiùs, & decentiùs per illa tempora habebatur, nullus in Ecclesiâ cantus, nullus campanarum, vel organorum strepitus, omnia sub devoto silentio, adeò ut etiam horæ canonicæ, & Sacrificia, eâ devotione durante, non audirentur, ut mysticè silentium, & mæstitia illa repræsentaretur, quæ in hujusmodi inferijs D.N.J.C. observare consuevit Ecclesia. Tali igitur Patrum nostrorum consilio, & totius Civitatis desiderio præparatur Ecclesia Annunciatæ, præsertim ejus Sacellum quingentis luminaribus illustratum, atque per publicos Tibicines indicitur oratio 40. horarum ad diem 29 Decembris Domi-
C nica quartâ Adventûs, anno 1579. Quo tempore M. Nicolaus de Scrofano, vir eximiâ pietate, & religione prædirus Prior Annunciatæ post celebratam ad Altare majus solemnem Synaxim, nudis pedibus Patrum, & diversorum Sodalitiorum Confratrum cum intortitijs ordine procedente, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sub umbellâ, multis paratis ministris associatus, magnâ cum pompâ, necnon Civium innumerabili comitante catervâ, ad fores Metropolitanæ Ecclesiæ usque detulit, ubi Fesulanus Episcopus (absente Archiepiscopo) pontificalibus indutus, hinc ind[e] [Can]onicis, & Clero astantibus, de manu [Pri]oris Christi Corpus receptum ad idem [Sac]ellum Annunciatæ retulit,
D & per prim[am horam ve]rani veneratus fuit, quo simul tempore sermo latinus, & elegans de laudibus, & oratione 40. horarum, per unum ex nostris Fratribus habitus fuit, & sic successivè per singulas horas: post Presbyteros, & Religiosos, totus populus Florentinus. Nimirum fœmineus sexus ab horâ 15. usq; ad 22. reliquo verò tempore Mares per suas vices cum varijs Sodalitijs ad numerum 46. ex nostris semper astantibus Patribus, incredibili cum fervore tandem 40. Orationis horæ complentur; in quibus nil aliud, quàm perpetuum silentium, præter pectorum tunsiones, Flagellationes, suspiria, gemitûs, & clamores misericordiam implorantium; Mis-

Usus antiquus orationis 40. horarũ.

ſas verò eo tempore viri in Ædiculâ D. Sebaſtiani, & mulieres in Capitulo de Macinghis (E) devotiſſimè audierunt. Quod igitur Florentia ab illâ communi Italiæ calamitate liberata fuerit, id totum non tam publicæ pietati ipſius, quàm meritis, & interceſſioni Virginis Annunciatæ aſcribendum videtur, quæ nemini unquam ex corde precanti defuit, quod eodem tempore perſpicuum apparet, nam ſuper veniente die 8. Septembris 1580. quando ex Indulg. Leonis X. celebre illius B. Virginis Natale eo in Sacello habetur, confluentibus undiq; populis ex finitimis Montanis, mulier quædam nomine Antonia .2. de Montecatino, quæ longo tempore diſſolutis membrorum articulis in lecto jacuerat, cum ſe curaſſet deferri, & in Sacello Annunciatæ collocari, ut Sacrum audiret, & (F) cum calamitatem ſuam eidem Virgini commendaret, repentè conſolidatis membris ſeſe ſanatam eſſe, & motu corporis, & apertis verbis cuncto populo admirante teſtata fuit. Quamobrem huic Sacratiſsimæ Imagini tantum tribuiſſe videtur Deus, ut non modò ſingulares perſonas in ſuis adverſitatibus tueretur, verùm etiam & populos, & integras Urbes à varijs anguſtijs, & ærumnis eripere, & liberare valeat, quemadmodum cereæ, & argenteæ triremes, argentea oppida, & integræ civitates ſuper ejus valvas, & parietes, ac Sartatecta poſitæ, & ſuſperſæ apertiſsimè indicant: veluti de civitate Bononiâ conſtat, quæ voto ſuſcepto, à Petri Navarræ igneis (G) minis, & tormentis, quibus quotidie concutiebatur anno 1505. liberata fuit. Ejuſdem quoque Annunciatæ devotione commotus Jacobus Tavanthius Generalis ex proventibus, qui ſibi de Piſanâ Cathedrâ hoc tempore ſuperfuiſſent, aurea paramenta pro ſolemni Miſſâ, & Officio celebrando, munificenti pietate eidem Eccleſiæ largitus fuit, pretio aureorum circiter duorum millium in eis inſumpto. Hoc eodem anno Alexander Farneſius Cardinalis & Cancellariæ munere, & diverſarum Legationum onere præpeditus, cum non poſſet protectionem noſtri Ordinis exequi, ab hoc officio, permittente Summo Pont. Gregorio, ſeſe ſponte ſubduxit, quæ Julio Antonio Sanctorio Card. S. Severinæ nuncupato ab eodem Gregorio per literas (H) ſequentes collata fuit, quas ut poſteritati innoteſcerent libuit hoc loco attexere.

Mulier in Sacello Annunciatæ ſanatur.

Aurea paramẽta Eccl. Annunc. oblata.

Dilecto filio Noſtro Julio Antonio tit. S. Bartholomæi in Inſulâ Præsb. Card. S. Severinæ nuncupato.

Julius Antonius Sanctorius Cardin. fit Protect. Ordin.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecte fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Officium Protectoris totius Ordinis B. M. Serv. per liberam reſignationem, ſeu ceſſionem univerſalem Fratris Noſtri Alexandri Epiſcopi Oſtienſis, & Veliternenſis Cardinalis Farneſij nuncupati S. R. E. (E) Vicecancellarij nuper dicti Ord. Protectoris de illa, quam tunc obtinebat hodie in manibus Noſtris ſponte factam, & per Nos admiſſam vacaverit, & vacet ad præſens. Nos ſperantes, quòd tu, qui dicti Ordinis pro eodem Alexand. Epiſc. Cardin. Viceprotector per plures Annos fuiſti, & de cujus ſingulari probitate, virtute, & diligentiâ, ac Religionis zelo plurimùm in Domino confidimus, & quæ tibi commiſimus tum prudenter, tum diligenter, exequaris, ac Ordinem hujuſmodi, illiuſque perſonas ſcies, voles, & poteris authore Domino ſalubriter regere, & felicitor gubernare, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis deſuper oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certâ noſtrâ ſcientiâ te, quoad vixeris, prædicti Ordinis, (F) illiuſq; Monaſteriorum, Fratrum, perſonarum, & rerum apud Nos, & Sed. Apoſtolicam Protectorem cum omnibus, & ſingulis authoritatibus, Juriſdictionibus, juribus, emolumentis, honoribus, & oneribus conſuetis, cæteriſque facultatibus dicto Alexandro Epiſcopo Cardinali, ac alijs ante te ejuſdem Ord. Protect. hactenus quomodolibet conceſſis, ſeu quibus, ijdem ante te Protectores, tam de jure, quàm de conſuetudine quovis modo uſi ſunt, vel uti quomodolibet potuerunt, aut debuerunt, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium facimus, conſtituimus, & deputamus, mandantes in virtute S. Obedientiæ modernis, & pro tempore exiſtentibus Generali, Provincialibus, Prioribus, ac alijs Prelatis, ac Fratribus, & perſonis dicti Ordi- (G) nis, atq; alijs, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut viſis preſentibus, & alias quandocumque te in eorum Protectorem ſine morâ honorificè recipiant, tibiq; tamquam eorum Protectori juxta præſentium tenorem omni ſtudio reverenter, & promptè pareant, & obediant, obedientiamq; & reverentias debitas, & devotas exhibentes, tua ſalutaria monita, ac mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Sic igitur dictum Ordinem pro tuâ preſtanti bonitate, & charitate, & pro tuo munere ſolicitè, & accuratè protegas, ut apud Deum bonorum omnium retributorem, condignum præmium conſequaris, & apud Nos meritò valeas commendari, contrarijs non obſtantibus quibuſcunque.

(H) *Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 19. Decembris 1580. Pont. Noſtri anno 9.*

Cæſar Glorierius.

Defuncto P. Gregorio Spinosâ generali Vicario Aragoniæ, & Priore S. Matronæ, Jacobus Tavanthius hoc anno 1581. P. Bartholomæum Rodriquez in ejus locum ſuſtituit per literas pat. Bononiæ datas 12. Januarij. Nihil enim antiquiùs habuit pervigil Generalis, quàm ut per illas oras Hiſpaniarum Ordinem noſtrum jam diu penè deſtitutum, repararet, & non modò in priſtinum reſtitueret, verùm etiam, quantùm fieri poſſet, &

nume-

nomero FF. & Sororum,& locorum multitudine amplificaret. Quare allucinantur ij Scriptores, qui Italos criminantur, quòd eorum incuriâ, & malignitate defecisset olim Ordo Servorum in Hispanijs, propterea quòd noluissent Itali Hispanos quoslibet ad eumdem habitum, & Ordinem admittere; quod omninò à rei veritate alienum, & secus factum fuisse declarant hi nostri Annales, si ea repetantur, quæ hactenus conscripta fuere. Nisi enim Itali Hispanos ad habitum admisissent, quomodo tot clari viri ex Hispaniâ in varijs Italiæ locis Ordinem nostrum illustrassent; M. Antonius Hispanus, qui Florentiæ, & Bononiæ varias habuit disputationes; Alphonsus Lusitanus, qui cum literis Joannis Regis ad Generalem Antonium Manuccium accedit, M. Jodocus publicus Patavij Lector; M. Petrus, qui varias Ordinis Cathedras rexit; Antonius Arias, qui Patavij doctoratûs insignia suscipit, & magnum de suis virtutibus specimen præbuit; M. Marinus Aragonensis, qui tàm præclarè se gessit in varijs muneribus Congregationis, P. Joannes Lidò, qui Cœnobium S. Michaelis della Cueva ab Equitibus S. Joannis recepit? Quomodò non solùm ad habitum, verùm etiam administrationes tot Hispani Vicarij per præteritos Generales præfecti fuerunt, usque ad ipsas nostri habitûs fœminas, quibus pro amplificando etiam illis in partibus fœmineo sexu nostrarum Sororum ejusmodi vices commissæ fuerunt? Nonne præter, Sorores Molvedri ab Antonio Generali Alabanto more prædecessorum Leonora de Morax Saragotia, Catharina Pinetta, & Leonora Pimemtella de civitate Porto, quæ & Vicaria Generalis,& Præfecta fuit pro novo Sororum Monasterio fundando in Castro *el Magro* dicto diœc. Toletanæ? Quid si etiam ex Patribus Hispanis nonnulli ad magna Sacerdotia, supremas S. R. E. dignitates provectos, jam declaravimus, Dominicum Hispanum Episcopum Nursiæ, Antonium Cerdanum, & Hernandum Viletam Barchinonensem Cardinalitiâ purpurâ decoratos? Frustra igitur, & absq; propriâ culpâ incusantur Itali ab Hispanis, qui potius semetipsos, suorumq; culpam, quàm nostram objicere deberent. Quandoquidem recessus nostri Ordinis ex Hispaniâ à schismate Petri de Lunâ, cui Aragonenses Reges favebant, ut alias dictum fuit, originem duxit, præter alias pestilentiæ, bellorum, & assiduæ indigentiæ occasiones, quibus Hispani ipsi ad Italos coofugere cogebantur.

N O T Æ.

Dominic. Hispan. an dicendus sit Episcop. Nucerin.

[A *D annum 1319. satis, ut fallor, ostendimus, quòd Dominicus Hispanus, quem Gianius ibi dixit, & iterum hic dicit Episcopum Nursiæ, talis reipsà non fuerit, num verò loco Nursiæ dicendus sit Episcopus Nuceriæ,*
A *quemadmodum nonnulli sentiunt, non adhuc definierim, sed expendendum meliùs censerem.*

Refertur origo aliorum Conventuum.
C A P. XVI.

HIsce temporibus nonnulla de novo Ordini nostro concessa deprehendimus Loca, quod sanè plurimùm tribuendum esse videtur pervigili studio, quo Generalis Tavanthius eundem Ordinem amplificare, tum extra, tum intra fines Italiæ vehementer optabat. In primis P. Emmanuel Tavera Lusitanus Habitu nostri Ordinis ab eodem Generali Romæ indutus, prout diximus ad annum 1578. ad propagandum eun-
B dem Ordinem in Regno Lusitaniæ, tanquam vices ejus gerens, dimissus Loca quædam Ordini comparasse fertur, præ cæteris autem anno 1580. Locum quendam erexisse sub Tit. S. Mariæ Sanitatis inter Oppida Sinagæ, & Lintræ per tria milliaria Ulysipone distantem, situm constructioni hujus Cœnobij liberè concedente D. Francisco de Olandâ B. V. Dolorosæ maximè addicto juxta laudabilem illius Populi indolem. Præterea Communitas Ischiæ, quæ Ordini nostro concesserat olim, scilicet anno 1561. Locum quendam, cui Tit. S. Mariæ de Plebe, quemadmodum diximus ad d. annum 1561. Hoc eodem anno 1580. aliam Ecclesiam die 14. Novembris, cui Tit. S. Rochi, eidem Ordini donavit, quo
C tempore ibidem concionabatur P. M. Hieronymus Floridus de Perusio, recipiente nomine Ordinis P. M. Joanne de Matthiolis pariter Perusino in Provinciâ Patrimonij, cui Locus hic addictus fuit, Priore Provinciali, annuente Diœcesano, Episcopo nempe Castri, de quibus habitum fuit instrumentum die, & anno prædictis, de quo rog. legitur Ser Joannes Antonius Venturini pub. Not. Balneoregiensis, & in eo Conventu servatur. Locum hunc subinde colere cœperunt Patres, ac summopere promovere cultum Dolorum B. V. institutâ ibidem Societate Habitûs, quæ planè adeò excrevit, tum pietate, tum numero, ut Sacra B. V. imago, quæ summâ veneratione ibidem colitur, clarescere miracu-
D lis cœperit, de quibus dicendum nobis erit ad annum 1609. Ecclesia demum consequentibus annis in ampliorem, & elegantiorem formam redacta, consecrata solemniter fuit die 25. Maij 1614. à D. Alexandro Rossi de Ischiâ Episcopo Castri, ut ad eundem annum dicendum erit. Eodem anno 1580. referenda est origo Conventûs, quem Provincia Genuensis in Civitate Savonæ Ditionis pariter Genuensis tenet. Sciendum quippe est, quod in eâ Civitate aliàs generatim Deiparæ V. addictissimâ, Universitas Artis *detta dell'Ontori* Regulares quosdam in suâ Regione *detta Ouzeria* habere cupiens, qui Ecclesias ibidem laudabiliter colerent, Divina Officia ritè celebra-

Conv. S. M. Sanitatis in Lusitaniâ.

Conv. S. Rochi de Ischiâ.

Conv. S. Crucis de Savonâ.

lebrarent, & Sacramenta Populis diligenter ministrarent, hoc anno, enixè quoque petente P. Aurelio Lanaggio Genuensi, à Generali Tavanthio per literas petierat, ut eò Patres quosdam mitteret, qui eorum votis obsequerentur in ministerio proposito. Quod cùm diligenter præstitissent tres annos continuos anno 1583. Universitas prædicta iisdem Patribus, & eorum Ordini obtulit possidendum Oratorium, & Hospitale quoddam sub Tit. S. Christophori, in cujus possessionem immissi fuere P. M. Joannes Baptista Pisanus, & P. Aurelius prædictus, annuente Serenissimo Reipublicæ Senatu, operâ potissimum ejusdem P. Aurelii, ab Aurelio Menochio de Bononiâ Ordinis nostri tunc Generali, nomine autem d. Universitatis stipulantibus DD. Joanne Verâ, Augustino Bò, & itidem Augustino Gabbo Sindicis, & Procuratoribus, hac lege adiectâ, ut in eâdem Ecclesiâ erigeretur Societas sub Tit. S. Crucis, qui pariter est Tit. Ecclesiæ. Ut autem Patres in ampliorem formam redigerent Ecclesiam, & Cœnobium opportune construerent, plurimùm opis contulit Communitas, contulere quoque alii Benefactores, necnon Patrum singularis solertia, qui in eodem Cœnobio degentes ad opus hoc undequaque promovendum jugiter incubuere. Referenda denique sunt Privilegia quædam concessa societati S. M. Incoronatæ de Ferrariâ à P. Jacobo Tavanthio Generali Ordinis Servorum, sequentis tenoris.

Partici patio Bonor. Spirit. Ord. pro Societ. S.M. de Incoronatâ Civ. Ferrariæ.

F. Jacobus Tavanthius &c. Universis, & singulis præsentes Literas inspecturis, lecturis, visuris, & audituris salutem, & pacem in eo, qui est omnium vera salus. Cùm olim, sicut accepimus, à prædecessoribus nostris, aliquibus devotis viris fuisset concessus Locus pro construendâ, & initiandâ quâdam Venerabili Societate in honorem, & devotionem Beatissimæ Virginis Mariæ de Incoronatâ *nuncupatæ in Ecclesiâ nostrâ S. Mariæ Servorum Ferrariæ operâ, & adhortatione Fratrum ejusdem nostri Ordinis ibidem commorantium. Cumque prædicta Societas ibidem honorificum Altare erexerit, in quo sacra, & Divina Mysteria peraguntur, & per aliquot annos maximâ devotione, ac frequenti multitudine floruerit, eidem etiam fuit concessus Locus à prædictis Fratribus nostris, qui dicitur* il Romitorio, *ubi primi Fratres Servorum à principio commorabantur, pro necessitate, & commodo ipsorum Confratrum. Sed proh dolor! progressu temporis ita hominum conditione ferente, charitate frigescente, prædicti Confratres ejusdem Societatis (Fratribus prædictis nostri Monasterii nescientibus) prædictum Locum alienarunt, seu in Emphiteosim, vel usum dederunt; sicque prædicta Societas valde à primævâ suâ devotione paulatim deficiebat. Sed quoniam Deus optimus maximus quotidie non deficit corda piorum hominum excitare, mentesque Fidelium ad sui amorem, ac dilectionem, & suæ Beatissimæ Genitricis devotionem trahere, eâdem pro nobis peccatoribus quotidie intercedente. Nuper nonnulli devoti Viri ex prædictâ Societate unâ cum nostris Fratribus ibidem commorantibus Divinâ ope studiosè curarunt, ut prædictus Locus recuperaretur, illumque sic recuperatum prædicti Fratres rursus prædictæ Societati tradiderunt, prout constat pub. Instrumento rogato per D. Dominicum Squarzonum Notarium publicum Ferrarien. die 21. Mensis Julii de anno 1579. quâ in Divino cultu assiduè elaborantes dd. Confratres Societatem in pristinam revocent devotionem. Ut autem id commodiùs, & propensiùs fiat, & quotidie devotio B. Mariæ Virginis augeatur, & accrescat, prædicti Confratres unà cum Priore Monasterii, ejusdem Societatis ordinario, perpetuòque Conservatore, ex parte omnium Confratrum Nobis humiliter supplicarunt, quatenus ad augendum devotionem hæc omnia confirmaremus, & insuper ipsis aliquas spirituales gratias elargiremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Nostri Generalatûs Officii, quâ fungimur in hac parte omnia, & singula prædicta per Prædecessores nostros, ac dd. Fratres nostri Monasterii Servorum Ferrariæ hactenus facta, concessa, & emanata confirmamus, & approbamus, rataque, & firma esse decernimus; dummodo nihil omnino præjudicet prædicto nostro Monasterio, aut Ecclesiæ. Atque ob id volumus nullo unquam tempore in judicio, aut extra licere prædictis Confratribus his nostris Literis uti quomodolibet adversùs prædictos Fratres, aut Ecclesiam, juraque prædicti Monasterii, sed adversùs omnes alias personas pro defensione, & augmento prædictæ Societatis, tunc enim volumus has in suo robore permanere, eosdemque Confratres iisdem nostris uti posse. Eâdem nostrâ auctoritate quoscunque ex prædictâ Societate B. M.* de Incoronatâ *nuncupatos in numerum Familiarium Nostræ Religionis Servorum per has præsentes recipimus, declaramus, & approbamus, volumusque eosdem gaudere, & potiri, participesque fieri omnium gratiarum à S. Sede Apostolicâ Nobis concessarum, vel in posterum concedendarum, in quibus expressè continetur Familiares Nostros iisdem frui, atque potiri debere, vel quibus de jure, vel consuetudine potiri, & consequi solent. Et quoniam intelleximus prædictam societatem statutorum, morumque reformatione indigere, idcirco nostro præsenti Priori Conventûs, ac pro tempore existenti Conservatori prædictæ Societatis, concedimus licentiam, ac facultatem, quatenus unà cum prædictis Confratribus possint honesta statuta condere, innovare, ac reformare, prout meliùs pro commodo d. Societatis expedire videbitur. Item eâdem auctoritate concedimus omnibus, & singulis in prædictam Societatem hactenus ingressis, & in posterum ingrediendis tanquam in numerum familiarium nostri Ordinis receptis, omni meliori modo, & viâ, quâ possumus, quatenus potiantur, & consequantur, potiri, & consequi valeant, & participes fiant omnium orationum, suffragiorum, cæterorumque spiri-*

spiritualium Bonorum, quę in universâ nostrâ Religione Servorum, ejusque Domibus, ac Monasterijs tam Virorum, quàm mulierum quotidie fiunt publicè, vel privatim, atque in posterum etiam fient. Ea tamen lege, & conditione, ut & ipsi Confratres toto tempore vitę suę specialem devotionem erga Ordinem nostrum S. Marię Servorum, omnibusque Fratribus ejusdem Ordinis reverentiam exhibere, & Monasteria nostra, Domos, ac Familias, pro re, & temporis opportunitate, semper protegere ac defendere, Denique optimum maximum in suis orationibus pro ejusdem Ordinis Servorum conservatione, & augmento orare specialiter teneantur. In quorum fidem has nostras fieri fecimus, & sigillo Religionis maiori communiri mandavimus.

Dat. Ferrarię die 2. Februarij 1580. cum nostrâ subscriptione, videlicet.

Dirige gressus meos.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

Q*Uę continentur in hoc Cap. colliguntur ex monumentis eorundem Conventuum.*]

In Comitijs generalibus Romæ M. Aurelius Menochius de Bononiâ trigesimus septimus Prior Generalis eligitur.

CAP. XVII.

ANNUS iste 1582. faustâ commemoratione celebrandus, quia non absque ingenti Mathematicorum observatione à Gregorio Summo Pontifice post Julium Cæsarem aliquam defluxi temporis emendationem acceperit. Inter eos verò, qui huic correctioni operam dederunt Cyrillus Francus de Bononiâ plurimùm insudavit, nam licet vir iste assiduis Theologicæ cathedræ lectionibus præpediretur, tamen per fucisivas horas reliquis etiam liberalibus disciplinis, & præsertim Mathematicis, operam dabat. Huic etiam speculationi de reformando anno operam navaverat Pisis inter alia graviora studia M Jacobus Tavanthius, ut Greg. Pont. morem gereret. Instabant jam evulgata generalia Comitia primo vere habenda, quando plurimi ex præcipuis nostri Ordinis Patribus ad idem administrandæ Religionis munus concurrebant, ij præsertim, quorum merita, & labores, & assidua studia tali præfecturâ dignos demonstrabant. Nàm Hieronymus Vigiola, cùm generis præstantiâ, tum virtutum, & religiosæ vitæ splendore clarus eo Generalis titulo dignus censebatur, cui Carolus V. Imperator dum Mediolani ageret, plurimùm deferebat. Verùm decrepita ætas annorum 99. vehementer suis meritis, & aliorum desiderio obsistere videbatur, quo minùs ad eam dignitatem administrandam idoneus haberetur. Nam sequenti anno 1583. extremum diem Placentiæ persolvit. Ad idem quoq; Generalatûs officium M. Joannes Baptista Librantius de Butrio, postquam tot annos & Bononiensis, & Pisanæ Cathedræ inservisset, dignus existimabatur. M. Cyprianus Verardus de Brixiâ non minùs, quàm alij eo magistratu dignus censebatur, & à multis præferebatur, quòd vir tum in rebus gerendis prudens, & mansuetæ naturæ fuisset; tum maximè quòd religiosâ quadam pietate cunctis in rebus præfulgeret. M. Alexander Gianius de Scandiano, quem ob morum suavitatem, vitæq; probitatem Jacobus Tavanthius unicè diligebat. Par quoque judicium fiebat de Hieronymo Quaino de Paduâ, qui & in studio longo tempore ad publicum audientium profectum suas doctrinas exercuerat, verùm omnem ei spem, ut paululum ab inceptis digrediamur, inopinatus ademit interitus; mortuus est enim Quainus pridie Kal. Februarij, quem tota Academia & lachrymis, & honestissimo funere tumulavit; de cujus quidem præclaris ingenij dotibus, præsertim in dicendi eloquentiâ liceat aliorum, potius quàm nostrum testimonium adhibere. Nam Bernardinus Scardeonius Canonicus in suâ Patavinâ historiâ hæc de Hieronymo nostro Quaino protulit. *Restat nobis in hoc genere laudis præcipuâ memoriâ celebrare Hieronymum Quainum Theologum insignem, & Concionatorem eximium Ordinis divæ Mariæ Servorum, cujus sermo in concionibus tantâ copiâ, & ubertate verborum, ac sententiarum defluit, ut non eloquentiâ tantùm fons scatens, sed & flumen potiùs redundans orationis dulcedine, atq; torrens repentinis sententiarum imbribus concitatus esse videatur, atq; hinc nimirum fit, quòd ex tam frequentibus auditoribus, qui eum sequuntur, nemo satiari unquam possit, sed quò magis quis sermonem ejus haurit, eò properantiùs ad hauriendum recurrit. Aliàs de hoc alij fortasse alia, & latiùs, sed nobis hæc interim in vitâ ejus dixisse satis.*

Hieronymus Quainus de Paduâ moritur.

Multas ingenij sui lucubrationes carmine, & solutâ oratione reliquit, nempe Lectiones de terrestri Paradiso, quas typis mandavit anno 1574. Explicationes in Genesim, Job, Actûs Apostolorum, & in Epistolas ad Romanos, quas publicè in Patavinâ Academiâ explicaverat. Quinquaginta etiam orationes, quas diversis temporibus in funere illustrium virorum habuerat, præter multos sermones, quos sæpe in Universitate Theologorum pro laureandis Doctoribus habuerat, quæ omnia typis aliquando mandanda in suo Cœnobio Patavino conservantur. Cumq, speciali memoriâ dignus judicaretur etiam post mortem Hieronymus Quainus tali quoq; marmoreo elogio fuit insignitus.

F. Hieronymo Quaino Patavino Ordinis Servorum philosophicis literis Græcè, & Latinè eruditissimo Miræ facundiæ Concionatori, Sacræ Scripturæ in publico Patrio Gymnasio professori, multis, ijs-

que

que honorificè, pièque in sua Religione obitis muneribus hic quiescenti.

PP. Pat. benemerenti P. C. obijt anno Dom. MDLXXXII. die 31. Jan. ætat. suæ LVIII.

[De hoc Hieronymo honorificè scribit etiam Poccianrius ad annum 1559.]

Non mediocris etiam expectationis fuisset M. Nicolaus de Scrofano vir integerrimæ vitæ, & religiosæ observantiæ vehementer addictus, quem hoc eodem tempore importuna mors abstulit. Nam Burrij concionandi officium ad extremum Quadragesimæ, summâ pietate, & audientium fructu perduxerat, quando pro suâ remuneratione accepit, ut a Domino eâdem die vocaretur, quâ se ipsum Jesus Christus discipulis manducandum tradiderat, feriâ V. in Cœnâ Domini. Fuerat enim Pater iste Sacratissimi Corporis Christi maximus cultor, & qui nunquam nisi nudis pedibus Sacram Communionem, præter tempus Missæ, aut gestasset, aut cæteris sumendam præbuisset. Hunc præclarum virum ob religiosæ vitæ exempla inter eos venerabiles viros connumerandum non inficiamur, qui Beatis ipsis proximi censentur, cum etiam non defuerint hac nostrâ tempestate, qui illum in suo corde pro Beato venerari fuerint, & quotidie ejus implorent intercessionem. Quem etiam Mag. Angelus Maria Montursius inter alios sicut virentem ob religiosos mores coluerat, etiam defunctum, quod beato fine hanc vitam reliquisse arbitraretur, magnopere venerabatur. Adveniente interea generalis Capituli tempore, ut supra dicebatur, Romam ex singulis Provincijs conveniunt Patres, inter quos pro novâ suscipiendâ præfecturâ M. Aurelius Menochius de Bononiâ à D. Protectore Præsidente in Capitulo alijs præferebatur, tum quòd Bononiensis esset, sicut & Pontifex, tum quòd Curiæ gratiam, cum fuisset Procurator Ordinis per sexennium, inijsset, tum maximè quod sæpè orando à Gregorio Pontifice, & Cardinalium Senatu auditus, etiam ut magnus Orator cõmendatus fuisset. Aurelius igitur decem & octo suffragijs generalem Magistratum obtinuit, & M. Joannes Baptista Micholla de Mediolano Procurator in Curiâ electus fuit. Electores verò hi fuerunt Thusciæ Diffinitor M. Franciscus Maria Bardellius de Florentiâ, M. Nicolaus Barbolanus Provincialis, & M. Augustinus Goruccius Socius Aretini; Romanæ M. Deodatus Ducius de Burgo S. Sepulchri Diffin. Mag. Anselmus Setrus de Perusio Provinc. M. Hieronym. Floridus de Perusio Socius. Romandiolæ Provincialis M. Apolonius Painius . . . Lombardiæ Diffinit. M. Alexander Gianius de Scandiano. Provinc. M. Iulius Malcalceatus de Mediolano. Venetiarum M. Paulus Venetus Diffinit. M. Cyprianus Verardus de Brixiâ Provincialis. P. Leo Campagna de Veronâ Socius. Mantuæ MM. Joannes Hieronymus de Cremonâ Diffin. Antonius Rodulphus de Pisauro Provinc. Joseph Ferredius de Mantuâ Socius. Marchiæ Prov. M. Dionysius de Ferrariâ. Genuæ M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ Diffin. M. Antonius de Castronovo Provincialis, P. Melchior de Vineali Socius. Neapoli . . . . . Narbonen. . . . . . P. Bartholomæus Rodriquez Vic. Gener. Aragoniæ. Ut autem major Fratrum numerus in Urbe videretur, duo etiam Capitula Provincialia Thusciæ, & Patrimonij ibidem celebrata fuerunt. Inter eos verò, qui hæc Comitia suis preclaris virtutibus cohonestarunt, hi præcipuè recensentur. Nam pro agone literario in Cathedrâ varijs diebus steterunt M. Augustinus Goruccius de Aretio Bononiæ Regens, M. Angelus Maria Montursius Regens Florentiæ, & M. Lælius Baleonius de Florentiâ. Si qui verò alij hactenus nos, qui singulis interfuimus, & concionem habuimus, modò memoriâ non tenemus, neque ab his, ad quos spectabat, aliquod certi accipere potuimus. Multæ etiam conciones à præcipuis viris habitæ sunt, quemadmodum in præcedenti Capitulo Generali Parmensi, inter quos F. Balthassar Bolognetus de Bononiâ pluries in S. Laurentio in Damaso gratanter auditus fuit. Præclara etiam de Romanæ Urbis laudibus habita fuit oratio à F. Prospero Rossetto Flor. Baccalaureo Patavino Regente. In his Comitijs decretum nullum, nisi, ut novæ Constitutiones observarentur. Ex magno autem Baccalaureorum numero, qui lauream Magistralem appeterent, viginti duo rantùm post rigorosum examen Sacræ Theologiæ Magistri licentiati fuerunt. Inter quos quinque Florentinos juvenes admissos fuisse recolimus, Michaelem Angelum Cerverium, Alexandrum, Archangelum Gianium, Prosperum Rossetum, & Hieronymum, qui unanimiter Florentiæ decora Magistralia honorificentissimè susceperunt, inter alios ejusdem Universitatis cooptati. Totidemq; Bononienses, Gabrielem, Adrianum Farinam, Archangelum Ballotinum, Cesarem Bologninum, & Balthassarem Bolognetum, ac insuper Antonium Vivolum de Corneto; reliqui desiderantur. Interea Jacobus Tavanthius post optimè administratam Religionem, & ipsius pastoralem curam renunciatam, ad suã Theologicam Cathedram Pisas reversus fuit, & M. Dominicus Sylvanus, qui ejus vices suppleverat, alteram Dialecticæ Cathedram obtinuit. Quo etiam tempore Aurelius Generalis magnam Servorum Ædem vetustate collabentem, peramplâ, & munificenti structurâ, F. Petro de Bononiâ procurante, à fundamentis restaurare incipit Mense Martio, dum nos per Quadragesimam idem Ædificium pro Concione in eâdem Ecclesiâ Servorum populo sæpè commendaremus.

M. Nicolai de Scrofano obitus.

Aurelius de Bononiâ 37. Gener. eligitur.

CEN-


F I N I S.

CENTURIÆ QUARTÆ SACRORUM ANNALIUM ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS,

AUCTORE F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Liber Quintus.

CONTINENS AB ANNO MDLXXXIV. USQUE AD MDC.



Quædam miracula Beatæ Mariæ Virginis, necnon quæ in Comitijs Bononiæ gesta fuerunt breviter enarrantur.

CAPUT PRIMUM.



NTER præcipuas Sacratissimæ Virg. Deiparæ Imagines, fatis percelebris habetur in Apuliâ apud Barulum .1. figura illa, quæ in Ecclesiâ nostrâ S. Mariæ de Cruce nuncupatur: illuc pro varijs recipiendis gratijs frequens fit populorũ cócurfus, tabulæ, imàgines, cerea, argenteáque vota plura ibi sunt, quibus miracula nonnulla indicantur; quorum unum illud præcipuum hoc anno 1584. accidit die 19. Julij feriâ 3. Pentecostes. Erat puella quædam nomine Joannella filia Gregorij, & Intillæ brachio dextro à nativitate correpta, quam die prædictâ Parentes ad Ecclesiam Crucis adductam, meritis ejusdem B.M.V. post suscepta vota, incolumem receperunt.

Circa eadem tempora Antonius Calcitricus, dum graviter domi ægrotaret ad mortem, omni spe destitutus se toto corde S. Mariæ de Cruce commendabat; cumque id frequenter, & ex animo faceret, meruit tandè, ut eâ in domo, cunctis de familiâ admirantibus, Gloriosam Dei Matrem præsentem sibi adesse cerneret, quæ super illum adhibito Crucis signo, illicò sanavit, & incolumem in posterum restituit.

Per idem tempus accepimus Tuderti acci- A disse, ut Soror Margarita .2. Auruccia nostri Ordinis in Monasterio Annunciatæ gravi molestiâ malignæ febris urgeretur, adeò ut omni spe destituta, ad mortem nullâ interpositâ morâ properaret. Fuerat hæc Sanctimonialis B. Philippi nostri devotioni vehementer addicta, cumque habitum quendam super ejus ossa in Ecclesiâ S. Marci benedici curasB set, ut cum eo ad Sepulturam deferretur, vix eo superimposito, pristinam illicò sanitatem meruit recipere, affirmantibus Medicis, & qui ejus infirmitati interfuerunt, miraculum fuisse factum, ut è tam gravi morbo quasi de morte ad vitam revocata fuisset.

Altero interea decurrente anno contigit quid admirandum in nostrâ Ecclesiâ Brixiæ C ad Sacellum Annunciatæ .3. Fuit enim quidam nobilis de Bergomo, qui cum uxore, & filiâ, quæ diù cæca fuerat, illuc emisso voto venerat, ut gratiam pro eâdem filiâ reciperet, quam post preces, & lachrymas cum summâ fide, & devotione, cunctis admirantibus, cumulatè recepit.

Gregorius Sum. Pontifex post optimè naD vatam Christianam Remp. his diebus è vitâ decessit, ad quem Franciscus Bungi Rex, Protasius Arimanorum, & Bartholomæus Omurenorum suos Oratores miserant, qui triennio in navigatione consumpto 9. Kalen. Aprilis coram Pontifice procubuerunt. Is ex incredibili lætitiâ perfusus inopinato ferè in- *Oratores Japoniæ ad Greg. XIII.*

teritu defecit 4. Idus Aprilis; et Ordinem nostrum, quem multis privilegiis, ut visum est, libenti animo cohonestaverat, in maximo mœrore dereliquit. In cujus locum brevi successit F. Felix Perettus Picenus à Monte Alto ex Ordine Conventualium S. Francisci, quem Pius V. ob præclaras virtutes, religiosique ingenij solertiam inter Purpuratos cooptaverat, Sixtus V. eâ in Sede nuncupatus 8. Kal. Maij. Dies generalium Comitiorum advenerant, quæ Gregorij Summ. Pont. beneplacito Bononiæ celebranda essent, pro quibus ad suorum Concivium exhilarandas mentes idem Pontifex præcipuas exhibuerat Indulgentias plenarias pro diebus Purificationis B.M.V. Palmarum, & Ascensionis Domini singulis illis, qui nostras Ecclesias visitassent: literis propterea anno elapso Romæ datis die 27. Decembris. Prudenti consilio egerat Aurelius Generalis, ut præcipuâ quadam Ordinis ostentatione Capitulum illud in proprio Solo honorificentissimè haberetur, quò Bononiensium animos in Servitanam Religionem, & præcipuè in suum Cœnobium nuper renovatum propensiores redderet. Quare ex singulis Provinciis primarios Patres delegerat, qui per duos menses singulis diebus festis, tùm in Ecclesia nostrâ Servorum, tum S. Petronij plausibiles conciones haberent, quemadmodum & post Vesperas duodecim literarias concertationes scholasticorum Patrum eodem modo haberi voluit. Ex quibus M. Augustinus Goruccius de Aretio, qui tunc Senis publicè Methaphysicam profitebatur, Prosperus Rossettus Florentinus, Lælius Balleonius Regens Bononiæ, Hippolytus Massarinus Lucensis publicus Ferrariæ Theologus, Joannes Baptista Librantius Methaphysicus Pisanus, Michaelangelus Desiderius de Pistorio, Julius Malcalceatus de Mediolano, qui Ticini Methaphysicam interpretabatur, Anselmus Settus de Perusia, Valerius Seta Veronensis, Theodorus Ripa de Mediolano, & alij ejusdem primariæ notæ illustres viri. Concionatores verò, qui multi fuerunt, longum nunc esset repetere, unum illud compertum habetur nos etiam semel in Ecclesiâ nostrâ in die Ascensionis, & rursus S. Petronij feriâ sextâ Pentecostes cum cæteris subijsse laborem. Quò verò numerosior esset Patrum consessus, Provincialia comitia simul congregata fuerunt. Pro sacris etiam ritibus in Ecclesiâ non defuerunt ex nostris, qui Organis, & universi generis harmonicæ symphoniæ suam navarent operam, inter cæteros valde commendandus pro pulsandis Organis M. Joannes Maria Eustachius de Spinellis à Castrofranco, quem præter alias liberales artes, ut observat in Ipsius encomio Petrus à Martâ in suis Cōmentarijs super Logicam Aristotelis, tanquam Theologum, & Philosophum eminentem plurimùm commendat. In Musicâ verò M. Capellæ deputatus fuit M. Anselmus Settus de Perusio,

Greg. XIII. moritur.

Capit. Gener. Bononiæ.

E qui suis gravioribus, & scholasticis studiis hanc præcipuè Musicæ artis facultatem feliciter adhibuerat. Quando pridie ante Capitulum generale lis quædam, & dissensio de novo eligendo Generali excitata fuit, propter eos, qui Magistratum eundem affectabant; nam Joannes Baptista Michollа de Mediolano, Cyrillus Francus de Bononiâ, Joannes Baptista Librantius de Butrio, Alexander de Scandiano, Benedictus a Burgo S. Sepulcri, & alij ex primoribus Patribus novis Constitutionibus inhærentes Aurelium Menochium è Generali præfecturâ deturbare conabantur. Decertabat pro illis aperto marte Angelus Morellius quondam Generalis de Aretio, quippe qui diceret dispensationem specialem Gregorij Pontificis jam defuncti ex solo vivæ

F vocis oraculo Sixti V. ut testabantur literæ D. Card. Protectoris minimè valere, nisi per alias Apostolicas literas, confirmationem, & novum robur accepisset. His tamen pridie Capitulі perpensis, & diligenter ventilatis non obstantibus, die 8. Junij summâ 30. suffragiorum consensione Aurelius Menochius iterum in Generalem Præfectum salutatur, cui Orator in Curiâ adiungitur M. Paulus de Venetiis. Electores verò hi fuerunt. Pro Provinciâ Thusciæ Diffinitor M. Nicolaus Barbolanus de Aretio, Prov. M. Lælius Balleonius, Socius M. Hieronymus Florentini. Patrimonij D'ffin. M. Anselmus Settius de Perusio, Prov. M. Deodatus Duccius à Burgo S. Sepulcri, Socius. M. Juannes Marthiolus

G de Perusio. Romandiolæ . . . Marchiæ Tarvisinæ Prov. M. Zacharias de Veronâ, Socius P. Ludovicus de Vicentiâ. Lombardiæ Provinc. M. Julius de Mediolano Venetiarum Prov. M. Gabriel Dardanus à Judaicâ, Socius P. Sebastianus Malagutus à Rohado. Mantuæ Diffin. M. Antonius Rodulphius à Pisauro, Prov. M. Theodorus Oldroandus, Socius P. Gregorius à Mediolano. Genuæ Diffin. M. Antonius à Castro novo, Prov. M. Archangelus de Terdonâ, Socius M. Polycarpus de Genuâ. Neapolis Prov. M. Dominicus de Veronâ . . . Ex quorum Patrum consilio hæc decreta emanarunt observanda.

H *Decreta in Capitulo Generali Ordinis Servorum Bononiæ celebrato sub die 8. Junij 1585. pro reformatione morum, & statûs totius Ordinis constituta.*

1 *IN omnibus Ordinis nostri Studijs Regens à secundâ Dominicâ post Pascha usque ad octavam diem Julij, necnon & à primo Septembris usque ad 20. Decembris, ac à primâ Januarij usque ad Dominicam Septuagesimæ, saltem quinque diebus in qualibet hebdomadâ lectionem ex summâ D. Thomæ Scholaribus prælegat. Neque aliquis studentium, quovis prætextu, etiamsi licentiam à Priore Conventuali, vel etiam Provinciali obtinuerit, audeat præmissis temporibus à loco studij abesse; & qui secus fecerit,*

cerit, causâ repertâ minùs idoneâ, per Priorem Generalem nomine, & privilegijs Studentium privetur; & si Baccalaureus fuerit, in proximè futuro Capitulo Generali ad Magisterium promoveri non possit. Neque ullus studentium, aut Baccalaureorum, aut Regentium admittatur ad prædicationes habendas tempore Adventûs Domini, nisi in propriâ Ecclesiâ, aut ei ita proximâ, ut lectiones debitis, ac statutis temporibus propterea non omittantur.

2 *Qui publicè in studijs Generalibus, vel in Monasterijs aliorum Ordinum Theologiam, vel alias bonas artes docent, à Conventu nostro, in quo resederint, cujus Doctores ipsi filij non sunt, nihil habeant præter panem, & vinum; reliqua autem ex mercede illis provideantur; teneantur tamen juxta eorum conscientiam quàm frequentissimè Missam celebrare: Qui autem in* B *Civitate, vel loco, ubi est Conventus, cujus sunt filij, lectores fuerint, à suis Conventibus id habeant, quod ipsi Conventûs judicaverint convenire.*

3 *Novitij omnes Ordinis nostri, sive qui usque in præsens ad illum recepti sunt, sive qui in posterùm recipientur, tam Clerici, quàm Conversi futuri, habitu, in formâ, & scissurâ à Professis omninò distinguantur. His verò sit Patientia strictior, nec magis sesquipalmo lata. Nec crepidis, sed calceis duntaxat utantur; Atque de his intelligantur, quòd in Constitutionibus statuitur: Si quis novitiorum, &c.*

4 *Nemini liceat cujusvis gravaminis, quod reparari possit, prætextu, ad Generalem, aut Provincialem accedere, sed illi sufficiant gra-* C *vamen suum per literas significare, & juxta eorum mandatum peragere: Quòd si quis retento habitu, gravaminis colore, à Conventu discesserit, & infra quindecim dies coram Provinciali se non præsentaverit; vel qui à Provinciali gravatus intra mensem se Priori Generali non præsentaverit, vel ab eodem vocatus intra idem tempus coram eo non comparuerit, Apostata esse censentur, ac Apostatarum pœnis, ac si habitum dimisisset, subjaceat.*

5 *Ac pro tollendis controversijs, quæ plerunque inter Conventûs oriuntur, decernimus, ut ex pecunijs, quæ in Deposito pro sublevandis necessitatibus fratrum servantur, illis mortuis, quæ ad Religionem paternis hæreditatibus, vel ex lectionibus, prædicationibus, ac* D *alijs similibus spectant, semper ei Conventui, cujus is, qui defunctus est, filius erat, reddantur. At verò quæ ex Confessionibus, aut Missarum celebrationibus pro eleemosyna habentur, ac reliqua, quæ potius respectu Conventûs Fratribus donantur, cùm quis annos decem ad minùs proximè præteritos in Conventu, ubi moritur, conventualis resederit, ipsi Conventui, nullâ habitâ ratione illius, cujus est filius, relinquantur.*

6 *Insuper constituimus, ut nulli ex Fratribus liceat prædictas pecunias, quæ pro ipsis, ut præmittitur, servantur, alicui personæ seculari, aut regulari alterius, aut etiam nostri Ordinis, mutuò dare absque licentiâ Prioris in scriptis* A *habitâ; & qui secus fecerit, ultra alias arbitrio superioris imponendas, in pœnam amissionis prædictarum pecuniarum, & applicationis earundem ad communes Monasterij usûs incidat eo ipso.*

7 *Quicunque Baccalaureus ad Magisterij gradum in aliquâ Universitate suscipiendum ab olim celebratis Capitulis Generalibus sunt admissi, aut à præsenti Capitulo, vel ab alijs celebrandis admittentur, si insignia intra sexaginta dies susceperint, intelligantur simul esse promoti, & invicem se præcedant, sicut ante promotionem. Illi autem duo, qui à Generali in Capitulo fuerint, aut iam fuere promoti, præcedant omnes, qui insignia susceperint in Universitatibus vigore facultatis in eodem Capitu-* B *lo concessæ. Qui verò licentiam de se promoveri faciendo in approbatâ Universitate à Capitulo Generali in futurum obtinuerint, si intra annum insignia non susceperint, reddantur inhabiles ad ea ulteriùs accipienda, & hujusmodi facultate ipso jure privati existunt.*

Postremò pro favoribus, & variis beneficijs à Bononiensibus, præsertim à finitimis nostris Stratæ majoris acceptis gratias, & laudes retulit in suggestu Ecclesiæ nostræ oratione præclarâ, & vernaculâ linguâ exaratâ P. Joannes Angelus Lottinus de Florentiâ: cumulatiores verò gratias, & Bononiensium laudes latino sermone in Æde S. Petronij M. Prosperus Rossettus publicè retulit. C Nec defuit ad omnium complementum M. Valerius Seta præcipuas hujus Capituli laudes metricè decantare, multa enim hujusmodi carmina æquè suavi, ac eleganti stylo edidit, & Aurelio Generali nuncupavit. Summâ igitur lætitiâ, maximâque Bononiensium gratulatione singula quæque hujus Capituli processerunt; sed (proh dolor) finis funestus cytharam in luctum commutavit. Nam Cyrillus Francus repentino apoplexiæ morbo invasus, post paucas horas lethargico torpore consopitus extremum diem, non absque ingenti Bononiensium mœrore, & luctu persolvit, cujus funus Aurelij Gen. & totius universitatis jussu, & laudatione, lachrymisque & cunctæ Civitatis frequentiâ honorifi- D cum fuit. Erat Cyrillus omni scientiarum genere excultus, Theologus, Mathematicus, Philosophus, & Astronomus [Angeli Morelli Viri planè memorandi Alumnus,] qui præter Cathedram, quam Bononiæ plurimos annos gloriosè exercuit, præter alias m.s. lucubrationes hæc typis mandavit, Tractatum de Anno Jubilei D. Jacobo Boncompagno Soræ Duci nuncupatum. Echo, seù Æmula quædam vocum repercussio, &c. D. Cæsari Bovio dicata, Elogia virorum illustrium. Qui & multos in Physicis, & Mathematicis erudire consueverat discipulos, semper in studijs occupatus, nunquam otiosus, quin Musicæ arti adeò addictus, ut multos annos Organa

Cyrilli Frãchi mors.

Ecclesiæ nostræ pulsare oblectaretur. Ejus disciplinâ, & præsidio M. Balthassar Bolognettus discipulus, & alumnus a Præceptore nullatenus degenerans, sed in declamando longè superans, ejusdem Theologalem Cathedram à Bononiensi Senatu meruit obtinere.

Obitus M. Jo. Mariæ Capellæ de Cremonâ.

Cyrilli obitum non multò post secutus est M. Joannes Capella de Cremonâ, vir sanè probus, & irreprehensibilis, atque virtute, & religione omnium judicio cuique comparandus. Qui quidem dignè, & laudabiliter pluries in vetere administrandâ Congregatione, cui novissimus omnium præfuit, strenuè se gessit, & omni conatu eam coram Pio Quinto Pontifice quantùm potuit tutatus est; hujus moderatio animi cum summâ humilitate valde enituit, quando ab eodem Pontifice Socius Generalis universæ Religionis ad vitam constitutus, non multò post in Capitulo Arimini pro bono publicæ pacis, atque perpetuâ Ordinis concordiâ, spontè abdicavit. Ejus doctrinam omnes admirabantur, quæ non vulgaris, & communis cæteris in eo prælucebat; utpote qui non modò in liberalibus disciplinis, verùm etiam in Divinis scripturis, in scholasticis disputationibus, sacrisque Canonibus eruditissimum quemque superaret: unde Gulielmus Dux Mantuæ tanti viri famâ commotus, ipsum in suum Theologum, & familiarem adsciverat. Multa Pater iste lucubravit, quæ ad lucem non pervenerunt, ex quibus tamen duo edita fuerunt Opuscula; alterum de satisfactione Sanguinis Jesu Christi, & nostrâ, alterum verò de Prædestinatione, & libero arbitrio. Qui tandem studijs, & senio confectus Cremonæ ad Patres nostros fuit appositus die 24. Septembris. Unum illud in præteritis Comitijs (ut ad superiora revertamur) frustra desideratum fuit, nam jussione D. Card. Protectoris cautum fuerat, ne quispiam Baccalaureus ad Magistralem dignitatem admitteretur: huic verò multorum & merito, & desiderio cupiens tandem Aurelius Generalis morem gerere, ad pedes Summi Pontificis prostratus pro sex tantùm creandis Magistris in toto Ordine vix facultatem impetrare potuit pridie Idus Decembris.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

1 *AUctor cùm Tarentum ad prædicandum per Quadragesimam Barulo pertransiret ex tot miraculis hæc tantummodo duo carptim, & ex tempore collegit ex ipsis tabulis ejusdem Ecclesiæ, quamvis ab ipsis Patribus frustra iam dudum multa alia hujusmodi expectaverit.*

2 *Ex relationibus D. Alberti Petri Canonici Tudertini.*

3 *P. Ambrosius de Brixiâ cùm esset Rector illius Ecclesiæ miraculum hoc vidisse testatus fuit.*

4 *Auctor his Comitijs interfuit, & quæ vidit, atque narravit, singula hoc in loco commemorat.*

NOTÆ.

[JOannem Mariam Capellam, de quo hic num. 4. pluribus laudibus prosequitur etiam Franciscus Arisius, in suâ Cremonâ literatâ, ac præfata ejus Opera potissimùm commendat, qui pariter refert floruisse circa annum 1570. inter celebriores Ordinis nostri viros Joannem Hieronymum de Cremonâ, quem etiam memorat Brestianus, ubi de Viris illustribus scribit, necnon Theodorum Oldradum de Sablonetâ Diœcesis Cremonensis.

Joan. M. Capella Jo. Hieronymus de Cremonâ, & Theodorus Oldradus de Sablonetâ Viri illustres.

Recensentur nonnulla spectantia ad Conventûs de Castro novo Seripræ, de Luciniano, & de Genuâ cum origine aliorum Conventuum. CAP. II.

REcensendum hîc omnino videtur in primis, quòd Summus Pontifex Gregorius XIII. enixè petentibus Ordinis nostri Patribus ratam habuit, & confirmavit anno 1583 Concessionem Ecclesiæ S. Mariæ de Quercu prope Lucinianum in Etruriâ ijsdem Patribus factam, necnon unionem quorundam Beneficiorum, & alia, quæ in utilitatem eorundem Patrum cedebant, de quibus ad annum 1574. quæque pariter constant ex Apostolicis Literis annô prædicto datis Tusculi sequentis tenoris.

Gregor. XIII. cõfirmat privil. Eccl. S. M. de Quercu de Luciniano.

GREGORIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei ad perpetuam Rei memoriam.

EXigit iniunctum Nobis desuper Apostolicæ Servitutis officium, ut ad ea per quæ ubique Divinus cultus vigeat, & augeatur, ac religio propagationem suscipiat, & personæ sub ejusdem Religionis observantiâ Domino famulantes Divinis beneplacitis liberiùs, & quietiùs vacare possint, solicitè intendamus, & in his ejusdem officij partes favorabiliter impertiamur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Domûs B. Mariæ Ordinis Fratrum Servorum ejusdem B. Mariæ sub Regulâ S. Augustini degentium de Quercu nuncupatæ prope, & extra Castrum Luciniani Vallis Clanarum Aretin. Diœc. petitio continebat, quòd cùm anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Domus S. Rochi d. Ordinis propè, & extrà d. Castrum adeò tenues haberet fructûs, ut ex dd. Fructibus Prior, & Fratres tunc in d. Domo S. Rochi degentes vivere, & alimentari non possent, tunc Vicarius tunc existentis Episcopi Aretin. in spiritualibus generalis existens habens ad id, ut asserebat, ab Episcopo præfato specialem per ejus Literas facultatem, illius vigore

rura-

ruralem Ecclesiam Oratorium nuncupatam S. Martini de Fabricâ nuncupati propè, & extra d. Castrum, necnon, quæ de Jurepatronatûs Laicorum ex fundatione, vel dotatione existebat, ipsorum tamen Patronorum ad id accedente consensu, perpetuam Capellaniam sub invocatione S. Antonij in Ecclesiâ S. Angeli ejusdem Castri certo tunc expresso modo vacantes, ac sine curâ existentes sub annuâ præstatione octo librarum ceræ per d. Domûs S. Rochi pro tempore existentes Priorem, & Fratres Mensæ Episcopali Aretin. perpetuò solvendarum d. Domui S. Rochi pro illius Fratrum subsidio univit, annexuit, & incorporavit. Et de anno ejusdem Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octavo tunc existens Episcopus Aretin. unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi ordinariâ auctoritate confirmavit, & approbavit. Successivè verò cùm Bellorum, quæ in illis partibus viguerunt, aliarumque calamitatum eventibus d. Domus S. Rochi Ecclesia pene demolita jaceret, ne Fratres hujusmodi à Divinorum officiorum celebratione abstinerent, cùm ipsi Ecclesiam hujusmodi sic dirutam opportunâ, & necessariâ reparatione juvare nequirent, ut alio in loco commodiori Divinis juxta ipsius Ordinis pium institutum officijs vacare possent, dilecti Filij Universitas, & homines d. Castri, quòd ruralis, & sine curâ Ecclesia ejusdem B. Mariæ de Quercu prope, & extra d. Castrum Priori, & Fratribus præfatis pro unâ ibi construendâ Domo d. Ordinis, quam inhabitarent loco d. Domûs S. Rochi, ut præfertur; demolitæ, per Loci Ordinarium concederetur, consenserunt, postmodum anno ejusdem Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, tunc Episcopus Aretin. d. Ecclesiam B. Mariæ unâ cum illius Bonis mobilibus, & immobilibus eisdem Priori, & Fratribus pro construendâ Domo d. auctoritate concessit & donavit, ac Ecclesiam S. Martini, & Capellaniam prædictas prioribus unione, annexione, & incorporatione præfatis priùs per eum eâdem auctoritate dissolutis, d. Domui B. Mariæ, ad quam Prior, & Fratres præfati, ob d. Domus S. Rochi demolitionem, se canonicè transtulerant, præfatâ auctoritate, & perpetuò univit, annexuit, & incorporavit, prout in diversis patentibus Literis desuper confectis plenius dicitur contineri; & licèt Prior, & Fratres præfati à pluribus Annis Ecclesiam S. Martini, & Capellaniam præfatas, ut præfertur, unitas pacificè possedissent, nihilominus Visitator Apostolicus inter visitandum Diœcesim Aretin. de viribus unionum hujusmodi dubitare cœpit, ac ad Nos, & Sedem Apostolicam ad quascunque difficultates, & dubia inde de facili oritura recursum habendum esse censuit. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum asserentium se nullo modo in d. Domo B. Mariæ commorari posse, nisi fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiæ S. Martini, & Capellaniæ hujusmodi, qui, ac Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Quercu præfatæ insimul Quadraginta sex ducatorum auri de Camerâ secundùm communem æstimationem valorem annuum non excedunt, juventur, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis Ecclesiam B. M. de A *novo concedere, ac Ecclesiam S. Martini, & Capellaniam hujusmodi d. Domui B. Mariæ de novo unire, annectere, & incorporare, & aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui dudū inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica alijs uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem præfatam, & beneficij, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, & in quorum manibus dilectus Filius Antonius Acciajolus Clericus d. Diœcesis, cui Ecclesiam S. Martini, & Capellaniā hujusmodi etiam certò tunc expresso modo vacan-* B *tes, sub certis modo, & formâ tunc expressis per quasdam nostras Literas conferri, & assignari mandavimus etiam ultimò datis Literis executioni non demandatis omni, & cuicunque jure sibi in Ecclesiâ S. Martini, & Capellaniâ hujusmodi, seu ad illas quomodolibet competenti hodie in manibus nostris spontè, & liberè cessit; Nos'que cessionem hujusmodi duximus admittendam, ac Priorem, & Fratres Domûs B. Mariæ hujusmodi, & illius singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijs'que Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolven-* C *tes, & absolutos fore censentes, necnon fructuum, redditum, & proventuum d. Domûs B. Mariæ, & illi annexorum verum annuum valorem, ac verum & ultimum Ecclesiæ S. Martini, & Capellaniæ hujusmodi vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, & in corpore juris clausa, non tamen per obitum apud Sedem præfatam resultet, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Ecclesiam B. Mariæ hujusmodi cum omnibus illius Bonis mobilibus, & immobilibus eisdem Priori, & Fratribus de novo perpetuò concedimus, & assignamus, ac Ecclesiam S. Martini, & Capellaniam prædictas quovis modo, & ex cujuscunque personâ vacent, etsi tanto tempore vacaverint, quòd earum collatio juxta* D *Lateranensis statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipsæque Ecclesia S. Martini, & Capellania dispositioni Apostolicæ specialiter reservatæ existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datarum præsentium non sit in eis alicui specialiter jus quæsitum, cum omnibus illarum Domibus, ædificijs, bonis mobilibus, & immobilibus quibuscunque d. Domui B. Mariæ Apostolicâ auctoritate earundem, tenore præsentiū de novo perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ita quòd liceat eisdem Priori, & Fratribus per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Ecclesiæ S. Martini, & Capellaniæ hujus-*

hujusmodi liberè apprehendere, illarumque fructûs, redditûs, & proventûs, jura, & emolumenta quæcunque exigere, percipere, & levare; ac in earum, & d. Domûs B. Mariç utilitatem, & illius Fratrum subventionem convertere, Diœcesani Loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ. Decernentes præsentes Literas de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quòd interesse habentes, vel prætendentes ad hoc vocati non fuerunt, seu causa, vel causæ, propter quas posteriores unio, annexio, & incorporatio hujusmodi factæ sint, eorum Loci Ordinario, & tanquam à Sede prædictâ delegato, vel aliàs examinatæ non fuerint, aut ex quavis aliâ causâ notari, vel impugnari, seu aliàs quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus unquam posse, sed semper validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios effectûs sortiri, & obtinere. Non obstantibus priori voluntate nostrâ præfatâ, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri, & alijs Apostolicis Constitutionibus contrarijs quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi, vel alijs beneficijs Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales d. Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem Literas, & Processûs habitas per eosdem, ac inde secuta quæcunque ad Ecclesiam S. Martini, & Capellaniam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet alijs privilegijs, & Indulgentijs, & Literis Apostolicis specialibus, vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectûs earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Literis mentio specialis. Proviso quòd propter posteriores unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi Ecclesia S. Martini, & Capellania prædictæ debitis non fraudentur obsequijs, sed earum congruè supportentur onera consueta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, assignationis, unionis, annexionis, incorporationis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Tusculi Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Idib. Septemb. Pontif. nostri anno duodecimo.

Spina D.N.J.C. apud Castrû novum Scripiæ authenticè recognita.

Itidem recolendum videtur, quòd eodem anno 1583. Episcopus Terdonensis tanquam Sedis Apostolicæ delegatus alteram ex Spinis D.N.J.C. in argenteâ Thecâ repositam in Ecclesiâ nostrâ S. Mariæ de Castro Novo Scriplæ recognovit authenticè, & publicæ venerationi exponendam approbavit, prout constat ex ejusdem Literis ad illius Loci Priorem datis. Anno deinde 1584. Marcus Antonius Cardinalis Columna largitus fuit P. Eusebio Fulginati de Pontianis, ejusque Ordini Servorum Locum quendam, cui Tit. erat S. Antonij de Pontio, qui Conventui S. Marcelli de Urbe unitus statim fuit. In Regiâ quoque Civitate Neapolis P. Joannes Vincentius Casalius Florentinus Ordinis nostri sculptor, & Architector egregius, de quo in his Annalibus ad annum 1593. qui eo tempore ibidem fungebatur munere Architecti Regij, Franciscus Biffolus pariter Florentinus, & Manilius Caputus Cosentinus unanimi consensu decreverunt locum quendam, & Ecclesiam erigere B. V. M. consecrandum sub rupe S. Ermi ab initio illius stratæ, quæ dicitur *di Forcella*, quæque ob sui insignem longitudinem, & rectitudinem dicta vulgò fuit *la strada di Belvedere*. Annuente ergo Archiepiscopo situm huic Fabricæ erigendæ accommodatum coemere, & anno 1585. primum lapidem posuere, & Fabricam tum Ecclesiæ, tum Cœnobij promovere, & complere maximè studuerunt, cui operi proinde P. Joannem Antonium Guidonium de Neapoli præfecerunt, assensum, & facultatem omnem præbente Aurelio Menochio de Bononiâ Generali. Quin etiam idem P. Joannes Vincentius assecutus illud fuit, ut anno sequenti Archangelus noster Gianius Conciones Quadragesimales haberet Neapoli in Ecclesiâ S. Spiritûs, ut præclarâ de Patrum nostrorum virtute opinione conceptâ Populi larga conferrent subsidia ad usum hujus Fabricæ adhibenda, quippe qui Patres ipsos summopere diligere possent, & commendare, quòd planè consequi eidem licuit. Nam brevi eò redacta fuit Fabrica, ut Patribus datum ibi fuerit habitare. Verùm hac nostrâ tempestate plurimùm decoris, & utilitatis huic loco accessit, ex quo illius Civitatis, & Regni Proceres B. V. Dolorosam in ejusdem Civitatis, & Regni Patronam unanimi consensu elegerunt, eique cultum specialem in hac Ecclesiâ exhibendum decrevere, quemadmodum dicendum fusiùs erit ad annum 1703.

Conv. S. Antonij de Pontio.

Conv. S. M. Omniû Bonorum de Neapoli.

Transumptum exhibetur Bul. Eug. IV. pro causâ FF. Serv. de Genuâ cû Monach. S. Stepha.

Ex quo fortè excitata iterum fuerit alia quædam controversia cum Monachis S. Stephani Genuæ, de quâ satis ad annum 1327., cæteroqui protsus sedata per Eugenium IV. Summum Pont. anno 1442. Hoc eodem anno 1585. ad eandem protsus extinguendam exhibitæ rursus fuere Literæ Apostolicæ ejusdem Eugenij anno prædicto datæ, earumque transumptum publicum authenticè recognitum fuit per Philippum S. Angeli in Foro Piscium

Diaco-

Diaconum Cardinalem Vastavillanum S.R.E. Camerarium, quas hîc per extensum inserere juvat ad perpetuam rei memoriam. Hoc autem transumptum tenoris est, qui sequitur.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritûs S. Amen.

NOverint universi, & singuli hoc præsens publicum Transumptum inspecturi, & lecturi, quòd Nos Philippus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Vastavillanus S.R.E. Camerarius habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus Transumptum Literarum Apostolicarum fel. rec. Eugenij Papæ IV. ex Regesto Apostolico Bullarum collationatam per R.P.D. Hieronymum Avila ejusdem Regesti Magistrum. Cujus quidem Transumpti Literarum Apostolicarum tenor talis est, qui sequitur. Videlicet. Eugenius Episcopus Servus Servorū Dei Dilectis Filijs Priori, & Fratribus Domûs Jannen. Servorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad Apostolicæ dignitatis apicem Divinâ dispositione vocati ex incumbente Nobis sollicitudinis officio singulorum, & præsertim sub habitu regulari pia studio vitæ degentium pensatas conditiones habemus, ut debitum ad singula dirigentes respectum, sic circa illorum statum salubrem vigilanti curâ vacemus, & superni favoris affluente præsidio prosperi successûs ope juventur, & ex causis, quæ dispendij, vel turbationis extiterint optata suscipiant jugiter incrementa. Sanè pro parte vestrâ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim, videlicet, octuaginta quatuor, vel circa nunc annis elapsis inter Priorem, & Fratres, qui tunc erāt, Domûs Jannen. Servorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini, in quâ Divinis estis obsequiis mancipati ex unâ, necnon dilectos Filios Abbatem, et Conventum Monasterii S. Stephani Jannen. Ord. S. Benedicti ex alterâ, partibus, super eo quòd d. Domus infra limites præfati Monasterii tunc erecta, & ædificata fuerat, ac quibusdam alijs tunc expressis materia quæstionis exorta, tandem Prior Generalis Fratrum Servorum eorundem pro se, & Fratribus Domûs, ac ipse Abbas pro se, necnon Conventu hujusmodi super iis in quondam Andronicum Abbatem Monasterii Cluniacen. Matisconen. Diœcesis Apostolicæ Sedis Nuncium compromittere curarunt, qui visis, & examinatis scripturis, ac Processibus partium earundem inter alia sententiavit, pronunciavit, & declaravit, quòd in Epiphaniæ, & Assumptionis B.M. Festivitatibus Abbas ipsius Monasterii S. Stephani pro tempore existens Missam majorem in Ecclesiâ d. Domûs celebrare valeret, vel per alium, quem vellet, facere posset, & deberet celebrare, dictique Fratres præfatæ Domûs eum, vel alium ad celebrandum ibidem honorificè admittere, & ei processionaliter usque ad ipsius Ecclesiæ limen occurrere, necnon retento sufficienti pro custodiâ d. Domûs ipsorum Fratrum numero, singulis annis perpetuis temporibus in tribus ante Festam

A *Ascensionis Domini rogationum diebus Processionem, & Litanias tunc cum Conventu hujusmodi, necnon alijs ejusdem Monasterij Capellanis associare, & eis à principio usque ad finem interesse, ac illos, etiam intra d. Ecclesiam honorabiliter suscipere, necnon Nativitatis, & Inventionis S. Stephani festivitatibus in ipso Monasterio primis Vesperis, & majori Missæ similiter à principio usque ad finem interesse deberent, ac tenerentur. Et quas quidem sententiam, pronunciationem, atque declarationem per Te prædictum, necnon singulares tunc ipsorum Domûs, & Monasterij S. Stephani personæ laudarunt, & approbarunt, ac etiam suis desuper juramentis præstitis sub pœnâ Sexcentorum Florenorum auri boni, & justi ponderis pro unâ*

B *parte sententiam hujusmodi servantibus, & aliâ medietatibus Apostolicæ Cameræ applicanda servare, & non contravenire promiserunt, renunciantes quoad hoc concessis, & concedendis Apostolicis privilegijs quibuscunque, prout in Instrumentis publicis inde confectis plenius dignoscitur contineri. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, sententia, pronunciatio & declaratio hujusmodi, necnon ea quæ in ipsis comprehensa sunt modicum ad ipsius Monasterij S. Stephani profectum, vel indemnitatem conferant, & ex illis, ac eorum observantiâ plerunque magna Vobis dispendia proveniant, atque detrimenta, pro parte vestrâ Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Vobis, & alijs, quos in ipsâ Domo de cætero morari contigerit, Servorum hu-*

C *jusmodi Fratribus, super his opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui fide dignis relatibus de præmissis sufficienter informati fuimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vos, ac ipsos alios Fratres à comprehensis, & observantiâ promissi etiam desuper hujusmodi juramenta relaxantes auctoritate Apostolicâ prorsus absolvimus, & totaliter liberamus, ac deinceps ad illa minimè teneri decernimus per præsentes. Volumus autem, quòd d. Abbas per seipsum duntaxat in Ecclesiâ præfatâ majorem Missam, si velit, in ipsis Epiphaniæ, & Assumptionis Festivitatibus celebrare valeat. Vosque, necnon alii Fratres præfati singulis annis infra dies præfatos eidem Monasterio S. Stephani unum cereum ponderis*

D *sex librarum in recompensam dare, & assignare perpetuò sitis adstricti. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus Apostolicis, necnon Monasterii S. Stephani, ac Domûs, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis alia firmitate roborat. Statut., & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ relaxationis, absolutionis, liberationis, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Florentiæ anno Incarnationis Do-*

minicæ

minicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo pridie Idûs Septembris Pontificatûs nostri anno duodecimo. Quo quidem Transumpto diligenter inspecto ad requisitionem Domini Constantini Comitis per Notarium publicum infrascriptum ipsius exemplari mandavimus, & transumi, ac in publicam Transumpti formam redigi, decernentes, & volentes, ut huic præsenti transumpto publico, sive exemplo plena fides deinceps adhibeatur ubilibet, in locis omnibus, & singulis, quibus fuerit opportunum, ipsumque Transumptum fidem faciat, & illi stetur, ac si originales ipsæ Literæ apparerent, quibus omnibus, & singulis auctoritatem interposuimus, & decretum ad ampliorem evidentiam præmissorum, sigillum nostrum eiusdem Cameræ, quo in talibus utimur, præsentibus duximus apponendum. & per infrascriptum nostrum eiusdem Cameræ Notarium subscribi fecimus.

Dat. Romę in Camerâ Apostolicâ sub anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Indictione decimatertiâ, die verò trigesima Mensis Augusti, Pontificatûs SS. in Christo Patris, & Domini nostri D. Sixti Divinâ providentiâ Papæ V. anno eius primo.

Philip. V. Card. Cam.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta ex eorundem Conventuum monumentis colliguntur.]

De B. Margarita Veronensi, & de Stephano Bonuccio, quem Sixtus V. inter Cardinales legit. CAP. III.

INter illas nostri Ordinis Tertiarias, quæ Veronæ hoc tempore degebant, contigit hoc anno, ut consoror Margarita post præclarum magnæ pœnitentiæ agonem, ad cœlestem gloriam evolaret. Hæc fuit illa verè pretiosa margarita, quæ cœlestis gratiæ rore inter hujus Mundi maritimos vortices se ipsâ semper evasit candidior. De eâ enim ferunt, quòd tantâ fuisset abstinentiâ, ut solis radicibus, & herbis contenta, panes, & alia obsonia pauperibus quotidie erogaret, quin & quâ die Sacrâ Comunione reficeretur totum illud tempus absque alio cibo in oratione consumeret. Multos pariter annos catenam ferream super lumbos tam districtè gestaret usque ad mortem, ut unà simul cum carne coniuncta reperta fuisset. Tantâ assiduitate die, noctuque in oratione erat, ut spiritali potius alimoniâ, quàm corporali enutriri videretur. Parvus somnus, silentium ingens, otium nullum, & quod sibi tempus vacasset, totum in proximi auxilium impendebat. Obedientiæ virtutem adeò coluit, ut nunquam audita fuerit unico verbo repugnare mandatis, immo gaudebat Ignominiâ, & opprobrijs, nam semper parendi quærebat occasiones. Talibus itaque Margarita operibus lucidior effecta, ut magis virtuti patientiæ adolesceret, in diuturnam febrem ethicam incidit, quo in morbo semper hilaris, semper læta Consorores de suâ ægritudine perturbatas frequenti hortatione magis consolabatur potiùs, quàm ab ipsis solamine aliquo indigeret. Quamobrem plures menses eo in luctamine posita Margarita, quò corporis magis affligebatur angustijs, multò vegetior apparebat in mente, illud sæpe ea animo proferens *Cùm infirmor, tunc fortior sum*. Die igitur 11. Aprilis Sacris refecta spiritum Deo, quem tantoperè coluerat, libentissimè reddit, cœtu Beatarum nostrarum associata, in Cœlis fulgens. Cujus imaginem poterit quis effingere ad modum extenuatæ Sororis jugum in manu gestantis, & coram Sanctissimo Crucifixo orantis. Sequenti anno Magister Angelus Morellus de Aretio idem mortalitatis onus subijt 11. Kal. Februarij. Hunc fuisse, & in varijs Præfecturis nostræ Reip. administrandæ, & rei literariæ virum præclarissimum multa declarant, si enim munera, quæ in Religione exercuit, spectemus, M. Angelus per varios gradûs singulas nostri Ordinis dignitates usque ad Generalatum obtinuit, quo in munere veterem Congregationem in Provincias, Gregorio Summ. Pontif. mandante, in partes distribuit, & in Ordinem aliarum Provinciarum redegit; si verò rem literariam attendamus, Angelum multis nominibus primarium Virum fuisse fatebimur, siquidem post varias, easque acerrimas disputationes per præcipuas Italiæ Urbes, tantam doctissimorum gratiam inijt, ut multæ Universitates Italiæ certatim illum sibi ultrò cooptare curarent, ut Patavij, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Perusij, Papiæ, & alibi. Diversas domesticas Ordinis nostri Academias rexit, publicas lectiones per varia Gymnasia multos annos exercuit, Senis Methaphysicam plures annos, Romæ Theologiam, ac denique Cardinalis Farnesij hortatione sacram Scripturam in S. Laurentio in Damaso interpretatus fuit. Ob cujus sapientiæ famam Gregorius Summ. Pontif. causam Carranzæ Archiepiscopi Toletani, ab eo cũ alijs Theologis examinandam detulit, quin & Sanctæ Inquisitionis officio Consultorem adhibuit; super Indicem etiam librorum deputatus, correxit opera DD. Basilij, Nazianzeni, Hilarij, & Bedæ ab hæreticis depravata, ex quibus assiduis studijs multa deprompsit, multaque lucubravit omni laudatione digna, quę morte pręventus pręter parva quędam opuscula evulgare non potuit: scripsit enim in Dialecticam, Philosophiam, super Magistrũ Sententiarum, de transitu animę ad belluas, quęstionem an sanguis sit formaliter animatus, an sit pars corporis, & Dialogum de Amore. Hunc non multò post secutus est mo-

Mors, & Imago B. Margaritæ Veron.

M. Angelus de Aretio moritur.

riens M. Paulus Atrigus Florentinus, qui librum apud Marescottos edidit de bonitate Principis. Hoc eodem anno à septem viris excitatur Florentiæ, aut fortè renovatur vetus, & penitus antiquatum Sodalitium ad honorem B.P.N. Philippi, cujus exordia, & progressûs cùm satis apertè in Historiâ nostrâ ejusdem B. Patris conscripta fuerint, satis sit hoc loco attigisse. Illud tamen præcipuum, & omni memoriâ dignum occurrit, quòd hoc eodem tempore Sixtus V. non immemor intimæ familiaritatis, & necessitudinis, quam cum Stephano Bonuccio de Aretio in Hispanicâ legatione contraxerat, quod non fecerat Prædecessor, qui illum tantummodo ex Alatrino Episcopo Præsulem Aretinum fecerat, illum ad Urbem evocavit, & postquam super graviora quædam negotia destinasset, feriâ 6. Quatuor temporum Adventûs in Cardinalium numerum sub tit. SS. Petri, & Marcellini adscivit, & super Congregationem Sacri Concilij præesse mandavit. Ob cujus purpuream dignitatem quantùm lætata est Religio Servorum, tantundem versa-vice mœrendi occasionem habuit, quòd præclarus ille à Sanctis Patribus in Germanijs, & præcipuè à B. Philippo plantatus Ordinis nostri ager, penitus exsiccatus hoc tempore defecerit. Quòd si Antonij Alabanti Generalis exemplo per successores frequenter excultus, & jugi observantiâ conservatus fuisset, nequaquam modò sanguineis lachrymis deplorandus foret, neque gregi illi contigisset, ut per mercenarios, & non per proprios Pastores custoditum, tandem dissipatum, & perditum intueremur. Ultimus igitur Generalis Vicarius, qui ejus curam gerere debuisset Joannes Baccalaureus Salisburgensis proprij commodi, & honoris potius, quàm publicæ administrationis diligens custos, ingruente etiam in dies magis ac magis hæreticorum Flammâ, & Turcarum deprædatione, postquam omnia nostra depetiissent, & ipse infeliciter periit.

Stephanus de Aretio Card. creatur.

Ordo Serv. in Germaniâ deficit.

[Jacturæ hujus gravissimæ damna reparari aliquomodo cœperunt in Regno Neapolitano, sicut et in alijs Italiæ partibus, in Hispaniâ, & in insulâ Corsicæ consequentibus annis, prout ex dicendis constabit. In primis in suburbijs Neapolis extra Portam Toleranam, vulgò dictam *Spiritûs S.* in Agro, qui dicitur *Fousecæ* D. Virgilia Fôseca studio potissimùm, & operâ P. Augustini de Julijs Ord. Serv., illius Agri portionem eidem Ordini dono dedit anno circiter 1587. in quo constructum fuit Cœnobium unà cum Ecclesiâ sub Tit. S. Mariæ Matris Dei, ad hoc ut ibi Deiparæ cultus maximè augeretur. Humilia quidem fuere Loci hujus exordia; verùm procedente tempore Patrum ibi degentium solertiâ, & instaurata elegantet fuit Ecclesia, & Conventus uberioribus proventibus instructus, cui sanè incremento plurimùm contulere, qui adhuc superstint Patres. Eodem anno 1587. locus

Conv. S. M. Matris Dei de Neapoli.

A alter Ordini nostro accessit extra Oppidum antiquitùs dictum *Mandurium*, modò verò *Casale novum*. Scipio Pasanisius hujus Oppidi incola, cùm Adolescens Neapoli studiorum causâ commoraretur, ibique graviter ægrotasset, Patres nostri apud Mergellinam Ipsum perhumaniter exceperunt, eique, prout ordo Charitatis petebat, diuturnâ infirmitate laboranti præstò jugiter fuere. Cùm autem in Matrimonium copulatus cum Virginiâ Antogliettâ Liberos nunquam ex eâ suscepisset, hospitalitatis prædictæ memor Bonorum omnium suorum, & quidem plurimorum, Patres prædictos hæredes ex asse reliquit, habito publico Instrumento, de quo rog. fuit Cæsar Demetrius pub. illius Oppidi Notarius die 21. Maij 1587. quo parter decrevit, quòd in altero è suis prædijs, cui
B Titulus erat *S. Michaelis Archangeli*, sub eodem Titulo construeretur Ecclesia unà cum Cœnobio pro nostris Patribus. Quod cùm quinque annis exactis completum omnino fuisset, corporalem ejus Loci possessionem adiere Patres unà cum omnibus Bonis, tum mobilibus, tum immobilibus, ex quo non mediocris iisdem accessit annuus proventus. Quoniam verò Locus hic ab Oppido per duo milliaria distabat, ideoque tum Populus, tum Patres grave subibant incommodum, aliò sese transferre decreverunt, sibique locum statuere eidem Oppido proximum, quod postmodum executioni mandarunt, quemadmodùm dicendum erit ad annum 1638. quæ quidem
C ex eorundem Conventuum monumentis, & è m. s. Archangeli Gianij didicimus.

Conv. S. Michaelis Archãgeli de Casali novo, sive Mandurio.

NOTÆ.

[ARetini Cœnobij Patres in perenne grati animi monumentum, & præclaræ opinionis argumentum, quam de Angelo Morellio semper habuere, cujus obitus, & gesta in hoc Cap. memorata fuere, Inscriptionem sequentem sepulcralem in Ecclesiâ publicè exponendam curarunt.

F. Angelo Morelli Generali hujus
Cœnobij Alumno,
Qui Consultor S. R. Inquisitionis
D *Opera omnia DD. Basilij, Nazianzeni, & Bedæ*
ab Hæreticis deturpata
ad pristinum candorem restituit.
Hic post annos LXXXIIX. ab obitu monumentum
coloribus exprimi
Patres curarunt
Anno Jubilei MDCLXXV.]



In Comitijs Cæsenæ M. Joannes Baptista Librantius eligitur 38. Gen. Serv. & B. Magdalena de Spoleto moritur.
C A P. IV.

IN Comitijs hoc anno Cæsenæ die 4. Junij habitis Aurelius Menochius deposito Magistratu successorem habuit Joannem Baptistam Librantium de Burrio, qui Pisis multos annos Methaphysicam publicè fuerat professus, quamvis alterum Joannem Baptistam Micheliam de Mediolano in eodem officio assequendo ex Apostolicâ dispensatione competitorem habuisset. Neque enim fine illâ permittebant novæ Constitutiones, ut Procurator in Curiâ statim præfectuntam Generalem assequi posset. Librantius igitur fuit XXXVIII. Generalis Cæsenæ electus à Diffinitoribus, & alijs Provinciarum Officialibus, qui fuerunt M. Lælius Balleonius de Florentiâ Diffinitor Thusciæ, & hic in Romanâ Curiâ fuit Procurator designatus, Prov. M. Franciscus Maria Bardellius de Flor. Soc. M. Lucas Ferrinius de Prato. Patrimonij Diffinit. M. Joann. Matthiolus, Prov. M. Marcellus Raphaellius de Perusio; Socius Mag. Deodatus Duccius à Burgo S. Sepulcri. Romandiolæ Prov. M. Cæsar Bolognonus. . . . Lombardiæ Prov. M. Archangelus de Parmâ . . . . . Marchiæ Tarvisinæ Prov. M. Julius de Veronâ. Venetæ M. Aloysius Gilbertus de Bergomo Prov. P. Raphael de Veronâ Socius. Mantuæ M. Theodorus Oldroandus Diffin. M. Anselmus Compagnonus Prov. M. Aurelius Blancus de Cremonâ Socius. Genuæ Diffin. M. Hieronymus à Murrâ, Provincial. M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Socius P. Archangelus de Vineali. Neap. . . . . . . Generalis autem ad explicandam suæ benignitatis naturam hoc sibi elogium assumpsit. *Suavis Dominus universis*. Ex his verò Comitijs emerserunt infrascripta decreta.

M. Jo. Bapt. de Burrio 38. Gen.

Decreta, quæ Capitulum Generale Ordinis Servorum, Cæsenæ celebratum anno Domini 1588. sub die 7. Junij, de novo constituenda judicavit, inhærens literis Illustrissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Sanctæ Severinæ Protectoris sub die primâ Junij datis, & eâdem die septimâ coram ipso Capitulo lectis.

1 *IN Ordinis nostri Constitutionibus salubriter statutum fuit, ut in quibuslibet studijs alicujus ex approbatis Theologis doctrina addiscenda proponatur, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Quod cùm usque modò executioni non fuerit demandatum: Idcirco præcipiente Sanctissimo D. N. ut in quibuscunq. Religionibus certus, ac determinatus Doctor prælegatur, cujus etiam doctrinam, & determinationem in scholis tam Regentes, quàm Discipuli sequantur; Nos attendentes quàm tuta, & ab omni errorum suspitione, secura, & quàm brevis, & facilis Doctrina D. Thomæ, & sit, & à totâ Europâ existimetur; statuimus, ut in unoquoque triennio totius Theologiæ cursus juxta Doctrinam, & ordinem, quem prudictus Doctor in suâ Summâ sequutus est, à Regentibus perficiatur, & ejusdem Angelici Doctoris determinationes tam à Regentibus, quàm à Scholaribus in Scholis teneantur, & defendantur. Atque temporibus proximè præcedenti capitulo præscriptis, cujus decretum (quatenùs opus sit) innovamus; præcipuè ejus Summæ partes prælegantur; ita ut anno post secundam Dominicam à Paschate prælegantur præambula Theologiæ, & Tractatûs, qui ad essentiam, & proprietates Divinitatis, ac Trinitatis Divinarum Personarum spectant, à Quæstione primâ primæ partis usque ad 43. inclusivè. A primâ Septembris, Tractatûs de Creatione, & de Angelis, qui à 44. usque ad 65. continetur. A primâ Januarij, Tractatûs de libero Arbitrio, à Quæstione 82. usque ad 90. Secundo verò anno, à secundâ Dominicâ post Pascha, Tractatûs de Virtutib. à q. 55. usque ad 68. primæ secundæ. A primâ die Septemb. Tractatus de peccatis, à 71. usque ad 88. A primâ Januarij Tractatus de Lege, à 98. usque ad 108. Tertio verò anno, à secundâ Dominicâ post Pascha, Tractatus de Gratiâ, à q. 108. usque in finem, & Tractatus de Incarnatione in principio Tertiæ partis. A primâ verò Septembris, usque in finem, tota materia de Sacramentis, reliquis quæstionibus tertiæ partis, atque additionibus comprehensa. Poterunt autem Regentes faciliora vel omittere, vel summariè docere, prout eruditioni studentium censuerint expedire. Curabunt tamen, ut cùm ea, quæ ipsi prætermiserint, tùm alias ejusdem Summæ partes, quæ præsenti decreto non sunt comprehensæ, studentes per seipsos legant.*

Decreta Cap. Gen.

2 *Baccalaureus verò Conventûs teneatur per spatium ejusdem triennij totam philosophiam Aristotelis absolvere, ut Primo anno prælegat octo libros Physicorum ejusdem Philosophi. Secundo anno, quatuor de Cælo, & Mundo; & duos, de Generatione, & Corruptione. Tertio anno, tres de Animâ; & quartum, septimum, & duodecimum Metaphysicorum. Magister studij eodem temporis cursu absolvet totam Aristotelis Logicam; primo anno, Libellum Porphyrij, lib. Prædicamentorum, & Perihermenias. Secundo anno, & tertio, libros Posteriorum, & Elenchorum.*

3 *Ad Regentem verò præcipuè pertinebit, ut reliquæ Philosophiæ, & Dialecticæ partes præsenti Decreto non comprehensæ à studentibus non omittantur, & quolibet triente anni completo, teneatur per suas literas Priori Generali sincerè significare numerum lectionum ab ipso, & à reliquis Scholæ lectoribus habitarum, & pariter quolibet trientis initio coràm omnibus studentibus, tàm decreta in proximo Capitulo præcedenti, quàm in præsenti pro reformatione studiorum constituta publicare, ne eorum aliquis ignorantiæ prætextu observationem illorum*

omit-

omittat. Studentes verò, & Baccalaurei in studiis commorantes, & lectiones Regentis minimè audientes, studentium, & Baccalaureorum privilegiis sint privati.

4 Quicunque studentes in Capitulis Provincialibus diversarum Provinciarum, eodem anno jam celebratis, aut in posterum celebrandis ad Baccalaureatum promoti sunt, vel promovebuntur, tanquam simul promoti intelligantur, & invicem praecedant secundùm tempus suscepti Ordinis Presbyteratûs.

5 Quoniam proventûs Domûs nostrae Sancti Marcelli de Urbe non sufficiunt, ut illius familia inde alatur, & subministretur etiam victus Fratribus Ordinis nostri, qui ad Urbem ob diversa negocia, tùm communia Conventuum, tùm etiam sua propria, concurrunt; Statuimus, ut quilibet Frater nostri Ordinis ad Urbem legitimè, & juxtà modum à Constitutionibus praescriptum, accedens, per dies octo victum expensis Conventûs S. Marcelli habeat. Si verò per longius temporis spatium ibidem commorari contigerit, ex pecuniis illius Conventûs, cujus causam tractat, vel ex illis, quae Fratris itinitu ad Conventum spectant, si propriam causam agit, teneatur persolvere, anticipatâ solutione, Julios quinque qualibet hebdomadâ; & Prior, atque Procurator Conventûs, qui hujusmodi solutionem anticipatam, etiam judicialiter coram Procuratore Ordinis, si opus fuerit, non procuraverit fieri, officio privetur.

Horum decretorum publicus Religionis Scriptor fuit M. Matthaeus de Butrio. Caeterùm quibus disputationibus, aut concionibus haec Comitia concinnata fuerint, nos, qui longè Neapoli agebamus, difficilè referre possumus. Disputarunt M. Dionysius Bucarellius de Florentiâ, M. Michaelangelus Desiderius de Pistorio Mantuae Regens, M. Angelus Maria Cillius de Pistorio Regens Florentiae, Angelus Maria Sermarinus de Arimino Magister Studij Perusij, & Gratianus de Perusio Baccalaureus. Interea Studiorum tempore accedente, ne Pisis Cathedra Methaphysicae vacaret propter novam Librantij Praefecturam, M. Prosper Roffettus Florentinus in ejus locum à Serenifs. Magno Etruriae Duce suffectus fuit. Per eos dies Soror Magdalena lectissima Virgo Claustralis Spoleti maximo cum odore sanctitatis ad Coelum evolavit, & haec ut altera Magdalena crebris quotidie lachrymis magis, quàm alio cibo coram D.N.J.C. nutriebatur, praesertim quâdo ad sacram Communionem recipiendam accedebat; sed acriori modo sese affligebat, lugebatque vehementer quando coram Sacerdote sua peccata diluebat. Usu habebat Magdalena, ut vel in vestibus, & velaminibus, vel in cibo, vel in cubiculo, seu in quovis officio profundissimam humilitatem, summamque paupertatem demonstraret; viliora quaeque munera Monasterij libentissimè affectabat, ab omnibus se despici gaudebat, &

Gesta, & obitus B. Magdalenae de Spoleto.

A jugi oratione consolabatur. Quibus communita virtutibus Daemonis versutias facilè superare potuit, & praecipuum illud prophetiae donum obtinere à Deo, ut singulis Sororibus, quas saepè in charitate objurgabat, occulta peccata revelaret, ac insuper, ut eis pavorem incuteret, diem extremum suae mortis singulis praedicebat. Quare tanto terrori, & reverentiae simul erat cunctis Monialibus, ut eam simul Prophetissam, & Beatam praedicarent. Hujus igitur assiduam poenitentiam, & humilitatem remunerans Jesus Christus, Magdalenam ad se in Coelum vocavit; cujus imaginem ad prototypum alterius Magdalenae coram Jesu Christo Crucifixo lugentem poterit quispiam appositè delineare. Hoc eodem anno Claudius de Landis Princeps

B Bardi, & Vallis Tari magnis febribus, & renum doloribus quotidie magis affligebatur, ità ut de propriâ salute jam desperare coepisset, quando ei succurrit in mentem de gratiis, & favoribus, quos saepe Virgo Mater Annunciata de Florentiâ in suos famulos conferre solebat. In ipsius itaque praesidio spem omnem reponens, votum vovit se sanctam illam Imaginem aditurum cum oblatione, quae nobili Principe digna existimaretur; hoc implorato auxilio, post triduum incolumis è lecto assurgens citato cursu Florentiam pervenit, Virginem Annunciatam pijs precibus salutavit, & argenteam suae personae Statuam magni ponderis obtulit, quippe qui praeter necessitatem praesentem Religionis nostrae Servorum cum suis Atavis, & familiâ semper

Statuã argẽteã offert D. Annu. de Flor. Princeps Bardi.

C propensus, semper beneficus fuit. [ut ex ijs constat, quae diximus ad annum 1485. ubi de fundatione Conventuum S. Mariae de Compiano, & de Bardio.] Agebat his temporibus Lucae M. Laurentius Luchesius, qui in propriâ patriâ Alexandro Guiduccionio Episcopo à Sacris inserviebat; & cùm esset publicus illius Cathedralis Theologus, speciale etiam Sanctae Inquisitionis officium, praesertim super indicem librorum, exercebat. Hic libellum quendam pro Initiandis ad Sacros Ordines hoc anno edidit valde fructuosum, & ejusmodi juventuti initiandae perutilem, ac omnigenae eruditionis plenum, quem postea per totam ferè Italiam diffusum Impressores plures ediderunt. Typis etiam mandavit

D Dialogum de homine poenitente cum nonnullis contemplationibus super Orationem Dominicam. Quo etiam tempore divino aspirante numine Angelus Maria Monrursius post varia studia, ut soli Deo, animaeque suae vacaret, obtentâ Superiorum veniâ ad solitariam degendam vitam, quasi perpetuo carceri ultrò mancipandus, in propria cellâ recluditur, post annum aetatis suae quadragesimum completum die 4. Novembris in Sabbatho, ubi quantum sub arctissimâ poenitentiâ in viâ Dei profecerit, & quae posteritati de se religiosa exempla reliquerit, fusiùs infra dicetur ad annum 1600.

Stephani Cardinalis, Joannis Baptistæ Librantij, & aliorum quorundam obitus, & laudes, necnon num. Cardinalium Servorum enarrantur.

CAP. V.

VIX fuerat ingressus annus 1589. quando Stephanus de Aretio Cardinalis ex hac vitâ decessit die Octavæ S. Stephani protomartyris advocati sui, anno ætatis suæ sexagesimo nono, quo quidem die capitis nostri coronam cecidisse mirum in modum lugebant Patres nostri. Hic Aretij in summâ paupertate, de quâ postea, dum vixit, maximè gloriabatur, Ludovico de Mutinâ, & Luciâ genitoribus ortus, usque ad septimum annum summâ cum devotione educatus pervenerat, quando Augustino Bonuccio de Aretio auctore, Habitu B.M.V. induitur. Noverat enim Augustinus altæ indolis futurum puerum Religioni vehementer addictum, unde & ei non fortuitò F. Stephani nomen imposuit, & Florentiam, ut in eo puerorum Collegio educaretur, transmitti curavit, ubi Stephanus alios ingenio longè superans, brevì ad majora studia provehitur, & Bononiæ primùm in liberalibus disciplinis, sacrâque Theologiâ eruditus, adhuc juvenis Regens declaratus Patavium mittitur, quo etiam munere functus fuit Bononiæ, quemadmodum ejus lucubrationes super Aristotelem, & Magistrum Sententiarum in Bibliothecâ Patrum Florentinorum Pisis conservatæ declarant. Inde mortuo Romæ M. Nicolao Schiavino de Cæsenâ Procuratore Ordinis, ab Augustino Generali in ejus locum adsciscitur, ac subinde Augustino defuncto, Apostolicus Visitator Ordinis cum alijs duobus declaratur; deinde ad Thusciæ præfecturam administrandam assumitur, & dum varijs muneribus fungitur, ad Sacrum Concilium Tridentinum mittitur, deinde Romam reversus, super Indicem librorum examinator constituitur, & interim Cœnobij S. Marcelli Prioris officium exercet, & Hugoni Boncompagno Cardinali à Sacris inservit, cum quo denique ad Hispanicam Legationem proficiscitur, ut aliàs dicebatur, donec tandem Cæsenæ totius Ordinis Servorum Generalis salutatur, sub quo demum ex Ordine, & Congregatione fit unum ovile, & unus Pastor. Ab Hugone tandem Cardinali suo, postquam Petri Cathedram ascendisset, Episcopus Alatrinus in die S. Stephani 1572. designatur, & non multò post Ecclesiæ Aretinę in proprio solo præficitur, quam usque ad Sixtum V. summâ vigilantiâ, & prudentiâ administravit, quo etiam tempore Patribus Capuccinorum S. Francisci Cœnoblum sub titulo S. Stephani à fundamentis erexit. Postremò Romam à Summo Pont. Sixto V. evocatus, hæreticæ pravitatis officio Consultor adiungitur usque ad quatuor tempora Decembris elapsi anni, in quibus cum alijs septem Prælatis in
E Cardinalium numerum, ut supra dicebatur, conscriptus fuit. Quâ in dignitate constitutus, adeò pristinos Religionis mores retinuit, ut honores, & non mores mutasse videretur, omnes benignè, & sereno vultu suscipiens, & alloquens, demi ferè semper in proprio Monasterio S. Marcelli, ubi degebat, se continendo, nisi cùm vel Summum adiret Pontificem, aut viseret Collegas, vel D. Joannis Basilicam Sabbathis continuatis devotissimè frequentaret. In die igitur S. Stephani pleurit dis morbo correptus, tandem octavâ die Sacramentis mirâ cum devotione acceptis, cùm in extremo agone audiret à quodam ex astantibus Fratribus: *Illustrissime*
F *Domine recordare quod B. Stephanus, cujus hodie Octavam celebramus, vidit Cœlos apertos, vidit, & introivit, beatus homo, cui Cœli patebant.* Iis denique verbis ab ipso Stephano jam moriente, prout poterat, repetitis, & oculis, quos antea clausos tenebat, in Cœlum sublatis, & ad sydera palmis elevatis, Fratribus cunctis lugentibus animam Deo reddidit. Funeri ejus 42. Cardin. interfuerunt, & F. Antonius Zanobius Baccalaureus Florẽtinus pro suggestu laudes ipsius celebravit, & appositum fuit super ipsum sequens marmoreum monumentum.

D. O. M.

F. Stephano Bonuccio Ord. Servor.
G Civi, & Episcopo Aretino S. R. E Presbytero Card. tit. SS. Petri, & Marcellini. Cùm insignis religio, prudentia, & doctrina omnium judicio, & votis majora pararent, extincto ætatis suæ Ann. 68. salutis humanæ 1589. die secunda Januarij.

Ludovicus Bonuccius, Julius, & Joannes Baptista Fratres Patruo benemerito P. C.

H

Hujus autem novissimi Card. nostri Ordinis occasione cogimur dubitationem illam elucidare, quæ ex præteritorum Scriptorum varietate quorundam mentes de numero Cardinalium Ordinis Serv. diu torquere visa fuit. Nam Pocciant. quatuor tantùm Cardinales hujus Ordin. enumerat, nimirum priorem Anonymum, ex quibusdam verbis in lapide super tumulum Ecclesiæ nostræ Viterbij, quem nos Cent. 2. lib. 3. c. 2. *Cardin. omnes Servor. enumerantur.*

1 Androinum fuisse demonstravimus.

2 Alterum Stephanum Muchiachelium à Burgo S. Sepulcri, de quo nos Cent. 2. lib. 5. cap. 7.

3 Ter-

3 Tertium Joannem de Saxoniâ, de quo similiter Cent. 3. lib. 5. c. 2.

4 Quartum Dionysium Laurerium Gephonensem, de quo pariter Cent. 4. lib. 1. cap. 5. Novissimum Stephanum Aretinum Pocciantius morte præventus non attigit. Post ipsum verò Poccian. Apollonius Painius, qui multa didicit ex monumentis Raphaelis Maphæi Veneti, & Jacobi Landrophili Ferrariensis (hos duos nullibi unquam reperire potuimus) in suis tabulis istos superaddidit.

5 Ludovicum Parisinum, de quo cent. 2. lib. 2. cap. 5.

6 Ernandum Viletam Barchinonensem, de quo cent. 3. lib. 1. c. 1.

7 Stephanum Bonuccium de Aretio. Nuper verò Gregorius Alafia de Summaripâ in illâ navi Religionis æneis tabulis expressâ, & B Venetijs editâ, in quâ Viri illustres, & Prælati enumerantur sex superioribus, Androinum pro septimo adiunxit, cujus peranti-quam imaginem cum subscriptione Ordin. Servorum in bibliothecâ S. Marcelli de Urbe vidit. His verò septem F. Simon à Castellaccio in suis chron. m. s. octavum addidit.

8 Joannem Baives Andegavensis à M.Cosmo Flor. in suis monumentis m. s. in bibliothecâ Conv. Annunc. de quo Cent. 3. lib. 2. c. 14. His nonum superaddidit Carolus Tappia in suis Hispanicis historijs.

9 Antonium Cerdanum Ilerdensē, de quo Cent. 3. lib. 1. c. 15. Novissimè autem, dum varia monumenta Ord. nostri per diversa Cœnobia nos oportuisset evolvere, inter memorias Conv. Bononiæ contigit, ut superioribus Cardinalibus alterum suo loco addetemus. C

10 Lucidum de Comitibus Domicellum Romanum, prout Cent. 3. lib. 1. c. 5. Postremò undecimus Cardin. pro Ordin. nostro adiungendus occurrit (quod fortasse nonnullis mirum videri posšit.)

11 Bessarion Trapezuntius Card. Nicænus, qui ex Monacho S. Basilij, Androinum, & Lucidum imitatus, Frater nostri Ord. Servorum ob specialem in Deiparam devotionem habitu nostro suscepto, non fuit dedignatus appellari, veluti non spernenda monumenta id faciliè indicare videntur. Undecim igitur Card. non immeritò sibi vendicare potest D hic Ordo, novem, qui ex eo in purpuratorum Senatum prodierunt; tres verò, qui post Cardinalatum non dimissâ dignitate, ipsius habitum susceperunt, & eid. Ord. pro suâ speciali devotione nomen dederunt.

Jo. Baptista Gener. moritur. Anno interim revoluto Joannes Baptista Generalis cùm Romam pervenisset, Pontificem pro summis Reipub. nostræ negotijs aditurus, apoplectico morbo die 21. Martij oppressus, inopinatum, repentinumque subijt interitum [die 12. Aprilis] Fuit Joannes Baptista tranquillæ vitæ amator, & in lectione assiduus, adeò ut ab extremo morbo correptus, summam S. Thomæ evolveret, & cum eo codice simul moreretur. Quinque annos à A primâ juventâ in Bononiensi Studio Cathedram Methaphysicæ exercuit; inde Pisas à Cosmo I. M. Duce evocatus, pari modo eandem Cathedram viginti octo annos strenuè sustinuit, cujus lectionis occasione Francisci Magni Ducis Etruriæ gratiâ, & favore supremum Ordinis nostri Magistratum assecutus fuit. Romæ igitur defunctus in Ecclesiâ S. Marcelli hoc Epitaphio marmoreo adhuc celebratur.

F. Jo. Baptistæ Librantio Butriensi Phil., ac Theol celeberrimo, ob vitæ integritatem, & miram omnium Scientiarum peritiam Ord. sui splendori, postquam divinam Arist philosophiam per quinque annos Bononiæ, per viginti, & octo Pisis publicè explicasset, Servitarum Generalatum unanimi Patrum consensu adepto, secundo hujus magisterij, & ætatis suæ anno sexagesimo quarto 12. April. 1590. vi mortis erepto.

Pij Patres Butrienses benemerito posuere.

Lælius Balleonius eligitur Vic. Gen. Quare nostri Ordinis deficiente Præfecto Generali Sixtus V. opportunam Lælij Florentini Procuratoris in Curiâ occasionem nactus, & à Ferdinando Cardinali Mediceo rogatus, eam provinciam gubernandæ Religionis ipsi commendavit usque ad futurum Capitulum generale, per Apostolicas literas quinto Kal. Aprilis. Utrique enim Lælius ob ingenij vivacitatem, & præclaras virtutes gratus antea fuerat; nam Sixtus in minoribus illum in disputando acerrimum noverat; Ferdinandus verò ob lucubrationes de peccato originali sibi olim dicatas suam in eum propensionem pluries demonstraverat. Cumque oporteret Lælium Româ abesse propter instantia Comitia provincialia Ordinis, in officio Procurationis substituit M. Nicolauo Barbolanum de Aretio, [de quo ad annum 1592.] Hoc eodem anno prodigiosum quid, & insuetum accidit, ut tres vicissim in Petri Cathedrâ succederent Pontifices; nam Sixto V. post grave magnarum rerum pondus defuncto die 27. Augusti, successit Kal. Octobris Urbanus VII. qui antequam ad Cathedræ coronam pervenisset, quinto Kal. ejusdem è vitâ recessit, in cujus locum nonis Decembris sedit Gregorius XIV. Ad hujus pedes Lælius Romam reversus, Card. S. Severinæ Protectore agente, facultatem impetravit, ut in proximis Comitijs Parmæ habendis in Priorem Gene-

M. Julius de Mediolano moritur.

neralem eligi posset. His fermè diebus M. Julius Malcalceatus de Mediolano, vir in quo & liberales artes, & Musarum, Gratiarumque cœtus suas delicias simul collocasse videbantur, è medio sublatus est. Hunc Carolus Borromęus S. Archiepiscopus ob præclaras virtutes semper plurimi fecerat, & in extremo agone positum speciali benedictione communivit. Cujus quidem Ingenium ad quæque literatum studia fuit à naturâ optimè dispositum, eleganti facie, suavi eloquio, tùm legendo, tùm disputando, tùm concionando, semper seipso venustior, doctior, ac gratissimus. Hunc Brixiæ secutus est M. Amans vir ob suam præclaram doctrinam in domesticis regendis gymnasijs pluries versatus, & novissimè inter Sacri Concilij Tridentini Patres cum Episcopo Sebenicensi connumeratus. His quoque temporibus plurimùm in celebrandis Sanctorum gestis laborabat P. Thomas de Veronâ, cui multum debet noster Ordo, quòd is sua præcipuâ sedulitate in Kalendarium Sanctorum totius anni majorem partem Beatorum nostrorum retulerit, quorum codex M.S. varias Sanctorum vitas amplectens sub titulo *Flos florum* ex munere P. Valerij de Vicentiâ, dum ibi conciones quadragesimales haberemus, ad manûs nostras pervenit, in novâ nostrâ Bibliothecâ Florentinâ propediem collocandus. Quo etiam tempore florebat P. Paulus Antonius Bonfilius de Viglevano, in decantandis illustrium virorum, necnon Beatorum nostrorum laudibus Poeta insignis: edidit enim hoc anno Mediolani metricum quoddam opusculum, cujus titulus est *Libellus disticorum alphabetico ordine digestorum, &c.* Nostrâ etiam operâ usus est hoc anno Lælius Vicarius Generalis Apostolicus pro imprimendâ, & varijs contemplationibus declarandâ Regulâ Martini Papæ V. ad Sorores nostras Tertiarias, ut tali occasione, & ipsæ ad meliorem frugem his nostris temporibus reducerentur, quod Opus impressum fuit apud Marescottos Florentiæ an. 1591. quemadmodû, & alterum Opusculum de Verâ origine Ordinis Servorum, quod ad instantiam Florentini Consulatûs de Neapoli, dum ibi Divinum verbum in Ecclesiâ Spiritûs Sancti explicaremus, eodem tempore Etrusco sermone cum catalogo Generalium edidimus.

Mors Magist. Amantie de Brixiâ.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *AUctor tardiùs, quàm par fuisset, Cardinalem Bessarionem cum illis connumerat, qui se huic Ordini ob præcipuam devotionem dedicarunt, quia priùs non viderat, quod nuper observavit, monumentum quoddam perantiquum, quod habetur in parvo Xenodochio peregrinorum sub Ordine nostro apud Ecclesiam S. Blasij Bononiæ. Nam leguntur in quadam veteri illius Oratorij tabulâ Indulgentiarum hæc præcipua verba.* Maestro Bessarione Monsignor dell' Ordine di S. Maria de' Servi dà, e concede indulgenza &c.

E *Quæ si conferantur cum alio quodam monumento lapideo super Turrim Cymbalariam Ecclesiæ nostræ Servorum, ubi hæc alia verba incisa sunt:* Bessarionis Episcopi Tusculani Card. Nicęni benefactoris nostri, *facilè convincitur de Bessarione, quod aliàs de Lucido, & Andronio Cardinalibus, quorum exemplum secuti fuerunt Antonius Episc. Betecti, Joannes de Ananiâ, & alij, sicut inter hos Annales explicatum est. Nempe Bessarionem in Album aliorum Cardinalium hujus Ordinis referendum esse, prout vetusta illa temporum consuetudo, & specialis multorum devotio erga hunc nostrum Habitum tulisse visa fuit. Nam pro eâ tempestate multi veteres Prælati ad Habitû diversorum Religionum ho-*

F *nestis de causis, etiam dignitatibus retentis, admitti curabant, nec contra ipsum Auctorem facit, quòd vel in tabulis Trivultianis, vel apud Panninum, seu Alphon. Ciacc. plerique ex his nostris Cardinalibus vel reticeantur, vel non secundùm Auctoris diligentiam enumerentur de Ordine Servorum: quando illud peripateticum perspicuum sit* Argumentum ab auctoritate negativû nihil probare, *neque posse qui genericas historias complectuntur singula quæque specialia, quin aliquando excidant, tam accuratè referre. Videtur igitur explodenda posterum opinio illorum, qui in enumerandis hujusmodi Cardinalibus, ad nostrum Ordinem spectantibus, tàm variè, tamque inconstanter tergiversati fuerunt.*

G

N O T Æ.

Undecim tantùm Cardinales recensêtur Ord. Servor. addicti, & quo sensu.

[*SAtis superque, ni fallor, exposuisse videtur hic Gianius, quo sensu, quoque jure duodecim Cardinales, Ordini Servorum tribuendos esse dixerit. In primis enim satis expressè narrat, quòd Andronius, Lucidus de Comitibus, & Bessarion Trapezuntius Ordinem, & Habitum Servorum singulari veneratione prosecuti fuerint, quem proinde saltem post obitum induti tumulari voluerint, eòque nomine Servorum Mariæ gloriati quodammodo fuerint; cæterùm nullatenus dicit, quòd ipsi Ordinis ejusdem professi, & Fratres fuerint. Num verò ex hoc Capite, quòd Ordinem Servorum vehementer ama-*

H *verint, & Habitum eorundem expositâ ratione induerint, inter Cardinales Ordinis recensendi sint, aliorum esto judicium, ipse planè non recenserem. Si verò Philippum de Bononiâ undecim hic à me recensitis non adjungo, quem Gianius octavo loco recensuit, nemo planè mirabitur, si diligenter expenderit, quæ diximus ad annum 1450. Cent. 3. lib. 1. Cap. 16.*

Stephan. Cardin. Bonucc. Elogia recensentur.

Opportunum potiùs, & ad ostendendam magis semper, ac magis Stephani Cardinalis Bonuccij dignitatem, ejusque meritorum præstantiam magis consentaneum existimo, Elogia hic recensere, quæ tum apud Poccianti um in Chronicon, tum apud Alphonsum Ciacconium, tum in Ecclesiâ Servorum de Aretio, ac denique in Ecclesiâ

Cathe-

Cathedrali ejusdem Civitatis publicè exposita unicuique legere licet.

A Poccianrius ergo ad annum 1561. hæc de Stephano scribit.

Dum Sacrum Tridentinum Concilium celebratur, in maximo habetur pretio apud SS. Patres R.P.M. Stephanus Bonuccius de Aretio Orator, ac Theologus insignis, qui ob suas incredibiles virtutes in juventute ætate Patavina, ac Bononiensi Academiæ fuit præpositus, & ante annos legitimos Generalis Procurator Ordinis electus, à Sanctiss. Pont. Julio Apostolicus Visitator designatus, & iterum à Patribus ob res benè gestas in Comitijs Bononiæ habitis iterum Procurator Ordinis creatur, ac tandem Illustrissimi, atque Amplissimi Cardinalis Hugonis Boncompagni Bononiensis Theologus constitutus, & ab eodem pro rebus magni momenti in Hispaniam perductus est, sed ut singula uno complectar verbo, universa religionis Officia adeptus, sapientissimè singula administravit.

B Alphonsus item Ciacconius hæc de eodem habet. *Stephanus Bonuccius Thuscus Aretinus in Ordinem Servorum adhuc puer admissus Augustini Bonuccij postea eiusdem Religionis Magistri Generalis Alumnus, Sac. Theologiæ Magisterio cohonestatus, eloquentiâ clarus, in suâ Religione Procurator, & postquam Tridentinæ Synodo interfuerat, cum Hugone Cardinali Boncompagno profectus, & ab eodem Hugone ad Pontificatum promoto, & Gregorio XIII. nuncupato Episcopus Alatrinus, mox Aretinus creatus, à Xisto V. Presbyteris Cardinalibus Tit. SS. Petri, & Marcellini adscriptus, & Concilij Tridentini interpretationibus præpositus fuit. Qui pleuritide laborans obiit Romæ in Monasterio, seu Collegio sui Ordinis, ibidem hoc superscripto Elogio sepultus, quod iam supra relatum est.*

C In Ecclesiâ verò S. Petri parvuli de Aretio sequens apparet Elogium.

F. Stephanus Bonuccius
Religionis Servitanæ
Generalis,
Civitatis Aretinæ
Decus, & Pastor,
Sac. Conc. Trident., & S.R.E. Cardinalium
Ornamentum, & Oraculum,
Huius Familiæ beneficentiâ, à quâ educatus,
Hic sui memoriam protrahit.

D Cui accedit & aliud longè pluris habendum in Ecclesiâ Cathedrali sub ejus Trunco marmoreo positum.

D. O. M.
F. Stephano Bonuccio
S.R.E. Tit. SS. Petri, & Marcellini
Presb. Card.
Quem Tridentum ad sacram Synodum
Theologum celeberrimum,
Hispania
Hugonis Card. Boncompagni
Ad Philippum Regem Legati
Fidelissimum Consiliarium,
Servitana Familia
Per omnes ejus Gradus
Gubernatorem optimum,
Alatrum, & Aretium
Paterna Civitas Præsulem vigilantissimum,
Roma sæpe ad Summos Pontifices
Oratorem,
Sacræ Inquisitionis Censorem,
Concilij Interpretem,
Altisque muneribus
Præfectum sapientissimum,
Omnis Christiana Respublica
In omnibus religiosissimum,
Ac demum dignissimum Cardinalem
Experta,
Dum spe Pontificem Maximum
Expectabat,
Ex inopinato obeuntem graviter luxere.
Obijt verò IV. Nonas Januarij MDLXXXIX.
Anno ætatis suæ LXVIII.
Ludovicus Bonuccius Præpositus Aretinus,
Fabius, & Joannes Baptista Fratres
Patruo benemerito PP.]

In Comitijs Parmæ celebratis Lælius Balleonius Florentinus eligitur trigesimus nonus Generalis.
CAP. VI.

Tempus aderat celebrandi Capitulum Generale, quando Patres Parmam properabant memores superiorum temporum, quòd eo in loco adhuc Comitia Jacobi Tavanthij arriderent tàm læta, tàm abundantia, tàm rerum, & literatorum ubertate copiosa. Ibi igitur die primâ Junij instauratis suffragiis electus fuit M. Lælius Balleonius Florentinus 39. Generalis Servorum, cujus subscriptio extitit ad imitationem Generalis Zachariæ: *Dominus suscepit me*. De Procuratore autem in Curiâ eligendo controvertebatur, plurimis idem officium appetentibus, sed optimo consilio factum, ut unus M. Balthassar Bolognettus de Bononiâ ex Provinciali Romandiolæ Orator in Curiâ eligeretur, cui sufficitur Prov. M. Laurentius de Butrio. Noverat enim Ordo totus quam sibi Balthassar, dum Cremonæ concionaretur, benevolentiam Nicolai Sfondrati Episcopi, & Cardinalis, qui nunc erat Pontifex, sibi eo in loco conciliasset, & quàm haberet Gregorius in Balthassarem propensum animum, si vita diu comes fuisset. Pro eo autem Sacræ Theologiæ Cathedram pro viribus illo triennio sustinuit Bononiæ M. Cæsar Bologninus de Bononiâ. Electores verò in eo Capitulo sequentes fuerunt. Thusciæ Diff. M. Basilius Olivius de Flor. Prov. M. Laurentius Lucchesius de Lucâ, Socius M. Petrus Maria de Scrofano. Patrimonij Diffin. M. Antonius Vivolus à Corneto, Prov. Mag. Dionysius Tor-

Lælius Balleonius 39. Gen.

Torsanus à S. Marino, Socius M. Adrianus Spera de Perusio. Romandiolæ Diffin. M. Matthæus de Butrio. Prov. M. Balthassar de Bonon. Lombardiæ Diff. M. Paulus de S. Bernardo. Prov. M. Archangelus Tortelius de Parmâ, Soc. . . . . Marchiæ Diffin. Mag. Zacharias de Veronâ. Prov. M. Hieronymus de Mestre, Soc. P. Sebastianus de Veronâ. Venetiarum Diffin. Mag. Aloysius de Bergomo. Prov. M. Jovita Boccacinius de Rovato, Soc. P. Sylverius Tosatus de Vicentiâ. Mantuæ M. Anselmus de Mantuâ Diff. M. Aurelius Blancus de Cremonâ Prov. M. Virginius Passera de Pisauro Socius. Genuæ Diffinit. M. Antonius à Castro novo, Prov. M. Hieronym. de Murrâ, Soc. M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Neapolis Prov. M. Vincentius Fortunatus à Geffono, Soc. Baccalaureus Petrus Ferrera. Ab his itaque ut jus suum unicuique rectâ ratione tribueretur, hæc pauca decreta emanarunt.

1 *Reus, qui sententiam à Judice latam acceptaverit, vel eius diffinitiva sententia contineus, ac exprimens causam suæ condemnationis, personaliter coram Judice intimata fuerit, neque ille trium dierum spatio appellaverit; appellandi beneficio careat; neque quovis prætextu, ut causa ad examen revocetur, petere possit.*

2 *Quicumque verò à sententiâ Superioris sui diffinitivâ, vel diffinitivæ vim habente, quæ causam condemnationis non contineat, vel reo personaliter non fuerit intimata, appellare voluerit: decem dies tantùm à publicatione sententiæ ipsi reo factâ pro termino, si præterire contigerit, reus appellationis beneficio uti nullo modo possit, ipsaque appellatio fiat coram proferente sententiam, si ille præsens fuerit; sin minùs, coram eo, cui à Judice intimatio sententiæ fuerit commissa.*

3 *Judicis autem sententia, quæ manifestam iniquitatem non contineat, neque ex præsumptionibus, sed ex legitimis probationibus, vel legitimâ confessione Rei lata fuerit, nisi ab eâ modis, & temporibus præscriptis fuerit appellatum, in rem judicatam transisse intelligatur: neque ab eâ ullo prætextu appellatio, aut reclamatio interponi possit, vel interposita admittatur, aut causæ reexaminatio quovis colore attentetur, immò qui à sententia, quæ, ut præmittitur, in rem judicatam transierit, duxerit appellandum, arbitrio superioris, ad quem fuerit appellatum, nullâ excusatione auditâ, severè puniatur.*

4 *Qui verò per Judicis sententiam notati fuerint infamiâ, per quam à reddendo testimonio, vel à gradibus recipiendis, aut officijs obtinendis repelluntur, per nullum Ordinis Superiorem, neque etiam per Priorem Generalem ad famam restitui possint. Quod, licèt in Constitutionibus Ordinis nostri usque modò statutum non fuerit, cùm iure communi caveatur; siqua forte attentata restitutio ab aliquo Generalium, qui usque in præsens officio functi sunt, subreptitia, & ipso jure nulla censeatur. Infames*

E *verò, qui ab officijs obtinendis arcentur, inhabiles tantùm intelligantur ad ea officia, quibus onus regendi alios incumbit, aut quæ alias honoris officia appellantur. Possint tamen ad oneris officia assumi, præterquàm, si ob delictum in aliquo officio admissum condemnati fuerint; tunc enim ad simile officium inhabiles perpetuò maneant: neque illis, qui ob furta commissa infames fuerint, ad ea officia, quibus pecuniæ, & alia bona Monasterij administrantur (licèt oneris fuerint) aditus unquàm pateat.*

5 *Prior Provincialis prætextu cujuscumque delicti, etiam inobedientiæ, aut quovis alio, non possit Fratrem extra Provinciam relegare, aut ab illa ejicere, quæ ad benevolos dicuntur, alteri Fratri, etiam petenti, concedere; nisi*

F *priùs per Priorem Generalem, locus pro habitatione Fratri in aliâ Provinciâ, cum alterius Provinciæ Provinciali convenerit de loco in illius Provinciâ assignando Fratri per ipsum relegando, ejiciendo, aut dimittendo.*

6 *In unâquaque Provinciâ sit Liber publicus, atque apud Provincialem pro tempore existentem servetur; in quo de verbo ad verbum conscribantur sententiæ omnes per Generalem, vel per ipsummet Provincialem, & per alios Judices ab eis delegatos latæ contra Fratres in suâ Provinciâ residentes: illasque ipse Provincialis in librum redigere intra terminum viginti dierum à die publicationis teneatur; & quando Fratrem à suâ Provinciâ dimittit, aut in eâ-*

G *dem à Conventu in alium transfert, in suis literis patentibus, aut alio modo, qui in Judicio fidem faciat, Priori Provinciali, vel Conventuali, ad quem Frater condemnatus mittitur, tenorem sententiæ significare teneatur.*

7 *Quicunque contrà personas eligendorum in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus de delicto, vel alio canonico impedimento non notorio excipere voluerit, per tres menses ante Capituli celebrationem coram Generali, vel Provinciali hujusmodi exceptionem facere teneatur, ut medio temporis res maturè discuti possit; neque propterea Capituli celebratio impediatur, aut differatur. In ipsis autem Capitulis nulla exceptio admittatur, nisi de delicto, aut alio impedimento per sententiam notorijs, aut de quibus in eodem capitulo plena, & perfecta cognitio*

H *infra terminum diei naturalis haberi possit.*

8 *Decretum Capituli Generalis Bononiæ celebrati anno 1585. de Apostatis, quod incipit:* Nemini liceat; *confirmantes, & (quatenus opus sit) innovantes, insuper declaramus, quòd quicunque Fratrum prætextu gravaminis, habitu retento, à Conventu discesserit, & se intra præscriptum ab eâ Constitutione tempus coram Provinciali, vel Generali respectivè se præsentaverit, licèt Apostatarum pœnis non subiaceat; nihilominus tamen à Superiore, ad quem recursum habet, causa hujusmodi recursus diligentissimè examinetur, quam si minùs legitimam reperit, juxta levitatis quantitatem, per privationem utriusque vocis suo ipsius arbitrio Fratrem*

trem puniat. Qui verò nullius gravaminis prætextu, verùm levitate, aut aliâ quâvis ratione ductus, à Conventu sine licentiâ, habitu non dimisso, discesserit, nisi intra quindecim dierum terminum ad obedientiam reversus fuerit, nullâ excusatione auditâ, Apostatarum pœnis subjaceat. Quòd si intra dictum terminum redierit, secundum exigentiam delicti, Superioris arbitrio, per privationem utriusque vocis, & alias pœnitentias puniatur.

9 Quicunque inobediens fuerit Provinciali, neque in hujusmodi contumaciâ per mensem perseveraverit, licèt pœnas à Constitutionibus in Capitulo de gravissimâ culpâ inflictas non incurrat; tamen à Provinciali secundùm qualitatem contumaciæ, & tempus, per quod in illâ perseveraverit, puniatur.

Qui verò pro disputationibus consuetis, & concionibus in his Comitijs adstitissent, nobis absentibus incompertum, præter duos M. Augustinum Goruccium Methaphysicum Senensem, & M. Valerium Setam de Veronâ. Per idem tempus contigit Senis, ut mulier quædam nomine Catharina uxor Cosmi Machæropei diris cruciaribus, & membris contracta per mensem in cubili absque ullâ quiete degeret, & mori malle, quàm vivere præ doloribus appeteret; remedium nullum, nullum pharmacum, nullum Medicotam consilium, nulla dolorum intermissio. Cùm autem de floribus, & rosis, quibus quotannis ex assiduâ Senensium devotione tangitur corpus B. P.N. Francisci Patritij, intellexisset, statim unam ex ipsius rosis habere curavit, quam (mirabile dictu) suo corpori vix applicatam, præsensit lenijsse dolores, & contracta membra resolvisse: quare incolumis evadens die 3. Julij non cessavit imposterum benedictas S. Francisci Rosas, earumque virtutes celebrare. Defuncto interim Gregorio XIV. Antonius Fachinetus Cardinalis tertio Kal. Novembris magnâ omnium Cardinalium consensione in ejus locum resedit; vir sanè magno rerum civilium usu, multiplici litetarum doctrinâ, pristinâ incorruptæ vitæ laude cõmendatus; unde & Innocentius IX. appellatus fuit. Quantùm verò ad res nostras spectat magna ob Innocentium, quæ jam in mortuo Gregorio defuncta fuerat, spes reviviscere visa fuit. Nam Hippolytus Massarinus Lucensis, qui tunc Ferrariæ Theologiam publicè profitebatur, maximam olim necessitudinem, & familiaritatem cum Fachineto contraxerat, dum ei Venetijs in suâ Legatione diù à Sacris inservisset; quem quidem famulatum adeò semper cordi retinuit Antonius Fachinetus, ut vix ad Pontificatum evectus, Hippolytum Romam adventare jusserit, & benignè receptum, & amplexatum rursus in suum Theologum familiarem, non sine maximâ rerum fururarum expectatione, confirmaret; ex quibus tantæ benevolentiæ signis Hippolytus jam per Urbem Cardinalis vociferabatur. A Verùm (proh dolor) ad 3. Kal. Januarij ventum fuit, quando per Urbem Pontificis mors evulgatur, & noster Ordo magnâ de suo Hippolyto conceptâ spe, funditùs defraudatur. Ludani quoque inter Pannones moritur F. Gulielmus Celnius de Prato, vir etsi nullius doctrinæ, in rebus tamen gerendis valde accuratus, qui Sixto V. permittente S. Benedicti suscepto habitu, Abbas ejusdem Loci declaratus, post triennium animam Deo reddidit. Pari modo Brixiæ M. Cyprianus Verardus quinto Idus Octobris è medio tollitur, cujus meritis commendandis addidisse aliquid, potius decerpsisse est; siquidem ejus laus non sermone exponenda occurrit, sed operibus comprobanda. Quicunque enim intelligere cupiat qualis, & quantus fuerit vir iste, ejus B observet indefessos labores, ejus præcipuè studia admiretur, ejus Opuscula perlegat, quæ tantò magis charitatem ipsius in proximum redolent, quantò & viris doctis, ac indoctis communia sunt. Perparvi enim habuit Cyprianus, quamvis doctissimus, & quibuscunque scholasticis non inferior, ut suæ existimationi derogaret, dummodo simplicioribus hominibus per suam doctrinam opitularetur. Edidit igitur præter optimum Quadragesimale M. S. Italicâ linguâ. 1. *Il Pellegrinaggio al Cielo*. 2. *L'Armonia della Republica Cristiana*. 3. *Il modo di ben morire*. 4. *La medicina de' Peccatori*. 5. *Il martirio della Cosciența*. 6. *La vita dell' anima fedele*. 7. *Le fiamme del divino amore*. 8. *La guerra contro* C *il peccato*. 9. *La creanza Cristiana*. 10. *Instromento spirituale*. 11. *Arte del buon Cristiano*. 12. *Specchio delle Vergini, e Spose di Cristo*. Quæ omnia typis mandavit hortatu, & suasione præcipuè DD. S.R. Ecclesiæ Cardinalium Julij Antonij Sanctorij S. Severinæ Protectoris, Augustini Valerij, & Nicolai Sfondrati, cui quàm gratissimus fuit.

Florum B. Frãcisci Senensis virtus.

Gulielmus Abb. Ludani moritur

M. Cypriani Brixien. obitus.

[Recolendus etiam hìc videtur obitus P. M. Nicolai Barbolani de Aretio, quem diximus ad annum 1590. suffectum fuisse Procuratorem Ordinis in Romanâ Curiâ Lælio Balleonio, qui ex Procuratore Ordinis electus à Xixto Papâ V. fuerat Vicarius Generalis ejusdem Ordinis, eò quòd obierat Generalis Librantius. Hinc enim argumentum petere D licet ejus virtutum, ac meritorum præstantiæ. Verùm ex eo quoque idem omnino petendum videtur, quòd Clarissimi DD. Comites de Monte Acuto Familiæ suæ ipsum aggregare ex animo voluerint, quemadmodum patet ex Instrumento sequenti minimè prætereundo, cujus originale egomet vidi mense Septembri 1714. in Archivo Conventûs nostri de Aretio.

F. Nicolaus de Aretio aggregatur Familiæ Comitũ de Mõte Acuto.

IN *Dei* Nomine *Amen. Anno ab ejus salutiferâ Nativitate millesimo quingentesimo octuagesimo octavo Indictione primâ, die autem primâ Januarij, tempore Pontificatûs Beatissimi in Christo Patris D.N.D. Xixti Divinâ favente gratiâ Papa V. sui Pont. anno secundo,*

Serenissimo Ferdinando Medices Cardinale Etruriæ Magno Duce dominante. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, qualiter constituti coram me Notario, & Testibus infrascriptis Illustrissimi Viri DD. Comites de Monte Acuto Franciscus q. Filius Illustrissimi D. Alberti, D. Franciscus q. Filius Illustriss. D. Friderici, D. Cæsar ejus Frater germanus, D. Bartholomæus q. Filius D. Montis Acuti, D. Martius q. Filius Illustriss. D. Joannis, omnes de Barbolanis, Comites Montis Acuti in Thusciâ Aretinæ Diœcesis, conscij, & clarissimi de scientiâ, virtute, rarisque qualitatibus, & meritis R. in Christo Patris, & S. Theologiæ Doctoris Magistri Nicolai olim Filij Olivi Andreæ de Villâ Cellis Conteæ prædictorum Dominorum oriundi, eorundemque subditi, & Vassalli Ordinis Fratrum Servorum Gloriosæ Virginis Mariæ. Qui Domini volentes in quantum possunt eundem R. Magistrum Nicolaum debitis honoribus, & meritis decorare, ut hinc faciliùs promptior ad Majora aspirare valeat, ex eorum certâ scientiâ, liberâque voluntate, omni meliori modo, viâ, & formâ, jure, & causâ, quibus validiùs, meliùs, & efficaciùs de jure potuerunt, & possunt, dederunt, donaverunt, & liberaliter concesserunt de communi eorum voluntate supradicto R. Magistro Nicolao absenti, & mihi Notario infrascripto, uti publicæ personæ pro eo acceptanti, & stipulanti, cognomen, Arma, & insignia ipsorum Dominorum Comitum, & eorum antiquæ Familiæ, & Prosapiæ, quibus & ipsi utuntur, & nominantur, & eorum antiqui Majores usi, & nominati fuerunt, ita & taliter, quod d. R. Magister Nicolaus in posterùm dd. Armis, Insignibus, & Cognomine uti possit, & valeat in omnibus suis negocijs, Literis, sigillis, scripturis publicis, & privatis, Concionibus, Capitulis, Congregationibus, Prælaturis, in Domibus, Picturis, & ornamentis suæ supellectilis, & in omnibus suis alijs negocijs, rebus, & commercijs, quæ in quacunque Mundi parte quoquomodo excogitari possunt, & possent. Aggregantes eum in omnibus, & per omnia dictæ eorum familiæ, & Prosapiæ. Volentes, quòd in futurum de Barbolanis, & Comitibus Montis Acuti nominetur, & nuncupetur, & se nuncupare, & nominare valeat, & possit, sicut ipsimet Domini Comites concedentes nominantur, & nuncupantur cum omnibus, & singulis illismet privilegijs, prærogativis, honoribus, immunitatibus, quibus omnes de d. Familiâ, & ipsi concedentes gavisi fuerunt, & gaudent, recipientes, & amplectentes eum nunc in d. Familiâ Barbolanorum, & Comitum Montis Acuti cum facultatibus præmissis, ac si de eorum stirpe, & Cippo domûs eorum natus fuisset. Mandantes asserti Domini mihi Notario, & in præsentiarum eorum Vicario infrascripto, ut de prædictâ Donatione, concessione, & aggregatione publicum conficiam Instrumentum in formâ Privilegij, vel quoquo alio favorabiliori modo ad honorem, & decus d. R. Magistri Nicolai ad perpetuam memoriam, & ad omnem alium bonum finem, & effectum. Promittentes, & quilibet dictorum Dominorum promittens asserto R. Magistro Nicolao licèt absenti, & pro eo mihi Notario infrascripto, ut supra, recipienti, præsentem Donationem, & aggregationem per se, & eorum hæredes, & successores perpetuò attendere, & inviolabiliter observare, contra non venire, nec venienti consentire. Imò ipsum R. Magistrum Nicolaum tanquam unum natum de earum prosapiâ, defendere, & tueri juxta eorundem Dominorum posse, sub eorum fide, & verbo Nobilium more, &c. Rogantes &c. Acta fuerunt suprascripta in Castro Montis Acuti in Palatio d. Illustrissimi D. Francisci D. Alberti, posito in d. Castro juxta ejus fines. Præsentibus ibidem RR. DD. D. Nicolao Gamurrino Cive, Canonico, & Decano Aretino, & D. Camillo de Bartolinis de Civitate Burgi S. Sepulcri Ecclesiæ S. Andreæ de Galbino Rectore, & D. Francisco Orlandino de Monterchio Ecclesiæ S. Mariæ de Can.... Rectore, omnibus ad præmissa testibus habitis, vocatis, & rogatis.

Eodem anno 1592. translata apud Narniam solemniter fuit B. V. Imago media inter Imagines S. Iuvenalis Episcopi Narniensis, & S. P. N. Philippi in Ecclesiam, prout loci patiebatur angustia, longè ampliorem effectam, cui subinde consequentibus annis elegantius Sacellum eidem Sacræ Imagini construxere Patres, cujus etiam operâ Cœnobio incrementum accessit. Ad eundem annũ referenda sunt Loca quædam Provinciæ Neapolitanæ, prout ex ejusdem Regesto docemur, videlicet Conventus S. . . . . de Frignano, S. Mariæ Constantinopolitanæ de Zungulo, quemadmodum Conventus S. Germani ad annum usque 1509. referendus videtur: quo pariter anno in Insulâ Corsicæ duo alia Loca Ordini nostro comparata videmus, nimirum S. Antonij *de Casabianca* sub Diœcesi Marianen. & Accicen. Item D. Annunciatæ *de Berettoli* sub Diœcesi Nieben. quæ sanè duo comparata fuisse novimus operâ præsertim, & studio P. Francisci de Bettinis de Florentiâ in eâ Insulâ pro Ordine nostro Vicarij Generalis. Hæc autem deinceps in ampliorem formam paulatim evasere, eáque adhuc tenet Ordo Servorum. Denique ad annum 1589. Locus alter sub Tit. S. Gilij de Monte Sancto referendus adhuc est, quo die 27. Aprilis ejusdem facta fuit donatio ab illâ Communitate P. Petro Paulo Rovilio de Urbe Alumno Conventûs S. Mariæ in Viâ, ubi Contractus Donationis hujus servatur. Recensendæ quoque sunt Ordinationes quædam Lælij Balleonij Vic. Gen. Apostolici in ejus regesto contentæ pag. 110. sequentis tenoris.

Transfertur Imago B. V. de Narniâ

Conv. de Frignano, de Zungulo, S. Germani de Casâ biancâ, & de Berettoli.

Decreta pronuncianda in omnibus Provincijs pro tollendis aliquibus Abusibus Religionis.

1 *Quoniam magno Regularis disciplinæ dispendio, maximoque secularium scandalo ex*

ex Fratribus nostri Ordinis nonnulli facta Religionis nostræ revelantes pro obtinendis Officijs, gradibus, & dignitatibus, aut habitatione alicujus Conventûs, vel pœnæ pro delictis illis impositæ imminutione favores extra Claustra quærunt; Nos pro nostri Officij munere, huic malo occurrere volentes, verbo super hoc priùs facto cum Illustrissimo DD. Cardinali de S. Severinâ nuncupato Ordinis nostri Protectore, Fratres omnes nostri Ordinis, cujuscunque gradûs, aut conditionis existentes monemus, & nihilominus districtè illis prohibemus sub pœnâ exilij perpetui à Provinciâ, & Conventu, cujus sunt filij, & etiam vocis activæ, & passivæ ipso jure privationis per triennium, ac in quavis re etiam minimâ, nedum in illis jam declaratis favorem secularium, & quorumcunque degentium extra Claustra, cujuscunque gradûs, & conditionis sint requirant, aut requiri procurent, cùm debeant ignorare laici quid intra septa Conventuum faciant regulares, & ut tollatur locus excusationibus, tunc pœnas jam impositas Fratres incurrisse omnino censeantur, cùm ad Nos, aut ad alios Religionis Superiores commendatitia verba, seu Literæ directæ fuerint. Regularibus enim quis non favet, nisi ab ipsis priùs fuerit excitatus, & obnixè requisitus.

2 Utilitati etiam religionis consulere volentes præsenti Decreto R. P. Provinciali facultatem concedimus (servatis tamen servandis, quæ in Sac. Conc. Tridentino, & in Constitutione SS. D. N. Xixti Papæ V. super hoc editâ, servari jubetur) ut possit Fratribus sibi subjectis licentiam concedere suscipiendi quatuor Sacros Ordines, qui Minores dicuntur. Omnibus autem, & singulis reliquos Sacros Ordines suscepturis notum facimus, ut coram suo Provinciali se præsentent, à quo diligenter examinati, si ad Nos miserint Literas testimoniales legitimæ ætatis, sufficientis literaturæ, boni nominis, & famæ, exercitij, quin etiam Ordinis suscepti, & aliorum, quæ à Sacro Concilio Tridentino, & à Constitutione SS. D. N. Xixti Papæ V. super hoc promulgata requiruntur, tunc libenter licentias accipient pro suscipiendis Sacris Ordinibus, aliàs minimè, nec alio modo.

3 Ut autem in dies magis virtutes, quæ Religionis nostræ fundamentum sunt, omnino in Religione nutriantur, in virtute salutaris obedientiæ præcipimus R.P. Provinciali, ut juxta Constitutiones nostras, Capitulo de Novitijs, Novitios omnes suæ Provinciæ in uno, aut pluribus collocet Novitiatibus, quibus de expensis provideatur juxta Constitutiones nostras, assignenturque Magistri Viri integerrimi, bonorum morum, & grammatices, prout eorum ratio videbitur expostulare, Juvenibus quoque professis in unoquoque Conventu morum, Grammaticesque Magister omnino delegetur.

4 Quoniam verò sæpè contingit, & Nos ipsi experti sumus, delinquentes interdum prætexta gravaminis, suspicionis, aut inimicitiæ (quæ tamen omnia Justitiam fugientes sibi ipsis fingant) ante latam sententiam à suo Judice competenti appellare ad alium Judicem. Idcirco A præsenti Decreto statuimus, & ordinamus quovis quæsito colore, & jam prætextu gravaminis, suspicionis, aut inimicitiæ (nisi hæc omnia manifestè pateant) neminem appellare licere à Judice suo competenti ad alium Judicem ante latam sententiam, sed prima instantia fit coram suo Judice Ordinario, à quo si appellaverit non audiatur nisi in termino trium dierum appellaverit, & Judex in actis redigat appellationem, aliàs transeat in rem judicatam. In appellationibus verò servetur ordo nostrarum Constitutionum. In appellatione autem ad Sacram Congregationem Regularium servetur Decretum super hoc ab ipsâ Sacrâ Congregatione publicatum, scilicet, ut priùs res, & causa sic discussa in Religione à Provinciali, Generali, & Illustrissi- B mo, ac Reverendissimo Religionis Protectore, antequam ad Sacram Congregationem Regularium fiat recursus. Factâ autem appellatione debito modo, reus in termino assignato à nostris Constitutionibus compareat coram Judice, & Judex fideliter mittat Processum jam confectum ad illum, manente tamen eo interim in suo robore sententiâ jam latâ. Quòd si aliquis contra hujusmodi formam agere præsumpserit, severè puniatur ad arbitrium Judicis, ad quem de jure debebat fieri appellatio.

5 Advenarum etiam immoderatis expensis providere volentes præsenti Decreto statuimus, ut solùm pro alicujus Advenæ prandio, nil ultrà quàm decem quadrantes expendantur, & totidem pro cœnâ; si verò advena fuerit Prior, aut C Magister, aut Senex venerandus, ad duplum expendatur, videlicet viginti pro prandio, & totidem pro cœnâ. Et si Procurator Conventûs plus aliquid expenderit, de suo solvat, & Prior, & Patres revisores nullo modo admittant, quòd si admiserint, voce activâ, & passivâ per triennium careant, & Provincialis in Visitatione id omnino videre procuret. De expensis verò Patrum Visitatorum præsenti Decreto nihil intelligatur innovatum, sed servetur Constitutio Nostra in Capitulo de Visitationibus.

6 Propter recipiendos Fratres alterius Religionis multa orta sunt scandala, & propter retinendos apud se seculares valde laxatur regularis disciplina, idcirco districtè prohibemus, ut nullus Frater Advena alterius religionis in D Conventu recipiatur, nisi suorum superiorum licentiam in scriptis ostendat. Incolæ verò ejusdem loci non recipiantur institiam suæ Religionis fugientes, neque seculares fugientes justitiam seculi, etiamsi ære alieno fuerint oppressi, sub pœnâ exilij perpetui ab illo Conventu, & per triennium privationis vocis activæ, & passivæ, quam pœnam incurrere intelligatur non modò is Frater, qui receperit, sed etiam Prior illius Conventûs, qui aliquem recipi passus fuerit.

7 Innovamus etiam Decretum Capituli Generalis circa ea, quæ legenda sunt in viâ D. Thomæ ab officialibus studiorum, quod si non factum fuerit, & officio priventur, & severè punian-

puniantur.

Publicatæ fuerunt hæ ordinationes in Capitulis Provincialibus de Mense Maij, & Junij 1590.

Ordinazioni per riforma de' costumi, e dello stato della Religione.

1 *IN prima confermiamo, e in quanto bisogni rinoviamo tutti li decreti, che da noi furono fatti, e publicati quando eravamo Vicario Generale Apostolico nelli Capitoli Provinciali l'anno prossimo passato del 1590. solo aggiungendo, che quelli in qualsivoglia modo riveleranno le cose della Religione al secolo siano di qualsivoglia stato, grado, e condizione, s'intendino incorsi nelle medesime pene di quelli, che fuori cercano favori.*

2 *Per tor via ogni sospetto di proprietà, se bene li beni, che sono pervenuti a' Conventi per le persone de' Frati particolari, finora sono stati amministrati da' Ministri publici al Depositario, tutta volta, acciò si conosca un corpo stesso di tutti li beni, che si pervengono al Convento tanto per se medesimo, quanto per le persone particolari, come effettivamente è, ordiniamo per l'avvenire, che nel libro stesso, ove si registrano gl'altri beni del Convento, si registrino anco quelli pervenuti all'istesso Convento per le persone de' Frati particolari, e così camminino il debito, e credito non altrimenti, che si cammini quello de' beni universali del Convento, e che il Sindico, come ministro publico, riscuota l'entrate di tutti questi beni, le quali poi consegni al Camarlingo, & egli poi al P. Depositario, dal quale secondo l'ordine, che averà dal P. Priore s'amministrino per sollevare i bisogni, e necessità de particolari, come si hà nelle nostre costituzioni nel Capitolo* de Adminiltsatione bonorum; *e tutto questo sia eseguito in termine di quindici giorni dopo la publicazione sotto pena à chi contrafarà d'essere privo de beni, e di voce attiva, e passiva per tre anni.*

3 *Perche per li debiti, che finora hanno contratto i Frati particolari con i secolari, e per quelli, che hanno contratto con li Frati stessi, nascano ogni giorno inconvenienti non piccoli con vergogna, e danno della Religione, però per ovviare à questi, si comanda à tutti li Priori de' Conventi dell'Ordine nostro, che notifichino alli Frati de' loro Conventi, e in virtù di salutare obedienza gli comandino, che chiunque ha debito con Frati del nostro o altro Ordine, o pur con secolari di qualsivoglia sorte qualunque somma di denari in termine d'otto giorni dalla publicazione debbino à S. P. manifestare, e rivelare il tutto; e acciò le cose passino con realtà li Padri Priori, e Camarlenghi delli Conventi, avvisino tutti li debiti, che hanno li Frati particolari per qualsivoglia causa con li Conventi al P. Provinciale. Per conto delli debiti particolari con li Frati, non solo chi è debitore, ma chi è creditore ancora debba nell'istesso tempo, e modo rivelare il suo credito, altrimenti se si troverà fraude, o inganno nel no rivelare quello, che deve avere, sia privo del tutto, e applicato al Convento, & in oltre sia punito da Noi come disobediente di pena arbitraria. Ma quello, che deve dare usando fraude, o inganno nel rivelare sia privo di voce attiva, e passiva per tre anni. Avuti questi debiti da particolari li Padri Priori nello spazio d'otto giorni debbino riferire il tutto al P. Provinciale, e quello poi nel medesimo termine d'otto giorni dopo che averà ricevuto detti debiti, li farà sapere alla persona nostra. E per provedere per l'avvenire intorno à questo caso innoviamo la legge fatta, e publicata nel Capitolo Generale celebrato in Bologna l'anno 1585. sopra di questo particolare. Che chiunque presterà denari a' Frati, o secolari senza licenza del P. Priore di quelli, che si trovano al deposito, o d'altri, che furtivamente tenessero appresso di se, sia punito come proprietario, & ipso jure perda il tutto, e sia applicato al Convento, di cui è Figlio. Aggiungendo, che qualunque Frate, che contrarrà debiti con Secolari senza licenza in scriptis del R. P. Priore specificante la quantità del debito, la persona, con chi si contrae, e la causa, per la quale si fà tal debito, sia privo di voce attiva, e passiva per tre anni, e bandito per il medesimo termine dal Convento.*

4 *Proibiamo espressissimamente a qualunque Frate del nostro Ordine sia di qualsivoglia grado, stato, e condizione, che non possino portare vestimenti di seta, ò legacci alle calze di seta, ò vestimenti con passamani di seta, nè si portino calze nere, bige, o tanee, ò d'altro colore, altrimenti contrafacendo, e perdino li vestimenti, che si debbano vendere, e il prezzo vadi al Convento, e di più per trè anni sieno privi di voce attiva, e passiva, dando termine solo tre giorni à chiunque avesse tali vestimenti di poterne far ritratto.*

5 *Per ordine di N. S. Gregorio XIV. avuto sotto il dì 10. d'Agosto presente comandiamo sotto pena di privazione di voce attiva, e passiva per tre anni, à tutti li Frati di qualsivoglia stato, grado, o condizione, che niuno porti berretti con cantoni, ma secondo il modello, che averanno dal P. Provinciale da noi mandatoli.*

6 *Comandiamo ancora sotto arbitraria pena, che tutti li Frati portino le Coregge.*

7 *Proibiamo, che non si portino mostacchi, e barbe alla soldatesca, o alla sgherra, o granatello, ò altro modo da bravacci, nè s'usi rasoio, che rada mezza la barba, e lasci solo il mento, ma chi la vuol radere la rada tutta sotto pena di chi contrafarà d'essere privo di voce attiva, e passiva per tre anni.*

8 *Che chiunque per infermità, o altro difetto non può portare il Tonachino, porti la Camicia talmente ascosta, che non sia di scandolo al secolo, al che abbino l'occhio i Padri Priori correggendoli con disciplina la prima volta, e la seconda gli ponga prigioni.*

9 *Che niuno de nostri Frati possa tenere Secolari a dozzina in Convento, e nello stesso*

tene-

tenere scuola di Giovani, ma si levino di Convento onninamente; e chi contrafarà sia bandito dal Convento, e privato di voce attiva, e passiva per tre anni.

10 *Alli M. RR. PP. Reggenti, Baccellieri di Convento, Maestri di studio ricordiamo, che onninamente osservino in quanto alle lezioni, quello, che fu ordinato nel Capitolo Generale celebrato in Cesena l'anno 1588. & in quanto a molte altre cose, quello, che fu ordinato nel Capitolo Generale celebrato in Bologna l'anno 1585. E acciò, che gli Scolari non abbino occasione di svagarsi, ma d'attendere agli studij, proibiamo espressamente alli Padri Priori, che non gli dijno licenza d'andar fuori di Convento, se non una volta la settimana, e questo sia il dì della vacanza; e qualunque Scolare, che si troverà aver contrafatto a tal comandamento, nel tempo però ordinato da leggersi, sia privo di studio. Dichiarando però, che se venisse qualche caso di necessità, possino andar fuori, la qual necessità sia conosciuta, e approvata dal P. Reggente, & egli ne faccia fede al P. Priore.*

Ordiniamo ancora, che ogni Sabato inviolabilmente, o quando questo fusse impedito il giorno precedente non impedito, in cambio del Circolo debba il molto R. P. Reggente esaminare tutti gli Scolari, e il Baccelliere di Convento, e Maestro di studio li loro sopra le lezioni, che averanno udito in quella settimana; e quando si finisce una Terzeria, l'ultimo giorno si faccia un esame generale circa tutto quello, che in detta terzerìa si sarà letto, acciò si vegga il profitto, che si sarà fatto in quel tempo; e in capo all'anno nel fine dello studio si faccia un altro esame generale circa tutto quello, che si sarà letto in quell'anno, altrimenti se si troverà, che si siano omessi questi esami, ne sia punito il P. Reggente, come più à noi piacerà, e si conosca la causa dell'omissione.

E acciocchè gli scolari abbino à stare in continuo esercizio gl'ammoniamo, che se non in persona non potremo ogn'anno una, ò due volte esaminarli, manderemo persone à questo esercizio idonee, e atte, dalle quali essendo esaminati, secondo, che ne averemo relazione, procederemo nelli gradi, ò ritardargli, o privargli di studio, e sturinsi gl'orecchi agli Scolari, che per altra via, che per via di lettere non hanno à ricever gradi, però studino assiduamente.

Datum Florentiæ in Conventu nostro D. Annunciatæ die 24. Augusti 1591. Sigillo officij nostri, & manu nostrà obsignatum.

Ordini, e dichiarazioni sopra il Deposito, fatte per toglier via ogni proprietà.

D*I nuovo comandiamo a tutti li Padri Provinciali, Priori, e altri Offiziali della Religione, che inviolabilmente debbino consegnare tutto quello, che appresso di loro si trovano, in mano del Superiore, e depositario del Convento, nel quale essi abitano, conforme alle nostre Costituzioni nel Capitolo* de administratione Bonorum, *e anco conforme all'Ordine mandato da noi fuora l'anno prossimo passato, e per tutte le Provincie publicato, altrimenti chi si troverà aver contrafatto sarà punito come proprietario conforme agl'ordini già dati, e alle nostre Costituzioni senza accettar scusa di sorta veruna.*

E perchè nascono molte difficoltà sopra le cose, che si devono consegnare in mano del Depositario, e Superiore, per questo dunque si dichiara, che qualsivoglia danaro, che venga in qualsivoglia modo alle persone de' Frati o per eredità, o per legati, o per elemosine, o per industria, o per fatiche manuali, o venga dato, o donato, o in altro modo venga in mano delli particolari Frati, tutto quanto prima sia consegnato in mano del Superiore, e Depositario, prima per sovvenire, e sollevare la necessità, e bisogni di quei Frati, per causa de' quali il denaro è venuto al Convento, e al Deposito, e poi cessate, e sollevate queste necessità il tutto vada in libero uso del Convento.

E perchè talora i Conventi si trovano in estremi bisogni, e può accadere, che i Superiori si voglino servire di quei denari, che sono al Deposito, con li quali si debbono sollevare le necessità de Frati, per lo commune uso del Convento, però per questo nostro decreto ordiniamo, che non sia in arbitrio del R. P. Priore, o d'altri Officiali del Convento di far questo sotto pena della privazione degl'Officij, e di voce attiva, e passiva per dieci anni, ma si bene si ragunino tutti i Padri discreti del Convento, quali conoscendo l'estremo bisogno del Convento, e che non si può in altro modo sovvenire al Convento, determinino, che quantità si deve pigliare dal Deposito, e assegnino il termine nel quale dal Convento si renda, e restituisca d. denaro al Deposito, acciò li Frati particolari non patischino ne suoi bisogni, e questo sia notificato al Reverendissimo P. Generale, quale abbia da dare licenza, che si cavi d. denaro, ne si possa in modo alcuno cavare, se il P. Generale non dà la sua licenza in scriptis, quale si abbia da porre nel Deposito, per poterla mostrare in ogni occasione.

Quando li Frati per obedienza vanno da un luogo a un altro, dal Deposito gli sieno dati gli denari, secondo la qualità della persona, e Viaggio per il Viatico, e di poi gli altri denari, che sono di quel Padre al Deposito per sollevare le sue necessità, dal P. Priore, e Depositario del Convento, da cui si parte, per Messo fidato sieno mandati al P. Priore, e Depositario di quell'altro Convento, ove lui và à stare, acciò si possa più comodamente provedere alle sue necessità; ma se il Padre non volesse questo, ma si contentasse, che stesse il Denaro a quel Deposito dove lui si parte, ò pure nel Deposito del Convento, di cui lui è Figlio, sia compiaciuto, e si provegga alle sue necessità da quel P. Priore, che averà in Deposito quei denari venuti al Convento per causa sua.

S'ammoniscono tutti li RR. PP. Priori d'essere amorevoli, e discreti a sovvenire a' biso- gni

gni de' Padri, di quei denari, che per causa loro sono venuti al Deposito, nè vadino strazzando li Padri, e fargli patire ne' suoi bisogni, ma con carità faccino il tutto, altrimenti saranno, come indiscreti, deposti dall' Offizio.

E per toglier via per quanto è possibile tutte le difficoltà in questa materia, e l' occasione d' errare, il modo d' usare questo Deposito sarà tale.

Quello, che averà al Deposito qualche cosa, che a sua contemplazione sia venuta al Convento nel modo detto di sopra, in una poliza esporrà il suo bisogno al P. Priore, quale conoscendo il suo bisogno, sottoscriverà la medesima poliza, comandando al P. Depositario, che si ponga à uscita del Libro del Deposito quello che si spende in sollevare la necessità del Padre, che mandò la poliza del Padre, e giorno, che è fatta, la qual poliza si ponga in filza, acciò si possi à ogni occasione riscontrare; e di più il P. Depositario faccia sottoscrivere la partita dal Padre per causa del quale si consuma quel denaro, che si leva dal Deposito per maggior giustificazione, e acciò non nasca difficoltà alcuna.

E in quei Conventi, che sono piccoli, il P. Priore, e Camarlingo sieno Depositarij, e tenghino il Libro del Deposito, che si faccia à posta, talche ogni Convento di qualsivoglia stato, o grado, o condizione si sia abbia il suo Deposito, e il suo Depositario, e s' amministri conforme all' Ordine detto di sopra; e se si troverà alcuno, che non l' abbia, sarà gastigato, come di sopra.

E perchè molti Frati hanno debito con li Conventi e per sentenze, o per altro, onde li Conventi non si potendo servire del suo, patono estremamente.

Per questo nostro Decreto s' ordina à tutti quelli, che avessero tali debiti con li Conventi, sieno di qualsivoglia stato, grado, o condizione, che per tutto Agosto prossimo futuro abbiano sodisfatto, o fatto sodisfare da' loro Parenti, altrimenti s' intendino, ipso jure, passato il termine, privi di voce attiva, e passiva, e d' ogni offizio in perpetuo, nè possino essere rimessi se non da due Capitoli Generali distinti. Comandando in virtù di salutare obedienza a tutti li Padri Priori de' Conventi, che doveranno avere, che debbino, passato il termine, darne avviso al P. Generale, se averanno pagato, o nò, altrimenti ipso jure sieno privi del Priorato, e inabili per dieci anni al medesimo Offizio. Confermiamo anco, e in quanto bisogni innoviamo tutti li decreti, e ordini fatti da Noi, tanto nell' Offizio del Vicariato Apostolico, quanto nel Generalato, e di più dichiariamo, che se alcun Priore concederà a Frate alcuno di qualsivoglia stato, grado, o condizione si sia di far debito più di quello importi una tonica, ipso jure, sia privo del Priorato, e vogliamo, che la licenza nomini il Mercante con chi concede, che si faccia il debito, e di più, che sia sottoscritta dal P. Depositario, e da lui registrata al Libro del Deposito, acciò si possa sapere sempre i debiti de Frati, e con chi, acciò non nasca alcuna difficoltà, e il P. Priore non conceda licenza di far debito per nuova Tonaca, se prima non si è chiarito, se sia pagata quell' altra, nel che usi ogni diligenza, nè mai possa concedersi debito per due Toniche, ma sempre l' altra sia pagata.

E se sarà trovato alcuno, che senza licenza del P. Priore, e contro l'ordine già dato, averà fatto debito o con Frati, o con Secolari, sia privo di voce attiva, e passiva per dieci anni, nè sia tenuto il Convento à renderli altrimenti.

A Frati poi, che non prestino, se non conforme all' Ordine fatto nel Capitolo Generale di Bologna, altrimenti incorreranno in quelle pene.

Inoltre si comanda a tutti li RR. PP. Priori de' Conventi, che facciano intendere à tutti li Mercanti, e Bottegari soliti à servire li Conventi, e agl' altri ancora, che non diano à credenza a Padri del nostro Ordine senza la licenza in scriptis del P. Priore, altrimenti, che il debito sarà nullo, e non saranno sodisfatti. Non si comprendono in questo decreto gl' Offiziali, e Camarlinghi de Conventi, nelle cose però solo spettanti al Convento, e che realmente servino per il Convento, e non altrimenti.

Publicatæ fuerunt in Capitulis Provincialibus Anno 1592. Mensis Aprilis, & Maij.]

Clemens Papa VIII. incipit de Religiosis reformandis agere.
CAP. VII.

ANNO intercurrente 1592. Divina gratiarum Mater in suâ Imagine Annunciatæ de Florentiâ semper gloriosior, etiam hoc tempore apparere voluit. Vir quidam Florentiæ nomine Franciscus de Becis cupedinariæ artis, magni calculi doloribus intestinis vehementer plures annos afflictatus, ac denique extracto lapide, tùm triplicata vulneris trucidatione, tùm sanguinis multiplici effusione jam inter acerbissimos dolores moribundus agebat animam, quando ad D. Annunciatæ præsidium conversus (probè enim noverat ejusdem Imaginis virtutem, & gratiarum, ac miraculorum affluentiam) emisso voto sensim cessantibus doloribus, non post multos dies incolumis evasit. Hic tabulam tanti favoris ad Ecclesiam detulit. In eâ etiam Ecclesiâ per idem tempus M. Titi de Nasis Florentini Civis operâ, Guicciardinia familia perantiquam effigiem B. P. N. Philippi, quam cum Edibus Benitiorum hæreditario jure, ut aliàs dicebatur, fuerat assecuta, speciali suâ devotione locavit; in cujus rei perpetuum testimonium Epitaphium hoc in pario lapide Florentini Patres in ejusdem B. Philippi Sacello posuerunt.

In hoc Altari vera Imago, & effigies B. Philippi de Benitijs de Florentia Ordinis Fratrum Servorum Restauratoris, à Patre, & Matre ejusdem ex terra constructa colitur,& adoratur. Quam Illustrissimi, ac nobilissimi viri D. Jacobus Eques Hierosolymitanus, & D. Gualterottus quondam Angeli Jacobi de Guicciardinis de Florentia, cum domi apud eos per tercentos, & viginti annos devotè custodivissent, Divino spiritu, pietate, ac devotione erga Religionem hanc Fratrum Servorum, atque Beati reverentiam moti, in hoc Sacello eidem B. Philippo dicato reponi curarunt anno 1592. die 20 Julij.

Hujus verò B.P.N. Philippi intercessione accidit hoc eodem anno, ut vir quidam nomine Joannes Andreas de Amideis à Colle discipuli in Agro Narniensi ab immunenti periculo mortis liberaretur. Habebat enim vir iste neptem quandam Virginem Sanctimonialem in Monasterio nostro apud Suinates, quæ C dicebatur Soror Catharina, hæc auditâ gravi infirmitate Patrui sui, summis precibus votum vovit B. Philippo, & pro ejus incolumitate Missam celebrari fecit. Quare postero die expergefactus Joannes Andreas sic uxorem allocutus fuit: bono animo esto mea conjux, Sanctimoniales nostræ gratiam pro me impetrarunt à B. Philippo, ipse enim hac nocte, suâ præsentiâ me consolatus est, referens quæ Neptis nostra in eo Monasterio pro meâ salute operata est; & ita è lecto surgens mortem cum vitâ quodammodo commutavit. Interea Clemens VIII. qui Innocentio IX. successerat, totus reformandis religiosorum moribus intentus, cupiens unumquemq; D Ordinem ad pristinam illam veterum Patrum disciplinam redigere, plurimum Romæ curabat, ut Superiores cujuslibet Ordinis huic operi invigilarent. Lælius igitur Generalis noster optimam Pontificis mentem implere cupiens, cùm Romæ die 15. Decembris ab eodem Pontifice in visitatione S. Marcelli nonnulla decreta observanda recepisset, per universum Ordinem statim evulgari curavit, quorum summa cùm non multò post in reformatione ejusdem Clementis VIII. referatur, ad proprium locum superest conscribenda. Ut autem abusiis quidam appellandi à sententijs suorum Superiorum ad Tribunalia Sæcularia, A qui inter Religiosos non absque magno Scandali discrimine, irrepserat, penitus abrogaretur, Clemens Pontifex tales Apostolicas literas interposuit.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Quoniam Nostro pastorali potissimùm incumbit officio, ut ea, quæ per regulares personas contra eorum regularia instituta temerè attentantur, quantum Nobis ex Alto conceditur, opportunis remedijs compescamus, & amoveamus. Proinde quia nuper dilecto filio Magistro Lælio Balleonio de Florentiâ Priore generali Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ, non sine animi Nostri molestiâ referente, accepimus; quòd nonnullæ dicti Ordinis B *etiam utriusque sexûs regulares personæ, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, ut in eorum malefactis, & inobedientiâ se diutius confoveant, ab ijs, quæ per Prælatos ejusdem Ordinis, & Priores Provinciales, & alios Superiores ab ipso Priore Generali pro tempore deputatos, acta sunt, & decreta, ad tribunalia secularia appellare, & ad ea temerè confugere consueverunt, in non modicum Jurisdictionis ipsorum Superiorum læsionem, & regularis instituti alterationem, ac scandalum plurimorum. Nos præmissis, obviare volentes, universis, & singulis dicti Ordinis utriusque sexûs regularibus personis, cujuscunque dignitatis, statûs, gradûs, & conditionis existentibus, Apostoli-* C *câ auctoritate, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, eisque sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, à quâ nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa quæcunque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quàm passivæ eo ipso, absque aliâ declaratione, incurrendis pœnis districtius inhibemus, ne ad ipsa tribunalia secularia quovis prætextu, aut quæsito colore appellare, aut ea propterea quoquomodo adire audeant, vel præsumant; sed si se à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romanâ Curiâ, vel* D *ad Nos, sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesiâ Dei Judicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu justitia ministrabitur. Volentes, & ita declarantes, quòd nedum dicti Ordinis regulares personæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores easdem pœnas eo ipso omnino incurrant: Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ robo-*

Probibitio appellandi ad fora sæcularia.

neralem eligi posset. His fermè diebus M. Julius Malcalceatus de Mediolano, vir in quo & liberales artes, & Musarum, Gratiarumque cœtus suas delicias simul collocasse videbantur, è medio sublatus est. Hunc Carolus Borromęus S. Archiepiscopus ob præclaras virtutes semper plurimi fecerat, & in extremo agone positum speciali benedictione communivit. Cujus quidem ingenium ad quæque literarum studia fuit à naturâ optimè dispositum, eleganti facie, suavi eloquio, tùm legendo, tùm disputando, tùm concionando, semper seipso venustior, doctior, ac gratissimus. Hunc Brixiæ secutus est M. Amans vir ob suam præclaram doctrinam in domesticis regendis gymnasijs pluries versatus, & novissimè inter Sacri Concilij Tridentini Patres cum Episcopo Sebenicensi connumeratus. His quoque temporibus plurimùm in celebrandis Sanctorum gestis laborabat P. Thomas de Veronâ, cui multum debet noster Ordo, quòd is sua præcipuâ sedulitate in Kalendarium Sanctorum totius anni majorem partem Beatorum nostrorum retulerit, quorum codex M.S. varias Sanctorum vitas amplectens sub titulo *Flos florum* ex munere P. Valerij de Vicentiâ, dum ibi conciones quadragesimales haberemus, ad manûs nostras pervenit, in novâ nostrâ Bibliothecâ Florentinâ propediem collocandus. Quo etiam tempore florebat P. Paulus Antonius Bonfilius de Viglevano, in decantandis illustrium virorum, necnon Beatorum nostrorum laudibus Poeta insignis: edidit enim hoc anno Mediolani metricum quoddam opusculum, cujus titulus est *Libellus disticorum alphabetico ordine digestorum, &c.* Nostrâ etiam operâ usus est hoc anno Lælius Vicarius Generalis Apostolicus pro imprimendâ, & varijs contemplationibus declarandâ Regulâ Martini Papæ V. ad Sorores nostras Tertiarias, ut tali occasione, & ipsæ ad meliorem frugem his nostris temporibus reducerentur, quod Opus impressum fuit apud Marescottos Florentiæ an. 1591. quemadmodû, & alterum Opusculum de Verâ origine Ordinis Servorum, quod ad instantiam Florentini Consulatûs de Neapoli, dum ibi Divinum verbum in Ecclesiâ Spiritûs Sancti explicaremus, eodem tempore Etrusco sermone cum catalogo Generalium edidimus.

M. Julius de Mediolano moritur.

Mors Magist. Amâtis de Brixiâ.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *Auctor tardiùs, quàm par fuisset, Cardinalem Bessarionem cum illis connumerat, qui se huic Ordini ob præcipuam devotionem dedicaruat, quia priùs non viderat, quod nuper observavit, monumentum quoddam perantiquum, quod habetur in parvo Xenodochio peregrinorum sub Ordine nostro apud Ecclesiam S. Blasij Bononiæ. Nam leguntur in quadam veteri illius Oratorij tabulâ Indulgentiarum hæc præcipua verba.* Maestro Bessarione Monsignor dell' Ordine di S. Maria de' Servi dà, e concede indulgenza &c. *Quæ si conferantur cum alio quodam monumento lapideo super Turrim Cymbalariam Ecclesiæ nostræ Servorum, ubi hæc alia verba incisa sunt:* Bessarionis Episcopi Tusculani Card. Niceni benefactoris nostri, *faciliè convincitur de Bessarione, quod aliâs de Lucido, & Androino Cardinalibus, quorum exemplum secuti fuerunt Antonius Episc. Betecti, Joannes de Anaaiâ, & alij, sicut inter hos Annales explicatum est. Nempe Bessarionem in Album aliorum Cardinalium hujus Ordinis referendam esse, prout vetusta illa temporum consuetudo, & specialis multorum devotio erga hunc nostrum Habitum tulisse visa fuit. Nam pro eâ tempestate multi veteres Prælati ad Habitû diversarum Religionum honestis de causis, etiam dignitatibus retentis, admitti curabant, nec contra ipsam Auctorem facit, quòd vel in tabulis Trivultianis, vel apud Panuinum, seu Alphon. Ciacc. plerique ex his nostris Cardinalibus vel reticeantur, vel non secundùm Auctoris diligentiam enumerentur de Ordine Servorum: quando illud peripateticum perspicuum sit* Argumentum ab auctoritate negativû nihil probare, *neque posse qui genericas historias complectuntur singula quæque specialia, quin aliquando excidant, tam accuratè referre. Videtur igitur explodenda imposterum opinio illorum, qui in enumerandis hujusmodi Cardinalibus, ad nostrum Ordinem spectantibus, tâm variè, tamque inconstanter tergiversati fuerunt.*

N O T Æ.

[S*Atis superque, ni fallor, exposuisse videtur hic Gianius, quo sensu, quóque jure duodecim Cardinales, Ordini Servorum tribuendos esse dixerit. In primis enim satis expressè narrat, quòd Androinus, Lucidus de Comitibus, & Bessarion Trapezuntius Ordinem, & Habitum Servorum singulari veneratione prosecuti fuerint, quem proinde saltem post obitum induti tumulari voluerint, eóque nomine Servorum Mariæ gloriati quodammodo fuerint; cæterùm nullatenus dicit, quòd ipsi Ordinis ejusdem professi, & Fratres fuerint. Num verò ex hoc Capite, quòd Ordinem Servorum vehementer amaverint, & Habitum eorundem expositâ ratione induerint, inter Cardinales Ordinis recensendi sint, aliorum esto judicium, ipse planè non recenserem. Si verò Philippum de Bononiâ undecim hic à me recensitis non adjungo, quem Gianius octavo loco recensuit, nemo planè mirabitur, si diligenter expenderit, quæ diximus ad annum 1450. Cent. 3. lib. 1. Cap. 16.*

Opportunum potiùs, & ad ostendendam magis semper, ac magis Stephani Cardinalis Bonuccij dignitatem, ejusque meritorum præstantiam magis consentaneum existimo, Elogia hic recensere, quæ tum apud Pocciantium in Chronicon, tum apud Alphonsum Ciacconium, tum in Ecclesiâ Servorum de Aretio, ac denique in Ecclesiâ Cathe-

Undecim tantùm Cardinales recensētur Ord. Servor. addictè, & quo sensu.

Stephan. Cardin. Bonucc. Elogia recensentur.

Cathedrali ejusdem Civitatis publicè exposita unicuique legere licet. A

Pocciantius ergo ad annum 1561. hæc de Stephano scribit.

Dum Sacrum Tridentinum Concilium celebratur, in maximo habetur pretio apud SS. Patres R.P.M. Stephanus Bonuccius de Aretio Orator, ac Theologus insignis, qui ob suas incredibiles virtutes in juvenili ætate Patavinæ, ac Bononiensi Academiæ fuit præpositus, & ante annos legitimos Generalis Procurator Ordinis electus, à Sanctiss. Pont. Julio Apostolicus Visitator designatus, & iterum à Patribus ob res benè gestas in Comitijs Bononiæ habitis iterum Procurator Ordinis creatur, ac tandem Illustrissimi, atque Amplissimi Cardinalis Hugonis Boncompagni Bononiensis Theologus constitutus, & ab eodem pro rebus magni momenti in Hispaniam perductus est, sed ut singula uno complectar verbo, universa religionis Officia adeptus, sapientissimè singula administravit. B

Alphonsus item Ciacconius hæc de eodem habet. *Stephanus Bonuccius Thuscus Aretinus in Ordinem Servorum adhuc puer admissus Augustini Bonuccij postea ejusdem Religionis Magistri Generalis Alumnus, Sac. Theologię Magisterio cohonestatus, eloquentiâ clarus, in suâ Religione Procurator, & postquam Tridentinę Synodo interfuerat, cum Hugone Cardinali Boncompagno profectus, & ab eodem Hugone ad Pontificatum promoto, & Gregorio XIII. nuncupato Episcopus Alatrinus, mox Aretinus creatus, à Xixto V. Presbyteris Cardinalibus Tit. SS. Petri, & Marcellini adscriptus, & Concilii Tridentini interpretationibus prępositus fuit. Qui pleuritide laborans obiit Romę in Monasterio, seu Collegio sui Ordinis, ibidem hoc superscripto Elogio sepultus, quod iam supra relatum est.*

In Ecclesiâ verò S. Petri parvuli de Aretio sequens apparet Elogium.

F. Stephanus Bonuccius
Religionis Servitanę
Generalis,
Civitatis Aretinę
Decus, & Pastor,
Sac. Conc. Trident., & S.R.E. Cardinalium
Ornamentum, & Oraculum,
Huius Familię beneficentiâ, à quâ educatus,
Hic sui memoriam protrahit.

Cui accedit & aliud longè pluris habendum in Ecclesiâ Cathedrali sub ejus Trunco marmoreo positum.

D. O. M.
F. Stephano Bonuccio
S.R.E. Tit. SS. Petri, & Marcellini
Presb. Card.
Quem Tridentum ad sacram Synodum
Theologum celeberrimum,
Hispania
Hugonis Card. Boncompagni
Ad Philippum Regem Legati
Fidelissimum Consiliarium,
Servitana Familia
Per omnes ejus Gradûs
Gubernatorem optimum,
Alatrum, & Aretium
Paterna Civitas Pręsulem vigilantissimum,
Roma sępe ad Summos Pontifices
Oratorem,
Sacrę Inquisitionis Censorem,
Concilij Interpretem,
Alijsque muneribus
Pręfectum sapientissimum,
Omnis Christiana Respublica
In omnibus religiosissimum,
Ac demum dignissimum Cardinalem
Experta,
Dum spe Pontificem Maximum
Expectabat,
Ex inopinato obeuntem graviter luxere.
Obijt verò IV. Nonas Januarij MDLXXXIX.
Anno ætatis suæ LXVIII.
Ludovicus Bonuccius Præpositus Aretinus,
Fabius, & Joannes Baptista Fratres
Patruo benemerito PP.]

In Comitijs Parmæ celebratis Lælius Balleonius Florentinus eligitur trigesimus nonus Generalis.
C A P. VI.

C TEmpus aderat celebrandi Capitulum Generale, quando Patres Parmam properabant memores superiorum temporum, quòd eo in loco adhuc Comitia Jacobi Tavanthij arriderent tàm læta, tàm abundantia, tàm rerum, & literarorum ubertate copiosa. Ibi igitur die primâ Junij instauratis suffragijs electus fuit M. Lælius Balleonius Florentinus 39. Generalis Servorum, cujus subscriptio extitit ad imitationem Generalis Zachariæ: *Dominus suscepit me*. De Procuratore autem in Curiâ eligendo controvertebatur, plurimis idem officium appetentibus, sed optimo consilio factum, ut unus M. Balthassar Bolognettus de Bononiâ ex Provinciali Romandiolæ Orator in Curiâ eligeretur, cui sufficitur Prov. M. Laurentius de Butrio. D Noverat enim Ordo totus quam sibi Balthassar, dum Cremonæ concionaretur, benevolentiam Nicolai Sfondrati Episcopi, & Cardinalis, qui nunc erat Pontifex, sibi eo in loco conciliasset, & quàm haberet Gregorius in Balthassatem propensum animum, si vita diu comes fuisset. Pro eo autem Sacræ Theologiæ Cathedram pro viribus illo triennio sustinuit Bononiæ M. Cæsar Bologninus de Bononiâ. Electores verò in eo Capitulo sequentes fuerunt. Thusciæ Diff. M. Basilius Olivius de Flor. Prov. M. Laurentius Luchesius de Lucâ, Socius M. Petrus Maria de Scrofano. Patrimonij Diffin. M. Antonius Vivolus à Corneto, Prov. Mag. Dionysius

Lælius Balleonius 39. Gen.

Tor.

Torsanus à S. Marino, Socius M. Adrianus Spera de Perusio. Romandiolæ Diffin. M. Matthæus de Butrio. Prov. M. Balthassar de Bonon. Lombardiæ Diff. M. Paulus de S. Bernardo. Prov. M. Archangelus Tortelius de Parmâ, Soc. . . . . Marchiæ Diffin. Mag. Zacharias de Veronâ. Prov. M. Hieronymus de Mestre, Soc. P. Sebastianus de Veronâ. Venetiarum Diffin. Mag. Aloysius de Bergomo. Prov. M. Jovita Boccacinius de Rovato, Soc. P. Sylverius Tosatus de Vincentiâ. Mantuæ M. Anselmus de Mantuâ Diff. M. Aurelius Blancus de Cremonâ Prov. M. Virginius Passera de Pisauro Socius. Genuæ Diffinit. M. Antonius à Castro novo, Prov. M. Hieronym. de Murrâ, Soc. M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Neapolis Prov. M. Vincentius Fortunatus à Geffono, Soc. Baccalaureus Petrus Ferrera. Ab his itaque ut jus suum unicuique rectâ ratione tribueretur, hæc pauca decreta emanarunt.

1 *Reus, qui sententiam à Judice latam acceptaverit, vel cui diffinitiva sententia continens, ac exprimens causam suæ condemnationis, personaliter coram Judice intimata fuerit, neque ille trium dierum spatio appellaverit; appellandi beneficio careat; neque quovis prætextu, ut causa ad examen revocetur, petere possit.*

2 *Quicunque verò à sententiâ Superioris sui diffinitivâ, vel diffinitivæ vim habente, quæ causam condemnationis non contineat, vel reo personaliter non fuerit intimata, appellare voluerit: decem dies tantùm à publicatione sententiæ ipsi reo factâ pro termino, si præterire contigerit, reus appellationis beneficio uti nullo modo possit, ipsâque appellatio fiat coram proferente sententiam, si ille præsens fuerit; sin minùs, coram eo, cui à Judice intimatio sententiæ fuerit commissa.*

3 *Judicis autem sententia, quæ manifestam iniquitatem non contineat, neque ex præsumptionibus, sed ex legitimis probationibus, vel legitimâ confessione Rei lata fuerit, nisi ab eâ modis, & temporibus præscriptis fuerit appellatum, in rem judicatam transisse intelligatur: neque ab eâ ullo prætextu appellatio, aut reclamatio interponi possit, vel interposita admittatur, aut causæ reexaminatio quovis colore attentetur, immò qui à sententia, quæ, ut præmittitur, in rem judicatam transierit, duxerit appellandum, arbitrio superioris, ad quem fuerit appellatum, nullâ excusatione auditâ, severè puniantur.*

4 *Qui verò per Judicis sententiam notati fuerint infamiâ, per quam à reddendo testimonio, vel à gradibus recipiendis, aut officijs obtinendis repelluntur, per nullum Ordinis Superiorem, neque etiam per Priorem Generalem ad famam restitui possint. Quod, licèt in Constitutionibus Ordinis nostri usque modò statutum non fuerit, cùm jure communi caveatur; siqua forte attentata restitutio ab aliquo Generalium, qui usque in præsens officio functi sunt, subreptitia, & ipso jure nulla censeatur. Infames verò, qui ab officijs obtinendis arcentur, inhabiles tantùm intelligantur ad ea officia, quibus onus regendi alios incumbit, aut quæ aliàs honoris officia appellantur. Possint tamen ad oneris officia assumi, præterquàm, si ob delictum in aliquo officio admissum condemnati fuerint; tunc enim ad simile officium inhabiles perpetuò maneant: neque illis, qui ob furta commissa infames fuerint, ad ea officia, quibus pecuniæ, & alia bona Monasterij administrantur (licèt oneris fuerint) aditus unquàm pateat.*

5 *Prior Provincialis prætextu cujuscunque delicti, etiam inobedientiæ, aut quovis alio, non possit Fratrem extra Provinciam relegare, aut ab illa ejicere, quæ ad benevolos dicuntur, alicui Fratri, etiam petenti, concedere; nisi priùs per Priorem Generalem, locus pro habitatione Fratri in aliâ Provinciâ, cum alterius Provinciæ Provinciali convenerit de loco in illius Provinciâ assignando Fratri per ipsum relegando, ejiciendo, aut dimittendo.*

6 *In unâquaque Provinciâ sit Liber publicus, atque apud Provincialem pro tempore existentem servetur; in quo de verbo ad verbum conscribantur sententiæ omnes per Generalem, vel per ipsummet Provincialem, & per alios Judices ab eis delegatos latæ contra Fratres in suâ Provinciâ residentes: illasque ipse Provincialis in librum redigere intra terminum viginti dierum à die publicationis teneatur; & quando Fratrem à suâ Provinciâ dimittit, aut in eâdem à Conventu in alium transfert, in suis literis patentibus, aut alio modo, qui in Judicio fidem faciat, Priori Provinciali, vel Conventuali, ad quem Frater condemnatus mittitur, tenorem sententiæ significare teneatur.*

7 *Quicunque contrà personas eligendorum in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus de delicto, vel alio canonico impedimento non notorio excipere voluerit, per tres menses ante Capituli celebrationem coram Generali, vel Provinciali hujusmodi exceptionem facere teneatur, ut medio temporis res maturè discuti possit: neque propterea Capituli celebratio impediatur, aut differatur. In ipsis autem Capitulis nulla exceptio admittatur, nisi de delicto, aut alio impedimento per sententiam notorijs, aut de quibus in eodem capitulo plena, & perfecta cognitio infra terminum diei naturalis haberi possit.*

8 *Decretum Capituli Generalis Bononiæ celebrati anno 1585. de Apostatis, quod incipit:* Nemini liceat; *confirmantes, & (quatenus opus sit) innovantes, insuper declaramus, quòd quicunque Fratrum prætextu gravaminis, habitu retento, à Conventu discesserit, & se intra præscriptum ab eâ Constitutione tempus coram Provinciali, vel Generali respectivè se præsentaverit, licèt Apostatarum pœnis non subjaceat; nihilominus tamen à Superiore, ad quem recursum habet, causa hujusmodi recursus diligentissimè examinetur, quam si minùs legitimam reperierit, juxta levitatis quantitatem, per privationem utriusque vocis suo ipsius arbitrio Fratrem*

trem puniat. Qui verò nullius gravaminis prætextu, verùm levitate, aut aliâ quâvis ratione ductus, à Conventu sine licentiâ, habitu non dimisso, discesserit, nisi intra quindecim dierum terminum ad obedientiam reversus fuerit, nullâ excusatione auditâ, Apostatarum pœnis subjaceat. Quòd si intra dictum terminum redierit, secundùm exigentiam delicti, Superioris arbitrio, per privationem utriusque vocis, & alias pœnitentias puniatur.

9 Quicunque inobediens fuerit Provinciali, neque in hujusmodi contumaciâ per mensem perseveraverit, licèt pœnas à Constitutionibus in Capitulo de gravissimâ culpâ inflictas non incurrat; tamen à Provinciali secundùm qualitatem contumaciæ, & tempus, per quod in illâ perseveraverit, puniatur.

Qui verò pro disputationibus consuetis, & concionibus in his Comitijs adstitissent, nobis absentibus incompertum, præter duos M. Augustinum Goruccium Methaphysicum Senensem, & M. Valerium Seram de Veronâ. Per idem tempus contigit Senis, ut mulier quædam nomine Catharina uxor Cosmi Machæropei diris cruciatibus, & membris contracta per mensem in cubili absque ullâ quiete degeret, & mori malle, quàm vivere præ doloribus appeteret; remedium nullum, nullum pharmacum, nullum Medicorum consilium, nulla dolorum intermissio. Cùm autem de floribus, & rosis, quibus quotannis ex assiduâ Senensium devotione tangitur corpus B. P.N. Francisci Patritij, intellexisset, statim unam ex ipsius rosis habere curavit, quam (mirabile dictu) suo corpori vix applicatam, præsensit lenijsse dolores, & contracta membra resolvisse: quare incolumis evadens die 3. Julij non cessavit imposterum benedictas S. Francisci Rosas, earumque virtutes celebrare. Defuncto interim Gregorio XIV. Antonius Fachinerus Cardinalis tertio Kal. Novembris magnâ omnium Cardinalium consensione in ejus locum resedit; vir sanè magno rerum civilium usu, multiplici literarum doctrinâ, pristinâ incorruptæ vitæ laude cõmendatus; unde & Innocentius IX. appellatus fuit. Quantùm verò ad res nostras spectat magna ob Innocentium, quæ jam in mortuo Gregorio defuncta fuerat, spes reviviscere visa fuit. Nam Hippolytus Massarinus Lucensis, qui tunc Ferrariæ Theologiam publicè profitebatur, maximam olim necessitudinem, & familiaritatem cum Facbineto contraxerat, dum ei Venetijs in suâ Legatione diù à Sacris inservijsset; quem quidem famulatum adeò semper cordi retinuit Antonius Fachinetus, ut vix ad Pontificatum evectus, Hippolytum Romam adventare jusserit, & benignè receptum, & amplexatum rursus in suum Theologum familiarem, non sine maximâ rerum futurarum expectatione, confirmaret; ex quibus tantæ benevolentiæ signis Hippolytus jam per Urbem Cardinalis vociferabatur.

Florum B. Frãcisci Senensis virtus.

A Verùm (proh dolor) ad 3. Kal. Januarij ventum fuit, quando per Urbem Pontificis mors evulgatur, & noster Ordo magnâ de suo Hippolyto conceptâ spe, funditùs defraudatur. Ludani quoque inter Pannones moritur F. Gulielmus Ceinius de Prato, vir etsi nullius doctrinæ, in rebus tamen gerendis valde accuratus, qui Sixto V. permittente S. Benedicti suscepto habitu, Abbas ejusdem Loci declaratus, post triennium animam Deo reddidit. Pari modo Brixiæ M. Cyprianus Verardus quinto Idus Octobris è medio tollitur, cujus meritis commendandis addidisse aliquid, potius decerpsisse est; siquidem ejus laus non sermone exponenda occurrit, sed operibus comprobanda. Quicunque enim intelligere cupiat qualis, & quantus fuerit vir iste, ejus B observet indefessos labores, ejus præcipuè studia admiretur, ejus Opuscula perlegat, quæ tantò magis charitatem ipsius in proximum redolent, quantò & viris doctis, ac indoctis communia sunt. Perparvi enim habuit Cyprianus, quamvis doctissimus, & quibuscunque scholasticis non inferior, ut suæ existimationi derogaret, dummodo simplicioribus hominibus per suam doctrinam opitularetur. Edidit igitur præter optimum Quadragesimale M. S. Italicâ linguâ. 1. *Il Pellegrinaggio al Cielo*. 2. *L'Armonia della Republica Cristiana*. 3. *Il modo di ben morire*. 4. *La medicina de' Peccatori*. 5. *Il martirio della Coscienza*. 6. *La vita dell' anima fedele*. 7. *Le fiamme del divino amore*. 8. *La guerra contro* C *il peccato*. 9. *La creanza Cristiana*. 10. *Instromento spirituale*. 11. *Arte del buon Cristiano*. 12. *Specchio delle Vergini, e Spose di Cristo*. Quæ omnia typis mandavit hortatu, & suasione præcipuè DD. S.R. Ecclesiæ Cardinalium Julij Antonij Sanctorij S. Severinæ Protectoris, Augustini Valerij, & Nicolai Sfondrati, cui quàm gratissimus fuit.

Gulielmus Abb. Ludani moritur

M. Cyprianì Brixien. obitus.

[Recolendus etiam hîc videtur obitus P. M. Nicolai Barbolani de Aretio, quem diximus ad annum 1590. suffectum fuisse Procuratorem Ordinis in Romanâ Curiâ Lelio Balleonio, qui ex Procuratore Ordinis electus à Xixto Papâ V. fuerat Vicarius Generalis ejusdem Ordinis, eò quòd obierat Generalis Librantius. Hinc enim argumentum petere D licet ejus virtutum, ac meritorum præstantiæ. Verùm ex eo quoque idem omnino petendum videtur, quòd Clarissimi DD. Comites de Monte Acuto Familiæ suæ ipsum aggregare ex animo voluerint, quemadmodum patet ex Instrumento sequenti minimè prætereundo, cujus originale egomet vidi mense Septembri 1714. in Archivo Conventûs nostri de Aretio.

P. Nicolaus de Aretio aggregatur Familiæ Comitũ de Mõte Acuto.

IN *Dei Nomine Amen. Anno ab ejus salutiferâ Nativitate millesimo quingentesimo octuagesimo octavo Indictione primâ, die autem primâ Januarij, tempore Pontificatûs Beatissimi in Christo Patris D.N.D. Xixti Divinâ favente gratiâ Papæ V. sui Pont. anno secundo,*

Serenissimo Ferdinando Medices Cardinali Etruriæ Magno Duce dominante. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, qualiter constituti coram me Notario, & Testibus infrascriptis Illustrissimi Viri DD. Comites de Monte Acuto Franciscus q. Filius Illustrissimi D. Alberti, D. Franciscus q. Filius Illustrissi. D. Frederici, D. Cæsar ejus Frater germanus, D. Bartholomæus q. Filius D. Montis Acuti, D. Martius q. Filius Illustrissi. D. Joannis, omnes de Barbolanis, Comites Montis Acuti in Thuscia Aretinæ Diœcesis, conscij, & clarissime de scientiâ, virtute, rarisque qualitatibus, & meritis R. in Christo Patris, & S. Theologiæ Doctoris Magistri Nicolai olim Filij Olivi Andreæ de Villâ Cellis Conteæ prædictorum Dominorum oriundi, eorundemque subditi, & Vassalli Ordinis Fratrum Servorum Gloriosæ Virginis Mariæ. Qui Domini volentes in quantum possunt eundem R. Magistrum Nicolaum debitis honoribus, & meritis decorare, ut hinc faciliùs promptior ad Majora aspirare valeat, ex eorum certâ scientiâ, liberâque voluntate, omni meliori modo, viâ, & formâ, jure, & causâ, quibus validiùs, meliùs, & efficaciùs de jure potuerunt, & possunt, dederunt, donaverunt, & liberaliter concesserunt de communi eorum voluntate supradicto R. Magistro Nicolao absenti, & mihi Notario infrascripto, uti publicæ personæ pro eo acceptanti, & stipulanti, cognomen, Arma, & insignia ipsorum Dominorum Comitum, & eorum antiquæ Familiæ, & Prosapiæ, quibus & ipsi utuntur, & nominantur, & eorum antiqui Majores usi, & nominati fuerunt, ita & taliter, quod d. R. Magister Nicolaus in posterùm dd. Armis, Insignibus, & Cognomine uti possit, & valeat in omnibus suis negocijs, Literis, sigillis, scripturis publicis, & privatis, Concionibus, Capitulis, Congregationibus, Prælaturis, in Domibus, Picturis, & ornamentis suæ supellectilis, & in omnibus suis alijs negocijs, rebus, & commercijs, quæ in quacunque Mundi parte quoquomodo excogitari possunt, & possent. Aggregantes eum in omnibus, & per omnia dictæ eorum familiæ, & Prosapiæ. Volentes, quòd in futurum de Barbolanis, & Comitibus Montis Acuti nominetur, & nuncupetur, & se nuncupare, & nominare valeat, & possit, sicut ipsimet Domini Comites concedentes nominantur, & nuncupantur cum omnibus, & singulis illismet privilegijs, prærogativis, honoribus, immunitatibus, quibus omnes de d. Familiâ, & ipsi concedentes gavisi fuerunt, & gaudent, recipientes, & amplectentes eum nunc in d. Familiâ Barbolanorum, & Comitum Montis Acuti cum facultatibus præmissis, ac si de eorum stirpe, & Cippo domûs eorum natus fuisset. Mandantes asserti Domini mihi Notario, & in præsentiarum eorum Vicario infrascripto, ut de prædictâ Donatione, concessione, & aggregatione publicum conficiam Instrumentum in formâ Privilegij, vel quoquo alio favorabiliori modo ad honorem, & decus d. R. Magistri Nicolai ad perpetuam memoriam, & ad omnem alium bonum finem, & effectum. E Promittentes, & quilibet dictorum Dominorum promittens asserto R. Magistro Nicolao licèt absenti, & pro eo mihi Notario infrascripto, ut supra, recipienti, præsentem Donationem, & aggregationem per se, & eorum hæredes, & successores perpetuò attendere, & inviolabiliter observare, contra non venire, nec venienti consentire. Imò ipsum R. Magistrum Nicolaum tanquam unum natum de eorum prosapiâ, defendere, & tueri iuxta eorundem Dominorum posse, sub eorum fide, & verbo Nobilium more, &c. Rogantes &c. Acta fuerunt suprascripta in Castro Montis Acuti in Palatio d. Illustrissimi D. Francisci D. Alberti, posito in d. Castro iuxta eius fines. Præsentibus ibidem RR. DD. D. Nicolao Gamurrino Cive. Canonico, & De-F cano Aretino, & D. Camillo de Bartolinis de Civitate Burgi S. Sepulcri Ecclesiæ S. Andreæ de Galbino Rectore, & D. Francisco Orlandino de Montercbio Ecclesiæ S. Mariæ de Can.... Rectore, omnibus ad præmissa testibus habitis, vocatis, & rogatis.

Transfertur Imago B. V. de Narniâ

Eodem anno 1592. translata apud Narniam solemniter fuit B. V. Imago media inter Imagines S. Iuvenalis Episcopi Narniensis, & S. P. N. Philippi in Ecclesiam, prout loci patiebatur angustia, longè ampliorem effectam, cui subinde consequentibus annis elegantius Sacellum eidem Sacræ Imagini construxere Patres, cujus etiam operâ Cœnobio incrementum accessit. Ad eundem annũ G referenda sunt Loca quædam Provinciæ Neapolitanæ, prout ex ejusdem Regesto docemur, videlicet Conventus S. . . . . de Frignano, S. Mariæ Constantinopolitanæ de Zungulo, quemadmodum Conventus S. Germani ad annum usque 1509. referendus videtur; quo pariter anno in Insulâ Corsicæ duo alia Loca Ordini nostro comparata videmus, nimirum S. Antonij *de Casabianca* sub Diœcesi Marianen. & Accien. item D. Annunciatæ *de Berettoli* sub Diœcesi Nieben. quæ sanè duo comparata fuisse novimus operâ præsertim, & studio P. Francisci de Bettinis de Florentiâ in eâ Insulâ pro Ordine nostro Vicarij Generalis. Hæc autem deinceps in ampliorem formam paulatim evasere, eaque H adhuc tenet Ordo Servorum. Denique ad annum 1589. Locus alter sub Tit. S. Gilij de Monte Sancto referendus adhuc est, quo die 27. Aprilis ejusdem facta fuit donatio ab illâ Communitate P. Petro Paulo Rovilio de Urbe Alumno Conventûs S. Mariæ in Viâ, ubi Contractus Donationis hujus servatur. Recensendæ quoque sunt Ordinationes quædam Lælij Baglionij Vic. Gen. Apostolici in ejus regesto contentæ pag. 110. sequentis tenoris.

Conv. de Frignano, de Zungulo, S. Germani de Casâ biancâ, & de Berettoli.

Decreta pronuncianda in omnibus Provincijs pro tollendis aliquibus Abusibus Religionis.

1 *QUoniam magno Regularis disciplinæ dispendio, maximoque secularium scandalo*

ex Fratribus nostri Ordinis nonnulli facta Religionis nostræ revelantes pro obtinendis Officiis, gradibus, & dignitatibus, aut habitatione alicujus Conventûs, vel pœnæ pro delictis illis impositæ imminutione favores extra Claustra quærunt; Nos pro nostri Officij munere, huic malo occurrere volentes, verbo super hoc priùs facto cum Illustrissimo DD. Cardinali de S. Severinâ nuncupato Ordinis nostri Protectore, Fratres omnes nostri Ordinis, cujuscumque gradûs, aut conditionis existentes monemus, & nihilominus districtè illis prohibemus sub pœnâ exilij perpetui à Provinciâ, & Conventu, cujus sunt filij, & etiam vocis activæ, & passivæ ipso jure privationis per triennium, ne in quavis re etiam minimâ, nedum in illis jam declaratis favorem secularium, & quorumcumque degentium extra Claustra, cujuscumque gradûs, & conditionis sint requirant, aut requiri procurent, cùm debeant ignorare laici quid intra septa Conventuum faciant regulares, & ut tollatur locus excusationibus, tunc pœnas jam impositas Fratres incurrisse omnino censeantur, cùm ad Nos, aut ad alios Religionis Superiores commendatitia verba, seu Literæ directæ fuerint. Regularibus enim quis non favet, nisi ab ipsis priùs fuerit excitatus, & obnixè requisitus.

2 *Utilitati etiam religionis consulere volentes præsenti Decreto R.P. Provincialibus facultatem concedimus (servatis tamen servandis, quæ in Sac. Conc. Tridentino, & in Constitutione SS. D. N. Xixti Papæ V. super hoc editâ, servari jubetur) ut possit Fratribus sibi subjectis licentiam concedere suscipiendi quatuor Sacros Ordines, qui Minores dicuntur. Omnibus autem, & singulis reliquos Sacros Ordines suscepturis notum facimus, ut coram suo Provinciali se præsenteut, à quo diligenter examinati, si ad Nos miserint Literas testimoniales legitimæ ætatis, sufficientis literaturæ, boni nominis, & famæ, exercitij, quin etiam Ordinis suscepti, & aliorum, quæ à Sacro Concilio Tridentino, & à Constitutione SS. D. N. Xixti Papæ V. super hoc promulgata requiruntur, tunc libenter licentias accipient pro suscipiendis Sacris Ordinibus, aliàs minimè, nec alio modo.*

3 *Ut autem in dies magis virtutes, quæ Religionis nostræ fundamentum sunt, omnino in Religione nutriantur, in virtute salutaris obedientiæ præcipimus R.P. Provinciali, ut juxta Constitutiones nostras, Capitulo* de Novitijs, *Novitios omnes suæ Provinciæ in uno, aut pluribus collocet Novitiatibus, quibus de expensis provideatur juxta Constitutiones nostras, assigneturque Magister Vir integerrimi, bonorum morum, & grammatices, prout eorum ratio videbitur expostulare, Juvenibus quoque professis in unoquoque Conventu morum, Grammaticesque Magister omnino delegetur.*

4 *Quoniam verò sæpè contingit, & Nos ipsi experti sumus, delinquentes interdum prætextu gravaminis, suspicionis, aut inimicitiæ (quæ tamen omnia Justitiam fugientes sibi ipsis fingunt) ante latam sententiam à suo Judice competenti appellare ad alium Judicem. Idcirco*

A *præsenti Decreta statuimus, & ordinamus quovis quæsito colore, & jam prætextu gravaminis, suspicionis, aut inimicitiæ (nisi hæc omnia manifestè pateant) neminem appellare licere à Judice suo competenti ad alium Judicem ante latam sententiam, sed prima instantia sit coram suo Judice Ordinario, à quo si appellaverit non audiatur nisi in termino trium dierum appellaverit, & Judex in actis redigat appellationem, aliàs transeat in rem judicatam. In appellationibus verò servetur ordo nostrarum Constitutionum. In appellatione autem ad Sacram Congregationem Regularium servetur Decretum super hoc ab ipsâ Sacrâ Congregatione publicatum, scilicet, ut priùs res, & causa sit discussa in Religione à Provinciali, Generali, & Illustrissi-*

B *mo, ac Reverendissimo Religionis Protectore, antequam ad Sacram Congregationem Regularium fiat recursus. Factâ autem appellatione debito modo, reus in termino assignato à nostris Constitutionibus compareat coram Judice, & Judex fideliter mittat Processum jam confectum ad illum, manente tamen eo interim in suo robore sententiâ jam latâ. Quòd si aliquis contra hujusmodi formam agere præsumpserit, severè puniatur ad arbitrium Judicis, ad quem de jure debebat fieri appellatio.*

5 *Advenarum etiam immoderatis expensis providere volentes præsenti Decreto statuimus, ut solùm pro alicujus Advenæ prandio, nil ultrà quàm decem quadrantes expendantur, & totidem pro cœnâ; si verò advena fuerit Prior, aut*

C *Magister, aut Senex venerandus, ad duplum expendatur, videlicet viginti pro prandio, & totidem pro cœnâ. Et si Procurator Conventûs plus aliquid expenderit, de suo solvat, & Prior, & Patres revisores nullo modo admittant; quòd si admiserint, voce activâ, & passivâ per triennium careant, & Provincialis in Visitatione id omnino videre procuret. De expensis verò Patrum Visitatorum præsenti Decreto nihil intelligatur innovatum, sed servetur Constitutio Nostra in Capitulo de Visitationibus.*

6 *Propter recipiendos Fratres alterius Religionis multa orta sunt scandala, & propter retinendos apud se seculares valde laxatur regularis disciplina, idcirco districtè prohibemus, ut nullus Frater Advena alterius religionis in*

D *Conventu recipiatur, nisi suorum superiorum licentiam in scriptis ostendat. Incolæ verò ejusdem loci non recipiantur infra sua Religionis fugientes, neque seculares fugientes justitiam seculi, etiamsi ære alieno fuerint oppressi, sub pœnâ exilij perpetui ab illo Conventu, & per triennium privationis vocis activæ, & passivæ, quam pœnam incurrere intelligatur non modò is Frater, qui receperit, sed etiam Prior illius Conventûs, qui aliquem recipi passus fuerit.*

7 *Innovamus etiam Decretum* Capituli *Generalis circa ea, quæ legenda sunt in viâ D. Thomæ ab officialibus studiorum, quod si non factum fuerit, & officio priventur, & severè puniantur.*

puniantur.

Publicatæ fuerunt hæ ordinationes in Capitulis Provincialibus de Mense Maij, & Junij 1590.

Ordinazioni per riforma de'costumi, e dello stato della Religione.

1 *IN prima confermiamo, e in quanto bisogni rinoviamo tutti li decreti, che da noi furono fatti, e publicati quando eravamo Vicario Generale Apostolico nelli Capitoli Provinciali l'anno prossimo passato del 1590. solo aggiungendo, che quelli in qualsivoglia modo riveleranno le cose della Religione al secolo siano di qualsivoglia stato, grado, e condizione, s'intendino incorsi nelle medesime pene di quelli, che fuori cercano favori.*

2 *Per tor via ogni sospetto di proprietà, se bene li beni, che sono pervenuti a' Conventi per le persone de' Frati particolari, finora sono stati amministrati da' Ministri publici al Depositario, tutta volta, acciò si conosca un corpo stesso di tutti li beni, che si pervengono al Convento tanto per se medesimo, quanto per le persone particolari, come effettivamente è, ordiniamo per l'avvenire, che nel libro stesso, ove si registrano gl'altri beni del Convento, si registrino anco quelli pervenuti all'istesso Convento per le persone de' Frati particolari, e così cammini il debito, e credito non altrimenti, che si cammini quello de' beni universali del Convento, e che il Sindico, come ministro publico, riscuota l'entrate di tutti questi beni, le quali poi consegni al Camarlingo, & egli poi al P. Depositario, dal quale secondo l'ordine, che averà dal P. Priore s'amministrino per sollevare i bisogni, e necessità de particolari, come si hà nelle nostre costituzioni nel Capitolo* de Administratione bonorum; *e tutto questo sia eseguito in termine di quindici giorni dopo la publicazione sotto pena à chi contrafarà d'essere privo de beni, e di voce attiva, e passiva per tre anni.*

3 *Perche per li debiti, che finora hanno contratto i Frati particolari con i secolari, e per quelli, che hanno contratto con li Frati stessi, nascano ogni giorno inconvenienti non piccoli con vergogna, e danno della Religione, però per ovviare à questi, si comanda à tutti li Priori de' Conventi dell'Ordine nostro, che notifichino alli Frati de' loro Conventi, e in virtù di salutare obedienza gli comandino, che chiunque ha debito con Frati del nostro o altro Ordine, o pur con secolari di qualsivoglia sorte qualunque somma di denari in termine d'otto giorni dalla publicazione debbino à S. P. manifestare, e rivelare il tutto; e acciò le cose passino con realtà li Padri Priori, e Camarlenghi delli Conventi, avvisino tutti li debiti, che hanno li Frati particolari per qualsivoglia causa con li Conventi al P. Provinciale. Per conto delli debiti particolari con li Frati, non solo chi è debitore, ma chi è creditore ancora debba nell'istesso tempo, e modo rivelare il suo credito, altrimenti se si troverà frande, o inganno nel nõ rivelare quello, che deve avere, sia privo del tutto, e applicato al Convento, & in oltre sia punito da Noi come disobediente di pena arbitraria. Ma quello, che deve dare usando frande, o inganno nel rivelare sia privo di voce attiva, e passiva per tre anni. Avuti questi debiti da particolari li Padri Priori nello spazio d'otto giorni debbino riferire il tutto al P. Provinciale, e quello poi nel medesimo termine d'otto giorni dopo che averà ricevuto detti debiti, li farà sapere alla persona nostra. E per provedere per l'avvenire intorno à questo caso innoviamo la legge fatta, e publicata nel Capitolo Generale celebrato in Bologna l'anno 1585. sopra di questo particolare. Che chiunque presterà denari a' Frati, o secolari senza licenza del P. Priore di quelli, che si trovano al deposito, o d'altri, che furtivamente tenessero appresso di se, sia punito come proprietario, & ipso jure perda il tutto, e sia applicato al Convento, di cui è Figlio. Aggiungendo, che qualunque Frate, che contrarrà debiti con Secolari senza licenza in scriptis del R. P. Priore specificante la quantità del debito, la persona, con chi si contrae, e la causa, per la quale si fà tal debito, sia privo di voce attiva, e passiva per tre anni, e bandito per il medesimo termine dal Convento.*

4 *Proibiamo espressissimamente a qualunque Frate del nostro Ordine sia di qualsivoglia grado, stato, e condizione, che non possino portare vestimenti di seta, ò legacci alle calze di seta, ò vestimenti con passamani di seta, nè si portino calze nere, bige, o tance, ò d'altro colore, altrimenti contrafacendo, e perdino li vestimenti, che si debbano vendere, e il prezzo vadi al Convento, e di più per trè anni sieno privi di voce attiva, e passiva, dando termine solo tre giorni à chiunque avesse tali vestimenti di poterne far ritratto.*

5 *Per ordine di N. S. Gregorio XIV. avuto sotto il dì 10. d'Agosto presente comandiamo sotto pena di privazione di voce attiva, e passiva per tre anni, à tutti li Frati di qualsivoglia stato, grado, o condizione, che niuno porti berretti con cantoni, ma secondo il modello, che averanno dal P. Provinciale da noi mandatoli.*

6 *Comandiamo ancora sotto arbitraria pena, che tutti li Frati portino le Coregge.*

7 *Proibiamo, che non si portino mostacchi, e barbe alla soldatesca, o alla sgherra, o granatello, ò altro modo da bravacci, nè s'usi rasoio, che rada mezza la barba, e lasci solo il mento, ma chi la vuol radere la rada tutta sotto pena à chi contrafarà d'essere privo di voce attiva, e passiva per tre anni.*

8 *Che chiunque per infermità, o altro difetto non può portare il Tonachino, porti la Camicia talmente ascosta, che non sia di scandolo al secolo, al che abbino l'occhio i Padri Priori correggendoli con disciplina la prima volta, e la seconda gli ponga prigioni.*

9 *Che niuno de nostri Frati possa tenere Secolari a dozzina in Convento, e nello stesso*

tenere scuola di Giovani, ma si levino di Convento omninamente; e chi contrafarà sia bandito dal Convento, e privato di voce attiva, e passiva per tre anni.

10 Alli M. RR. PP. Reggenti, Baccellieri di Convento, Maestri di studio ricordiamo, che omninamente osservino in quanto alle lezioni, quello, che fu ordinato nel Capitolo Generale celebrato in Cesena l'anno 1588. & in quanto a molte altre cose, quello, che fu ordinato nel Capitolo Generale celebrato in Bologna l'anno 1585. E acciò, che gli Scolari non abbino occasione di svagarsi, ma d'attendere agli studij, proibiamo espressamente alli Padri Priori, che non gli diino licenza d'andar fuori di Convento, se non una volta la settimana, e questo sia il dì della vacanza; e qualunque Scolare, che si troverà aver contrafatto a tal comandamento, nel tempo però ordinato da leggersi, sia privo di studio. Dichiarando però, che se venisse qualche caso di necessità, possino andar fuori, la qual necessità sia conosciuta, e approvata dal P. Reggente, & egli ne faccia fede al P. Priore.

Ordiniamo ancora, che ogni Sabato inviolabilmente, o quando questo fusse impedito il giorno precedente non impedito, in cambio del Circolo debba il molto R.P. Reggente esaminare tutti gli Scolari, e il Baccelliere di Convento, o Maestro di studio li loro sopra le lezioni, che averanno udito in quella settimana; e quando si finisce una Terzeria, l'ultimo giorno si faccia un esame generale circa tutto quello, che in detta terzeria si sarà letto, acciò si vegga il profitto, che si sarà fatto in quel tempo; e in capo all'anno nel fine dello studio si faccia un altro esame generale circa tutto quello, che si sarà letto in quell'anno, altrimenti se si troverà, che si siano omessi questi esami, ne sia punito il P. Reggente, come più a noi piacerà, e si conosca la causa dell'omissione.

E acciocchè gli scolari abbino a stare in continuo esercizio gl'ammoniamo, che se non in persona non potremo ogn'anno una, ò due volte esaminarli, manderemo persone a questo esercizio idonee, e atte, dalle quali essendo esaminati, secondo, che ne averemo relazione, procederemo nelli gradi, ò ritardargli, o privargli di studio, e sturinsi gl'orecchi agli Scolari, che per altra via, che per via di lettore non hanno a ricever gradi, però studino assiduamente.

Datum Florentiæ in Conventu nostro D. Annunciatæ die 24. Augusti 1591. Sigillo officij nostri, & manu nostra obsignatum.

Ordini, e dichiarazioni sopra il Deposito, fatte per toglier via ogni proprietà.

DI nuovo comandiamo a tutti li Padri Provinciali, Priori, e altri Offiziali della Religione, che inviolabilmente debbino consegnare tutto quello, che appresso di loro si trovano, in mano del Superiore, e depositario del Convento, nel quale essi abitano, conforme alle nostre Costituzioni nel Capitolo de administratione Bonorum, e anco conforme all'Ordine mandato da noi fuora l'anno prossimo passato, e per tutte le Provincie publicato, altrimenti chi si troverà aver contrafatto sarà punito come proprietario conforme agl'ordini già dati, e alle nostre Costituzioni senza accettar scusa di sorta veruna.

E perchè nascono molte difficoltà sopra le cose, che si devono consegnare in mano del Depositario, e Superiore, per questo dunque si dichiara, che qualsivoglia danaro, che venga in qualsivoglia modo alle persone de' Frati o per eredità, o per legati, o per elemosine, o per industria, o per fatiche manuali, o venga dato, o donato, o in altro modo venga in mano delli particolari Frati, tutto quanto prima sia consegnato in mano del Superiore, e Depositario, prima per sovvenire, e sollevare la necessità, e bisogni di quei Frati, per causa de' quali il denaro è venuto al Convento, e al Deposito, e poi cessate, e sollevate queste necessità il tutto vada in libero uso del Convento.

E perchè talora i Conventi si trovano in estremi bisogni, e può accadere, che i Superiori si vogliono servire di quei denari, che sono al Deposito, con li quali si debbono sollevare le necessità de Frati, per lo comune uso del Convento, però per questo nostro decreto ordiniamo, che non sia in arbitrio del R. P. Priore, o d'altri Officiali del Convento di far questo sotto pena della privazione degl'Officij, e di voce attiva, e passiva per dieci anni, ma si bene si ragunino tutti i Padri discreti del Convento, quali conoscendo l'estremo bisogno del Convento, e che non si può in altro modo sovvenire al Convento, determinino, che quantità si deve pigliare dal Deposito, e assegnino il termine nel quale dal Convento si renda, o restituisca d. denaro al Deposito, acciò li Frati particolari non patischino ne suoi bisogni, e questo sia notificato al Reverendissimo P. Generale, quale abbia da dare licenza, che si cavi d. denaro, ne si possa in modo alcuno cavare, se il P. Generale non dà la sua licenza in scriptis, quale si abbia da porre nel Deposito, per poterla mostrare in ogni occasione.

Quando li Frati per obedienza vanno da un luogo a un altro, dal Deposito gli sieno dati gli denari, secondo la qualità della persona, e Viaggio per il Viatico, e di poi gli altri denari, che sono di quel Padre al Deposito per sollevare le sue necessità, dal P. Priore, e Depositario del Convento, da cui si parte, per Messo fidato sieno mandati al P. Priore, e Depositario di quell' altro Convento, ove lui và a stare, acciò si possa più comodamente provedere alle sue necessità; ma se il Padre non volesse questo, ma si contentasse, che stesse il Denaro a quel Deposito dove lui si parte, ò pure nel Deposito del Convento, di cui lui è Figlio, sia compiaciuto, e si provega alle sue necessità da quel P. Priore, che averà in Deposito quei denari venuti al Convento per causa sua.

S'ammoniscono tutti li RR. PP. Priori d'essere amorevoli, e discreti a sovvenire a' biso-

gni

gni de' Padri, di quei denari, che per causa loro sono venuti al Deposito, nè vadino straziando E *li Padri, e fargli patire ne' suoi bisogni, ma con carità faccino il tutto, altrimenti saranno, come indiscreti, deposti dall' Offizio.*

E per toglier via per quanto è possibile tutte le difficoltà in questa materia, e l' occasione d' errare, il modo d' usare questo Deposito sarà tale.

Quello, che averà al Deposito qualche cosa, che a sua contemplazione sia venuta al Convento nel modo detto di sopra, in una poliza esporrà il suo bisogno al P. Priore, quale conoscendo il suo bisogno, sottoscriverà la medesima poliza, comandando al P. Depositario, che si ponga à uscita del Libro del Deposito quello che si spende in sollevare la necessità del Padre, che mandò la poliza del Padre, e giorno, che è fatta, la F *qual poliza si ponga in filza, acciò si possi d'ogni occasione riscontrare; e di più il P. Depositario faccia sottoscrivere la partita dal Padre per causa del quale si consuma quel denaro, che si leva dal Deposito per maggior giustificazione, e acciò non nasca difficoltà alcuna.*

E in quei Conventi, che sono piccoli, il P. Priore, e Camarlingo sieno Depositarij, e tenghino il Libro del Deposito, che si faccia à posta, talche ogni Convento di qualsivoglia stato, o grado, o condizione si sia abbia il suo Deposito, e il suo Depositario, e s' amministri conforme all' Ordine detto di sopra; e se si troverà alcuno, che non l' abbia, sarà gastigato, come di sopra.

E perchè molti Frati hanno debito con li Con- G *venti o per sentenze, o per altro, onde li Conventi non si potendo servire del suo, patono estremamente.*

Per questo nostro Decreto s' ordina à tutti quelli, che avessero tali debiti con li Conventi, sieno di qualsivoglia stato, grado, o condizione, che per tutto Agosto prossimo futuro abbiano sodisfatto, o fatto sodisfare da' loro Parenti, altrimenti s' intendino, ipso jure, passato il termine, privi di voce attiva, e passiva, e d' ogni offizio in perpetuo, nè possino essere rimessi se non da due Capitoli Generali distinti. Comandando in virtù di salutare obedienza a tutti li Padri Priori de' Conventi, che doveranno avere, che debbino, passato il termine, darne avviso al P. Generale, se averanno pagato, o nò, altrimenti H *ipso jure sieno privi del Priorato, e inabili per dieci anni al medesimo Offizio. Confermiamo anco, e in quanto bisogni innoviamo tutti li decreti, e ordini fatti da Noi, tanto nell' Offizio del Vicariato Apostolico, quanto nel Generalato, e di più dichiariamo, che se alcun Priore concederà a Frate alcuno di qualsivoglia stato, grado, o condizione si sia di far debito più di quello importi una tonica, ipso jure, sia privo del Priorato, e vogliamo, che la licenza nomini il Mercante con chi concede, che si faccia il debito, e di più, che sia sottoscritta dal P. Depositario, e da lui registrata al Libro del Deposito, acciò si possa sapere sempre i debiti de Frati, e con chi, acciò non nasca alcuna difficoltà, e il P. Priore non conceda licenza di far debito per nuova Tonaca, se prima non si è chiarito, se sia pagata quell' altra, nel che usi ogni diligenza, nè mai possa concedersi debito per due Toniche, ma sempre l' altra sia pagata.*

E se sarà trovato alcuno, che senza licenza del P. Priore, e contro l'ordine già dato, averà fatto debito o con Frati, o côn Secolari, sia privo di voce attiva, e passiva per dieci anni, nè sia tenuto il Convento à renderli altrimenti.

A Frati poi, che non prestino, se non conforme all' Ordine fatto nel Capitolo Generale di Bologna, altrimenti incorreranno in quelle pene.

Inoltre si comanda a tutti li RR. PP. Priori de' Conventi, che facciano intendere à tutti li Mercanti, e Bottegari soliti à servire li Conventi, e agl' altri ancora, che non diano à credenza a Padri del nostro Ordine senza la licenza in scriptis del P. Priore, altrimenti, che il debito sarà nullo, e non saranno sodisfatti. Non si comprendono in questo decreto gl' Offiziali, e Camarlinghi de Conventi, nelle cose però solo spettanti al Convento, e che realmente servino per il Convento, e non altrimenti.

Publicatæ fuerunt in Capitulis Provincialibus Anno 1592. Mensis Aprilis, & Maij.]

Clemens Papa VIII. incipit de Religiosis reformandis agere.
CAP. VII.

ANNO intercurrente 1592. Divina gratiarum Mater in suâ Imagine Annunciatæ de Florentiâ semper gloriosior, etiam hoc tempore apparere voluit. Vir quidam Florentiæ nomine Franciscus de Beccis cupedinariæ artis, magni calculi doloribus intestinis vehementer plures annos afflictatus, ac denique extracto lapide, tùm triplicata vulneris trucidatione, tùm sanguinis multiplici effusione jam inter acerbissimos dolores moribundus agebat animam, quando ad D. Annunciatæ præsidium conversus (probè enim noverat ejusdem Imaginis virtutem, & gratiarum, ac miraculorum affluentiam) emisso voto sensim cessantibus doloribus, non post multos dies incolumis evasit. Hic tabulam tanti favoris ad Ecclesiam detulit. In eâ etiam Ecclesiâ per idem tempus M. Titi de Nasis Florentini Civis operâ, Guicciardinia familia perantiquam effigiem B. P. N. Philippi, quam cum Edibus Benitiorum hæreditario jure, ut aliàs dicebatur, fuerat assecuta, speciali suâ devotione locavit; in cujus rei perpetuum testimonium Epitaphium hoc in pario lapide Florentini Patres in ejusdem B. Philippi Sacello posuerunt.

In

In hoc Altari vera Imago, & effigies B. Philippi de Benitijs de Florentia Ordinis Fratrum Servorum Restauratoris, à Patre, & Matre ejusdem ex terra constructa colitur, & adoratur. Quam Illustrissimi, ac nobilissimi viri D. Jacobus Eques Hierosolymitanus, & D. Gualterottus quondam Angeli Jacobi de Guicciardinis de Florentia, cum domi apud eos per tercentos, & viginti annos devotè custodivissent, Divino spiritu, pietate, ac devotione erga Religionem hanc Fratrum Servorum, atque Beati reverentiam moti, in hoc Sacello eidem B. Philippo dicato reponi curarunt anno 1592. die 20 Julij.

Hujus verò B.P.N. Philippi intercessione accidit hoc eodem anno, ut vir quidam nomine Joannes Andreas de Amideis à Colle discipuli in Agro Narniensi ab imminenti periculo mortis liberaretur. Habebat enim vir iste neptem quandam Virginem Sanctimonialem in Monasterio nostro apud Suinates, quæ dicebatur Soror Catharina, hæc audità gravi infirmitate Patrui sui, summis precibus votum vovit B. Philippo, & pro ejus incolumitate Missam celebrari fecit. Quare postero die expergefactus Joannes Andreas sic uxorem allocutus fuit: bono animo esto mea conjux, Sanctimoniales nostræ gratiam pro me impetrarunt à B. Philippo, ipse enim hac nocte, suâ præsent â me consolatus est, referens quæ Neptis nostra in eo Monasterio pro meâ salute operata est; & ita è lecto surgens mortem cum vitâ quodammodo commutavit. Interea Clemens VIII. qui Innocentio IX. successerat, totus reformandis religiosorum moribus intentus, cupiens unumquemq; Ordinem ad pristinam illam veterum Patrum disciplinam redigere, plurimum Romæ curabat, ut Superiores cujuslibet Ordinis huic operi invigilarent. Lælius igitur Generalis noster optimam Pontificis mentem implere cupiens, cùm Romæ die 15. Decembris ab eodem Pontifice in visitatione S. Marcelli nonnulla decreta observanda recepisset, per universum Ordinem statim evulgari curavit, quorum summa cùm non multò post in reformatione ejusdem Clementis VIII. referatur, ad proprium locum supererit conscribenda. Ut autem abusus quidam appellandi à sententijs suorum Superiorum ad Tribunalia Sæcularia, qui inter Religiosos non absque magno Scan-A dali discrimine, irrepserat, penitus abrogaretur, Clemens Pontifex tales Apostolicas literas interposuit.

CLEMENS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Probibitio appellandi ad forū sæculare.

*QUoniam Nostro pastorali potissimùm incumbit officio, ut ea, quæ per regulares personas contra eorum regularia instituta temerè attentantur, quantum Nobis ex Alto conceditur, opportunis remedijs compescamus, & amoveamus. Proinde quia nuper dilecto filio Magistro Lælio Balleonio de Florentiâ Priore generali Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ, non sine animi Nostri molestiâ referen-*B *te, accepimus; quòd nonnullæ dicti Ordinis etiam utriusque sexûs regulares personæ, Dei timore postposito, & suæ professionis immemores, ut in eorum malefactis, & inobedientiâ se diutius confoveant, ab ijs, quæ per Prælatos ejusdem Ordinis, & Priores Provinciales, & alios Superiores ab ipso Priore Generali pro tempore deputatos, acta sunt, & decreta, ad tribunalia secularia appellare, & ad ea temerè confugere consueverunt, in non modicum Jurisdictionis ipsorum Superiorum læsionem, & regularis instituti alterationem, ac scandalum plurimorum. Nos præmissis, obviare volentes, universis, & singulis dicti Ordinis utriusque sexûs regularibus personis, cujuscunque dignitatis, status, gradûs, & conditionis existentibus, Apostoli-*C *câ auctoritate, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, eisque sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, à quâ nonnisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa quæcunque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quàm passivæ eo ipso, absque aliâ declaratione, incurrendis pœnis districtius inhibemus, ne ad ipsa tribunalia secularia quovis prætextu, aut quæsito colore appellare, aut ea propterea quoquomodo adire audeant, vel præsumant; sed si se à Prælatis gravari prætendant, ad Priorem generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romanâ Curiâ, vel*D *ad Nos, sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesiâ Dei Judicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu justitia ministrabitur. Volentes, & ita declarantes, quòd nedum dicti Ordinis regulares personæ contrafacientes, verùm etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores easdem pœnas eo ipso omnino incurrant: Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ*

robo-

roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, pro sufficienter expressis, & insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 15. Februarij 1593. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

Marcellus Vestrius Barbianus.

Antonius Rulossius.

Idem quoque Pontifex ad nimiam quorumdam Superiorum Claustralium licentiam moderandam in Subditorum casibus reservandis, sequentem declarationem jussit inter Religiosos evulgari, quam nos operæpretium duximus inter hos Annales posteritati relinquere.

Clemens PP. decernit casûs à Superioribus reservandos

SAnctissimus D. N. qui jampridem accuratè perpendit, ac re ipsâ comperit, quòd reservatio facultatis absolvendi religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illâ utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo Conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posse in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem. Ideo, ut huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decrevit, ut nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis his, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquos, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterij, seu Conventûs fiat egressio.

Nocturna, ac furtiva è Monasterio seù Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

Juramentum falsum in judicio regulari, vel legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manûs, aut sigilli officialium Monasterij, seu Conventûs.

Furtum de rebus Monasterij, seu Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus Carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio,

E *aut apertio litterarũ à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

Si quod aliud præterea grave pro religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provinciâ, maturâ discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in singulis domibus duos, tres, aut plures deputent Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori, ijque sint docti, prudentes, ac charitate praditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservato- F *rum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo debere committi eam ipse in primis Confessarius judicaverit.*

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum promoti fuerint, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores quicunque illi sint, observari mandavit, G *non obstantibus Constitutionibus, & Ordinibus Apostolicis, ac cujusvis Concilij, etiam generalis, decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulis in generalibus, seu Provincialibus Capitulis editis, statutis, & constitutionibus, & Apostolicâ auctoritate confirmatis, privilegijs, indultis, & concessionibus quibuscunque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.*

Datum Romæ apud S. Petrum die 26. Mensis Maij 1593.

Andreas Sorbolongus
Secret. Visitationis.

H

Ex hac verò Apostolicâ Casuum reservandorum regulâ, Angelus Maria Montursius Generalis, ut suo loco dicturi sumus, normam quandam Casuum futuris temporibus in nostro Ordine observandam de mente ipsius Pontif. instituit, de quibus inferiùs plura.



Mors

Mons Senarius olim dirutus Lælio Generali procurante restituitur, & Clemente Sum. Pont. mandante, in titulum Sacræ Eremi renovatur.

CAP. VIII.

AB eo tempore, quo de restituendo Senario in Comitijs Senarum fuerat statutum, ac proinde locus Patribus Florentinis à Hieronymo Lucensi Generali commendatus, nihil tamen ob varia temporum, & rerum impedimenta fuerat hactenus executioni mandatum: unde locus semper deterior factus, videbatur his temporibus fundirùs eversus, & maceries, ac spelunca ferarum; omnia ruinis, omnia sentibus & vepribus plena, sola Ecclesia stabat, solum Tugurium pro uno, vel duobus tantùm Religiosis. Et eò magis apparebat indecentia loci, quò proxima Pratolini Villa cum regio Palatio à Francisco II. Magno Etruriæ Duce extructo, frequentius à Magnis illis Principibus in delitijs habebatur. Die igitur quodam accidit, ut Ferdinandus post Franciscum Fratrem imperio Etruriæ potitus, dum feras venando insectaretur, ad cacumen Senarij perveniret, ibique fessus, dum sperat aliquantisper quiescere, dirutum locum observat optimus Princeps, & miserabilem casum tanti Cœnobij quodammodo deplorat, cum præsertim intelligit Ordinem Servorum à suis Civibus fundatum inde originem traxisse; Florentiam itaque reversus, & Lælium Generalem obvium habens, de loci ruinâ, & Fratrum oscitantiâ vehementer conqueritur, hortaturque ad reparandum locum. Quare die 24. Augusti inito consilio mittuntur literæ ad Alexandrum Medicem Cardinalem, & Archiepiscopum Florentinum, necnon ad Etruriæ Oratorem, quibus Generalis Lælius fultus, Romam citato cursu ad Pontificem pergit, qui statim optimam hanc reformandi Ordinis occasionem nactus, & ab eisdem Oratore, & Cardinali rogatus, & excitatus à Senario veterem Fratrum Servorum disciplinam restituendam fore censuit, locumque iterum in pristinam Eremum septem illorum Beatorum, qui hunc Ordinem fundarunt, Patribus, & Cœnobio Annunciatæ denuo commendandum, quemadmodum sequentes indicant literæ.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Clem. 8. pro Eremo Senarij restituendâ.

DEcet Romanum Pontificem in bis authoritatis suæ partes libenter interponere, per quæ Divinus cultus augeatur, & Regularium Ordinum reformatio felices in Domino progressûs facere, & majora quotidie valeat suscipere incrementa. Sanè dilectus filius noster Alexander tituli Sancti Petri in Vincula Presbyter Cardinalis Florentinus, nomine dilectorum filiorum Lælij Balleonij de Florentiâ Prioris Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ, ac Prioris, & Fratrum Domûs ejusdem Beatæ Mariæ Annunciatæ Civitatis Florentinæ dicti Ordinis, Nobis nuper exposuit: Quod cùm dicti Ordinis prima institutio à septem nobilibus, & Religiosis Viris Florentinis quodam in Monte Senario nuncupato, octavo à Civitate Florentinâ lapide posito, ubi dictorum institutorum corpora requiescant, originem duxerit, & eodem loco Conventus tenui redditûs, & angustus dudum extructus fuerit, in quo nunc tres soli Fratres dicti Ordinis commorari solent; dicti Prior Generalis, ac Prior, & Conventus dictæ Domûs Annunciatæ primævi dicti eorum Ordinis instituti, & originis memoriâ excitati eodem in loco augustiorem Domum, & Ecclesiam extruere, illucque septem Fratres professos prædicti Ordinis, qui ad primævi dicti Ordinis instituti normam perpetuis futuris temporibus cœlestium, Divinarumque rerum contemplationi vacantes gratum altissimo in eremiticâ vitâ famulatum præstent, & aliquot alios Fratres Conversos, qui omnes annum vigesimum quintum excedant, introducere decreverant, ipsisque Fratribus in dicto Conventu Montis Senarij, cui Sacra Eremus Montis Senarij Ordinis denominatio erit, ultra alia spiritualia Ordinis prædicti exercitia, quæ in ipsius Ordinis constitutionibus, & Sancti Augustini Regulâ, sub quâ degunt, præcipiuntur, hæc nominatim imposita esse volunt onera, ut nimirum nullo tempore carnibus, sed lacticinijs tantùm vesci possit, secundâ, quartâ, & sextâ ferijs totius anni jejunare, sed in ipsâ sextâ semper, & in reliquis secundâ, & quartâ ferijs hujusmodi in Adventu, & Quadragesimâ jejunium cum pane, & aquâ tantùm facere teneantur, atque in eo Conventu illud regularis vitæ institutum, quod à primis illis institutoribus observabatur, servari debeat, ita ut verè sint illis omnia communia, cor unum, & anima una in Domino juxtà Beati Augustini regulam, quam profitentur. Intendunt præterea fabricam dicti Conventûs sumptibus, & impensis prædictæ Domûs Annunciatæ facere, ac deinde Fratribus hujusmodi in eodem Conventu pro tempore degentibus victum, & vestitum, aliáque necessaria tam pro Divino cultu, quàm pro Conventûs restauratione, ex annuis ejusdem Domûs Annunciatæ redditibus subministrare, dummodo tamen ipse Conventus, seu sacra Eremus tanquam ipsius Domûs Annunciatæ membrum ab ipsâ Domo dependeat, ac Superiorum dictæ Domûs, Priorisque Provincialis Provinciæ Thusciæ, in quâ dicta Domus Annunciatæ consistit, atque Prioris Generalis pro tempore totius Ordinis Fratrum Servorum jurisdictioni, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, prout aliæ omnes Domûs, & Conventûs prædicti Ordinis subsit, nec ullo unquam tempore, quavis de causâ, colore, vel ingenio, à dictâ superioritate, & obedientiâ subtrahi, vel quoquo modo eximi possit, sed singulo transacto Biennio, juxtà constitutionem Ordinis

formam à Priore & Fratribus ejusdem Conventûs Annunciatæ de Vicario provideatur, qui sub E *obedientiâ dicti Prioris Conventûs Annunciatæ, prout alij Vicarij Conventuum illis unitorum ex præscripto litterarum fel. rec. Gregorij Papæ XIII. prædecessoris Nostri super regimine dicti Conventûs Annunciatæ emanatarum, subsunt, maneat. Cùm autem dicti Lælius Prior Generalis, ac Prior, & Conventus Domûs Annunciatæ prædictæ cupiant præmissa omnia, ut perpetuò firmiora subsistant, Apostolicæ Nostræ authoritatis patrocinio communiri, Nobisque propterea humiliter supplicari fecerint, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos pijs Religiosorum votis Divini præsertim cultûs, & regularis observantiæ incrementum respicientibus, quantùm cum Domino possumus, benignè faventes, hujus*F*modi supplicationibus inclinati, laudabile dictorum Prioris Generalis, ac Prioris, & Conventûs Annunciatæ propositum hujusmodi plurimùm in Domino commendamus, ipsisque erectionem, extructionem, introductionem, aliáque omnia, & singula præmissa, prout supra expressum est, accedente tamen Ordinarij loci consensu, & sine cujusquam præjudicio faciendi, statuendi, ordinandi, & exequendi plenam, & liberam Apostolicâ authoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur, eademque omnia, & singula si, & postquam facta fuerint, auctoritate, & tenore prædictis confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ confirmationis robur adijcimus, omnesque, & singulos,* G *tàm juris, quàm facti defectûs, si qui intervenerint eisdem, supplemus. Atque Domum, seu Conventum, cui sacræ Eremi Montis Senarij ejusdem Ordinis Servorum denominationem, & titulum concedimus, & assignamus tanquam membrum dicti Conventûs Annunciatæ dependere, ipsiusque Vicarium singulo quoque biennio per Priorem, & Conventum Annunciatæ eligendum, ac Fratres, & Religiosos ipsius Conventûs Annunciatæ superioribus, & Priori Provinciali, ac Generali prædictis subesse, neque ab hujusmodi obedientiâ quovis prætextu, causâ, ingenio, vel quæsito colore subtrahi, aut eximi posse; ipsos verò Priorem, & Conventum Annunciatæ victum, & vestitum, aliáque necessaria, tàm pro Divino cultu, quàm pro manutentione, & re*H*staurationc Domûs prædictæ sacræ Eremi, illiusque Fratribus, & Religiosis in perpetuum subministrare debere, sicque per quoscunque dicti Ordinis Superiores, & alios judices ordinarios, & delegatos, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiscopo Florentino, ac dilectis filijs ipsius Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectori, ac Nostro, & Apostolicæ Sedis apud Magnum Etruriæ Ducem Nuncio nunc, & pro tempore existen*E*tibus per præsentes committimus, & mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alios, ubi, & quando opus fuerit, præsentes literas solemniter publicantes, atque pij hujusmodi, & laudabilis operis institutioni, & conservationi efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate Nostrâ omnia, & singula præmissa per eos, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, exequi, & observari, præsertim verò dictos Priorem, & Conventum Annunciatæ ad idem Sanctum opus exequendum, & manutenendum, ut supra, ne impij Dæmonis astu temporumvè iniquitate, aut Fratrum in curiâ perire, aut intermitti valeat, excitent, & si opus sit, cogant, & compellant. Contradictores quoslibet per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, alia*F*que opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis, Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis prædicti etiam Juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die xxij. Octob. MDXCIII. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

M. Vestrius Barbianus.

G [Cum longè, latéque pervagaretur hujus Sacræ Eremi, quæ modò instituebatur, celebritas, societas piorum quorundam hominum apud Oratorium B. V. M. *del Sasso* inter Montana Fœsulanæ Diœcesis jamptidem erecta Fer. 2. Resurrectionis Dominicæ ejusdem anni 1593 frequentissimo utriusque sexûs concursu insequente venerandum hunc Montis Senarij Locum Processionaliter adivit, & Sacram D N.J.C. Crucifixi Imaginem in ligno delineatam eleganter exornatam, non mediocri pietate ibidem obrulit in perenne Confratrum illius societatis erga sacratissimam hanc Eremum venerationis monumentum, quæ adhuc integra colitur in Ecclesiâ nuper instauratâ, & in elegantiorem formam H redactâ.]

Confratres Soc. B.V. del Sasso deferunt solemniter ad Montem Senarium Imaginem Crucifixi.

Per eos dies F. Mauritius Cinius ob diutinam, præclaramque consuetudinem pulsandi Organa tum in Ecclesiâ S. Joannis Baptistæ de Florentiâ, antequam Religionem nostram ingrederetur, tum Annunciatæ nostræ M. Mauri discipulus, non videtur silentio prætereundus, qui cum duos post se reliquisset egregios discipulos Maurum Matthium, & Carolum de Berris, pridie Kal. Septembris è vitâ decessit. Hujus vestigia sequitur moriens P. Joannes Vincentius Casalius Florentinus in arte Sculptoriâ, & Architectonicâ discipulus, & imitator illius quondam Joannis Angeli Montursij. Hic postquam in primâ

F. Joannes Vinc. Architectus Philip. Regis Hispan.

juven-

juventâ non modica de se per Etruriam experimenta exhibuisset, quippe qui Altare majus Ecclesiæ nostræ Lucensis plurimis statuis exornasset, & Florentiæ similiter in nostro Cœnobio plures alias statuas confecisset, ab Archiepiscopo Ebreduni, ut suam Metropolim variis ornamentis instauraret, in Galliam adductus fuit: inde Romam reversus nonnulla marmorea simulacra in Villâ Pincianâ Ferdinandi Medices Cardinalis renovasset, Neapolim à Prorege evocatus, ut stagnantes quasdam aquas primùm in Capuano Agro exsiccaret, deinde apud Barulum puteos, & foveas ad hauriendam aquam effoderet, cuncta ingeniosè complevit: quâ de causâ, & in Regios Architectos cooptatus, non multò post ad navale ficcum, quò pro componendis, & conservandis triremibus Urbs Neapolis carebat, denuò à fundamentis erigendum cum annuo proventu statuitur: quo in negotio magnum sibi apud Neapolitanos nomen, & benevolentiam comparavit super alios Architectos, qui nunquam potuissent suis adinventionibus partem quandam maris exficcare, sine quâ impossibile fuisset tantam extruere molem. Hæc nos oculatâ fide referre possumus, qui tunc partim Neapoli, partim Abellini inter Hirpinos agebamus cum Fulvio Passerino de Cortonâ Episcopo, cui a concionibus, & à Sacris inserviebamus. Cumque Ju. Vincentius egregium illud opus feliciter complevisset, aliud consimile cœperat adornare regium Equile cum Hippodromo pro alendo exercendoque regio stabulo extra Toletanam portam, quòd cùm fuisset aggressus, à Philippo II. Rege Hispaniarum Dux Oxunæ Prorex post successorem Joannem de Zunicâ Mirandæ Comitem receptum, in Hispaniam evocatus, qui rem gratam suo Regi facturum sperans, Joannem Vincentium conspicuum Architectum secum duxit, quem Rex benignè exceptum, novis commeatibus, & muneribus cumulavit. Tempore deinde ineunte, dum Joannes Vincentius ad arces Lusitaniæ explorandas, & ubi opus fuisset restaurandas mittitur, iniquâ morte per illud iter Conymbriæ die 21. Decembris opprimitur. Eo autem defuncto Lælius Generalis ex annuis Joannis Vincentii proventibus, qui in publico Neapolitano Ærario supererant mille circiter aureos receptos Ædificiis Senarii applicavit. Hujus præclari viri ex discipulis fuit inter alios F. Tiberius Sandrinius Florentinus Sculpturæ, & Architecturæ non mediocriter peritus, si natura, & vires debitas ingenio suppeditas præbuissent, cujus operâ usus fuit aliquando in Germaniâ Bavariæ Dux cum aliis ejusdem Curiæ Proceribus. Nec defuerunt in hujusmodi præstantioribus Mechanicis etiam ab antiquo tempore ex nostris, qui sua exercerent ingenia, cujusmodi fertur de F. Jacobo Viterbiensi, qui erat germanus illius eminentissimi concionatoris M. Dominici; hunc enim refert F. Simon à Castellaccio in suo *Annal. Tom. II.*

Cron. m. s. præter cæteras virtutes in incidendis, sculpendisque tam lapideis, quàm A ligneis imaginibus ingenio, & manibus superasse naturam, quemadmodum in eisdem pingendis imaginibus plurimum valuit olim F. Thomas Florentinus, & nuper F. Zaoobius Pithius picturiæ artis professor.

N O T Æ.

[EX quo Joannes Vincentius Casalius, cujus obitum, & præclarè gesta hoc cap. retulit Gianius, Philippo II. Hispaniarum Regi adeò acceptus erat, quemadmodum hîc dicitur, maximè opportunum arbitror Privilegium modò referre ab eodem Rege ipsi collatum, cujus originale servatur in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ, & est tenoris qui sequitur. B

Privilegium Joannis Vincētii Casalii.


PHilippus Dei Gratiâ Rex Castellæ, Aragonum, Legionis, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Portugalliæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galleciæ, Maioricarum, Hispalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corsicæ, Murtiæ, Giennis, Algarbii, Algeziræ, Gibraltaris, Insularum Canariæ, necnon Indiarum Orientalium, & Occidentalium Insularum, ac Terræ firmæ maris Oceani. Archidux Austriæ. Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Athenarum, & Neopatriæ. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Barcinonæ, Rossilionis, & Ceritaniæ. Marchio Oristanni, & Goceani. Recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis. Quum C *in cæteros, qui omne suum studium, animique contentionem in obsequium Nostrum, servitiumque impendunt munifici, ac liberales libenter existere consueverimus, tum idem institutum erga eos in primis Nobis retinendum arbitramur, qui egregio quopiam ingenii invento, mentis suæ sagacitatem, solertiamque declarantes, quammaximè Nobis utiles esse nituntur. Quod quoniam devotus Nobis dilectus Ingenierius, & Architectus noster F. Joannes Vincentius Casale in omnibus rebus, operibusque ad ingentariam hanc, atque architectonicam facultatem spectantibus, quæ sibi à Nobis demandata fuere, abundè, magnâque nostrâ cum approbatione præstiterit, meritò, quò laudabiles ipsius conatus, desideriumque benè de Nobis merendi,* D *magis magisque excitemus, pensionem eidem annuam ducentorum ducatorum in Citeroris Nostro Siciliæ Regno assignandam decrevimus. Tenore igitur præsentium, de certâ scientiâ, regiâque auctoritate Nostrâ, deliberatè, & consultò motu proprio, ac ex gratiâ speciali, maturâque sacri nostri supremi Consilii accedente deliberatione præfato Fratri Vincentio Casale dictos ducentos ducatos annuos, vitâ suâ durante, ac dum de Nostrâ merâ, & liberâ voluntate processerit, seu de æquivalenti compensatione illi à Nobis provisum fuerit (quâ datâ præsentem nostram gratiam, & concessionem cassam, irritam, & inanem esse decernimus) super*

quibuscunque juribus, proventibus, redditibus, seu emolumentis nostræ generalis Thesaurariæ prædictæ Citerioris Siciliæ Regni per eum, seu ejus legitimum Procuratorem à die primo Mensis Maij proximè elapsi præsentis, & infrascripti anni in posterum exigendos, habendos; percipiendos, & recuperandos, damus, donamus, concedimus, & liberaliter elargimur. Investientes ipsum Fratrem Joannem Vincentium Casale de hac Nostrâ gratiâ, & concessione per præsentiû expeditionem, ut moris est, quam investituram, vim, robur, & efficaciam veræ, realis, & corporalis possessionis, ac effectualis assecutionis dictorum ducentorum ducatorum volumus, & decernimus obtinere. Volentes, & expressè decernentes, quòd præsens nostra concessio, & assignatio sit, & esse debeat prædicto Fratri Joanni Vincentio Casale stabilis, realis, valida, atque firma, nullumque in judiciis, aut extra sentiat impugnationis objectum, defectûs incommodum, aut noxæ cujuslibet alterius detrimentum, sed in suo semper robore, & firmitate persistat. Non obstantibus quibuscunque legibus, juribus, sanctionibus, edictis, rescriptis, usibus, consuetudinibus, ordinationibus, suspensionibus, pragmaticis, dictique Regni Capitulis, & constitutionibus, & alijs quibuscunque præsentibus fortè contrarijs, & contrarium disponentibus, illis presertim, quæ Bonorum Patrimonialium nostræ Regiæ Curiæ alienationes, & concessiones fieri prohibent, etiamsi talia essent, quorum in præsentibus oporteret fieri mentionem, & sub quavis generalitate non comprehenderentur. Quibus si, & in quantum huic nostre concessioni, & gratie in aliquo refragarentur, vel obsisterent, seu ipsius executionem quomodolibet impedirent, derogamus, & derogatum esse volumus; quoad cetera verò in suis robore, et firmitate permansuris. Et ut premissa, quem volumus, sortiantur effectum, Serenissimo propterea Philippo Principi Asturiarum, & Gerunde, Ducique Calabrie Filio nostre charissimo, ac post felices, & longævos dies Nostros in omnibus Regnis, & Dominijs Nostris (Deo propitio) immediato Heredi, & legitimo successori, intentum aperientes Nostrum, sub Paterne benedictionis obtentu dicimus, eumque rogamus. Illustribus verò, Spectabilibus, Nobilibus, Magnificis, dilectis Consiliarijs, & Fidelibus nostris Proregi, Locumtenenti, & Capitaneo Generali Nostro, Magno Camerario, Protonotario, Magistro Justitiario, eorumque Locatenentibus, sacro nostro Consilio Castri Capuane, Præsidentibus, & Rationalibus Camere nostre Summarie, Regenti, & Judicibus magne Curie Vicarie, Scribe Portionum, Thesaurario Nostro Generali, seu id officium Regenti; Advocatis quoque, & Procuratoribus Fiscalibus, ceterisque demum universis, & singulis Officialibus, & subditis Nostris majoribus, & minoribus, quocunque nomine nuncupatis, titulo, officio, auctoritate, & potestate fungentibus tam presentibus, quam futuris in eodem Regno constitutis, & constituendis dicimus, precipimus, & jubemus, quatenus formâ presentium per eos, & eorum quemlibet diligenter attentâ, illam prefato Fratri Joanni Vincentio Casale ad unguem, & inviolabiliter teneant firmiter, & observent, tenerique, & inviolabiliter observari faciant per quoscunque. Mandantes eâdem serie prefato Thesaurario Generali, seu id Officium regenti, tam presenti, quàm futuris, ac alteri cuicunque, ad quem spectet, quatenus (ut prefertur) à prefato die in posterum de quibuscunque pecunijs, proventibus, & emolumentis, ad ejus manûs quomodolibet perventis, & perventuris, det realiter, & solvat cum effectu predicto Fratri Joanni Vincentio Casale, seu ejus legitimo Procuratori, vitâ suâ durante, & ut supra dictos ducentos Ducatos usualis monete prefati nostri Citerioris Sicilie Regni in pecuniâ numeratâ, in tribus æquis solutionibus, sive tandis, videlicet, de quadrimestri in quadrimestre; recuperaturus singulis solutionibus apochas opportunas de soluto, in quarum primâ tenor hujusmodi omnino inseratur, in reliquis verò tantummodò fiat mentio specialis sui ratiocinij tempore producendas, & per Illustrem Magnum Camerarium, ejusque Locumtenentem Presidentes, & Rationales Camere Nostre Summarie in computum admittendas, prout serie presenti admitti mandamus, omni dubio, difficultate, & impedimento cessantibus. Contrarium nullatenus tentaturi ratione aliquâ, sive causâ, si dictus Serenissimus Princeps Nobis morem gerere, ceteri autem Officiales, & Subditi Nostri predicti, gratiam nostram charam habent, ac præter iræ, & indignationis Nostre incursum, pœnam ducatorum mille nostris inferendorum Ærarijs, cupiunt evitare. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus Nostro magno negotiorum prefati Citerioris Sicilie Regni sigillo impendenti munitas.

Datum apud S. Laurentium Die vigesimo Mensis Junij, Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regnorum autem nostrorum, videlicet Citerioris Sicilie, & Hierusalem anno trigesimo septimo, Castelleque, Aragonum, & ulterioris Sicilie, & aliorum trigesimo quinto, Portugallie verò undecimo.

Yo Il Rey.

Quod Privilegium Don Joanni de Zunicâ Regiæ, & Catholicæ Majestatis Viceregi Neapoli præsentatum deinde fuit, qui idem executioni mandandum præcepit Ministris ad hoc deputatis, prout constat ex ejusdem Literis Patentibus in pergameno Neapoli datis in Regio Palatio die ultimâ Mensis Junij 1592. quæ unà cum prædicto Privilegio originali pariter in pergameno, asservantur in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ.]



Dum

Dum in Comitijs Butrij Lælius confirmatur Generalis, qui Senarium brevi in Eremum restituit, B. Angela Veronensis ad Cœlum evolavit.

C A P. IX.

EDixerat Lælius Generalis proxima Comitia in Oppido Burrij ad diem 28. Maij, & interim singulis Provincialibus Capitulis assistens, tum de nuvâ reformatione, tum de restaurando Sanario nomine Pontificis eum Patribus egerat, & multas interim pecunias ex oblationibus piorum pro novis Ædificijs ejusdem loci collegerat. Conventu igitur eorum tãtummodo Patrum, qui suffragia ferrent, Butrij coacto, dictâque die convenientibus in unum, Apostolicæ literæ explicatæ fuerunt, quibus declarabatur Lælium rursus non obstantibus Constitutionibus in Generalem eligi posse: quare instauratis suffragijs omnium consensione Lælius Prior Generalis confirmatur, cui Procurator in Curiâ adhibetur M. Deodatus Duecius à Burgo S. Sepulcri. Præsentes verò Patres horum electioni Interfuerunt Diffinitor Thusciæ M. Laurentius Luchesius à Lucâ, Prov. M. Basilius Ollvius de Flor. Soc. M. Alexander Marsopinus de Aretio. Patrimonij Diffin. M. Deodatus Duecius. Prov. M. Adrianus Spera de Perusio, Soc. M. Marcelius Raphaellius de Perusio. Romandiolæ Diffi. . . . . Lombardiæ Diffi. . . . . Prov. M. Laurentius Coradinus de Scandiano, Socius. . . . . Marchiæ Tarvisinæ. Prov. M. Joannes Baptista de Veronâ. Venetiarum M. Gabriel Lardanus à Judaicâ Prov. P. Hieronymus Grimanus Venetus Socius. Mantuæ Diffin. M. Aurelius Blancus de Cremonâ, Prov. M. Gilbertus de Perusio, Soc. M. Petrus Sirius de Foropompilij. Genuæ Diffin. M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Prov. M. Antonius à Castronovo, Soc. P. Joannes Baptista Gambarota de Castellatio, Neapol. M. Jo. de Prato Prov. In his autem Comitijs hæc imposterum observanda mandavit Lælius Gen. 1.

CUM Novitiatûs sint Principia, & quasi seminaria disciplinę regularis, pręcipua cura in eis constituendis adhibenda est, ut in solis insignioribus Conventibus Provinciarum collocentur; propterea in nullo Ordinis Conventu Novitij educari possint, pręterquam in Conventibus D. Annunciatę de Florentiâ. Sanctę Marię Servor. de Senis. Sanctę Marię Servorum de Lucâ, & in Conventu Pistorij. Sanctę Marię novę de Perusio. Sancti Jacobi de Fulgineo. Sanctę Marię Servorum de Bononiâ, & in Conventu Faventię, & Cęsenę, & Butrij. Sanctę Marię Servorum de Mediolano. Sanctę Marię Scalarum de Veronâ. Sanctę Catharinę de Tarvisio, & in Conventu Patavij. Sanctę Marię, & Sancti Jacobi de Venetijs, & in Conventu Vincentię, Sancti Barnabę de Mantuâ, in Conventu Sancti Victoris de Crem nii, in A *Conventu Pisauri. Sanctę Marię Servorum de Januâ, & Sancti Stephani de Alexandriâ. Sanctę Marię Capuarum. Ad quę loca tantùm omnes Novitij totius Religionis, qui sextum decimum annum non excedunt, mittantur: atque pro eorum victu exigi possint scuta numero triginta ad valorem monetę ubi solutio est facienda, nisi secus visum fuerit Patribus Conventûs, in quo debent poni in Novitiatu, & solvantur, vel à Parentibus, vel à Conventu, cujus ille, qui mittitur est filius. Atque in recipiendis de cętero ex concessione S. D. N. vivâ voce R. P. Magistro Lęlio Priori Generali moderno factâ, ętas, & qualitates à Constitutionibus Ordinis nostri pręscriptę, & non alię, tanquam necessarię requirantur.*

B *Qui verò professionem emiserunt, si inveniantur per examen à Generali, & alijs, ad quos spectat habendum, eâ cognitione humanarum literarum, quam Constitutiones in studentibus requirunt pręditi, licet nondum pervenerint ad ætatem legitimam pro Ordine Subdiaconatûs assequendo requisitam, studentium numero adscribi possint, ita tamen ut à curâ, & regimine Magistri Professorum non eximantur, vel subtrahantur. Neque cum cęteris studentibus, pręterquam ad lectiones, disputationes, & examinationes convenire possint, subsidium à proprijs Conventibus, ut alij studentes, habeant. Ad Baccalaureatum verò promoveri non possint, ante ætatem viginti octo annorum à Constitutionibus pręscriptam.*

C *Quicunque Frater ex obedientiâ ad alium locum mittitur, habeat pro viatico à Conventu, unde discedit in singula milliaria per rectam viam numerandu sex quadrantes. Ei verò, qui ex Provinciâ aliquâ ad aliam ex obedientiâ similiter transfertur, eadem impensa itineris detur usque ad Conventum proximiorem ulterius Provincię itinere rectiori, pręterquam ijs, qui è Provinciâ Neapolitanâ discedunt, quibus ad quinquaginta milliaria ultra Romam subsidium detur. Cum verò post Capitulum Provinciale ad alium Conventum transfertur à Generali, vel Provinciali, non habeat vocem in Capitulo, nisi post mensem, à die, quâ ad illum pervenerit.*

Priores antequam ex officio Prioratûs abeant, teneantur providere conventus de necessa- D *rijs ad victum, quantùm quidem frumenti usque ad messem, & vini usque ad vindemiam necessarium fuerit, vel res ipsas in cellarijs Conventûs relinquendo, vel numeratam pecuniam in scrinio, quantùm ad illam emenda satisfuerit. Qui verò Conventum suum, ut pręfertur, provisum non reliquerit, ad nullum officium assumi possit per quadriennium, si tamen in eo Conventu fuerit hoc, aut ex proprio reddito, aut ex eleemosynis.*

Nullus Fratrum possit à secularibus etiam propinquis pecunias mutuò accipere, sive merces, vel res delata solutione recipere, nisi de licentiâ Prioris, aut Provincialis in scriptis obtentâ, in quâ nomen personę, à quâ pecunia, vel

res

res accipiendæ sunt, illarumque quantitas, atque etiam causa, ob quam recipiuntur, exprimantur.

Officiales autem Conventuum, & alij quicunque Fratres, qui vel ob id, quòd res Conventuum administraverint, vel aliâ quacunque de causâ remanent Conventibus pecuniarum, vel alterius rei debitores, non possint ad ullum officium assumi, nisi integrâ prius totius summæ solutione perfectâ. Et Fratres, qui ære alieno opprimuntur, liberè, ac realiter in scriptis omnia debita, quæ contraxerunt Provincialibus suarum Provinciarum manifestent, & Provinciales Generali insinuent in termino quindecim dierum, sub utriusque vocis privatione per triennium.

Patres discreti de quibus in capitulo 20. Constitutionum nostrarum agitur sint magistri, & seniores, nedum ejus Conventûs filij, sed & quicunque alij in eo residentes, juxta antiquissimum usum Conventuum benè ordinatorum.

Priores Conventuales in capitulo Provinciali, & quandocunque extra proprium Conventum esse contigerit, locum post Magistros, & Baccalaureum Conventûs teneant, inter se verò alias locum sibi competentem servent.

Quoniam à R. Patre Generali moderno executioni mandatum fuit decretum fæl. record. Pij Quinti, & nostrarum Constitutionum, ut pro sigillo, vel scripturâ nihil in toto ordine persolvatur, decet ut scriptori de publico provideatur, ultra duodecim nummos aureos, qui traduntur de more à R.P. Generali, atque ideo de vestimentis, & alijs expensis, à quolibet Conventu solvantur duo carlini monetæ Romanæ, sive libra una monetæ Venetæ, aut Florentinæ, vel solidi Bononienses numero duodecim. Ipse verò scriptor teneatur gratis dare literas patentes ad Ordines Sacros, ad audiendas Confessiones, ad gradûs Magisterij, Baccalaureatûs, & studentis, ad officia Prioratuum, & alias quascunque, atque etiam gratis scribere acta visitationis, ac processûs omnes coram Generali, vel de ejus mandato formandos, ita ut pro scripturâ, chartâ, atramento, sigillo, vel cerâ nihil omnino, sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ per decennium, exigat, vel sponte oblatam recipiat.

Prohibemus in virtute salutaris obedientiæ omnibus Ordinis nostri Fratribus, ne de officialibus eligendis, seu deputandis quovis tempore cum secularibus, etiam cognatis, & propinquis, quicunque illi sint, pertractent, vel quomodolibet agant, aut ab illis consilium, auxilium, aut favorem requirant, procurent, aut ambiant, quo ipsimet, vel alij ad officia Religionis assumantur. Quòd si aliquis studio, operâ, vel favore secularium ad aliquod Ordinis officium provectus fuerit, eo ipso, quo superioribus Capituli, aut alicui ex vocem in eis habentibus, verbis, aut literis commendatus fuerit, inhabilis, ut ad illud officium eligatur, eâ vice existat. Idem intelligatur, & si quis remitti sibi pœnas, aut in aliquo Conventu poni de familiâ, aut ab eodem non amoveri eodem favore procuraverit.

Insistentes vestigijs aliorum Ordinum Regularium, qui omnes antiqua sua insignia incorrupta retinent, decernimus, ut stemmata, seu insignia Ordinis nostri, quæ ab ipsis primordiis componuntur litera M. forma Longobardica cum S. literâ medio ejus crure circumplicata, & corona superposita nunquam mutentur cum subscriptione solitâ: Ave Maria gratiâ plena; neque illis quidquam addi possit, neque cum Fratrum, etiam Superiorum stemmata detorqueri. Etsi aliqua implicata, aut detorta in publicis sigillis, aut locis insculpta, aut picta sunt, in pristinam formam, & simplicitatem reducantur. Non tamen intelligitur de insignis Provinciarum Venetiarum, & Mantuæ aliquid præsenti decreto innovatum.

Ad tollendos abusûs, qui in Judiciorum formis irrepserant, statuimus, ut in Capitulo Conventuali, saltem qualibet feriâ sextâ per Priorem tenendo, ubi Fratres ex decreto Constitutionum de culpis commissis, se ipsos accusare jubentur, ac pro illis salutares pœnitentias à Superiore iniungendas suscipere Fratres ipsi, non ex præscriptâ quadam formulâ per verba generalia conceptâ, totidem vocibus ab omnibus repetendas culpas suas confiteantur, sed quisq; per præcisa verba singillatim dicat quidquid publicè contra regularem disciplinam commisit, ex his peccatis, quæ in capitibus de gravi, & levi culpâ continentur: atque à Priore salutares pœnitentias non temerè, & sine ratione, sed secundùm decreta earundem Constitutionum, & perpensis circunstantijs culparum, imponantur. Culpas verò in Choro, vel Refectorio pariter publicè commissas, quilibet absque silentij interruptione non verbis, sed solâ in medio ejus loci genuflexione statim confiteatur.

Provincialis autem, qui appellationem alicujus à pœnitentiâ salutari per Priorem ob gravem, aut levem culpam impositâ, receperit, vel pœnitentiæ executionem inhibuerit, instante Priore, à Generali per mensem ab executione officij suspendatur.

De excessibus autem gravioribus, & gravissimis processûs per Superiores confecti, & sententiæ desuper latæ, necnon & acta visitationum non possint apud Fratres privatos, licet olim publico munere functi fuerint, custodiri; sed in qualibet Provinciâ deputetur in insigniori Conventu locus tutus, in quo omnia præmissa reponantur; cujus custodię unus præficiatur insignis integritatis, & bonitatis in Capitulo Provinciali deputandus, qui teneatur, quandocunque opus fuerit ex decreto superiorum in scriptis facto, & non aliàs tradere copiam scripturarum suæ custodiæ traditarum, subscriptionique eius de concordantiâ cum originali integra fides adhibeatur. Ipse verò juret in manibus Generalis, se fideliter custoditurum, & acturum quæ ad hoc officium spectant. Sint autem hujus loci tres claves, quarum una sit apud Priores Conventûs, altera apud Procuratorem, tertia apud eun-

dem

dem scripturarum custodem.

Provincialis autem statim post cujusque capituli celebrationem processûs praecedenti anno formatos, & sententias latas, sam per ipsum, quàm per Priorem Generalem in dicto loco reponat; & Judices commissarij à Generali, vel Provinciali deputati, cum primùm officio functi fuerint, acta ista coram ipsis similiter reponere teneatur. Omnium autem scripturarum fiat in libro aliquo authenticum inventarium, in quo manu Provincialis, vel Judicis deponentis scripturæ depositæ nominentur; teneaturque custos illi petenti fidem de receptione in scriptis referre. Quòd si custos aliquos processûs laceraverit, vel substulerit, aut falsaverit, aut quomodolibet vitiaverit, vel exemplum sine decreto tradiderit, perpetuâ infamiâ sit notatus, vocéque activâ, & passivâ semper careat. Ut autem primùm hæc præstentur, requirimus, & monemus, ac in virtute salutaris obedientiæ injungimus, & in subsidium sub pœnâ excommunicationis ipso jure incurrendâ, præcipimus omnibus, & singulis, qui Generalatûs, & Provincialatûs officio sunt functi, aut vices Generalis, vel Provincialis, quovis titulo, & tempore tenuerunt, & iis etiam, qui quovis modo, & quacunque de causâ apud se habent processûs, visitationes, sententias, decreta, & quascunque alias publicas scripturas, ut termino trium mensium ad Provinciam, ad quam pertinent, remittere, & resignare illas debeant. Neque, sub iisdem pœnis, illas lacerare, resecare, igni tradere, vel alio quovis modo occultare eis liceat.

Et R. P. Prior Generalis moderuus ante finem hujus Capituli teneatur nominare Conventûs in singulis Provincijs, ubi hæc loca, seu archiva erigantur, & pro hac vice tantùm custodem in qualibet Provinciâ præficere, eique juramentum in formâ præmissâ exibere, si præsentem in Capitulo nominaverit, si absentem exhiberi mandare. Acta verò omnia, quæ in his publicis Archivis reperta non fuerint, nullam omnino in judicio, vel extra illud fidem faciant.

Non possit in aliquo Conventu fieri unus Discretus, ubi sunt supra quatuor professi, aut duo, ubi sunt duodecim, nisi ad minùs per sex menses, & supra quatuor, & duodecim professi respectivè, continuò manserint de familiâ.

Post hac nullus Baccalaureus in Priorem eligatur, quòd si electus fuerit, ac ipse acceptaverit, officiumque aliquo tempore exercuerit, ipso jure gradu Baccalaureatûs privatus existat: Nec amplius ad illum assumi possit. Qui verò actualiter sunt electi, & Prioratûs officio funguntur, si in termino unius mensis non renunciaverint, eo ipso Baccalaureatûs gradu privati intelligantur. Atque omnes Baccalaurei conditiones in capitulo de studentibus præscriptas servent.

Qui in præsenti Capitulo licentiam obtinuerunt, ut ad Magisterium promoveantur, quia solâ sorte prælati sunt reliquis, qui per secreta suffragia digni, & idonei indicati sunt, etiam si per multum temporis ante illos insignia Doctoratûs susceperint, non propterea illis præferantur; sed uniuscujusque locus, & praecedentia eadem maneat, ac si omnes quicunque, ut præmittitur, judicati sunt idonei, simul promoti fuissent, dum tamen licentiâ obtentâ, servent constitutionem capituli celebrati Bononiæ an. 1585. Interim tamen antequam licentiam obtineant, immediatè sequantur eos, qui eam in præsenti Capitulo obtinuerunt.

Et quoniam compertum est per assumptionem Diffinitorum Generalium, Priorum Provincialium, aut Sociorum ad officium Prioris Generalis, aut Procuratoris Ordinis eorum muneribus usque ad proximum Capitulum vacantibus Provincias manere suis officialibus destitutas, decernimus, ut nullo prætextu à Provincijs eandem personam ad ullum ex dictis officijs eligi; ac simul ad officium Prioris Generalis, vel Procuratoris Ordinis proponi possit: & intelligitur in futuro Capitulo Generali vim habere, & in cæteris Capitulis Provincialibus proximis præcedentibus illud.

Statuimus, ut in honorem Dei, & Beati Philippi Patris nostri, cujus officium ex concessione fæl. record. Leonis decimi celebratur, in unaquaque Ecclesiâ nostri Ordinis in termino duorum annorum Altare erigatur.

Si in omnibus Ordinis officiis curandum est, ut ij tantùm eligantur, qui qualitatibus ad ea obeunda requisitis, præditos se ostenderint, id multò magis in electione Prioris Generalis, qui nedum super omnes constituitur, sed etiam omnia officia in se continet, servandum est, etenim Religionis totius stabilitas fluctuabit, si quod in omnibus corporis membris requiritur, in capite non inveniatur, ac de suo statu, qui in Regulari disciplinâ, & sacrarum litterarum professione positus est, declinabit, si animarum omniũ cura, & studiorum regimen sine delectu cuilibet committatur; de quo licèt in Constitutionibus multa utiliter statuta sint, si tamen hoc munus pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum de eo videri poterit, ac præsertim hoc tempore, cum senescente mundo regularis disciplina relaxata, rectore, & moderatore in omni genere virtutis singulari indigeat, qui & ipsam nutantem, & prolabentia literarum studia exemplo, & auctoritate suâ excipiat, & sustineat, ac ad pristinum suum nitorem revocare sciat, & valeat: quapropter decernimus, ut nedum vitæ sanctitas, & rerum gerendarum prudentia in Generali eligendo conspicuè appareant, sed etiam literarum, præsertim sacrarum excellens scientia, & professio fulgeat: ac propterea nullus per Provincias capitulo Generali præsentari possit in Generalem eligendus, nisi officio Procuratoris Ordinis aut Prioris, vel Rectoris Provincialis functus fuerit, & ultra hæc etiam (sicut in Procuratore Ordinis Constitutiones requirunt) sacram Theologiam in aliquo Religionis studio, aut publicè docuerit; & per quindecim annos post susceptum Magisterij gradum bonis literis operam dederit: sic enim fiet, ut juxta Constitutionum præscripta admi-

administrationis suę tàm in re literariâ, quàm in spirituali, & temporali gubernatione specimen ostenderit, si per inferiora munia ad hoc supremum, veluti per gradûs ascenderit.

Reverendissimus Pater Prior Generalis, ut suo fungeretur munere, infrascripta loca nominavit, in quibus Archiva erigi debent. In Provinciâ Thusciæ, Conventum D. Annuntiatæ de Florentiâ. In Provinciâ Romæ, Conventum S. Marię novæ de Perusio. In Provinciâ Romandiolæ, Conventum Servorum de Bononiâ. In Provinciâ Lombardię. Conventum Servor. de Mediolano. In Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ, Conventum Servorum de Patavio. In Provinciâ Venetiarum, Conventum Servorum de Venetijs. In Provinciâ Mantuæ, Conventum Sancti Barnabæ de Mantuâ. In Provinciâ Januæ, Conventum Servorum de Januâ. In Provinciâ Neapolitanâ, Conventum Sanctæ Mariæ Mergellinarum de Neapoli.

Primi Patres qui novā Eremum incolunt.

Absolutis igitur Comitijs Lælius celeriter ad Senarium profectus novę erigendæ Eremo omnem operam navabat. Cum autem superiori tempore P. Bernardinus de Ricciolinis Florentinus, ut eremetica instituta edisceret, plures menses cum Eremitis Camaldulensibus diversatus, vitamque illorum edoctus fuisset, hoc anno reversus in solitudine S. Mariæ de Saxo continuò degebat; in hunc Lælius omnem suam spem coniecerat pro eremiticâ in Senario vitâ instituendâ. Amoto interim vetere illo Senarij custode, qui dicebatur F. Basilius de Ciapinis à Villâ Biviliani, eidem P. Bernardino, cum Fratre Stephano Florentino adhibito socio Sacerdotibus, locum commendavit. Egerat enim Lælius cum Patribus discretis Conventûs Annunciatæ de Florentiâ, ut juxta formam Apostolicarum literarum Florentini Patres veluti tutores, & Patroni, juxta decretum Capituli Generalis Senarum, ut aliàs dicebatur, curam gereret, & publicè ipsius rei totum negotium amplecterentur: idque factum fuit M. Archangelo Gianio existente Priore, licèt inter Hirpinos ut dicebatur adhuc absente, Conventûs Annunciatæ undecimo Kal. Augusti. Vix pervenerant novi Patres ad custodiam loci, quando prodigium quoddam, nec Divino oraculo absimile contigit, quod magnum examen Apum super emeram arborem consedit, & inde non multò post in tres partes divisum, potior pars ibidem constitit, altera non longè diffusa, altera verò versus Apenninos montes longè abscedere visa fuit, quod quidem portentum præmonstrasse videtur Sacram illam Eremum in dulcedine servitutis Dei multiplicandam, & per Orbem diffundendam, ut posteriora tempora indicarunt, & nos suis locis Deo propitiante dicturi sumus. Tale igitur exordium sumpsit ex decreto Florentinorum Patrum Sacra Eremus Senarij, & id mirum fuit, ut tribus tantùm mensibus. 1. adhibitâ Lælij Generalis incredibili sollicitudine. 2. ædificijs, hortalitijsque absolveretur, E adeò ut Ferdinandus Magnus Dux cum Christinâ coniuge locum invisens, quem multis donarijs locupletaverat, Lælium Generalem amplexans, & præ dulcedine illachrymans pronunciaret *A Domino factum est istud*. Hæc dum in Senario feliciter agerentur, spiritualem, cœlestemque domum sibi Veronæ comparaverat. 3. B. Angela Soror nostra Tertiaria, de quâ hæc nullatenus involvenda silentio à suis Consororibus accepimus, dum Veronæ ageremus. Nam hoc eodem anno Cœlest. Sponso juncta fuit, quæ dum viveret, perpetuam virginitatem coluit, frequens in jejunijs, & oratione pernoctans, humilitatem amabat, & spontaneam paupertatem, itaut qua sibi fuissent ab alijs oblata illicò paupe-

Gesta, & obitus B. Angelæ Veronen.

F ribus erogaret. Tempore autem, quo Veronenses maximâ annonæ caritate laborarent, cum à Rectoribus Civitatis pauperes advenæ extra Civitatem arcerentur, Virgo Angela de industriâ panem, & eleemosynas quæritabat, & desuper muros Civitatis quotidie quantum poterat clam pauperes alebat, projiciens eis extra mœnia sacculos eleemosynarum, quas collegerat. Quotidie Hospitali misericordiæ, ubi multitudo pauperum, & languentium jacebant, ejus operâ, & eleemosynis confovebat, infirmosque verbis solabatur, itaut posset dici mater pauperum, & afflictorum consolatrix tota charitate plena. Maximas in solitudine tentationes patiebatur, & varijs Dæmonum jactabatur apertis
G insultibus, itaut quandoque audiretur lamentari, & auxilium quærere, cum sibi videretur gladijs armatorum circumfodi corpus suum, sed nomine B. V. invocato ab eâ recedebat Dæmonum turba. Formidabat enim Diabolus angelicos hujus Virginis mores, assiduum ferè jejunium, nam multos dies sine cibo, & potu transigebat, durum Cilicium, quo perpetuò utebatur, spontaneum hyemis frigus, & æstivum calorem, & varias corporis austeritates. Ex tot igitur corporis afflictationibus, & pœnitentijs pænè consumpta Beata Virgo, per integram hebdomadam, antequam è vitâ migraret magnas à Deo consolationes & revelationes accepisse fertur, quas Sorori Magdalenæ, & Sorori Aquilinæ, quæ
H sibi in infirmitate astabant partim secretò communicavit, partim verò ipsemet se proprijs auribus audivisse testatæ fuerunt. Cum enim die 14. Septembris in festo Exaltationis S. Crucis Angela in altissimam elevaretur contemplationem Passionis Christi, Dominum Jesum meruit obvium habere consolatorem, qui ei plagas ostendit confortans eam, ut morbi gravitatem æquo animo ferret, post dies octo cœlestem gloriam aditura; quâ visione confortata Angela, multò magis in extaticas visiones rapta ab ipsis Consororibus astantibus sæpesæpius audiebatur expresè cum Jesu Christo agere de æternâ gloriâ Paradisi, de Beatorum fruitione, deque hujusmodi

modi altissimis contemplationibus usque ad conspectum Dei. His ipsis diebus, dum ingravesceret morbus, accidir noctu quadam, ur Palatium D. Prætoris casu combureretur, & prætet consuetam horam audiretur Campana pulsare, quo strepitu expergefacta Angela ignorans quid accidisset, prophetico spiritu excitans Socias dixit: ejà Sorores rogate pro illo incendio, quia Præfecti Palatium comburitur. Octavus jam advenerat dies ab Exaltarione S. Crucis, cum B. Angela promissorum Christi non immemor, Sacris communita anno trigesimo octavo ætatis suæ ad Cœlum evolavit Quinto Kal. Octobris. Hujus Beatæ imago videtur pingenda cum Sacculis more Mendicantium super humeros cum frustulis panis in manibus coram Jesu Christo sibi vulnera ostendente.

Imago B. Angelæ.

[Addere modò expedit, quòd hoc eodem anno 1594. Arcâ illâ referatâ Faventiæ, in quâ anno 1483. recondita fuere veneranda B. Jacobi Philippi ossa, varijs hinc inde Floribus exornata, reperti ijdem fuere recentes æquè ac ex ipsâ plantâ tunc evulsi fuissent, quemadmodum dictum etiam est ad annum 1483. Dux Vespasianus Ecclesiam, quam cum Cœnobio ædificaverant nostri Ordinis expensis Patres apud Sablonetam, quæ in Diœcesi Cremonensi sita Cremonâ distat 24. Milliaria, 20. Mantuâ, Eridanum inter, & Flumen, cui nomen *l'Oglio*, sub Tit. S. Nicolai, quemadmodum diximus ad annum 1562. pauiò post æquandam solo censuit, ut augustiorem aliam excitaret, pro singulari suâ munificentiâ, & erga Ordinem nostrum benevolentiâ, quippe qui eodem anno aliam Ecclesiam sub Tit. S. Blasij, quam extra Sabloneram cum Cœnobio primò tenuerant Patres, ut eandem Urbem ad formam Arcis redigeret solo pariter æquaverat. Verùm eo vitâ functo anno 1591. perfici omnino non potuit juxta Regium exemplar ab eodem Vespasiano conceptum Ecclesia hæc jampridem aliàs à fundamentis excitata, & admodum promota, cui Tit. est S. Mariæ Incoronatæ, quatenus speciem exhibet Coronæ. Cœnobium pariter Fratribus excitandum curavit, & proventibus annuis instruendum, qui octo Sacerdotibus, & quatuor Laicis alendis satis essent, necnon insignem illis legavit Librorum copiam. Anno demum 1594. die 6. Januarij Locum hunc habitare cœperunt Patres eâ planè diligentiâ, ur omnibus quammaximè accepti fierent, tum si Divinum Cultum in Ecclesiâ spectemus, tum si Disciplinæ regularis studium, tum denique si sedulam operam, quam excolendis literis navabant. Præceptores enim ibi jugiter habere studebant, qui Adolescentes nostros in Theologicis, & Philosophicis Disciplinis erudirent, qui proinde identidem præclara exhibere publicè solebant Doctrinæ suæ specimina, quæ planè consuetudo ad annum usque 1630. perseveravit, quo deinde propter incommoda Bellorum, & Pestis hinc inde dispersis Patribus pauci ibidem superfuete. Eximiam prædicti Ducis beneficenriam imitati ejusdem posteri Locum hunc, & Patres fovere semper consueverunt, & insigni beneficiorum genere cumulare. In eâdem Ecclesiâ publicè marmori impressa versibus exametris tota legitur series trium horum Conventuum, & Ecclesiarum, quos Ordo noster tenuit ab anno 1448. usque ad præsentem annum 1594. quæ cæteroqui perspicua est ex veteribus eorundem Locorum monumentis.]

Flores in Arcû B. Jacobi Philippi de Faventiâ post 111. annos reperiuntur recentes.

Conv. 3. de Sablonetâ sub Tit. S. M. Incoronatæ.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

1 *Quòd brevi intervallo Generalis solicitudo totum Ordinem ad opus Senarij excitasset, indicant Diurij introitûs, & exitûs illius fabricæ: nam plusquam duo millia aureorum ex toto Ordine uno tantùm itinere collegit, ut hinc sumant exemplum cæteri, qui præsunt, quid valeat in hujusmodi publicis Religionis negotijs an torpor, an solicitudo Capitis.*

2 *Videtur Auctor hoc loco prætermittere marmoreum quoddam monumentum in parvo peristilio Senarij eodem tempore appositum, hujus tenoris.*

Ferdinandi Mag. Etruriæ Ducis III. adhortatione, & munificentia Patres Divæ Annunciatæ domum hanc Relig. Servor. originem à nobili Stupnea familia donatam, jam collapsam funditus restituerunt. Quam Clemens VIII. P. M. supplicatione Alexandri Medices Card. & Archiep. Flor. in Sacram Eremum erexit, & Conventui D. Annunciatæ perpetuò adjunxit, curante M. Lælio Balleonio Flor. Ord. Gen. 1594.

Nec credendum pervigilem Scriptorem hoc Epitaphium oscitanter prætermisisse, nisi aliqua in eo aut deficere, aut parùm probare cognovisset, quod referunt. Deest enim ibi memoria non contemnenda de magnis subsidiis per totum Ordinem pro eo ædificio collectis. Dicitur etiam ibi locum à Stuphea familia donatum, quod an verum sit consulendum est, quod Auctor asserit, Cent. 1. lib. 1. cap. 8. & Cent. 2. lib. 5. cap. 2.

3 *Auctor dum Veronæ concionaretur plurima hujusmodi Sanctarum Mulierum monumenta, & traditiones exploravit, & in unum collegit anno Dom. 1595.*

Enumerantur primi Patres, qui in Sacrâ Eremo Montis Senarij recluduntur, cum quibusdam Indulgentijs pro secularibus Locum adeuntibus.

C A P. X.

EVulgatâ interea famâ novæ institutionis Eremi in Senatio, non modica excitatur devotio multorum æquè Secularium, ac Religiosorum, qui inibi vitam ducere solitariam vehementer appetetent; quâ etiam occasione proximus Bivilia-ni populus ad radices Senarij Sodalitium quoddam deferentium Habitum B. M. V. sub titulo B. P. N. Philippi excitarunt feriâ secundâ Resurrectionis D.N. quæ fuit 27. die Martij, hortante illos ad hanc præcipuam devotionem P.M. Paulo Pelegro à S. Bernatdo, qui tunc regebat Studium nostrum Florentinum, & per illam Quadragesimam diebus festis eidem populo conciones habuerat. Consuevit deinceps Sodalitium illud super nigras Cappas Batutorum, latum, & longum nostrum deferre Habitum, & tanto fœdere Eremitis nostris in Spiritualibus obsequijs adhærere, ut quandocunque oportuerit semper illis præstò sint, & præcipuè in associandis, & deportandis Patribus illis defunctis, quotiescunque contigerit eos in Cœnobio Annunciatæ de Florentiâ oppetere mortem; occurrunt enim, & Cadavera illa ab Ecclesiâ Annunciatæ usque ad Sacram illam Eremum psallendo cum luminaribus Cruce præcedente deferunt. Nec minori fervore excitantur undequaque ex Patribus nostris viri probatissimi, qui in illâ Eremo solitariam, arctioremque vitam ducere cupiunt, ex quibus pro eo tempore Lælius Generalis hos tantùm Patres delegit, P. Gabrielem Bonum de Cortonâ, P. Aurelium de Fettariâ, P. Philippum de Luciniano Sacerdotes, quibus de Patrum Annunciatæ consensu præfecit Vicariũ P. Bernardinum de Florentiâ, illum cui anno elapso Locum commendaverat. His tanquam famuli adiuncti fuerunt Laici F. Ubaldus de Florentiâ, F. Meliorius de Barberino Oppido Mugelli, F. Bonfilius de Fesulis, & Petrus Commissus à Villâ Quinto, qui postea ad Habitum dictus fuit F. Mansuetus. Ex quibus unâ die nos, tanquam Prior Annunciatæ, ipso in loco Senarij Ubaldum, & Bonfilium ad Habitum admisimus, & veluti primas victimas Eremi Deo, & B. Virgini consecravimus. Nam ex quo tempore Florentini PP. curam ejusdem loci restaurandi assumpserant, etiam administrandi, tegendique, & gubernandi officium sibi reservarunt. Quâ in re primi loci curatores successivè à PP. Annunciatæ per plures annos delecti fuerunt Frater Athanasius Puccinius, deinde F. Angelus Maria de Monte Senario. Pari quoque modo primi Patres, & vicissim alij Novitij ejusdem loci per idem Capitulum Fratrum Annunciatæ usque ad professionem admissi fuerunt, ac

Societas Habitûs Biviliani.

Primus Eremi Senarij Rector, cum PP. Eremitis

E denique de singulis Vicarijs, qui eundem locum regerent per eosdem Patres Annunc. singulis annis provisum fuit. Cæterùm crescente in posterum Patrum Eremitarum numero permittitur à Fratribus Annunciatæ, ut per seipsos Capitulum facere, & locum administrare valeant: hoc uno sibi reservato, quod in admittendis ad habitum seu ad professionem novitijs, id minimè fiat inconsulto Priore Conventûs Annunciatæ, qui unà cum suo Magistro noviciorum teneatur electionem illam Eremitarum approbare, sine quibus irritum fieret quicquid per PP. Eremitas attentatum fuisset, prout in eorum Constitutionibus cap. 10. & 11. Idem etiam reservatum circa electionem P. Rectoris Eremi, ut nullus

F ad loci regimen debeat admitti, qui per secreta suffragia totius Capituli Conventûs Annunciatæ non fuerit approbatus, ut in eisdem Constitutionibus cap. 42. Eremiticæ autem vitæ in Senario initiandæ non mediocriter profuerunt pro spiritualibus exercitijs die, noctuque habendis, & pro Novitijs educandis pia quædam monita M. Angeli Mariæ Montursij, qui tunc vitam cælibem, & solitariam separatus ab alijs in propriâ cellâ Florentiæ agebat; quemadmodum plures ejusmodi epistolæ ad P. Gabrielem de Cortonâ, quæ passim circunferuntur, apertissimè declarant. Interea Lælius Generalis postquam Provinciarum Comitia celebrasset, Romam ad Pontificem pertexit de Indulgentijs, &

G Clausurâ instauratæ Eremi singula per ordinem referens non absque ingenti Optimi Pontificis lætitiâ tractavit, & sequentem Bullam obtinuit.

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcrorum locorum veneratio quantò religiosiùs custoditur, tantò diuturniùs conservatur. Sacra quippe Eremus Montis Senarij, in quâ Fratres Eremitæ Ordinis B. Mariæ Servorum, Divinarum rerum contemplationi vacantes degent, jam, ut accepimus, structurâ, & ædificijs ad Eremitarum habitationem, ac Ecclesia ad Divinorum officiorum celebrationem satis

H congruè extructa existit, ut in eâ aliquot Eremitæ commodè subabstare possint. Reliquum tantùm est, ut ejus loci venerationi nedum conservandæ, sed in dies augendæ, quantùm cum Domino possumus libenter consulamus, quod eò tutiùs futurum speramus, quò remotiùs à secularium, & præsertim mulierum consortio Eremitæ ibidem degentes vivent. Idcirco motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac merâ nostrâ deliberatione, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, eo ipso incurrendâ, quibuscunque mulieribus cujusque qualitatis, & excellentiæ ingressum locorum dictæ Eremi, præter Ecclesiam in solemnioribus Domini nostri Jesu Christi, & Beatissimæ

Indulgẽtiæ pro visitantibus Eremũ Senarij.

sima Virginis Mariæ festivitatibus expressè interdicimus, & prohibemus, eandemque excommunicationis pœnam, eos omnes, etiam Religiosos, & Eremitas ejusdem loci, qui mulieres quascunque ultra limites Ecclesiæ dictis diebus in loca prædicta introducere, vel associare præsumpserint, eo ipso pariter inuftigimus, à quâ nisi per loci Ordinarium in formâ Ecclesiæ consuetâ, absolvi non possint. Insuper ad augendam Christifidelium erga Ecclesiam prædictam devotionem, & Religionem, ac animarum salutem paternâ charitate intenti, omnibus utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui Ecclesiam prædictam die festo Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis, à primis Vesperis, usque ad occasum Solis ejusdem diei, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus quoad Indulgentiam ad decennium tantùm, quo verò ad prohibitionem prædictam perpetuò valituris. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac privilegijs, indultis, & litteris Apostolicis eidem Ordini, illiusque superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 3. Julij MDXCV. Pontificatûs Nostri Anno quarto.

M. Vestrius Barbianus.

His literis acceptis Lælius, ut erat in rebus agendis suapte naturâ impiger, & celer, statim Florentiam advolavit, & Senarium se contulit, & rebus optimè dispositis in Vigiliâ Assumptionis B.M.V. unà cum M. Basilio de Olivis Florentino, qui tunc erat Thusciæ Præfectus, & Archangelo Gianio Priore Annunciatæ Loci clausuram solemni ritu in hunc modum declaravit. Nam post primas Vesperas, Locum, Cruce præcedente, & Patribus per ordinem psallendo procedentibus, undequaque benedictâ aquâ aspergendo, lustravit; deinde clausis, apertisque Ostijs Patres Eremitas intus reclusos, terminos Clausuræ tàm illis claudendis, quàm fœminis, & secularibus arcendis, declaravit, pronuncians etiam sex illos solemnes dies per annum, in quibus pro assequendis Indulgentijs liceret fœminis Ecclesiam illam ingredi, & hi fuerunt, Dies Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, necnon Nativitatis, Annunciationis, & Assumptionis B. Mariæ V. Posterâ igitur adveniente die Assumptionis B. V. summo cordis affectu, & ingen-

A ti lætitiâ animi visus fuit in Senario renovatus antiquus ille dies, quando septem illi primi Patres nostri hujus Ordinis fundatores ad serviendum Deo, & B. V. convenerunt in unum. Sacrâ enim primùm Communione, post Missarum Solemnia refectis, qui non celebrassent, omnes unà simul ad appositam mensam consederunt. Quando è Villâ Pratolini Magnus Dux Ferdinandus cum Christinâ uxore Locum venerabundus adfuit, & se perpetuum illius Sacræ Eremi Protectorem, & Benefactorum exhibuit, quemadmodum postea re ipsâ munificentissimè præstitit. Dum igitur in Senario pusillus grex ille Patrum nostrorum pro Christianâ Rep. non cessabat die, noctuque orare, in alijs etiam hujus Ordinis partibus præstò erant, qui varijs

B officijs Catholicam fidem tuerentur. Nam Francisco Aldigherio Catholicos in finibus Delphinatûs per Vallem Lucernæ cum suis Ugonotis acerbissimè his temporibus infestante, maximus pavor invaserat fideles illos, qui oras ipsas incolebant, adeò ut vix reperiretur qui sacra illis ministraret; quando ferox Dux ille multò magis Sacerdotes, quàm Laicos insectabatur, & varijs cruciatibus sæviebat in eos: his tamen non obstantibus Patres nostri M. Hieronymus Brunerius de Casellis, MM. Stephanus Turrianus, Alexander Vinea, & Pasqualis Righerus de Summaripâ audacter, & intrepidè varijs temporibus confertim inter hæreticos irrumpentes, & concionando, & hortando, & Sacra facien-

Plures Patres contra Hæreticos Fidē catholicam tuentur.

C do, atque administrando, fideles quoscunque confirmabant, & malè de fide sentientes confundebant. Verùm P. Archangelus Riba de Lucernâ inter omnes ebulliente magis ac magis furentium hæreticorum persecutione, quando Presbyteri, & Sacerdotes omnes suas oves his diebus reliquissent, zelum Dei tamquam alter Phinees zelatus, nullo propriæ vitæ, & sanguinis habito respectu Parochialem Turris in eâdem Valle adijt, Catholicos Incolas ad Concionem incitavit, & omni seposito timore Sacra publicè fecit, & administravit, cunctos ad Orthodoxam fidem servandam hortatus, obstupentibus, qui permixti aderant, hæreticis ipsis in lapidem quodammodo conversis, dum illum Sclopis, &

D armis invadere frustra tentassent. Hoc egregium P. Archangeli Facinus adeò cæterorum Sacerdotum, & præcipuè Curatorum animos confirmavit, ut imposterùm formidinem omnem deponerent, & animarum curæ, Missisque celebrandis accuratiùs insisterent. De P. Joanne Ludovico Faesio à Cucutone proditum est, quòd ob eandem hæreticorum feritatem igneis sclopis impetitus, martyrium quodammodo per eosdemmet dies subiret. Cùm enim ad Cœnobium nostrum Cucuronis post celebratam Missam in quadam Parœciâ reverteretur in grassatores Calvinistas fortè fortuna incidisset, atque ab eis interrogaretur unde veniret, intrepidus respondit, à cele-

celebrandâ Missâ. Quo audito, viri pessimi per ludibrium cogebant illum, ut rursus aliam Missam coram eis celebrare vellet. Quibus ipse nec licere, nec oportere coram hæret cis sacra facere constanti animo asseruit, & minitantibus illis, sclopósque in eum convertentibus fortiter restitit dicens: Nihil fore sibi conducibiliùs, quàm pro fide catholicâ mori. Et sic ictibus illis percussus, & vulneratus sanguinem pro Christo fudit, martyrij palmâ procul dubio decorandus. Fervebant itidem per totam Galliam dissensiones inter Catholicos, & Hæreticos propter Henricum Borbonium 4. Navarræ Regem, alijs ipsum ad regnum Galliarum invitantibus, alijs strenuè reijcientibus: unde Summus Pontifex Clemens VIII. ejusmodi belli incendijs accurrens, Alexandrum Medicem Cardinalem, & Archiep. Florentinum Parisios legavit ad eos componendos tumultûs,& cognoscendum de fide Henrici, quam per Oratores spoponderat Romæ ad pedes Pontificis. Habebat Legatus apud se P. Dominicum nostri Ordinis a Castro plebis Confessarium suum, quem in eâ Legatione Sacræ Theologiæ Magistrum declaravit, & antequam in Italiam reverteretur Abbatem Edinæ constituit. Erat P. iste non multæ literaturæ, sed summæ charitatis, & humilitatis, quippe qui præter alia multa pietatis officia, cum inter finitimos illius Abbatiæ sæva pestis irrepsisset, carni, & sanguini non pepercit, visitans, confortans, & Sacramentis, omnique ope infirmos confovens, adeò ut non post multos dies eodem morbo infectus, non sine odore Sanctitatis extremum diem solveret.

P. Dominic. Abb. Edinæ mors.

[Recolendus pariter anno sequente 1596. occurrit obitus P.M. Alexandri Mongardini de Bononiâ in utroque jure peritissimi, & S. Theologiæ, præsertim moralis, Professoris non mediocri laude digni, cujus responsa quædam moralia prostraot Bononiæ Typis impressa anno eodem apud Joannem Baptistam Bellogambani, quemadmodum ex illius Cœnobij S. Mariæ Servorum monumentis didicimus.]

P. M. Alexander Mōgardini Bonon. Vir illustris moritur.

De admirabili Gloriosæ Virginis Deiparæ Imagine Ecclesiæ nostræ Conventûs Rhegij Lepidi.
CAP. XI.

Magnâ rerum egestate premebatur per hæc tempora Rhegium Lepidi, quæ est Urbs media inter Parmam, & Mutinam, cujus publicæ calamitatis eò magis participes fiebant Patres nostri, quò & loci paupertate, & quotidianâ piorum subventione deficiente maximis angebantur angustijs, adeò ut aliquando ancipiti consilio inter sese agitarent, vel de loco penitus deserendo, ne fame perirent, vel de Sacrâ supellectili aut vendenda, aut inter publica pauperum deposita pignori exponendâ: E jam enim Sacros calices, præter unum, ad Montem Pietatis (quod vidimus testamur) pro quotidianâ refectione comparandâ detulerant; jam de quadam horti parte vendendâ pro Sodalitio S. Crucis extruendo cum illis Confratribus convenerant, unde oportuisset parietem quendam illius horti diruere, in quo depicta erat imago B. M. V. Verùm diffidentibus inter sese consilium illud infectum remansit, nullatenus permittente Divinâ providentiâ, ut Sacratissimæ illius Matris imago illa demoliretur, quæ & Urbi, & Fratribus simul magno præsidio futura erat. In muro igitur præfati horti super publicam viam curaverant olim veteres Patres nostri ad augendam transeuntium devotionem, ut imago F quædam B.M.V. appingeretur, quam & iniuria temporis, & imbrium, ventorumque tempestates, usque adeò consumpserant, ut vix parva quædam vestigia ab anno 1542. superessent; non tamen defecerat omnino devotio, quin aliqui statutis horis locum illum venerarentur, inter quos perspicuum est Venerabilem quemdam Sacerdotem Parmensem nomine Petrum Sylvium nullam prætermittere diē consuevisse, quin ad locum venerabundus pergeret. Eamdem quoq; imaginem pari cultu venerabatur Ludovicus Pratissuolus civis Rhegiensis Ecclesiæ nostræ è regione proximus, hic igitur propriâ devotione Simniaerum illud ann. Dom. 1575. restaurandum statuit, non juxta vetera vestigia, sed secundùm G exemplar, quod graphicè delineari curavit à Lælio Urso percelebri pictore de Novellariâ. Agebat Rhegij Pictor Joannes Blancus, qui vulgò dicebatur *Bertone* vir timens Deum, & in depingendis hujusmodi B. V. imaginibus valdè addictus, & devotus; non enim penicillos tabulæ admovisset pro pingendâ B. V. nisi prius à peccatis expiaretur, & Sacrâ Communione reficeretur. Anno igitur prædicto secundùm exemplar sibi propositum, Sacratissimam Dei Genitricis effigiem proprijs coloribus delineavit, honestâ, & venerabili facie sedentem super terram junctis manibus, & filium ex adverso, qui super cervical, sed manibus expansis, toto cordis effectu adorantem, quemadmodum explicant supe- H rius apposita verba: *Quem genuit adoravit*. Ab eo igitur tempore tam præclara renovata figura, devotionem quoque renovavit, & præcipuè inter puerulos, qui lo sero pluribus accensis luminaribus, & varias laudes cantantes, locum frequentabant, donec tempore ineunte P. Angelus de Rhegio, qui Ecclesiæ curam habebat, etiam exterioris illius loci solicitudinem eandem habere cœpit, & ut meliùs, & decentiùs pictura illa conservaretur, Tabernaculum quoddam ei circumdedit; & ut noctu clauderetur, ligneas tabulas superinduxit, ubi cœperant paulatim cerea vota, & tabulæ suspendi. Hac igitur devotionis consuetudine inter pueros perseverante,

qui

qui statutis quibusdam diebus litanias ibi persolvebant, ad ann. Dom. 1596. ventum est, quo tempore, ut supra dicebatur, Urbs Rhegij maximis egestatis calamitatibus urgebatur; dies advenerat 25. Aprilis, quando unus puerorum, qui Marchinus dicebatur, magnâ illius loci devotione captus frequentiùs, quàm alij, ad B. illam Virginem confugiebat. Erat is puer annorum circiter 15. pauperrimus, inter montana Carphagnanæ ex rusticis apud Castrum novum ortus, qui cuidam Lanioni adhæserat, ut sibi ex macello victum compararet, fortunâ quidem pauperrimus, sed casu miserabilis, quòd surdus, & penitus linguis natus fuisset. Hic igitur religiosæ pietatis instinctu alios pueros, ut poterat, in eâ devotione B.V. imitabatur, & intimo cordis affectu, quod eloqui non poterat, gloriosam Virginem deprecabatur, atque ardenti affectu venerabatur, itaut integras noctes aliquando coram eâdem Imagine meditando consumeret. Præfati igitur diei mensis Aprilis præcedenti nocte in septimâ horâ placuit Altissimo, ut suæ Genitricis admirandum facinus in puero Marchino demonstraretur, cum repente tria mirabilia in uno miraculo concurrerent, ut Marchinus linguam, quam nunquam habuerat, reciperet, enodaret, loqueretur, & quæ nunquam ob surditatem audiverat perfectè pronuntiaret, prima autem ipsius verba hæc fuerunt *Jesu Maria*. Mane facto res evulgatur, audit, loquitur, & omnibus respondet Marchinus, explicans cunctis mirantibus quid sibi præteritâ nocte accidisset. Famâ interim evulgatâ ad D. Claudium Rangonem Mutinensem Episcopum Rhegij pervenit, qui hac in re prudenter, & cautè procedens, primùm cum P. Inquisitore singula, quæ contigissent, Marchino intelligit, deinde rejecto puero, res in judicium vertitur, vigintiduo testes omni exceptione majores examinantur, rursus advocatur Marchinus coram Congregatione Theologorum, Jureconsultorum, & Medicorum, à quibus diligentissimè examinatur, tùm de præteritâ infirmitate, & impedimentis naturæ, tùm de recepta linguâ, & loquelâ. Hujus rei judicium ad Urbem defertur per DD. Sacræ Congregationis Cardinales examinandum, ac tandem per Summ. Pont. decernendum. Quare Clemens VIII. Summ. Pont. præfatum miraculum approbans, declarat Sacram illam Imaginem B. M. V. tamquam miraculis claram, ab omnibus canonicè, & de jure adorandam esse. Hæc verò dum Romæ pertractantur alius quoque mutus nomine Andreas adolescens de alio Castronovo Diœc. Parmensis die 28. Maij ejusdem B. M. meritis, & intercessione liberatur, & loquitur. Interea vicatim extra Urbem crescente quotidie famâ ejusmodi miraculorum, ex campestribus, & montanis, proximisque Civitatibus concurrunt populi certatim ad Sanctam Imaginem venerandam, & pro suis necessitatibus implorandam, circa quam ex tabulis conficitur primùm Ædicula, & Altare pro celebrandis Missis. Prior autem, qui ibi celebraret, fuit D. Episcopus Civitatis, qui ex publico illius Senatûs decreto magnâ cum pompâ, & celeberrimis ritibus, Clero, & Fratribus cum suo Priore P. Joanne Baptistâ Parmense, ac universo populo Civitatem lustrantibus, duobus jam mutis Marchino, & Andreâ apud Vexillum Crucis Fratrum nostrorum præcedentibus, die Dominico V. idus Novembris primum ibi Sacrum celebravit, & Senatus ipse statuit primam ibi oblationem ex publico fieri quingentorum aureorum pro instantibus loci necessitatibus; edictum quoque per Tibicines evulgatur, quod triduo illo Sabbathi, scilicet Dominicæ, & Lunæ festum agereiur, & decoctores ære alieno gravati, & hujusmodi debitis obnoxij liberè incedere possent, atque unus de carceribus ad B.V. liber dimitteretur. Non defuit etiam Religio nostra alijs honoribus tanta miracula prosequi, quin per multos annos primarios illuc Concionatores, alios in veteri Ecclesiâ nostrâ, alios in Cathedrali, mitteret, M. Theodorum Ripam de Mediolano, M. Christophorum de Senis, M. Apollonium Painum de Bononiâ, M. Antonium Vivolum de Corneto, M. Marcellum Raphaelium de Perusio, M. Henricum Antonium Burgum à Castronovo, M. Archangelum Gianium de Flor. qui in Ecclesiâ S. Prosperi sermones quadragesimales, & in pomeridianis horis Dominicarum in propriâ Ecclesiâ de laudibus B. Virginis conciones habuit anno Dom. 1598. Cæterùm incredibilis accedentium ad B. V. Rhegij numerus advenarum, oblationes, pretiosæ vestes, annuli, aurei torques, donaria multa, atque pecuniæ, adeò ut brevi postquam Ædiles tum Laici, tum Fratres ad hujusmodi rerum custodiam ex Senatûs consulto creati fuissent, adscito Alexandro Balbo de Ferrariâ Architecto de novo, augustoque fundando Templo excogitatum fuit, donec area, & toto spatio præparato sequenti anno Alphonsus Secundus Dux Ferrariæ cum Margaritâ Gonzagâ* uxore, suscepto voto, Rhegium accessit, ut primum lapidem in fundamentum jaceret. Die igitur 6. Junij summâ totius Civitatis alacritate Episcopo præsidente cum Clero, & Patribus, populique multitudine, Sacris de more servatis, idem Dux, post benedictionem Episcopi, primum lapidem marmoreum cum argento, & aureo nummo in fundamentum posuit, cum hoc perpetuo monumento.

Marchinus puer elinguis, & surdus sanatur.

Alius mutus sanatur.

**Margarita hæc est Soror germana V. Sororis Annæ Julianæ Gonzaga Archiduc. Austriæ Tertij Or. Ser. de quâ ad ann. 1612., 1621., & alibi in his Annal. plura.*

Cum Ser. Alphonsus Secundus Dux Ferrariæ, Rhegij, & Mutinæ quintus huc accessisset, ut unà cum Ser. Margarita Gonzaghia, Uxore sua, inviseret religionis ergò San-

Sanctissimam IMAGINEM DEIPARÆ VIRGINIS, quæ in Æde extruenda, locanda est, abire noluit, quin priùs marmoreum hunc lapidem sua manu in hoc fundamentum, auspicibus D.N.JESU CHRISTO, & Matre ejus Sacratissima, poneret. Additi sunt, & nũmi argenteus unus, & aureus; Id autem factum est anno 1597. die sexta Mensis Junij, dum sederet Episcopus, & Princeps multùm Illustris, & Reverendissimus Com. Claudius Rangonus nobilis Mutinensis.

Quibus omnibus, vel partim interfuimus, & mutos illos allocuti fuimus, vel partim ab Episcopo, partim ab ipsis Patribus accepimus. Ex quibus omnibus præstat modò colligere ejusdem Gloriosæ Dei Genitricis admiranda quædam, quæ hoc, & sequenti anno subsecuta fuerunt, & diligentissimè per Curiam Episcopalem recognita, & in unum collecta.

Enumerantur selectiora miracula, quæ in Civitate Rhegij per merita, & intercessionem ejusdem B.M.V. ijsdem temporibus contigerunt.
C A P. XII.

FILIA quædam Marci de Marchis de Motâ nomine Sancta agri Carpensis ætatis annorum 25. muta, & surda à nativitate Rhegium adducta, & impensiùs Deiparæ Virginis auxilium invocans, die 30. Augusti circiter tertiam noctis horam audiendi, & loquendi impetravit facultatem.

Muti, & Surdi sanantur.

Cathatina uxor Magistri Marci Ferri de Bononiâ ob gravem morbum muta per quadriennium effecta, & membris penitus destituta, audiens quæ fiebant Rhegij miracula, voto B.V. in die omnium Sanctorum se commendans, continuò recipit loquelam, membrorum motum, & integram sanitatem.

Alexander Ressanus de Bagnolo ditionis Mantuanæ, viginti uniusanni, à nativitate mutus, ab amicis, ut ad B. V. de Rhegio præsidium confugeret admonitus, ipsorum consilijs libenter annuens, nocte sequenti in somnijs sibi videbatur loquendi facultatem adepturus esse, quare mane consurgens, & ante quandam hujus Deiparæ Virginis imaginem devotissimè orans, die 12. Aprilis rectè, ut cæteri hominum, locutus est.

E Franciſchinus Francisci Lanzoni, annorum 16. mense Decembri gravi infirmitate oppressus, per duos menses stultus, & elinguis remansit, quando ab ejus Matre B. V. voto emisso, die sequenti verba faciendi facultatem consecutus, evasit sanus.

Agnes uxor Andreæ Bonvicini de Parmâ oculis capta jam duodecim, & amplius annos in perpetuâ nocte mœstam trahebat vitam; audiens autem in die Pentecostes Concionatorem narrantem mirabilia, quæ Rhegij B.V. intercessione fiebant, toto corde Matri gratiarum se commendavit, & statim videre aliquantulum cœpit, & die Lunæ sequenti oblatâ illi papyraceâ hujus Virginis imagine, denuò enixiùs opem illius implorans, & Rhegium voti causâ profecturam spondens, illicò perfectè lumen oculorum recepit.

Cæci sanantur

F Baptista Camparinus de Sesso filium habebat ætatis annorum sex, oculorum infirmitate adeò detentum, ut eos nec aperire, nec claudere absque ingenti dolore valeret. Die Parasceves illum B. Virgini Rhegium deferendum vovit, & die sequenti meliùs se habere præsensit, donec in festo Resurrectionis D.N. penitus liber evasit.

Stephanus quondam Christophori Talliavicini de Castro novo Diœc. Parmensis, anno præterito, altero oculorum orbatus remanserat, & unà cum maximo interiori dolore cruciatus, donec mense Majo Dei, & Matris opem Rhegij deprecatus, repentè discussis tenebris, optatam recepit lucem.

G Utriusque oculi cœcitate laborans Bartholomæus quondam Pasqualis de Gosiis à Casali majore, delatâ illi hujus Virginis imagine die Corporis Christi, dum Sacræ Missæ interesset, Deiparæ clementiam exorans, oculo dextero vidit Calicem à Sacerdote in altum extolli, & tandem Rhegium proficiscens mense Augusto, ut vota solveret, integrè visum recepit.

Angelus Joannis Antonij de Pizzis à Rhegio 18. mensium infans, fortè super candelam accensam cadens, alteru oculo orbatus remansit, pluriesque Medicorum remedijs frustra tentatis, positâ super illum à Genitoribus hujus B. V. effigie, die sequenti sanus, & videns inventus est.

H Idem accidit Franciscæ quondam Joannis Spetoli de Bononiâ, quæ bonæ spei plena votis persolutis oculorum sanitatem recepit.

Pari quoque modo evenit Margaritæ Joannis Vaccarij Curto Saxoli annorum 22. à nativitate adeò cæcutienti, ut nullibi absque ductore ambulare posset; hæc à Genitoribus Rhegium adducta maximam in B.V. spem reponens, & votum iterum Sacram Ædem adeundi precibus adjiciens, integram oculorum lucem hausit.

Gravi trium mensium morbo oppressus Faustinus quondam Horatij Montanarij lumine oculorum privatus fuit, qui B.V. se devovens, ab omni infirmitate convaluit.

Mar-

Margarita puellula ludens cum fratre suo Francisco, altero oculorum fortuitò privata fuit, quæ à Patre Francisco Maduello ab Arco B. V. de Rhegio commendata, sequenti die pristinam oculi lucem obtinuisse inventa fuit.

Marcus Antonius Bortesius de Mantuâ amborum oculorum plures annos usu captus, die 18. Septembris cœlesti auxilio implorato, pristinæ luci, ope Deiparæ Virginis, restituitur.

Clara uxor Thomæ Scalni de Pegugnogâ ditionis Mantuanæ lumine unius oculi orbata, frustra humanis tentatis remediis, Luciæ matris voto, mense Septembri à B.V. sanitate donatur.

Hieronymus unius mensis infans filius Pauli Tosij de Massâ Romandiolæ, voto B. Virgini à Genitore commendatus, lumen oculorum, quod amiserat, mense Julio recuperavit.

In nativitate S. Joannis Baptistæ idem obtinuit Joannes Dominicus Rancianus de Valedo ditionis Veronensis.

Membris attracti sanatur. Magdalena uxor Julij Venturij de Rhegio quatuor annis omnibus capta membris, incurabili immobilis perpetuò jacens, naturalia remedia perperam experta, B. Virginis bis se devovens, posterâ die ipsamet incolumis assurgens in Templum venit, ibique innumeras Deo agens gratias, vota persolvit.

De his similibus Claudis per integrum biennium pristinæ sanitati ejusdem B.M.V. intercessione restitutis, ad numerum duorum & triginta, plura habentur in Libello inferius citando.

Casu moribundi sanatur. Joannes Maria Montarus de Oppido Cellæ Rhegij ab altitudine Turris circiter quinquaginta brachiorum ceciderat die primâ Augusti, & pro mortuo ab astantibus habitus fuit, quibus illum B. V. devoventibus, post horam unam loqui cœpit, & spatio quatuor dierum sanus evasit.

Parem in pari periculo B. V. opem experta fuit Paula filia Michaelis Mantua de Rhegio ætatis annorum duorum, quæ die Assumptionis B.M.V. in terram cadens ab altitudine 25. brachiorum in cunâ mortua jacuit ab horâ 20. usque ad decimam sequentis diei, quâ Genitores B. Virgini devoventes, statim redivivam termino trium dierum prorsus incolumem receperunt.

Catharina filia Davidis Levaloris civis Ferrariensis ætatis annorum quinque ab altitudine pedum 22. in præceps acta, ad ultimū periculum venerat, & omnes amiserat sensus, & dum à Genitoribus potius de Sepulturâ agitur, quàm de remedijs, ab ancillâ voto astricta, quam etiam cadentem avunculo commendaverat, post votum respirare cœpit, quod biduo non fecerat, & brevì convaluit.

Catharina uxor Gasparis Zucconi Bononiensis à gravissimo morbo oppressa, & desperatâ à peritissimis Medicis ejus corporali
A salute, voto Rhegium ad B.V. se deferri pollicita, 17. die Julij promissa persolvens fiduciæ plena, etsi eo in statu versaretur, in itinere febris cessat, morbus abscedit, donec ante imaginem posita ferventiùs orans, pristinam recuperat sanitatem.

Thadæa de Coccapanis de Carpio febri mortiferâ correpta, quindecim integros dies omni cibo, & potu caruit, quare oculorum luce orbata, Medicis actum esse de illâ confestim pronunciantibus, & dum extremis Sacramentis jam munita cum morte conflictaretur, Franciscus ejus filius positis genibus B.V. de Rhegio, cujus imaginem jampridem Matri ostenderat, opem implorat, supplicationi votum addit, plurimùm spei in Deiparæ be-
B nignitate reponens, voti pro Matre fit compos, nam, mira res, repentè cibum expostulat, visum recipit, à periculo eximitur, paucisque diebus persanatur.

D. Hippolytus de Guidis civis Rhegianus Bononiæ ad mortem infirmatur mense Septembri, & dum agit animam toto corde hujus B. V. auxilium invocat, nec spe frustratus, brevì convaluit, & Virgini gratias egit.

Parem sanitatis gratiam obtinuit Sancta quondam Baptistæ de Villâ Brixianâ, quæ morti proxima B.V. se commendans, brevì incolumis evasit.

Julia quondam Raphaelis Pariseti de Rhegio ætatis annorum 12. à nativitate varijs languoribus oppressa, sed duobus extremis an-
C nis ita deterior facta, ut à Medicis penitus destitueretur, Matris tamen voto B. Virgini commendata, quinque dierum spatio à mortis periculo, & ab omni infirmitate libera convaluit.

Isabella filia Domnini à Monticulo, cum esset infirmitate detenta inter maternas ulnas spiritum exhalavit, quam exanimem pia mater B. V. supplex commendans illicò sanam recepit.

Æmilius Bortolotus de Rhegio imbrice in capite percussus, semianimis in terram cecidit triduo sensibus caruit, cum morte colluctatus, ac tandem extremâ unctione communitus, à proximis fœminis gratiarum Matri de Rhegio commendatus, quarto die oculos
D aperuit, vota confirmans, brevì pristinæ incolumitati restitutus fuit.

Jordanus Hieronymi de Georgijs de Rhegio perpetuâ quindecim dierum mortiferâ febre correptus, extremam sibi diem adesse sentiebat, quando Patris voto B. V. clementiâ imploratâ, meliùs haberi cœpit, & die sequenti cumulatum sanitatis consecutus est beneficium.

D. Doctor Passi à Saxolo Rhegij è vehiculo excussus capite in terram eliso, mortuus omni sensu caruit, cujus ruinæ avunculus miseratus B.V. pro eo opem invocavit, qui statim redivivus, & 24. horarum spatio pristinæ sanitati restitutus fuit.

D. Fran-

D. Franciscus Castiloneus de Mediolano gravi capitis vulnere percussus, dum à Medicis desperatur de ejus salute, & de omnibus Sacramentis de more communitur, à Confessario, ut B.V. de Rhegio, cujus imaginem præ manibus habebat, intercessionem suppliciter invocaret, admonitus, libenter annuit, statim à febre liberatur, & in Sero Medici plagam aspicientes de meliori statu sunt admirati, & brevi sanus effectus, B. Virgini gratias egit.

Bianca filia quondam Joannis Ferrarij de Ferrariâ ab altitudine 16. brachiorum super lapideum stratum præceps die 11. Junij cadés, ubi mortua per dimidium horæ manens à Leonorâ ejus filiâ B. V. commendata, & super lectum delata revixit, & brevi sanatam se præsensit.

Joannes filius Dominici Vannini de Rhegio ætats 32. mensium in rivulum aquarum plenum cecidit, quem labentem fortuitò è fenestrâ videns Raphael de Campignis B. V. commendavit, & ipse cum alijs accurrens super aquas supinum natantem procul à loco circiter sexaginta cannarum spatio invenit, & ab Alberto Salvacio Molitore recepit, qui in profundum alveum se projiciens, à profluente incolumem extraxit, matrique dedit, quæ B. V. liberatrici gratias retulit pro nati salute.

Petrus filius unicus Ioannis Baptistæ Bettini de Ferrariâ annorum ætatis 12. morti proximus, sensibusque jam privatus à parentibus Deiparæ V. voto oblatus, de repente loqui cœpit, & brevi sospes Rhegium adijt, & B. M. suam liberatricem impensè salutans, grates laudibus miscuit, miraculumque prædicavit.

Uxor Josephi Manphredini de Utino partûs doloribus afflicta, & semiviva innuens, ut sibi daretur imago hujus B.V. vix illam devotè osculata, & in sinu repositam, filium prosperè in lucem edidit.

Anna uxor Iulij Cæsaris Locatelli de Rhegio integros tres menses fætum mortuum in alvo portavit, tandem vehementibus adeò doloribus invasa, neque illum valens emittere, pro mortuâ à Medicis, & Obstetrice judicata fuit: quare pia mulier effigiem B. M. V. de Rhegio accipit, illam osculatur, super pectus ponit, vota precibus adjungit, haud dubia assequendæ salutis, quibus peractis, statim filiam mortuam edidit, & ipsa incolumis remansit.

Frater Augustinus Carmelita febri ardentissimâ laborans, sensibus amissis, Sacrisque expiatus, morti, quàm vitæ proximior ab Avunculo Rectore Parochialis S. Catharinæ de Colognano voto B. Virginis addictus, altero die pristinam recuperavit sanitatem.

Agnes filia Antonij Berni de Barbo Diœc. Placentinæ ætatis annorum 12. tali morbo fuit oppressa, ut per duodecim dies neque loqui, neque audire valuisset, & dum eam mori credunt, a Patre coram quadam papyraceâ hujus Virginis imagine pro eâ voto emisso statim meliùs habere cœpit, & brevi ab omni infirmitate libera fuit.

Thomas Seghitius de Rhegio è fenestrâ altitudinis viginti circiter brachiorum præceps in terram corruit, quem peramplius unius horæ spatium exanimem, & veluti mortuum affines lachrymis prosequebantur, qui tamen ipsum B. Virg. commendantes, brevi sanum absque aliquâ corporis læsione receperunt.

David de Bedijs Rhegianus elephantiæ morbo oppressus, nervisque adeò attractis, ita ut sine baculo moveri non posset; Deiparæ Virg. opem implorat, & post quatuor, aut quinque dies integram sanitatem assecutus est. *Leprosi mundantur.*

Eodem infirmitatis morbo quatuor annis laboravit Angelus Maria Gh'dus de Rhegio, cujus precibus Mater Dei libenter annuens, illi apparet obvia eâ in formâ, quâ illic colitur, & cito sanandum fore, ut rei eventus probavit, asseruit.

Eandem sanitatis gratiam consecutus fuit Octavianus de Oliverijs à Colorno die 25. Maii.

Sicuti etiam Livius Castrus de Rhegio, qui leprosus integrum lustrum, & in lecto per novem menses jacuerat, quique auditis gratiarum miraculis (id enim accidit in principio horum signorum) B. Virginis auxilium implorans, brevi voti compos factus fuit.

Angela Moronia de Mediolano per 20. annos immundis spiritibus obsessa Lauretanam sacram Ædem adibat, quando ad tertium lapidem extra Rhegium perveniens, vehementiùs se vexari præsensit Spiritibus vociferantibus, ne Civitatem ingrederetur, alioquin se ex illo corpore fore egressuros; attamen Urbem ingressa, coram Sacrâ imagine per duas horas ferventiùs preces effundens, ab illâ spirituum vexatione libera remansit. *Energumeni liberatur.*

Alexander Hieronymi de Torricellis à Rhegio puer ætatis annorum undecim ab eisdem spiritibus per quatuor annos integros dirissimè vexatus, coram sacrâ imagine sistitur, & incolumis evadit.

Constantia Guidi ex villâ Mutilenâ agri Rhegiensis teterrimis Dæmonijs per duos annos varijs modis vexata, adeò ut extremis etiam Ecclesiæ Sacramentis munita, mori crederetur, B. Virginis opem ex præcordijs implorat, & ab omni infirmitate curata est.

Victoria filia Bartholomæi Gubbi de Rhegio ætatis quatuor mensium gravi infirmitate afflicta, & ab Exorcistis energumena cognita, à Nutrice Deiparæ Vigini commendata, paucos post dies incolumis evasit.

Catharina uxor Joannis Columbatij de Pallidano agri Mantuani, quo die Matrimonio juncta est, maleficijs oppressa, tota contracta, & omnibus membris capta remansit, acerbissimis insuper discruciata doloribus, per quindecim dies nunquam quiescere passa est, nisi

eo

eo tempore, quo B. Virginis effigiem papyraceam super se teneret, cui totis visceribus se commendans mensis unius spatio sanitatem obtinuit.

Maria filia Baptistæ de Versoâ Diœc. Bergomensis desponsata Josepho Gifmini nuptiarum nocte adeò maleficijs involuta fuit, ut etiam à Dæmonibus vexaretur; quos cruciatûs sex integros annos perpessa, sæpe exorcizata, B. Virgini se commendans, à quâ per visionem, ut Sacrum ejus Templum Rhegij adiret, admonita, si libera evadere desideraret, quò perveniens, non tantùm fit voti cōpos, verùm etiam fecundò B. V. apparitione dignata fuit.

Pecuniæ in Crumenâ augetur. Nicolaus Langones Gallus cursor Ducis Lotharingiæ Rhegio transiens Romam vetsûs B. V. delubrum invisit, & nummum aureum unum, quem tantùm inter alias pecunias habebat in capsellâ, pro eleemosynâ largitur: volens autem Cauponi pro prandio satisfacere alium nummum similem in crumenâ adinvenit, & certò sciens alium non habuisse, miratur, id patefacit, pro miraculo habetur, ad Officium Episcopatûs vocatur, res in judicio excutitur, & jurejurando deponit unum tantùm habuisse nummum aureum, illumque pro eleemosynâ elargitum fuisse; capsula aperitur, & in eâ invenitur nummus, ubi cum aliqui adessent aureum nummum miraculosum ab advenâ exquirunt summis precibus, pro eo teddere æquivalens, & ampliùs promittentes, ipse verò absolutè negat, etiamsi centum aureos illi appendissent.

Camillus Branchinus aliàs B. V. auxilium expertus, cùm esset 80. aureorum debitor, nec ei esset unde solveret, fugam, ut decoctor, arripere volebat (etsi ei gravissimum foret liberos, & uxorem relinquere:) quare nocte, quâ secedere statuerat feriâ fecundâ Resurrectionis D.N. excubias ante Virginis Templum egit impensiùs illius opem implorans, cui gratiarum Mater per visionem jussit, ut formam hujusmodi imaginis incidere, & sub torculari effigies edere curaret, & ex pretio non tantùm pro solvendis debitis, sed etiam pro familiæ alimentis perceptumm fore speraret, sicut omnia rei eventus probavit, & hæ fuerunt priores imagines impressæ.

Hæc igitur ex multis, & ferè innumerabilibus selectiora miracula ad ejusdem Reginæ Cœli in Civitate Rhegij meritorum majestatem comprobandam cuicunque posse sufficere arbitramur. Neque enim in cæteris supra nonaginta Lectorem ulteriùs temorandum duximus. Contigerunt hæc, quæ conscripsimus unico tantùm annorum biennio, præter illa, quæ ulterius subsecuta sunt. Si quis verò de his omnibus certior fieri cupiat, perlegat Alphonsum Isachium in libro, quem edidit Rhegij anno 1619. in quo singula hæc, & alia plura de Sacratissimâ hac Imagine conspicere poterit.

A *De Translatione B.P.N. Joachimi Senensis.*

CAP. XIII.

Januarij Kalendæ sequentis anni vix præcesserant, quando vel fortuitò, vel Divinâ providentiâ permittente incendium accidit Senis in Ecclesiâ nostrâ sub majori Arâ, pro quâ necessarium fuit veneranda B. P. N. Ioachimi ossa transferre. Nam P. Bartholomæus de Senis illius Ecclesiæ Parochus volens expurgare vasa, in quibus Sacrum infirmorum oleum continebatur cum plurimis globulis bombacij, seu de Cotonio, seu bombacio in cinerem convertendis, & in Sacrarium proijciendis, prædicto incendio occasionem præbuit; cùm autem Sacrarium præ-B dictum quibusdam pervetustis lignis sustentaretur ab antiquo tempore, facilè fuit, ut ex aliquâ igniti illius bombacij, seu Cotonij scintilla incenderetur, unde tota Ara, quæ super ligneam illam contignationem sustentabatur, sequenti nocte corrueret, ac proinde arca lignea, in qua B. Joachimi ossa ab annis ducentis nonaginta duobus sub eodem Altare continebantur, proximâ combustione læderetur. Quamobrem Patres sequenti nocte ad Matutinum surgentes, totam Ecclesiam fumo, & fœtore plenam invenientes, magno fuerunt terrore perterriti, & deprehensâ Altaris ruinâ, maximo mœrore consternati, quòd vererentur ossa B. Joachimi ex illo incendio fuisse in cinerem conversa, cùm tamen nullam ex eo igne læsionem passa fuisse depre-C hendissent, quod per universam Civitatem Senensium maximum fuisse B. Joachimi miraculum prædicabatur. Interea M. Christophorus Galganus Prior de restaurandâ Arâ, ac subinde purgandis, transferendisque ossibus Beati cum D. Ascanio Piccolomineo Archiepiscopo consilium init, & statim die fecundâ Februarij præparatis, quæ pro tantâ solemnitate opportuna forent, ad ejus celebritatem in die Purificationis Beatissimæ Virginis post Vesperas solemni pompâ deventum fuit, præsente Senatu, & Populo, ac D. Mario Cosciâ Canonico, & Vicario pro eodem D. Archiepiscopo assistente veneranda ossa B. Joachimi in plumbeam arcam eodem in marmoreo tumulo condita fuerunt sub eâdem D Arâ. Hæc dum agerentur, campanis, & tubis, atque organis pulsantibus, magnus energumenorum, qui ad solemnitatem advenerant, strepitus, & clamor cum horrendis stridoribus Dæmonum per Ecclesiam auditus fuit; ex quibus multi ad solum tactum Beati fuerunt protinus liberati. Inter eos verò fuit quædam mulier nomine Catharina famula cujusdam nobilis de Manduliis, quæ cùm inter aliarum Fœminarum catervam, ad venerandum illud caput, osculandumque accessisset, statim deprehensa fuit maligno quodam spiritu laborare, qui nunquam antea se manifestaverat; etenim ad Aram accedens *Energumeni multi in Trâslatione B. Joachimi sanantur.*

 con-

contorqueri, guttur inflari, spumas evomere, & stridores emittere cœpit, quin & maledicere, & in B. Joachimum blasphemias effutire, donec infelix mulier cunctis admirantibus super terram semianimis elidit ur. Aderat prope Altare præfatus D. Vicarius cum multis Canonicis, aderat & Sanctæ Inquisitionis Commissarius, aderant Patres nostri, quorum unanimi consilio M. Christophorus Sacris indutus, & qui caput B. Joachimi præ manibus gestabat, ad energumenam illam accessit, Sacrum caput superimposuit, quo tacto mulier per aliquod spatium assurgens se à maligno spiritu liberam præsensit; & B. Joachimo gratias egit. His peractis, & Sacris reliquiis in eâdem capsulâ plumbeâ, ut dicebatur, reclusis, apposita etiam fuit ibi vita ipsius M.S. quam olim Nicolaus Burghesius de eo composuerat, & insuper pergamenum declarans per publicum Notarium, quæ gesta, & à nobis enarrata sunt. Illud etiam non videtur silentio prætereundum, quod ipsius B. Joachimi translatio, qui tantopere gloriosam Virginem coluerat, qu q ; e rantæ puritatis fuerat virgo perpetuus, in die Purificationis ejusdem celebraretur: quâ etiam die post completam translationem multi viri, multæque fœminæ ex nobilioribus Senensium certatim curarunt apud se habere de fragmentis, & frustulis illius perantiquæ arculæ, in quâ sanctæ illæ reliquiæ tamdiu jacuissent, unde & qui acceperunt nonnullas inde gratias, & favores per merita B. Joachimi affecutos fuisse postmodum attestati fuerunt. Hujus Sanctæ Translationis occasione non videtur dimittendum, quod nuper circa illius familiam à fide dignis accepimus. Quod enim B. Joachimus à Pellacanorum familiâ prodierit, non ita compertum hactenus habetur, ut vice versâ non possit dici, & satis probabiliter demonstrari à nobilissimâ potiùs Piccolomineâ stirpe ortum duxisse: probatur enim ex antiquis monumentis Senarum genus Piccolomineum suas Ædes antiquitùs habuisse ubi nunc est Ecclesia, & Cœnobium Servorum, quin etiam antiquitùs locum fuisse dictum à quodam Piccolomineo viro strenuo, qui dicebatur Montonus *Castrum Montoni*. Ac insuper usque ad hanc nostram diem familiam circa Cœnobium nostrum quasdam antiquas Ædes possidere, & inter civiles discordias sæpe ad Cœnobium nostrum confugisse; monumenta suarum Scripturarum, de quibus aliqua pars adhuc in nostro Archivo superest, commendasse. Quæ quidem omnia veterem quandam illius familiæ erga nostrum Ordinem propensionem, fiduciam, & familiaritatem intrinsecam, ac quodammodo affinitatem indicare videntur, unde possit argumentum quoddam sumere opinio illorum, qui B. Joachimum non de Pellacanis, sed de Piccolomineis arbitrantur. Ad hæc consuevit hæc familia ab Atavis per generationes singulas Claramontensis (hoc nomine voca-

De B. Joachimi familia quaritur.

E batur in seculo B. Joachimus) nuncupatione plures è suis contribulibus vocare, & præsertim existente adhuc puero B. nostro Joachimo, inter monumenta illius familiæ reperitur quidam nomine Claramontensis, unde facilè conjici possit eumdem Beatum fuisse. Quin & multos in ipsâ familiâ per singula tempora nomine Joachimi consuevisse vocari reperias. Quod ad conservandam B. Joachimi memoriam, & devotionem in propriâ familiâ quis non apertissimè fateatur? Unde verò præteritis temporibus in vulgus prodierit B. Joachimum fuisse de Pellacanis, nec ipsa familia, vel per minimum vestigium, ut ajunt, insinuare valuit, nec Claramontensem quempiam ex eâ ortum habuisse demonstrare, nec nomen Joachimi aliquem ex suis hactenus F gestasse, ostendere potest; nisi fortè error quidam ex veteri illâ scribendi barbarie irrepserit inter Scriptores, ut loco familiæ Piccolomineæ, seu de Piccolomineis, scriptum fuerit, per quandam utriusque nominis analogiam, Pellacana, & de Pellacaneis, quæ cùm obiter à nobis hoc loco transposita sint, clarius, & veriùs posteritati perscrutanda relinquuntur. Per hæc eadem tempora accidit in Oppido Marradi, ut mulier quædam nomine Maria uxor Camilli de Guerrinis in maximo discrimine constituta, atque B. Virginia Annunciatæ illius Ecclesiæ nostræ sese devovens, protinus liberata fuisset; cùm enim intempestâ nocte per tonitrua, & fulgura excitaretur à somno, & tota contremisceret do- G mus, ad fenestram expavescens, & tremebunda cucurrit, ut eam obstrueret, sed repentino casu contigit, ut toto corruente pariete, illa ab altitudine multorum brachiorum inter saxorum ruinas super viam caderet, & obruta lapidibus, ab omnibus collisa, & mortua crederetur: sed quæ nomine vocabatur Maria, in eo casu se Mariæ commendans (obstupendum dictu) sequenti mane ex illâ maceriâ incolumis detracta fuit, & Annunciatæ de Marradio gratias egit, votum solvit, & tanti casûs tabulam apposuit.

NOTÆ.

H [Quod B. Joachimus è Piccolomineâ Familiâ fuerit colligere licet non ex ijs modò, quæ scribit hîc Gianius, ac probat, verùm etiam ex ijs, quæ diximus ad annum 1273.]



In Capitulo Generali Romæ M. Angelus Maria Monturſius de Florentiâ Sum. Pontif. juſſu invitus eligitur 40. Generalis Servorum.

C A P. XIV.

TEmpore generalium Comitiorum accedente, quæ Summus Pontif. conſultò Romæ haberi juſſit, non decerant ex varijs Provincijs, qui diverſos Patres ad officium Generalatûs ſuis ſuffragijs proponerent: unde æmulationes multæ inter primarios, & diſſidia non parva ſucceſſerant, quorum ratione Lælius Generalis Romæ in magno diſcrimine verſabatur. Neque deerant pro inhiantibus ad illum Magiſtratum externi favores Magnatum, & Principũ, itaut ſæpè & D. Protectoris, & Clementis VIII. obtunderentur aures. Ex alterâ verò parte Summus Pontifex pro ſuâ clementiâ, & bonitate Fratrum reformationi potiùs, quàm quorundam optatis, intendens, & quadam diligenti indagine clam explorans quiſnam ex noſtris Patribus optimæ ſuæ intentioni exequendæ aptior exiſtimari poſſet: neſcio quo bono flamine, aut ſuaſione probi viri ductus, in unum M. Angelum Mariam Monturſium Florentinum, præter omnium expectationem, oculos, & animum conjecit. Degebat tunc M. Angelus Maria in propriâ Cellâ Conv. Annunc. de Flor. ab annis decem reclusus, & ab alijs Fratribus in arctiſsimâ pœnitentiâ, quam ſibi ſponte Superiorum ſuorum permiſsu delegerat, omnino ſejunctus, niſi quatenus conſueta obedientia illum ſuis majoribus ſubditum perpetuò retinuiſset. Hanc ſibi vivendi ſolitariam conſuetudinem elegerat vir probus, tum quòd ſemper fuiſset ſilentij, & ſtudij indefeſsus cultor, tùm maximè, quod poſt varia munera, & officia in obſequium aliorum, quod reliquum vitæ fuiſset, in Dei famulatum, animæque ſalutem tranquillo in portu ſolitudinis, & Spiritualium exercitiorum impenderet. In hunc igitur religioſum virum, quamvis ipſe penitus neſciri curaſset, nec talia unquam meditari potuiſset, Optimus Pontif. aciem mentis direxit. Quare cum Cardinali S. Severinæ Protectore clam conſilium aperuit, mandans ut Angelus Maria ad ſe Romam evocetur. Et quoniam abſente Lælio Generali, qui Romæ præpeditus erat, ſingula Provincialia Comitia oportebat per Vicarios Generales celebrare, D. Protector hanc occaſionem nactus literas patentes Florentiam Angelo Mariæ tranſmiſit, conſtituens illum Vicarium Apoſtol. Capituli Provincialis Thuſciæ, quod proximè habitum fuit die 14. Maij, & ut eo abſoluto Angelus Maria ſtatim ad Urbem proficiſceretur, Pontificis juſsu mandavit. Portò dies Capituli advenerat Kal. Junij, quando pridie Oratio 40. horarum in Eccleſiâ S. Marcelli ordinata fuit pro bonâ futuri

Angeli Mariæ ſolitaria vita.

Generalis electione, cui orationi totâ nocte,
A ut aliàs conſueverat, Angelus Maria meditabundus interfuit. Deinde Patribus in unum convenientibus adfuit D. Protector præſidens Apoſtolicus, & una ſecum Marcellus Veſtrius Apoſtolicus Brevium Secretarius. Peractis verò de more ſpiritualibus præludijs Capituli, & officijs Generalis, & Procuratoris vacantibus, ad electionem novi Generalis ventum eſt, & hi à Provincijs pro eo Magiſtratu aſſequendo propoſiti fuerunt. Patrimonij M. Antonius Fuccius de Burgo S. Sepulcri, & M. Deodatus Duccius de eodem Burgo ex Apoſtolicâ diſpenſatione, quòd priùs fuiſſet Procurator in Romanâ Curiâ. Romandiolæ M. Apollonius Painius de Bon. Lombardiæ M. Alexander Gianius de Scandiano, & Ar-
B changelus Tortellius de Parmâ. Marchiæ Tarviſinæ M. Hippolytus Maſſarinus de Lucâ. Venetiarum M. Gabriel Dardanus de Venetijs. Genuæ M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ. Neapolis M. Juannes Baptiſta Martus. Poſtremò M. Veſtrius, nomine Summi Pontificis ſequentes literas explicavit.

Bulla declarãs Angelũ Mariam Gen.

DIlecto Filio Angelo Mariæ de Florentiâ Ordinis Fratrum Servorum B. M. profeſſori, Sacræ Theologiæ Magiſtro ejuſdem Ordinis Priori Generali. *

CLEMENS PP. VIII.

** Eſt in ejus Regeſto Florent. in Conv. D. Ann.*

Ex iniuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis offi-
C *cio, ea potiſſimùm curare debemus, quæ ad ſacrarum Religionum in Eccleſiâ Dei piè, ſancteque inſtitutarum, proſperum regimen, & regularis cultûs augmentum maximè conducunt, quæque propterea ipſi in Domino aliàs conſpicimus expedire. Ad Ordinem itaque Fratrum Servorum B. M. qui in eâdem Eccleſiâ valdè celebris, & inſignis eſt, mentis noſtræ aciem convertentes, illiuſque Religioſos in profeſſionis, ac diſciplinæ ſuæ obſervantiâ fovere, & in dies magis, ac magis confirmare, atque augere cupientes, nihil ad eam rem conſequendam opportuniùs eſſe exiſtimamus, quàm ſi hoc tempore is demum dicti Ordinis Prior Generalis conſtituatur, in quo præcipua in Deum pietas, ſpectata vitæ, ac morum ſanctimonia, ſingularisque doctrina, &*
D *prudentia, cæterarumque virtutum, quæ Eccleſiaſticos, & Religioſos viros, eos præſertim, quos cæteris præeſſe oportet, maximè decent, preſtantia ita elucescat, atque emineat, ut ſuo exemplo non modò alios ad religionis ſtudium, & cujuſque virtutis laudem excitare, & inflammare poſſit; ſed etiam talem ſe in commiſſo ſibi munere obeundo præſtare debeat, ut in eo nihil prorſus, quod ad Religioſorum ſuæ fidei profectum, & rectam ſuſcepti officij functionem pertineat, aliquando requiratur. Quam ſanè ſpem cùm de inſigni tuâ probitate, regularis obſervantiæ zelo, eruditione, prudentiâ, atque integritate in pleriſque Ordinis muneribus abs te ſummâ cum laude geſtis ſæpius perſpectâ, jamdiù ani-*

mo conceperimus, eandemque in posterum consequentibus tuis in ipsum Ordinem meritis auctum iri planè confidamus. Idcircò Te à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, Te dicti Ordinis Fratrum Servorum Priorem Generalem, cum eisdem auctoritate, facultatibus, privilegijs, jurisdictione, honoribus, & oneribus Priori Generali ejusdem Ordinis in Capitulo Generali ritè, & rectè secundùm ejusdem Ordinis Constitutiones per secreta suffragia, ut moris est, electus fuisses, ad triennium proximum, usque ad alterius, novi nimirum Capituli Generalis, celebrationem; motu proprio, & ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione Nostrâ, Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus. Præcipientes tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut relictâ vitâ solitariâ, in quâ plerisque Religionis tuæ peractis officijs diù vixisti, munus Prioris Generalis huiusmodi prompto animo suscipias, atque illo diligenter, & solicitè fungaris; ac mandantes dilectis filijs universis, & singulis ejusdem Ordinis Diffinitoribus Generalibus, Provincialibus, alijsque Prioribus, seu Superioribus, cæterisque Fratribus ejusdem Ordinis, & specialiter Vocalibus in Capitulo Generali congregatis, ut Te in Priorem eorum Generalem eâ, qua decet, reverentiâ juxta tenorem præsentium recipiant, & admittant, tuisque salutaribus monitis, & mandatis humiliter pareant, & obediant. Alioquin sententiam, sive pœnam, quam rectè tuleris, sive statueris in contradictores, contumaces, & rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & Ordinibus Apostolicis, ac ejusdem Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare Magnum Bullâ aureâ, vel aliàs quomodolibet nuncupata, Ordini prædicto, ac illius Superioribus, & personis in genere, seu in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis earum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Maij 1597. Pontificatûs Nostri anno sexto.

M. Vestrius Barbianus.

Quibus publicatis proponitur primo loco pro Provinciâ Thusciæ M. Angelus Maria Monturtius Florentinus, non obstante, quòd ex Constitutionum decreto nullus posset proponi, nisi priùs in Capitulo provinciali fuisset approbatus, cui decreto Summus Pontifex pro illâ vice derogabat. Instauratis igitur suffragijs eorum, qui aderant numero 29. M. Angelus Maria electus fuit Generalis Servorum quadragesimus, qui jussu D. Protectoris è Cellâ eductus coram Patribus genuflexus multis pijs verbis, & lachrymis humiliter, & modestè tàm gravi oneri succumbere recusabat, & electioni de se factæ constantissimè renunciavit illis misticæ Sponsæ verbis usus: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quando D. Protector Sum. Pontificis jussu, in virtute salutaris obedientiæ, & quatenus opus fuisset, etiam sub excommunicationis pœnâ mandavit, ut Sigillum, & Officium reciperet. Ipse autem talibus devinctus, accepto Magistratu illis verbis D. Pauli usus fuit. *Mihi absit gloriari*, quod etiam postea in subscribendis literis habuit pro tesserâ, licèt etiam aliquando consuevisset subscribere, *Non nobis, Domine, non nobis*. Procurator In Curiâ electus fuit Mag. Gratianus de Perusio. Electores verò hi fuerunt, M. Aurelius Menochius de Bononiâ, Thusciæ Diffinitor. M. Dionysius Buccarellus de Flor. Prov. M. Augustinus Goruecius de Aretio, Socius M. Alexander de Flor. Patrimonij Diffinitor M. Marcellus de Perusio. Prov. M. Antonius Vivolus de Corneto, Socius M. Gabriel Pichius de Burgo S. Sepulcri. Romandiolæ Diffin. . . . . . Provincialis M. Adrianus Farinius de Bononiâ, Socius M. Archangelus Ballottinius de Bononiâ . . . . Lombardiæ Diffin. . . . Prov. M. Augustinus Gallus de Mediolano . . . . Marchiæ Tarvisinæ Diffin. M. Dominicus de Veronâ. Provincialis M. Orans Tassonus de Ferrariâ, Socius P. Bernardinus de Patavio. Venetiarum Diff. M. Gabriel Dardanus à Judaicâ. Provincialis M. Archangelus Picciolnius Venetus, Socius M. Sylverius Sandrinius de Valvasono. Mantuæ Diff. M. Gilbertus de Perusio, Prov. M. Livius Benzalius de Bononiâ, Socius M. Julius Antonius de Mediolano. Genuæ diffin. M. Hieronymus Astensis, Prov. M. Joannes Baptista de Castro novo, Socius P. Angelus Prela de Alexandriâ. Neapoli . . . . . Ex eodem Capitulo hæc emanarunt decreta.

Angelus Maria 40. Gen. Servor. eligitur

QUæ in Capitulo Generali Ordinis Servorum Beatæ Mariæ in Monasterio S. Marcelli Romæ celebrato de mense Junij MDXCVII. Præsidente Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Julio Antonio Sanctorio Cardinali Sanctæ Severinæ tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Sanctissimi Domini Nostri Papæ Majori Pœnitentiario, ejusdem Ordinis Generali Protectore, R. Pat. & Diffinitores Generales: assentientibus per secreta suffragia Prioribus, ac Socijs Provinciarum, & reliquis Vocalibus Capitulum

tulum Generale repræsentantibus pro reformatione status, & morum sui Ordinis decreverunt, & constituerunt.

1 Nos Prior, ac Diffinitores Generales &c. Præcipimus omnibus Prioribus Ordinis nostri, ut quandocunque ex ordinario Breviarij Romani Officium Beatæ Mariæ semper Virginis non est recitandum, nihilominus submissiori voce persolvatur conventualiter ab omnibus in Choro, vel Capitulo ante, vel post officium; prout ipsi expedire judicaverint.

2 Quandocunque verò Capitulum congregatur, sive pro culpis corrigendis, sive pro negotijs Conventûs tractandis, vel etiam pro adhortatione ad bonos mores, & disciplinam regularem; in initio semper Spiritûs Sancti auxilium invocetur cum versu, Emitte Spiritum tuum, &c. ac oratione, Deus qui corda fidelium, &c. Postulatâ etiam intercessione Beatæ Mariæ Virginis, cum Oratione, Concede nos famulos tuos, &c. Compleaturque Capitulum cum gratiarum actione, versu Non nobis Domine, orationibus, Deus, cujus misericordiæ non est numerus, &c. & Actiones nostras, &c. Eadē invocatio, & gratiarum actio adhibeatur in quacunque Congregatione, licèt pluries in die repetitâ, vel Diffinitorum in Capitulo Generali, & Provincialibus, vel Discretorum in Capitulo Conventuali, neque unquam omittatur Psalmus, Deus misereatur, cum versu, Salvos fac servos tuos, & oratione, Deus qui culpâ offenderis, &c. In absolutione Capituli, quod sextâ feriâ tenetur, & cujuscunque alterius pro culpis corrigendis congregati.

3 In vigiliâ Conceptionis, Nativitatis, Præsentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ semper Virginis, necnon in die Veneris Sancti jejunium in pane, & aquâ servetur, neque Prior ullam ob causam cum toto Conventu dispensare valeat, quod tamen agere poterit cum aliquibus senioribus, & verè impeditis, quâ in re illius conscientiam oneramus.

4 Amplius, gratia nobis impetrata à Domino Nostro Sixto V. fel. me. per Illustrissimum Cardinalem nostri Ordinis Stephanum Bonuccium de Salutatione Angelicâ dicendâ altâ voce potissimum in initio cujuslibet horæ, & in principio Missæ, sicut de Antiphonâ Salve Reginâ &c. dicendâ in fine ejusdem Missæ, & Completorij, cum in aliquibus tantùm locis, & Conventibus sit recepta; ut uniformis sit omnium nostrum precatio, & Psalmodia, ab omnibus recipi, custodiri, fruique præcipitur.

5 Novitijs verò pro linguæ ornatu, elegantiaque sermonis interdum legi poterit aliquid ex operibus Marci Tullij, aut Sallustij, vel ex Cæsaris Commentarijs, additâ semper lectione ex Catechismo Romano. Prohibitis omninò Terentij, vel aliorum Comœdijs, atque alijs auctoribus, ex quibus mali mores hauriuntur: sed ordinariæ lectiones erunt ex sacrâ scripturâ, ut Dei cognitio, filialisque timor puris mentibus imprimatur, ac semper inhæreat. Quibus omnibus à R. Patre Generali in hoc Capitulo vivâ A voce mandatis, robur perpetuò valituræ Constitutionis tribuimus.

6 Præcipimus etiam omnibus Prioribus, ac Prædicatoribus verbi Dei, ne ullo prætextu, aut colore inter concionandum eleemosynas à fidelibus ficto nomine piorum locorum, vel miserabilium personarum petant, quæ deinde vel Prædicatoribus ipsis, vel Conventibus, vel alijs applicentur. Qui secus fecerint, Priores in pœnam privationis Prioratuum incidant, Prædicatores verò munere prædicandi careant per triennium.

7 Insistentes Constitutioni Ordinis in cap. 43. Declaramus non licuisse Prioribus Generalibus, Constitutiones easve totum Ordinem concernentes & propterea quæcunque à Generali- B bus, & specialiter à Rev. Patre Magistro Lælio statuta sunt pro reformatione Ordinis sub titulo Decretorum pro regulari vitâ rectè sanctèque instituendâ, cum ejus officio expirasse, & neminem ad ea observanda teneri.

8 Maturè verò consideratis ijs, quæ in præcedenti Generali Capitulo Butrij celebrato constituta fuerunt, illa cassanda, & annullanda esse censuimus, & annullavimus: verùm, ex eis, quæ disciplinæ, & statui regulari conducere judicavimus in melius reformata præsentibus Decretis inservimus.

9 Prohibemus in virtute salutaris obedientiæ omnibus Ordinis nostri Fratribus, ne de officialibus eligendis, seu deputandis quovis tempore cum secularibus etiam Cognatis, & propin- C quis, quicunque illi sint, pertractent, vel quomodolibet agant, aut ab illis consilium, aut favorem requirant, procurent, aut ambiant, quo ipsimet, vel alij ad officia Religionis assumantur. Quòd si aliquis, studio, operâ, vel favore Secularium ad aliquod Ordinis officium provectus fuerit, eo ipso, quo Superioribus Capituli, aut alicui, ex vocem in eo habentibus verbis, aut literis commendatus fuerit, inhabilis ne dum ad petita, verùm etiam ad alia quæcunque officia existat, & ijs etiam, quæ tunc obtinet, privatus activâ, & passivâ voce careat, & arbitrio Superioris etiam gravius carcere, vel alijs pœnis affligatur. Idem intelligatur, si quis remitti sibi pœnas, aut in aliquo Conventu poni de familiâ, aut ab eodem non D amoveri favoribus procuraverit.

10 Insistentes vestigijs aliorum Ordinum Regularium, qui omnes antiqua sua Insignia incorrupta retinent, Decernimus, ut stemmata, seu Insignia Ordinis nostri, quæ ab ipsis primordijs componuntur, literâ M. formâ Longobardicâ cum S. literâ medio ejus cruri circumplicatâ, & coronâ superpositâ cum subscriptione solitâ Ave Maria Gratia Plena, nunquam mutentur, neq; illis quidquam addi possit, neque ad Fratrum etiam Superiorum stemmata detorqueri, aut usurpari.

11 De excessibus gravioribus, aut gravissimis processûs per Superiores confecti, & sententia desuper latæ, necnon & acta visitationum

num

num non possint apud Fratres privates, licèt olim publico munere functi fuerint, custodiri, sed in qualibet Provinciâ deputetur in insigniori Conventu Archivum, seu locus tutus, in quo omnia præmissa reponantur, cujus custodiæ aliquis Frater præficiatur insignis integritatis, & bonitatis in Capitulo Provinciali deputandus, qui teneatur quandocunque opus fuerit, ex mandato Superiorum in scriptis facto, & non aliàs tradere copiam scripturarum suæ custodiæ traditarum, subscriptionique ejus de concordantiâ cum originali integra fides adhibeatur; ipse verò juret in manibus Generalis se fideliter custoditurum, & acturum quæ ad hoc officium spectant. Sint autem hujus loci tres claves, quarum una sit apud Priorem Conventûs, altera apud Procuratorem, tertia apud eundem scripturarum custodem, seu Archivistam. Archivum verò in Conventu S. Marcelli deputetur in Camerâ, quæ est supra Sacristiam, cui detur proprius ingressus, januáque tribus clavibus clausa permaneat, Quarum una penes Procuratorem Ordinis permaneat, ad quem pertinebit etiam regestum scripturarum custodire, alia apud Priorem Conventûs, tertia apud aliquem à Generali deputatum, & ad nutum ejus amovibilem servetur. Acta verò omnia, quæ in publicis Archivis reperta non fuerint, exceptis literis, processibus, & scripturis, quæ apud Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Protectorem Ordinis servantur, nullam omninò in judicio, vel extra illud fidem faciant.

12 Provinciales autem statim post cujusque Capituli celebrationem processus in præcedenti anno formatos, & sententias latas in dicto loco reponant, & Judices Commissarij à Generali, vel Provinciali deputati, cùm primùm officio functi fuerint, acta, & actitata coram ipsis similiter reponere teneantur. Omnium autem scripturarum fiat in libro aliquo authenticum Inventarium, in quo manu Provincialis, vel Judicis depositæ nominentur; teneaturq; custos illi petenti fidem de receptione in scriptis referre. Quòd si Custos aliquos processûs laceraverit, vel sustulerit, aut falsaverit, aut quomodolibet vitiaverit, vel exemplum sine mandato, ut supra, tradiderit, perpetuâ infamiæ sit notatus, vocéque activâ, & passivâ semper careat.

13 Nullus Fratrum possit à Secularibus, etiam propinquis pecunias mutuò accipere, sive merces, vel res, dilatâ solutione recipere, nisi de licentiâ Prioris, aut Provincialis in scriptis obtentâ, in quâ nomen personæ, à quâ pecuniæ, vel res accipiendæ sunt, illarumque qualitas, & causa, ob quam recipiuntur, exprimantur.

14 Decernimus etiam, ut id, quod expenditur à Diffinitore Generali, Provinciali, & Socio accessuris ad Capitulum generale, persolvatur ex publico à totâ Provinciâ, & de hujusmodi expensis prædicti vocales teneantur rationem reddere singillatim deputandis in futuro Capitulo Provinciali, quod servetur à vocalibus præsentis Capituli Generalis, quoad expensas ab eis factas pro decessu ad Urbem, & recessu ab eâdem, quæ pariter, prout decretum est, ex publico totius Provinciæ persolvendæ erunt.

15 Prohibemus Prioribus, Provincialibus, & alijs Superioribus quibuscunque, ne per tres menses proximè Capitulum Provinciale præcedentes Fratrem aliquem in sacris Ordinibus constitutum à Domo, in quâ Conventualis est assignatus, removeant, nisi scandali ratio significanda, & probanda Generali aliter suaserit.

16 Posthac nullus Baccalaureus in Priorem eligatur, quòd si electus fuerit, ac ipse acceptaverit, officiumque aliquo tempore exercuerit, ipso jure gradu Baccalaureatûs privatus existat. Nullus item Baccalaureus ad Magisterij gradum promoveri possit, nisi prius in studijs Ordinis sub Regentis disciplinâ, saltem per sex annos fuerit, & Sacræ Theologiæ operam dederit. Neque ullo prætextu liceat Priori Generali, licentiam de accedendo ad Generale Capitulum, & se examini subijciendo concedere, nisi ei, qui per dictum sex annorum tempus in loco studij, ut præfertur, Theologiæ cursum perfecerit.

17 Ad Capitula Provincialia, quæ duobus proximè futuris Annis MDXCVIII. & MDXCVIV. celebrabuntur, conveniant Prior Generalis, sive ejus Vicarius, Diffinitor generalis, & Quatuor Diffinitores electi in proximè acto Capitulo Provinciali, à quibus Capitulum loco per Provincialem deputando habentur, ad quod præter suprascriptos nullus personaliter accedat. Sed Priores singulorum Conventuum per proprias literas, & Capitulum Conventuale seorsum à Priore per alias, à deputandis per ipsum, scribendas, teneantur statum, & necessitates sui Conventûs illis significare. Qui, cunctis maturè consideratis, ea omnia agent, quæ in Capitulo Provinciali agi, & tractari Constitutiones Ordinis decernunt. Quod verò ad Diffinitorium attinet nihil innovetur, sed in eo vocem habeant soli Provinciales, Socius, & Quatuor Diffiniteres Provinciales juxta Constitutionum præscriptum.

Anno autem Domini MDC. Capitulum Provinciale consueto more cum omnium in eo vocem habentium præsentiâ celebrabitur.

† Nos Jul. Ant. Card. S. Severinæ prædictus, ejusdem ordinis Prot. ac in ipso Capitulo Generali Apostolicâ auctoritate Præsidens supradicta omnia, eâdem auctoritate approbamus, & confirmamus.

Postero die viginti Baccalaureis assignata puncta, ab eis publicè in Ecclesiâ S. Marcelli recitata fuerunt, & declarata modo rigoroso, & ordine antiquitùs observato: horum alij pro maiori parte ad Magisterium admissi fuerunt, alij tamquam minùs idonei rejecti. Hæc Comitia multis studiosorum Juvenum, & eminentium Patrum publicis demonstrationibus cohonestata fuerunt, tùm in Ecclesiâ S. Marcelli, tùm in S. Laurentij in Damaso. Prædicaverunt in his Comitijs, Anselmus

Setthius

Præcones, & disputantes in comitiis Gen.

Setthius de Perusio, Appollonius Painius de Bononiâ, Antonius Vivolus de Corneto, Balthassar Bolognettus de Bononiâ, Marcellus Raphaellius de Perusio, Honorius Gemellius de Paduâ, Joannes Hieronymus Gamba de Ferrariâ, Eliseus Mazzonius, Felix Fumantius Florentini, Christophorus Galganus Senensis, Angelus Melioratus à Burgo S. Sepulcri, Archangelus Gianius in die Capituli Generalis, in festo Sanctissimæ Trinitatis, & per tres sequentes Dominicas, Illustrissimo D. Protectore mandante conciones habuit in prædictâ S. Laurentij Ecclesiâ, & si aliqui alij, non recolimus. Qui verò publicas concertationes habuerunt, quorum memoria suppetit, hi fuerunt, M. Theodorus Ripa de Mediolano, M. Valerius Seta Veronensis Regens Perusij, M. Petrus Syrus à Foro Pompilij Regens Mantuæ, Dionysius de Florentiâ, Petrus Franciscus Barberius de Placentiâ, Lucas Guarinius de Pisauro Magister Studij assistente sibi Magistro Archangelo Gianio Regente Florentiæ. Postremò M. Laurentius Picciolius de Florentiâ præclaram, & elegantem habuit orationem de laudibus Religionis, & Romanæ Urbis.

De Societate Habitûs Bononiæ renovatâ, & quomodo Angelus Maria Generalatûs officio coram Pontifice frustra abdicare contendit.

CAP. XV.

JAM ad pedes Summi Pontificis confortatus Angelus Maria Generalis magnum illud reformandæ Religionis facinus summâ cum fiduciâ aggressus, multis & à Clemente VIII. & à D. Protectore, atque ab ipsis de Congregatione reformationis instructus, ab Urbe discesserat, totum visitaturus Ordinem per Italiam, & extra per literas maximè ad Hispanos, quibus primum Vicarium suum M. Bartholomæum de Prato, deinde Christophorum Sancium Borgiam de Valentiâ confirmavit, omnes ad religiosam antiquorum disciplinam adhortans. Quare Florentiæ epistolam quandam etrusco sermone prius exaratam, ut à cunctis intelligeretur, edidit, quam D. Protectori nuncupatam per totam Religionem transmisit, & ita arguendo, obsecrando, increpando, cum omni patientiâ, & doctrinâ totam ferè hoc anno lustravit Servitanam familiam. Ut autem singulis tam magni corporis membris opportuna remedia adhiberet, à capite exorsus est, nimirum à Florentino Cœnobio; nam ibi præter consuetudinem, postquam per paucos dies, Locum Priore vacantem M. Archangelo Gianio, qui ejus vices gereret, administrandum commendasset, singulis Officialibus Loci constitutis, P. Bernardinum Ricciolinum Eremitam Senarij, non obstante Bullâ Gregorij XIII. de Magistris eo in Loco duntaxat creandis Prioribus, ex Apostolicâ Clementis A VIII. dispensatione, Priorem Cœnobij Annunciatæ eo consilio elegit, ut facilius uno Eremitâ duce nova Pontificis reformatio introduci posset. Quibus Florentiæ peractis, reliqua Ordinis loca absque aliâ morâ invisere exorsus est. Anno interea 1598 subsequente non minori ardore Angelus Maria alliciendis Secularibus ad Consortia S. Habitûs nostri, passim, & ubique invigilabat; adeò ut quemadmodum anno elapso pro Fratribus, ita nunc literas patentes pro singulis Sodalitijs more majorum evulgavit, singulis, qui Habitum deferrent, participationem bonorum Spiritualium communicans tenoris sequentis.

B F. *Angelus Maria Monturfius Flor. Sacræ Theol. humilis professor, & Prior Gener. Ordinis Servorum B. M. V. sub Regulâ S. Augustini, omnibus dilectissimis Christifidelibus utriusque sexûs, ubique locorum consistentis, præsentibus, & futuris, conscriptis, & in futurum conscribendis in Societatem Habitûs nostri, corde, & animo congregatam ad honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ, & ob memoriam dolorum, quos in morte unigeniti filij sui D. N. I. Christi sustinuit, salutem, & pacem in Domino perpetuam. Nemo est, qui ambigat, nos ab omnibus Cœlicolis, veluti Deo gratissimis, cœleste auxilium adipisci posse, verùm à Beatissimâ Cœlorum Reginâ Mariâ V. gratiarum, & misericordiarum Matre uberiùs obtinere valemus.*

Literæ participationis pro Societate habitûs.

C *Quare maximâ afficior lætitiâ, & vehementer unà vobiscum gratulor Fratres, & Sorores Habitûs nostri, quoniam optimo consilio, ac sapientissimè hanc Deiparam Virginem in vestram præcipuam Dominam, & Patronam elegistis: necnon inter eos connumerari, & admitti solicitè studuistis, qui in memoriam dolorum, quos in morte, & passione unigeniti filij sui sustinuit, nigrum hunc nostræ Religionis habitum reverenter deferunt, quem die 25. Martij 1239. in die Parasceves in Sacrâ Eremo Montis Senarij Patribus nostris cœlitus ostendit, & indui præcepit. Quamobrem, ut faciliùs, copiosiùsque Divinas gratias, cœlestesque thesauros impetrare valeatis in Dei misericordiâ confisi, ac Beatissimæ Virginis piâ intercessione, nostrorumque* D *Protectorum Augustini, Philippi, omniumq; Sanctorum, auctoritate Apostolicâ, quâ fungimur, vos omnes præsentes, & futuros prædictæ nostri Habitûs Societatis per universum Orbem constitutos in vitâ, & in morte, atque post obitum vestrum participes facimus, & consortes Missarum, Sacrificiorum, Orationum, Officiorum, prædicationum, jejuniorum, vigiliarum, studiorum, abstinentiarum, peregrinationum, laborum, & omnium bonorum, quæ ubique in toto nostro Ordine, Deo opitulante, à Fratribus, & Sororibus nostris per misericordiam suam operari permiserit. Volentes insuper, ut unusquisque vestrûm præsens, aut futurus, mortuus, vel vivus communicationi omnium Ordinis nostri*

stri suffragiorum, & beneficiorum admittatur, ut his nostræ Religionis auxilijs corroboratus, & confortatus, augmentum gratiæ Dei in hoc seculo, & in alio vitæ æternæ præmium impetrare, & consequi possit. In quorum omnium fidem has literas Sigilli nostri munimine, & manûs appositione confirmavimus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.

Datum Florentiæ in Conventu nostro Annunciatæ 5. Idus Februarij 1599.

Ita est. Ego Fr. Angelus Maria Gen. Serv.

Quarum literarum opportunitate multæ istiusmodi Societates temporum incuriâ intermissæ renovantur, quarum una, quæ posteris exemplo esse possit, non videtur silentio prætereunda. Quadragesimales conciones in F Ecclesiâ Servorum Bononiæ habuerat M. Archangelus Ballottinus, & præcipuè in festo cujuslibet Sabbathi de Beatiss mâ Virgine, cui & verbo, & exemplo se continuò fidelem servum exhibet, Sermones habuerat, necnon Bononiensem populum ad hujusmodi Habitûs devotionem excitaverat. Adveniente igitur die Parasceves, quando magis, ac magis, pro concione tormenta Crucis Christi recoluntur, omne genus passionum filij Jesu in Matrem Mariam convertit, & quas invicem passiones animi die illâ perpessa fuisset, devotissimè, & non absque ingenti animorum commotione, & lachrymis explicavit, & demum pro lugubri indumento, & quibus atratis vestibus pro funere dilectissimi filij sui uteretur, ab exordio narravit, quanque sui Habitûs memorandam speciem, & exemplar in suis servis, veluti quoddam suarum passionum memoriale perenne super Montem Senarium hac ipsâ die olim impetraverat. Peractâ demum concione populus statim cum primarijs Civitatis Sanctum habitum suscepit, quin & ipse Alphonsus Palleotus Urbis Archiepiscopus, qui se ejusdem Societatis perpetuum Protectorem exhibuit. Omitto cæteras ejus Sodalitij solemnitates, omitto sedulam præfati Patris curam, Capitulorum reformationem, publica charitatis officia in pauperes, & egenos; omitto speciales Indulgentias, omitto cætera multa, ex quibus possit unicum hujusmodi Societatum habitûs nostri educi exemplar. Interea Alphonso Estensi Ferrariensium Duce absque aliâ prole defuncto tota illa ditio ad Ecclesiasticam sedem devolvitur; hujus occasione Clemens Summus Pontif. Ferrariam cum Pontificio comitatu proficiscitur, & ibi per aliquot menses consedit, ubi præter alia, quæ gessit, adveniente è Germanijs D. Margaritâ Austriacâ solemnes nuptias ipsius cum Philippo Hispaniarum Rege honorificentissimè celebravit. Hæc dum Ferrariæ prosequeretur Pontifex, Angelus Maria Generalis lustratâ Religione, peractisque Provinciarum Comitijs, cùm vidisset ea, quæ è publicâ reformatione essent,

Archiep. Bononiæ induit Habitû Soc. B. M. V.

E non pro suo ardentissimo Zelo è sententiâ succedere, quin potius suggerente Dæmone multa sibi adversari, etiam ab ijs, qui optimam illius mentem fovere debuissent, exemplum B.P.N. Philippi secutus, quod ille coram Clemente Quarto, iste coram Clemente VIII. cogitavit officio abdicare, ut in pristinam suæ reclusionis tranquillitatem sese recipere posset: quare Ferrariam profectus est. Aderat tunc apud Pontif. pro Rodulpho Cæsare Raymundus à Turre Orator, cui familiariter diù à Sacris Inservierat M. Franciscus Bennius de Butrio, qui & pro Apostolicâ Sede inter Austriacos S. Inquisitionis officio fructuosè satis perfunctus fuerat; nam Hæreticorum alios suis concionibus, & hortationibus, alios justitiæ rigore, aut converterat, aut compulerat, aut punierat: quibus officijs & Raymundo intercedente permotus Pontifex, de suis optimis moribus ab Angelo Mariâ certior factus, Franciscum meritâ infulâ donandum censuit, & Episcopum Scalensem, ac Revellensem creavit. Aderat etiam apud Pontificem D. Mariarus à Camerino Cardin. cui in eâ profectione Ferrariensi D. Protector, qui in Urbe remanserat, Ordinis nostri vices suas commiserat. Apud hunc Cardinalem Angelus Generalis pluries conquestus fuerat, quòd parùm in administrando Ordine proficeret, & optimam Pontificis mentem minùs implere speraret, frustraque tempus in eo terere, satiusque sibi fore ad consuetam solitudinem Cellæ suæ reverti. Ingruebant enim G quotidie adversantium quorundam insultates, & querimoniæ in Generalem, adeò ut nonnulli petulanter disseminare non vererentur, Virum solitudini assuetum difficilè posse Rempublicam administrare, quin & Sanctum ipsius Zelum, ferventemque salutis publicæ mentem impudentissimè oscitantiam, & imprudentiam nuncupabant. Non deerant et &, qui sub specie fucatæ hypocrisis, quam prætexebant, simplicem, & bonum virum deciperent, & alijs ludibrio redderent; alij, qui nimiæ severitatis, alij qui nimiæ indulgentiæ culpatent: cùm tamen ex alterâ parte viri probatissimi ejus sanctum zelum extollerent, administrationem approbarent, & sibi à Deo datum optimum Pastorem agnoscerent. In H tanto itaque rerum discrimine fluctuans Angelus Maria die 24. Julij ad pedes Pontificis provolutus sigillum, & officium constantissimè deposuit, se ipsum tantis difficultatibus imbecillem, & tanto oneri inhabilem accusans, & multos alios ad illud officium proponens, quos magis idoneos judicabat, inter eos verò M. Philippum Ferrarium de Alexandriâ summis laudibus extulit, & ipsum præcipuè ad id munus obeundum commendavit. His auditis Pontifex comiter, ac blandè Generalem amplexatus, & dulci eloquio, ac rationibus plurimis cohortatus, & consolatus, nutantem ipsius mentem, ac vacillantem animum confortavit, & summâ auctoritate,

M. Franciscus de Butrio creatur Episcop.

ac

ac speciali benedictione roboravit, mandans ei ne ab incœpto desisteret, sed magis, ac magis pro suorum Fratrum salute eo in officio perseveraret. His denique consilijs, & jussionibus P. Generalis devinctus ferventiori studio ad suum officium animum appulit, & velut optimus vineæ procurator denuò operarios invises, torpentes excitabat, negligentes coercebat, ferventes confovebat, malos verò eijciebat; nam multos Priores, quòd sua mandata detrectassent, ac novam reformationem neglexissent, è gradu dejecit, quod etiam inter Præfectos Provinciales indifferenter animadvertit. Per eos pariter dies, Inicus Avolos Cardinalis Aragoniæ, qui Legatus de Latere vices Pontificis Romæ exercebat, & familiarem nostri Ordinis devotionem vespertinam Cantici *Salve Regina*, necnon Litaniarum Beatissimæ Virginis sæpè frequentabat, ideò perpetuam indulgentiam 40. dierum pro Litanijs, ac centum pro Salve Regina his, qui interessent, vel recitarent, pro qualibet vice ultrò concessit, prout ex ipsios literis Romæ datis die 17. Septembris, & 10. Decembris.

Indulgentia pro Salve Regina, & Litanijs B.M.V.

Angelus Maria Generalis omnem curam adhibet pro canonizando B.P.N. Philippo.

CAP. XVI.

INter decreta superioris Capituli Romæ celebrati unum illud jam executioni mãdaverat prudens, & pius Generalis, ut loco Comitiorum provincialium quædam paucorum Patrum dietæ fierent: id verò optimo consilio factum, ut quæ ex consuetis comitijs superessent pecuniæ expendendæ pro B. P. N. Philippi procurandâ canonizatione conservarentur, cui rei nos oculati testes fuimus, quibus contigit nomine ipsius Generalis duabus dietis præesse, scilicet Provinciæ Romandiolæ, & Mantuanæ. Non minori quidem zelo fervebat optimus Generalis erga Sanctorum Patrum nostrorum exaltationem, quàm viventium saluti, & morum reformationi intenderet. Animo quidem conceperat B. Philippi canonizationem totis viribus procurare, & à Tudertino Senatu exorsus, facilè impetravit, ut tota illa Civitas beatis illis Reliquijs valde propensa ad hoc munificum opus vires intenderet. Die igitur 29. Martij convocato Consilio deputantur viri prudentes, & nobiles, qui tam gravi negotio pro Tudertinâ Civitate ad nutum P. Generalis Servorum super canonizationem B. Philippi invigilent, & quæ agenda sunt publico nomine exequantur. Pari quoque solicitudine usus est Angelus Generalis Florentiæ cum Ferdinando Magno Etruriæ Duce, qui omnem suam operam, & auctoritatem pro Concive canonizando pollicitus fuit. Hanc eandem diligentiam cum cæteris Principibus Italiæ adhibuit, & magna futuri eventûs spe confortatus, singulis Præfectis Provincialibus, tum pro colligendis pecunijs, tum pro disquirendis quibuscunque monumentis, & charthophylacijs, in quibus quicquid posset reperiri, quod ad processum B. Philippi conduceret, id totum colligererur, & M. Archangelo Gianio transmitteretur, cui per literas Ferrariæ datas die 28. Aug. conscribendæ Historiæ ejusdem B.P. Philippi munus demandatum fuerat. Verùm super hæc omnia publicas preces, & orationes ad hujusmodi assequendum effectum per totam Religionem usque ad Sanctimoniales nostras edixit, & magnoperè commendavit. Qin & Ipsemet Religionem lustrando de miraculis, de gestis, de monumentis, de antiquis imaginibus, de Sacellis, Altaribus, Sodalitijs, ac Reliquijs ejusdem B. Patris diligentissimè perquisivit, & præcipuè in terrâ Raconisij parvum conflavit processum super quodam cingulo coriaceo ejusdem B. P. & quibusdam perantiquis Imaginibus. Huic piæ Generalis intentioni plurimùm etiam côducebat, quòd juxta decretum Prædecessoris Lælij Generalis multæ jam renovatæ, & constructæ essent Capellæ ad honorem B. Philippi per Ecclesias nostras, quarum occasione magna in populis devotio excitata fuerat, unde & miracula non pauca per eos dies secuta, & præcipuè Placentiæ, ubi Joanna Filia Angelæ ætatis annorum novem oculorum lumine ferè orbata, Matris voto ad Altare B. Philippi post sacrum peractum pristinum lumen ejus meritis, & intercessione obtinuit. Parem sanitatis gratiam in eadem oculorum infirmitate ibidem consecuta est Helena annorum ætatis octo, quam ejus Pater B. Philippo commendaverat.

Miracula B. Philippi

Tuderti quoque Alexandra uxor Joseph Catani correpta diris, & insuetis doloribus partûs, mortuum infantem edidit die 23. Decembris anno D. 1597. qui Obstetricis voto Matris nomine B. Philippo commendatus statim revixit, cui ob tanti facinoris memoriam à Genitoribus Joannis Philippi nomen impositum fuit.

Prope Ecclesiam S. Marci adest Monasterium S. Andreæ, in quo Sanctimoniales Franciscanæ degunt. Ibi Soror Angela Nicolai per annos tres integros in cubili jacuerat immobilis hydropisi oppressa, ad quam cum B. P.N. Philippi tunica veneranda deferretur, vix Sacerdos dormitorij gradûs ascendere cœperat, quando deturgescere visa est, & brevi convaluit, & id accidit ann. D. 1596.

Mense Junio an. D. 1597. Hortensia Leonia Tudertina extremâ unctione communita triduo animam egit, cui etiam eâdem tunicâ delatâ, & consuetis orationibus Dei auxilio per merita B. P. N. Philippi implorato ipsâ die melius habere cœpit, & sequenti super stratum sedit, comèdit, & convaluit.

Hæc admiranda postquam Tuderti contigissent, Summaripæ de Bosco Ditionis Pedemonta-

montanæ subsecuta est mors M. Alexandri Vinez, qui moribus, & doctrinâ præclarus Genuensem Provinciam bis regere meruit, bis Provinciæ Narbonensi Vicarius Generalis præfuit; apud Cistercienses Abbatiæ Mediolanensis Theologiam professus, Comes Palatinus declaratus; & quod non prætereundum est Gregorio Alasiæ non sine magnâ spe V. Kal. Maij die Sabbati ann. D. 1596 Religionis Habitum dedit anno ætatis suæ 18. Appositus autem fuit cum cæteris Patribus in Ecclesiâ nostrâ Summaripæ die 15. Februarij hoc anno 1598. Florentiæ etiam M. Prosper Rossettus primariæ notæ vir æquè in humanis, ac in Divinis eruditus, & in Gymnasio Pisano publicus Methaphysicus, ac Sacræ Scripturæ Lector post diutinam febrem quartanam, quæ postremò in hydropisim conversa fuit, extremum diem solvit nono Kal. Augusti anno ætatis suæ 46. Hujus viri studiosissimi, qui nunquam ferè calamum à scribendo amovebat, multæ circumferuntur lucubrationes, præter illa, quæ impressa sunt, Commentaria in Canticis Canticorum, super Orationem Dominicam, cum quibusdam Sermonibus super Ave Maria, quorum titulus est *Giglio della Salutazione Angelica*. Multæ etiam orationes ipsius videri possunt, & carmina edita, quæ ipsius in dicendo leporem, & eloquentiam redolent; habentur etiam Florentiæ Commentaria super libros Methaphysicorum, quæ si vita comes fuisset, impressa nunc haberemus. In ejus locum Ferdinando Magno Duce Etruriæ, apud quem familiariter agebat, M. Lælius Balleonius hoc eodem tempore majori cū stipendio successit. Mediolani etiam moritur Idibus Octobris M. Joannes Baptista Michol-la, Vir æquè morum probitate, ac doctrinâ insignis, nam postquam decem, & septem annis Theologiam, tum apud Cistercienses, tùm apud Casinenses interpretatus fuisset, & in proprio Cœnobio Regens studij per sexennium per varios Ordinis gradûs, & præfecturas Orator, & Procurator in Curiâ Romanâ, ubi naturalem philosophiam integro triennio publicè fuit professus; deinde Mediolanum reversus à S. Carolo, antequam moreretur, Pœnitentiarius in Cathedrali præficitur, & in Scholis Plarinis sexdecim annos Dialecticam publicè explicavit, & bis Provinciæ Lombardiæ Præfectus fuit.

Moritur M. Alexan. de Summaripâ.

Gesta, & mors M. Prosperi Rossetti.

M. Jo. Baptista Michella moritur.

¶ Recensenda modò sunt nonnulla Loca hisce temporibus Ordini nostro concessa. Primò quidem in Peninsulâ Istriæ; quæ regio est sub Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ, cùm ibi Cœnobia illa, prout sui muneris ratio postulabat, P.M. Orantes de Ferrariâ Provincialis lustraret, facultate priùs acceptâ ab Angelo Mariâ Montursio Generali Locum quendam sub tit. S. Mariæ Conceptionis in Oppido de Montonâ ab illâ Communitate oblatum ob singularem benevolentiam, quâ prosequebantur omnes P. Andream de Cæsenâ è nostris, anno 1597, recepit, Andreas

Conv. S. M. Conceptionis de Montonâ.

E enim plurimùm operæ contulerat pro Loci hujus acquisitione, ipsumque primus administravit. Imago quædam B.M.V. in hac Ecclesiâ extat ex majori Ecclesiâ illius Oppidi, jubente Francisco Barbaro Patriarchâ Aquilejensi huc ad Deiparæ Servos delata, quippe qui cultum ejusdem summo studio promoverent, quæ cæteroqui miraculis valde coruscabat.

Hoc autem anno 1598. PP. nostri de Mantuâ die 27. Junij possessionem corporalem adiere cujusdam Ecclesiæ, quam Curtius Gonzaga, Marchio Palazzoli Vir magnanimus, & pius, necnon Poeta insignis ædificaverat sub Tit S. Mariæ Incoronatæ juxta Padum ad Burgum Fortem Diœcesis Mantuæ in proprio Fundo, ipsisque Patribus eâ lege dono dederat, ut duo Sacerdotes pro ejus, & F suorum Animabus sacra ibi facerent, annuo commeatu pro ipsis apud Hæredes Legato. Cùm autem anno sequente die 25. Augusti magnanimus Heros è vivis excessisset, Patrum ipsorum industriâ factum est, ut pium hoc opus, quod Curtij Hæredes negligere videbantur, promoveretur. Itaque prædictâ die 27. Junij 1598. Locum hunc solemni ritu recipientibus Patribus de Mantuâ cum P. M. Bonaventurâ Cignano Conventûs illius de Mantuâ Priore P. Andreas Baccalaureus de Placentiâ primum ibi sacrum fecit, & primus ibi Prior constitutus fuit P. Claudius Pallavicinus. Ædificando verò Conventui operam dedere Patres, præ cæteris autem Aurelius G Boninsegna de Mantuâ, & Joannes Paulus de Sermeto, quibus omnibus deinde annuit die 10. Aprilis 1600. D. Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuæ. Festum ibi fit solemne die 8. Decembris Conceptioni B. V. dicatâ.

Conv. S. Mariæ Incoronatæ Burgi Fortis.

Eodem pariter anno Locus alter Ordini Servorum accessit in Oppido Duini, in Diœcesi Aquilejensi. Nam D. Raymundus à Turre, S.R.I. Comes, & Liber Baro, cùm apud Clementem VIII. Pont. Max. Oratoris Cæsarei munere fungeretur, Ferrariæ cum Angelo Mariâ Montursio Generali ibidem convēnit de construendo Cœnobio pro Ordine nostro in prædicto Oppido, & Ecclesiâ donandâ, quam in honorem Spiritûs S. jampridem solemni ritu fundaverat, D. Francisco Barba-H ro Aquilejæ Patriarchâ primum lapidem benedictum ponente, sacris item pluribus Indultis perpetuò valituris pro eâdem Ecclesiâ à Xixto V. Pont. Max. impetratis pro diebus Pentecostes, & Dedicationis, prout constat ex Literis Apostolicis Romæ datis die 26. Junij 1590. quæ postea ab eodem Patriarchâ Barbaro consecrata solemniter fuit. Donationis hujus in causâ potissimum fuit P. M. Franciscus Bennius de Burrio eo temporis Episcopus Scalensis consecratus, cui plurimùm addictus erat hic Comes, proindeque Ordini Servorum. Locus hic primò quidem Priori Generali tantùm subiectus erat ex vi donationis, aggregatus deinde fuit an. 1666.

Conv. S. Spiritûs de Duino.

Pro-

Provinciæ Venetæ, prout Monumenta nos docent Conventûs S. Mariæ Servorum de Venetijs. Etsi verò donatio hujus Loci hoc anno facta fuerit, nihilominus anno 1601. possessionem corporalem ejusdem recepit Ordo Servorum, ejusque nomine P. Gregorius Alasia de Summaripâ adhuc Clericus Diaconus, quem prædictus D. Comes Româ Duinum secum duxerat, qui primus Locum hunc colere cœpit, ibique primum Sacrum celebravit, eundemque Locum septem annis administravit nulli parcens incommodo, nullisque laboribus; anno siquidè prædicto 1601. quo P. Gregorius eò applicuit in Domunculâ quadam illius Oppidi habitare cœpit, ex quo Conventus ibi adhuc non erat, cujus primum lapidem posuit die 20. Aprilis 1607. idem P. Alasia, & ibidem præfuit usque ad diem 6. Martij 1608. Fundationis hujus Ecclesię præ Foribus sequens monumentum apparet.

D. O. M.

Sacrum hoc ad gloriam S. Spiritus, honorem B. M. semper Virginis, ac SS.Pauli, & Ludov.ci dicatum, necnon Summis Apostolicis donis à Xixto V. Pont. Max. perpetuò decoratum, Raymũdus Turrianus Vallis Saxinæ Comes S. R. Imperij Liber Baro Vipultiani Dominus &c. Pietati, votoque ex proprijs erigi, & decenti dote fulciri curavit. Anno ab Incarnatione Verbi MDXCI.

Hæc planè sunt quæ Raymundus prædictus in hoc Loco perfecit. Cæterùm quam Fabricam Cœnobij nostrâ hac tempestate videmus ampliorem, & augustiorem à fundamentis Iterum excitavit D. Comes Philippus Jacobus à Turre anno 1693.

Monast. de Pede Crucis de Valẽ. usq quãdo fundatum.

Monasterium pro Ordinis nostri Monialibus, cui Titulus *de Pede Crucis*, in Regno Valentiæ, ab anno usque 1566. fuisse diximus ad eundem annum, quatenus illud recensitum ad d. Annum legimus in Regesto Generalis Zachariæ Faldossi de Florentiâ. Quoniam verò novissima quædam monumenta inde ad nos transmissa docere videntur, quòd hujus Monasterij origo ad hunc annum 1598. referenda sit, operæ pretium esse censeo testimonium superioris Regesti, exceptione utique majus, cum novissimis hisce monumentis conciliare, nequâ de re propositâ subesse possit quandoque dubitatio, quemadmodum ad d. annum 1566. innuimus. Itaque juxta monumenta hæc novissima, quæ P. M. Sylvius Sylvani in Hispanicâ Provinciâ Vicarius Generalis præcedente seculo transmisit, P. Christophorus de Borgiâ ex Ducibus Gandiæ, annuente D. Joanne de Riberâ Archiepiscopo Valentino, Monasterium hoc erexisse dicitur anno 1598. Quoniam verò longè antea, ut diximus, erectum apparet, dicendum potiùs videtur, quòd hoc anno 1598. non primò erectum fuerit, sed iterum à fundamentis excitatum, & in ampliorem formam redactum, nisi dicere velimus, quòd hoc anno ab Ordinis nostri regimine ad Archiepiscopi regimen transierit.

Trãsfertur solemniter S. Imago B. V. del Soccorso in Eccl. D. Annunc. de Florent.

Præclarissimam huic capiti coronidem imponat solemnis translatio Sacræ Imaginis B. Virginis *del Soccorso* habita anno proximè sequente 1599. in Ecclesiâ nostrâ D. Annunciatæ de Florentiâ verè in his Annalibus recensenda. Sacellum, in quo Sacra hæc colebatur Imago, magnificentissimè exornaverat Sculptor egregius Joannes Bologna, suique juris fecerat, annuentibus hujus Cœnobij PP. Quo autem tempore magnificum hoc promovebatur Opus, scilicet per quadriennium circiter, in Sacello proximo SS. Martyribus Cosmæ, & Damiano tunc dicato asservabatur. Cùm ergo transferenda iterum esset ad pristinam sedem magnificentissmè, uti nuper dicebam, exornatam, & undequaque absolutam, optimè consultum putarunt Patres Sacram Imaginem, utpote miraculis illustrem, & omnibus maximè venerabilem majori, quàm fieri posset, celebritate transferre. Itaque splendido apparatu undequaque instructâ Ecclesiâ, veneranda Imago quàmdecentissimè ornata, & machinæ gestatori e illata exposita publicè fuit in medio Ecclesiæ die 5. Januarij in primis vesperis Epiphaniæ Domini. Die verò sequente, postquam totam noctem præcedentem, & ad meridiem usque pluerat, rediere subinde spectacula, divisum enim Imperium cum Deo Deiparæ fuisse innotuit. Persolutis solemniter Vesperis instituta hoc ordine fuit Processio.

Ordo solemnis Processionis.

Præcedebat Ecclesiæ nostræ Labarum cum octo Ceroferarijs, & quatuor Acolythis. Insequebantur plures Laicorum Confraternitates, eæque potissimùm, quas Cœnobij nostri Patres moderabantur, singulæ Vexilla sibi propria præferentes, singuli quoque ex Confratribus Cereos albos 12. librarum accensos præ manibus gestantes. Eorum vestigia premebant Ordines Regularium, Minimi videlicet S. Francisci de Paulâ, Minores Observantes, & Conventuales, Eremitarum S. Augustini è Cœnobio S. Spiritûs, Carmelitæ ex utroque Cœnobio, & PP. Ecclesiæ S. Mariæ Novellæ, necnon S. Marci, singuli pariter cum eorum Labaris, & Ceroferarijs. Confratres deinde procedebant Societatis D. Annunciatæ, necnon Cœnobij nostri Patres cum P. Generali Monturfio, singuli cereos accensos præferentes. Interim Clerici novitij suavissimo concentu, & Musicis plurium generum instrumentis Deiparæ

laudes canebant, cujus Sacratissimam Imaginem gestabant quatuor è nostris Sacerdotes pretiosas aureas Dalmaticas induti, quibus alij itidem quatuor ad sexdecim usque mutuò succedebant, Baldachino consimili desuper incumbente ab alijs Patribus alternis pariter vicibus delato. Vix in altum expositâ Sacrâ prædictâ Imagine erupit Religiosissimus populi rumor, omnibus Divinam misericordiam implorantibus, & Energumenis ingentes clamores edentibus. Prodeunte autem ex Ecclesiâ bellica Tormenta eleganter, festivoque ordine reboarunt. Procedebant omnes per viam vulgò dictam *Largam*, Ecclesiam deinde S. Joannis Baptistæ ingressi ab ejusdem Præposito, atque Presbyteris proprio Habitu indutis excepti, qui Sacram Imaginem proprijs humeris ad Ecclesiam usque Metropolitanam detulere, quam subinde hujus DD. Canonici excipientes in Odæum suum transtulere, plurimis circa ipsum cereis ardentibus, & Organis personantibus, & Clericis canentibus modò hymnum *Te Deum laudamus*, modò Antiphonam *Sancta Maria succurre miseris*, *&c.* cum alijs sanctis precibus, & orationibus, bellicis tormentis iterum circa eandem Ecclesiam reboantibus, universo insequente populo, quem ad sexaginta millia eò confluxisse communis ferebat opinio. In tantâ verò populi multitudine præ cæteris maximè eminebant Serenissima Christina Lotharingia Magna Etruriæ Ducissa, quæ cum Ducissâ Brachiani, & Principissâ D. Mariâ solemni huic supplicationi interfuit in celeberrimo D. Annunciatæ Sacello, earundem Aulicis splendido apparatu circumstantibus; item Brachiani Dux Virginius Ursini, D. Princeps Antonius Medices; Ferdinandus autem magnus Dux, quia podagrâ impeditus interesse non potuit, Aulicos omnes suos præmisit, qui Sacram Imaginem venerabundi associarent, quemadmodum duodecim è nobilibus Ephebis pariter præmiserat, qui Cereos magni ponderis accensos deferrent, Serenissima prædicta Magna Ducissa. Interfuere quoque in Domo quadam privatâ viæ superiùs dictæ *Largue* DD. Cardinales Montalto Xixti V. Summ. Pont. Nepos, & De Montibus, Nobilibus pariter eorum pueris cereos ardentes præ foribus gerentibus. Denique eminebant pariter D. Alexander Cardinalis Medices Archiepiscopus Florentinus, D. itidem Alexander Martius Medices Episcopus Fesulanus, & D. F. Bernardus del Nero Ord. Prædicatorum Episc. Bisignani, singuli Pontificalem Habitum induti, qui primùm in Ecclesiæ nostræ vestibulo decenter undequaque ornato DD. Canonicis assistentibus excepti Sacram Imaginem processionaliter associarunt. Completis verò in Ecclesiâ Metropolitanâ memoratis precibus iterum institutâ processione per viam vulgò dictam *de' Servi* Ecclesiam nostram adiere, cùm vesper jam incubuisset ad secundam ferè noctis horam, quamobrem elegantissimum spectaculum sereno Cœlo exhibebant ardentes magni ponderis cerei non minus quam 1600. & iterum Ecclesiam nostram prædictam innumeris cereis circumquaque ardentibus illustratam subeunte Venerabili B. V. Imagine bellici boatus excitati rursus fuere. Hæc subinde à præfatis DD. Cardinali, & Episcopis Tabernaculo marmoreo, cui adhuc inest, illata solemniter fuit, benedictione ab eodem D. Cardinali Archiepiscopo universo populo collatâ, eâque ratione absoluta fuit celeberrima hæc actio, utique ad posteros honorificè transmittenda, ac proinde Annalibus hisce inserenda; eò vel maximè admiratione digna, quòd tantâ celebritate Sacram hanc Imaginem, quæ ad diem usque decimam ejusdem mensis exposita publicæ venerationi remanserat, ut insigni populorum devotioni eò turmatim confluenti satis superque fieret, prosequuti fuerint indiscriminatim omnes, è grege non modò, verùm etiam primarij, Principes, & S.R.E. Antistites in hac Ecclesiâ, ubi maximâ veneratione colitur toto Orbe celeberrima D. Annunciatæ Divinitùs delineata Imago.]

In Eccl. S. Joannis, & Metropolitana honorificè excipitur S. B. V. Imago.

Viri Principes intersunt.

Actio plurimi habenda.

Casûs ad Superiores Ordinis Servorum juxta regulam Clementis VIII. per Angelum Generalem statuuntur.

CAP. XVII.

TRadiderat Clemens VIII. Summ. Pontifex normam quandam in casibus reservandis pro Regularibus, citra quam non liceret Superioribus suam in pœnitentes subditos auctoritatem quandam pro libito exercere, ut supra cap. 6. ostensum fuit: quâ in re Angelus Generalis suo muneri undequaque semper invigilans, ne de cætero illaqueandis sibi commissis animabus occasionem ullam ambigendi præberet, & certam quandam in posterum casuum reservandorum regulam ad præscriptum Summi Pont. observandam exhiberet, sequentes Casûs cum aliquâ eorundem Censurâ per totum Ordinem, de ejusdem Pontificis consensu, & auctoritate, edixit, & per singulas Provincias evulgari, ac perpetuò observari mandavit.

1 *SIbi reservat Veneficia, incantationes, & sortilegia. Et vult delinquenti pœnitentiam imponendam esse pro singulis his delictis, ut quotidie integro anno orationi mentali per horam vacet, & decimo quinto quoque die flagellis se castigare teneatur.*

2 *Apostasia à Religione sive habitu dimisso, sive retento, dummodo eò pervenerit, ut fiat egressio à Septis Monasterij animo apostatandi. Eadem satisfactio, ut supra delinquenti per sex menses imponenda, nec possit licentiam petere egrediendi Cœnobium per annum, nisi semel tan-*

tùm

tùm singulis mensibus.

3 *Nocturna, & furtiva è Conventu egressio, etiam animo non apostatandi facta. Pœnitentia erit jejunium in pane, & aquâ bis in mense per annum integrum, & per idem tempus non liceat petere facultatem egrediendi Cœnobium, nisi bis in mense.*

4 *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. Salutari pœnitentiâ impositâ jejunandi semel in hebdomadâ per annum cum flagellatione, & unius coronæ recitatione.*

5 *Juramentum falsum in judicio regulari, & legitimo. Pro hoc delicto imponitur quotidiana pœnitentia orationis mentalis per mediam horam faciendæ, necnon semel in hebdomadâ se flagris cædendi per sex menses.*

6 *Furtum de rebus Cœnobij in eâ quantitate, quæ sit peccatum mortale. Pœnitentia, præter restitutionem erit non petendi licentiam egrediendi Conventum spatio trium mensium, & quotiescunque aliquâ justâ de causâ egrediendi oporteret, illo die flagellis se cædat, ac semel in hebdomadâ jejunet, & qualibet feriâ sextâ silentium teneat extra necessitates usque ad horam prandij.*

7 *Peccata Luxuriæ, sicuti sunt reservata in nostris Constitutionibus Cap. de Confessione, & Communione; sic permaneant. Pœnitentia imponenda jejunij in pane, & aquâ semel in hebdomadâ tribus mensibus, & eo die flagellis se verberando, cilicium vestiendo, necnon quotidie per idem tempus per quartam horæ partem oculos fixos in Christum Crucifixum habendo quatuor novissima meditando.*

8 *Homicidium cum ejus pœnitentiâ sibi Prior Gen. reservat.*

9 *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & contra. Pœnitentia ut quamprimùm illas restituant, & per mensem semel jejunent in hebdomadâ, & ter quotidie per idem tempus terram exosculentur. Et quia in prædicto Sanctissimi D.N. decreto Superioribus datur facultas assignandi graves pœnitentias quibusdam criminibus etiam non reservatis; idem P. Generalis lege cavet; quicumque jejunium regulare absque Superiorum licentiâ justâ de causâ concedendâ, fregerit, teneatur alio die jejunare. Item ad idem bonum peragendum obnoxium declarat illum, qui consultò verbis, aut factis proximum suum ab observantiâ regulari, & à quovis alio bono opere retraxerit, aut impedierit; & pro qualibet vice hujus transgressionis se flagris cædere teneatur. Veluti etiam quicunque dictaverit, scripserit, aut affixerit, vel quovis alio modo literas infamatorias, aut libellos famosos, eum, vel sine nomine patefecerit; si verum dixerit teneatur terram exosculari quinquies in die per unum mensem. Si autem falsum, aut incertum manifestaverit, teneatur pro viribus contrarium persuadere, & eò magis illum laudibus extollere, quò detractione depressit, famam etiam scripto restituendo; & silentium observare per idem tempus qualibet* A *feriâ sextâ usque ad prandium præter necessitatem. Ambientibus officia in Religione contra normam Constitutionum, & revelantibus sæculo Religionis facta, pœnitentia imponatur pro qualibet hujusmodi transgressione per spatium unius mensis, quotidie per quartam unius horæ partem oculos fixos in Christum Crucifixum habendos, Passionem ejusdem D.N. meditando.*

Ejusdem P. Generalis admonitio.

I*Nsuper ne confusio aliqua super prædictos Casûs, seu pœnitentias oriatur.*

1 *Declarat, qui non valet jejunare cum aquâ, vinum illi concedatur.*

2 *Omnia hæc jejunia intelliguntur peragenda* B *esse in illis diebus, in quibus aliàs non tenentur jejunare sive præcepto Ecclesiæ, sive Regulæ nostræ.*

3 *Qui mentaliter nescit orare, illo die recitet integrum Rosarium B. M. V. donec talem orandi modum edìscat. Item tempus, quod insumpserit in illa edìscenda, seu libros legendo, aut docentes audiendo, illi valeat pro oratione prædictâ mentali.*

4 *Prohibitio, aut pœnitentia non egrediendi septa Cœnobij, intelligitur in Conventibus Collegiatis, alijs verò in locis pro eâ dicatur oratio S. Thomæ Aquinatis, quæ incipit* Concede mihi misericors Deus, &c. *quæ invenitur in parvis Officijs B.M.V. aut legat duo Capitula de Mundi contemptu Didaci Stellæ, aut quoti-* C *die per quartam unius horæ partem Christum Crucifixum aspiciens, mente contempletur, intra se meditans, Quis. Quid, pro Quo, & ad Quid hæc passus est. Denique ne hæc remedia loco pharmaci venena fiant, & infirmioribus occasionē præbeāt negligentiores fieri in hujusmodi absolutione procurandâ, si, quod Deus avertat, in hos Casûs incidissent, Priores animadvertit in quolibet Conventu, certum numerum Confessariorum assignare debere, & ex prudentioribus, & morum sanctitate insignioribus, quibus, & non alijs, juxta Constitut. nostras, Fratres confiteri teneantur, ut à peccatis non reservatis absolvi possint; illos admonendo, ne omnes Sacerdotes ad id munus admittant, nec minus tam parvum numerum, quod in omni eventu facilè Confessa-* D *rios haberi non possint, sed in hoc eâ discretione utantur, quâ in tam gravi negotio animarum salutis uti oportet. Et duobus, vel tribus prædictorum Confessariorum P. Generalis facultatem concedit absolvendi ab omnibus antedictis Casibus, cum eisdem pœnitentijs imponendis, præterquam ab octavo, quem nemini concedit, atque ipsis Confessarijs auctoritatem impertitur commutandi, & dispensandi juxtâ de causâ prædictas salutares pœnitentias, maximè si timeretur ex pœnitentiâ manifestatio peccati delinquentis. Mandat etiam, ut Prior particularem Confessarium Novitijs assignet, & eundem, aut alium Professis. Et vult, quòd ad Provinciales spectet declarare in singulis Provinciarum suarum*

Conventibus Pœnitentiarios pro Casibus reservatis absolvendis. Tandem in virtute salutaris obedientiæ mandat omnibus Confessarijs, ut suos Regulares pœnitentes admoneant, eos in statu peccati mortalis existere, si aliquid inscio Superiore retineant. Juvenes animadvertant facilè, principijs obstando, posse tentationes superare, sicuti parva ignis flamma facilè extinguitur. Senibus annuntient, ut solicitè perfectionis viam ingredi festinent, ne extra Nuptiarum agni convivium remaneant.

Datum Florentiæ in Conventu nostro Annunciatæ die 10. Februarij 1599.

Ita est F. Angelus Maria Gen. Serv.

Singula hæc ex ejusdem Generalis Angeli Mariæ Regesto.

Decreta reformationis Apostolicæ pro Ordine Servorum.
CAP. XVIII.

CLemens Pontifex Max. in Fratribus reformandis perseveranter intentus cùm pluries ab Angelo Generali intellexisset de difficultatibus quotidie, suggerente Dæmone, ingruentibus, & quòd mens optimi Generalis sæpe præpediretur ab ijs præcipuè, qui in Romanâ Curiâ huic Ordini præerant, qui magis debuissent, & Pontificis voluntati, & Generalis laboribus adjumento esse; Hæc denique decreta reformationis suâ auctoritate edici, & observari mandavit Clemens Papa VIII.

1 *NUllus omninò prætextu cujuscunque privilegij, vel superioritatis, etiam Generalatûs, à servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causâ legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentiâ Superiores animadvertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.*

2 *Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ bis in hebdomadâ præscriptis diebus in singulis Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eâq. absolutâ mutuâ collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.*

3 *Quò Tridentini Concilij Decreta de Paupertatis voto custodiendo fideliùs observentur; Præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniâ, proventûs, censûs, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propriâ Ecclesiâ, quàm ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causâ, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac proventibus confundantur, quò communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.*

4 *Neque Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.*

5 *Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erant, nullus quicquam possideat, ut propriam, neque ut proprio utatur.*

6 *Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas, nedum à Concilio Tridentino præscriptas: sed alias quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.*

7 *Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiamsi Superiores asseverent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in eâ re fidem minimè adhiberi volumus.*

8 *Fratrum vestitus, & supellex Cellarum ex communi pecuniâ comparetur, & omninò uniformis sit fratrum, & quorumcunque Superiorum, statuíque paupertatis, quàm professi sunt, conveniat: ita ut nihil superflat admittatur; nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.*

9 *Quæcunque Fratrum vestes sive laneæ, sive lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventûs locum deferantur, ibíque ab uno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrare opportunè possint.*

10 *Omnes etiam Superiores, quicunque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sivè eâdem (ut ajunt) pictantiâ, in communi mensâ, primâ, vel secundâ, nisi infirmitatis causâ impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; si quis in eâ re peccaverit, nihil eâ die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.*

11 *Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditûs, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios usûs, quàm ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cùm verò contigerit ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex quâ sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.*

12 Nul-

12 *Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditaum sui Conventûs, etiam nomine Conventûs per seipsum habere, sive exercere possit; sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventûs à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat; alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cetera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet; alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conventui universo de necessariis; mandante tamen ipso Priore, non secundùm proprium affectum, sed juxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum hujusmodi confusione penitus interdictâ.*

13 *Ceterùm hi tres, tam impensi, quàm accepti singulis mensibus suo Priori adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejusdem Conventûs probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus presentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cùm advenerit: denique ipse Generalis in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus judicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis illorum omnium, universæque sua administrationis, tam publicè, quàm privatè rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, ut ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.*

14 *In unoquoque Conventu Fratrum, is tantùm deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, alijsve quibuscunque obventionibus in commune (ut præfertur) conferendis, commodè possit sustentari: redditûs verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asserventur.*

15 *Superioribus autem, ne Concil. Trid. aut hac nostra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus, decernentes irritum, &c. si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.*

16 *Nullus nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradûs privilegio gaudeat.*

17 *Si alicui ex necessariâ causâ, Generalis judicio probandâ, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, &, si commodè fieri potest, sit Laicus conversus.*

18 *Ut omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventûs clausura perpetuò, ac diligenter servetur, ac propterea à Superiore Janitor constituatur, qui diligentiâ, ac morum integritate maximè commendetur: is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.*

19 *Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex*
A *causâ, & cum socio, licentiâque singulis vicibus impetratâ, ac benedictione acceptâ à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causâ probatâ, sociumque exituro adiungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.*

20 *Contravenientes autem pœnâ gravi, etiã carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam Janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.*

21 *Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit diligenter perquirat.*

22 *Nullos Fratres Romam venire Superio-*
B *res permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore duntaxat licentiam in scriptis impetraverint.*

23 *Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce activâ, & passivâ biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine ullâ exceptione locum habeant.*

24 Habeat Superior clavem ita fabrefa-*ctam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.*

25 *In medio Dormitorij totâ nocte lampas*
C *colluceat.*

26 *Nullus etiam Superior cellas, sive in claustro, sive alibi separatas à communi Dormitorio habeat, sed unusquisque unicâ cellâ, eâdemque cum cæteris aliorum Fratrum coniunctâ, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensâ humilibus, uniformique supellectili (ut præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.*

27 *Cellæ, sive ædiculæ, quæ extra Dormitorium separatim sunt; ad officinas, aut aliàs ad communem usum, & commoditatem Conventûs redigantur.*

D 28 *Singillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, quæ omnes ad certam formam redigendi erunt.*

29 *In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.*

30 *Conventûs fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omninò eis prospectus impediatur.*

31 *Valetudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro*

loci

loci sui, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperatâ sanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32 Iueatur ratio, qua sublatis licentijs, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conventûs claustra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissimâ causâ à Sede Apostolicâ probandâ, hujusmodi Facultates concedi possint.

33 Nulli in posterùm ad Habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provinciâ deputandis.

34 Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

35 Ut omnis officiorum ambitûs occasio præcludatur, caveant omnes à directâ, vel indirectâ vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari à nemine possint, nisi à Nobis, vel successoribus Nostris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus.

36 In Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque electores secundùm veritatem cujusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia gradûs, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueverint regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem Verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad hujusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores promovendos ad quoscunque ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de causâ nuper editum, & promulgatum.

E

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in Novissimo die reddituri sunt pro Grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinis regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, jejunijs, Capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur; intelliganque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosâ disciplinâ, regularique observantiâ.

F

39 Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventûs, in quâ distinctè adnotetur quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolatè custodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Ut autem hæc Decreta (donec alia, quæ ad pleniorem supradicti Ordinis reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districtè præcipimus Generali, ac omnibus alijs quibuscunque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinis Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdictâ omninò eorum singulis facultate illas declarandi, & adversùs eas unquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatûs, & officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine ullâ exceptione respectivè incidisse.

G

41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum observatio quoquo modo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem in Conventu Sancti Marcelli de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinis Superiores, cæterosque quoscunque Fratres præsentes, statim; reliquos verò absentes citra Montes, unius Mensis; ultra Montes, trium Mensium spatio stà arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

H

42 Insuper mandamus, quòd Generalis in singulis Conventibus citra montes unius mensis; ultra verò montes trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciat, sub pœnâ privationis Generalatûs, alijsque arbitrio Nostro imponendis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die vigesimaquintâ Mensis Julij, Millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

A. Sorbolongus Secr.

De

De tertiâ Translatione cum alijs quibusdam miraculis B.P.N. Philippi.

CAP. XIX.

INter maximas angustias, quibus hoc tempore præmeretur Angelus Generalis, unum illud potissimum erat, quod Cœnobium S. Marci ab eâ parte, quæ in vallem vergebat, præproperam ruinam minabatur, unde oportebat, aut magnis impensis locum restaurare, aut omnino deserere; loci paupertas tot impendia sustinere non poterat, totus Ordo Canonizationi B. Philippi intentus, non valebat huic defectioni occurrere: sed forte fortuna succurrere poruit suo consilio Angelus Cæsius Episcopus Tudertinus. Erat Tuderti Monasterium Sacrarum Virginum Ordinis S. Francisci, quæ justis de causis angustum Monasterium cœnosum, & ruinis plenum deserere cogebantur; aderat ex alterâ parte prope portam in viâ Romanâ elegans Templum S. Mariæ Gratiarum Divinis officijs, & Sacrificijs valde indigens. Igitur Angelus Episcopus cum Angelo Generali jam elapso anno undecimo Kal. Maij egerat, de permutandis locis, itaut Moniales ad S. Marcum, quem restaurare intendebant, Patres nostri ad S. Mariam Gratiarum vicissim migrarent; quare opus fuit hoc anno tertiam B. Philippi Translationem peragere. Idcirco octavo idus Septembris astante D. Eustachio Desiderio Archidiacono Sacris induto, necnon R.P. Magistro Antonio Vivolo de Corneto Provinciæ Romanæ Præfecto cum cæteris Fratribus à cæmentarijs Altare, in quo Sacræ reliquiæ jam 20. ab hinc annis reconditæ fuerant, non sine quadam mirabilium ominatione demolitum fuit. Nam primò vix Reliquiarum capsula inter cæmenti pulveres detecta fuit, quando suavissimus odor emanavit, qui non tantùm Ecclesiam, verùm etiam vicinia, quasi suavitate cœlesti plures dies afflavit. Secundò cum arculâ prædictâ ullâ vi, aut arte à Cæmentarijs dimoveri, nec à loco extrahi posset, vix illi prædictus D. Archidiaconus manûs apposuit, quando leviter Sacro ministro grave pondus cessit, & facile hinc inde ferri potuit; hoc singulis indicans Sacra à Sacris ministris solùm tractanda fore. Tertiò tandem veritum fuit Sacrum illud pignus forte, ut pluries evenerat, aliò se transferri non passurum; attamen contrarium coniectari cœperunt ex insueto signo majoris lapidis, qui super Altare impositus erat, quoniam vix ab artificibus pessulis appositis, illicque impulsu adeò velociter motus est, ut ad medium Ecclesiæ usque cunctis admirantibus, & miraculum inclamantibus dilaberetur, veluti inditium manifestum Servum B.M.V. ultrò ad S. Mariæ Gratiarum Delubrum, Superiorum mandatu accessurum. Die verò 18. ejusdem in Ecclesiâ S. Marci ab Episcopo Sacris peractis, coram Senatu Tu-

A dertino, P. Provinciali, & P. Bernardino Romano Priore Capsula maximâ cum devotione aperta fuit, ossaque Beati recognita, & tunc major quàm prius fragrantia indè efflavit, necnon in Cypressinâ arculâ plumbo cooperta veneranda ossa reposita fuerunt, tribusque sigillis Episcopi scilicet, Senatûs, & Religionis obsignata; priori ligneâ Capsulâ in frustula redactâ, & pijs fidelibus distributâ, cujus pulveribus in potione adhibitis multi infirmi meritis B.P.N. Philippi à Deo sanitatem obtinuerunt, quemadmodum accepimus Viterbij contigisse. Narnij quoque Aurelius Rugierius Soranus illius Urbis Præfectus cum à M. Prospero Bomcambio frustulum prædictæ arculæ recepisset, & quibusdam Sororibus, quæ diutinam febrem in Monasterio S.

B Margaritæ patiebantur, commodasset, & ipsæ sibi devotissimè applicuissent, incolumes evaserunt anno Dom. 1601. Denique omnibus pro solemni hujusmodi Translatione majori cum decore, & pompâ ordinatis, & instructis, undecimo Kal. Octobris maximâ populi frequentiâ, Sodalitijs, Clero Seculari, & Regulari, Senatu, Gubernatore, & Episcopo ordinatè à Cathedrali ad Ecclesiam S. Marci accedentibus ex sereno, tranquillque Cœlo mox in summam tempestatem, ac imbrem maximum adeò aer conversus est, ut Dæmonis operâ bonorum omnium infensissimi hostis id actum à multis crederetur. Attamen omnibus turmatim, & confusè in Ecclesiâ S. Marci circa B. Philippi corpus congregatis,

Tertia translatio B. P. N. Philippi.

C iterum aer clarescere cœpit, donec Sacrum pignus decenti feretro accomodatum prius super Canonicorum humeros per Ecclesiam delatum, deinde vicissim Fratrum, qui certatim humeros supponere devotionis gratiâ inhiabant, sicuti nobiliores Cives umbellæ manûs apponere, Templum extra visum est, quando Sol, qui erat in nubilo, toto aperto Cœlo, iterum clarior refulsit. Tubis personantibus, campanis pulsantibus, Sacris ministris suavi armoniâ ubique cantantibus, & Deum laudantibus, cæteroque populo orante, & præ devotione oculis lachrymantibus, viâ hinc inde auleis stratâ, ad novam Ecclesiam delatum fuit. Tali igitur apparatu Sacris completis ritibus per manûs Angeli Cæsij

D Episcopi capsula in majori Arâ recondita fuit. De quibus omnibus publicum instrumentum per D. Lucam Albertum Petrum Episcopi Cancellarium celebratum fuit, & in eâdem Capsulâ repositum ipsâmet die, quâ veneranda ossa inclusa fuerunt. Parique modo aliud pro Communitate Civitatis per Senatûs Cancellarium confectum fuit. Deus autem & ipse Servi sui gloriæ deesse noluit, immo signis cœlestibus merita pijs fidelibus testata relinquere non est dedignatus. Nam prædictus D. Archidiaconus, ut dicebatur, ex Altari in Ecclesiâ S. Marci extractâ Capsulâ, illâque ipsemet solus arreptâ inter saxa, cæmentum, tabulas, & id genus impedimentorum

rum adeò leviter, & facilè in Sacrarium detulit, ut nihil ponderis præ manibus habere sibi videretur, intra se meditans illud Evangelij *Senex puerum portabat, puer autem Senem regebat*. Insuper speciali sanitatis gratiâ ex eo tempore donatum, nempe à quodam carnis tumore in femore liberatum ipsum fuisse constat. Aliam etiam ibi sanitatis gratiam in hac Translatione obtinuit Ordinis nostri Sanctimonialis Ludovica Montanaria de Perusio, quæ cancri morbo in dextero brachio laborans in cubili afflicta jacebat, maximè ægrè ferens non posse cum cæteris Monialibus genuflexis, cum cereis collucentibus, & corpus B. Philippi inde transiturum veneraturis interesse. Quâ de causâ cœpit S. Patrem impensiùs exorare, ut saltem sibi opem ferre vellet, & ab illâ incurabili infirmitate liberare, cujus pias preces Deus irritas esse non est passus; nam sequenti nocte somno correpta per quietem B. Philippum in cubiculo præsentem vidit, qui proprijs manibus brachium infirmû contrectavit, illòque super ipsius Monialis capite collocato ipsi benedicens discessit, quæ deinde expergefacta brachium adhuc super caput positum præsensit, illud movere cœpit, & sanitati pristinæ restitutû cognovit. Aliud etiam non post multos dies ab eâdem translatione occurrit non minori observatione dignum. Vix enim Moniales S. Francisci Cœnobium nostrum S. Marci inhabitare cœperant, quando casu accidit, ut soror Laura Bartholaccij Salveni in calcaneo adureretur ab igne, cumque adustionem illam curare neglexisset, post paucos dies ulcus deterius factum, illam per quatuor menses in lecto gravissimis cum doloribus detinuit, & plaga sensim incurabilis facta in cancrum conversa est, adeò ut medicorum consilio de tibiâ secandâ ageretur. Erat Lauræ in eodem Monasterio germana soror nomine Domitilla, quæ Lauram hortata fuit, ut preceitus, & votis suam infirmitatem B. Philippo, cujus imaginem habebant in Choro, commendaret; se enim sperare auxilium sibi ab eo propediem affuturum. Nec frustra consilium datum, vix enim Virgo Laura argenteam tibiam eidem oblaturam voverat, quando cessare dolores, plagam remitti, & quodammodo convalescere, nullis alijs adhibitis remedijs, præsensit: & ita post paucos dies è lecto incolumis assurgens debitas B. Philippo grates persolvit, prout eadem Soror cum suâ germanâ Domitillâ, & aliæ Moniales in processu ejusdem B. Philippi deposuerunt. His igitur, & alijs hujusmodi pro eo tempore per Senatum diligenter observatis, memoria hujus Translationis publico decreto inter festos Civitatis dies eâ lege conscribitur, ut quotannis per solemnem ejusdem Senatus, & populi lustrationem E ad sacrum corpus recenseatur. Præter hæc usu habetur in Tudertinâ Civitate ab antiquo tempore, ut infantes, & pueri, atque etiam homines, vel comitiali morbo, vel aliquâ ægritudine laborantes, Habitum nostrum ad honorem ipsius per annum, seù per biennium deferant, quem postea depositum cum gratiarum actione in Ecclesiâ B. Philippi, veluti suarum gratiarum trophæum, suspendunt. Cumque nos hoc anno die 4. Augusti per transitum ibi essemus, D. Ansoigius Pontanus illius Communitatis secretarius cum Leoncinâ Landâ uxore duos hujusmodi Habitûs deferens ad Ecclesiam nobis retulit se, & uxorem suam gravem, & diuturnam febrem passos F fuisse quatuor menses, à quâ post votum emissum deferendi illos Habitûs liberati fuerunt. Quorum occasione multa alia nobis admiranda de B. Philippo retulit. Huic autem Translationi interesse non potuit Angelus Maria Generalis, cum tamen inter lustrandam assiduis itineribus Religionem, & ipsius interim Canonizationem solicitè procurandam ipsius Divinis Officijs componendis operam dabat, & quos ad hujusmodi compositionem idoneos reperisset, monendo, hortando, & jubendo ad id pium opus excitabat: quare brevi emanarunt à plerisque eruditioribus hymni, antiphonæ, responsoria, lectiones, & id genus varia ad honorem ipsius Beati. In his fuerunt Theodorus Ripa de Mediolano, Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Valerius G Seta de Veronâ, Laurentius de Rhegio, & Archangelus Gianius de Florentiâ, qui prosâ, & carmine Generalis desiderium impleverunt. Totus igitur Ordo in hujus Beati devotionem populis suggerendam intentus erat, unde Florentiæ præter consuetam frequentiam ad ipsius Sacellum, M. Felix Fumantius Prior hoc anno de Patrum consilio instituit processionem Habitûs pro qualibet tertiâ Dominicâ singulis mensibus habendam ad honorem Societatis Habitûs & B. Philippi, cujus etiam venerandæ Reliquiæ cum Litanijs B. M. Virginis per plateam solemni pompâ sub aureâ umbellâ deportantur, quin & Sodalitium ipsius jam completum publicè benedixir, & primum ibi Sacrum fecit. Vacave- H rat interea Romæ officium Procuratoris Ordinis per mortem M. Gratiani de Perusio, in cujus locum suffectus fuit M. Antonius Fuccius de Burgo S. Sepulchri.

N O T Æ.

[*Translationis B. P. N. Philippi Officium ab Apostolicâ Sede concessum primò fuit Ordini Servorum in Civitate Tuderti anno . . . . deinde pro universo Ordine anno . . .*

F I N I S.

CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ SACRORUM ANNALIUM ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS;

AUCTORE

F. ARCHANGELO GIANIO FLORENTINO

Liber Sextus.

CONTINENS AB ANNO MDC. USQVE AD MDCIX.



Romæ post susceptum Jubileum moritur Angelus Maria Generalis Servorum.

CAPUT PRIMUM.



Ptatus jam advenerat annus sexcētesimus post millesimum à salutiferâ D. N. J. C. nativitate, quem sicut Romana vetustas inter suos ludos secularem vocabat, & Christiana pietas meliùs Sanctum dixit, quod suâ indulgentiâ ex peccatoribus sanctos illos faceret, qui Sancta Apostolorum limina Romæ venerarentur. Unde confluentibus hoc tempore ex toto Orbe Christianis ad Urbem, ex Orientalibus quoque Indijs advenisse vidimus quosdam ex nostris Patribus Ordinis Servorum ad sanctum Jubileum properantes. Vidimus etiam inter visitandas sacras illas Basilicas ex nostris Fratribus P. Albertum Rotilensium Florentinum, & P. Nicolaum Agapitum de Castroplebis Pœnitentiarios in Vaticano à Summ. Pontifice constitutos. Pervenerat illuc elapsis mensibus post peragratam Religionem Angelus Maria Gen. qui inter tot angustias, & difficultates officij sui unum illud solamen habebat, ut præsens tam magno Jubileo interesse posset, & sacris illis indulgentijs oblectari, apertasque ipsas januas adire sæpe, & venerari frequenter, quâ in re tam ardens, & fervidus, ut sacro ritui aperiendæ portæ S. Petri cum alijs Prælatis adesse voluerit, nullâque officij, vel dignitatis habitâ ratione inter confertam plebem turmatim sese immiscens, unum ex ipsis

Fratres Serv. ex Indijs Romæ pro Jubileo.

lateribus diruti parietis secum, veluti venerandum monumentum abstulerit, prout ingens suæ perpetuæ devotionis propensio tam optimo viro suggesserat, quem postea integrum laterem, nescio quo pacto, ob tantæ pietatis memoriam inter alia sacra monumenta conservant adhuc Patres nostri Eremitæ Senarij. Curabat interea Generalis cum Clemente Pontifice, ut prior Bulla de jejunijs, & abstinentijs Patrum Eremitarum Senarij declararetur, & moderationem quandam circa illorum jejunia, quæ nimis rigorosa videbantur, acciperet; quam tamen Bullam discretus, & pius Generalis, ob varia Pontificis impedimenta, nec recipere, nec videre potuit absolutam antequam moreretur, & est sequentis tenoris.

A B C

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN *his rebus authoritatis Nostræ partes libenter interponimus, per quæ Religiosorum status prosperè dirigendo opportunè providcatur. Cupientes igitur prospero statui, & felici gubernio domûs, & Eremi Montis Senarii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Florentinæ Diœcesis, quantùm cum Domino possumus salubriter consulere, supplicationibus, & pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis dicti Ordinis, ac Prioris Conventûs Beatæ Mariæ Annunciatæ Civitatis Florentin. ejusdem Ordinis Fratrum*

D

Bulla pro Eremitis Senarij.

Servorum, necnon Vicarij, & Fratrum dictæ Eremi Montis Senarij, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eos omnes, & singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes. Ex sententiâ, & voto Venerabilis Fratris Julij Antonij Episcopi Prænestin. Cardinalis Sanctæ Severinæ nuncupati, ultra ea, quæ per alias Nostras in simili formâ Brevis literas sub Dat. xxij. Octobris MDXCIII. Pontificatûs Nostri anno secundo expeditas, quorum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, pro dictâ Eremo Montis Senarij concessimus, quæ omnia, & singula per præsentes etiam perpetuò confirmamus, & approbamus, ac perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore decernimus. Quòd Vicarius eligendus pro regimine Domûs, & Eremi prædictæ Montis Senarij pro tempore in perpetuum sit, & esse debeat unus ex ipsis Eremitis, sacerdos ætatis annorum supra xxxiij., qui saltem per biennium in Eremo vixerit, vel in illius defectum ille ex Eremitis pro Vicario eligatur, qui magis accedit ad hujusmodi conditiones. Quòdque omnes Fratres Eremitæ probationis annum in dictâ Eremo agere debeant, quamvis aliàs in familiâ aliorum Fratrum Eremitarum professionem emiserint, quo anno elapso solemniter profiteri in manibus Prioris Conventûs Annunciatæ supradicti teneantur promittendo juxtà Constitutiones factas, & faciendas inter Fratres ipsos Eremitas perpetuò vivere; post emissam verò professionem ab hujusmodi instituto à Superioribus, cujuscunque gradûs sint, etiamsi Cardinalatûs dignitate præfulgeant, quoquo modo etiam ad breve tempus diverti non possint, quacunque relaxatione, seu dispensatione penitus explosâ, liceat tamen Superioribus licentiam concedere infirmis, & alijs ad aliquam legitimam causam, ut à servitio Chori sint immunes, nec ab observatione Jejunij à Constitutionibus Eremi indicti generaliter, quando dies festus solemnis incidit in ferias Jejuniorum, seu ad jejunandum præscriptas, quo casu alterâ die ejusdem Hebdomadæ Fratres jejunent, ita ut in qualibet hebdomadâ trium dierum jejunium compleatur. Quòd seculares Novitij recipiendi, & admittendi sint saltem ætatis annorum viginti-duorum, ac recipi, & admitti non possint, nisi de consensu Capituli Fratrum ipsius Domûs, & Eremi, necnon Prioris, & Magistri Novitiorum Conventûs Annunciatæ, quorum in simul convenientium suffragiis obtinere debeant, aliorum Superiorum consensu minimè requisito. Fratres verò de familiâ jam professi, qui vitam, & observantiam Fratrum Eremitarum profiteri voluerint non admittantur, nisi præcedente etiam consensu Capituli Conventûs Annunciatæ, reijci autem, vel admitti ad professionem debeant, tam Fratres de familiâ prædicti, quàm alij à seculo venientes Novitij de voto, & authorita- E *te tantummodo Fratrum ipsius Eremi, & post emissam professionem unusquisque contentus sit loco sibi debito ratione temporis emissæ professionis nullo habitu respectu gradus Magisterij, Baccalaureatûs, vel alterius dignitatis cujuscunque. Quòd non liceat Fratribus hujus Eremi etiam iter agentibus vesci carnibus, nisi ex causâ infirmitatis, & tunc de consilio Medici Physici, & de licentiâ Superioris Eremi. Quinimo in ipsâ Eremo, nec etiam quibusvis alijs cujuscunque gradûs, status, & conditionis sint, permittatur carnes comedere, sed cibis ipsis concessis, & non alijs uti debeant. Et quicunque illi sint, exceptis superioribus, & quibus à Priore Conventûs ad pœnitentiam injunctum esset, ut eandem vitam cum ipsis Eremitis per plures dies* F *ducerent, per duos tantum dies ad hospitium recipiantur, quibus elapsis Hospitij, & victûs subministratio omnibus denegetur. Quòd Fratres Eremi possint exigere, consequi, & habere quæcunque legata, & eleemosynas, quæ ipsi Eremo fiunt, necnon quæcunque bona mobilia, ac semoventia, quæ Eremo quomodolibet obveniunt per ingressum, & professionem Novitiorum, seu aliàs quomodocunque, ac qualitercunque. Quæ legata, eleemosynæ, & bona sint, & esse intelligantur Eremi prædictæ, ut ex eis, eorumque redditibus non solùm Fratrum ibi degentium sustentationi, ac Sacristiæ necessitati providere valeat, sed etiam, ut absque gravamine Conventûs Annunciatæ possit augeri Eremitarum numerus, liceatque novas Cellas con-* G *struere, etiam pro iis, qui vitam vellent ducere omnino solitariam, quod fiat de consensu Discretorum dicti Conventûs Annunciatæ, authoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus, atque concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, ac Eremi, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ, & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscunque.*

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxix. Decembris MDC. Pontificatûs Nostri anno octavo.

M. Vestrius Barbianus.

H Interea dum pius Generalis satagebat circa ministeria, & devotiones illas anni Sancti, eò vehementius furente in ipsum Dæmone, vexabatur: nam querimoniæ multæ contra ipsum ex varijs locis apud Protectorem insurgebant, quibusdam ægrè ferentibus, quòd propter novam reformationem sua commoda perturbarentur. His igitur, & assiduæ pœnitentiæ defatigatione, quam sibi familiarem fecerat, graviter affligebatur, necnon Officij molestijs, & quod ipsum vehementer angebat, ab adversarijs præpeditus, quò minùs munus suum exercere posset, valde perturbabatur, ita ut aliquandò tæderet ipsum vivere. Cumque jam M. Gratianus Procurator

Or-

Ordinis, qui plurimùm suis consilijs adversabatur, defunctus fuisset; curabat Angelus Generalis Romam adducere, & in ejus locum præficere Archangelum Glanium de Florentiâ, à quo sibi conducibiliora pollicEri posse sperabat, ad quem etiam jam literas Cortonam præmiserat, ubi ille tunc Vicariũ Generalem, & Theologum Cosmi Episcopi agebat, qui ne ipsius Archangeli obsequio, & famulatu privaretur, obnixè rogavit eundem Generalem, & D. Protectorem. Cumque Gen. parum, aut nihil in reformando Ordine proficeret, maximè consternatus, tandem omnes conatûs, omnesque labores in perpetuam requiem commutavit, à Deo de suâ optimâ mente cumulatissimè remuneratus. Nam cum in visitandis Basilicis illis pluries nudis pedibus, & summo cum labore, pro adipiscendis Indulgentijs, defatigaretur, accidit ut in Basilicâ S. Pauli dum ad Altare Sanctissimi Crucifixi celebraret, improvisâ febre invaderetur, & cum eâ pariter nudis pedibus anhelâs domum reversus, pleuritidis morbo gravatus, nec Divina officia, nec Missam quotidie prætermittens, tandem post tertium diem cogitur in lecto decumbere, ubi etiam quotidie canonicas horas persolvere, & Sacram communionem recipere voluit. Cumque se morti proximum cognosceret, vehementer angebatur, quod non potuisset visitationes Basilicarum pro assequendo Jubileo implere. Unde M. Antonium Procuratorem ad pedes Summi Pontificis præmisit, qui sibi cum suâ benedictione prætermissas vices indulgeret. Quâ in re Pontifex audito pereuntis Generalis casu vehementer indoluit, & vix lachrymas continere potuit, hæc verba proferens: *Moritur vir justus, & innocens, & Nos bonæ voluntatis Nostræ ministrum præcipuum amittimus, benedicat illi Deus* *. Demum in Vigiliâ S. Mathię Apostoli ingravescente morbo pius Gen. convocatis Patribus humiliter veniam petijt Religioni, & Fratribus, si quid in officio suo, quod saluti animarum sibi commissarum prætermisisset, hortans singulos ad regularem disciplinam servandam, & institutam reformationem amplectendam. Interim post secundam noctis horam, dum Completorium cum suo Scriptore, qui erat M. Paulus Emilius Paruinius de Cremonâ, recitaret, ad Psalmum *Qui habitat*, postquam dixisset *super aspidem & basiliscum ambulabis*, inter illa verba *quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum quoniam cognovit nomen meum* signo Crucis se muniens, dexterâ sub facie appositâ, Spiritum Deo reddidit. Vir quidem si priora studia literarum spectes omni eruditione primarius, si verò pietatem, & religionem cum cæteris nostri Ordinis Beatis Patribus æquandus, cujus gesta, necnon assidui studij labores, fervensque in Deum famulatus, & amor, usquè ad magnum sui ipsius contemptum, atque dejectionem non nostro, sed aliorum calamo concredita inferiùs explicanda suppetunt. A Nam vix Angelus Maria in Domino requieverat, quando nonnulli ex Patribus nostris, ut P. Joannes Angelus Lotinus, P. Octavianus Florentinus, F. Gregorius Alafia de Summaripâ adolescens plura de tanto viro scriptis mandarunt. Verùm inter omnes D. Vincentius Puccinius Florentinus venerabilis Sacerdos ejus gesta uberiori stylo italicè conscripsit.

Archangelus Glani Vic.Gen. Episcopi Cortonæ

* *id refert etiã Ignatius Ursulinus Parte 1. de Familijs Florentinis pag. 66.*

Pia mors Angeli Gen.

[Hucusque dictis addere placet, quòd Angelus Maria Montursius Commentaria scripsit in Lib. primum Sententiarum Typis impressa Florentiæ anno 1579. quæ egomet vidi Venetijs in Conventu S. Mariæ Servorum. Præterea sciendum est, quod annno circiter 1600. instituta fuit senis à nonnullis de Famili B liâ Terucci Societas sub Tit. B. Joachimi, quoniam fortè defecerat, quæ à pluribus Patricijs Senensibus è Familia Piccolomineâ anno 1372. instituta fuerat, ut ad eundem annum diximus. Hujus autem de nnvo institutæ Societatis Confratres convenire solebant ad spiritualia exercitia peragenda in Specu, quòd B. Ipse Joachimus, eùm in terris ageret, ad agendam pœnitentiam eoluerat, quodque adhuc præcipuâ veneratione servatur apud ipsum Conventum, in quo degunt modò Patres. Brevi tamen Societas hæc ob Loci difficultatem defecit, cæterùm & ipsi æquè ac aliarum Societatum Confratres publicis per Urbem intererant supplicationibus. Quod spectat ad Ecclesiam S. Mariæ Servorum de Imolâ, de cujus origine satis ad annum 1325. C recolendum est hoc anno, quòd cùm Ecclesia illa à pluribus annis ruinæ proxima esset, nobilis Familia de Scossis plurimùm contulit ad ejus instaurationem, necnon proventibus annuis pro commodo Patrum augendis, præsertim verò Dominicus, qui Capellam ibidem instituit, atque dotavit S. Andreæ Apostolo dicatam, postmodum Matthæus anno 1591. & Antonius anno 1600. prædia, Domos, Bonaque sua omnia mobilia eidem loco Testamentariâ dispositione legarunt, quorum beneficio pauperi Loco illi singulare incrementum accessit. Insuper cùm paulò post Ecclesiæ Fornix omnino corruisset, operâ, & studio P. Augustini Gabrielli de Bononiâ ibidem Prioris Civitas Imolensis longè augustiD ùs reficiendum curavit. Obiter tandem hic referre juvat, quòd locus hic à Patribus Congregationis de Observantiâ jampridem occupatus Ordini nostro restitutus fuit anno 1500. jussu D. Joannis Card. Borgia per Italiam Apostolicæ Sedis Legati, qui eidem in Priorem præfecit P. Philippum Piragninum de Imolâ à P.M. Tadęo Tancredi Priore Generali in Comitijs Generalibus Bononiæ habitis, confirmatum per Literas Patentes Bononiæ datas die 22. Maij ejusdem anni, prout constat ex ejusdem regesto, quòd in Aretinâ Bibliothecâ nostrâ fuisse scribit Glanius in Tractatu de Cœnobijs ad annum 1325., ubi de

Scripsit Comm. in 1.Sē. tentiar.

Societas B. Joachimi de novo instituta.

Memorab. quædam de Eccl. de Imolâ.

de hoc Conventu ex instituto, Memorandum denique est in hac Ecclesiâ, quòd Societas ibi est quorundam, qui nuncupantur Fratres Charitatis super Carceres, & Carceribus detentos, quibus curæ est Pauperes illos, prout oportet, & fieri potest, consovere, redimere, & è Carceribus educendos curare. Hæc autem Societas aggregata fuit Archiconfraternitati S. Hieronymi de Urbe.]

In Comitiis generalibus Romæ celebratis M. Archangelus Tortellius de Parmâ 41. Generalis eligitur.

C A P. II.

ANtequam Servus Dei Angelus Maria è vitâ migraret generalia Comitia eo charitatis intuitu Romæ edixerat, ut eandem gratiam, & eosdem Sanctissimi Jubilei spirituales favores consequerentur sui Fratres, ac ipsemet tàm avidè, tamque fructuosè adeptus fuerat. Eo igitur defuncto jam per multos de successore cogitari cœperat: plerique emeritæ laudis, & præclaræ virtutis insignes in medium proponebantur, per aulas tamen duo præcipui cæteris præferebantur, Gabriel Venetus, & Archangelus Parmensis. Verùm Optimus Pontifex quò magis à Proceribus obtundebatur, eò tardiùs rem differebat, quod cuperet ex omnibus meliorem eligi, & qui Prædecessoris vestigia ferventiùs imitaretur. In tali autem rerum discrimine totus Ordo eo integro Magist. Antonio Fuccio Procuratore Generali administrandus committitur; donec tandem Archangelus Parmensis die 2. Maij præficitur Vicarius Generalis Apostolicus; tantundem enim promeritus fuerat ex assiduis obsequijs Parmensis Aulæ Farnesiorum. Is itaq; Apostolicis literis Parmæ acceptis, Romam advolavit, ut interim Comitia Generalia ad sextum Kalendas Junij indicta disponeret, quâ die adveniente omnium votis, Petro Aldobrandino Card. pro Duce Parmense suffragante, electus fuit, & M. Antonius Vivolus de Corneto Procurator Ordinis in Curiâ. Electores hi fuerunt. Thusciæ Diffin. Antonius Zenobius Balleonius Flor. Prov. Cornelius Peracclinius de Pistorio, Socius Christophorus Galganus de Senis. Romę Diffin. M. Antonius à Corneto. Prov. Bartholomæus Magcinus à S. Angelo in Vado, Soc. Angelus Melioratus à Burgo S. Sepulchri. Romandiolę Diffin. . . . Prov. Thadæus Rota de Bononiâ, Socius Franciscus de Faventiâ. Lombardię Diffi. . . . . Prov. Stephanus à Tradate, Socius. Venetiarum Diffin. Gabriel de Venetijs, Prov. Dionysius Zucifius de Rhoado, Socius Desiderius Zarinius de Vicentiâ. Marchiæ Tarvisię Dif. Mag. Joannes Hieronymus Gambius de Ferrariâ. Prov. M. Honorius de Paduâ, Soc. M. Dominicus de Veronâ. Mantuę Diffin. Livius Bezalius de Bononiâ, Prov. Petrus Sirrius de Foropopilii, Socius Carolus de Guastal-

E lâ. Genuę Diff. Joannes Baptista de Castro novo, Prov. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, Socius Alexander de Murrâ. Neapolis . . . . Narbonensis . . . Hispaniarum Prov. Christophorus Saniaz, Socius . . . Ex quibus hæc emerserunt decreta.

1 QUod Provinciales in singulis Provincijs sub pœnâ privationis officij infra quinque menses proximè futuros exigere teneantur à suis Provinciis, & solvere impensas factas per quoscunq; Patres Diffinitores Generales, Provinciales, & Socios in accessu ad hujusmodi Capitulum, & faciendas in regressu, juxta formam decreti in anteacto

F Capitulo confecti, quod incipit *Decernimus etiam quod expenditur, &c.*

2 Item statutum fuit, quòd damnati per sententiam alicujus Superioris, qui se profitentur absolutos, vel dispensatos extitisse, teneantur infrà duos menses à die publicationis præsentis decreti computandos coram Rev. P. Generali, vel R.P. Provinciali singulis Provincijs ostendere instrumentum, vel scripturam suę absolutionis, vel liberationis in probante formâ, quę item in Regesto Provincię conscribatur, alioquin non habeantur pro absolutis, vel liberatis. Idemque servetur de ijs, qui aliâ viâ, quàm in Capitulo Generali promoti ad Magisterium fuerint.

3 Item inhærentes vestigijs decreti aliàs in Capitulo Generali Cæsenę celebrat, quod

G incipit *Quoniam proventus, &c.* volentesque occurrere magnis sumptibus, qui fiunt à Conventibus S. Marcelli, & S. Mariæ in Viâ de Urbe propter numerum Patrum Advenarum, qui Romam accedunt, statuerunt, quòd venientes de cætero ad aliquem Conventum post tertiam diem, si eos diutius morari contigerit, solvant solutione anticipatâ Julium pro singulâ die, ex pecunijs illius Conventus, cujus tractant causam, vel ex ijs, quæ eorum intuitu ad Conventus spectant, si propriam causam egerint: & Priores, & Procuratores dictorum Conventuum S. Marcelli, & S. Mariæ in Viâ curent hujusmodi anticipatam solutionem fieri, aliàs officio priventur; Advenæ autem quoad victum tractentur si-

H cut Conventuales, nec Ecclesiæ, vel Chori gravaminibus subijciantur.

4 Item statutum fuit pecunias superlucratas à singulis Provincijs in celebrandis Dietis juxta formam decreti proximi in anteacto Capitulo Generali promulgati, esse applicandas subsidio hujus Capituli Generalis, & convertendas ad ratam in utilitatem singularum Provinciarum, itaut eò minùs solvat quælibet Provincia, quò major erit quantitas pecuniarum, quæ superfuerunt.

5 Item congregati Vocales Capituli per secreta suffragia decreverunt Dietas esse continuandas, & comprobarunt decreta, quæ erant confirmanda.

Inter

Inter eos autem, qui hæc Comitia suis præclatis doctrinis, seù concionando, seù disserendo, illustrarunt, horum tantummodo meminimus. Disputarunt M. Angelus Maria Ariminensis, M. Valerius Seta de Veronâ Regens Perusij, Henricus Antonius Burgus de Castro novo, & Alexander Furnius de Monticulo Regens Florentiæ, quem sibi novus Generalis Scriptorem, & Secretarium opportunè adhibuit. Erat enim Alexander Furnius I. V. doctor, antequam Habitum suscepisset, deinde Sacræ Theologiæ professor eximius, & qui Generalis indigentiæ occurrere posset, & ejus vices aliquando in Ordine administrando supplere. Utebatur hic Generalis pro consuetis subscriptionibus *A Domino factum est istud*. Plures conciones habitæ à nobis, & ab alijs in hujusmodi Comitijs prædicari consuetis. Romam interea advenerat M. Hippolytus Massarinus Lucensis, quem dum Clemens Pontifex Ferrariæ diversaretur, D. Lucretia Estensis pro suâ auctoritate apud ipsum plurimùm commendaverat: multos enim annos Hippolytus eidem Dominæ à Confessionibus, & à Sacris Theologus inservierat, cujus tandem favore Pontifex cognitâ Hippolyti præstantiâ, & virtute Montis pelusij Episcopum elegit; & cum esset tunc oborta magna illa quæstio de auxilijs, studio, & operâ Hippolyti inter alios Theologos usus fuit ad illam dubitationem ventilandam: unde Hippolytus magnam cum Pontifice consuetudinem contraxit, & Romæ semper cum annonâ Palatij Apostolici diversarus fuit, & apud Cardinales ob suas virtutes magno in pretio habitus.

Hippol. de Luca Episcop. creatur.

De Arâ argenteâ, munificis'que donis, & Ædificijs, ac recentioribus quibusdam miraculis Annunc. de Flor. necnon B. P. N. Philippi.
CAP. III.

FErdinandus primus magnus Etruriæ Dux III. Cosmi patris regiam pietatem æmulatus erga B. V. Annunciatam, quemadmodum statim pro suo ineundo feliciter Principatûs gubernio, post defunctum Franciscum fratrem, duo grandia Candelabra argentea magni ponderis, & pretij ad pedes illius Aræ obtulerat; hoc quoque anno totum illud Altare Annunciatæ argenteum, in quo opus, & materia decertant, pro salute Cosmi primogeniti sui, non absque ingenti Florentinorum admiratione, apponi jussit, die memorandâ Nativitatis ejusdem Gloriosæ Dei Matris, cujus Sacellum etiam pretioso strato marmoreo varijs lapidibus vermiculato cum suis stemmatibus exornavit, quem etiam imitata Christina Lotharingia coniux regijs donarijs, & ornamentis, gemmis'que eam Aram prosecuta fuit cum argenteis candelabris, & phyalis magni pretij. Eâ enim devotione uterque Sanctum illum Locum coluit, ut certatim nunc ipse, nunc illa quotidie venerarentur, & frequenti oratione Sanctam illam Imaginem non cessabant adornare simul, & adorare. De quibus cecinit Prosper Tatius.

Ferdin. I. Mag. Etruriæ Dux, & Christina Uxor Sacellū D. Ann. de Flor. maximè exornāt & venerantur.

Delectat tantùm lustrare ingentia Templa
Ista DEÆ, hic magni Fernandi dextera claret
Larga Ducis, quę cura premit cœlestis honoris,
VIRGINIS ac perstat celsæ pars maxima cultus.
Rebus & in magnis Dux limina sacra frequentat
Coniuge cum rarâ, CHRISTI quæ nomina perfert.
Fæmineum ac decus illustrans Lotharingia factis
Gesta suis complet, nomen'que æternat in astra.
Solvit ibi Dux vota, pius regnum'que relegat,
Argento, ac facto votivas condidit aras,
Cælatas vitam DIVÆ, mortem'que decoræ;
Pondere quas juxta magno candelabra surgunt,
Quæ certant operi, æternos igneis'que ministrant.
Ac gemina ut Cœlo fulgent, ardens'que comœtæ,
Flamma rubet, solem crispant bini'que pyropi.

Horum verò Principum devotione magis ac magis excitatâ his temporibus Florentia tota, non defuerunt viri primarij, qui lychnos, varia'que argentea vasa usque ad Angelorum statuas pro eo exornando Sacello conflarent. Verùm omnes his temporibus superavit D. Carolus de Bardis, qui aureâ magnâ, gemmatâ'que coronâ caput Sacratissimæ illius Imaginis decoravit. Alexander quoque & Robertus Puccij Fratres avitæ pietatis suorum majorum in eam Ecclesiam non immemores, ad ampliorem Loci commoditatem, magnam, & conspicuam porticum super plateam ante fores Ecclesiæ à fundamentis erexerunt. Hi enim antiquorum pietatem, & frequentiam non modò æquasse, sed etiam superasse videntur; & hoc non absque magno fænore subsequentium quotidie gratiarum, & miraculorum, quorum præstat modo recentiora nonnulla antiquioribus præteritis superaddere. Vir quidam nomine Antonius Joannis à Piratis in mare propè Liburnum captus, quatuor sagittis graviter vulneratus, & die 5. Septembris 1593. cum nulla fuæ salutis, aut redemptionis spes ei suppeteret, ad Gloriosæ Virginis Annunciatæ præsidium emisso voto confugit, cujus precibus annuente B. V. post triduum supervenientibus Pontificijs Triremibus liberatus, & à vulneribus sanatus evasit.

Miracula D. Ann. de Flor.

In Monasterio S. Apolloniæ de Florentiâ forte fortuna accidit, ut Soror Antonina Joannis Dossi ad puteum abluens olera pro Monialibus, dum funem sitularum simul convolutum pro hauriendâ aquâ dissolvere tentat, extractâ de loco trochleâ, non valens illud

por.

pondus sustinere, repente in puteum cum fistulis submergenda trahitur, unde incolumis meritis Gloriosæ Annunciatæ, cujus auxilium invocaverat, extracta fuit die 6. Maij an. D. 1596.

Hoc verò anno 1600. sub die 25. Augusti, quidam Presbyter, nomine Forestus de Pinis & Cantor Cathedralis Pistoriensis, Florentiæ prope porticum Ecclesiæ Annunciatæ, dum canonicas Horas persolveret à quodam inimico evaginato gladio hostiliter aggressus, & simul perterritus, in peristylum continuò sese recepit, sed videns furentem inimicum Sacris Ædibus non parcere, sed illum celeriter insectari, per angustum vestibulum pavidus in proprium Annunciatæ Sacellum repentino cursu aufugit exclamans: eja mater misericordiæ libera me miserum, ad cujus vocem populus, qui Sacerdoti celebranti astabat, excitatus, vix insectantem, & ita percitum cohibere potuit quin semper districto gladio, per illas angustias vibrans, & feriens vas aquæ benedictæ percuteret, ubi adhuc ictuum vestigia remanent, & quidem miraculum accidit, etiam miraculum vociferante populo, ut Presbyter ille aut occisus, aut saltem vulneratus meritis Gloriosæ Annunciatæ, non fuisset.

E

Catharina uxor Antonii, qui vulgò dicebatur *il Nancino* sub turri Portæ S. Nicolai de Florentiâ habitans, noctu 14. Septembris ejusdem anni, dum sopore gravi in lecto cubaret ab altâ ruinâ cristatæ pinnæ ipsius turris, æstu de Cœlo cadente, usque adeò oppressa, & perterrita remansit, ut fuga è lecto surgens, & credens fragorem illum evasisse, in aliud periculum incidit, nempe per dirutum domûs laquear ab alto cadens, partem quoq; illius ruinæ secum traxit unde inter saxorum, & lignorum macerias consilii anceps, totam sese Gloriosæ V. Annunc. commendavit; nec vana spes; nam advenientibus, qui Portam illam custodiebant, nudam fœminam inter illas ruinas conspiciunt, quam cum emortuam credunt, incolumem, & absque ulla corporis læsione, ab illâ ruinâ, meritis B.V. Annunciatæ, extrahunt.

F

Pompilius Ferrarius V. I. doctor, & civis Beneventanus adnavigans Tyrrhenum mare cum uxore, & familiâ, post serenum Cœlum obortâ magnâ tempestate periclitari cœpit, ita ut navicula operiretur fluctibus; cum verò experti nautæ relicto navigio adjacentem Montis Argentarij Terram natando appulissent, ipse solus cum familiâ inter fluctus maris continuò exagitabatur, quando majus sibi periculum imminere vidit, nam fulgur de Cœlo percutiens lignum, stramenta quædam tanto ardore incendit, ut ignis lignum inflammaret, & mœstissimis illis pavorem magis incuteret, quòd se intelligerent inter ignem, & aquam difficile posse imminentem evadere interitum: quando Pompilius extremo in discrimine positus ad B.V. Annunciatam de Florentiâ, cujus admiranda semel viderat, & plures audierat, se totum cum maximo cordis fervore commendavit, & voto emisso redeundi ad eandem Imaginem visitandam (obstupendum dictu) extinctus ignis, Cœlum serenatum, mare tranquillum, unde tota simul cessavit quassatio, & illucescente die terram appulit, & illicò votum solvit.

G

Pari modo, & tempore miraculis, & gratijs florebat B. P. N. Philippus; nam ex quo in ejus proximâ Translatione P. Bernardinus de Româ, qui tunc erat Prior Tuderti, ad Ecclesiam S. Marcelli detulisset alteram maxillarem ejusdem B. Patris pro insigni reliquiâ, contigit tertio idus Junij præsentis anni, ut cum nobilis Joannes Baptista Rebiba diuturno languore jam jam consumptus, morti proximus esset, ejus parentes casum filij miserati, curarunt ad illum deferri reliquiam B. Philippi, quam cum P. Philippus Boculus de Eugubio super ipsius pectus admovisset, statim visa est rei quia illa (mirabile dictu) ejus pectori velut mollis cæra inhærere, & quodammodo conglutinari, cujus contactu, & parentum votis illicò infirmus se benè habere præsensit, & non post multos dies, ex illâ mortali infirmitate, convaluit.

Miracula B. Philip. Benitij.

Hujus rei famâ commotus Pompeius de Maximis Marchio, cum pessimâ ardentissimaque febre laboraret, & jam omni spe vitæ destitueretur, eandem similiter reliquiam rogavit sibi deferri, quam idem M. Philippus 16. Kal. Septembris, cum primùm super ipsum apposuisset, continuò ægrotus benè cœpit habere, & post quintum diem ex integro convaluit.

Decimotertio quoque Kal. ejusdem Clelia Rebiba uxor præfati Marchionis octavo suæ prægnationis mense, diris doloribus ab ubere sinistro vexata, nullo modo quiescere poterat, donec ejusdem reliquiæ beneficio potita, statim ab ipsis doloribus se liberam agnovit, & meritis, & intercessione B. Philippi non multò post felicem edidit partum.

At ud obstupêdum Tuderti per eosdemmet dies contigit perpetuâ memoriâ dignum. Nam adveniente celebri commemoratione B. Philippi, quando anniversaria Sacra in ejus honorem habentur die 23. Augusti, in proximo Vico, qui dicitur *Casalalta* rusticus quidam nomine Pasquinus imminente diluculo, boves parabat, & jam eduxerat ad quendam arandum agrum, quando improvisò ei super dumetum agri adfuit speciosa quædam, & gravis fœmina candidis indumentis præfulgens, & eum sic alloquens: *Eja fili, cur diem B. Philippo sacrum non custodis? alia enim suppetunt agenda in hac die pro animæ salute.* Cui Villicus ex tam repentinâ apparitione, & voce perterritus, respondit: *Et quænam sunt ista facienda?* at illa. *Heu miser, nescis, quæ mala imminent iis, qui festos dies non custodiunt?* Tunc Pasquinus pavidus, & tremens dum se inclinat, ut vomerem ex humeris su-

H

per

per terram deponeret, & fœminam illam interrogaret, quodnam festum die illâ celebraretur, jam effectus nihil amplius vidit, & ipse boves ad pascua per illum diem non laborans dimisit. Posterâ verò illucescente die Pasquinus externam visionem sæpe sępius meditatus, Tudertum veniens, quod illi præteritâ die accidisset cuidam Fabro ferratio per ordinem narravit, à quo postea evulgatum hoc miraculum, nos dum Tuderti concionando in illâ Cathedrali ageremus, coram Episcopali Notario, & testibus ab eodem Pasquino relatum, & jurejurando ratum accepimus, & inter ejusdem B. Philippi miracula in ejus Processum de Canonizatione Florentiæ habitum referri curavimus.

In quo etiam Processu præter cætera alterum non minori admiratione dignum recognoici, & conscribi fecimus. Contigerat enim Florentiæ ab anno 1595. ut mulier quædam nomine Dianora uxor Raphaelis de Pezzinis habuisset filium duorum annorum Vincentium nomine, qui à nativitate alterâ tibiâ, & pede detortis, & convulsis nullo modo ambulare posset, sed semper in sellâ gestari oporteret; quod infortunium filij ægrè ferens mater, quâ die Sabbathi magnus populi Florentini concursus consuevit ad Ecclesiam Annunciatæ semper fieri, mulier omnem suam spem filij sanandi in B. Philippum reponens, ad ejus Sacellum pervenit, & ibi lachrymis, orationibus, & fœmineo ejulatu causam filij B. Patri commendavit. Domum igitur reversa filium præter consuetudinem ludentem, & sibi obviantem, blandientemque plaudentem, non absque ingenti lætitiâ, & admiratione eâdem horâ incolumem recipere meruit, & statim ad Annunciatam reversa hilaris, & præ gaudio lugens, Priori Annunciatæ, qui tunc erat M. Archangelus Gianius, per ordinem, ut sibi contigissent, enarravit, & tanti voti compos effecta, sancto Habitu, & nigris vestibus filium plures annos induit ad honorem B. Philippi.

Clementis Octavi auctoritate Novitiatus pro Eremitis in Senario erigitur, & Archangelus Generalis moritur.

CAP. IV.

POstero interim accedente anno crescente numero eorum, qui ex nobilibus Florentinis in solitudine Senarij vitam degere cupêrent, jam Angelum Mariam Generalem, dum Florentiæ, & in Senario ageret, rogaverant, ut facultatem à Summo Pontifice conaretur impetrare, quò commodiùs ipsi suum desiderium solitariæ vitæ potiundæ in Eremo Senarij adimplere possent: quod quidem privilegium diligens Generalis, dum à Summ. Pontifice obtinere nititur, morte præventus, Lælius Balleonius ipsorum Eremitarum sollicitus procurator tandem recepit. Nam Clemens octavus per A speciale diploma concessit novum in Senario institui Novitiatum: justis enim de causis superiori tempore optimus Pontifex prohibuerat, ne in quovis Religiosorum Ordine admitterentur Novitij, donec aliud per ipsum decerneretur, quare opus fuit, ut pro admittendis ad Eremiticam vitam illam aliqua specialis dispensatio concederetur sequentis tenoris.

CLEMENS PP. VIII.

DIlecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Ordinis vestri conservationi, & propagationi, quantùm cum Domino possumus, prospicere cupientes, motu proprio, & ex certâ B *Nostrâ scientiâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, in sacrâ Eremo Montis Senarij Novitiatum Vestri Ordinis authoritate Apostolicâ tenore præsentium erigimus, & instituimus, vobisque, ut in Eremo prædictâ Novitios, qui qualitates requisitas juxta constitutionem Nostram super receptione Novitiorum nuper editam habeant, ac servatâ in omnibus, & per omnia dictæ Constitutionis formâ ad Habitum per Eremitas vestri Ordinis gestari solitum recipere, & deinde elapso probationis anno ad professionem per eosdem Eremitas emitti consuetam regularem admittere liberè, & licitè possitis; & valeatis, authoritate, & tenore præsentis licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus prohibitione novissimè factâ, ac Con-* C *stitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Bulla pro Novitiis Senarij.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx. Februarij MDCI. Pontificatûs Nostri anno decimo.

M. Vestrius Barbianus.

Excitatis superiori tempore Italiæ Urbibus per sacros præcones nostros ad pietatem erga S.P.N. Philippum, sanâque passim de suis miraculis, & gratijs evulgante, dum Lælius Generalis postquam nova ei Sacella erigere, & Angelus Maria postmodum ipsius Canonizationem procurare tentassent, multi ex nostris declamatoribus per varia loca San- D ctitatem B. Philippi, ejusque miracula celebrantes, populos ad ejus devotionem converterunt. Inter eos verò, quos hactenus scire potuimus, non videtur contemnenda sedulitas P. Aurelij Raphaellij Baccalaurei Perusini, de quo etiam meminimus in Histor. â ejusdem B. Philippi. Hic enim Florentiæ spectabile, & venerandum Sodalitium S. B tgittæ curans, Confratres illos ad magnam Beati prædicti devotionem usque adeò excitavit, ut B. Philippum nostrum Protectorem suæ Societatis cum præcipuâ ipsius Imagine, necnon jugi ejusdem commemoratione in suis officijs perpetuò deligerent. Is ipse Aurelius in Oppido Mugellani Vici ad ejusdem Beati hono-

rem,

rem, oum concionatetur per Quadragesimam, hanc eandem devotionem populis ipsis ingessit. In Oppido quoque, quod dicitur Lazize ditionis Veronensis præcipuum Sodalitium ad honorem B. Philippi multis viris, & fœminis illuc convenientibus fundavit. Quorum occasione Clemens Pontifex Max.& Florentiæ, & Tuderti, atque per alia loca Indulgentias quamplures in festo B. Philippi concessit. Quin & in præterito Capitulo generali æreis stemmatibus cum imagine B. Philippi in coronis calculorum gestandis ingentes contulir Indulgentias. Neque deerat interea Archangelus Generalis ràm pio officio, quod à suo prædecessore acceperat, ut procurandæ Canonizationi B. Philippi non invigilaret, & pecunijs colligendis, conservandisque ad idem opus prasto esset. Idcirco mandaverat & Ipse hoc annò, ut prætermissâ multitudine Provincialium Comitiorum, quædam parvæ Congregationes ad instar anni præteriti fierent; & pecuniæ, quæ supperent, pro Canonizatione servarentur. Verùm dum hæc diligenter meditatur Generalis repentino Parmæ opprimitur morbo, & quinto nonas Octobris viam universæ carnis ingreditur, in Ecclesiâ nostrâ sub marmoreo lapide sepultus, in quo hæc verba leguntur.

Mors Archan. Gen.

D. O. M.

Fratri Archangelo Tortellio Generali Servorum Farnesijs Augustissimis Principibus pergrato, prius vita, quàm officio functo, Patres ejus Parmenses monumentum in benevolentiæ argumentū poni curarunt, Ann. Dom. 1601. ætatis suæ 49.

Adfuit continuò Parmæ M. Paulus à S. Bernardo generalis Diffinitor Provinciæ Lombardiæ, cui secundùm Constitutiones illo interregno generalis administratio Ordinis usque ad Capitulum generale de jure debebatur. Is igitur accepto sigillo Romam profectus est, ubi reperit Gabrielem Venetum Aulæ gratissimum per D. Protectorem Vicariū Generalem Ordinis octavo Kal. Novembris, præter Constitutionum jura destinatum, sibique, nisi renunciasset officio, Indignationem, & fortasse malum paratum. Gabrielem igitur sexto idus ejusdem Clemens Pontifex, ut supplicanti Cardinali Protect. morem gereret, per Apostolicas literas confirmavit.



E

De Gestis, & Obitu B. Deodatæ de Rigolis à Bagolino.
CAP. V.

NON procul à Terrâ Bagolini, ubi dicitur Idro, super Lacum ejusdem nominis, honestis parentibus orta fuit Deodata de Rigolis. Hæc in timore Dei enutrita ad vigesimum ætatis annum cum proposito perpetuæ virginitatis pervenerat, quæ cum B. Luciâ de Bagolino Ordinis nostri Sorore magnam à primâ juventâ familiaritatem contraxerat; cujus etiam exemplo illecta Sanctum B. M. V. Habitum vehementer optare, quin & alias virgines puellas ad illum suscipiendum hortari cœperat. Die igitur 15. Augusti Deodata cum plurimis Virginibus agmine facto, postquam solemnem diem illum assumptionis B. V. devotissimè celebrasset, ad vespertinam horam in Ecclesiâ S. Rochi ejusdem Loci, sese pro nocturnâ oratione recepit simul, usque ad primam sequentis diei horam. Totum verò oratio per integram illam noctem fuit quædam spiritualis præparatio, & supplicatio ad Deum, ut dignè Sanctum B. V. Habitum recipere merentur. Præparato interim Archipresbytero ipsius Ecclesiæ, qui dicebatur D. Bernardinus Ferrandus, ad Sacrum celebrandum, Deodata cum puellis tantâ devotione, & Spiritûs fervore astabat, ut cùm Sacerdos Hostiam elevaret, spiritus quoque Deodatæ in maximam rapeetur visionem; nam videbatur sibi videre super Aram illam corporali specie Iesum Christum D. N. ad staturam hominis, cum consuetis vulneribus lateris, manuum, & pedum, & cum coronâ spinarum in capite, & manibus, brachijsque veluti super crucem extensis, cujus corpus tribus stolis aureatis, itidemque dealbatis præter vulnera, & faciem cooperiebatur. Quæ visio non absque ingenti Deodatæ jubilo, & fervore tandiu perseveravit, quoadusque Sacerdos Sacram Communionem sumeret. Hac verò visione dignata fuit Virgo illa Beata, ut inde ediceret se recepturam consimilem illum Habitum Passionis, & doloris, quem sub Cruce sustinuerat Beata illius Mater Maria, & inde cognosceret veram ad ipsius Habitûs susceptionem esse præparationem illam, ut patientem Iesum Christum sub specie illius Habitûs, quem desideraverat, forti animo indueret. Elegans quidem, & ænigmaticum Christianæ Religionis hieroglyphicum in plagis Jesu Christi tribulationes, in stolis albis, & aureis, retributionem ostentans. In hujus verò visionis memoriam D. Thadæus Ferrandus de Idro ad ipsius Sororis Deodatæ instantiam, Imaginem Sanctissimi Crucifixi in medio illius Ecclesiæ postmodum apponi curavit, quæ ob tantæ apparitionis memoriam magnâ populi veneratione usque ad hanc diem colitur. Suscepto igitur B. V. Habitu

bitu in Monasterio Bagolini cum illis Virginibus Soror Deodata quotidie magis inserviendo B. V. Mariæ proficiebat, & circa Sororum ministeria summâ charitate satagebat, nunc Sororibus Infirmis diligenter ministrando, nunc extra Monasterium eleemosynas quæritando: quare brevi usque Venetias effusâ Sanctitatis illius famâ, omnes primariæ Matronæ mendicantem Deodatam apud se habere certatim contendebant. Accidit autem aliquando, ut nobilis quædam mulier, quæ dicebatur Tisma de Terrâ Lodroni vidua relicta, quæ Arsi commorabatur, a Sorore Deodatâ sæpesæpius de B. V. Bagolini edocta, maximam erga nostrum Habitum, & Sorores illas concepisset devotionem, atque ob id favores non paucos à B.V. assecuta fuisset. Hæc morti proxima, post conditum testamentum, Sorori Deodatæ secretò revelavit se pro remedio animæ suæ Monasterio Bagolini legasse dimidium olei modium super agros, quos habebat in pago Gargnani, quod quidem tempore ineunte cùm Sorores ab hæredibus repeterent, nec chirographum apud se haberent, nec Notarium scire possent, nequaquam illud exigere valuerunt, hæredibus testamentum occultantibus, nec precibus, ac necessitatibus Sororum tres integros annos ullo modo acquiescentibus; donec Præfecta Monasterij curam hanc Sorori Deodatæ commisit, utpote quæ consueta erat quæritando eleemosynas omnes illas oras Benaci lacûs frequenter percurrere, & benignè à finitimis illis recipi. Hæc igitur præmissis orationibus cum Sorore Cæciliâ de Beninis iter arripuit versus Solonam Terram, prope quam erant agri, unde oleum illud recipere deberent. Magna erat in Deo fiducia Deodatæ recipiendi chirographi, quamvis ne vestigium quidem illius scire unquam potuisset. Cùm itaque ad Arcem Ansiam Dei monitu pervenissent, coguntur à D. Præfecto, qui erat Patritius Venetus, summâ cum charitate eâ nocte in Palatio quiescere, speciali sibi cubiculo assignato, in quo etiam duæ famulæ domûs ob familiarem cum Sororibus devotionem excubare voluerunt. Clauso igitur ostio omnes in oratione perseverabant, donec aliis dormitantibus, una Deodata inter tenebras in oratione perseverans sese ab aliquo per brachium absque ullo animi pavore detineri præsensit (assueverat enim hujusmodi seu Dæmonis, seu Angelorum visionibus tentari, & alloqui) nomine igitur B. V. & dilecti filii sui invocato audacter adiurare cœpit dicens: *Tu quisquis es, & qui me brachio retines, an sis malignus Spiritus, seu à Deo missus noli mihi per Deum vivum molestiam ullam inferre, usque adeò enim Jesu Christi, ac B.V. servituti addicta sum, ut emori malim, quàm Deum ipsum offendere, & Sanctum, quem gero Habitum, ullâ ex parte labefactare*. Cui vox clara respondit: *Ne verearis Deodata, à Deo ad te missus sum, ut*

Revelatur chirographi occultum forori Deodatę

de Chirographo, quod quæris, certiorem faciam; scriptura, quam cupis, habetur reclusa in Capsula Laurentij de Pralboino militis hujus Præfecti. Ad hanc vocem excitatæ famulæ cum Sorore Cæciliâ valde exterrefactæ fuissent, nisi Soror Deodata post completam orationem eas solata fuisset. Posterâ tandem die per famulas certior factus Præfectus de his, quæ eâ nocte accidissent, Laurentium militem ad se vocavit, & apertâ Capsâ chyrographum tàndiu à Deodata quæsitum, & desideratum adinvènit, & Sororibus restituit, quę deinceps ipsius scripturę vigore legatum olei meritis, & intercessione Virginis Deodatę perpetuò assecutę fuerunt Sorores Bagolini, quod sanè Chirographum divino oraculo repertum hactenus eo in Monasterio conservatur. Aliud quoque de hac Virgine Deodatâ dignum admiratione occurrit, quòd non obstante fœmineâ imbecillitate, quâ solent mulieres ferocium virorum [illegible] deterreri, tam virili animo prædita erat Soror nostra Deodata, ut [illegible] cujusdam, ac pessimi Heretici sevientem, & obstinatum animum non modò non expavesceret, [illegible] potius blandis hortationibus flecteret, & tandem spiritûs sui fervore ad Deum converteret. Dum igitur aliquando mitteretur Deodata cum sociâ, quę dicebatur Soror Anna de Beninis, ad quæritandum [illegible] mense Septembri eleemosynas pro solitâ [illegible] paupertate relevandâ, factum est, [illegible] Vallis camonicę pergerent; [illegible] pervenissent instante nocte, nec [illegible] diversorio esset, quandam devotissimam Dominam rogarunt, ut pro illâ nocte ipsas apud se Dei amore hospitari dignaretur; quæ vehementer casum illarum miserata excusavit se illas nullo modò posse in propriâ domo recipere ob coniugis austeritatem, factura tamen ne sub dio manerent. Habebat Domina illa non longè à domo fœnile quoddam, & præsepium mariti sui, & ad hunc locum Sorores illas clam marito transmisit cum oparâ cœnâ, alijsque pro illâ opportunitate necessarijs. Fortè aderat domi parvulus filius, qui redeunti patri exemplo rem de Monialibus per ordinem narravit: quibus auditis vir ferox, & sacrilegus illicò ad locum, in quo super fœnum jam cœperant quiescere Moniales, spirans minarum accurrit, ubi vociferans, & minitans, atque blasphemans excitatas pauperes illas, ut sibi aperirent, contestabatur, alioquin omnia completurus igne, & ruinâ. Quid plura? Adnitentibus intus, & pacem, & quietem pro illâ nocte rogantibus Sororibus, Deique, & B.V. sese ex animo commendantibus, factum est, ut paulatim vir ferus, & acer remitteret minas, mitesceret, bona verba daret, rogaretque amore Dei, & B. V. ut sibi ultrò aperirent, nullam eis se illaturum iniuriam, quinimo blandè, & honorificè tractaturum. Soror Interim Deodata cum Sociâ Deo, Beatęque

Deodata hæreticũ ad catholicam fidem revocat.

V.M. iterum se ex corde commendantes clave potrectâ virum jam mansuetum factum coram ipsis lugentem admittunt, genibus flexis veniam petentem, & Dei misericordiam, illarumque auxilium implorantem. Nam coram eis contestabatur se circa illud presepe vidisse Sanctorum, Sanctarumque multitudinem, in earum tutelam armatam strictis gladijs sibi minirantem, & jubentem, ne Virginibus illis iniuriam ullam inferre auderet. Quibus dictis Deodatam cum Sociâ ad propriam domum, quamvis invitas, & renuentes ęquo animo duxit, ubi lugens, & afflicta morabatur uxor, imminens supra se periculum suspicata, quę viri subitam mutationem demirata ingentes Deo gratias agens, id totum pro ingenti miraculo, & Sororum meritis adscribendum postmodum prędicabat. Omnibus tandem pacatis lętanter, & humanissimè Sorores pertractatę fuerunt. Vir peccator, & hæretice pravitatis veniam per Sacramentalem Confessionem precatus, expiatusque ac Sacramentali Communione refectus, ex pessimo demum heretico Lutherano, veluti Saulus in Paulum, in virum Catholicum, & pium Sororis Deodatę beneficio evasit. Quo quidem pręclarissimo exemplo conspicitur non solùm viros doctos ex Ordine Servorum, sed etiam fragilem, & imperitum mulierum sexum, sub B. V. Habitu S.R.E. in convertendis Hereticis, augendâque fide, obsequium pręstitisse. Tot igitur B. V. Deodata Soror nostra gratijs, & favoribus cumulata, tandem ętate grandęvâ, usque ad decrepitam senectutem in Divinis obsequijs hoc anno pervenerat (erat enim centenaria) quando placuit Altissimo eam de terris ad cœlestem gloriam transferre. Verùm antequam moreretur, P. Zacharias Brixiensis, qui tunc illius Monasterij Corrector, & Confessarius erat, ne tam pręclara gesta Beatę illius Virginis ullo unquam tempore oblivione involverentur, sed ceteris supervenientibus innotescerent, ad cubile Sororis Deodatę cum D. Julio Rubaiz Notario accessit, pręsente Sorore Barbarâ Berdigâ Priorissâ, & in virtute salutaris obedientię mandante, ut Deodata referre deberet, quę superiùs dicta sunt. B. Virgo integris sensibus, scribente Notario, singula rata & firma ad jussum P. Zacharię Confessarij proprio ore approbavit: ex cujus Notarij publici chirographo singula accepimus, cum Brixiæ ageremus. Moritur B. Deodata die secundâ Aprilis 1602. & quæ Passionem D.N. Jesu Christi diu meditata fuerat, & illius vulnerati corporis speciales visiones olim acceperat, in Sacrâ majori hebdomanâ Passionis suæ meruit ad Cœlum evocari. Ejus si quis imaginem velit appositè referre consultò poterit longævam fœminam consueto habitu indutam repræsentare, quæ alterâ manu adinventum illud chirographum teneat explicatum, cum sarcinulis super humeros, & ad imaginem illam Jesu Christi,

Deodatę de Regolis Imago.

quæ sibi apparuit, tota conversa, & elevata. E His ipsis diebus M. Augustinus Goruccius de Aretio post sedulam in Aristotelicis, Theologicisque literis navatam operam Bononiæ in Conventu S. Joseph, cujus domesticam Academiam regebat, Sarcinam mortalitatis deposuit. Vir quidem apprimè eruditus, qui in græcis, & humanis literis à primâ adolescentiâ Aurelium Menochium Magistrum habuit; Pisis deinde in Aristotelicâ disciplinâ Andreæ Cæsalpini philosophi doctissimi auditor fuit, cujus consuetudine tantùm profecit, ut Peripatetici, Aristotelicique nomenclaturam tam in dialecticis, quàm Physicis brevi assequeretur, adeò ut postpositis interpretibus alijs ex ipsâ Aristotelis doctrinâ placita ejusdem semper interpretari consuevisset. In sacrâ verò Theologiâ plures annos Magistrum F habuit Jacobum Tavanthium, qui ejus solertissimo ingenio plurimum oblectabatur, cùm præsertim Augustinus à Stephano Bonuccio de Aretio, quem veluti filium unicè diligebat, vehementer sibi commendatus fuisset. Quâ in re nos testes oculati fuimus, qui illum octo annos Florentiæ primùm, mox Bononiæ præceptorem habuimus. Studijs & lectionibus assiduus erat Augustinus, qui dum Bononiæ domesticam nostram regeret academiam, etiam Patribus Cruciferis binas quotidie lectiones tum de logico, tum de physico auditu legebat. Senis quoque à Francisco Magno Etruriæ Duce publicam Metaphysicæ cathedram receptam diu sustinuit. Multos suæ G doctrinæ in nostrâ Religione sectatores habuit. Nam in erudiendis, excolendisque juvenum ingenijs parem sui temporis habuit neminem. Assiduo denique docendi, & studendi labore consumptus mense Aprili hoc anno sexagenarius è vitâ decessit, honorificè conditus in Ecclesiâ nostrâ S. Joseph de Bononiâ. Multa reliquit, eaque præclarissima ingenij sui monumenta, quæ per varia loca hactenus circumferuntur, sed præcipuè in bibliothecâ Patrum Florentinorum Pisis erectâ super libros Physicorum, & M. Sententiarum plures Ipsius conservantur labores; cui nos denique quantùm profecimus, grato animo referre tenemur. Jacuerant veneranda ossa B. P. N. Benincasæ ab anno 1426. in primariâ Ecclesiâ H Oppidi Montichielli, quod non longè distat à Politianâ Urbe, quando Florentini Patres cupientes illa Florentiam transferre, ut decentiùs conservarentur, & magis populorum venerationi essent, grave hoc negotium M. Archangelo Gianio omnium suffragijs die 4. Junij commendarunt, qui postquam cum Præposito illius Ecclesiæ, et cum hominibus illius Communitatis ultrò, citroque de recipiendo corpore egisset, ac nomine Patrum Annunciatæ honestam paramentorum compensationem pro eâ Ecclesiâ pollicitus fuisset, nescio quo pacto, pueris, mulieribus, & viris ejusdem loci repente contradicentibus, miraculo accidit, ut negotium plures menses

Obitus, & laudes Augustini Gorucci de Aretio.

usque

usque apud Principes Etruriæ agitatum, relinqueretur infectum. Hoc eodem anno intermissa superiori tempore Comitia provincialia in pristinam consuetudinem restituuntur, & Julius Antonius Sanctorius Cardin. S. Severinæ Protector sexto idus Junij carnis ergastulo solutus, in Lateranensi Basilicâ sepelitur, cujus inferias solemnes Patres nostri celebrant in Ecclesiâ S. Marcelli, ejus laudes celebrante pro Subsellijs P. Alberto Rotilensio Baccalaureo Florentino.

D. Cardin. S. Severinæ Prot. moritur.

In Comitijs generalibus Romæ Mag. Gabriel Venetus 42. Gen. Historiam B. P. N. Philippi nuper editam evulgari mandat. CAP. VI.

AB eo tempore, quo Clemens Octavus pro communi penè omnium Ordinum reformatione Noviriatûs interdixerat, Religio Servorum per plures annos neminem ad Habitum admittere poterat. quod quidem ægrè ferentes Patres Annunciatæ de Florentiâ omnem lapidem movere cœperant, ut consuetum puerorum Seminarium sibi à Pontifice restitueretur. Quamobrem Gabriel Vicarius Gen. Apostolicus, quod nullatenus Prædecessor procuraverat, kalendis Decembris præteriti impetravit. Quare memorandâ die Resurrectionis D.N.J.C. emortuus Novitiatus Florentiæ resurrexit: sex enim pueri optimæ indolis solemni ritu ante Altare majus per manûs M. Archangeli Gianij, qui tunc loci Vicarium agebat, B.V. Habitum receperunt. Interea generalia Comitia priùs indicta Romæ cum Indulgentijs consuetis 24. Maij memorandâ die Vigiliæ Sanctissimæ Trinitatis celebrata fuerunt, Præsidente in eo D. Paulo Emilio Zachiâ Card. S. Marcelli, in quibus M. Gabriel Dardanus Venetus ex Apost. Vicario quadragesimus secundus Generalis eligitur, & M. Theodorus Ripa de Mediolano constituitur Procurator in Curiâ. Electores hi fuerunt: pro Provinciâ Tusciæ Diffinitor M. Bartholomæus Luchesius de Lucâ. Romæ M. Bartholomæus Mancinius à S. Angelo in Vado. Romandiolæ M. Apollonius Painius de Bononiâ. Lombardiæ M. Theodorus Ripa de Mediolano. Marchiæ M. Honorius Gemellius de Paduâ. Venetiarum M. Sanctes Calizzonus de Venetijs. Mantuæ M. Petrus Sirrius de Foropompilij. Genuæ M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ. Neapoli M. Vincentius de Giffono. Provinciales verò MM. Dionysius Bucarellius de Flor. Angelus Melloratus de Burgo S. Sepulcri, Franciscus de Faventiâ, Stephanus a Tradate, Joannes Hieronymus Gambius de Ferrariâ, Clemens Lazaronus de Rohado, Peregrinus de Forolivio, Policarpus Costa de Genuâ, Joannus Hieronymus de Ferrariâ, P. Ioannes Rolandus Narbonensis, Antonius de Sosâ Barchinonen. Socij autem PP. MM. Archangelus

Mag. Gabriel. Gener. creatur.

A Gianius de Flor. Prosper Boncambius de Narniâ .... Alexander Furnius de Rhegio, Paulinus de Brugnarâ, Archangelus à Judaicâ, Bonaventura Grignanus de Mantuâ, Bartholomæus de Toriunâ, Ludovicus Merlus de Massiliâ.

Sequuntur decreta, & declarationes quædam ex Constitutionibus Ordinis.

1 *Conventus Hispaniæ in Provinciam redigantur, ita ut posthac sibi possint eligere Priorem Provincialem suum, qui vocem habeat in Capitulo Generali; qui Provincialis vacare debeat ad sexennium ab officio, ut in alijs Provincijs; & pro hac vice tantùm R. P. Ge-*
B *neralis provideat de Rectore Provinciali usque ad proximè sequens futurum Capitulum provinciale futuri Capituli generalis; & possit eligi non Magister, dummodò talis novissimum locum teneat post omnes vocales in Capitulo Generali.*

2 *Pro explicatione cap. 28. & 41. Constitutionum nostrarum declaravimus, quòd Magistri, & Baccalaurei, quicunque illi sint, habeant vocem activam, & passivam in illâ Provinciâ tantum, in quâ personaliter resident, passivam verò possint habere, & absentes in suâ Provinciâ propriâ, exceptis Procuratore Ordinis, & Regentibus, qui utramque vocem habeant, ad libitum, vel in Provinciâ propriâ, vel in quâ personaliter resident, & hoc secun-*
C *dùm formam Constitutionum.*

3 *Pro explicatione Capituli 35. si contigit aliquos in exilium mitti à Provinciali extra Provinciam suam juxta pœnas Constitutionum, statuimus, ut Provincialis illam sententiam mittat Generali, qui teneatur ejecto, & in exilium misso assignare Provinciam, & Conventum, in quo degere debeat, & latam contra se sententiam exequi.*

4 *Obligationibus Missarum Conventûs Florentiæ, & Servorum de Venetijs, ac Servorum Mediolani, & omnium Conventuum totius Ordinis eâ ratione satisfiat, ut 50. aureorum redditus annuus percipiatur pro qualibet Missâ quotidianâ, aliarum verò Missarum non quoti-*
D *dianarum ad ejusdem mensuræ, & proportionis ratam juxta facultatem Sacri Concilij Tridentini sessione 25. cap. 4.*

5 *Eleemosynæ ex fidelium largitione pro præsenti Capitulo generali in Indulgentijs habitæ, expendantur pro sumptibus factis, & faciendis in eodem Capitulo; si verò aliquid ex illis superfuerit expendatur pro Sacristiâ S. Marcelli ad libitum Reverendissimi Generalis.*

6 *Denique, quòd festum B. Philippi in posterum ipsomet die 23. Augusti juxtà Bullam Leonis X. & non Dominicâ infra Octavam Assumptionis B.M.V. ut consueverat antiquitus, celebraretur proprio officio, & lectionibus de ejus vitâ renovandis per Apostolicam sedem approbandis, atque ad ejus honorem Sermones,*

nes, & conciones in singulis nostris Ecclesijs eâdem die habeantur, necnon in Capitulo Generali habeatur publicus Sermo de ejus laudibus, & Canonizatione procurandâ, juxta decret. in Cap. Gen. anno 1470.

7 Quòd Historia B. Philippi jussu Angeli Mariæ Generalis per M. Archangelum Gianium Provinciæ Thusciæ Socium edita, per singula Ordinis Cœnobia distribuatur. Singula hæc exarata per publicum Religionis Scribam P. M. Clementem Lazaronum de Robado publicata fuerunt.

Dum hæc agerentur disputarunt publicè MM. Angelus Maria Sermarinus de Arimino, Dionysius Buccarellius de Florentiâ. Joseph Riccius à Montephano, Theodorus Ripa de Mediolano, Valerius Seta Veronensis, & Fulgentius Venetus de Passirano. Concionatores similiter tàm in S. Laurentio in Damaso, quàm in S. Marcello plures fuerunt, Antonius Vivolus à Corneto, Eliseus Mazzonius, Archangelus Gianius Florentini, & alij plures, quorum memoria non succurrit.

Dies festus B. P. N. Philippi ritu celebriori cum Indulgentijs quotannis celebrandis renovatur, & plura inde sequuntur miracula.
CAP. VII.

EX quo in præteritis Comitijs plura ad honorem B.P.N. Philippi decreta fuissent, cœpit ejus festus dies in omnibus nostris Ecclesijs magis, quàm antea præcipuus haberi, & solemniùs celebrari, deque ipsius laudibus præconia populo pronunciari. Nam Florentiæ ad aliorum exemplum hoc anno primus omnium M. Archangelus Gianius, non modò ejus historiam evulgavit, sed etiam eodem festo die frequenti populo sermonem de virtutibus B. Philippi egit, cujus thema fuit: *Hic pius, prudens, humilis, pudicus &c.* quarum etiam virtutum explicationem inter hos Annales attexuit Cent. prima lib. 4. cap. 19. Ad cujus postea imitationem singulis annis ejus encomia tùm Latino, tùm Etrusco sermone à varijs celebrari consueverunt, & præcipuè Novitijs, & junioribus professis, inter quos libet connumerare F. Hippolytum de Anichinis Flor. altæ indolis, & magnæ spei puerum, & adolescentem, qui pluries & carmine, & solutâ oratione B. Philippi laudes coram frequenti nobilium coronâ celebravit, quem etiam imitatus fuit multoties F. Cyprianus Savellius à teneris annis, usque ad primam juventam viginti trium annorum. Hos enim duos, nisi mors improba rapuisset, virtus ipsa celebriores aliquando extulisset. Plures etiam hoc anno ab Apostolicâ Sede Indulgentiæ pro eodem die ad honorem B. Philippi, eodem Archangelo Gianio procurante, emanarunt, Florentiæ præsertim tùm in propriâ Ecclesiâ Annunciatæ, tùm etiam in Sodalitio, quod antea fuerat ejus nomini dicatum. Hunc igitur tàm sanctæ celebritati videtur etiam annuisse, & aspirasse præpotens Deus. Nam Vicentiæ hac ipsâ die festi 23. Augusti dum prædicta solemnia celebrantur, mirandum quid, & narratione dignum accidit in Ecclesiâ nostrâ, ubi aderat mulier quædam ex Sororibus nostris Tertiarijs Elisabeth nuncupata. Hanc piam fœminam à fatuâ, & malignâ pythonissâ olim maleficiatam, graviter vexabant Dæmones, ita ut aliquando semianimem, & penè mortuam relinquerent. Hæc igitur accedente festo B. P. N. Philippi ante paucos dies, ejus quoque sese precibus, & intercessioni devotissimè commendans sequenti nocte meruit ipsius præsentiâ consolari. Nam postquam ex usu à malo Dæmone graviter afflictata fuisset, quasi mortua in lecto jacebat, quando repentinus fulgor totum cubiculum illustravit, & visibili specie apparens sibi B. P. Philippus lustrali aquâ ter aspersam benedicens languentem simul, & mœrentem fœminam vehementer consolatus fuit, quo recedente Elisabeth valdè confortata, etsi non penitus à Dæmone liberata remanserat, quando tandem festo die ad ejus Aram accedens, & benedictum panem, qui in honorem B. Philippi ad populi devotionē eodem die dispensari consuevit, recipiens, & manducans, protinus totum suum corpus perturbari, vexarique præsensit, ac si super se haberet multas bestias; sensit enim intra se mugitus boum, latratus canum, grunnitus porcorum, & grandes inde inter intestina tumultus, & sensim per guttur, & secessum varios tumores, & sic eructando statim se liberam ab omni vexatione sensit, prout nobis coram P. Valerio Priore, & Sororum nostrarum Correctore jurejurando affirmavit, dum ibi per Quadragesimam concionaremur.

Indulgentiæ pro Festo B. Philippi

Miracula B. Philippi

Tuderti etiam per idem tempus die 21. Septembris, dum annua processio per Senatum, & populum ad Ecclesiam B. Philippi celebraretur, adfuit etiam coram omnibus mulier quædam nomine Cæcilia Constantini à vico, qui dicitur *Camorata*, bajulans infantulum, quem post multas horas exanimem, & mortuum magno ejulatu lugebat, & B. Philippum deprecabatur, ut, quēadmodum aliàs matribus filios mortuos restituerat, etiam sibi filium, quem ad ejus tumulum efferebat, vivum reddere dignaretur, nec mora, puer coram populo oscitando respirare cœpit, & vivens, ac hilaris Matri restitutus fuit, ut ex ejus historiâ Flor. impressâ anno 1604.

His etiam addendum videtur, quòd elapso anno prætermissum fuit. Præerat Tuderti Gubernator D. Valerius Rugierius de Sorâ, cujus uxor nomine Constantia Mancinia in suis puerperijs diris doloribus diu afflictabatur. Cōstituit igitur ejus Maritus quotidie cum eâ Tumulum B. Philippi invisere, & preces, ac

pia

pia vota eidem offerre, & proximum futurum partum ejus meritis commendare. Die igitur 20. Februarij 1602. supervenientibus partûs doloribus, Constantia gravissimis accidentibus afflictata nõ poterat partum emittere, quando ejus vir consilii anceps, & quovis remedio destitutus ad consuetam B. Philippi fiduciam confugiens, protinus famulum ad Priorem misit rogans, ut Tunica B. Patris ad se deferretur (cappam seù pallium vocant, nescio quo abusivo nomine Tudertini, quamvis nos, qui illam pluries vidimus, & contrectavimus, certò sciamus Tunicam, non pallium esse). Vix poterat famulus dimidium iter complevisse, quando ad invocationem, devotionem, & fidem B. Philippi, cessantibus doloribus mulier peperit filiam, quam cum B. Patri devovissent, etiam nomine ipsius Insignitam Philippam nuncupari voluerunt. De quâ re ab eodem D. Valerio per literas certiores facti fuimus. Hæc verò miranda B. nostri Philippi in ejus Processu de Canonizatione Tuderti habito simul congesta fuerunt, quibus etiam multa alia superannotata fuerunt, inter quæ unum illud non est prætereundum, quod accidit anno 1603.

Nam mulier quædam nomine Portia Salvena, quondam uxor Scipionis Landi Equitis vidua relicta cum duabus nubilibus puellis, in tantam paupertatem devenerat, ut nec haberet (id jurejurando testata fuit coram Judicibus in eodem Processu) unde calceos pro suis filiabus emere posset; quare suam miseriam pluries B. Philippi præsidio commendaverat, & aliquando ejus ossa venerabunda invisens, & minimum quadrantem, quem solum habebat in perulâ, offerre volens, dum manum admovet, mirabile dictu, quatuordecim argenteos julios, quos statim enumeravit, in eâdem perulâ invenit, & constantissimè coram Judicibus asseruit talem pecuniam nullo modo habere potuisse, alioquin ex eâ, quod filiabus necessarium foret, & ipsa desideraret, continuè emisset, quemadmodum illicò ex ipsâ pecuniâ fecit. Anno verò sequenti 1604. in eâdem Civitate Tudertinâ mulier alia nomine Faustina Sebastiani Tardini de Tuderto, pauperem vitam degens cum quatuor parvulis filiis, quos vix enutrire poterat, cum sæpesæpius paupertatem suam B. Philippo commendasset, contigit mense Majo, ut die quadam paululum farinæ intrivisset, ex quâ sex tantùm panes colligere posset, parvulos illos circumstantes hortabatur, ut massam illam B. Philippo commendarent. Dicebant enim: *Beate Pater, qui aliquando famelicis tuis Fratribus panem Divinitus impetrasti, & impudenti illi mulieribus annonam pro triduano victum ministrasti, fac quæso te, ut etiam ego paupercula fœmina possim hanc filiorum famem revelare*. Factum igitur est, ut massa illa in tantum creverit, ut inde 27. prægrandes panes abundantiùs colligeret, & cum filijs ad Tumulum B. Patris

A gratias egisset, prout ipsa jureiurando in præfato processu coram testibus affirmavit.

Pari etiam pietate Dei mater V. Maria suis devotis occurrens, duplex hoc anno prodigium suæ gloriæ rogantibus impertivit, alterum Grosseti, alterum Marradij. Commorabatur in Arce Grosseti Matthæus Peduccius Senensis, qui nocte 24. Julij per improvisum fulmen expergefactus à somno, totum cubiculum collucens, & lectum, in quo jacebat, ab eo fulgure circundari vidit, unde continuò oculis captus, sulphureo fœtore obrutus semianimis ferè, & crure sinistro, tibiâque dexterâ vulneratus, totusque perterritus remansit, donec resipiscente animo totis viribus consternatus ad Matrem gratiarum Annunciatam de Flor. emisso voto confugit,

B nec frustra, præsensit enim illicò viribus resumptis benè se habere, & non post multos dies ex utroque vulnere convaluit.

Marradij autem Annibal Carlonius, sicut à P. Joanne Fabbronio Priore accepimus, gravi ictu magni baculi super caput ab hoste impetitus, itaut mortuus crederetur, B. V. Annunciatæ de Marradio favore præservatus, brevi liber ab omni periculo evasit.

Mantuæ hoc anno moritur P. Carolus de Bertis Florentinus vir in musicâ arte eminens, & præclarus, qui Capellam Ducalem S. Barbaræ non absque ingenti laude moderabatur, cujus adhuc lucubrata monumenta in eâdem musicâ arte celebre nomen reddunt. Huic proximè sequuntur, quos præterire non li-

C cet, P. Leonardus de Casulis in Cathedrali Volaterrarum modulator percelebris Organorum. P. Joannes de Lucâ, quem Pistorienses multos annos Organa suæ Cathedralis pulsantem in eâdem musicâ arte virum singularem usque ad nostram ætem prædicant; & M. Paulus de Mutirâ, cujus in eisdem Organis contrectandis suavitatem, & dexteritatem præcipuè intra, & extra Italiam variæ Urbes admiratæ fuerunt.

Defuncto Gabriele Veneto Philippus Ferrarius Alexandrinus 43. Gen. Servorum eligitur.

CAP. VIII.

D Postquam Generalis Venetus diutinâ ægritudine consumptus ex hac vitâ 4. Kal. Martij migrasset, pompaticè per Venetam Urbem delatus, ac in propriâ Ecclesiâ tumulatus honorificentissimè fuit, quippe qui apud Venetorum proceres in pretio semper habitus fuisset, & sexdecim annos Congregationem quandam Religiosorum S. Spiritûs prudenter administrasset: ac denique hujus Ordinis generalem Præfecturam summo studio adeptus, summâ quoque vigilantiâ administrare cœpisset: cumq; ejus animo diu insedisset, ut vetus Ecclesia nostra S. Jacobi de Judaicâ in elegantiorem formam restitueretur, multas ad illud opus con-

Mors P. Generalis Gabrielis Dardani Veneti.

congesserat pecunias trium millium aureorum, quibus denique per Patres illius Conventûs à fundamentis renovata fuit. Eo igitur defuncto M. Sanctes Calvzzonus ipsius nepos Provinciæ Venetæ Diffinitor, cui de jure Constitutionum interregnum illud competebat, accepto sigillo, & aliis insignibus Magistratum inierat, quando auditâ Romæ Gabrielis defunctione Summus Pontifex ipsis Reformatoribus mandavit, ut super gubernium Ordinis, propter juventutem novi substituti, invigilarent; unde non obstante generali administratione M. Sanctis, Capitulorum Provincialium interea accedente tempore, in singulis Provinciis deputati fuerunt graviores Patres, qui Comitiis illis præessent. Nam Provinciæ Thusciæ M. Deodatus Duccius à Burgo S. Sepulcri, Romanæ M. Theodorus Ripa Procurator in Curiâ, Romandiolæ M. Aurelius Menochius de Bononiâ, Mantuanæ M. Apollonius Painius de Bononiâ, Genuensi M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ, & Neapolitanæ M. Joannes Baptista Myrtus de Neapoli, &c. Debuisset quidem legum nostrarum vigore M. Sanctes integrum biennium, quod usque ad futurum Capitulum generale supererat, Præfecturam illam exercere, nisi Pontificis mens aliò tenderet, ut scilicet per graviorem, sapientioremque Patrem maturioris ætatis regeretur Ordo; &, prout constituerat, ex integro reformaretur. Quare per Apostolicas literas Romæ datas sexto kal. Aprilis Comitia generalia habenda proximè indixerat, & ut ea lege novus eligeretur Prior generalis, qui biennium illud, quod ex Gabriele superfuisset, tantummodo expleret: concessis etiam de more Indulgentiis per diploma Romæ datum octavo Idus Maii per omnes Ordinis Ecclesias. Patres igitur undequaque Romam properabant, multique ex variis Provinciis (quod tunc absque Protectore summâ libertate frueretur Ordo) ad Generalatûs officium proponebantur; utpotè ex Provinciâ Thusciæ MM. Dionysius Buccarellius de Florentiâ, & Cornelius Peraccinius de Pistorio, Romanâ MM. Joannes Matthiolus de Perusio, Deodatus Duccius à Burgo, & Antonius Vivolus à Corneto, Romandiolæ MM. Franciscus Faventinus, Aurelius Menochius, Adrianus Parinus, Balthassar Bolognettus, & Apollonius Painius, Bononienses. Lombardiæ MM. Stephanus à Tradate, Alexander Gianius à Scardiano, Paulus à S. Bernardo, & Petrus Franciscus Barberius de Placentiâ. Marchiæ Tarvisinæ MM. Orantes Taxonus de Ferrariâ, & Honorius Gemellus de Paduâ. Mantuana MM. Theodorus de Mantuâ, Aurelius de Cremonâ, Livius Beralius de Bononiâ, & Petrus à Forolivio. Genuensi M. Philippus Ferrarius de Alexandriâ. Neapolitana M. Joannes Baptista Myrtus de Neapoli. Præfuit his Comitiis, tanquam sacræ reformationis Præsidens, & caput D. Hieronymus Cardin. Aguechius, quo præsente quarto nonas Julii propositis multis per secreta suffragia ad Generalatum, sors tandem septemdecim votorum super unum M. Philippum Ferrarium de Alexandriâ cecidit, qui fuit 43. Generalis Servorum. Huic electioni iidem interfuerunt, qui anno elapso Gabrielem Venetum elegerunt. Ex quibus etiam hæc emanarunt decreta unà cum constitutionibus suis locis imprimenda.

1 *Ad tollendum abusum quarundam Ecclesiarum nostri Ordinis, in quibus tempore paschali prætermittebatur antiqua consuetudo canendi* Salve Regina *in sero, seu post Vesperas, quemadmodum, & per Adventum, & aliis hujusmodi anni partibus, districtè præcipitur, ut post consuetas Antiphonas Breviarii Romani, nunquam prætermittatur antiquus nostræ devotionis ritus canendi qualibet die* Salve Regina *ad Sacellum B. M. Virginis. Singulis quoque diebus recitentur Litaniæ B.V. sivè legendo, sivè cantando, prout devotioni populi, & locorum consuetudini magis videbitur expedire.*

2 *Circa modum conversandi in Ecclesiâ serventur Constitutiones, quòd si Priori innotuerit secus factum esse ab aliquo, neque providerit, idem Prior in Visitatione puniatur publicâ pœnitentiâ à Patribus Visitatoribus.*

3 *In Majoribus Conventibus habeantur Conciones, aut Lectiones diebus Festis.*

4 *Antequam aliquis in studentium numero adscribatur fiat diligens inquisitio à P. Generali, vel ejus Vicario unà cum Provinciali, & Socio, primò de vitâ, & moribus, de quibus habeatur expressa fides à Priore, & PP. illius Conventûs, cujus est filius, vel in quo habitat, medio eorum juramento; quæ recenseatur in actis, & de eâdem à Generali, vel eius Vicario fiat mentio in literis patentibus. Fiat pariter diligens inquisitio, an qui in studentium numero adscribendus est, sit aptus ad quoslibet libros latinos intelligendos, quæ inquisitio non intelligatur facta solùm per interpretationem unius epistolæ Ciceronis, vel capitis Cathechismi, sed inquiratur, an ex improviso latinam linguam sciat purè, & absque errore proferre; deinde obiiciantur illi duo Auctores, & ex ipsis duo capita explicanda latino sermone.*

5 *Nullus studentium ad prædicandum eat, nisi fuerit Baccalaureus formatus, vel aliàs judicatus idoneus à R. P. Generali, aut aliis ad id deputandis.*

6 *Nullus studentium ad audiendam Philosophiam admittatur, nisi sufficienter in Logicâ fuerit instructus; neque ad Theologiam, nisi sufficienter instructus in Philosophiâ: quare diligenter examinentur à P. Generali cum Provinciali, & Socio, vel ab examinatoribus ab eodem Rev. deputandis.*

7 *Nullus ad Baccalaureatûs gradum assumatur, nisi priùs publicè semel disputaverit: antequam verò publicè Conclusiones sustineat,*

neat, omnia, & singula à P. Generali, vel aliis ad id deputatis examinentur, ac si idoneus repertus fuerit ad eas publicè sustinendas admittatur. Quamvis autem præclarè se gesserit in illis, haud tamen promoveri possit ad Baccalaureatum, nisi ad præscriptum constitutionis diligens inquisitio fiat de vitâ, & moribus, ut supra de studentibus dictum est; de quibus omnibus in actis, & literis patentibus expressa fiat mentio; aliàs promotio irrita sit, & ipso jure nulla, quod etiam in promovendis ad gradum Magisterij omnino servetur.

8 *Omnibus Fratribus, qui ex obedientiâ ad aliquem locum mittuntur pro viatico decima pars aurei pro singulis quibuscunque decem milliaribus detur; ubi autem consuetudo est aliquid plus dandi illa servetur.*

9 *Si Prior Provincialis in Visitatione Priorem aliquem erga infirmos, tàm circa administrationem Sacramentorum, quàm curam corporalem negligentem repererit, illum ab officio Prioratûs absolvat.*

10 *Caveat Prior ne Ecclesia Confessoribus ullo tempore destituta sit; quòd si secus fecisse in Visitatione repertus fuerit, arbitrio Visitatorum puniatur.*

11 *Si contingat electum in Priorem Conventualem in Capitulo provinciali ante officium Prioratûs inchoatum renunciare, aut obire, aut inhabilem reddi, substitutus per P. Generalem, vel Provincialem, Prior pro primo anno dicatur, vocemque ut cæteri Priores in Capitulo Provinciali habeat; aliàs Vicarius sit, neque vocem in Capitulo provinciali habeat.*

12 *Prior Monasterij non Collegiati expleto primo, vel secundo biennio (si prorogatus fuerit) non eligatur in Priorem ejusdem Monasterij, nisi post vacationem secundùm Constitutiones, & si Juvenis fuerit in aliquo Monasterio collegiato collocetur, si senex possit in eodem loco (si Provinciali visû fuerit pro bono illius loci) commorari.*

13 *Conventûs minores, in quibus nullus discretus eligi potest, majori propinquiori, ex quo saltem unus discretus eligitur, hac ratione uniantur, ut semel in anno Priores, seu Procuratores rationem administrationis reddere teneantur Priori, & Fratribus illius Conventûs, cui facta fuit unio: & si casus eveniret, quo hujusmodi Conventûs minores deserendi essent, bona ipsorum ad Conventum majorem devoluta intelligantur; quæ omnia in proximo Capitulo Provinciali per Provincialem, Socium, & Diffinitores fiant.*

14 *Provincia Hispaniæ vocalem unum (si Provincialis venire noluerit, aut fuerit legitimè impeditus) mittere possit ad Capitulum generale, qui tamen mandatum Provinciæ in formâ authenticâ deferat; quod idem de Narbonensi Provinciâ, & alijs minoribus extra Italiam intelligatur.*

15 *Si Fratrem aliquem in carceribus S. D. N. vel Sancti Officij Romæ detineri contigerit, nec extrahi posse, nisi priùs solutis expensis; Procurator Conventûs S. Marcelli teneatur sub pœnâ privationis Officij ipso facto incurrendâ, vel ex pecunijs Conventûs, vel acceptis ex teloneo illas persolvere, quas statim Prior Conventûs cujus carceratus est filius certior factus, omni excusatione remotâ, sub eadem pœnâ, & alijs arbitrio Generalis imponendis, restituat.*

16 *Bona mobilia ad usum concessa (exceptis libris, & pecunijs) sint Conventûs illius, in quo quis obivit, si fuerit ibi conventualis.*

17 *Propositum præterea fuit toti Capitulo an decreta superioris Capituli generalis à Rev. P. Generali unâ cum Diffinitore Provinciæ Romanæ, Provinciali Thusciæ, & Socio Lombardiæ corrigenda, seu moderanda essent, & per secreta suffragia conclusum fuit sic esse faciendum. Qui memoratis decretis maturè consideratis, & cum Constitutionibus collatis ea sic moderanda, seu corrigenda duxerunt.*

18 *Moderatio primi. Circa adoptionem filiorum, ut accedat consensus majoris partis filiorum illius Conventûs, in quo quis adoptandus est; sive illi præsentes, sivè absentes sint.*

19 *Moderatio secundi. In Conventibus, in quibus unus tantùm Sacerdos habitare solet, nec alium alere potest, nullus deinceps eligatur Prior, sed Vicarius instituatur ab illo Conventu, cui illi in proximo Capitulo Provinciali uniuntur, videatque Rev. Generalis, seu ejus Vicarius, Provincialis, & Socius in Visitatione quinam Conventûs possint plures Sacerdotes alere, idque declarent in proximo Capitulo Generali.*

20 *Moderatio tertij. Provincialis vocem habeat in omni Capitulo Conventuali juxta Constitutiones, non tamen retardare possit officialium, aut discretorum electionem, ut illi interesse possit: aliàs electio irrita sit.*

21 *Moderatio quarti. Sic declaratur Constitutio in cap. 41. ut ubi sunt supra quatuor professi mittatur discretus, si ex illis quatuor sint Sacerdotes.*

22 *Moderatio quinti. Procurator Ordinis non possit abesse ultra quindecim dies ab Urbe, nisi de licentiâ Generalis, qui eo casu vices illius ulteri committat.*

23 *Remissio pœnarum apostasiæ fiat in duobus distinctis cap. Generalibus.*

* 24 *Magistri, & Baccalaurei vocem activum, & passivam habeant in eâ Provinciâ tantùm, in quâ formaliter resident: passivam verò habere possint in suâ Provinciâ, nisi ubi Constitutio adversatur. Excipiuntur Regentes, & Procuratores Ordinis, quibus liceat habere vocem activam, vel ubi resident, vel in propriâ Provinciâ tantùm.*

25 *Cùm quis juxta Constitutiones à Provinciâ exulare per sententiam debet, Generalis à Provinciali certior factus sententiam exequi teneatur, Fratremque sic condemnatum in aliquam Provinciam quam primum releget.*

26 *Ad decretum de promotione ad Baccalau-*

reatum, & Magisterium factum in præsenti Cap. Generali reducatur.

27 *Creatio Baccalaurei juxta Constitutiones fiat tantùm in Capitulis provincialibus.*

28 *Possit Provincia Hispaniæ de cætero Provincialem eligere; sed quantùm ad vocalem attinet servetur decretum in præsenti Capitulo Generali editum.*

29 *Decreta omnia hactenus edita abolita censeantur, exceptis, interpretativis Constit. nostrarum; quæ autem sint interpretativa videat, & judicet Generalis, ac excepto decreto de viatico vocalibus dando.*

30 *Obligationibus Missarum eâ ratione satisfiat, ut pro Missâ quotidiana 50. aureorum redditus annuus percipiatur, pro aliis verò ad ratam, pro singulis verò anniversariis aureus unus, vel saltem dimidium habitâ paupertatis, & multitudinis Fratrum ratione.*

31 Ave Maria *dicatur tantùm in principio Horarum, & Missarum, & post Missam* Salve Regina.

Cohonestarunt nonnulli suis doctrinis concionando, & disputando hæc generalia comitia, inter quos M. Angelus de Melioratis à Burgo S. Sepulchri, M. Felix Fumantius, M. Elisæus Mazzonius Florentini, & alij plerique concionati fuerunt: verùm inter omnes magnæ admirationi fuit M. Michael Quintana Barchinonensis, qui præter egregiam doctrinam vir summæ eloquentiæ non modò in Italiâ, sed per Hispanias percelebris habebatur, quique in celebritate Canonizationis S. Raymundi apud Prædicatores Barchinonæ varias orationes, & conciones tam plausibili auditorum congratulatione habuerat, ut ejus declamationes impressæ per totam Hispaniam circumferrentur. Vix igitur Generalis Philippus Magistratum receperat, quando ad pedes Summi Pontificis prostratus summis precibus impetravit, ut per singulas Provincias intermissi Novitiatûs denuò restaurarentur, & ad præscriptum Sacræ Congregationis Reformatorum sub quibusdam legibus districtiùs, quàm antea, instituerentur. Ejus elogium pro tesserâ habuit *In te Domine confido*. Ticini verò ne Mathematicæ Cathedra Lectore vacaret M. Possidonius Cassulanus de Cavacurtâ vir in omni facultate egregius, in Mathematicis verò apprimè versatus, in suum locum substitutus fuit.

[Postmodum idem Generalis Ferrarius die 11. Julij ejusdem anni facultatem obtinet à SS. D. N. creandi octo Magistros, quemadmodum patet ex Rescripto sequentis tenoris, quod in ejusdem Generalis Regesto ad eundem annum refertur pagina 4.

I*N audientiâ SS. D. N. D. Clementis Papæ VIII. habitâ per Congregationem Visitationis, & reformationis Apostolicæ die Dominico 11. Julij 1604. Propositâ supplicatione Generalis Ordinis Servorum pro conferendo gradu* E *Magisterij, sive Doctoratûs 12. Fratribus sui Ordinis, S. Sua potestatem fecit promovendi octo tantùm ad hujusmodi gradum, qui tamen habeant qualitates à Constitutionibus, & Decretis Ordinis præscriptas exceptis F. Angelo Costâ, & F. Henrico Antonio de Castro Novo, cum quibus, licèt non concurrant omnes conditiones, justis de causis dispensavit, ut promoveri possint Romæ die supradictâ sigill., & subscrip.*

Antonius Seneca Visitat. & Reform. Apost. Secr.

Insuper ab eâdem Congregatione facultatem obtinet recipiendi ad Habitum Conver- F sorum Laicos, ut patet ex sequenti Rescripto, quod in eodem Regesto refertur.

Congregatio Visitationis, & reformationis Apostolicæ ob Ministrorum inopiam, quâ Generalis Ordinis Servorum Conventûs suos laborare exposuit, eidem Generali supplicanti potestatem facit Conversum unum pro quolibet Conventu, in quo non degunt decem Fratres, in quibus verò major numerus degit, duos Conversos pro singulo Conventu recipiendi, & admittendi, ita tamen, ut habeant conditiones præscriptas in Decretis SS. D. N. Papæ, & in Constitutione fel. rec. Xisti Papæ V. Romæ die 11. Julij 1604. sigill., & subscript.

Antonius Seneca, ut supra.]

G

Philippi Generalis Magistratus cum multis decretis pro restaurando Ordine à Summ. Pontifice prorogatur, & Hippolytus Episcop. Montispelusij moritur.

CAP. IX.

JAM Philippus Gen. occasione Comitiorum per singulas Provincias totum ferè Ordinem visitando lustraverat, & vestigijs Angeli Mariæ Montursij inhærens jacta ab eo reformationis semina quantùm poterat, excolere non cessabat; unde quæ priùs Angelus scripto solummodò observanda mandaverat, ipse Philippus quò communiora fie- H rent per DD. Reformatores annuente Pontifice imprimi, & evulgari curavit.

Decreta reformationis Apostolicæ.

E*X ijs, quæ S. D. N. CLEMENS PAPA VIII. ad Regularium Monasteriorum rectam gubernationem instituit, & decrevit, eorumque Superioribus adamussim exequenda præcepit, nihil fuit, vel re ipsâ sanctiùs, vel necessitatis occasione opportuniùs, vel religiosæ utilitatis ratione optabiliùs, quàm ut vetus, & regularis disciplina viris Religiosis salutaris, ac necessaria, ubi collapsa est, instauretur, & ubi conservata est, perpetuò custodiatur, ut nihil esset, quòd obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac peculiarium votorum observantiam,*

necnon

necnon communem vitam, victum, & vestitum impediret, aut per calumniam inficeret: cùm autem compertum sit à Fratribus Ordinis Servorum, Superiorum incuriâ saluberrima Sanctissimi Pastoris decreta penitus neglecta esse, ut hujusmodi incommodo occurratur; Congregatio Visitationis, Reformationis Apostolicæ ejusdem Ordinis Priori Generali nuper electo, ejusque pro tempore Successoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & privationis officij pœnâ propositâ præcipit, ac mandat, ut statim prædicta decreta Pontificia inter ipsius Ordinis Constitutiones redigi, & ab omnibus suis Fratribus observari; ac præter illa, quæ decretis ipsis præscripta sunt, hæc, quæ sequuntur, speciali Sanctitatis Suæ mandato constituta inviolabiliter, ac perpetuò observari curent.

Primùm, ad ea, quæ de Divino Officio persolvendo statuta sunt, illud additur, ac decernitur, ut pœna subtractionis alimenti contrafacientibus proposita, nec à Priore, nec ab eo, qui ejus vices gerit, remitti possit illi, qui horis Canonicis, sivè diurnis, sivè nocturnis, cessante legitimâ causâ, non interfuerit. Deinde, ut qui Officij initio ad Chorum non convenerit, genuflexus in medio Chori, tamdiu maneat, quamdiu surgendi licentiam à Priore impetrarit: tùm in Refectorio, horam canonicam, quam ob hujusmodi negligentiam omisit, alijs cibum sumentibus, etiam genuflexus recitare teneatur.

Curæ sit Prioris, ut Officium Divinum in Choro à Fratribus locis consìdentibus devotè cum punctis, & pausis persolvatur, & ut Missæ nonnisi ex Missalis Romani præscripto, nec nimiâ celeritate celebrentur; quod in re observabit, an in recitatione Canonis tantùm temporis, quantùm ad illius verba devotè exprimenda exigitur, à singulis insumatur, & contrafacientes moneat, ac salutaribus pœnitentijs coerceat.

Ad Salve Regina post completorium cantandam omnes quotidie etiam officiales, & conversi omninò conveniant, & post Salve Regina Litaniæ Beatæ Mariæ Virginis pro Populo, & pro Religionis augmento devotè recitentur; diebus verò festis post Vesperas, & Salve Regina statim cantentur; qui defuerint, eos Prior publicè corrigat, ac etiam cibi subtractione puniat, quæ omnia an servata fuerint, Provincialis in visitatione diligenter inquiret, & si Priorem negligentem invenerit, illum officio Prioratûs absolvet.

Prior curet, ut Ecclesia diebus festis horâ competenti pro locorum consuetudine claudatur, & aperiatur; cùm autem eam patere necesse fuerit, Sacrista, vel alius probatæ vitæ semper adsit, qui indigna ibi fieri prohibeat. Peractis Divinis Officiis fores Ecclesiæ feriatis diebus omninò claudantur, nec nisi ex præscripto Const. aperiantur, quod etiam de foribus Monasterij cautum intelligatur. Provincialis in visitatione pœnam privationis officiorum transgressoribus imponet.

Caveant autem Fratres, ne quacunque de causâ tempore Divinorum Officiorum personas aliquas in Ecclesiâ, vel ad illius Sacristiævè, aut Monasterij januas, nisi de licentiâ Prioris alloquantur, sub pœnâ suspensionis ab officio eo ipso incurrendâ per sex menses propositâ, quemque Fratrem solum, aut cum socio extra claustra in viâ, aut ædibus Monasterio proximis tunc temporis, aut aliàs commorari permittet.

Neque bannitos, criminosos, & delinquentes, seu decoctores in Conventu retineat, aut retineri patiatur, sub pœnâ privationis officij perpetuò eo ipso incurrendâ, eandemque pœnam subeat, qui aliquem ex prædictis, etiam annuente Priore, in cellâ aliquâ Conventûs exceperit. Confugientes verò ad Ecclesiam, & ad alia eorum loca sacra, Superiores teneatur quamprimùm commodè poterint deferre Episcopo, seu alij loci Ordinario.

Nullus puerorum sæcularium, etiam Clericorum scholam Grammaticæ, aut cujuscunque artis liberalis intra Monasterium sub pœnâ amissionis utriusque vocis ipso facto incurrendâ exerceat, seu aliquem ipsorum doceat; quam pœnam etiam Prior, qui id permiserit, incurrat; nec extra Conventuum septa quicquam docere liceat, nisi de Sedis Apostolicæ licentiâ eâdem pœnâ propositâ.

Prior nullo modo, neque prætextu servitutis Ecclesiæ in Monasterio extraneum quemquam commorari ad edendum, vel ad discendum, sivè aliud quidpiam agendum permittat; pœnâ illi suspensionis ab officio per sex menses ipso facto propositâ.

Cùm nemo rectè legendi munus suscipiat, nisi is, qui duplici doctrinâ discipulos sibi subiectos instituat, scientiâ nempè, & innocentiæ conversatione, idcirco deinceps huic muneri præficiatur is, cujus probitas, ac mores seniorum patrum testimonio commendentur, ac diligenti adhibito examine de vitæ innocentiâ, & doctrinâ à Priori generali facultatem in scriptis habeat, qui in Lectoribus, & Magistris constituendis non ingenij solùm, & eruditionis, sed etiam regularis disciplinæ mortificationisque rationem habeat.

Ad Baccalaureatùs gradum nemo deinceps promoveatur, nisi spectatæ vitæ, religionis, & disciplinæ regularis observantiæ, quâ in re diligens fiat à Generali, sive ejus Vicario, Provinciali, & socio in Visitationibus inquisitio per secretum examen cum juramento Prioris, & Fratrum ejus Conventûs, in quo proximo triennio commoratus fuerit; ac nisi conclusiones publicè egregiè sustinuerit, circa illas priùs sigillatim à Generali, sive ab eo deputandis interrogatus, ac idoneus repertus ad eas honorificè sustinendas, nec item eo gradu aliquis decoretur, quem scientiæ, & aliarum virtutum spes magisteriatûs honore dignum non ostendat. Quæ omnia in actis referantur, ac in literis patentibus exprimantur; & si secus factum fuerit promotio ipso jure nulla sit; ac promoventes pœnam privationis officij ipso facto incurrant. Quod etiam in promovendis ad Magisterium, eisdem propositis pœnis strictiùs servari decernitur.

Nullus in studentium numero adscribatur, nisi bonâ indole, ac probis moribus excultus, habitâ fide cum juramento à Priore, & Fratribus Conventûs, in quo majori ex parte resederit, ac nisi Grammaticam adeò calleat, ut latinè expeditè loquatur, ac ad latinosque auctores approbatos, intelligendos aptus existat: cujus quidem intelligentiæ periculum ita fiat, objetiantur examinando duo auctores nempè ex difficilioribus, ex quibus caput unum saltem ex improviso per alia verba latina interpretetur: pœnâ privationis vocis utriusque ipso facto incurrendâ per biennium ipsis adscribentibus, si secus fiat, propositâ.

Neque aliquis ad philosophiam audiendam, nisi probè in Dialecticâ versatus, neque ad Theologiam, nisi Physicâ plenè instructus admittatur. In studiis verò præsertim humanioribus, nullus liber adhibeatur, ex quo mores depraventur, & vitæ innocentiæ periculum immineat.

Regens, Baccalaureus Conventûs, & Magister studii quotidie legant spatio unius horæ, diebus festis, & die Jovis, si festum nullum in hebdomadâ occurrat, exceptis, à secundâ Dominicâ post Pascha, usque ad xv. Julii, à primâ die Septembris, usque ad xx. diem Decembris, atque à primâ die Januarii, usque ad Septuagesimam. Quibus diebus nulli studentium abesse liceat, neque de licentiâ Provincialis, quavis de causâ, sub pœnâ privationis studii, ipso facto incurrendâ; eâ verò ratione legent, ut Regens toto triennio tres priores libros Magistri sententiarum ex sententiâ D. Thomæ interpretetur (quarto singulis diebus festis post Vesp. ubi eodem explicato) teneaturque saltem semel in hebdomadâ lectionem ex Metaphys. vel ex libris Ethicorum Aristotelis, prout sibi magis expedire videbitur, habere; Baccalaureus Conventûs libros Phys. de Cœlo, Generatione, & de Animâ, iis omissis, quæ ob facilitatem omitti solent, eodem tempore explicabit; Mag. studii totam Logicam, hoc est librum Prædicab. Prædicam. Perihermenias, & Post. exactè; Priorû verò Elenchorum, & Topicorum per compendium declarabit. Conclusiones singulis diebus quibus legitur, ex Theologiâ, Philos. & Logicâ ab unoquoque studentium ex Ordine sustineantur, aliis de more per vices arguentibus.

Nec liceat alicui ad evitandam confusionem, nisi Baccalaureo, qui partes sustinentis adjuvabit, & Magistro studii, qui partes arguentis fovebit, aliquid, nisi de Regentis licentiâ, dum disputatur, dicere. Regens ter in anno expletis Lectionibus per literas quid, & quantum lectum fuerit, Priori Generali significare teneatur, qui semel in anno studia omnia visitare, studentesque singulos, ejectis iis, qui non profecerint per se, vel per alium idoneum examinare debebit. Nullus ad prædicandum, nisi Magister, aut Baccalaureus mittatur; possit tamen Generalis aliquem ex studentibus in Sacrâ Theologiâ diu versatum, & ad id munus diligenti examine idoneum repertum mittere, tempore dumtaxat Quadragesimali; aliis verò E *temporibus nulli, neque Baccalaureo, neque etiam Regenti liceat, neque etiam in propriâ Ecclesiâ prædicare, nè statutæ Lectiones deserantur, aut intermittantur.*

Et quia sacrarum, & humanarum literarum studia cum pietate, bonitate, & virtutum omnium exercitatione conjuncta esse debent, ideo semel in hebdomadâ, die à Priori Generali constituto de Theologiâ practicâ habeatur tractatio, in quâ præcipuè de virtutibus, quibus alimur in vitâ spirituali, & de vitiis oppositis, quæ tanquam morbos animæ caveamus, agatur.

Quotannis certo stato tempore à Priore Generali singulorum studentium progressûs recognoscantur, cui recognitioni, præter Priorem Conventûs, & Lectores, etiam Provincialis inter- F *sit, seu alius à Generali delectus, ii de omnibus, quæ, circa studia providenda erunt, & præcipuè de promovendis discipulis ad Superiores classes, & de Lectoribus, & Regenta, ac ipsismet studentibus mutandis, cum Priori generali communicent, neque circa studia aliquid statuatur sine ejusdem Patris Generalis concessione.*

Generalis in Visitatione Baccalaureos quoscunque diligentissimè examinabit, & si quos minus idoneos invenerit, ita ut sufficienti ad hujusmodi gradum eruditione careant, illos pro ignorantiæ modo aut suspendet, aut privabit. Quod etiam circa alios studentes observetur.

Curet Prior cujuscunque Conventûs, ut Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ ex præscripto decreti Apostolici singulâ hebdo- G *madâ habeatur. Neque ipse Prior ab hujusmodi Lectione aliquem abesse permittet. Lectio autem cum collatione non minùs spatio unius horæ durabit. Teneanturque singuli Sacerdotes circa propositas à Lectore dubitationes interrogati, quid sentiant ex ordine respondere; quibus etiam liceat circa materiam prælectam dubitationes excitare, iisque Lector satisfacere teneatur, ac propterea summam saltem aliquam casuum conscientiæ habere singuli debebunt. Si Lector non legitimè impeditus à legendo per hebdomadam cessaverit, voce activâ, & passivâ per annum privatus existat; si per alium hebdomadam in munere suo obeundo defecerit, per biennium eandem subeat pœnam: Si in contumaciâ per tertium hebdomadam steterit, ultra vocis* H *activæ, & passivæ privationem, per quinquennium jure legendi suspensus sit. Si Fratres verò studio adscripti Lectioni non adfuerint, pro primâ, & secundâ vice in Refectorio panem, & aquam publicè edant; si tertiâ deliquerint, voce activâ, & passivâ per triennium, aliisque etiam pœnis, arbitrio Provincialis plectantur.*

Ut autem Fratres omnes in conscientiæ casibus magis versati fiant, nullus deinceps in Priorem eligatur, qui non priùs ad Confessiones audiendas admissus fuerit, aut saltem spatio sex mensium proximè futurorum ab Episcopo loci, in quo Prior est electus, admitti se curaverit; aliàs officium illius ipso jure vacare intelligatur. Neque aliquis ad confessiones audiendas, ante-

antequam præsentetur Ordinario, minor triginta annis à Generali admittatur, & qui priùs rigorosè examine circa doctrinam, mores, & disciplinam à Provinciali, & duobus Magistris, oneratâ ipsorum conscientiâ, non fuerit approbatus.

Etsi vestitûs exterioris, qui unus esse debet, sicuti una est Religio, & interioris qualitas in Constitutione Ordinis cap. 19. satis exprimitur, quia tamen, quorundam temeritas, & regularis disciplinæ contemptus ita inolevit, ut potius laici, quàm religiosi ex habitu videantur; Prioribus Conventuum sub pœnâ privationis Officij, ac inhabilitatis ad alia officia ipso facto incurrendâ præcipitur, ut omni abusu sublato, vestes Fratrum, tam interiores, quàm exteriores ad præscriptum Constitutionum corrigant, itaut tunicæ talares sint, non longiores, neque breviores, neque apertè nisi ante pectûs, manicæ non rugosæ, zona nonnisi coriacea, caligæ tantùm albæ, vestes interiores albi, aut nigri, non mixti, aut alterius coloris; camisiæ laneæ, lineæ verò (quæ nonnisi ob infirmitatem permittuntur) omninò exteriùs non appareant; Cappæ non sint rugosæ, pilei uniformes non eminentes, bireta non sint angularia; sed potiùs rotunda, quæ intra claustra tantùm à Paschata Resurrectionis usque ad festum omnium Sanctorum permittantur, pallia, quibus nonnisi cum pluit, ac in itinere utendum est, simplicia; Habitus per Urbem semper integer; omnis denique ornatus sericus, argenteus, aut aureus, & color in omni re, quamvis minimâ, præter in Constitutione expressum, omnisque luxus, & superfluitas tollatur, pœnâ Fratribus non exeundi septa Monasterij per sex menses propositâ. Nullus prætereà quamvis Magister quacunque de causâ annulos aureos, aut argenteos, vel alterius materiæ in digitis gestare præsumat sub pœnâ privationis vocis utriusque ipso facto incurrendâ; quas pœnas Prior remittere non valeat, teneaturque semel saltem in mense cellas, & indumenta Fratrum quorumcunque diligenter visitare, neque ullo modo aliquid sericum, vel ad arcendum sudorem in biretis, aut pileis, aut in aliâ quavis re permittet. Nemo item barbam sibi circa maxillas, & mentum abradi faciat; sed illam prout natura protulit, deferat, neque capillos circa tempora prominentiores, aut longiores gestet, quàm in occipite, sub pœnâ privationis vocis utriusque ad arbitrium Generalis; pœnâ quoque Priori, qui permiserit, privationis propositâ. Provincialis etiam diligenter in visitationibus perquiret, an Priores circa prædicta aliquid adversus Const. permiserint, ut eos qui in culpâ fuerint, officio privabit. Quòd si Generalis Provincialem quoque in re hac negligentem fuisse deprehenderit, possit illum ab officio suspendere, aut etiam pro culpæ qualitate privare.

Cura sit Prioris Generalis abusûs omnes tollere, & maximè in literis familiaribus describendis, ut non sæculari, sed religioso more se invicem tractent, aliquâ præscriptâ formâ, quæ humili Religionis statui conveniat.

Syndicus omnem pecuniam ad manûs Fratrum quomodolibet pervenientem in libro redditûs, in quo aliæ Conventûs pecuniæ adnotari solent, describet, atque cum pecunijs Conventûs prorsus confusum Depositario servandam tradet, ut inde communis victus, & vestitus, ut præfertur, suppeditetur, alijsque Fratrum necessitatibus de Prioris licentiâ succurratur juxta Decretum Sanctissimi Domini Nostri.

Confessarij, Prædicatores, & Lectores, sub pœnâ privationis vocis activæ, & passivæ ad biennium ipso facto incurrendâ, eleemosynas, salaria, sive mercedes integras Priori, sive Syndico cum alijs bonis Conventûs confundendas consignare teneantur; teneantur tamen superiores eorum Religiosis necessitatibus præcipuè, & eâ quâ decet charitate, & providentiâ supplere, & provideri.

Nemini liceat ante refectionem communem, & benedictionem, præsertim in Refectorio aliquid comedere, aut bibere; qui secus fecerit, aut disciplinâ publicâ plectatur, aut cibo eâ vice careat, quas pœnas Prior sub pœnâ suspensionis ab officio, Provincialis, seu Generalis arbitrio infligendâ irrogare teneatur.

Ne Deo militantes secularibus negocijs implicentur, omnibus, & singulis Fratribus cujuscunque gradûs existant, inhibetur, ne quis alicuius Principis, aut nobilis viri, vel alterius, etiam consanguinitatis prætextu Procurator, aut negociorum gestor sit, nec in negociationibus ullo modo, aut mercaturis interpretis, sive mediatoris vices, aut aliud seculare negocium gerat, pœnâ privationis activæ, & passivæ vocis eo ipso incurrendâ illi propositâ, præter alias arbitrio Generalis irrogandas.

Nullus Frater quovis prætextu arma cujuscunque generis gestare, vel apud se retinere, etiam sibi in custodiam ab alijs tradita, sub pœnâ vocis utriusque eo ipso amittendæ per annum, ac per sex menses è Monasterio non exeundi præsumat: quod si arma ex prohibitis, uti sunt sclopi rotarij, fuerint, pœnam triremium per triennium eo ipso incurrat, quam pœnam Provincialis, omni excusatione remotâ, sub pœnâ privationis Officij exequi teneatur. Prior autem qui scienter permiserit, officio omninò privetur.

Caveat autem Prior, ne, sub pœnâ privationis officij ipso facto incurrendâ, Fratribus exeundi licentiam, nisi ad præscriptum Constitutionum hoc est, nisi bis in hebdomadâ, ac nisi genuflexi, benedictionemque petentibus, & cum socio concedat, nec quemquam diebus festis exire permittet, nisi ob casum necessitatis, qui differri non possit.

Decretum S.D.N. de fenestris, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro obstruendis quamprimùm executioni mandetur, & si lux aliunde non possit, saltem ita obturentur, sive fixè aptentur, ut nullâ ratione à vicinis Fratres videri queant; Priori pœnâ privationis officij propositâ, si secus factum fuerit.

Prior

Prior cujusque Conventûs non collegiati expleto biennio in Conventum Collegiatum reducatur, nisi ad alteram biennium ejus officium pro loci utilitate contingat prorogari; Familia verò ultra biennium in hujusmodi Conventibus commorari non permittatur, sed in aliquo collegiato, ubi disciplina regularis vigeat omninò collocetur; neque Prior, aut quisquam ejusdem familiæ Frater possit in Conventu non collegiato, nisi post sex annos collocari. Provincialis autem qui hujus decreti temerarius extiterit violator, per annum ab officio suo noverit se suspensum, quam etiam pœnam Prior ipse Generalis, si contrafecerit, omnino luat.

Fratres ab eo Conventu, in quo degunt, ad alium absque Prioris licentiâ in scriptis cum termino ad redeundum præfixo sub pœnâ suspensionis ab officio per Mensem Priori, qui hujusmodi licentiam non perquisierit, & legerit, aliquem sine illâ, & Breviario, aut Coronâ, si Laicus fuerit, receperit, propositâ.

Prior non modò Tabellam, Decreto Apostolico præscriptam, in quâ horarum distributio continetur, appendi curabit, sed, & sub pœnâ suspensionis, vel etiam privationis officii, quam Provincialis relaxare non possit, quæ de silentio in Constitutione præcepta sunt omninò servari faciat, Fratresque sub eadem pœnâ strepitantes, aut malè contendentes, vel etiam obscœna verba proferentes, minasque aliis intentantes publicâ disciplinâ, aut relegatione in Monasterio, vel etiam carceratione, pro modo culpæ puniantur.

Datum Romæ, die 22. Augusti 1604.

Ant. Seneca Ref. Apost. Secret.

*Scilicet post biennium usque ad ann. 1606. quod Gabriel Gen. defunctus non compleverat, prout constat ex ejus Regesto pag. 5.

Philip. Gen. à Pont. confirmatur.

M. Hippolyt. Lucensis obitus, & gesta.

His itaque novis legibus passim evulgatis, unum illud videbatur optimæ intentioni Generalis adversari, quod elapso biennio rursus Comitia generalia habenda forent, & ipsius Magistratus in alium transferendus: unde multi ad eam dignitatem inhiantes jam omnia perturbare cœperant, & ipsi DD. Reformatores quotidie ab iis obtundebantur, qui de illâ futurâ dignitate variis favoribus, & artificiis competebant; ut igitur huic communi malo occurreretur, & publica reformatio nequaquam præpediretur, Summus Pont. proprio motu Philippum in eo Magistratu per aliud integrum triennium * ultrò confirmavit, per Apostolicas literas sub 4. nonas Octobris, Tusculi datas. Quo præsidio confortatus, & roboratus Generalis magis, ac magis Religionem Servorum ad normam præscriptarum legum magnis itineribus, & laboribus confirmare curabat. Jam ad hujus anni extremum fuerat perventum, quando M. Hippolytus Lucensis Episcopus Montis Pelusii Romæ Sacris munitus animam Deo reddidit. Fuit Hippolytus à teneris annis tàm magnæ Indolis, ut studiosos quosque suæ ætatis eruditione anteiret: æquè Divinarum, humanarumque scientiarum peritiâ vehementer excultus, habuit enim singularis doctrinæ E Magistrum, qui illum in Divinis erudiret Jacobum Tavanthium Pisis Sacram Theologiam profitentem, & in concionando facundus, & elegans; in legendo verò, & in Sacrâ interpretandâ Theologiâ neminem fortasse parem habuit. Nam postquam Patavii domesticum studium plures annos rexisset, Venetias adscitus cum Antonio Fachineto Apostolico Nuncio suam eruditionem communem habuit, & à Sacris inserviens familiariter cum eo diu vitam duxit. Inde Ferrariam ab Alphonso Duce evocatus, & in Cathedrali per Quadragesimam plausibiliter auditus, tandem primariam Cathedram Sacræ Theologiæ eodem Duce deferente usque ad revolutionem Ferrariæ gloriosè exercuit. Dominæ F Lucretiæ Estensi Urbini Ducissæ adeò charus, ut eâ apud Pontificem intercedente, Hippolytus gratiam Clementis Octavi cum Episcopali dignitate postmodum assequeretur, præsertim post exortam, & excitatam difficultatem illam de *Auxiliis*: in quâ quæstione ventilandâ acerrimè se gessit Hippolytus, adeout Pontifex ipsius consuetudine, & diuturnis colloquiis usque adeò Romæ oblectaretur, ut nunquam ab Urbe abesse ad Episcopatum permitteret, sed honesto commeatu apud se retinere semper voluit; & quanti ejus doctrinam fecisset probavit exitus. Quoniam ejus auditâ morte omnes ipsius lucubrationes apud se in Vaticanum transferri jussit; cujus etiam funus per Pontificem G piis lachrymis deploratum, & quod vir religiosus, humilis, simplex, & doctus defecisset, commendatum, nostri etiam Patres viro de se benemerito, & qui Sacram supellectilem illius loci augeri curaverat, in Ecclesiâ S. Marcelli egregiâ laudatione prosecuti fuerunt, cui denique memoriæ conservandæ gratiâ Patres Lucenses lapideum monumentum his verbis statuerunt.

F. Hippolyto Massarino Lucensi ex
Ordine Servorum Innocent. IX.
& in Gymnasio Ferrariensi diù
Theol. Episcopo Montis Pelusij
H Ob suas innumeras virtutes
à Clemente VIII. creato
Et ab eodem in gravissima illa de
Gratia controversia inter
Fratres ascripto
Pij Patres Lucenses Servitæ
Ann. 63. ætatis suæ
Mortuo benemerito Die 17.
Decembris 1604.
P. C.

[Tan-

[Tantum Virum Hippolytum summis laudibus effert etiam Ferdinandus Ughellus in suâ Italiâ Sacrâ Tom. 1. pag. 1073. primæ editionis hæc scribens:

Hippolytus Massarinus Lucensis ex Ord. Serv. Theolog. in facultate clarissimus, à primis annis Servitanum Institutum amplexus est, nobilique præditus indole, celeritate mirabili hausit ingenuas artes, itaut ad ptos magno ingeniorum proventu, & fructu tradiderit artes, Patavij, Venetijs, Ferrariæque, præsertim autem cum Venetijs demoraretur intimam familiaritatem contraxit cum Joanne Antonio Fachineto Apostolico Nuntio, cujus postea Confessarius, ac Theologus evasit. Hic autem cùm multò post inter Purpuratos cooptatus fuisset, ac deinceps Pontifex renuntiatus sub nomine Innocentij IX. è vestigio Hippolytum Romam accivit, qui per id tempus munere Alphonsi II. Ferrariæ publicè Theologiam profitebatur, vocatumque suum Theologum creavit, ex assiduâ singularis benevolentiæ significatione maximorum etiam bonorum benemerenti Viro spe injectâ; sed cùm minùs oportuit, Innocentij propemodum fatum Hippolyti omnes spes illas abrupit. Mansit tamen Romæ usque ad VIII. Clementis tempora, in quibus cùm turbida illa Quæstio de Divinis Auxilijs agitaretur, Hippolytus haud in postremis Theologis fuit, qui doctissimorum Virorum Senatum illum explerent. Siquidem in rem tam arduam non modò suam præferebat doctrinam, sed aliunde etiam quæsitam quæstioni illi implicitæ dissolvendæ adhibere solebat. Itaque Marsilij Vasquez Abbatis Cisterciensis Hispani, ac Monachi Septimiani plerunque doctrinâ usus est, qui assiduè eâ de re transmittebat Romam ad Hippolytum non temnenda Commentaria, quo laboranti Senatui sub implicatissimis difficultatibus maximo usui essent. Et Hippolytus quidem cùm pluribus congressibus suam Pontifici Clementi probasset doctrinam, ab eodem Pontifice Montis Pelusij creatus Episcopus est 1600. die 20. Martij, cùm ad id etiam Lucretia Estensis melioris notæ preces adhibuisset. Cæterùm Hippolytus scribendo, disputandoque Romæ maximè occupatus, Ecclesiam sibi creditam videre non potuit, ex assiduis enim literarijs laboribus morbo contracto Romæ decessit Anno 1604. die 17. Mensis Decembris, sepultusque fuit apud S. Marcellum ante maius Altare cum hoc subiecto Epitaphio; ejus autem ingenij monumenta jussu Clementis Vaticana Bibliotheca excepit.

Epitahium hic indicatum ab Ughello illud est, quod superiùs refertur.

Hippolyto non incongruum erit adijcere Stephanum Guasco de Alexandriâ nobili genere natum. Hic enim Concionator egregius in Delphinatu præsertim adversus Hæreses acerrimè verbo, & exemplo decertavit, & Summo animi ardore sacram pro fide Catholicâ confœderationem promovit. Acceptissimus fuit Hieronymo Archiepiscopo Viennensi in Gallijs, qui pluribus, & insignibus

Stephanus Guasco de Alexandriâ Vir illustris.

A cum cumulavit beneficijs, suique Vicarium Generalem constituit, quem etiam an. 1602. ad Summum Pontificem Clementem VIII. legavit, ut obedientiam Sanctitati suæ ejus nomine exhiberet, qui eum singulari benevolentiâ excepit, neque mediocriter commendavit, quod etiam constat ex ijs, quæ de Stephano adiecit in Breve Pontificio ad Archiepiscopum præfatum directo, scilicet: *Libenter vidimus, & benignè audivimus Dilectum Filium Religiosum hominem, & strenuum in Vineâ istâ Operarium Stephanum Guascum Nobis notum, & gratum.* Præterea Principibus etiam secularibus acceptissimus fuit, què proinde pluribus affecere honoribus, maximè verò Henricus è Sabaudiâ Prorex in Delphinatu, & Henricus IV. Galliarum Rex,
B qui eum hoc anno 1604. alterum è Consiliarijs Regijs, suumque Eleemosynarium constituit.

Anno autem sequenti 1605. Dominicâ quartâ Octobris, quâ de more celebratum solemniter fuerat B. Joannis Angeli Festum in Ecclesiâ S. Mariæ Servorum de Mediolano incredibili Populorum concursu ad secundam usque noctis horam confluentium, Sacrum ejusdem B. Corpus integrum semper, & incorruptum è veteri Arcâ, in quâ primò reconditum fuerat anno 1506. quo vir iste Sanctissimus obierat, in aliam longè decentiorem, piorum ope fabrefactam, translatum non mediocri pompâ fuit, collocatam subinde super Altare D. Annunciatæ dicatum,
C ubi ad annum usque 1681. permansit, quo nimirum translatum iterum fuit ad aliud longè honorificentius Sacellum, prout ad eundem annum dicemus. De quibus fusiùs in vitâ ejusdem Beati scribit P.M. Augustinus Allevazzoli de Alexandriâ. Referre quoque juvat, quòd eodem anno in Ecclesiâ eâdem de Mediolano Quadragesimales Conciones habuit P. M. Joannes Hieronymus de Ferrariâ Provincialis Marchiæ Tarvisinæ incredibili plausu exceptus, ipsis enim interfuit idem quoque Senatus, quod sanè memorandum apparet in Libris memorabilium illius nostri Conventûs ab anno 1557. usque ad 1606. pag. 156.]

Translatio B. Joannis Angeli de Mediolano.

Joannes Hieron. de Ferrariâ Concionator celebris Mediolani.

D

Defunctis duobus Summis Pontificibus Clemente Octavo, & Leone XI. F. Hieronymus Bernerius Card. à Paulo V. præficitur Protector 27. Ord. Servorum.

CAP. X.

Postquam Summ. Pontifex Clemens VIII. in Cathedrâ Petri tredecim annos gloriosè, & piè consedisset, Clavumque Catholicæ Navis summâ cum pietate, ac religione rexisset, viam tandem universæ carnis quinto nonas Martij anno 1605. ingressus fuit. Hoc Summo Pont. auctore Henricus IV. Galliæ Rex resipiscens ad meliorem fru-

gem

gem conversus fuit. Januam Romæ sexcentesimi anni post millennium aperuit, Ferrariam post defunctum Alphonsum Ducem Estensem in deditionem Ecclesiæ recepit, aliáque multa regio, & clementi animo digna pro asserendâ, dilatandâque usque ad Persidem Catholicâ fide, perpetravit. Verum inter hæc omnia à nobis perpetuò celebrandus, quòd speciali quâdam propensione Religionem Servorum ad veterem disciplinam reducere summo studio conatus fuerit, incipiendo ab ipso Senario, quem in Sacram Eremum pro aliorum exemplo erexit, & nuper Angeli Mariæ Flor. & Philippi Alexandrini Generalium operâ pro reformando Ordine impensè usus fuit. Nec minorem clementiam in bonos Religiosos extollendos, quàm justam severitatem in depravatos mores corrigendos semper exercuit. Hujus vestigia proculdubio erga nostram Religionem prosecutus fuisset Alexander Medices Card. ipsius in Cathedrâ Petri Successor Leo XI. nuncupatus, nisi & ipse repentinâ morte post adeptum Pontificatum occubuisset. Nam per eos paucos dies, quos sibi vivere licuit, multa in hunc nostrum Ordinem suæ propensionis signa declaravit, præsertim in suum Confessarium M. Philippum Boculum Servitam Eugubinum, quem jam Episcopum Anagninum designaverat, semper enim Confessarios nostri Ordinis apud se habere voluit. Illud etiā magni amoris signum ostendit Leo, quando rogatus, ut de novo Protectore hunc Ordinem nostrum providere dignaretur, se ipsum ultrò exhibuit gratissimis illis verbis dicens: *Ego dum vixero Protector vester ero*; tum quia Florentinus non possum Religionem illam in meâ patriâ fundatam non diligere, tùm quia vos Servorum titulum geritis, & ego Servum Servorum Dei me profiteor. Quin etiam ad amplificandum Cœnobium S. Marcelli proximum Palatium, quod Clemens VII. ejusdem Mediceæ familiæ nobis largitus fuerat, rursus coemere, & restituere designaverat, Munifici quidem, & regij animi illius Pontificijs monumenta, quæ etsi infecta remanserunt, nullâ tamen unquam gratis animis nostris oblivione delenda. Leoni igitur 5. Kal. Maij defuncto non post multos dies sufficitur Camillus Card. Burghesius, sub nomine Pauli V. Neque etiam defuit importuna mors, quin & inter Patres nostros suas exerceret vires, quando eodem anno 18. Kal. Julij Perusij defunctus fuit M. Anselmus Settus, Bononiæ M. Apollonius Painius, & Romæ M. Theodorus Ripa Procurator in Curiâ; tres quidem si uniuscujusque virtutem expendamus primariæ notæ præclari, nam Anselmus Settus plurimis animi dotibus præditus fuit, nempe Musicus, Geometra, Astronomus, Philosophus, & Theologus insignis; per triginta annos publicè legit in Cœnobio D. Petri Benedictinorum Logicam, Philosophiam, & Theologiam, super quas facultates reliquit

Leonis XI. propensio in Ordin. Servor.

non spernenda Commentaria; necnon

E conciones, quas Romæ, Neapoli, Venetijs, Bononiæ, Mantuæ, Urbeveteri, & alibi maximo audientium concursu habuit. Scripsit insuper de modo inveniendi ad imitationem Artis Raymundi libros Topicorum ad breviorem, faciliorem que viam redegit. Super octo physicorum libros, Commentaria lucubravit. Apud D. Neapolionem Comitolum Perusij Episcopum maximo in pretio fuit, ac ejus extitit Synodalis Examinator. Hunc paulò post secutus est M. Apollonius Painius Conventûs S. Joseph de Bononiâ, qui præter munera, quibus potitus est in administrandâ suâ Provinciâ, insignis Concionator, & lepore, & venustate dicendi præclarus; edidit italicè sermones scripturales in Canti-

F cum Ezechiæ *Ego dixi, &c.* qui Venetijs prodiit in lucem apud Joannem Baptistam Ciottum Ann. 1601. Lucubravit etiam inter cætera librum prænotatum *Academia Animalium* per seriem Alphabeti de virtutibus, & vitijs: animalium enim naturas & instinctûs ita notabat, ut uniuscujusque ingenium, ut ita dicam, aptaret eidem, de quo agebat, idque cum è Philosophis, atque alijs hujusmodi Scriptoribus, & præcipuè è Divinis Scripturis compilaret, morte præventus, absolvere non potuit. Præter hæc fuit assiduus Concionator, & Lector in Cathedrali Bononiæ, & per horas pomeridianas Præsbyteris Canonem Missæ interpretabatur, & multa alia Divina colloquia in subterraneo illius Cathe-

G dralis Oratorio utiliter, & frequenter habebat, de quo apud Antonium Possevinum in Apparatu Sacro hæc, & alia plura. Ad illustrandam quoque Religionis nostræ antiquitatem viros quoscunque hujus Ordinis, seù dignitate, seù studio, seù moribus insignes multis elogijs conspicuos reddidit, in quibusdam tabulis à nobis pro rerum & personarum opportunitate in his Annalibus aliquando notatis. Tertiò his successit in mortem M. Theodorus Ripa de Mediolano in humanis, Divinisque literis eruditissimus, & qui carmine, & solutâ oratione elegantissimus simul Poeta, & Orator habebatur: sed in cathedrâ, & in enodandis Theologiæ difficultatibus nemini secundus, iniquâ tamen morte an-

H te seniles annos præventus vix ulla ingenij sui monumenta perfecta relinquere potuit. Obijt tertio nonas Novembris Romæ sepultus sub hoc elogio marmoreo.

F. Theodoro Ripæ Mediol. Ordinis Serv. mira in Deum pietate claro, græcæ, latinæque linguæ perito, Philosopho, ac Theol. celeberrimo, qui multis in sua Relig. functus muneribus, tandem Proc. Gen. in Curia, obijt ann. ætatis suæ 52. die 3.

52. die 3. Novembris 1605. Filij PP. Servorum Mediolanenses Benemerito.

P. C.

Theodoro autem successit Romæ Procurator per Apostolicum diploma M. Deodatus Duccius à Burgo S. Sepulcri. Integrum jam quadriennium Ordo noster post defunctum Julium Antonium S. Severinæ Cardin. Protectorem neminem habuerat. Cur autem Clemens VIII. Protectores Ordinibus non constitueret, multæ tunc circumferebantur rationes, quarum potissima fuit, ut per ipsosmet reformatores religiosorum Ordines regerentur. Hoc verò tempore Paulus V. singulis Ordinibus novos restituit Protectores; nobis autem præfecit F. Hieronymum Bernerium Cardinal. Asculanum per Apostolicas literas sequentis tenoris,

Venerabili Fratri Magistro Hieronymo Episcopo Alban. Card. Ascul. nuncupato.

PAULUS PP. V.

Hieron. Card. Asculanus Protector. *Dilecte fili Sal. & Apostolicam benedictionem. Cum per obitum bo:mem. Julij Antonij Episcopi Pranest. Card. S. Sever. nuncupati Ord. Fratrum Servorum B.M. dum vixit apud Rom. Pont. & Apostolicam Sedem Protectoris dudum apud Sedem Apostolicam defuncti, Ordo prædictus Protectore destitutus remanserit, Nos eidem Ordini de idoneo Prot. providere volentes, ac de tua circumspectionis singulari prudentiâ, doctrinâ, integritate, ac religionis zelo plurimùm in Domino confisi, ac dilectorum filiorum, Prioris Generalis, & aliorum Superiorum dicti Ordinis nomine porrectis Nobis supplicationibus inclinati te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem prædictum plurimùm commodi, & ornamenti suscepturum esse confidimus, prædicto Ordini illius Monasteriorum, & Religiosorum quorumcumq; apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectorem cum omnibus facultatibus, jurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, & quibus alij ante te dicti Ordinis Protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt ad tui vitam Apostolicâ auctoritate tenore præsentium facimus, & deputamus. Volumus autem, ac tibi virtute salutaris obedientiæ mandamus, ut Superiorum dicti Ord. auctoritatem, quantùm fieri poterit, conservare cures, & propria cum ipsi Superiores eorum officij debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incubuerint, tunc in negocijs eorumdem religiosorum te non immisceas; quando autem vel ab ipsis Superioribus requisitus fueris, ut in eisdem negocijs auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in eisdem negocijs exerceas, tunc id liberè facere possis, sed*

A *quoad poteris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quod opus fuerit in eisdem negocijs, seu causis loco Notarij, aliquo ex Religiosis ejusdem Ordinis; mandantes propria prædictis Priori generali, ac alijs Superioribus, necnon universis Religiosis, & personis quibuscunque dicti Ord. in virtute Sanctæ obedientiæ, ut te in eorum Protectorem juxta tenorem præsentium recipientes, eâ, quâ decet reverentiâ prosequantur, contrarijs non obstantibus quibuscũque. Cæterùm Te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem, æternum præmium, & à Nobis condignam laudem valeas promereri.*

B *Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Martij 1606. Pontif. nostri An. primo.*

M. Vestrius Barbianus.

De Indulgentijs nuper à Paulo V. pro singulis Religiosis emanatis ad Fratrum Servorum salutem conducentibus.
CAP. XI.

Philippus Generalis ne ullâ ex parte præfecturæ suæ muneri deesse unquam videretur, quippe qui sæpe ea, quæ esset è Republicâ nostrâ meditabatur, postquam ab Urbe discessit medio in itinere pro Fratrum suorum animis spirituali pabulo re-

C creandis, hanc sequentem Indulgentiarum seriem, quas nuper Summus Pontifex pro singulis Religiosis statuisset, ut ante oculos suorum Religiosorum præstò essent, quorum utilitati semper consulebat, dum Senis transiret, obiter evulgari curavit.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM

Regularibus utriusque sexus, nuper à PAULO QUINTO Pont. Maxim. concessarum.

Frater Philippus Ferrarius de Alexandriâ Sacræ Theologiæ humilis professor, ac totius Ord. Servorum B. M. semper V. Prior

D Generalis licèt immeritus Dilectis Nobis in Christo Patribus, ac Fratribus ejusdem Ord. Sal.

Cum Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. Paulus Divinâ providentiâ Papa V. certas quasdam, & indubitatas indulgentias omnibus Regularibus utriusque sexûs (abolitis quibuscunque hactenus concessis) ex Apostolicâ benignitate, prout ex literis Pontif. die 23. Maij præsentis Anni MDCVI. apud Sanctum Petrum datis apparet, perpetuò concesserit. Nos pro munere officij Nostri illas vobis his Nostris innotescere operæpretium duximus, ut omnes quinam, & quas Indulgentias, quando, &

quid faciendo consequantur, facilè sciant.

E *Quisque igitur Indulgentias, tantas, & tot nobis elargitas haud negligat; sed assequi eas eò diligentiùs curet, quò magis plura in dies delinquens sese ijs indigere cognoscit: illudque sæpenumero ad mentem revocet, eos, qui satisfactionem in alteram vitam distulerint, non priùs relaxandos, quàm Divinæ Justitiæ ad plenum satisfecerint tortoribus tradendi, donec usque ad ultimum quadrantem reddant.*

INDULGENTIÆ PLENARIÆ.

1 *Plenaria itaque Indulgentia Regularibus intra claustra degentibus conceditur, cùm habitum Religionis animo profitendi legitimè recipiunt.*

F 2 *Cùm expleto probationis anno profitentur.*

3 *Cùm in festo principali sui Ordinis pro concordiâ Principum, extirpatione hæresum, Romani Pontificis salute, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione orant.*

4 *Cùm in articulo mortis nomen Jesu ore si possunt, sin minus corde devotè invocaverint.*

5 *Cùm ritè promoti primam Missam celebrant, vel eidem intersunt, vel eâdem die & ipsi celebrant.*

6 *Cùm de Summi Pontificis, vel Superiorum licentiâ in terras Infidelium, vel Hæreticorum mittuntur ad prædicandum, vel ad eos convertendos, vel ad docendos Catholicos, idque bis cùm ad iter se accingunt, & cùm dictas terras intrant.*

G 7 *Cùm de Superiorum licentiâ per 10. dies in cellâ, vel separati ab aliorum conversatione libros pios, & alia spiritualia ad devotionem excitantia legunt, sæpè meditantes mysteria fidei catholicæ, Divina beneficia, quatuor novissima, Passionem Domini Nostri Jesu Christi, & alia exercitia, uti orationes jaculatorias, vel vocales saltem per duas horas in diem, & noctem se se orationibus mentalibus exercentes; idque pro quolibet dictorum exercitiorum.*

8 *Cùm orationibus 40. horarum per Superiorem in Visitationibus generalibus pro bono visitationis positis, saltem spatio duarum horarum in diverso tempore intersunt pro Christianorum Principum concordiâ, & alijs supra cap. 3. memoratis orantes.*

H

INDULGENTIÆ STATIONUM URBIS ROMÆ.

9 *Qui Ecclesiam suam devotè visitaverint orantes pro Christianorum Principum concordiâ &c. prout supra, omnibus diebus Stationum Indulgentias omnes Stationum consequuntur, ac si Ecclesias intra, & extra Urbem personaliter visitarent.*

INDULGENTIÆ MINORES.

1 *Annorum LX. & totidem quadragenarum ijs, qui per mensem integrum singulis diebus per dimidiam horam mentaliter orant, si confessi in ultimâ mensis Dominicâ communicaverint.*

2 *Annorum V. & totidem quadrag. ijs, qui quinquies Pater noster, & Ave Maria ante Altare suæ Ecclesiæ recitaverint, quæ Indulgentia etiam Itinerantibus, prædicantibus, vel legentibus extra claustra, de licentiâ tamen Superiorum, conceditur.*

3 *Annorum 3. & totidem quadrag. cum pœnitentes suas culpas, peccata, & imperfectiones dicunt in capitulo spiritualiter communicantes; & exercitium facientes virtutum.*

Cæterùm non sat est esse contritum, sed & confessum, ac sacrâ Communione refectum esse oportet, præterquam in mortis articulo, ut indulgentias prædictas quis consequatur.

Verùm illud obiter circa hujusmodi recentiores Indulgentias Regularium animadvertendum occurrit historiæ nostræ, circa paragr. 3. ut quemadmodum alij Regulares communem quendam diem festum singulis annis pro suo universo Ordine celebrare consueverunt; utpote Cassinenses festum S. Benedicti, Cistercienses S. Bernardi, Camaldulenses S. Romualdi, Prædicatores S. Dominici, Minores S. Francisci, & ita de reliquis, rationi consentaneum videtur hoc tempore, ut pro assequendis illis Indulgentijs, etiam Patres nostri quendam præcipuum diem singulis Ecclesijs nostris communem ex ijs statuant, quos veteres nostri ab origine Religionis sanxisse visi sunt. Triplicem enim diem solemnem inter festos præcipuè habuerunt, juxta triplicem sui Ordinis auspicatam fundationem. Si enim primum illud spiramen Divinitùs acceptum, quo die quintadecimâ Augusti primùm evocati fuerũt septem primi illi PP. spectes, natalitius Ordinis nostri dies festus erit Assumptionis B. M. V. Si verò quando die octavâ Septembris simul in unum, posthabito mundo, convenerunt, rectè perpendas, Solemnis dies Religionis erit Nativitas ejusdem B. M. V. Si denique quando Sacrum Habitum Divinitùs per manûs illas Sacratissimæ Dei Matris die 25. Martij in Parasceve acceperunt anno 1239. consideres, communis Religionis nostræ festus dies erit Annunciationis ejusdem B. V. qui eodem anno accidit in ipsâ feriâ sextâ majoris hebdomadæ (hos enim tres præcipuos dies præ alijs coluit antiquitùs universus hic Ordo) Cæterùm pro illis assequendis Indulgentijs ad præscriptum Summi Pont. videat posteritas, quis horum dierum pro communi festo Religionis sit imposterum decernendus. Hæc enim pro nostræ Historiæ munere sit attigisse, & indigitasse satis.

Præcipuus festus dies Ord. Servor. qualis.

[Ad eundem annum 1606. referenda est solemnis Translatio Imaginis B. M. V. quæ in Ecclesiâ nostrâ S. Martini de Justinopoli præcipuâ veneratione colitur, de cujus origine fatis ad annum 1449. cùm enim Christophori communiter dicti de Justinopoli, verè tamen oriundi è Novariâ Insubriæ Civitate clarissimâ,

Trãslatio Imaginis B. M.V. de Justinop.

mâ, de quo pluries in his Annalibus, operâ potissimùm, & studio longè amplior, & augustior, quàm antea fuisset, à fundamentis iterum excitari cœpisset Ecclesia, ac tandem ad umbilicum perducta fuerit anno 1597. piorum quàmplurium Christifidelium ope, maximè verò Patritiorum Venetorum, qui Civitati illi regendæ præfecti fuerant, hoc anno 1606. ex publico ejusdem Civitatis decreto, confluentibus undequaque Populis, die 28. Octobris SS. Apostolis Simoni, & Judæ nuncupatâ solemnis habita fuit Processio, quâ universus Clerus, tum Regularis, tum Secularis cum Episcopo Hieronymo Contarino incredibili omnium exultatione è veteri Ecclesiâ ad hanc augustiorem de novo ædificatam translatum honorificentissimè fuit augustissimum S. Eucharistiæ Sacramentum: translata quoque fuit Imago B.M.V. prædicta, quæ Filium Jesum mortuum in gremio jacentem plorat, miraculis valde illustris, quæ planè nobis indicant innumeræ Tabellæ votivæ ante ipsam appensæ, è quibus nonnulla placet hic recensere præ cæteris insignia, quæ refert etiam in suâ Chorographiâ Ecclesiasticâ hujus Civitatis, & Diœcesis D. Paulus Naldini ex Ordine Eremitarum S. Augustini ibidem Episcopus. Anno 1585. cùm generale quoddam incendium in eâ Civitate excitatum fuisset, Sacra hæc Deiparæ Imago vix oblata fuit à Religiosis Christifidelibus, ubi vehementiores insurgebant flammarum vortices, cùm illicò totum illud incendium omnino cessavit. Hoc autem anno 1606. Mense Februario cùm Sacerdos quidam secularis nomine Joseph Albanese ad Altare S. Francisco de Paulâ dicatum in Ecclesiâ veteri prædictâ S. Martini Divina perageret Mysteria, Sacratissima Hostiâ vix ab eodem consecrata, horribili de repente impetu Boreæ, ex ejus manibus elapsa per aerem maximè elata huc, & illuc circumagebatur. Attonitus proinde Sacerdos, & summâ tantæ rei admiratione correptus huc, & illuc per Ecclesiam se transferebat, ut eandem quâ majori veneratione poterat, excipere posset, quoties in ipsius manûs descendisset. Verùm diu vani labores evasit. Itaque te meliùs consultâ provolutus humillimè ante Augustissimam Eucharistiam, & Sacram hanc B. V. Imaginem obortis lachrymis ipsam rogare cœpit, ut Sacram Hostiam recuperare posset, & Sacrificium complere; statimque Sacra eadem Hostia, quantumlibet longè validior, ac vehementior ventus ipsam circumagere tentaret, incredibili omnium admiratione, & gaudio integra prorsus in ejusdem Sacerdotis manûs descendit, qui proinde laudes Deo, ac Deiparæ cum universo Populo persolvens, tremendum Sacrificium complevit: inde verò quonam pacto increverit Populi devotio erga venerandam hanc Imaginem, animo quisque meliùs concipere potest, quàm mihi liceat referre.]

A

N O T Æ.

[NUlla imposterium esse posse videtur dubitatio, quinam dies Festus Ordinis nostri præcipuus habendus sit, ex quo Innoc. XII. anno 1692. die 2. Mensis Augusti facultatem indulsit celebrandi solemniter Festum Septem Dolorum B.M.V. per totum Ordinem nostrum Dominicâ tertiâ Septembris ritu duplici 2. Classis cum Octavâ, & B.Virginem sub hoc Titulo ejusdem Ordinis Titularem, & Patronam appellavit, prout fusiùs dicendum erit ad annum prædictum. Inde enim unicuique patet, quòd hic dies Festus præcipuus est Ordinis Servorum.]

B *Officium semiduplex B.M.V. in Sabbatho, unà cum lectionibus B.P.N. Philippi à Summo Pontif. Paulo V. restituitur.*

C A P. XII.

DUM verò Philippus Genet. comitijs Provinciarum præpeditus (dimittitur enim hoc anno ex Apostolicâ dispensatione Capitulum generale) cùm non posset ita celeriter Romam ad novum Protect. invisendum accedere, per literas mandavit Archangelo Socio Prov. Thusciæ, qui Tuderti concionatorem in cathedrali egerat, ut suo nomine ad Urbem properaret, & cum F. Hieronymo Cardin. ageret de restituendo officio B. Mariæ in Sabbatho, C necnon de approbandis lectionibus ex gestis B. Philippi, quæ in ejus Festo antiquitùs recitari consueverant. Hæc verò dum Romæ cum D. Protectore diligenter pertractaret Archangelus Gianius jussus fuit ab eo, ut gesta ejusdem B. Philippi ex historiâ, quam antea edidisset, latinè in compendium redigeret, unde faciliùs postea lectiones approbandæ elici possent. Multa quoque de optimo Religionis gubernio per Protectorem habendo inter eos, & dictis, & scriptis antequàm Philippus Generalis ad Urbem accederet, ventilata fuerunt; donec accedente tandem Gen. D. Protector Philippum cum Deodato Proc. Ordinis, & Archangelo Socio ad pedes Summi Pontif. adduxit. Cumque de B. D Philippi lectionibus sermo institutus fuisset, Paulus Pont. summatim gesta S. Patris sibi ab Archangelo enarrari jussit, quo multa referente, præsertim ex Nicolai Burghesij Senensis scriptis excerpta, valde oblectatus fuit Pont. ob specialem affinis sui in hunc Beatum devotionem. Quare non fuit difficile animum Pont. ad optatam supplicationem inducere, quemadmodum rei eventus postmodum declaravit. Altera supplicatio porrecta fuit per Generalem, quâ petebatur, ut lex illa Clem. VIII. de examinandis, & approbandis novitijs ab Ordinarijs locorum, ad Generalis auctoritatem pro omni superandâ difficultate, devolveretur, quod tunc libenter

vivæ vocis oraculo concessit Pontifex, unde in posterum non oportuit novitios Ord. Servorum, antequam reciperentur, ab Ordinario loci recognosci, supplente hac Apostolicâ facultate Generali concessâ. Ex quo tempore usus inolevit, ut nullus novitius recipiatur ad habitum inconsulto Priore Gen. qui ipsorum natales, indolem ad studia, & bonos mores in obsequium Religionis agnoscat; qui verò sextum decimum annum excesserint nonnisi per Capitulum Provinciale approbati recipiantur juxta constitutionem fel. record. Sixti V. Tertiò tandem pius Generalis pro omnibus suis subditis indulgentias quasdam per totum Ordinem in coronis, & imaginibus dispensandis, à clementissimo Pont. impetravit, quæ deinde ab eodem Archangelo Gianio Provinciali Thusciæ Florentiæ impressæ, & per totum Ordinem transmissæ fuerunt. Et hæc acta fuerunt octavo idus Junij. Multi interea studiosissimi Juvenes ægrè ferebant, quòd comitijs generalibus prætermissis optatos, & emeritos magistrales honores adipisci non potuissent, quorum querimoniæ cùm ad aures D. Protectoris pervenissent, factum est, ut cum simili Apostolicâ dispensatione Philippus Gen. vices Capituli in hac parte suppleret, & duodecim, quos idoneos reperisset, Magistros creare valeret. Quam concessionem postmodum nonnisi per rigorosum examen, uti semper consueverat, prosecutus fuit, neque enim Philippus dum Gen. magistratum exercere potuit, ita facilè aut in studijs, aut in studiorum gradibus imperitam juventutem, quin acri judicio, & diligenti examine idoneos judicasset, admittere consueverat. Per eos quoque æstivos calores Philippus Gen. unà cum Archangelo Provinciali Thusciæ in Senarium concessit, &, ut habuerat in mandatis, à Summo Pontif. unà simul officium B.M.V. in Sabbatho cum suis lectionibus ordinavit, & lectiones de vitâ B. Philippi conscripsit, quæ postea in sequentem Bullam translatæ fuerunt ab Apostolicâ Sede approbatæ. Ibidem etiam compilatis decretis Clem. VIII. circa recipiendos, educandosque novitios nostri Ordinis, per eosdem mer composita fuit instructio quædam sub titulo Catechesis Novitiorum, & per F. Innocentium Vecchium Flor. qui tunc ejusmodi puerorum Magister erat, Florentiæ impressa fuit. Quæ si in posterum observetur, maximum religiosæ juventuti alendæ fructum afferre poterit.

Usus, & facultas recipiendorum novitiorum.

PAULUS PP. V. Dilectis Filiis Priori Generali, ac Fratribus universis Ord. Servor. B. Mariæ.

Restituitur Officium B.M. in Sabb. cum lectionib. B.P.N. Philip.

Dilecti Filij salutem, & Apostolicam benedictionem. Eximia Ordinis vestri in Deum pietas, & singularis devotio, quam in primis erga Beatissimam Virginem, cujus obsequijs ex prædicti vestri Ordinis instituto præcipuè obstricti estis, deinde erga Beatum Philippum Benitium, qui ejusdem Ordinis, dum vixit, Prior extitit Generalis, & illum, quà fuit vitæ Sanctitate, suo Nomine illustrat, ac decorat, vos gerere accepimus, ac Venerabilis Fratris Nostri HIERONYMI Episcopi Albanensis Cardinalis Asculani nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris preces, ac merita jure postulant, ut in his, quæ ad ipsius Beatissimæ Virginis venerationem augendam, & ad Beati quoque Philippi memoriam in vestro Ordine honorificentiùs recolendam pertinent, pijs votis vestris libenter annuamus. Cùm itaque vobis fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor Noster eundem Beatum Philippum honorare studens, duplex de eodem Officium vos agere voluerit, Nos eundem Beatum Virum amplius honorificare cupientes, Supplicationibus vestro nomine per dictum HIERONYMUM Episcopum, & Cardinalem Nobis humiliter porrectis inclinati, vobis, ut in quibuscunque vestri Ordinis Ecclesijs in matutinis officij, quod de Beato Philippo ex Indulto dicti Leonis Prædecessoris recitare soletis, Lectiones proprias infrascriptas ex Vitâ ipsius B. Philippi per approbatos Authores descriptâ desumptas, ac jussu Nostro per venerabilem Fratrem HIERONYMUM prædictum Asculanum, ac dilectos Filios Nostros Cæsarem Baronium, Robertum Bellarminium, & Hieronymum Pamphilium nuncupatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales examinatas, & approbatas recitare liberè, & licitè possitis, authoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Ac præterea quoniam, ut dictæ preces pariter continebant, Officium Beatissimæ Virginis ex antiquo vestri Ordinis more, usque ad Breviarij Reformationem fel. rec. Pij Papæ V. Prædecessoris Nostri jussu factam recitare consuevistis, & eandem laudabilem consuetudinem renovare desideratis, religiosis desiderijs vestris hujusmodi annuentes, ut diebus sabbathi aliquo Festo duplici, vel semiduplici, aut Vigiliâ de præcepto non impeditis, & exceptis sabbathis Adventûs, & Quadragesimæ officium solemne cum novem Lectionibus de Beatissimâ Virgine agere, & illo agendo Divini officij obligationi satisfacere, perinde ac si officium sabbathi ageretis, similiter liberè, & licitè valeatis, authoritate, & tenore prædictis pariter concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostòlicis, ac novi Breviarij Romani editione, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu Prioris, seu Vicarij Generalis, ac Sigillo vestri Ordinis obsignatis eadem fides, quæ ipsis præsentibus haberetur, ubique locorum habeatur. Lectionum verò prædictarum tenor est qui sequitur. Lectiones secundi Nocturni ex Vitâ Beati Philippi. Lectio quarta. PHILIPPUS ex Nobili Benitiorum familiâ Florentiæ natus Lutetiæ Parisiorum Medicinæ operam dedit; Reversus in Patriam cùm Ecclesiam Servorum ob singularem erga Deiparam Virginem devotionem frequens

quens visitaret, quâ die verba ex Actibus Apostol. Philippe accede, & adiunge te ad Currũ illum, *legebantur, actus in extasim, Currum aureum, quem Ovis, & Leo trahebant, & in eo Sanctissimam Dei Matrem comitantibus Angelis insidentem, nigráque sibi indumenta porrigentem vidit. Sequenti nocte ab eâdem Dei Genitrice Servos suos adire jubetur. Quare summo mane consurgens, Bonfilium, unum ex septem Ordinis Fundatoribus illius Cœnobij Priorem adit, oratque ut inter Conversos recipiatur. Receptus vitam aliquandiu in Monte Senario solitariam duxit, ubi speluncа, in quam pœnitentiæ causâ ingredi, & vim lacrimarum profundere solitus erat, Nomen ipsius retinens, & aquam emittens adhuc visitur. Elucebant in eo præter cæteras virtutes, mira sapientia, & insignis humilitas; factus Sacerdos paulò post in capitulo Florentiæ celebrato Prior Generalis quinto loco, licèt invitus, eligitur: quod munus ab eo sæpius, sed frustra renunciatum decem, & octo annos tantâ prudentiâ administravit, ut non modò in Italiâ, sed & in Germaniâ, & alibi Ordinem Servorum multis extructis Monasterijs mirificè propagaverit. Tantáque fuit in eo humilitas, ut nonnisi post septem annos, quod Generalis esset, à suis agnitus fuerit. Dissidentium paci, & errantium emendationi studuit. Nam Pistorij Guelphorum, & Ghibellinorum factiones per se ipsum, Florentiæ autem unâ cum Fratre Latino Cardin. Ordinis Prædicatorum Legato, Servorumque Protectore sedavit. Forolivienses, quòd à Martino IV. Pontifice Maximo defecissent, inter concionandum reprehendit, à quibus verberibus affectus Peregrinum unum ex percussoribus convertit, qui eandem Religionem ingressus vitæ sanctitate floruit. Visitando, & prædicando Embdam usque Phrysiæ orientalis Metropolim pervênit, multis ab hæresi, atque ab alijs vitijs per Civitates ad Deum conversis. Lectio quinta. Plura vivens edidit Miracula, nam apud Camilianum agri Senensis Vicum ad Curiam pergens Leproso nudo eleemosynam petenti propriam vestem concessit; quâ ille indutus statim à Leprâ mundatus est; quo miraculo promulgato, dum Viterbij Cardinales, Clemente IV. Pontifice Max. vitâ functo, de successore eligendo dissiderent, nonnullis Philippum proponentibus, ille re cognitâ clam inde recedens (quòd maximæ humilitatis argumentum fuit) apud Montem Tuniatum delituit; ubi Balneis, quæ usque in hodiernum diem S. PHILIPPI nominantur, virtutem sanandi morbos impetravit. Aretij cùm Fratres ob maximam victûs penuriam fame conficerentur, pius accurrens Pater eos blandè consolatus, dum ad Imaginem Sanctissimæ Virginis orat, ecce duos cophinos candidissimorum Panum plenos ad januã Monasterij Divinitùs delatos. Cùm in Germaniam Evangelium prædicaturus Rodulphi Imperatoris invitatu proficisceretur, ad Labinum amnem inter Bononiam, & Mutinam sub Arboris umbrâ Sole ardentissimo diversatus, nonnullis blasphemantibus Divinam ultionem prædixit, quæ illos statim, ut ab eis recessit, secuta*

A *est: Ignis enim de Cœlo in modum turbinis descendens Arborem cum illis prorsus absumpsit. Ex Germaniâ rediens ingressus nemus inextricabile, cum Socij inediâ triduo afflicti non possent ulteriùs progredi; Philippus factâ oratione voces quasdam secutus, nemine tamen viso, panem, & aquam quibus recrearentur, invênit. Lectio sexta. Tudertum veniens Meretricibus, quæ sibi in viâ illudere ausæ fuerant, sic persuasit, ut in Monasterio apud Carsulum inclusæ perpetuam pœnitentiam agerent. Civitatem sibi tanquam Patri obviam habuit; Ecclesiam ingressus ad Altare Beatæ Virginis orans, quasi divinans, cum ea verba,* Hæc est requies mea, *pronunciasset, paulò post in festo Assumptionis Beatæ Virginis in morbum incidit, ex quo octa-*

B *vo die Fratres ad Observantiam regularem hortatus, & sacris præmunitus 11. Kal. Septembris, Anno Salutis MCCLXXXV. migravit ad Christum. Cuius Sanctitas multis Miraculis declarata fuit. In iis Mulier manibus, pedibusque contracta, ut sacrum attigit Corpus, statim Domum incolumis remeavit. Cæcus ad ejus Tumulum delatus illicò visum recepit. Puer in Agro Tudertino à Lupo strangulatus ejusdem meritis ad vitam revocatur. Mulier, quæ & miracula negare, & Servum Dei irridere præsumpserat, muta illicò effecta, dum resipiscens ad illius pedes prostrata veniam precatur, pristinam loquendi recuperat facultatem. Unicus viduæ Filius ex diutino morbo defunctus, dum opem Philippi dolens mater implorat, redivivus*

C *surgens Philippum sibi succurrentem se vidisse testatus est, stupentibus, qui ad Matrem consolandam advenerant. Quare Leo decimus Pontifex Max. cognitâ Viri Sanctitate, cum illum gravissimis curis impeditus non potuisset in Sanctorum numerum referre, Fratribus tamen sui Ordinis, ut de illo Officium duplex decimo Kalend. Septembris recitarent, concessit.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 12. Octobris MDCVI. Pontificatûs Nostri Anno secundo.

Scipio Cobellutius.

Quod verò ad novos Provinciarum officiales attinet, qui in præteritis comitijs electi fuerunt, quos rescire potuimus, hi sunt: Thu-

D sciæ Diff. M. Christophorus de Senis, MM. Archangelus Gianius Prov. & Callistus Mazzius Socius Florentini. Romæ M. Gabriel Pichius de Burgo S. Sepulcri Diff. M. Prosperus Roncambius de Narniâ Prov. M. Cyriacus Pallutius de Fulgineo Socius. Romandiolæ Diff. . . . . Prov. M. Thadæus Roca de Bononiâ, Soc. . . . . Lombardiæ Diff. . . . . . Prov. M. Petrus Franciscus Barbezius de Placentiâ, Soc. . . . . Marchiæ Tarvisinæ Diff. . . . . Prov. M. Valerius Seta de Veronâ, Soc. P. Angelus de Ferrariâ. Venetiarum Diff. Clemens Lazaronus de Rohado, Prov. M. Leonardus Ronciléonius de Rohado,

do, Socius P. Joannes Franciscus Segurta Venetus. Mantuæ Diff. M. Ireneus Carastinus de Placentiâ, Prov. M. Bonaventura Grignanus de Mantuâ, Socius M. Liberius Bianchinus de Româ. Genuæ Diff. M. Hieronymus de Monticulo, Prov. M. Alexander de Murrâ, Soc. P. Augustinus de Alexandriâ. Neapolis . . . . Narbonensis, P. Oliverius Merlus Prov. P. Petrus Bonellius Socius. Hispaniarum Prov. M. Michael Quintana Valentinus.

N O T Æ.

[*Facultas in hoc capite relata recipiendi Novitios ad habitum absque examine, & licentiâ Ordinariorum, & erigendi in qualibet Provinciâ alterum novitiatum, necnon promovendi ad gradum Magisterij duodecim Baccalaureos, qui in eo gradu per septennium fuissent vivæ vocis oraculo Generali concessa à SS. D. N. Paulo V. die 6. Junij 1606. præsente D. Card. Asculano Protectore refertur in ejus Regesto pag. 5.*]

De antiquâ Origine, approbatione, privilegijs, & Indulgentijs Societatis S. Habitûs B. M.V. Ordinis Servorum.

C A P. XIII.

Habitum nigrum & mœrore plenum, quem Fratres Servorum, & Confortes sui ab annis circiter quadringentis deferunt, priores hujus Ordinis Patres à sacratissimâ Dei Matre in deserto Senarij feriâ Sextâ Parasceves accepisse, & vetera indicant monumenta, & Summorum Pontificum, præsertim Innocentij Octavi, induita, quibus nostri Annales respersi leguntur, apertissimè testantur. Unde perspicuum est dolosis linguis obloqui, & quodammodo latrare in hunc Ordinem illos, qui Confortium Habitûs Fratrum Servorum novum quid, & recenter adinventum astruunt. Quamobrem cogimur hoc loco ad obstruenda malignantium ora altiùs nonnulla de hoc Habitu ab origine repetere. Nam quemadmodum Beatissima Dei mater Verbum naturam humanam assumpturum propriâ carne induit, natum proprijs pannis involvit, & mortuum Sindone novâ cum illis proceribus Hierosolymitanis involutum condidit in sepulcro, & seipsam mutatis vestibus atrato sudumento cooperuit, ut ita dolores intimos, quos in morte unigeniti ad crucem perpessa fuerat, cunctis videntibus declararet; Pari quoque consilio temporibus incumbentibus quosdam præclpuos sui nominis cultores mysticis ejusmodi indumentis involvere, & quodammodo consignare dignata fuit. Legitur enim Alphonsum Toletanum Archiepiscopum, qui ipsius Virginitatem & dicto, & scripto contra hæreticos tutatus fuerat, sacro albi colo-

E ris indumento pro celebranda ipsius partûs solemnitate decimo quinto Kal. Januarij donatum fuisse. Thomam similiter Cantuariensem Archiep. & Bonitum Arvernorum Antistitem consimili veste dignatos. Fratribus quoque de Mercede in Hispaniâ consimile candidum indumentum donasse, quemadmodum etiam Carmelitici instituti Fratribus, & præsertim Simoni Anglo eorum Archimandritæ fulvum scapulare largitam fuisse: & nuper ann. 1319. Beatis illis Senensibus, qui Olivetani instituti Monachorum Auctores fuerunt, per manûs D. Guidi Petramalæ Aretini Episcopi albam chlamydem porrexisse.

F Quid mirum igitur, si Viros illos, quos pura infantium Soboles Divinitus inspirata, Servos B. M. V. Florentiæ nuncupaverat, speciali quodam indumento dignata fuerit? Indumento, inquam, quod futuræ professioni eorundem virorum, qui non multò post Fratres de *Passione D.N.J.C.* nuncuparentur, proportionari videretur. Hinc igitur factum, ut Ardingus Episcopus Flor. primùm, deinde S. Petrus M. hæreticæ pravitatis Inquisitor, dum diligenter hujusce modi rei veritatem Florentiæ expendere fatagunt, Divinitùs admoniti hunc eundem Habitum probarent, & suis concionibus collaudarent: quibus nonnulli primùm excitati ad Senarium confugerent, peterentque ejusmodi Symbolo consignari. Hujus igitur Sancti Habitûs per Italiam diffusâ devotione, & famâ, Petrus Cardin. Capoccius per Innoc. IV. absentem Le-

G gatus Italiæ anno 1250. cunctos, qui Friderici Imp. excommunicati partes secuti, ab anathematis vinculo cuperent absolvi, non deberent, nisi qui habitum B. V. Servorum pro Tesserâ gestarent: quâ opportunitate Legatus iste plurimùm huic devotioni suâ auctoritate deruisse visus est. Adveniente interim tempore, quo B. N. Philippus Gener. ad exteras nationes verbum Dei prædicaret, eadem S. Habitûs devotio inter Germanos, & Gallos usque ad Phrisones, & Polonos diffusa fuit: inter quos repetendus occurrit pius ille Auspurgi Comes Rodulphus, qui post susceptum hujusmodi Habitum cum uxore per manus ejusdem Beati Patris, facilem à Beatissimâ Virgine impetravit aditum, hostibus quam-

H plurimis superatis, usque ad summum imperij fastigium. Cæterùm quòd alij Reges, & proceres successivis temporibus pium Rodulphum imitati hunc habitum susceperint, quemadmodum de Carolo IV. Imp. Uladislao Poloniæ Rege, alisque hujusmodi Principibus, Marchionibus, Comitibus, & clarissimis fœminis, ut minorem plebem dimittamus, compertissimum habetur, singula nunc repetere, quæ inter istiusmodi Annales relata fuerunt, supervacaneum ducimus, lectorem quemque ad propria hujus historiæ loca remittentes. Neque tamen inficiamur hujus Sancti Habitûs fervorem, ut sunt omnium rerum vicissitudines, aliquando increvisse, aliquan-

aliquando refriguisse, & quodammodo defecisse visum. Nam diro insurgente Schismate in Ecclesiâ Dei sub Urbano sexto, & dissidentibus inter sese, colluctantibusque Reip. Christianæ Principibus, nemini mirandum, si parum, aut nihil certi de consortio hujus S. Habitûs usque ad Constantiense Concilium referri possit. Sublato interim schismate, dum de reformandâ Ecclesiâ, intermissisque devotionibus per Martinum V. renovandis agitur, procurante Stephano Mucciachelio à Burgo S. Sepulcri Gen. in pristinum devotionis fervorem sub quibusdam pijs decretis, unde postea emersit Regula Martini Papæ V. ad Tertiarios nostros, consortia S. Habitûs B. V. ann. Dom. 1424. restituta fuere. Succedente postmodum Eugenio IV. qui religiosorum Ordinum reformationi plurimùm contulit, Consortia Habitûs nostri ubique majus incrementum acceperunt: quando refrigescente iterum ipsius Habitûs fervore, Christophorus Justinopolitanus, & Antonius Alabantes de Bononiâ Generales rursus pro eâdem devotione restituendâ invigilant, & deinceps alij Successores usque ad recentiora tempora Concilij Tridentini, quando denuò per varies nostri Ordinis Præcones eadem Societas validiùs usque ad hanc nostram diem, per totam Italiam, usque ad exteras nationes, renovari visa fuit: quando hoc anno pervigil, & diligens Philippus Gen. in amplificandâ Ordinis devotione veteris illius B.P.N. Philippi vestigia imitatus, aliarum Societatum reformandarum Pontificijs decretis Clem. 8. de Sodalitio Habitûs nostri ordinando, & publicis quibusdam privilegijs, ac indultis ad quandam normam in posterùm redigendo, literas sequentis tenoris ad futuram rei memoriam evulgari jussit.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Habitû B. V. deferentibus Indulg. conceduntur.

CUM certas unicuique Archiconfraternitati & Confraternitati Indulgentias, & gratias spirituales, quibus in posterum fruantur, duxerimus præscribendas; Idcirco omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes Confraternitati S. Mariæ in Ecclesijs Fratrum Ordinis Servorum ubilibet existentibus canonicè erectæ, & illius Confratribus, & Consororibus hactenus per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros concessas revocantes, & annullantes, ac nullius roboris, & momenti posthac à datâ præsentium fore declarantes. De omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus utriusque sexûs Christifidelibus, qui Habitum solitum Beatæ Mariæ Servorum suscipientes, prædictam Confraternitatem de cætero ingressi, si verè pœnitentes, & confessi sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tàm ipsis pro tempore describendis, quàm jam descriptis in dictâ Confraternitate Confratribus, & Consororibus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui Ecclesiam, in quâ hujusmodi Confraternitas erecta fuerit, in festo principali ejusdem Confraternitatis à primis Vesperis usque ad occasum Solis festivitatis hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam. In mortis quoque articulo eisdem Confratribus, & Consororibus, qui pœnitentes, & confessi, ac Sacrâ Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem verè pœnitentes nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem corde, devotè invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus, & Consororibus similiter pœnitentibus, & confessis, ac sanctiss. Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Ecclesiam, vel Capellam, seù Oratorium in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis B. M. V. festivitatibus similiter à primis Vesperis, usque ad occasum Solis festivitatum hujusmodi visitaverint, & oraverint, ut præfertur, quo die festivitatum prædictarum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas. Qui verò processioni per prædictam Confraternitatem in unâ Dominicâ mensis, de Ordinarij loci licentiâ faciendâ, interfuerint, si pœnitentes, & confessi, ac sacrâ Communione refecti fuerint, ut præfertur, tres annos, & totidem quadragenas: Necnon qui singulis sextis ferijs in memoriam, & honorem passionis Domini Nostri Jesu Christi quinquies orationem Dominicalem, & toties salutationem Angelicam pro sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione recitaverint, si eodem die confessi, ac sacrâ Communione refecti fuerint, septem annos, & totidem quadragenas: Ac etiam, qui sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro eorum salute preces Deo effuderint, pro qualibet vice quinque annos, & totidem quadragenas: His verò, qui Officium B. M. V. in Ecclesiâ, seu Oratorio dictæ Confraternitatis insimul recitaverint, centum dies: Quoties verò prædicti Confratres, & Consorores antiphonæ B. M. V. Salve Regina, & Litanijs ejusdem B. M. qui singulis diebus Sabbathi vespere decantantur, interfuerint, aut eodem die septies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam in honorem septem dolorum ejusdem B. M. dixerint, aut Missis, & alijs Divinis Officijs per dictos Confratres in Ecclesijs, vel Oratorijs dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis similiter interfuerint, aut corpora defunctorum, tam Confratrum, quàm aliorum ad sepulturam comitati fuerint, aut quodcumque

aliud

aliud pietatis, vel charitatis opus egerint, toties sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus. Præterea dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Ordinis Fratrum Servorum Generali, ut hujusmodi Confraternitates laicorum utriusque sexûs in Ecclesijs prædicti Ordinis, ubi sunt Conventûs saltem sex, aut quinque Fratrum professorum Sacerdotum, de Ordinariorum locorum licentiâ, & consensu erigere, & instituere, illisque omnes supradictas Indulgentias, & gratias spirituales (servatâ tamen formâ præscriptâ in Constitutione fel. rec. Clementis Papæ Octavi Prædecessoris Nostri super dictarum Confraternitatum aggregationibus editâ) communicare liberè, & licitè possit, & valeat auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 24. Februarij 1607. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

Scipio Cobellutius.

Cùm autem in pletisque locis numerus Fratrum nostrorum ad præsciptum superioris Bullæ suppleri non posset, ut hujusmodi S. Habitûs sodalitia juxta populorum devotionem erigi non valerent, idem Philippus Gen. Deodato Duccio Proc. in Curiâ mandavit, ut à summo Pont. sequentem Bullam impetrare curaret, per quam conceditur ut singulis in locis ubi sunt domûs, & Ecclesiæ nostræ ejusmodi sodalitia fundari possent.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sodalitia S. Habitûs ubique fundari posse.

CUM Nos nuper per alias Nostras in hac formâ Brevis literas, sub datum die 14. Februar. præsentis Anni MDCVII. expeditas certas tunc expressas Indulgentias, & gratias spirituales omnibus utriusque sexûs Christifidelibus, qui Habitum solitum B.M.V. Servorum suscipientes Confraternitatem dictæ B. M. Servorum ingrederentur, & alijs jam in dictâ Confraternitate descriptis, quædam ibi expressa pietatis opera agentibus concesserimus; necnon dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Ordinis Fratrum Servorum Generali, ut hujusmodi Confraternitates laicorum utriusque sexûs in Ecclesijs prædicti Ordinis, ubi essent Conventûs saltem sex, aut quinque Fratrum professorum Sacerdotum, de Ordinariorum locorum licentiâ, & consensu erigere, & instituere, illisque supradictas Indulgentias, & gratias spirituales (servatâ tamen formâ præscriptâ in Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri super dictarum Confraternitatum aggregationibus editâ) communicare licitè posset, & valeret, facultatem concesserimus, prout in eisdem literis quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cùmque sicut pro parte dilecti filij Procuratoris Generalis prædicti Ordinis Nobis nuper expositum fuit, quia in aliquibus ejusdem Ordinis domibus præscriptus quinque Fratrum professorum numerus non reperitur, & Christifideles locorum, ubi dictæ domûs existunt, ob devotionis affectum, quem erga B.M.V. gerunt, Confraternitati prædictæ nomina dare, seu se aggregare: alij verò ubi domûs dicti Ordinis non sunt, & tamen in dictis Confraternitatibus descripti reperiuntur, prædictis Indulgentijs, & gratijs sine ullo scrupulo frui posse cupientes, ipsis etiam nominatim easdem à Nobis concedi, & impartiri desiderent: Ac præterea, quia interdum contingit in partibus nimis remotis Generalem præfatum existere, & ideò Confraternitates erigi per eum non possunt, nec alius eas erigendi facultatem habeat, idcirco dicti Procuratoris Ordinis Generalis nomine Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos itaque dicti Ordinis decori consulere, ac fidelium erga B.V. devotionem augere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut similes Confraternitates, juxta tamen formam priorum literarum prædictarum, etiam in Ecclesijs, ubi numerus sex, aut quinque Fratrum professorum non extiterit, dilectus filius nunc, & pro tempore existens Generalis Ordinis Servorum, vel eo absente, ejus Vicarius pariter Generalis erigere, & instituere, illisque dictas Indulgentias communicare possint: Confraternitatibus verò ante datam prædictarum literarum Nostrarum in locis, ubi prædicti Ordinis domûs non sunt, erectis, & institutis, & prædictas omnes Indulgentias, & gratias concessas omnia in ijsdem literis, præscripta peragentibus, juxta earundem literarum tenorem consequi possint, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in prædictis literis volumus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præsentium exemplis manu Notarij subscriptis, & Sigillo ejusdem Generalis, aut Vicarij Generalis dicti Ordinis signatis, eadem fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris die 28. Julij MDCVII. Pontificatûs Nostri Anno Tertio.

Scipio Cobellutius.

Illud postremò ad hujusmodi incrementum devotionis eodem Summ. Pont. concedente fuit superadditum, ut quicunque Processioni quolibet mense celebrandæ interessent, plenariâ indulgentiâ potirentur, quemadmodum

dum ſuo loco ad annum 1611. videri poteſt ex eâdem Bullâ Pauli V., harum verò Bullarum originalia Florentiæ inter res Sacras habentur.

Graphicis imaginibus in periſtylio Annuntiatæ de Flor. Religionis exordia repræſentantur, & Jacobi Tavanthij mors, & geſta narrantur.
CAP. XIV.

Evulgatis interea Summi Pont. Indultis, & privilegijs pro Societate S. Habitûs noſtri multa renovantur, multa etiam excitantur paſſim, & ubique fodalitia, & Chriſtifidelium numerus, qui hac devotione inſigniri cuperent, quotidie magis abundare viſus eſt; ut autem Florentiæ, ubi hæc S. Habitûs Inſtitutio antiquitûs exordium ſumpſerat, memorabili quodam monumento renovaretur, cenſuerunt Florentini Patres in exteriori clauſtro, quod Eccleſiæ cohæret, rem totam, ut contigiſſet, graphicè per præcipuos pictores explicari debere. Et ut tota hiſtoria fundationis Ordinis Servorum per ordinem chronologicè diſponeretur, M. Archangelo Gianio cura ab ipſis Patribus, unà cum Mag. Laurentio Priore jam anno elapſo demandata fuerat. Hic igitur cum Bernardino Poccetto Pictore primario rem omnem, ut videre eſt, ad finem perduxit ab ann. 1233. uſque ad annum 1310. quando noviſſimus inter Septem Beatos P. Alexius extremum finem percoluerat, additis etiam præcipuis imaginibus, quantum media ſpatia capere poſſent, Prælatorum, & Cardinalium quotundam, qui ex hoc Ordine in obſequium S.R.E. aſſumpti fuiſſent. Interea Jacobus Tavanthius Flor. octuagenario major Piſis octavo Idus Auguſti ſarcinam mortalitatis deponit. Vir quidem tantò præclarior, quantò à magnis viris percelebris habitus, de quo præter illa, quæ paſſim inter hos Annales conſcripſimus, Franciſcus Bocchius Flor. civis inter elogia illuſtrium Florentinorum geſta Tavanthij miris laudibus extollit, ex quo pauca hæc collegiſſe ſufficiant, quæ Jacobum ſingularem virum perpetuâ famâ dignum declarare

Geſta, & obitus Jacobi Tavanthij. poſſint. *Nam ab eo tempore, quo primariam cathedram ſacræ Theologiæ per ãnos quadraginta, ſeptem Piſis exercuit viros ſupra trecentum magiſtrali honore tamquam promotor inſignivit, & varijs ſemper laudibus decoravit, unde inter ſuas lucubrationes, quod mirum videri debet, tercentum pariter ejuſmodi generis varias oratiunculas poſteritati reliquit. A Coſmo primo Magno Duce primus Ordinis militum S. Stephani Theologus, & concionator declaratus quinque, & viginti annos eâ in Eccleſiâ (nunquam tamen lecturâ Sacræ Theologiæ intermiſsâ) conciones habuit. Vacante Sede illâ poſt Petrum Jacobum Borbonium Archiepiſcopum Piſarum omnium conſenſu, & plauſibili cunctorum*

A *voce Jacobus Tavanthius Archiepiſcopus Piſanus acclamatur, quod & facilè ipſi contigiſſet, niſi ipſemet animi integritate contentus, quicquid aliorum moliretur cupiditas, parùm attendens, huic oblatæ dignitati conſtantiſſimè obſtitiſſet. Illud etiam memorandum, quòd cùm Romam anno 1575. cum multis Piſanis civibus, & Sacerdotibus ad Jubileum profectus fuiſſet, coram Pontif. Greg. tertiodecimo de re graviſſimâ luculentam habuit orationem, & inſignem. Efflagitabat Jacobus Piſani Senatûs nomine, ut univerſæ Civitati benediceret Pontifex; quæ multùm ambigens, ne ſui majores multis antea ſeculis quondam nonnullo nondum ſe crimine expiaſſent, expetebant tunc lacbrymis, & precibus, ut benedicendo hanc dubitationem penitus demeret è Civitate, & curas triſtes, fluctuante*
B *animo, extingueret. Quâ re peroratâ voti compos factus Tavanthius Piſas rediit hilarè cum comitatu, nuntiumque optatiſſimum afferens ſummâ cum lætitiâ exceptus eſt, omniumque civium conſenſu, atque acclamatione data eſt illi civitas; quin etiam (tam fuit grata hæc legatio) ſingulis annis, quo die Pont. Max. benedixit Civitati, celebratur Piſis memoria tantæ rei, vexillum, in quo effigies Tavanthij depicta eſt, per urbem publicis ſupplicationibus præfertur, & grates Deo Opt. Max. grato animo aguntur. Hæc de eo Bocchius.*

Impiger, & indefeſſus Tavanthius nunquam à ſtudijs, à legendo, à ſcribendo, à componendo tempus, & operam remittebat: Id planè indicant lucubrata ſtudia tam varia,
C tam doctrinis referta, & tam multa, ut ſi ederentur, D. Auguſtini ferè volumina æquarent. Poſteritati igitur hæc magna ingenij ſui monumenta reliquit. Tractatus de horis canonicis italico idiomate. De ſepeliendi Ritibus. Reſolutiones variorum caſuum ſibi propoſitorum. De Divinis nominibus. Vitam S. Bernardi Abb. multis libris diſtinctam in idem idioma ex latino tranſtulit ad preces ſororis Judithæ Matrainæ Abbatiſſæ S. Bernardi Piſarum, cujus monaſterij Abbatiſſa Soror Juſtina de Staneis cum cæteris alijs omnibus an. Dom. 1604. Sexto Kal. Octob. ab eodem Tavanthio Habitum Servorum B.V. devotiſſimè recepit. Edidit etiam vitam B.P.N. Philippi, & aliorum Beatorum, cum origine Reli-
D gionis Servorum. Lectiones ſuper Epiſtolas D. Pauli ad Hebræos Paduæ habitas. Commentaria in epiſtolam ejuſdem ad Romanos, in Pſalmos, in Epiſtolam D. Jacobi. In quatuor libros Mag. Sentent. Index in totum opus ejuſdem Magiſtri, in quo non ſolùm ſenſus abditos, ſed ſingula etiam verba magno ingenio expendit. Catalogum omnium Auctorum, qui ſuper Magiſt. eundem ſcripſerunt. Genealogia ab Adam uſque ad Chriſtum in arbores reducta cum eorundem geſtis. Tractatum de veritate practicâ, & mendacio practico. De virtutibus & vitijs. De libero arbitrio. De Sacrificio Miſſæ more Scholaſtico. Confeſſionem ſalubertimam pro con- *Tavanthij lucubrationes.*

ſcientriæ ſanitate conſervandâ. De correctione anni tempore Greg. XIII. Varia Quadrageſimalia. Obſervationes logicales, & naturales. Expoſitiones ſuper octo lib. Phyſicorum, Priorum & Poſteriorum. Abraham, magno ſtudio, & continenti diligentiâ elucubratum in ſexdecim libros diſtinctum, P. Angelo Mariæ Monturſio Flor. Solitario ipſius diſcipulo nuncupatum. Volumen præterea cui nomen eſt: *Regulæ ex ſanctis Patribus ad intelligendam Scripturam*, quo nihil opportunius ad Sacrarum literarum ſcientiam perdiſcendam. Librum denique, qui Ager Dominicus appellatur, in quo theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi, immenſis perè vigiliis elaboratum; conſtat enim amplius quinque, & viginti voluminibus, doctrinâ multiplici, & copioſâ. Cumque perpetuæ lectionis, diverſorumque voluminum ſemper avidus fuiſſet Tavanthius, ſenſim collegerat maximam trium millium librorum congeriem, quam deinde in ampliſſimâ, & eleganter ornatam bibliothecam ordinatè diſpoſuit; nempe viſuntur libri copioſè admodum de humanitate, de hiſtoriâ inſcripti, leguntur volumina in quibus agitur de logicis, de philoſophiâ, de civilibus, & canonicis legibus. Theologiæ verò ſupellex, quæ partim ſcholaſtica, partim dicitur de ſcripturâ, mirandum in modum eſt inſignis. Quam quidem bibliothecam non tam ſibi, quantùm erudiendæ juventuti noſtræ paravit, & ad perpetuam illius conſervationem pontificio diplomare Pauli V. ſub datum Romæ nonis Martij præſentis anni communivit, ne quis ſub anathematis pœnâ minimum quemque libellum inde extrahere ullo unquam tempore præſumat. Senio tandem, & ſtudiorum labore confectus, levi quodam morbo, & ſenſibus integris, abſque ullâ animi commotione, vel timore, poſt extremam unctionem nonnulla ſuper Câticis Canticorum meditans, & proloquens horâ vigeſimâ tertiâ placidus, & hilaris ſpiritum Deo reddidit, quem honorifico funere tota Civitas curavit, & ejus laudes præclariſſimâ oratione fuit proſecutus excellens doctor, & Canonicus Piſanus D. Andreas Bellavita. Paſſiniani quoque Traſymeni lacûs deceſſit M. Cornelius Candidus, qui in metricis plurimùm valuit, quemadmodum indicant eo in loco poemata M. S. nimirum heroicum carmen quinque libris digeſtum in honorem B. P N. Philippi, & Angelo Cæſio Epiſcopo Tudertino nuncupatum. Item Decachordum ſpirituale de vitâ, morte, & reſurrectione D. N. J. C. ſimiliter etiam martyrium SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ MM. Poſtremò Tragicum carmen decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.

N O T Æ.

[V]*Ir eximius Jacobus Tavanthius, cujus obitus, & plura præclarè geſta hìc referuntur, adoleſcentibus Ordinis noſtri erudiendis adeò incubuit, & ut ex inſigni hac Voluminum copiâ ſibi conſulerent adeò ſolicitus fuit, quemadmodum hìc dicitur, ut intra ſepta illius noſtri Conventûs S. Antonij Bibliothecam, eamque reverâ illuſtrem tot millibus voluminum ſervandis accommodatam, necnon plures Cellas eidem Bibliothecæ proximas, quas adoleſcentes prædicti, ac Bibliothecæ Cuſtodes incolerent, à fundamentis ædificavit, proventuum ſubſidio ad hoc ritè adhibito, quos ex ampliſſimâ illâ Univerſitate annuatim colligebat, quæ proinde appellantur Bibliotheca, & Cellæ Patrum D. Annunciatæ de Florentiâ, prout lapidi quoque impreſſum præ Foribus literis aureis apparet, & ad ipſos de jure ſpectant. Maximè congruum pariter cenſeo hìc per extenſum referre Diploma Civitatis Piſanæ, de quo in hoc Cap. utpotè valde honorificum, cujus Originale in pergameno ſervatur in d. Bibliothecâ, & eſt ſequentis tenoris.*

In Nomine ſanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis. Amen.

NOS *Priores Populi, & Communis Piſanæ Civitatis pro Sereniſſimo Domino Franciſco Mediceo Etruriæ Magno Duce II. feliciter Dominante, Univerſis, & ſingulis, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem, & proſperos ad vota ſucceſſus. Cùm multis jam elapſis annis noverimus A. R., ac Venerabilem, ſacræque Theologiæ Doctorem, ac Magiſtrum F. Jacobum de Plebe ad S. Stephanum Ord. Servorum ſingulari quadam animi propenſione in Nos, ſingulosque hujus noſtræ Univerſitatis Cives affectum fuiſſe, atque in eo omne ſtudium, & operam poſuiſſe, ut novo aliquo beneficij munere in dies magis, ac magis omnium noſtrorum Civium animos ſibi devinciret; Idque ſit promeritus, tùm in Piſanâ Accademiâ per annos ſex ſupra viginti publicè ordinariam ſacræ Theologiæ Lectionem non ſine ejus nominis celebritate, & hujus Piſanæ Civitatis maximo decore profitendo, tùm in Eccleſiis ſanctæ Mariæ Majoris, D. Stephani, & aliorum Sanctorum Chriſti verbum piè, ac catholicè è ſuggeſtu prædicando, tum præcipuè in eâ legatione, quâ anno Jubilæi 1575. pro Piſano noſtro Populo apud Gregorium XIII. Pont. Max. honorificè functus eſt; Animadvertentes Majorum noſtrorum mores, ac Inſtituta, partes noſtras præcipuas fore exiſtimavimus Virum hunc adeò dignum, adeòque de Nobis, ac ſingulis Piſanis Civibus benemerentem aliquo liberalitatis Officio, ac beneficentiæ munere proſequi: Quamobrem his moti rationibus, aliiſque quampluribus jure, meritoque Animum noſtrum, Noſtrorumque Conſiliariorum moventibus in Palatio noſtræ ſolitæ reſidentiæ in ſufficienti numero congregatis maturè inter Nos habito colloquio, ſolemnique præmiſſâ deliberatione, & obtento ſervatis ſervandis partitu, Memoratum Adm. Rev., ac Venerabilem Sacræ Theologiæ Doctorem, ac Magiſtrum F. Jacobum noſtrum*

Diploma pro aggregatione Jacobi Tavanthij Civitati, & Nobilitati Piſanæ.

nostrum Charissimum ad petitionem Magnifici, & Excellentissimi D. Hieronymi Pappontj Jurisconf., & Concivis nostri, ac etiam motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, atque anonimi volantate, Civem nostrum Pisanum creavimus, deputavimus, & esse volumus, aggreganter illum Cętui, numero, & Consortio aliorum Pisanorum Civium etiam nobilium, & Patriciorum, transferentes in eum omnes, & singulos Honores, Dignitates, Prerogativas, Privilegia, Immunitates, & Indulta, quibus ceteri Pisani Cives tàm origine, quàm Domicilio, etiam Nobiles, & Patricij potiuntur, & gaudent, ijsdemque ipsum uti, frui, & gaudere posse declaranter. In cujus gratię, & beneficij nostri, ac privilegij robur, omniumque ipsarum rerum testimonium has publicas Literas exarari, ac nostri soliti sigilli appensione muniri mandavimus, ut sit hęc Pagina beneficentię nostrę erga ipsum verum, ac perpetuum Monimentum.

Datum Pisis in Palatio nostro Anno Dominicę Incarnationis millesimo quingentesimo Octuagesimo quarto stylo nostro Pisano 12. Indictione, die 23. Martij.

Egò Mathęus Amadonus de Prato J.U.D., & ad presens Cancellarius astans Mag. Communis Civitatis Pisarum pro Serenissimo Magno Etrurię Duce in fidem subscripsi ad laudem Omnipotentis Dei, ejusque Genitricis Virginis Marię.]

De gestis, & obitu Sororis Dorothęę Ancajanę de Spoleto, cum quibusdam miraculis S. Marię de Rhegio, & B. Philippi.
C A P. XV.

INterea Philippus Gen. vestigijs antiquorum inhærens, pro amplificando Ordine non minùs, quàm reformando impensiùs laborans, de renovandâ Religione apud Germanos consilium inierat cum quodam P. Cantiano Tartarino Germano adhuc ex reliquijs ipsorum Patrum, qui perierant, superstite, Priore Cœnobij nostri SS. Mariæ, & Jacobi sub diœcesi Bambergæ, quem Vic. Generalem constituit per literas patentes de consensu D. Protectoris Placentiæ datas undecimo Kal. Martij. Verùm Cantianus vix in patriam remeaverat, quando de ejus obitu in Italiam fama pervênit, & inde recuperandæ Germaniæ spes omnis evanuit. Hoc eodem anno Dorothea Virgo lectissima inter Sacras adolescentulas Spoletani Monasterij nostri ad Christum sponsum evocata fuit. Hæc ex nobili Ancajanâ familiâ anno 1585. exorta, à teneris annis delicias mundi usque adeò spernere cœpit, ut sæpè jejunijs ab infantiâ oblectaretur, puellares illecebras semper contempsit, orationibus instans, & quod mirum videtur, pœnitentiæ asperitatibus adeò assueta, ut etiam molle cub le cum vilibus stramentis, & paleis per noctem commutaret, cilicium pro lineis super carnem habe-

Vic. Gen. in Germania.

Gesta B. Dorothęę Ancajanę.

A ret, & ferreis catenulis corpus suum sæpè domaret. Hæc igitur famulæ Dei initia, unde sese totam Christi, ac Beatissimæ Virginis obsequijs in primâ juventâ traderet. Tali itaque vitæ asperitati assueta Sacrum Virginitatis velum inter Conservas gloriosæ Dei matris, nobilium nuptijs spretis, cooptata humiliter recepit. Hæc dum in Monasterio S. Trinitatis Spoleti vitam duxit, nihil optat us habuit, quam ut passionem Christi meditaretur, cuperetque vehementer ijsdem passionum Christi doloribus affl ctari; cujus optatis postquam habitum susceplisset aspirans, Christus Jesus Virgini Sponsæ Dorotheæ quā concupiverat, donavit. Nimirum duplici ulcere in utroque latere illam corripi permisis, & dic, noctuque iisdem insanabilibus plagis

B vexari. Quo corporali infirmitatis exercitio Dorothea integrum decennium afflictata, spiritu mag's, ac magis fervebat, patienter cum ipso Job sæpe repetens *Sit nomen Domini benedictum*. Visionibus, & apparitionibus plerunque consolabatur: unde sorori Innocentiæ Sodali suæ, à quâ singula hæc accepimus, dicere solebat, Sanctam Dorotheam, quam ipsa mirificè colebat, illam persæpe invisere, & flores, & fructus varios sibi afferre, quibus eâ in infirmitate recreaeretur. Neque enim viceversâ deerat hostis humani generis, quin ingravescente morbo prope mortem illam miris tentationibus invaderet. Quare noctu quadam post longum certamen, difficilemque cum dæmone colluctationem

C Dorothea graviter fessa, atque defatigata petijt pluries sibi dari in nomine Christi ad extinguendam sit m, acetum cum felle mixtum. Sciebat enim Dorothea dæmonem facilè hujusmodi potionibus passionum Christi fugari posse, quod vehementer exhorreat, præter ardentem in Christi amorem, hujusmodi Crucis mysteria, cujus unico signo debilitatus aufugit. His nanque muneribus, & donis oblectabatur Virgo illa, quæ in suo nomine dona Dei gestare videbatur, accipiens libentissimè à suo Sponso Jesu Christo eadem pocula, quæ ipsemet in crucis patibulo gustasset. Cupiebat etiam Dorothea cum Christo, quem ardenter amaverat, etiam in fine uniri, & conformari; & cùm non posset aliam cru-

D cem cum eo subire, optabar tamen eundem Sanguinem rependere, quem ipse in cruce pro illâ tam abundanter fudisset. Quare cùm ipsi Sorori Innocentiæ statutam diem, & horam suæ mortis prædixisset, præcipuum illud signum extremæ vitæ dedit, quod sicut Jesus Christus in cruce moriens Sanguinem undequaque profudit, ita & ipsa multâ cum sanguinis effusione Spiritum Christo suo reddere debere pronuntiavit; quod & eventus ipse probavit. Moriens igitur, & sanguinem effundens, integris tamen sensibus, & hilaris astantibus Virginibus dicebat. *Valete Sorores, nunc ad Sponsi, quem tantopere dilexi, nuptias vado, Paradisi delicijs in æternum fruar,* & ocu-

& oculis ad Cœlum conversis animam Deo reddidit anno ætatis suæ vigesimo tertio. In cujus transitu illud mirandum occurrit, quod cùm Spoleti arreptitius quidam eâdem horâ exorcizaretur, decedente Dorotheâ protinus in hæc verba prorupit: *Ab tandem anima illa modò delata est ab Angelis in Cœlum, operam omnem amisimus*. Tunc adjuratus Dæmon de quâ animâ intelligeret, respondit: *Sororis Dorotheæ de Monasterio Trinitatis*. Quæ omnia Spoleti accepimus, & propriis auribus audivimus à Sororibus Mariâ Stellâ, Innocentiâ, & aliis, quæ memoriter singula de visu, & auditu ex eâdem B. Dorotheâ didicerant, quam etiam eo in Monasterio veluti Dei famulam colebant, & venerabantur. Cujus si aliquando imaginem referre oporteat non erit à re proposita alienum, si juvenem Virginem monachali habitu indutam, & spinarum coronâ redimitam, atque in ipso habitu flores, & fructûs continentem, cum Cruce in alterâ manu, effinxerit. Hujus B. Dorotheæ vestigia videtur prosecutus hoc eodem anno venerabilis quidam laicus noster nomine Bartholomæus post centesimum ætatis annum, qui suo exemplo, suis religiosis moribus, assiduoque inserviendi labore, fundando Cœnobio S. Georgij de Bononiâ, multos annos plurimum contulit. Hunc enim in quæritandis eleemosynis, in exercendo coquinæ officio assiduum agnovimus, præcipuum tamen famulum B.M.V. nunquam per successivas horas ab ejus imagine colendâ recedentem vidimus, silentium ferè perpetuum, nisi quantùm illud frangendi compulisset necessitas, diligentissimè servabat, in summâ simplicitate degebat, humillimum, & absque ullâ animi elatione usque ad ludibria fuimus aliquando experti; & quem denique multi spernendum censuissent, nos ad exemplum hujuscemodi laicorum aliquâ commemoratione dignum inter hos Annales recensere duximus. Per eos quoque dies M. Valerius Seta Veronensis ex Provinciali Marchiæ Tarvisinæ à Paulo V. Episcopus Aliphanus creatur. Nam Bonifacius Card. Bevilaqua dum Perusinâ legatione fungeretur, cognitâ Valerij virtute, qui domesticum illud studium regebat, inter suos familiares adscivit, quia & Scriptorem suæ prosapiæ per luculentam historiam Chronographicum diligentem agnovit, ac postremò Paulo Summ. Pont. Valerium Theologum Ecclesiastici juris assertorem acerrimum, deque Apostolicâ Sede benemeritum, proposuit, & eâ in dignitate constitui curavit. Hujus alumnus, & discipulus Henricus Antonius Burgus à Castro novo nullatenus à Magistro degenerans Sacram Theologiam publicè Ticini hoc anno interpretari instituit; quemadmodum & Romæ D. Card. Asculani Protect. beneficentiâ M. Aurelius Raphaelius de Perusio ad publicam Dialecticæ lectionem admittitur. Accidit interea Rhegij Lepidi novum quid, & admirandum B.M.V. signum super adolescentem

Imago B. Dorotheæ.

F. Bartholomæi Laici laudes.

M. Valerius Seta Episc. Aliphanus.

Henr. Anton. Burgo & Aurel. Raphael.

E quendam nomine Dominicum Crotum, qui vigesimumquintum agebat annum. Hic enim cùm ab alto cecidisset quandam tibiarum convulsionem sex integros annos tam monstrosam passus fuerat, ut miserrimam vitam duceret, immobilisque cogeretur perseverare, quando contortis tibiis pes dexter sinistrum locum, sinister verò dextrum occupare videbatur. Die igitur quintâ Junij cum se ad Sacellum B.V. deportari fecisset, magnâ fide, & devotione fretus summis precibus sanitatem illicò impetravit, & proprijs pedibus domum reversus fuit. Hoc facinus per deputatos recognitum admirata, commotaque est tota civitas, quæ pro gratiarum actione publicam postridie illius diei lustrationem F cum Clero, & populo ad sacram Imaginem habuit. Hic adolescens non multò post Alphonso Estensi Principe hortante, eodem B. M. V. habitu suscepto, Ordinem nostrum ingressus F. Dominicus Maria nuncupatus fuit.

Miraculũ B. V. de Rhegio.

Tuderti similiter contigit, ut puerulus quidam nomine Maximilianus filius Bonioannis de Castro Aquilæ Tudertinæ Ditionis, tàm deformis ex assiduo languore, tamque extenuatus, inter vivum, & mortuum evasisset, ut vix dignosceretur vivens, an moriens, homo, an monstrum esset; sortè parentes virtutem à Deo collatam meritis B. Philippi ignorabant, quando à D. Duretâ uxore D. Prosperi Clarevallensis admoniti, languentem parvulum ad tumulum B. Philippi magnâ cum devotio- G ne mense Septembri obtulerunt, super quem tunicâ de more positâ, recreari aliquantulum visus est puer, vegetior fieri, ac tandem post paucos dies sanus, & incolumis evasit.

Miraculum B. Philip.

Recensentur Loca de novo Ordini nostro concessa.

CAP. XVI.

Ab Anno usque 1468. ad annum 1554. feliciter permanserant PP. Ordinis Servorum apud Ecclesiam S. Martini circa foveas Civitatis Senogalliæ, quem Locum Ordini concesserat D. Christophorus à Blandetate ex eodem Ordine ibidem Episcopus, quemadmodum diximus ad H eundem annum 1468. Verùm cùm Guidobaldus Urbini Dux, in cujus Ditione est Senogallia, hanc Urbem vellet novis Mœnibus, & Arce munire, operæpretium fuit anno prædicto 1554. Locum illum evertere, ex quo Patres translati statim fuere in decentiorem, & eminentiorem partem Civitatis, ubi adhuc degunt sub Tit. Quarterij S. Martini, cujus Ecclesia de novo fundata primo lapide posito ineunte mense Julio anno 1562. ad umbilicum tandem pervenit. Quoniam verò hæc Fabrica anno 1603. ruinæ proxima videbatur, P. Julius Mazzochius de Senogalliâ illius Cœnobij Prior eandem Ecclesiam in melio-

Conv. 2. de Senogallia, & alia de ipso memoranda.

meliorem, & securiorem formam instaurandam curavit, cujus etiam operâ illustriores eiusdem Urbis Familiæ Sacella ibidem, & Altaria elegantissimè exornata erexerunt, potissimùm verò Aram principem D. Franciscus Maria Baviera Referendarius Apostolicus, quemadmodum & D. Sigismundus Quatarius, venerabilem, & perantiquam Deiparæ Imaginem, totumque ejus Sacellum mirum in modum exornavit; in quo deinde anno 1596. erecta fuit Societas Habitûs Septem Dolorum, mandante Lælio Balleonio de Florentiâ Generali, summâ totius Populi pietate, eo temporis Priore P. Alexandro Galuffi de Pisauro, quam subinde PP. MM. Lucretius pariter de Pisauro, & Liberius Franchinus de Urbe celeberrimi Concionatores, suis declamationibus in Ecclesiâ Cathedrali hisce temporibus miris laudibus decorarunt, ac totius Civitatis incredibili concursu amplificarunt, adeò ut unâ tantùm Concione Liberii quingenti Viri, ac totidem Mulieres ad Sacrum illum Habitum spontè induendum excitati simul fuerint. Concessionis hujus Ecclesiæ, de quâ ad annum 1468. translationis, & instaurationis, de quibus hic scribimus, monumentum publicè apparet in eâdem Ecclesiâ, sequentis tenoris.

D. O. M.
F. Christophorus de Blanderata
Ord. Serv. B. M. V.
Episcopus Senogallien., & Comes
Anno Dom. MCCCCLXVIII.
Ecclesiam S. Martini
Hujus Civitatis
Fratribus sui Ordinis concessit,
Quæ Urbis Mœnia restaurãdi gratia
Intra Civitatem translata
Ann. Dom. MDLXII. hìc
Constructa fuit,
Et in augustiorem hanc formam
Illustrata
Anno Dom. MDCIII.
F. Julius Mazzochius Senogallien.
Effigiem, & lapidem hũc grati animi
Ergo, & Posterorum memoriæ
posuit.
Anno Dom. MDCXV.

Insignis in eâ Ecclesiâ colitur reliquia, digitus nempè S. Martini, quem D. Franciscus Bennius de Butrio ex Ordine Servorum Episcopus Scalensis, & Revellensis die 20. Octobris 1607. cùm à Civitate Salspurgensi, ubi A fuerat Suffraganeus Serenissimi, & Reverendissimi illius Archiepiscopi, rediisset in Italiam, huic Ecclesiæ quàmlibentissimè obtulit. Memoranda item est in hac Ecclesiâ Societas quædam sub Tit. S. Antonii non minùs affluens opibus pro relevandis pauperibus, quam sacris Indulgentiis pro Animabus in Purgatorio detentis, longè quoque venerabilis, & conspicua ex eo quòd anno 1583. die 10. Aprilis aggregata fuerit Archiconfraternitati S. Joannis Baptistæ Decollati de Urbe.

Anno pariter 1602. Conventui Ordinis Servorum de Lucâ dono datum, & unitum fuit Oratorium quoddam sub Tit. SS. Crucifixi in Burgo *ad Mozzanum*, sive *di Lucca*. Seiendum enim est, quòd in hoc Oratorio Imago SS. Crucifixi est maximè venerabilis, B hinc, urgente communi quadam necessitate, publicæ venerationi exponi persæpe consuevit, & processionaliter circumferri per Burgum, quemadmodum contigit anno 1630. die 15. Decembris, quoad implorandam Divinam opem pro avertendâ pestiferâ lue, quę per Italiam valde grassabatur, circumducta per Burgum solemniter fuit à pluribus Sacerdotibus delata associantibus Confratribus Societatis illius Laicalis, quę sub eodem Titulo erecta ibidem antiquitus fuerat, quinimo emisso tunc publico voto ipsâ die 15. plures quotannis celebrantur Missæ privatæ, & altera solemniter, cui intersunt Rector, & Clerus illius Loci. Oratorium hoc unà cum Domo contiguâ concessum fuerat die 29. Julij C 1515. Patribus S. Francisci de Observantiâ Lucæ degentibus ab illius Societatis Confratribus, conditionibus quibusdam adiectis. Quoniam verò incendium passa fuit hæc Domus, ipsamque restauravit Vanninus Vannini de d. Loco, & iisdem Patribus restituit die 15. Maij 1570. PP. autem instaurationi prædictæ compensandæ satis non erant, prout petebat Vanninus, liberam illi permisere Cõfratres. Cùm verò Bernardinus filius Peregrini Papera de Cosagnâ, cujus nomine Domum hanc pretio compararunt prædicti Vannini Hæredes die 29. Octobris 1602. ipsâ die eandem liberè concessit Patribus Servorum de Lucâ eorum nomine recipiente P. Blasio Priore. Societas subinde, & ejus nomi- D ne quatuor Confratres ad hoc deputati, scripturam primò quidem privatam cum Patribus fecere de unione hujus Oratorii, & Domûs cum eorum Conventu de Luca, sed hæc ratihabita deinde fuit publico Instrumento, quod in Episcopali illâ Curiâ servatur die 19. Novembris 1602. nonnullis interpositis conditionibus, è quibus altera erat, quòd unus ex Patribus ibidem degeret cum Socio, & aliquando Missam celebraret, quod fanè præstitere, quoad fieri potuit, donec videlicet Innocentius X. parvos hosce Conventûs suppressit, & Regulares ibidem degentes ad Claustra revocavit, cui tamen iidem Patres de Lucâ Presbyterum Secularem suffic unt, qui

Hospitiũ PP. Ser. apud Burgum de Lucâ

Imago SS. Crucifixi maximè venerabilis.

qui eadem præstet, quæ Pater ille præstabat, Cæterùm Patres de Lucâ amplificandum statim Locum hunc curarunt, & Bonis immobilibus magis semper, ac magis instruendum. Eodem pariter Anno 1602. in Regno, & Diœcesi Valentiæ DD. Comites de Almenara Conventum Ordini nostro, & Ecclesiam sub Titulo de S. Sepulcro, & de pede Crucis à fundamentis erectum concessere in Loco, qui dicitur *Quart* Vallis Saguntinæ, tria circiter milliaria à Molvedro distante, recipiente nomine Ordinis P. Francisco Ribez cum P. Onuphrio Salt, qui primò ibidem habitare cœperunt, quos jugiter fovere consueverunt prædicti Comites hujus Villæ Domini largâ subsidiorum ope, & annuis proventibus Conventum instruentes. Augusta valdè est Ecclesiæ fabrica operâ maximè, ac studio P. M. Hiacynthi Salvatoris jampridem in Hispaniâ Provincialis, & hoc anno ejusdem Loci Prioris, ubi deinde cultum promovere pot ssimùm studuit cum cæteris PP. septem B. V. Dolorum, & Societatem Habitûs erexit.

Conv. S. Sepulcri de Quart in Regno Valentiæ.

Anno autem 1604. D. Simon Montanaro J.U. Doctor, & Canonicus Ecclesiæ Calaritanæ in Sardiniâ Ordini Servorum, ejusque nomine P. Petro Ximenes die 24. Martij liberè possidendam donavit Ecclesiam quandam S. Paulo Apostolo dicatam, quæ sui juris erat, positam propè Civitatem Culleri, ubi tenentur Patres celebrare solemniter festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli die 29. Junij, & die 25. Januarij ejusdem S. Pauli Conversionem. Quo verò tempore, quave de causâ ab Ordine Servorum defecerit, exploratum non habemus. Itidem eodem anno Joannes Lazarinius à *Fugnano* Ordini Servorum dono dedit Ecclesiam, cui Titulus erat S. Mariæ Nivis *de Fugnano*, ejusdem nomine recipiente P. Thomâ Visano de eodem loco prædicti Joannis Sororio, quam tamen deinde malevolis urgentibus amisimus. Perseverat adhuc in plenâ Ordinis nostri ditione Conventus S. Agathæ V. & M. quem Ordo Servorum accepit die 17. Junij 1606. apud *Ovilium* in Diœcesi Alexandrinâ, studio potissimùm, ac solertiâ Philippi Ferrari Generalis, qui laudabili consilio Locum aliquem Ordinis nostri in solo natali habere vehementer optabat, quique proinde plurimùm opis, & operæ contulit pro construendâ iterum à fundamentis Ecclesiâ sub eodem Tit. S. Agathæ, ex quo antiquissima erat, & penè diruta prior Ecclesia, primo lapide posito hoc anno 1606. situm quàmlibentissimè concedente Archipresbytero D. Ludovico Fariâ è Castellacio, & omnibus annuente Episcopo Alexandrino D. Petro Georgio Odescalco. Administrandum autem Locum hunc statim concessit Ferrarius P. Joanni Mariæ Forcino de Viciâ, & amplificandum quandiu vixit, ditandumque curavit, Bona ipsi comparando, sive mobilia, sive immobilia, annuos proventûs ex Universitate Ticinensi profectos ut pluri-

Conv. S. Pauli Apost. de Sardiniâ.

Conv. S. Mariæ Nivis de Fugnano.

Conv. S. Agathæ de Ovilio.

E mùm huic operi assignando. Ex hoc Loco prodiere deinde valdè illustres Alumni P. M. Sosteneus Odo in primis, quem adhuc Baccalaureum idem Generalis Ferrarius Vicarium in Germaniam misit, ut Ordinem nostrum in ijs regionibus renascentem promoveret, foveret, amplificaret; acceptus autem maximè fuit Ferdinando II. Imperatori, quem proinde sibi Confessarium elegit, eoque petente Ordini concessit Conventum S. Michaelis de Pragâ. Præterea P. M. Philippus Octavius Portalupi Metaphysicæ primùm, deinde S. Theologiæ Professor in Universitate Ticinensi. Denique P. M. Joannes Paulus Cavalli in eâdem Universitate Philosophiæ Professor, & Concionator eximius, quem nobis

F improba mors invidit, ætatis suæ anno 36. Alios prætereo, quia adhuc superstites, ut eorum parcam pudori. Eodem pariter anno 1606. in Oppido, seu Villâ *de Empuries* in Diœcesi Gerundensi propè littus Mediterranei, quod antiquitùs celebre erat Romanorum Emporium, Ordini Servorum accessit Ecclesia B.M.V. dicata sub tit. S.M. Gratiarum ob insignia, & innumera Gratiarum genera ab ipsâ Deiparâ Christi fidelibus collata, à Ducibus Cardonæ ædificata. Ipsam accepit nomine Ordinis P.M. Emmanuel Rodriguez, instauravit, in ampliorem, decentioremque formam redegit, & Cœnobium à fundamentis construxit. Imago B. V. in eâ Ecclesiâ præcipuâ veneratione colitur, quippe quæ vulgò fertur eò Angelorum mini-

Conv. S. M. Gratiarum de Empuries.

G sterio delata à Regnis Castellæ inde recedens ob irreverentiam quandàm, & injuriam ipsi illatam. Adeunt hanc sacram Imaginem processionaliter quotannis è pluribus Oppidis, & Villis etiam valde distantibus illius Regni frequentissimi Populi. Ibidem pariter progressu temporis adeò excrevit Populi devotio erga B. V. Dolores, & Habitum, ut plurimi ipsum susceperint, & cultûs ejusdem in Patronos evaserint. Hic autem opportunum arbitror monere, quòd ea est Hispanorum pietas, & Religio erga B.V. ejusque Dolores in singulis Hispaniæ Regnis, ut sibi quisque vix suadere valeat unam Civitatem, vel unum Oppidum esse, in quo cultus iste maximè non vigeat, quemadmodum ex Catalogo di-

H dici, quem Ordinis nostri Patres ex illis Regionibus ad me transmisere; ex quo pariter intellexi, quòd Societati huic Habitûs nomen date solent Viri, & Mulieres valde illustres, & etiam Principes, quòd semel adnotasse sufficiat, ne sæpius idem repetere cogar, quoties Loca recenseam Ordini nostro in illis Regionibus concessa.

Anno deinde 1607. in Pago, qui dicitur *Villa Rotunda* sub Diœcesi Barchinonensi in Cataloniâ Conventum cum Ecclesiâ à fundamentis excitatum sub Tit. S. Laurentij nomine Ordinis Servorum recepit Episcopo Diœcesano annuente, P. Michael Quintana Concionator eximius. Ibi verò Societas Habitûs institu-

Conv. de Villâ Rotûda in Cataloniâ.

Instituta plurimùm accepit incrementi, prout fert Hispanæ Gentis consuetudo, quę Deiparæ, ejusque Dolorum cultui addicta maximè est, quemadmodum adnotavimus. Altare quoque ibidem reperitur B. Peregrino Latiosi de Forolivio consecratum, quem singulari veneratione omnes prosequuntur, & valde propitium experiuntur, prout indicant innumera vota ibidem appensa, & plurimæ Christifidelium oblationes.

Eodem anno 1607. In Provinciâ Narbonensi extra Oppidum *Lorgues* Diœcesis Forojuliensis, sive *Frejus* quæ est Urbs Provinciæ in Valle intra Paludes dimidiâ Leucâ ab orâ Maris mediterranei, tredecim Leucis à Tolone in ortum, & quatuor à Fano S. Eutropij in Boream ad Ostia Fluvij Argentei, Oratorium S. Ferreolo dicatum in conspicuo Monte positum pro Ordinis nostri augmento ab Incolis illius Oppidi accepit P. Philippus à Revest, ibique Cœnobium construxit, & unà cum alijs Patribus exornare, & illustrare non destitit. Verùm anno 1641. Conventus alter cum Ecclesiâ sub Tit. S. Mariæ Pietatis propè, & extrà muros ejusdem Oppidi constructus fuit, ecque translati Patres à priori Conventu Leonacensi, sive Lorgues, quem tamen cum Bonis eidem adnexis semper retinuere.

Conv. Leonacensis, seu Lorgues S. Ferreoli.

Hisce pariter temporibus, quamvis annum præcisè ignoremus, Ecclesiam quandam, cui Tit. est S. Blanchæ Diœcesis Ferrariensis, Ordo noster accepit, ejusque nomine Prior Conventûs S. Mariæ Consolationis de Ferrariâ, cui perpetuò adnexus fuit, Philippo Ferrario Generali assentiente, ut ibi quotidie Patres Missam celebrarent; hoc autem anno 1607. Episcopus Ferrariæ, à quâ Civitate distat quatuordecim milliaria, & amplius in Vico Canalis, quod à Bondeno Mutinam præterlabitur, Parochialem effecit. Alia quidem Loca habuit Ordo Servorum apud Aquilam in Provinciâ Romanâ, alium quidem subeit. D. Annunciatæ, alium verò sub tit. SS. Quatuor Coronatorum, quæ tamen deseruere PP. habitâ hoc anno 1607. cum PP. Capuccinis permutatione, qui locum quendam, cui Tit. est S. Andreæ Apost. Ordini nostro concesserunt. Unum hoc nosse potuimus in hoc Loco memorabile, quòd in hac Ecclesiâ Imago quædam B. M. V. sit maximę apud illos Populos venerationis; cæterùm nil aliud exploratum de hoc Loco habemus, quem pariter deseruere Patres. Hoc autem ann. 1608. In Comitijs Provincialibus Provinciæ Mantuanę habitis Sermeti, quod est Oppidum in Territorio pariter Mantuano, die 16. Junij P. M. Bonaventura Grignanus Provincialis de consensu Capituli, & annuente Philippo Ferrario Generali, facultatem impartitur P. Joanni Lupi de Oppido Quistelli, ut nomine Ordinis Servorum agere possit, & conventiones congruas inire cum D. Antonellâ Bevilacqua Viduâ q. Comitis Fulvij Rangoni pro construendo Cœnobio ad Ripam fluvij

Conv. S. Blanchę Diœcef. Ferrarien.

Conv. S. Andreę de Aquilâ.

Conv. S. Nicolai Boniportûs.

Panariæ Diœcesis Mutinensis in Oppido
A Boniportûs, quod Feudum est DD. Marchionum de Rangonis. Itaque prædicta D. Antonella, annuente quoque Episcopo Mutinensi, die 25. Octobris ejusdem anni situm dono dedit Ecclesiæ, & Conventui ædificandis accommodatum, habito super his pub. Instrumento, de quo Rog. fuit Hippolytus Donzi pub. Notar us Mutinensis die, & anno prædictis, annuo deinde quodam proventu Patrum usui designato, assensum præbentibus etiam DD. Comitibus Thadæo, Joanne, & Jacobino, Fratribus de Rangonis ejusdem Antonellæ Filijs, de quibus pariter rogatus fuit D. Baptista Mazzanti die 16. Julii 1609. quo anno die 3. Junij Quistello huc venerat prædictus Joannes Lupi, & habitare cœpit in Domo
B quadam ejusdem D. Antonellæ. Eodem igitur anno die 3. Augusti positus fuit primus lapis pro construendâ Ecclesiâ sub Tit. S. Nicolai, cujus proinde Festo die 6. Decembris Anni sequentis 1610. magnâ Populi confluentiâ Divina Mysteria primo celebrata fuere. Interim prædicto P. Joanne indefinenter operam omnem adhibente, & varia hinc inde comparante subsidia, PP. ibidem degentes Claudius Malvasi, & Franciscus Pappotti Ecclesiam hanc perfecere anno 1625. ex quo præcedenti anno 1624. P. Joannes obierat die 3. Augusti. Soliciti prædicti Patres de constructione Ecclesiæ, ut diximus, constructionem etiam Cœnobij minimè negexerunt, Ecclesiæ eidem contigui, quod tamen
C perficere non potuere nisi anno 1633. quo pariter die 7. Octobris ipsum incolere cœperunt, & Cœnobij formam induere, qui priùs, ut diximus, ab anno 1609. usque ad 1615. in Ædiculâ prædictâ permanserunt, ad aliam deinde translati usque ad diem 7. Octobris prædictam commigraverant. Itaque horum Patrum solertiæ, & industriæ tribuendum valde est quidquid incrementi, tum Ecclesiæ, tum Cœnobio accesserit, quos proinde D. Marchio Fulvius Rangonius munificus Benefactor religiosissimo eorum illectus exemplo, insignibus SS. Reliquijs Ecclesiam illustravit, & plura semper Nobis contulit beneficia. Subinde quoque plura Bona, sive mobilia, sive immobilia compararunt, tum ipsi, tum
D eorum posteri, quocirca plurimùm decoris, & commodi nostro huic Loco accessit, quæ quidem omnia constant ex monumentis, quæ in eodem Conventu servantur.

Denique anno sequente 1609. Locus alter Ordini Servorum accessit, quem iampridem Viri cujusdam sodalitij in Oppido Spezzani, quod alterum est è Feudis DD. Marchionum de Coccapanis Diœcesis pariter Mutinensis, obtulerant Ordini Servorum, cui Tit. S. Mariæ in eodem Oppido, pro construendis ibidem Ecclesiâ, & Cœnobio sub Tit. S. Mariæ, & S. Rochi. Philippus Ferrarius Generalis annuit per literas patentes datas Venetijs die 2. Novembris anno 1605. Quamobrem P. M.

Conv. S. Marię, & S. Rochi de Spezzano.

Ar-

Archangelus Gherardinius de Mutinâ cum P. Felice de Bononiâ, accedente consensu D. E Gasparis Episcopi Mutinensis die 22. Decembris ejusdem anni 1605. possessionem corporalem hujus Loci post celebrationem Missæ accepit. Quoniam verò non mediocre dissidium excitatum ex eo erat, quòd hæc donatio facta fuerit inconsultâ Communitate Spezzani, quæ proinde contendebat irritum prorsus, & inane esse quidquid in re propositâ gestum fuerat, pacifica hujus Loci possessio dilata fuit usque ad annum 1609. quo tandem congregato in unum Populo Spezzani Kal. Januarij omnes, nemine discrepante, donationem hanc confirmarunt; quo pariter anno in Comitijs Provincialibus Bononiæ habitis Locus hic in Prioratum erectus fuit, & primus ibi Prior deputatus P. Lucretius de F Formigine, Locus enim hic ad Provinciam Romandiolæ spectabat, & Conventui nostro de Saxolo unitus deinde fuerat, qui Bona quædam ejusdem immobilia adhuc possidet, licèt ipsum jampridem deseruerit Ordo Servorum. Eodem anno 1609. DD. Marchiones de Villâ Soriâ de Sardiniâ Ordini nostro à fundamentis erexere Cœnobium, & Ecclesiam sub Tit. Visitationis B. M. V. in Loco quodam dicto de *San Boij* Diœcesis Barchinonensis ab eâdem Civitate Barchinone Sex milliar a distante.

Conv. Visitationis de San Boij.

Præclaram huic Capiti coronidem imponat percelebris de B. Francisci Patrizzi de Senis Sanctitate opinio non interruptâ serie ab anno usque 1326. quo pijssimè obijt in Domi- G no, ad hunc annum 1609. propagata, per varias utique Regiones, tum extra, tum intra fines Italiæ, maximè verò Senis, Patriâ nimirum ejusdem. Hoc enim anno, quemadmodum innuimus ad annos 1326. & 1516. ex eo quòd plurimis semper insignibus, & frequentibus miraculis jugi tenore coruscaret gloriosus hic Deiparæ Famulus, D. Camillo Burghesio Civitatis ejusdem Archiepiscopo, P. Petro de Bertis, Viro sanctitate, & miraculis celebri Ordinis pariter Servorum, cujus obitus, & gesta referenda Nobis erunt anno sequente 1610. enixè petentibus Sacrum B. Francisci Corpus, quod anno 1516. ut ad eundem diximus, ex Arcâ ligneâ, in qua primò reconditum fuerat unà cum corpore B. Joa- H chimi Piccolominei, in decentiorem aliam translatum fuerat, iterum in aliam Arcam longè illustriorem translatum solemniter fuit, cui sacræ actioni ingens Populi multitudo interfuit, qui simul cum Patribus honorificè antea institutâ ritè processione per Ecclesiam circumduxerant, quod planè constat ex processu super ejus Beatificatione annis sequentibus contexto, prout dicendum nobis erit ad annos 1622. & 1623. sicut & de solemnioribus alijs translationibus ad annos 1686., & 1714. ex quibus longè clarior semper apparet jugis, & continuata B. Francisci veneratio.

Secunda Translatio B. Francisci Patrizzi.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monumentis eorundem Conventuum.]

Paulus V. Summus Pontif. Joachimum de Senis, & Peregrinum de Forolivio inter Beatos refert, & Philip. Gen. Ecclesiastica Religionis officia renovat.

CAP. XVII.

VIX F. Hieronymus Bernerius Card. protectionem nostri Ordinis susceperat, quando animū adiecit, ut hanc Religionem nostram omni conatu extollere, & celebrem facere curaret, ab ipsismet Beatis nostris suæ protectionis exordia sumens, cujus exemplo ediscerent in posterùm, qui Protectores futuri essent, quâ vigilantiâ, quo amore, quove spiritu commissum sibi ab Apostolicâ Sede Ordinem protegere, & curare deberent. Nam quo fervore studuisset in primis B. Philippum nostrum coram Ecclesiâ Dei conspicuum reddere, ea, quæ superiùs enarrata fuerunt, evidentissimè declarant. Nunc verò precibus Philippi Gen. inclinatus, venerabiles duos ex antiquioribus nostris Sanctitate percelebres, Joachimum de Senis, & Peregrinum de Forolivio inter Beatos ab Apostolicâ Sede referri eâdem sedulitate, & vigilantiâ studuit; adeò ut quas laudes, & gratias fuit olim promeritus Antonius de Monte Card. Protect. tempore Leonis X. eædem, & fortasse majores Cardinali Asculano debeantur. Nec minùs etiam commendanda Philippi Gen. pietas & sedulitas, qui cùm multos annos pro celebrandis alijs Sanctis Italiæ laboraverit, hoc anno pro sui officij munere hanc etiam diligentiam adhibuit, ut ex suis religiosis viris hi duo Beati dicerentur, quod apertissimè indicant primùm utriusque processûs Senis, & Forolivij pro utroque Beatu conflati; quos cùm Romæ diligenter examinari curasset, sequens decretum à sacrâ Rituum Congregatione obtinere meruit.

CUM ad instantiam R. P. Generalis totius Ordinis Servorum B. Mariæ Sanctissimo D.N. supplicatum fuerit, ut in totâ præfatâ Religione (sicut olim solebant) possent Religiosi prædicti utriusque sexûs de Beatis Joachimo Senensi, & Peregrino Foroliviensi ejusdem Ordinis Servorum dum viverent professis liberè, & licitè recitare officium de communi unius Confessoris non Pontif. cum proprijs lectionibus secundi Nocturni ex dictorum Beatorum vitis desumptis, necnon præfatorum Beatorum nomina, sicut olim in nonnullis antiquis, ita nunc in novâ Martyrologij impressione annotarentur, & idem Sanctissimus D. N. negotium hoc in Sacrâ Ritu-

Decretū Beatificationis BB. Joachimi, & Peregrini.

Rituum Congregatione examinandum remiserit, eademque Sacra Congregatio Illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Bellarmino commiserit, ut processum, acta, & omnia, quæ ad dictorum Beatorum puritatem, integritatem, & vitæ sanctitatem, & populorum erga eos devotionem, & venerationem pertinerent, diligentissimè examinaret, prout fecit; & tandem auditâ relatione prædicti Illustrissimi, & Reverendiss. D. Cardin. Bellarmini attentâ Sanctitate dictorum Beatorum, & antiquâ populorum erga eosdem observantiâ, & devotione;

Eadem sacra Rituum Congregatio censuit, & declaravit de dictis Beatis Joachimo Senensi, & Peregrino Foroliviensi à Fratribus, & utriusque sexûs Religiosis dicti Ordinis Servorum B. M. & diebus Festivitatis eorundem Beatorum, sicut olim consueverant, ita nunc, & in futurum semper liberè, & licitè de dictis Beatis Officium de communi unius Confessoris non Pontificis recitari possit, & valeat cum lectionibus secundi Nocturni proprijs de dictorum Beatorum Vitâ, revisis tamen priùs, & approbatis ab ipsâ sacrâ Rituum Congregatione, necnon nomina præfatorum Beatorum Joachimi, & Peregrini in novâ Martyrologij impressione suis proprijs locis describi, & annotari possint, & valeant, judicavit, censuit, & declaravit die 21. Martij 1609.

Dominicus Episc. Ostien.
Cardin. Pinellus.

Per hanc igitur Sacræ Congregationis attestationem certior factus Paulus V. Pontif. Max. de Joachimi, & Peregrini PP. nostrorum virtutibus, sanctissimisque moribus per sequentem Bullam utrunque illorum BEATUM dixit.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Beatificationis cum lectionibus BB. Joachimi, & Peregrini.

IN supremo Apostolatûs apice, nullis licet Nostris meritis suffragantibus, à Domino constituti, fidelium votis, quibus Altissimus in Servis suis honorificatur, libenter annuimus, ac Apostolicâ auctoritate indulgemus, prout in eodem Domino conspicimus expedire. Expositum siquidem Nobis nuper fuit nomine dilectorum filiorum Prioris Gen. & Fratrum totius Ordinis Servorum Sanctæ Mariæ Beatos Joachimum Senensem, & Peregrinum Foroliviensem ejusdem Ordinis olim professos magnâ vitæ, dum inter mortales agerent, Sanctitate claruisse, ac propterea ubi è vivis concessere, summam populi erga illos ab antiquo semper devotionem extitisse, & existere. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, Prior Gen. & Fratres præfati, pro summo, quem peculiariter erga Beatos Joachimum, & Peregrinum hujusmodi, etiam devotionis affectum gerunt, sibi ut de eisdem officium in totius Ordinis præfati tàm Monia-

lium, quàm Virorum Monasterijs, Ecclesijs, & A locis, sicut olim solebat, recitari possit, auctoritate præfatâ concedi desiderent, Nobisque propterea lectiones in eo legendas obtulerint, tenoris sequentis.

DE BEATO JOACHIMO.

Lectio iv.

JOachimus Senensis ex Piccolomineâ Familiâ natus, à primâ ætate Dei genitricem Mariam præcipuè colens, seq. in operibus charitatis exercens, omnia, quæ ex paternâ domo habere poterat, pauperibus erogabat. Annos tredecim natus, ab ipsâ Dei genitrice in somnis admonitus, in Ordinem Servorum invitis parentibus B à Beato Philippo ejusdem Ordinis Generali recipitur. Mira erat in eo humilitas, insignis obedientia, & laborum perpessio: nam munia quæque in monasterio vilissima obibat; nec tamen ab oratione, quoties licebat, per occupationes vacabat. Afflictis & infirmis, quibus modis omnibus inserviebat, maximoperè compatiebatur, cujus rei illud maximum argumentum fuit, quòd Aretium obedientiæ causâ proficiscens, ægrotum comitiali morbo diuturno laborantem, & conquerentem ad patientiam cohortatus, cùm is faciliùs esse hortari, quàm ferre respondisset, Joachimus Deum, ut morbum illius in se transferret, precatus, vix (mirabile dictu) orandi finem fecit, cùm, ægroto illo repentè sanato, ipse à morbo comitiali (ex quo C usque ad mortem laboravit) correptus est.

℟. *Honestum fecit.* 9.

Lectio v.

ARetij dum Celebranti in die Assumptionis beatæ Mariæ Virginis ministrabat, morbo memorato statim oppressus corruit, cereus tamen, quem ipse ad elevationem Sanctissimæ Eucharistiæ dexterâ manu tenebat, cunctis, qui aderant, mirantibus, suspensus in aere Divinitus mansit. Senas reversus, totus erat in oratione, & meditatione in specu, quæ devotionis officio adhuc à Senensibus visitur. Ejus sanctitatem Deus multis signis comprobatam esse voluit. Nam, cum ab ægroti visitatione noctu domum D rediret, nec posset janitorem, qui sibi aperiret, excitare, ad orationem confugiens, portam Monasterii ultrò apertam invenit. Cùm ex eodem morbo cadens, mensam cibis instructam in terram secum traxisset, nihil tamen in eâ aut confractum, aut de loco deturbatum est. Dum orabat in Choro cum cæteris Fratribus, caput ejus flammâ, seu splendore quodam aliquando coruscare visum fuit. Patiendi cupidus, ut alios suæ ægræ valetudini cruciatûs adderet, quò passionis Dominicæ magis particeps esset, Deum orabat: quare novum morbi genus, quo caro ejus ab exortis vermibus absumeretur, ei immissum fuit. nec tamen à medicis unquam visitari, aut Deum, quem pro alijs infirmis orare

 solitus

solitus erat, ut à se morbum depelleret, rogare voluit, illud Apostoli sæpè usurpans: Cùm infirmor, tunc potens sum.

℟. *Amavit eum.* 9.

Lectio vj.

C*Um ex hoc carcere, quo die Christus pro mundi salute cruci affixus est, educi à Deo postulasset, Feriâ Quintâ in Cœnâ Domini sacrâ communione refectus, Fratres, qui ad ipsum visitandum venerant, oravit, ut pro se preces ad Deum funderent, quò securior in sequenti die migraret; itaque dum illi in Ecclesiâ in die Parasceves (quæ fuit decimosexto Kalendas Maij) passionem Domini de more cantantes ea verba:* Et inclinato capite tradidit spiritum. *pronuntiabant, ipse annos 47. natus suum Deo reddidit spiritum anno salutis 1305. Ad cujus tumulum miracula aliquot subsecuta sunt. Nam puer sexennis in lacunâ suffocatus, à matre B. Joachimo suppliciter commendatus, revixit. Quidam etiam Massanus morti insons adiudicatus, ope ab eodem imploratâ, carcere Divinitùs reserato, ac vinculis resolutis, fugiens mortem evasit. Multa etiam in dies super comitiali morbo laborantibus signa fiunt. Quamobrem Senenses ex publico Civitatis decreto quotannis in die depositionis illius ad Ecclesiam Servorum, in quâ corpus eius piè asservatur, & colitur, ad illud venerandum veniunt, & dona ferunt. Paulus verò Quintus Pont. Max. cognitâ viri sanctitate, ut de eo Officium Divinum in Ecclesiis Ordinis Servorum ubique recitetur, anno millesimo sexcentesimo nono indulsit.*

℟. *Iste homo.* 9.

De Beato Peregrino lectiones habentur cent. 2. lib. 1. c. 13.

Nos pijs eorumdem Prioris Gen. & Fratrum votis annuentes, ac illos specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, necnon eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, horum serie absolventes, & absolutos fore censentes; supplicationibus ipsorum nomine Nobis desuper per Vener. Fratrem nostrum Hieronymum Episcop. Portuensem S.R.E. Card. Asculanum nuncupatum ejusdem Ord. apud nos, & Apostolicam Sedem Protectorem humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præfectorum, quibus rem examinandam, & maturè discutiendam commisimus, consilio, nunc & pro tempore existentibus dicti Ordinis Priori Gen. alijsque Superioribus, Fratribus, & Monialibus, ut in eorum Monasterijs, Ecclesijs, & locis, sicut olim consueverant, ita nunc, & deinceps perpetuis futuris temporibus de BB Joachimo, & Peregrino præfatis in cujusque eorum dormitionis die officium, prout de communi unius Confessoris non

E *Pontificis legitur, & in eisdem officijs secundi Nocturni dictas respectivè lectiones recitare liberè, & licitè possint, & valeant, licentiam præfatâ auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Ordinis, & Monasteriorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque*

Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 14. Aprilis 1609. Pontificatûs Nostri Anno Quarto.

Scipio Cobellutius.

F Talibus itaque præcipuis favoribus Philippus Gen. fretus, ac insuper speciali vivæ vocis oraculo ejusdem Pontif. roboratus, Hieronymo Prot. annuente recentiora, ac vetera simul hujus nostri Ordinis in unum collecta Divina officia B.M.V. & Beatorum nostrorum cum alijs ejusdem Ordinis devotionum ritibus in unum codicem cum suo Kal. collegit, & per has literas patentes evulgandum, perpetuòque observandum mandavit.

FR. PHILIPPUS FERRARIUS ALEX.
Sacræ Theologiæ Humilis Professor, ac totius Ordinis Servorum B.M.V Prior Generalis, licèt indignus.

G *Dilectis in Christo Universis, & singulis ejusdem Ordinis Fratribus, & Sororibus sal. in Domino.*

I*Llud in primis, ex quo familiæ Nostræ curam suscepimus, summoperè, ac semper cordi fuit, ut cultum Divinum à majoribus institutum non solùm retineremus, sed & quantùm in Nobis esset, augeremus; quod hactenus (Deo favente) à Nobis, ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Fratre Hieronymo Bernerio Card. Asculano Episc. Portuensi Ord. nostri Protectore vigilantissimo adiutis, pro viribus præstitum est. Cùm autem transactis temporibus à Sanctissimo D. Nostro Paulo Pont. Maximo, ut de B. Philippo nostri Ordinis Officium sub duplici ritu, ac B.* *Ordinis officia renovatur.*

H *Mariæ Virginis in Sabbatho semiduplici, ut in litteris Apostolicis die 12. Octobris M.DCVI. datis apud S. Marcum apparet, necnon superioribus, & proximis diebus, ut de Beatis Confessoribus Joachimo Senensi, & Peregrino Foroliviensi præfati Ordinis nostri (eorum vitâ in Sacrâ Rituum Congregatione, Illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Bellarmino, cui propterea plurimùm debet Religio Nostra, referente, cognitâ & approbatâ) Officium Divinum in toto Ordine persolveretur, concessum fuerit, Lectiones ipsorum in 2. Nocturno recitandas, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro per literas Apostolicas in formâ Brevis dat. Romæ apud S. Petrum die 14. Aprilis MDCIX. ap-*

proba-

probatas, evulgare, prout harum litterarum serie facimus, necessarium duximus, omnibus & singulis dicti Ordinis mandantes in virtute salutaris obedientiæ, ut suo tempore Officia prædicta, prout in præsenti libello, quem à Vener. P. Fratre Petro Martyre Felino Cremon. præsertim hujusmodi rebus probè versato edi jussimus, annotantur, tàm privatim, quàm publicè persolvant.

Dat. Bonon. die 26. April. 1609.

In Comitijs Generalibus Romæ M. Antonius Vivolus de Corneto quadragesimus quartus Gener. Servorum eligitur.

CAP. XVIII.

INstabant adhuc generalia comitia Romæ ind dicta per Gen. Philip. qui usque ad extremum sui officij nunquam cessaverat, ut suum Ordinem novis semper beneficijs cumularet. Nam indulgentias amplissimas pro futuro Capitulo à Summo Pont. impetraverat sub datum Romæ octavo idus præteriti Novembris: pro quibus plenaria Indulgentia visitantibus ubique nostras Ecclesias per totam octavam Nativitatis, & Resurrectionis D. N. J. C. concedebatur: durante verò Capitulo in Ecclesijs nostris, tantùmque Romæ haberentur. Quò verò & numero Fratrum, & doctissimorum virorum studijs ampliora, præclarioraque apparerent comitia generalia, ex quatuor præcipuis Provincijs Thusciâ, Romanâ, Romandiolâ, & Neapolitanâ singulos vocales pro singulis earum capitulis accedere jussit. Oblectabatur vehementer Hieronymus Card. Prot. veluti Pater amantissimus erga tot suæ protectionis filios, quos & largitionibus, & paternis obsequijs quotidie prosequebatur, quin studiosos quoscunque vel audiendo in concione, vel præsens ad disputationes miris laudibus extollebat, & summâ gratulatione ad virtutes ulteriùs excitabat, quem nos proprijs auribus audivimus aliquando se non minùs de protectione Fratrum Servorum, quàm de Cardinalatu gloriari, paratumque semper esse, ut quodcunque magnum, & gloriosum pro nostrâ Religione extollendâ, moliretur, atque tentaret. Adveniente igitur die 6. Junij D. Prot. tanquam Apostolicæ Sedis Præsidens coacto suffragiorum numero, servatisque de more servandis, postquam M. Philippus officium, & sigillum deposuisset, mentem Summi Pont. esse declaravit, ut ad tollendam confusionem eorum, qui Generalatum appeterent, tres tantummodò eligi possent: Deodatus Duceius, Baltnassar Bolognetus, & Antonius Vivolus, qui suffragijs

Antonius à Corneto 44. Gener. creatur. initaurat's per majorem numerum 28. vocalium Generalis Servorum fuit approbatus, & per D. Prot. confirmatus cum suâ subscriptione. E' *medio Fratrum meorum*. Procurator verò in Curiâ M. Dionysius Bucatellus de Flo-

tentiâ. Vocales autem comitiorum hi fuerunt. Thusciæ MM. Archãgelus Gianius Diffinitor. Franciscus Rughetius Politianus Provincialis. Lælius Balieonius Generalatûs officio perfunctus, & Petrus Gemmarius Flor. Socius. Patrimonij MM. Joannes Baptista Guerrinius à Castro plebis Diffin. Gabriel Pichius de Burgo S. Sepulc. Prov. & Philippus Bocculus de Eugubio Socius. Romandiolæ MM. Archangelus Ballotinus diffinit. Gabriel Prov. Soc. Dionillus. Bononienses. Lombardiæ M. Aloysius de Marignano Provincialis Diffin. M. Petrus Franciscus Barbezius de Placentiâ Soc. . . . . . . Marchiæ Tarvisinæ MM. Honorius de Paduâ Diff. Maurus de Paduâ Prov. Valerius de Veronâ Socius. Venetiarum MM. Leonardus Roncilionius de Rohado Diffin. Andreas Fullonius de Utino Prov. & P. Ludovicus Pisanus à Judaicâ Socius. Mantuæ MM. Bonaventura Grignanus de Mantuâ Diff. Liberius Blanchinius de Româ Prov. & Paulus Æmilius Paruinius de Cremonâ Socius. Genuæ MM. Alexander de Muriâ Diff. Henricus Antonius Burgus de Castro novo Prov. Philippus Ferrarius Gen. præteritus, & Archangelus de Castronovo Socius. Neapolis MM. Dionysius de Octaviano diff. Joannes Baptista Myrtus Provin. Soc. . . . . Narbonensis PP. Antonius Bernardus de Revelo Brociæ Prov. & Andreas Signoretus de Cucurono Socius. Hispaniarum PP. Hieronymus Colomerius de Torrosâ Prov. & Hierony. Perez Socius. Horum autem consilio hæc Decreta fuerunt.

VIsâ petitione Provincialis Hispaniarum M. Hieronymi Colomerij de Tortosâ, quòd Hispania decernatur una ex Provincijs Ordinis, sicut & aliæ cum Diffinitore, & Socio, conceditur ut in futuro Cap. Generali una cum Provinciali mittatur Socius ad Cap. Gen. qui tamen Socius vocem non habeat in Cap. Gen. in suâ verò Provinciâ habeat vocem, & locum juxta Constitutiones.

Pro canonizatione B. Philippi procurandâ, pro obtinendis literis commissorialibus, pro Advocato creando, & alijs expensis in hoc faciendis decreverunt consideratis expensis Cap. Generalis, pro hoc primo anno, ut à novem Provincijs solvantur scuta centum currentis monetæ, cum hac portione, Prov. Thusciæ, in quâ natus est ipse Beatus Philippus Scuta quindecim, reliquæ sex sequentes scuta duodecim pro singulis; Genuæ verò, & Neapolis pro singulis scuta sex cum dimidio: quæ persolvantur in manu adm. R. P. Proc. generalis pro tempore, qui teneatur ea statim depositare in publico monte Pietatis, neque inde extrahi possint, nisi pro hujusmodi expensis faciendis: transacto verò hoc anno sequentibus singulis annis persolvantur scuta 200. secundùm ratam Superioris Anni: teneanturque Provinciales in visitatione à Conventibus suæ Prov. exigere, & eu statim Romam mittere sub pœnis ad arbitrium Reverendissimi.

Circa parvos Conventûs, in quibus minor numerus Fratrum, quàm par sit, incuriâ Priorum residere solet, decreverunt, quòd Prior ille, qui fuerit negligens, non habeat vocem in Cap. Prov. si saltem unum Sacerdotem secum non retinuerit.

Conventûs, qui aliàs fuerunt Prioratûs intra decennium præteritum, redeant ad suam naturalem conditionem, & fiant denuò Prioratûs Provinciæ, sublatâ unione cum alio Conventu, ad quem nullam prorsus relationem habeant.

Pro recto regimine Fratrum Eremitarum Montis Senarij decreverunt quòd suo, & Religionis nomine R. P. M. Lælius, & RR. PP. MM. Archangelus D.ffinitor Thusciæ, Laurentius, & Elisæus omnes de Flor. videant, & confirmare possint Constitutiones prædictorum Patrum, & Eremitarum, dummodo sint Constitutionibus Ordinis, & Apostolicis literis, tempore recordationis Clem. 8. & Gregorij decimitertij consonæ, & cum participatione Patrum discretorum Conv. D. Annunciatæ de Florentiâ approbatæ.

Pro conservandâ rerum gestarum memoriâ in Religione, decreverunt R. P. Gen. & omnes Diffinitores Provinciarum per secreta suffragia omnia favorabilia, quòd R. P. M. Archangelus Gianius de Flor. colligat ex singulis Provincijs acta omnia quæ haberi possunt, dummodo sint authentica, à primævâ Religionis origine, usque ad hæc nostra tempora, quo res memoriâ dignæ penuriâ scriptorum non pereant, sed per Annales distributæ, publicis Religionis expensis imprimantur.

Supplicationibus ab admodum RR. PP. Provincialibus totius Religionis porrectis in Diffinitorio continentibus gravamen cum numero obligationum ad celebrandas Missas pro defunctis, & propter tenuitatem eleemosynarum, ut velint maturâ deliberatione de opportuno remedio providere pro tranquillitate conscientiarum Fratrum Religionis. Decreverunt quòd RR. PP. Provinciales simul cum Socijs in qualibet Provinciâ in visitatione habendâ videāt, & sac. Conc. Trid. subhærentes sess. 25. c. 4. de Ref. decernant prout saluti animarum, & cultui Divino expedire videbitur, in hoc eorum conscientias gravantes; caveant tamen ne indignationem Dei incurrant, fraudantes defunctorum animas.

Ad sublevandum Conv. S. Marcelli qualibet Provincia quolibet anno mittat scuta tria ad Proc. generalem, exceptis provincijs Mantuanâ, & Venetâ, quæ mittant Proc. S. Mariæ in viâ.

Pro imprimendis operibus Henrici de Gandavo sub titulo Religionis Servorum R. P. Gen. constituat unum, vel plures Theologos, qui supradicta opera percurrant omni diligentiâ, & ab erroribus, si qui fuerint, expurgent.

Attendentes, quòd pia legata, quæ vel pro Anniversarijs, vel Missis perpetuò celebrandis traduntur à pijs viris cum iacturâ Conventuum non in perpetuos proventûs expenduntur, sed dietim insumuntur, perpetuis remanentibus obligationibus; decreverunt, ut in posterum omnes pecuniæ, quæ à pijs Viris perpetuâ obligatione E *traduntur, in bona fructifera investiantur, & expendantur termino duorum mensium, nec in alijs commodis possint expendi, sub pœnâ excom. Priori, & Capitulo, qui contra fecerint, ac privationis officij, & utriusque vocis per biennium. Declarantes, quòd si angustum fuerit Monasterium, ut necessarium sit emere domum contiguam, vel terras vicinas, ad hoc ut possit in ampliorem formam fabricari Monasterium, possint dictæ pecuniæ in his bonis investiri cum licentiâ Gen. & non aliter, qui id non concedat, nisi in maximâ necessitate, & angustiâ fabricæ, quam examinabit omnino, &c.*

Multi in his comitijs conciones habuerunt, MM. AngelusElioratus Biturgiensis, Feli- F cianus Clarevallius de Tuderto, Elisæus Mazzonius de Flor. Christophorus Galganus de Senis, & Aurelius Raphaellius de Perusio. Alij vero concertationes literarias strenuè sustinuerunt, ex his fuerunt MM. Dionysius Bucarelius de Flor. Angelus Maria de Arimino, Nicolaus Muraro Catalanus, Augustinus Vigianus de Flor. Henricus Antonius Burgus à Castro novo, & Augustinus de Cortonâ. Quâ verò die Antonius fuerat electus Generalis, post vesperas solemnis processio omnium Fratrum numero quingentorum usque in Vaticanum celebrara fuit, ubi Fratres singuli per ordinem ad pedes Summi Pont. exosculandos in sacello, magno Cardinalium Collegio præsente, exceepti eum benedictione solem- G ni, alijsque indulgentijs dimissi fuerunt.

Constitutiones pro Eremitis Senarij per Paulum V. approbantur, & confirmantur, & nonnulla miracula B. Mariæ, & B. Philippi enarrantur.

C A P. XIX.

PRæter cætera quæ ante Cap. Generale M. Philippus Alexandrinus cum PP. Eremitis præmeditatus fuisset, unum illud præcipuum fuit, ut singula quæque eorum instituta in publicis Constitutionibus his temporibus sancirentur: quamobrem Venerabiles PP. Bernardinus, & Au- H gustinus à Senario Romam pro illâ Eremo missi, novas Constitutiones coram Patribus Capituli examinandas, & approbandas obtulerunt, curâ super hoc negotio per D. Protectorem, & Cap. Generale his patribus demandatâ, M. Archangelo Gianio Thusciæ Diffinitori, MM. Lælio, & Philippo officio Generalatûs perfunctis, & M. Laurentio, qui fuerat Prior Conventûs Florentiæ, qui diligenter omnibus examinatis easdem Constit. D. Protectori nomine Capituli generalis approbandas remiserunt. Qui tamen D. Prot. non obstante primâ Cap. Gen. revisione, rursus Antonio Vivolo Generali, Philippo Alexandrino, & Dionysio Flor. Ordinis Procuratori

ratori diligentiùs perpendendas commisit. His denique diligentijs super easdem Constitutiones habitis idem Protector de earum approbatione Summum Pont. certiorem fecit, qui denique per sequentem Bullam approbavit, & confirmavit.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Constit. Eremitarum Senarij primò approbãtur.

PAstoralis officij cura, quam disponente Domino licèt immeriti gerimus, Nos propensiùs admonet, & hortatur, ut circa cunctorum Christifidelium, & præsertim Regularium in humilitatis spiritu sub Deiparæ Virginis patrocinio vota sua Altissimo persolventium felicem progressum solicitis studijs intendamus, & quæ propterea ab eorum Superioribus providè statuta comperimus, Nostri etiam muniminis soliditate roboremus, ac in his ejusdem officij partes impartiamur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, dilecti filij Fratres Eremi, seu Domûs Eremitorij nuncupati Sanctæ Mariæ Montis Senarij Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Florentinæ Diœcesis, in hunc usque diem ab ijs observatas eorum Constitutionum Regulas, nonnullis, quæ ad regulare institutum, & Eremiticæ vitæ integritatem deesse videbantur in Conventuali eorum Capitulo, quod ipsi Eremi Capitulum vocant per suffragia secreta additis, & de mandato ejusdem Ordinis Capituli generalis Romæ ultimo loco celebrati per quatuor dicti Ordinis Fratres, & subinde per dilectos filios Antonium Vivolum dicti Ordinis Priorem generalem, ac Philippum de Alexandriâ ejus in hujusmodi officio prædecessorem, necnon Dionysium Florentinum ejusdem Ordinis in Romanâ Curiâ Procuratorem generalem correctas, & reformatas, ac demum per Venerabilem Fratrem Nostrũ Hieronymum Episcopum Portuensem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Asculanum nuncupatum, ejusdem Ordinis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectorem, mandato Nostro examinatas in unum volumen compilaverint, cupiantque easdem Constitutiones, quas etiam idem Hieronymus Cardinalis approbavit, cum moderatione tamen, ut infra, sic correctas, reformatas, ampliatas, examinatas, & approbatas pro earum subsistentiâ, & inviolabili observatione, Apostolicâ auctoritate confirmari, & approbari. Nos justis eorundem Eremitarum votis annuere volentes, & Eremitas, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon Constitutionum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictorum Eremitarum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes, & singulas constitutiones, & ordinationes præfatas, ut præmittitur, compilatas, correctas, reformatas, ampliatas, & à dicto Hieronymo Cardinali examinatas, & approbatas, atque omnia, & singula præterquam, ut infra moderata, in eis contenta, attento, quòd sicut ex ejusdem Hieronymi Cardinalis relatione accepimus, nihil habent, quod sacris canonibus, & Conc. Trid. decretis, & Constitutionibus Apostolicis adversetur, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos, tàm juris, quàm facti, & solemnitatum etiam substantialium defectûs, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus. Præterea ut rigor vitæ temperatus, & rationabilis omni ex parte sit eorumdem Eremitarum obsequium, ut ipsorum Rector cum consilio tamen, & assensu Conservatorum, seu saltem unius ex ipsis pœnitentiam jejunij in pane, & aquâ Eremitis ex animo pœnitere se asserentibus, & humiliter veniam petentibus in alias pœnitentias salutares, præsertim in suffragia pro defunctis commutare, vel in totum remittere possit, & valeat, prout judicaverit in Domino magis expedire, auctoritate, & tenore præfatis decernimus, & ordinamus. Declarantes nullum ex dictis Eremitis in delictis occultis pœnas per constitutiones statutas, nisi à Superiore imponantur, subire in conscientiâ teneri, & obligatum esse, sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super iis à quoquã, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostol. ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostol. vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm, quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, & similiter dictâ auctoritate decernimus, quòd transumptis præsentium literarum sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici munitis, ac manu Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides, tàm in judicio, quàm extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 12. Octobris 1609. Pontific. Nostri Anno quinto.

Scipio Cobellutius.

Eo-

Obitus, & laudes Alexandri Gianij de Scandiano.

Eodem anno M. Alexander Gianius de Scandiano octuagenarius vitam cum morte tertio idus Novembris commutavit: vir optimis moribus præditus, & doctrinâ non vulgari vehementer eruditus, quippe qui pluries in sacro Concilio Triden. à Patribus pro concione auditus fuit, Angelo Episc. plures annos in Tudertinâ Cathedrali publicus Theologus inservivit, quo etiam munere in Cathedrali Terdonæ egregiè functus fuit. Sæpesæpius post alia Religionis munera Prior Gen. à quamplurimis optimis Patribus desideratus, cui tamen officio propositus pro suâ modestiâ, & humilitate renuit tale onus subire. Per eos etiam dies accidit, ut dum Tuderti tunica B. P. N. Phil. per urbem post primas vesperas ejusdem fest. deferretur, mulier quædam nomine Maria Angela Senensis uxor Hortensij Tudertini multos menses jacens in lecto contracta, itaut inde moveri non posset, audito, quòd inde transiret Sacrum illud indumentum totam se præ devotione commoveri præsensit, & ex corde B. Philippo suam Infirmitatem commendans, statim convaluisse. & è cubili assurrexisse jurejurando cum multis testibus in processu canonizationis ipsius B. Philippi testata fuit.

Ferrariæ etiam dum hoc tempore ageremus, illud admirandum de Beatissimæ Virg. preclarâ imagine, quæ in Ecclesiâ nostrâ Cõsolationis summâ Ferrariensium devotione colitur, proprijs auribus accepimus à D. Violante uxore Valentini Beneti. Contigit enim ut hæc mulier à maligno spiritu per decennium vexata aliquando ad ejusdem B. V. præsidium confugeret: Quare sexto Kal. Decembris eâ in Ecclesiâ coram Patribus Joanne Mariâ Priore, Hieronymo de Chianciano, & Christophoro Placẽtino Sacristâ exorcizata mulier brevi per intercessionem ejusd. B. M. E V. a nefario illo spiritu, qui in specie urentis flammæ ex ejus ore aufugit, & accensam faculam extinxit, se liberatam agnovit, & debita vota eidem sacratissimæ Imagini persolvit.

Illud quoque recensendum occurrit, quòd In Ecclesia nostrâ S. Mariæ de Ischiâ per idipsum tempus contigit. Puerulus quidam nomine Britius Montorij filius, cùm in lupum quendam incidisset, ex ejus aspectu usque adeò perterritus, absque loquelâ evasit, ut totus tremens, & semper pavens multos dies in F lecto tacitus conquiesceret. Ejus genitor omnis remedij, & consilij anceps P. Rochum Jonellum loci Priorem adiit, à quo de S. Habitûs B.V. virtute, & efficaciâ instructus trementem, & pavidum filium super ulnas ad Ecclesiam detulit, qui accepto sancti Habitu omnem tremorem, omnem pavorem amisit, assurgens, & B. Virgini gratias agens incolumis domum cum Patre remeavit.

Pari quoque modo puer alius nomine Poll. mantes, cùm inter nocturna trepudia, quæ G in domo cujusdam militis Terentij Saltamachiæ Vexilliferi per quosdam larvatos viros fiebant, vehementer perterritus fuisset, tanto timore, & pavore correptus remansit, ut visu, loquelâ, auditu, ac omni ferè sensu destitutus videretur. Hujus rei novitate commota vexilliferi uxor, quæ Perna Oliva dicebatur (mulier quidem B. V. & S. Habitûs devotissima) statim P. Rochum Priorem acciri jussit, qui illicò S. Habitum ægrotanti puero adhibuit, nec mora, consurgit puer, loquitur, vi- H det, audit, & totus incolumis evadit, cujus admirandi signi occasione per totam Ischiam Societas Habitûs nostri propagata fuit, quemadmodum singula hæc eodem P. Rocho referente accepimus.

F I N I S.

SACRI ANNALES
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS
AB ANNO

M D C I X.

QUO DESINIT ARCHANGELUS GIANIUS.

AUCTORE

FR: ALOYSIO MARIA GARBIO

Ejusdem Ordinis Theologo.





LECTORI BENEVOLO

FRATER ALOYSIUS MARIA GARBIUS.



Ianius Ordinis noſtri memoranda ad annum uſque 1609. duntaxat eleganter, & accuratè digeſta publici Juris fecit; quem cæteroqui plura alia congeſſiſſe, ac Typis imprimenda, non mediocriter adornaſſe ad annum uſque 1623, quo vivere deſijt, Tomo primo hujus ſecundæ editionis ejuſdem Gianij Annalium præfabar. Vir ſanè laude quacumque ſuperior, quique Ordinis noſtri decori, tum aliorum præclarè geſta ſcribendo, tum plurima præſtando, quæ ſcribenda forent, maximè conſuluit: nunc ergo tantum Opus ab eo honorificentiſſimè inchoatum, & ad hæc tempora promotum, quod ipſe iterum in lucem edidi, proſequendum aggredior mihi jampridem demandatum. Utinam pro rei dignitate!

Brevis profectò annorum ſeries, centum ac decem circiter, mihi percurrenda ſupereſt, quæ tamen ſcribendi materiam non modicam ſuppeditabit; præ cæteris enim longè plura, quàm olim fas eſſet, memoriæ poſterorum commendare licebit de Viris, ac mulieribus ſanctitate celeberrimis quippèqui ætate ferè noſtrâ floruere, quâ etiam longè majori diligentiâ hujuſmodi monumenta, & illuſtria facinora indagari, & in Actis referri conſueverunt. Quæ planè eò libentiùs, & alacriùs exactè deſcribenda ſuſcepi, quò majori legentium utilitati eſſe poſſe non vereor; notiſſimum enim ferè omnibus eſt, quòd de præſtantiâ, & utilitate hiſtoriæ generatim docuere Scriptores, pro quibus unus ſit ſatis Plinius lib. 8. Epiſtolarum hæc ſcribens Laterano Epiſt. 29. *Quanta poteſtas, quanta dignitas, quanta majeſtas, quantum denique numen ſit hiſtoriæ, cùm frequenter aliàs, tum proximè ſenſi.* Quæ expendens Commentator, ait: *Quanta poteſtas, neſcire enim quid antea, quàm natus ſit, fuerit, referente M. Tullio, eſt ſemper puerum eſſe.*

Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri; unde tibi, tuæque Reip. quid imitere capias, undè fœdum inceptu, & exitu fœdum vites. Nam pulchrum est aliorum erratis in melius instituere vitam nostram, & non quid alij egerint quærere, sed quid optimè actum sit nobis proponere ad imitandum; Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores fecit, laudantur à junioribus. At hos antecellit historia, quantò plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas, & quæ fusiùs apud Diodorum in Commendationem historiæ traduntur lib. 5. *Bibliothecæ historicæ*. Si autem historiæ generatim tanta est dignitas, præstantia, utilitas, longè major tribuenda erit historiæ, quæ seriem recenset virorum, atque mulierum sanctitate vitæ, & miraculorum gloriâ illustrium, quippe quæ exempla ad imitandum proponit longè sublimiora, & planè divina. Hoc igitur Opus hilari animo suscipe, & majorum nostrorum præclarissimam imaginem in te sedulò exprimere cures.

Nequa verò te subeat admiratio, quòd huic Tomo coronidem imponat Annalium prosecutio ab anno 1609. quo scribere desijt Gianius, usque ad 1633. mihi demandata, cùm hæc utpotè alterius Scriptoris Opus alteri Tomo tribuenda videretur, ac Tomus hic uni Gianio, & unius Gianij scriptis dicandus. Nam unanimi Patrum melioris notæ consensu in Generalibus Ordinis nostri Comitijs in Conventu Sancti Marcelli de Urbe habitis anno 1720. rationi magis consonum visum fuit, quod Tomus hic quartum ejusdem Ordinis seculum integrum complecteretur.

CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,

AUCTORE

FRATRE ALOYSIO MARIA GARBIO

Ejusdem Instituti M. Theologo,

Liber Septimus,

CONTINENS AB ANNO MDCX. USQUE AD MDCXVIII.



Ven. F. Petri Romanorum Gesta, & Obitus enarrantur.
CAPUT PRIMUM.



Neminem ignorare arbitror, qui Etruriæ monumenta vel de limine salutaverit, quinque præsertim, vel sex ab hine Seculis, quòd Pistorij Civitas in eàdem Provinciâ in varias, easque gravissimus fuerit plerumque distracta factiones, ex quo tot ipsi contigerunt incommoda, quæ nostris etiam temporibus cogimur aliquatenus experiri, veluti ex infectâ illâ radice prodeuntia pesti fera germina, non mediocres nempe calamitates. Hoc tamen superesse semper agnovimus tot inter ærumnas, quòd ipsas leniret, ipsam nimirum Civitatem nunquam à Deo, qui pluit super justos, & injustos, destitutam omninò fuisse, quin inter altissimas seditionum hujusmodi tenebras aliquis ejus misericordiæ fulgor appareret. Plures enim utriusque sexûs deprehendimus sanctitate præstantes, Felicem videlicet Ambrosianæ Congregationis Presbyterum, Andream Franchi ex Ordine Prædicatorum Pistoriensem Antistitem, Petrum, Paulinum, Jacobum, & Joannem de Vanninis ex Ordine Jesuatorum, Bonaccursium de Bonaccursis ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Archiepiscopum deinde Pisarum; Bonaventuram Bonaccursium, Thia- A nam de Imbarcatis, Dianamstellam, & Mariam de Micheluccis ex Ordine nostro Servorum B.M.V., & alios, quos præterire decet, ne plus æquo digrediar, quos modò maximè veneramur, ac si illis potissimùm acceptum referatur, quòd Civitas ista graviora declinaverit mala, & pessum non iverit. Non enim nos latet, quòd nedum propter quinquaginta Justos, vel quadraginta, triginta, aut viginti, sed etiam propter decem, scilicet propter B aliquem, Abrahæ promisit Dominus iniquorum Urbes se non deleturum. *Gen. 18.*

Hinc Dives semper in Misericordiâ Deus, hoc etiam seculo, quo Mediceorum Syderum beneficio Serenissimo fruimur Cœlo Pistorij necessitatibus consuluit, dum ex ejusdem sinu alios adhuc erumpere videmus sanctitate quâmaximè conspicuos, præ cæteris (quos recensere ab instituto nostro alienum videtur) Petrum de Bertis habemus, qui dum hoc anno C corruptibilis vitæ suæ metam assequitur, incorruptibilem auspicaturus, Operis mei initium felicissimo omine consecrabit.

Itaque anno salutis 1569. nascitur Petrus Pistorij, vel, ut alij censent, inter Pistorij Montana, & in Ecclesiâ S. Bartholomæi ejusdem Urbis non fortuitò in pervigilio Assumptionis B. M. V. baptizatus Rogeri nomen adipiscitur. Ejus pater dicebatur Realis à Valle Buræ, Mater verò Marietta, rusticus utet- *Petri de Bertis ortus humilis.*

uterque. Puer adhuc in timore Dei enutritus religiosum quoddam in moribus præsferebat specimen, ex quo vel ab utero Matris religioni videretur addictus, & Grammaticæ, prout ei fas erat, incumbere satagens, piis operibus, & lectione sacrorum Librorum sese jugiter exercens, Deum quotidie precabatur, ut sibi viam aperiret, quâ Divinam ejus voluntatem exequi posset; quamobrem statim ac ei per ætatem licuit, Ecclesiæ S. Joannis, initiatus Clericus, inservire cœpit. Vix decimum sextum agebat annum, cùm Parentibus orbatus, sacratum Urbis rerum famâ excitatus, & devotione incensus, eò tanquam Peregrinus . tendit, ubi pauperem sed Religiosam . am ducens, septem Urbis celebriores Basilicas nudis pedibus frequenter invisere solitus, potissimùm verò Scalam sanctam ascendere non sine magnâ lachrymarum vi in Christi Domini patientis meditatione defixus, & ad incitas redactus cuidam Romanorum Civium è Gente Grisoniâ adhæsit, qui eum Vineæ suæ Custodem præfecit. Verùm post paucos dies indole, & probitate Adolescentuli perspectâ parvulos suos filios illius curæ commendavit, quin tamen Rogerius à sanctis meditationibus, & piis operibus animum distraheret, qui cùm prædictos Filios ad scholam associasset, Ecclesias statim adibat, ibique degebat, donec illi literaria dimitterent exercitia; cæterùm domi vitam ducens solitariam, & variis macerationibus, & orationibus exercitam die, noctuque, singulari domesticorum admiratione. Ægrè autem ferens Deus Rogerium sibi in Ordine Clericali addictum laicali vitæ iterum nomen dare, ipsum ad sui resipiscentiam per gravem infirmitatem adeò excitavit, & illustravit, quæ fanè ad mortem non erat, sed in majorem Dei gloriam cedebat, ut voto statim se obstrinxerit Rogerius, si ex eo morbo convalesceret, Religioni, quæ B. Virgini speciali titulo dicata foret, se omninò consecraturum, quo voto emisso statim convaluit.

Interim de Ordine Religiosorū sibi præeligendo cogitabundus, & adhuc animi dubius, non absque speciali Divini Spiritûs lumine illustratus, & speciali Deiparæ apparitione dignatus seriò animadvertit, quòd sicuti in pervigilio Assumptionis ejusdem Virginis sacrū Baptisma recepit, ita quoque in Ordine ejusdem Dominæ Servorum famulatum ipsi exhibere deberet, quapropter Ecclesiam S. Marcelli Ordinis nostri longè frequentiùs invisere cœpit, ut inde faciliorem sibi ad ipsum Ordinem aditum compararet. Aderat eo temporis Romæ P.M. Lælius Balleonius de Florentiâ Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ, qui Adolescentis pietate commotus, & aliquid planè Divinum in ipso advertisse testatus, ipsum ad Habitum Servorum B.V. admisit Rogerii nomine in Petrum commutato. *Ingreditur Ord. Servor.* Itaque Petrus indutus Habitu non perfunctoriè, sed valde ex animo Religiosæ disciplinæ, simul & literarum studiis die, noctuque operam dabat, in somno parcissimus, sicut & in cibo, ita quidem, ut cùm emissâ solemni Professione Florentiam translatus aliquando ibidem moraretur in celeberrimo illo D. Annunciatæ Cœnobio noctes plerumque duceret insomnes, ut copia ipsi suppeteret ingenii simul erudiendi, & Deo liberiùs vacandi; hinc brevi, licet ipsum opera in seculo habita, paulò ante memorata, haud mediocriter distraxerint, dignus tamen habitus est, qui in Album studentium adscriberetur.

E

Senis deinde quantumlibet inter studentes adscriptus, non minùs tamen in operibus charitatis circa annum Domini 1598. quàm in literarum studiis assiduus ac totus erat. In dies verò animadvertens Petrus, & studiis, & proximi necessitatibus relevandis pro sui voto se æquè vacare non posse, reliquis posthabitis, Charitatis officiis, quæ ex Apostolo cæteris est major, totum se studiosissimè dedit, quibus quò magis intendebat, eò ferventiùs se ad Dei amorem, suique contemptum trahi sentiebat. Quâ de re collectis in unum divinis, Ecclesiasticis, & Regularibus præceptis duo sibi, in quibus reverâ tota Lex pendet, perpetuò adamussim servanda, constanti animo decrevit, scilicet amorem Dei, & Proximi. His ergo præsidiis veluti duabus alis suffultus Petrus Deum maximè diligere, & Proximo obsequi pro virili nitebatur.

F

Itaque summo mane quotidie Divinis persolutis Officiis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ in Ecclesiâ nostrâ plures horas administrabat, ibique pauperes, & Famelices quoslibet obvios frustulis quibusdam panis reficiebat, quæ à pœnitentibus divitibus emendicarat. His in Ecclesiâ peractis Petrus cum sacculo divites adibat, panes, pecunias, & quidquid opus esset colligebat, deinde inopum Domos ingrediebatur, infirmos invisebat, & singulis eleemosynas collectas dividebat; ad Carceres pariter se conferebat, ibique detentorum confessiones audiebat, miseros illos & verbis, & re consolatus, quinimmò quam sæpissimè eos, prout poterat, è carceribus eximi curabat, præsertim verò alieno ære oppressos, eorum debita ex oblationibus collectis solvendo. Cùm autem perfecta in Petro vigeret Charitas, non adeò pauperum necessitatibus quoad corpus consulebat, ut longè magis ipsi curæ non esset eorum animæ providere; quâ de re cùm solemne illi esset morti damnatos ad patibulum associare, facinorosum quendam nomine Joannem Baptistam aliquando offendens, iniquitatibus suis pertinaciter adhærentem, quique de suâ salute desperans sese Diabolo mancipaverat, minas intentando adeò ipsum deterruit, ut quod plures alii viri frugi non poterant præstare, unus præstiterit Petrus, ejus videlicet animum ad meliora convertens, & ad mortem æquanimiter subeundam; damnatus enim ille inanem quandam animo conceperat spem

G *Ejus charitas*

H *Facinorosum convertit, & disponit ad mortem.*

spem se ab eâ morte eximendum, licèt nemini adhuc ipsam communicare decrevisset. Solus autem Petrus tanquam alter Daniel spiritu Dei commotus secretam hujusmodi spem damnato illi revelans, irritam fore prædixit, ac proinde verè ipsi pesuasit detestationem criminum, & quòd eorundem ab Altissimo veniam peteret, ut qui mortem banc, ad quam damnatus erat, subire omninò deberet, æternam saltem non subiret; quibus exterritus damnatus ille, verè conversus, & verè pœnitens Petri virtutem, & probitatem in summo illo discrimine expertus fuit; quod pariter cum alijs præstitit multiplici Cœlestium consiliorum genere modò lenia, modò aspera verba adhibendo ipsos ad veram pœnitentiam redigendo.

Alexandrū Senensem cōvertit.

Hoc pariter præstitit Petrus cum Alexandro Civi Senensi, qui graviter infirmus adduci minimè poterat, ut peccata sua confiteretur, nam ipsum protinus adijt, & seriâ peroratione habitâ ipsum ad Deum repentè convertit; qui proinde semetipsum Petro etiam atque etiam commendans, peccata sua confessus, veniam petijt, Sanctissimam Eucharistiam sumpsit, & paulò post maximè contritus à Petro jugiter consortatus feliciter obijt. Hujusmodi peccatores consuetudinarios, & inveteratos Petrus varijs artibus, ijsque sanctissimis persæpè convincebat, & ad meliorem frugem convertebat, præsertim verò fœminas prostitutas, quas acerrimè objurgabat, deterrebat, puniebat, adeòut plures Petro præsente, quasi altero Senensi Bernardino, præ verecundiâ confusi ab obscœnis abstinerent, neque raro converterentur; tanta erat Petri apud Senenses auctoritas, existimatio, & reverentia, ut nihil ipsi non assequendum videretur.

Quibus virtutibus præstaret.

Facilis ipsi ad Pauperum tabernas, Magnatum Domos, Hospitalia, Carceres, & universa erat aditus, & omnes ipsi ex animo obsequentes. Duo enim in Petro admirabantur Senenses; primò nimirùm, summam sui ipsius dejectionem, humilitatem, & paupertatem; deinde verò acerrimum, & infractum animū in relevandis pauperibus, & peccatoribus corrigendis.

Consuetudinarios convertit.

Anno salutiferæ Incarnationis 1604. vertente blasphemus quidam ex consuetudine, nomine Franciscus è Picerno Barigellus in Ditione Senensi ad Petri pedes prostratus, eique profusis uberrimè lachrymis propria peccata confessus, ejusque orationibus semetipsum enixè commendans, nunquam ulteriùs ausus est blasphemare. Audiens verò procedente tempore, cùm degeret apud Grossetum, quòd Petrus in extremis laboraret, Senas protinus celerrimè profectus, & Petri decumbentis lectulum quàmcitissimè petens cunctis, qui aderant, mirantibus, exclamavit: *En fratres charissimi, hiccine vir ille est sanctus, qui animam meam è Dæmonum manibus liberavit;* Subindèque plures, Patribus astantibus, obtulit pecunias opem ipsi laturus, quas tamen Patres accipere noluerunt. Anno verò proximè sequenti famâ sanctitatis Petri commotus Laurentius quidam Florentinus apud equestrem Senensium militiam equorum domitor ad Deum repentè cōversus peccatis, eorumque occasionibus vale dixit; meretricem enim quandam nomine Lucretiam, cum quâ consuetudinem habebat, Petri consilio non minùs, quàm ope, æquè ac seipsum è vitiorum Tyrannide vindicavit; quæ subinde in Festo S. Mariæ Magdalenæ Monasterium ingressa, unà cum moribus nomine quoque mutato, Soror Francisca vocabatur.

Periclitantibus opem fert.

Nobilis quædam Fœmina Magdalena de Bertinis Federici Ciconij Uxor per duos menses, & amplius malignâ febri cùm laborasset, Petrum fortè videns ad se venientem, quodam æstu percita, sic ad ipsum: *Tu Petre, Tu*, inquam, *in causâ potissimùm es, quòd Filij mei, ac tota Familia tot subeant damna.* Ad quæ dubius Petrus humillimè respondit: *quare hoc, Filia?* Tum ipsa: *Quia si Deum pro salute meâ deprecareris, utique incolumis evaderem. Exaudiat nos Deus* subdit Petrus. Præbet illi deinde benedictum numisma, & abijt. Die verò sequenti sedem deferri ad illam jubet, ut ipsum commodè posset adire, obtemperat Mulier, & statim optatam consequitur sanitatem. Per Urbem incedens oculis semper demissis, & neminem alloqens, nisi charitas hoc peteret, monetas quandoque vel argenteas, vel aureas offendebat, quas, Deo inspirante, ad pauperes levandos erogabat; quocirca intelligens, quòd speciosa quædam Puella ob extremam inopiam à nonnullis de virginitate tentaretur, & quam ultrò Parentes non verebantur prostituere, dum in Ecclesiâ S. Martini unà cum alijs Fratribus Defuncti cujusdam exequijs interesset, ab eadem Puellâ requisitus, oculis statim in terram defixis monetam auream, quam dicunt Zecchinum, obviam habuit, & periclitanti Puellæ erogavit, ipsam ad pudicitiæ florem conservandum consortans.

Ejus charitatis ordo, ac tenor.

Familiares quosdam sibi delegerat Cauponem, Pistorem, & Aromatarium, cum quibus Tesserā quandam communem habebat, & si quis eam suo nomine ejs obtulisset, quidquid peterent, gratis darent. Medicos quoque ad Pauperum Domos, vel pretio, vel precibus dirigebat; cùm autem solvenda essent debita cum prædictis Officinis contracta, Divites adibat, ipsis animosè præcipiens in nomine Dei, & B. Virginis Mariæ, ut Aromatario, vel Cauponi, vel Pistori pecunias solverent; siquidem Senenses Proceres maximo sibi ornamento esse putabant de solvendis hujusmodi debitis, & erogandis eleemosynis à Petro interpellari. Prætereà Apothecas omnes, & Officinas circumcursando miserrimis pauperibus, infirmis, invalidis, senibus consulebat. Adveniente deinde Paschali tempore per Civitatem, & suburbia maximam ovorum copiam colligebat, similiter & panes, quæ omnia in Pascha-

te benedicta, singulis Pauperibus, qui confessi fuissent, in Ecclesiâ distribuebat. Cùm verò nosset periculum exponendarum Adolescentularum ratione paupertatis imminere, ibi statim aderat, hinc plures ex ipsis integras servavit.

Pater paupers vocatur.

Quamobrem Petrus vulgò nuncupabatur Pauperum Pater, & peccatorum consolator. Sæpius enim Spiritu Dei super eum irruente aliena peccata, quantumlibet secreta, in faciem revelabat, & quamplures à varijs erroribus divertebat; contentiones non paucas, & gravissimas simultates repressit: hinc prætereundum minimè videtur, quòd inter Jacobum de Gabriellis, & Fortuniam quondam Venturæ, qui communiter dicebatur *Graccajo*, ejusdem Jacobi Coniugem, insigni vertente discordiâ, eáque sanè, ut sibi invicem mortem inferre tentarent, Petrus his cognitis per devotas mulieres, Laurentiam scilicet de Gabriellis uxorem olim Lepidi de Perfectis, & Agnetem Mealliam, habitâ statim ad Deum Oratione, pacem impetrat inter prædictos Coniuges, odium penitus extinguitur, ac vetus renascitur amor. Dissensiones prætereà quamplures inter Concives composuit, itaut Archiepiscopus Senarum Camillus Burghesius in rebus arduis Petri operâ, & consilio quamlibentissimè uteretur, & illum tanquam ministerij sui Collegam in gravioribus negocijs adhiberet, plurimùm amaret, & ut ejus consuetudine quandoque frueretur ad Cœnobium nostrum persæpè proficiscebatur, & ex ejus manibus Habitum Tertij Ordinis nostri aliquando suscepit, eóque petente à Paulo V. sibi cognato, Privilegiatum esse impetravit Altare Mantellatarum in Ecclesiâ nostrâ de Senis. Prætereà nedum in proprio Palatio ad plures horas continuas colloquia cum Petro protrahebat, verùm etiam hebdomadas, & menses pariter continuos unà cum Patribus in nostro Cœnobio commorari frequenter libebat, cum ipsis ad mensam conveniens in refectorio, & ad Divina Officia in Choro, neque alibi quàm in Petri Cellâ degere volebat. Cardinalis quoque Asculanus Ordinis nostri Protector eximiâ Petrum veneratione prosecutus fuit, licèt ipsum nonnisi famâ referente novisset. Tantâ Petrus familiaritate, morum suavitate, & comitate præditus erat, ut omnium corda in sui raperet amorem. Magni consilij Angelus videbatur, & habebatur Petrus, ad quem proinde non dedignabatur accedere quicunque edoceri vellet quoad ea, quæ pertinent ad mores, quantumlibet eximiæ doctrinæ esset, quatenus dirigente Petro à Deo magis, quam à Libris, vel homine se reputaret edoctum; hinc post obitum Petri nobilis quidam Senensis Eques S. Stephani contestabatur sese aliquando in gravissimâ difficultate constitutum à nemine, quamvis præstantissimo Theologo, vel aliàs doctissimo, luculentiùs quàm à Petro solutionem difficultatis ex tempore brevibus, & vulgaribus

Secreta revelat.

Auctor pacis.

verbis accepisse. Infirmis omnibus, sivè E Divitibus, sive pauperibus die, noctúque summâ vigilantiâ aderat donec vel convalescerent, vel Spiritum Deo redderent. Pergens aliquando extra Portam Romanam ad locum, qui dicitur *Madonna di Valli*, ubi deinceps superposita foribus conspiciebatur veneranda ejus Imago, ut ibi sacrum celebraret, obvium habuit pauperem quendam hyemis tempore fermè nudum, qui ab eo eleemosynam petit; cùm verò Petrus aliâ quacunque re opportunâ destitutus esset, pallio, quo cooperiebatur, nudum pauperem induit, & abijt. Revoluto interim biennio cùm Petrus iterum eodem pergeret sacrum pariter celebraturus, eodem in loco, eâdem die, & horâ à nobili quodam cum pluribus alijs equitante F sistitur. Dubius ad hæc Petrus, & interrogans quisnam ille foret, qui eum sisteret, hæc ab illo percepit: *Nonne me agnoscis Pater? Ego ille sum, qui duobus ab hinc annis in hoc loco, & hac horâ Pallium tuum pro eleemosynâ accepi; nunc autem beneficium acceptum referre contendo*; quibus dictis, ipso jubente, famillatis quidam sexdecim aureos Petro renuenti erogavit. Interim ipso adhuc dicente: *Scio planè te pecuniâ hujusmodi non indigere, qui summam profiteris paupertatem; verum hoc etiã scio, quòd pro eximiâ tui in pauperes charitate pallio, quod mihi donasti, minimè quidem respondet*. Post hæc Petrus, quin Virum illum cognosceret, ad Sacrum faciendum perrexit, quæ quidem Papirius Mansueti se ex eo acce- G pisse testatur, cum quo Petrus noster conquestus de hac re fuerat, quem nobilitate præstantem, ætate graviorem, & pietate præclarum fuisse dicit. Datâ verò opportunitate rem hanc communem exquisitè fecit Uraniæ de Checconis Nobili, pijssimæ, & sibi familiari Fœminæ, maximè anxius, & lachrymis obortis, eo quod ex eleemosynis à se erogatis vix fructum perciperet, cum ipsas sibi Dominus cumulatè compensaret; verùm nullâ morâ intercedente, antequam advesperasceret, sexdecim illos aureos pauperibus distribuit juxta sui consuetudinem; pecuniam, vel quidquam aliud sibi oblatum apud se per noctem residere non passus. Puerulis, quos sæpesæpius Christianis Præceptis imbuebat, ut H perfectis moribus informaret, amabilis simul, & terribilis erat, qui enim Doctrinam Christianam, & Fidei elementa probè norant, hilares semper obviam illi adibant sperantes se chartulas, coronulas, pias imagines, & munuscula hujusmodi recepturos; qui verò scioli erant, & prædicta non satis tenebant, Petrum irridentes tanquam spectrum quoddam declinabant, quippe qui alapas, vel graves objurgationes verebantur. Quæ sanè pro pluribus alijs, quæ nondum benè perspecta sunt, charitatis ejus in Proximum argumenta sufficiant; modò verò explicandum superest, quo charitatis ardore in Deum raperetur, è quo Charitas in Proximum erumpit.

Ejus Charitatis insigne argumẽtum, & præmiũ.

Pueros Christianis præceptis imbuit.

Eo

Fo erga Deum flagrabat amore, ut nihil ipsi magis in notis esset, quàm universa ferè A tormentorum genera, ipsumque martyrium subire, dicere solitus ad Imaginem Christi conversus: *Quis mihi det, ut pro te moriar, Pater mi!* Prædicandi Evangelij apud Infideles desiderio incensus. Unde vilissimum terræ vermiculum se reputans, nil sapidum, nil gustui delectabile comedebat; quâ quidem in re maximè notandum est, quòd anno 1605. piscem quendam ab Antonio Jacobi de Villanis familiari suo dono sibi datum, nonnisi post plurimos dies, ne dicam Menses, prout Amarnnus, & Papirius Mansueti, ex quibus ista colliguntur, testantur, insipidum, ac potius putridum comedit. Prætereà iisdem fermè diebus graviter decumbens, Medicis, quos obedientiæ tantùm causâ admittebat, B plura remedia præbentibus, sed frustra: *Eia*, inquit, *dimittite quæsò hæc pharmaca, dimittite, vos oro, & date mihi solùm buccellam panis aquâ paululum imbutam; ita enim Deo juvante convalescam.* Quo facto, statim, mirabile dictu, sanus, & incolumis è lecto surrexit. Sacrum quotidie faciebat, nisi gravi præpeditus esset infirmitate, in quo à terrenis verè suspensus, supernæ Civitatis dulcedinem in extasim raptus sæpissimè prægustabat, præsertim verò cùm tacitus de more pro vivis, vel defunctis orare debebat, qui proinde gloriosam in Cœlum conscendere aliquando animam D. Portiæ Pannellini Gori nobilis Senensis in eâ Sacrificij parte conspexit, cum pro ipsâ Missam celebraret. Chari- C tas hæc in Deum, quæ nunquam sibi sufficit, nec quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ipsum adeò urgebat, ut qui tum verbis, tum operibus honestus maximè esset, & verecundus, non solùm vehementer detestaretur blasphemias, pro quibus alapas etiam absque ullo discrimine inferebat; verùm etiam in familiaribus colloquijs obscœna, & ludicra verba vel seriò, vel jocò audire non posset, quin totus commoveretur, & in obloquentes exardesceret, animadvertendum illis proponens, quòd unusquisque nostrum nedum de obscœnis, ac turpibus verbis, verùm etiam de inutilibus apud Divinum Judicem rationem est redditurus. Urgebat ipsum pariter hæc Charitas, ut Ecclesia, & Sacrarium sui D Ordinis pretiosâ supellectili per nobiles quosdam sibi familiares ditarentur; quin etiam, ut Sacrarum Reliquiarum, præsertim verò Beatorum Ordinis nostri Senensium Joachimi, & Francisci Patrizzi conservationi maximè honorificæ studeret, & nihil prætermitteret, quod ad Divinum cultum, & Ecclesiæ munditiem conduceret, illud sæpissimè usurpans: *Domine, dilexi decorem Domûs tuæ.* Urgebat, inquam, Petrum adeò hæc Charitas, ut quamvis plurium negotiorum pondere gravatus, Civitatem quotidie, ac Domos egenorum, afflictorum, & infirmorum indesinenter lustrasset, magna tamen Deo

Charitas in Deum.

debita obsequia nunquam præterierit, nam Divinis Officijs persolutis, Missâ quotidie celebratâ; adhuc etiam, seu stando, seu incedendo, seu quovis alio modo, prout poterat, septem Psalmos pœnitentiales, Officium Defunctorum, Psalmos Graduales, Officium B. V., ejusdem Coronam, sicut & Domini Nostri Jesu Christi, & Litanias nullâ non die recitabat, quin ullum temporis momentum otiosum præteriret.

Divini amoris zelo incensus tum privatim, tum publicè blasphemos acerrimè objurgabat, eòque aliquando processit, ut in juvenem quendam quantumlibet improbum, & armis instructum alapam impingere vel in Foro veritus minimè fuerit, quin Juvenis ille in Petrum ullatenus insurgeret, cujus tanta erat apud omnes sanctitatis opinio, ut nullus plerunque ei adversari, vel ipsum injurijs afficere auderet, sed potiùs è contra improbæ indolis homines Petrum accedere advertentes vel in melius colloquia converterent, vel inde recederent. Eodem zelo ductus maximè semper studuit, ut Sacras Basilicas debitâ veneratione prosequerentur Fideles, & ad eorundem pietatem excitandam in id potissimùm incubuit, ut longè decentiùs quàm fieri posset Ecclesiastici Ritus, & cæremoniæ servarentur, & sacrâ supellectili munificentissimè adornarentur. Hic autem profectò attexere obiter juvat ad insignem opinionem ostendendam, quam de ipso communiter conceperant omnes, quòd cùm argenteam Crucem maximi pretij Ecclesiæ nostræ parandam curasset, neque satis illi foret, quo Aurifici satisfacere posset, à D. Gasparo Bozi Patricio Senensi petijt, quòd sibi centum scuta mutuò daret Aurifici erogandа. Gaspar autem nullum à Petro hujus mutui testimonium exegit, quinimo vitâ functo paucis subinde mensibus Petro, Patribus nostris Senensibus, qui de mutuo hoc certiores Gaspari satisfacere omnino volebant, reposuit: curæ vobis non sit de hujusmodi mutuo Patres; ipse Petro sum debitor, quòd Viris Sanctis in cœlesti patriâ regnantibus perpetuò debent Viatores.; pecunia ergo vobiscum sit, ac Petrum potius deprecemini, quòd sicuti cum adhuc nobiscum degeret Confessarium mihi se præbuit, & Patrem spiritualem, ita et cùm modò in Cœlis regnet mihi sit Patronus, ac Tutelaris. Prætereà cultum maximè promovit erga Sanctorum Reliquias, hinc plurimùm laboravit pro constructione Processûs quoad cultum B. Joachimi Piccolominei Senensis confecti, vi cujus Paulus Papa V. Officium ejusdem Beati cum Lectionibus proprijs Ordini nostro ann. 1609. indulsit. Incorruptum verò corpus B. Francisci Patritij, quod antea in Arcâ jacuerat nimis humili, in Arcam decentiorem transferendum curavit, ipsoque enixè petente, & Camillo Burghesio Archiepiscopo Senense instante habita fuit secunda hujus Sacri Corporis Translatio insigni celebritate, & ingenti

ti populorum etiam è suburbijs confluentium concursu.

Summo Pontifici eodem zelo commotus morem gerere quammaximè studebat, quem tanquam Christi Domini Vicarium in terris habens, quoties ipsum nominari audiebat, demisso capite venerabatur, & quamvis pro Sanctæ Sedis Immunitate ipse minimè scripserit in angustijs eo temporis notissimis, auctor tamen fuit, quod alij, & quidem primi nominis in Ordine nostro Theologi è varijs Nationibus scripserint, Valerius nimirùm Seta Veronensis, Augustinus Vigianus Florentinus, Alexander de Urbe, Christophorus Galgani de Senis, Balthassar Bolognetti de Bononiâ, Lælius Balleoni de Florentiâ, Deodatus Ducci à Burgo S. Sepulcri, & Antonius Vissoius de Corneto.

Eximia hæc Petri Charitas sive in Deum, sive in proximum nobis facillimè suadet, quòd nullam ipse prætermiserit diligentiam, nullam ex Divinis Artibus neglexerit, nil intentatum reliquerit, ut in dies magis illa cresceret, ac magis, & nunquam vel tantillum excideret è suo corde. Cùm verò satis perspectum haberet, quòd ad excolendam, fovendam, augendam charitatem, & ab insidijs Dæmonum vindicandam inter cætera maximè confert opportuna corporis extenuatio, orationis, & aliorum hujusmodi operum usus, propterea hanc vitæ methodum sibi exactè servandam proposuit. Frequens in jejunio, in vigilijs, in oratione assiduus, perpetuo cilicio cum ferreâ catenâ in servitutem redigens Corpus, super nudos asseres cubans, abstinens omninò à carne, & vinum nonnisi parcissimè bibens, unde invictus Christi miles inimicum facillimè fugabat. Adeò familiare *Vitæ austeritas.* ipsi erat jejunium, ut per integras ferè Quadragesimas, & dies Dominici Adventûs, necnon reliquas anni vigilias, fabis tantummodò, lupinis, castaneis, vel pomis aquâ vix additâ, absque pane, exceptis Dominicis diebus, vesceretur. Præterea qualibet Feriâ sextâ, necnon quolibet Sabbatho tot us anni pane tantum, & frigidâ sese reficeret; & præter generalia Ecclesiæ, vel Ordinis jejunia, Quadragesimalia quædam servaret modò in honorem S. Angeli Custodis, modò S. Spiritûs, modò SS. Crucis, & singulis Ferijs secundâ, & quartâ cujuslibet hebdomadæ jejunium pariter exerceret, & ut plurimùm in suis jejunijs à potione qualibet abstineret. Quin etiam ferunt nonnulli, præsertim verò P. Bartholomæus Mazzantini Senensis ejusdem Ordinis, & ejusdem Petri Confessarius, uno tantùm pane, eoque ex furfure confecto, reliquis omnibus cibis exclusis, per totum sacræ Quadragesimæ cursum corpus suum extenuatum, & lacerum conservasse. Si qui verò nimium ejus rigorem reprehenderent, blandè subridens respondebat: Asellum suum recalcitrantem coercendum esse, ut sarcinam, prout par erat, portaret. Duas autem sarcinulas ad proximum fovendum appellabat linguam, & manum; linguam sanè ad confortandum, suadendum, & corrigendum, manûs verò ad subveniendum, & reficiendum; quibus charitatis officijs animum proximi simul excolebat, & corpus confovebat. Hinc factum est, quòd cùm Philippus Ferrari Alexandrinus Ordinis nostri Generalis in visitatione Illius Cœnobij Senarum Petro, qui opiparam mensam pro Visitatoribus è suorum domesticorum largitionibus pararat, & ipsis inservire statuerat, mandasset in virtute salutaris obedientiæ, ut unà cum eis accumberet, & de paratis dapibus comederet, Petrus humiliter obediens, parcissimè tamen comedit excusans se, quòd renuentem sui corporis Asellum nonnisi modicè posset cibis illis non assuetum onerare; præstò tamen sibi esse ad januam Cœnobij vadem dixit, qui reliquias Mensæ maximè indigens expectabat. Præterea caligas non adhibebat, laneâ subuculâ cum femoralibus, ac tunicâ tantùm brumæ tempore, ut frigoris molestias magis sentiret, utebatur; è contra verò diebus æstivis cum Sol fervet in Syrio, pannis gravioribus, ut æstûs incommoda securiùs experiretur, de industriâ se induebat, ex quo & è conditione humili indumentorum, necnon ex ultroneâ summâ paupertate, quàm sibi contemptibilis esset, luculentissimè dignoscebatur.

Quo pariter tempore Bacchanalia carnis privij per Urbem habebantur, & omnes ad spectacula properabant, Petrus intra septa Monasterij solus, & meditabundus sepulcra Defunctorum penetrabat, pijs soliloquijs arida illa ossa alloquebatur, recentiora cadavera contrectabat, signo crucis communiens, sacris interim suffragijs Defunctorum illorum Animas juvans simul, & Dæmonis artes, ac seculi vanitates eludens, sibique solùm, & Deo hac ratione satis plenè factum arbitratus. Quâ ratione planè divinâ Dæmonum artes eludere consueverat, quoties ipsum ad turpia incitare non verebantur, specie præsertim aliquando pulcherrimæ cujusdam nobilis Fœminæ Senensis incessanter objectâ, cui in extremis laboranti præstò fuerat. Cùm autem Petrus exercitationibus hujusmodi corpus suum domuisset in gravem incidit morbum, ex quo necesse fuit, ut Medici illum attrectarent, qui ferream laminam super ejus lumbos deprehensam, & carni conglutinatam vix exinde, nec sine magno dolore extrahere potuerunt, quem cingulum veluti quid pretiosissimum apud se retinere curavit Joannes Baptista Piccolomineus Metropolitanæ Senensis Primicerius, & ipsius Petri familiaris. *Gravis ejus infirmitas* Verùm Petrus ex eâ infirmitate convalescens cingulum alium ferreum majoris etiam ponderis, & asperitatis sibi super nudum imposuit, quem jugiter usque ad mortem gestavit, & post ejus obitum Patres pari modò carni conglutinatum deprehenderunt. In hac verò vivendi consuetudine cùm vix ad

annum

annum ætatis suæ 41. pervenisset, ob inediam, & alias hujusmodi austeritates, vitibus naturæ ipsi deficientibus, in febrim ethicam paulatim incidit, quam tamen ab initio negligens, tum ne delicatus nimiùm videretur, tum ne à consuetâ vitæ suæ methodo recedere cogeretur, pietatis officia, prout moris erat, exercebat, donec ingravescenti sensim morbo illum succumbere necesse fuit.

Pluribus à Deo, iisque insignibus, donis prædirum fuisse legimus, dono quidem scientiæ, ex quo licèt in literis vix exercitatus, quique earundem studia pluribus ab annis omiserat, dubia tamen etiam Theologica, & quidem maximi momenti adhibito tantùm orationis studio resolvere consueverat, quod præceteris contigit nobili viro Senensi Andreæ *della Ciaia*, cui dubium quoddam quoad fidei dogmata gravissimum proponenti, illicò Petrus B. Virginis implorato præsidio per Habitûs osculum dubium ipsum eâ elegantiâ, & claritate resolvit, ut Andreas admirabundus cœlestem in Petro doctrinam suspexerit, qui solutionem hanc à celebrioribus quoque Senensibus Theologis nunquam assecutus fuerat. Opuscula quædam spiritualia scripsit, duo verò potissimum, quorum primum inscribitur: *Conforto de' Peccatori*; Alterum verò *Soliloquij*; quæ licèt Papirius Mansueti, ex quo ista colligimus, apud se esse originalia testetur, seque eadem in lucem quantocyùs editurum, edita tamen fuisse adhuc me latet. Dono prætereà Prophetiæ refulsit, quo D. Uraniæ de Checconis, sive de Sanis, Alumnæ suæ, quòd Romam profectura esset, & remotiores alias partes aditura, futuramque sanitatem ex diutino morbo, quo affligebatur, prędixit, quæ sanè comprobavit eventus. Item eodem spiritu altiora alieni cordis arcana ex eorum vultu discernebat, & in supremâ sui infirmitate pluribus mortem prædixit, & sibi, longè antequam ipsam obierit. Cùm aliquandò pauperi cuidam animam agenti adesset apud Ecclesiam commendatam S. Leonardi à D. Julio Corti Patricio Senensi graviter decumbente vocatus, spiritu prophetico commotus respondit, quòd longè potiori jure pauperi illi adesse eo temporis deberet, qui majori necessitate tenebatur, & re ipsâ paucis horis elapsis pauper ex hac vitâ migravit. Bartholomæa Bertini Cardavelli Petrum adierat opem sibi, suæque Familiæ graviter egenti postulatura, id tamen minimè præstitit præ verecundiâ; cùm autem Domum rediens Filiolos fame penè enectos, & inconsolabiliter gementes obvios habuisset, graviter & ipsa commota accedentem ad Domum advertit Religiosum quendam Servitam, qui Petri nostri nomine portionem quandam panis ministravit, statimque recessit, ex quo tum Bartholomæa, tum ejus Conjux tanquam ratum habuerunt, & Papirio Mansueti testati sunt, quòd eorum necessitates Petro ex vi prophetici spiritûs innotuissent. Dono quoque curandi infirmos præditum fuisse è superiùs dictis cognoscimus de Magdalenâ Bertini Nobili Senensi, & aliis.

Dona à Deo collata in Petro.

Futura prædicit.

Plures è Senensibus tum Divites, tum pauperes de adversâ Petri valetudine angebantur, eum frequenter adibant, optima consilia, & benedictionem ab eo recepturi; præcæteris verò Archiepiscopus Burghesius de imminenti Petri obitu sæpè conquerebatur, & vel per se, vel per Familiares illum invisebat. In hoc discrimine constitutus Petrus adduci vix poterat, ut carnem sumeret; cùm autem præfatus Archiepiscopus Ficedulas quasdam ad illum misisset, easque in cibum illi parasset Urania prædicta, cùm vix unam gustasset, præsente P. M. Francisco Rughesi Polliriano Ordinis nostri in Thusciâ Præfecto, tanquam gravissimi criminis reus pœnitens: *Hei mihi*, exclamavit, *qui tantam ex hujus volucris comestione voluptatē percepi, ut Asello morem gererem meo. Eja Pater hoc mihi peccatum, quæso, per absolutionem dimittas*. Accedente interim B. P. nostri Philippi solemnitate, Petrus in ejusdem pervigilio sacris de more munitus, Sacratissimum Christi Domini latus, cujus imaginem præ manibus tenebat, identidem osculatus in hæc verba erupit: *In nidulo meo moriar, & sicut Palma multiplicabo dies*. Post hæc facultate loquendi destitutus, sed animo roboratus, grave cum Dæmone luctamen interiùs iniit, per diem integram profecutus; paulatim corporis viribus, & facultate loquendi deficientibus, cùm tamē minimè deficerent gestûs quidam, & suspiria, quæ agonem prædictum declarabant eo ferè modo contingere, quo B. Patri Philippo in eodem mortis discrimine contigisse referunt historiæ. Interim Patribus Cœnobij astantibus, præcæteris autem Bartholomæo Mazzantini, & Christophoro Galgani preces ab ipsis persolvendas diabolico certamini accomodatas præmonentibus, necnon pluribus è Civitate etiam claritate Generis conspicuis, maximè Camillo Burghesio Archiepiscopo, & Joanne Baptistâ Piccolomineo Primicerio. Etsi verò plurimi in Cellulam Petri morientis hac ratione confluerent caniculari-bus illis diebus, nihil tamen graveolentiæ ex Petri corpore acceperunt, quantumlibet ipsi proximè adhærerent, qui potiùs sanctitatem præseferebat, & jucunditatem. Famâ per Urbem effusâ de supremo Petri agone, plures Deo acceptissimi Viri, & Mulieres Orationum præsidio illum juvare studebant; præcæteris verò Soror quædam Tertij Ordinis nostri nomine Maria Domino addictissima diu pro Petro fusis precibus, tandem affulgens, quasi Prophetico spiritu commota exclamavit: *Deo gratias, victoriam assecuti sumus, Petrus Dæmonem vicit, ac triumphans in Cœlum ascendit*: Quâ sanè horâ Petrus spiritum Deo reddidit in die Festo prædicti P. N. Philippi, quem dum viveret imitari exactè studebat, die nimitum 23. Augusti anno salutis 1610.

Obitus Petri.

1610. Subinde Archiepiscopus Camillus oculis in Cœlum elatis hæc dixit *Pater Petre ora pro me*; eoque affectus dolore fuit, ut plures adhuc dies exhilarari nullatenus potuerit, quinimo temperare sibi non valens à lachrymis Servites astantes admonuit, quòd apud ipsum ritè instarent pro construendo processu de sanctitate vitæ, rebusque gestis à Petro, seriò ipsis pollicitus, quòd Beatificationem ejusdem apud Paulum Papam V. impetrare studuisset.

Cum verò defuncto Petro pararentur exequiæ, & universa Civitas ad Ecclesiam nostram turmatim confluerer, adfuit etiam ibidem unà cum reliquis Ordinis nostri Tertiarijs Bartholomæa Bertini de Cardavellis Mulier piissima superiùs memorata, quæ pluribus deflebat Patrem Pauperum, & Consiliarium Civitatis amissum, & ipsius præconia coram omnibus elatâ voce prædicabat: Quæ cùm diceret extasim quandam passa, lætabunda tandem exurgens inquit: *Eia Sorores nostræ, vidi Petrum nostrum in Cœlo gaudentem.* Corpus per triduum super Feretrum in Ecclesiâ publicè expositum remansit, ut Populo satis abundè fieret eò certatim accurrenti, ejusque indumenta, vel etiam capillos, & pilos impetu facto rapientibus alijs tanquam aliquid in summo honore habendum. Hinc opus omnino fuit, ut iterum illud alijs vestibus cooperirent; alijs verò varios florum fasciculos ejus corpori admoventibus, non mediocri spe fretis, quòd superna vis ex illo in flores transfusa, varijs eorum necessitatibus esse posset adjumento. Dum hæc agerentur, cùm plures à nefarijs spiritibus exagitati eò confluerent, nullus ex illis ad loculum feliciter accedere poterat, magnos clamores emittentibus malignis illis Spiritibus, necnon præsentiam Petri verentibus, ejusdemque sanctitatem restantibus. Literis autem exprimere quonam doloris sensu, quave lachryma rum copiâ Petro parentaverint pauperes, quem sibi Patrem experti fuerant, & prædicabant, satis planè non sum. Tertio denique die venerabile ejus corpus publicè per Urbem magnâ celebritate delatum fuit, pluribus sacrorum omnium Ordinum Regularibus ipsum associantibus, & in Arcâ duplici recondirum, tumulatum fuit in sepulcro Sacerdotibus nostris designato.

Exequiæ.

Miranda.

His pariter diebus Urania alibi memorata propter obitum Confessarij, & familiaris sui vehementer dolens, præter indesinentem, ac diutinam infirmitatem, quâ premebatur, oestro quodam percita in hæc erupit: *Heu bone Deus quandiu languorem hunc patiar?* Quibus dictis obdormire vix cœpit, cùm Petrus ei in somnis apparens, fasciculum ex diversis floribus contextum, & poma quædam illi exhibens, blandoque aspectu dixit: *Ecce, Urania, meos flores, & fructûs, quos Tibi detuli, accipe libenter in manibus.* Dum verò ipsa putat se flores, & fructûs recipere, spinas pungentes statim advertit præ manibus habere, & E ab ijsdem transfigi; cui subridens Petrus inquit: *En Urania credis te posse flores, & fructûs Paradisi ante spinarum punctiones adipisci? falleris quidem, per sapium punctiones hortum adire oportet Paradisi.* Quibus habitis evanuit somnium, expergiscitur Urania, ipsâque die incolumis è Lecto exurgit. Plura adhuc procedente tēpore Senis innotuerunt post obitum Petri omnino memoranda. Doloribus affecta malè se habebat eadem Urania, ita ut vitæ longioris impatiens mori potiùs appetere videretur; quod animadvertens Petrus, qui eo temporis nondum è vivis excesserat, misericordiâ motus super eam, ut morbum illius in se transferret, B. Joachimū nostrum Piccolomineum æmulatus, Deum F exoravit, nec sanè frustra; siquidem paulò post convalescente Uraniâ, Petrus eo premitur morbo. Post obitum verò Petri eadem Urania memor, quòd ipse dum viveret, in Festo Apostolorum Petri, & Pauli ex domesticorum suorum muneribus epulas quasdam cum Fratribus suis grati animi ergo parare consueverat ipsis aliquantulum recreandis, ejus vices in exercendo hujusmodi humanitatis officio obire decrevit. Prædictâ igitur die anno salutis 1611. duos cophinos varijs comestibilibus refertos ad Monasterium nostrum Petri nomine deferri mandavit, proximè sequenti die se videndum illi præbuit Petrus, qui pulcherrimum Puerum præ manibus habens hilari fronte sic ei loquutus est: G *Plurimùm tibi debeo, Urania Filia, & Tibi gratias ago, propterea quòd heri Fratribus meis eleemosynas erogaveris;* quibus dictis evanuit. Aliâ quoque vice eidem Uraniæ apparens præcepit, quòd in Matrimonium cum Filio suo Francisco D. Sylviam de Forteguerris copularet, non vulgaris enim ex hoc coniugio bonorum copia, & Filiorum laudabilis series ipsis erat obventura; cui sanè præcepto morem gerens omnia sicut prædixerat Petrus experta fuit.

Urania sanatur.

Apparet D. Uraniæ, & alijs.

Apparitiones Petri.

Die 3. Augusti 1612. circa quartam noctis horam P. Cosmo Bartolini Ordinis nostri gravissimè Senis ægrotanti apparuit Petrus, quē statim à se rejecit, & ut inde abiret adhibitis etiam iniurijs verbis contendit, quippe qui H Petrum semper despexerat. Petrus autem, quem Sanctus alter comitabatur, & piè creditur S. Sebastianus, prout Patri cuidam è nostris Senensi die proximè sequenti adamussim narravit Catharina Ordinis nostri Tertiaria, utique nonnisi divinitùs edocta, cùm adhuc res ista soli Cosmo comperta esset; Petrus, inquam, permittens, quòd Cosmus malo huic genio satisfaceret, subinde verò cœlestem adhibens loquendi methodum, ait se eò advenisse, ut illius animæ, æternæque saluti consuleret, adeoque ut prævio superno lumine ab ejus mente amoveret sinistram, quam diu conceptam fervaverat, de ipso opinionem. Hinc denique Cosmus tactus dolore Cor-

P. Cosmus Bartolini sanatur.

cordis intrinsecus, veniam humiliter ab eo
A petijt, necnon, ut se à gravi illâ molestiâ
eximeret, quam ex urinâ per triduum inte-
grum retentâ subibat, cui protinus satisfecit
Petrus, ac reverâ maximam arenæ copiam u-
nà cum urinâ emisit; quoties autem urinam
excernere cupiebat Cosmus invocans Petrum
gratiam assequebatur. Hæc ipse Cosmus Pa-
tribus nostris, necnon Cypriano Casolani, &
Angelo Card. Medicis liberè referebat, te-
status, quòd Deus omnino voluerit se Petro
illud reverentiæ, & honoris, quod antea ne-
glexerat, antequam moreretur, delaturum.
Obijt autem quàmmaximè contritus, Sacris
omnibus munitus nocte duodecimam Augusti
diem præcedente, & in extremò mortis arti-
culo si quis illi Petrum repeteret, ipse, licèt
B loqui non posset, varia tamen nutibus lætitiæ
interioris argumenta indicabat,

Victoriæ Filiæ Bonini Pistoris graviter de-
Apparitio, & revelatio. cumbenti anno 1611. die 24. Januarij conspi-
ciendum se præbuit Petrus, ejus, dum in ter-
ris ageret, Confessarius, postquam verò diu
secum collocutus fuerat, proximè recessurus
hæc ei dixit: *Hilaris esto Filia, quòd crastinâ
die hac ipsâ horâ cœlesti mecum gloriâ potieris*;
quod ita reipsâ contigit, vesperè enim se-
quente in osculo Domini obijt. Præter hæc
aliæ adhuc gratiæ, eæque mirabiles, ejusdem
Petri intercessione varijs temporibus contige-
runt, quas in unum collectas modò placet re-
censere.

Alexander Pesci Cancellarius Magistra-
1 tûs Conservatorum Urbis Senarum gravissi-
Alexander Pesci statim sanatur. mis pressus doloribus aliquam Petri Reliqui-
C am à D. Francisco Meocci Nobili Senensi si-
bique amicissimo petijt, spe fretus sanitatem
Petri meritis assequendi, prout reipsâ assecu-
tus statim fuit.

Anno Jubilæi 1600. cùm Romam adijsset
Petrus, tanquam alter ex Correctoribus Socie-
tatis SS. Trinitatis Civitatis Senensis, Senas
rediens die 23. Maij post meridiem, cùm un-
2 dique ingruerent pluviæ, superato flumine,
Petrus cadens servatur illæsus. quod nuncupatur *la Paglia*, montem ascen-
dens Radacophanum Vexillum equitans de-
ferebat. Equus offendit, & Petrus proinde
adeò terram versus se demisit, ut erigere se
viribus naturæ non posset; se tamen illicò e-
rexit dicens: *Nisi mihi præstò fuisset, qui opem
D ferret, procul dubio cecideram*; palàm autem
omnibus erat, quòd nullus è circumstantibus
opem tulit, quapropter tanquam ratum om-
nes habuerunt, quòd nonnisi Divinitùs opem
recepisset. Cujus rei testimonium tulit die 18.
Septembris anni 1622. Victorius quidam Ar-
changeli ibi præsens.

Senis pariter anno Domini 1613. Soror
3 quædam Tertij Ordinis nostri nomine Catha-
Ordinis nostri soror convalescit. rina diris in stomacho afficiebatur doloribus,
quapropter ad Intercessionem Petri confugi-
ens, stomacho superposuit chordulam quan-
dam, quam ex Petri Reliquijs servabat; con-
festim dolor omnis abscessit, & incolumis

prorsus ipsa è cubili surgens Petro gratias e-
A git. Quod pariter experta est Justina Hiero-
nymi Bondoni Coniux, quæ mense Aprili e- 4
jusdem anni ijsdem affecta doloribus, admotâ *Item Justina Bondoni*
corpori particulâ quadam ex vestibus Petri,
cui se ex animo commendarat, ab ipsis statim
libera remansit.

Anno 1622. die 24. Augusti Sanctimonialis
quædam in Monasterio, quod Senis dicitur 5
De vita æterna, nomine Maria Angela Camil- *Soror Maria Angela Perini fluxu sanguinis laborans.*
li Perini Filia fluxu sanguinis laborans, cum
alimentum sumere non posset, & de ejus salu-
te conclamatum esset, Petri reliquias enixè
postulavit, quas venerata, & pluribus osculis
delibans eò statim valetudinis processit, ut
brevî incolumis prorsus evaserit.

Die primâ Septembris eodem anno Petrus
B in somnis apparuit Justinæ Hieronymi Bon-
doni uxori, quæ cùm Filiolum haberet nomi- 6
ne Horatium febri graviter laborantem, Ip- *Filius Justinæ Bondoni*
sum illi etiam atque etiam commendavit.
Expergiscitur, & memoriâ repetens appari
tionem prædictam, Filiolum vocat, quem pau-
lò antea febri vexatum reliquerat, & incolu-
mem omnino deprehendit, qui proinde eâ-
dem die ad Petri Sepulcrum gratias acturus
accessit, eleemosynam præbens pro celebra-
tione Missæ pro gratiarum actione.

Nocte quadam circa Festum Nativitatis
Domini Baptista Bini Celsi Guccij Notarij
Coniux febri gravissimè laborans, insuper in-
tolerabili affecta dolore in manu dexterâ pro-
pter morbum quendam pestiferum, qui dici- 7
tur *del Pino*, quique nullam vel minimam il- *Baptista Bini.*
C li quietem permittebat, Petro se commenda-
vit, & protinus fulgorem quendam, ac si è
Sole ipso proflueret intra suum Cubiculum a-
spexit, & manum prædictam ab aliquo, quē
ipsa non viderat, contrectari advertit, quo sa-
nè momento circa decimam noctis horam
cessavit penitus dolor, recessit febris, & Ba-
ptista incolumis prorsus evasit.

Die 17. Decembris ejusdem anni 1622. de-
lata fuit Sacristæ nostro quædam eleemosyna
pro celebratione Missę, quâ gratiæ Deo age- 8
rentur, & Petro, quoniam Æmilia Mealli *Æmilia Mealli.*
Petri Antonij Vieri Notarij Uxor moribunda
decumbens, cùm se prædicto Petro voto ob-
strinxisset, sanitatem quàmcitissimè recepe-
rat.

D Die 12. Februarij 1623. Vir quidam nomi-
ne *Fiore* Dominici Filius de Monte Varchi
domicillum habens Senis, cùm annum in- 9
tegrum dolores gravissimos in pede sinistro *Fiore Dominici Filius.*
passus fuisset ob quasdam plagas, quibus ibi-
dem affectus erat, Petrum invocans sibi pro-
pitium fore confidens gratiam assequitur sa-
nitatis, & ab omni prorsus eximitur dolore.

Catharina Antonij Linarij Filiolum suum 10
penè moriturum Petro commendans, voto *Catharinæ Linarij Filiolus*
vix emisso, ipsum omnino convaluisse proti-
nus vidit anno 1623.

Claudius Friderici Checconi nobilis Se-
nensis Filius mense Aprili ejusdem anni acutâ

11 *Claudius Checconi* febri laborans, & cui conclamatum à Medicis fuerat, Petro commendatus à Genitrice, illicò incolumis evasis, ideóque votum argenteum eidem Petro obtulit.

12 *Prosper Meocci* Prosper etiam Filius Francisci Meocci nobilis Senensis eodem anno die 18. Septembris illicò incolumis evasit à febri, quâ laborabat, cùm ab Uraniâ Checconi Avâ suâ Petro commendatus fuisset.

13 *Christophorus Guasti* Eodem anno Christophorus Guasti Aromatarius Senis pestiferâ febre correptus Medicorum subsidio destitutus, sed à suis Sororibus Petro commendatus sanitatem integram brevi recepit.

14 *Piera de Senis.* Apostemate quodam laborabat enormiter insigni Piera de Senis olim famula Equitis Julij Corti, cui tamen Chirurgi curam adhibere nunquam voluit præ verecundiâ, quoniam F verò mirum in modum augebatur, Petri præsidium imploravit, & voto vix emisso die 28. Aprilis anni 1624. æquè libera, & incolumis evasit, ac si nihil unquam mali passa fuisset.

15 *Bernardina Sperandio.* Bernardina Uxor Sperandio Gallitiæ Romæ degens anno 1628. Mense Martij, vehementibus angebatur stomachi doloribus; cùm autem ei in mentem subierit Petrus ejus olim Confessarius Senis, ipsum eximiâ Religione invocare cœpit, nullóque humanitùs adhibito remedio statim incolumis evasit, quemadmodum aliàs ejusdem Petri invocatione à gravi quodam exempta dolore fuit, quo sinistrum ejus brachium laborabat.

16 *Urindia Brunamontani* Urindia Brunamontani D. Julij Petrucci G Coniux Medicorum ope destituta animam agebat, & voces proferre non poterat anno 1630. verum Petro commendata sanitatem integram brevi recepit.

17 *Volumnia Brunamontani* Volumnia Brunamontani Hieronymi Spannocchij Uxor vehementibus pluries corporis affecta doloribus ad unicum contractum Pileoli Petri nostri, quem Servitæ Senenses apud se custodiunt, libera semper evadebat. Quæ Volumnia die 24. Julij 1631 nostro illi Cœnobio Senensi septuaginta scuta eâ lege donavit, quòd à sui, suæque Filiæ Margaritæ obitu, Urna marmorea ibidem in Ecclesiâ excitetur in honorem ejusdem Petri appositâ sequenti inscriptione.

H Patri pauperum Petro de Bertis Servitæ Senensi Volumnia Brunamontana Spannocchia ex voto p. c. anno, &c.

Donationis hujus contractu rogatus fuit Ser Crescentius Vaselli. Id autem præstitit ob sanitatem divinitùs receptam Petri intercessione, quæ morti proxima videbatur.

18 *Soror Felix Venturi* Soror Felix Venturi nobilis Senensis in Monasterio S. Petronillæ Monialis præ diuturnâ Infirmitate Pthisi laborabat, quin ullum ei levamen afferrent quæcunque artis medicæ opera, sed Petri intercessione statim convaE luit.

Joannem Baptistam Piccolomineum Romæ ægrotantem Urania Checconi pluries memorata Petro maximè commendavit; nec sanè frustra, nam brevi ipse convaluit. Hic autem ille est, qui morienti Petro prestò fuerat, deinceps verò Salaminæ Episcopus consecratus fuit. 19 *Joannes Baptista Piccolomineus.*

Cùm P. Philip. Mõteboni Servita equo vectus flumẽ quoddã nuncupatũ *Asso* parùm distans à Torrenieri superare contenderet, propter aquarum alluvionem maximè tumidum unà cum equo, & infra ipsum elapsus est, ubi excreverant aquæ ad altitudinem trium ferè ulnarum. In hoc discrimine eùm se Petro cõmendasset, expeditus illicò à stapedis ab aF quarum torrente per notabile spatium ita deferebatur, ut ipsum demergendum fore omnes, qui ad ripam aderant, pro certo haberent. Verùm quin unquam ipse aquis obrueretur, ad ripam eandem accessit, modum, quo id contigisset, ignorans; nullus enim ex astantibus opem ipsi tulerat, sed Petro duntaxat totum hoc referebat acceptum, quem jugiter invocabat. Addere quoque juvat aliud quidpiam mirabile, quòd cùm omnia, quæ apud ipsum erant, aquis prorsus imbuta forent, frustulum quoddam duntaxat Chartæ, quo Reliquiæ quædam ex vestibus Petri involutæ erant, non madidum prorsus evasit, quamvis obrutum aquis fuisset. 20 *P. Philippus Monteboni.*

In Castro, quod dicitur Bonconventum, G per duodecim milliaria Senis distante D. Aurora Gucci nobilis Senensis tres menses continuos cùm graviter decubuisset, ita quidem, ut quoties è cubili extrahenda foret, hoc aliter fieri non posset, quàm ipsam apprehensis pedibus trahendo. Certior deinde facta, quòd D. Urania Checconi proxima Castro eo temporis erat ad se adducendam curavit, quò cùm illa advenisset, & miranda quæcunque Petri meritis quotidie ab Altissimo perpetrarentur diligenter enarrasset, ut Auroræ votis satisfaceret, hæc ipsâ die Mense Majo voto se obstrinxit eidem Petro, quòd & Missam celebrandam mandaret, & ad ejus sepulcrum gratitudinis appenderet monumentum; quibus peractis Ecclesiam ejusdem Castri post duH os dies invisit gratias pro gratiâ sanitatis adeptâ Deo relatura, & Petro, quem ex nimio reverentiæ affectu Sanctum appellabat. Monumentum prædictum ob oculos ante sepulcrum ejusdem Petri eo temporis omnibus erat, & eleemosyna pro Missâ in sacristiæ libro conscripta conspicitur. 21 *Aurora Gucci.*

In eodem Castro iisdem ferè diebus Margarita Piochi se commendans Petro libera prorsus à gravi infirmitate, quâ laborabat, brevi evasit, cujus pariter monumentum votivum expositum publicè erat, & eleemosyna pro Missa in iisdem libris apparet. 22 *Margarita Piochi.*

In Monte S. Sabini Puer quidam nomine Petrus Angelus Ludovici de Petrangelis Filius

23 *Petrus Angelus de Petrugelis.* lius malignâ febri laborans nullo artis medicæ opere ipsum juvante in extremo vitæ discrimine constitutus jacebat. Cùm verò Sacerdos quidam Archangelus de Tubis ex eodem Loco Puerum inviseret, quem propediem tumulandum crederent omnes, eximiâ conceptâ spe frustulum quoddam Habitûs Petri detulerat, quod puero super impofuit illum hortatus, ut se Petro commendaret, suamque in eum fiduciam collocaret, quo facto Puer ex illâ lethali infirmitate statim convalescere cœpit, & brevi sanus penitus evasit.

24 *Pompilius Pannellini.* Hactenus recensita beneficia in salutem corporis cedunt, pluris autem habenda videntur, utpote ad Animæ salutem spectantia, quæ recensenda modò supersunt. Vir quidam nobilis Pompilius Pannellini decem, & octo annos continuos cum fœminâ pariter nobili turpem consuetudinem habuerat, quam dimittere nunquam potuere, etiamsi plurimùm operæ impenderint, minas quoque intentando Confessarij, & Sacri Oratores. Vix autem Petri præsidium invocare cœperunt, cùm in melius mutato consilio sanctum Matrimonium ad invicem canonicè inierunt, in cujus beneficij testimonium eleemosynas erogarunt, & vota argentea appenderunt.

25 *Lepidus Perfetti.* Lepidus Perfetti lethali pressus infirmitate, sed criminum suorum minimè pœnitens mortem subire molestè ferebat; Petrus verò cùm præstò illi fuerit, opportuno verborum apparatu ipsum ad pietatem, & amorem in Deum inflammavit, eâ sanè ratione, ut cùm Petrus inde recessisset, Lepidus dixerit se cum Angelo potiùs, quàm cum homine collocutum fuisse, ac reverâ paulò post maximè contritus virâ functus est, quod anno 1622. die ultimâ Martij contigisse retulit pluribus præsentibus Lucretia Gabrielli ejusdem Lepidi coniux die 10 Septembris 1622.

26 *Monialis delle Sãtucce.* Ab impurissimis quibusdam speciebus Ipsam incessanter vexantibus Petri ejusdem intercessione vindicata prorsus fuit, quin unquã deinceps vexaretur Monialis quædam in Monasterio S. Mariæ Angelorum, quod dicitur Senis *delle Santuccie*.

27 *Religiosus quidam Romæ.* Idem beneficij genus expertus quoque fuit Vir quidam Religiosus in Urbe, postquam quatuor annos specierum hujusmodi subierat molestias.

28 *Detentus quidam Romæ in carcere.* Romæ pariter alter, quem sibi amicitiæ vinculo obstrictum dicit Papirius memoratus, annum integrum Carceri mancipatus, præsertim verò per mensem arctissimo, & obscurissimo carceri, necnon plures dies pedes gravatus compedibus, & ab hostibus undique stipatus, qui eum ad triremes damnare decreverant, innocentiæ conscientiâ fretus, & meritis Petri, cui se commendabat, prædicta carceris incommoda nullatenus sensisse testabatur.

29 *Matthæus è Mõtevarchi.* Matthæus Oppido Montevarchi in Etruriâ Agafo cum fœminâ quadam turpi utens consuetudine, cui dimittendæ par non erat; Se-

A nis aliquando à Petro, qui ejus confessionem audierat, seriò præmonitus, quòd ipsi præsens fuisset, quoties iterum labi non vereretur, ut pœnas de eo sumeret tanquam Divinæ Justitiæ Minister, resipiscentiam vitæ pollicitus fuit, sed pravâ consuetudine victus improbam convénit mulierem, vix autem Domum subijt, cùm Petri minas animo recolens, magno timore perculsus statim inde recessit, quin se pollueret. Item ab Oppido præfato Florentiam aliàs pergens circa secundam noctis horam nigerrimum canem ad se accedere advertit, qui quò propiùs accedebat eò major apparebat, hinc summo horrore correptus Sacram Ædiculam proximam subijt; quia verò Canis illum adhuc insequebatur, Matthæus Petrum invocavit, statimque Ca-

B nis evanuit, ipse verò solutus à metu reliquum viæ feliciter confecit.

Ruggierus Petri quondam discipulus haud mediocriter antea improbus Magistri sui operâ ad meliorem frugem conversus virtutum studio adeò profecit, ut domesticis commodis omnino posthabitis super nudos asseres somno vacare non dubitaverit, aliisque macerationum generibus corpus in servitutem redigere, spiritum verò virtutibus ornare studuerit; cùm verò Victoria Luponi, quæ Ruggieri curam gerebat, asperum hoc vitæ genus advertisset, ex quo macie confectus videbatur, neque ipsum ab eo ullatenus divertere posset, impetu iræ in Petrum acta, cujus consilijs maciem illam referebat acceptam, obvi- 30 *Ruggierus Petri Discipulus, & Victoria Luponi.*

C um die quadam per viam habens, alapam ei in faciem impegit, statim verò Petrus Evangelici Moniti memor alteram ei maxillam præbuit, in quam pariter alapam impegit Victoria, cui subinde Petrus humillimè gratias egit, ipsique à Deo feliciter precara fuit, ex quo heroico Petri opere commota mulier suum agnovit errorem, Petrique virtutem prædicavit.

Papirius idem Mansueti, & Franciscus Patrizzi nobilis Senensis in gravissimis litigiorum angustijs sibi maximè Petrum præsto fuisse passim testabantur, ipsi proinde vota offerentes. 31 *Papirius Mansueti, & Franciscus Patrizzi.*

Die 13. Septembris anno 1630. Petri sepulcrum processionaliter adiere centum Con-

D fratres societatis B. M. *de Valli* singuli nudis pedibus; voto se solventes, quo se obstrinxerant, ut Petri meritis à pestiferâ lue eo temporis Italiam divexante vindicarentur. Anno autem 1631. die 24. Augusti quinquaginta Confratres Congregationis dictæ sexaginta trium idem sepulcrum processionaliter adiere confessi, & Sacrâ Communione refecti gratias Petro agentes, quod ipsos gentemque suam à pestiferâ lue vindicasset. Hi sanè Confratres tantâ Petrum veneratione prosequebantur, ut unanimi sensu decreverint sibi Petri ejusdem Imaginem Portæ majori Ecclesiæ B. M. *de Valli* superpositam salutandam semper fore, quoties Ecclesiam ipsam ingre-

Ingrederentur, quotannis autem Dominicâ ultimâ Mensis Augusti duobus ex illis Confratribus Petri Sepulcrum nudis pedibus invisendum. Plura adhuc, & plura ante Petri Imaginem in Ecclesiâ eo temporis positam appensa conspicerentur vota, sed ob reverentiam Constitutionibus Urbani Papæ VIII. super cultu virornm sanctitatis opinione illustrium ex hac vitâ decedentium paulò antea editis debitam unà cum votis amovenda inde fuit Imago, quæ columnæ adhærebat Aram Principem, & Aram Mantellatarum intermediæ speciatim verò marmori superposita, cui inscriptæ leguntur *Indulgentiæ Confratribus, & Consororib. Societatis Habitûs concessæ*.

Pluries expertum in se fuisse Petri Beneficentiam, & Patrocinium testatur Pater quidam è nostris Senensis, cujus nomini parcere juvat, tum in animi sollicitudinibus, tum in persecutionibus, tùm in falsis Fratribus, tum inter maris procellas in Dalmatiâ maximè anno 1625. tum inter varia discrimina Eridani, aliorumque Fluminum anno 1623. & 1626. tum in gravioribus Infirmitatibus, tum in latronum incursionibus anno 1632. tum in summo vitæ discrimine, cùm ingruente magnâ nivium vi, quà sibi eundem esset non discernebat prope Soanam, tum denique quoties suspendio damnatis præstò esse debebat, omnes enim, ac singulos verè contritos Divinæ Justitiæ obsequentes habebat, quod utique Petri meritis referebat acceptum.

Effigies

Hujus Viri effigies exprimi facillimè potest, si quæ Papirius scripsit attendamus. Petrus ergo staturâ magnus potiùs, quàm mediocris erat, habitu corporis gracilis, & candidus, crinibus tamen, & barbâ niger, quæ duos digitos non excedebat, oculis pariter niger, fronte ampliori, naso aquilino, verbis gravis, & fluidus, voce sonorâ licèt quandoque tenui præ continuis abstinentijs, vultu eâ ratione disposito, ut elegantiam præseferret, & pietatem, vestibus munditiem exhibebat, nullatenus autem vanitatem, quæ nimirum ad integritatem habitûs regularis pertinent; quoad enim reliqua vestium genera sciendum est, quòd loco subucuiæ asperum gestabat cilicium ipsum undequaque cõvestiens, uti suprà dictũ est, femoralia non adhibebat, sed linea tantùm indumẽta, ut operirentur verenda, sicut & caligis non utebatur, sed tãtũmodo calceis. Incessu minimè tardus, sed maximè modestus, oculis ad terram defixis, & pileum gerens ad supercilium usque demissum. Hactenus recensita de P. Petro colliguntur ex ijs, quæ scripsit Papirius Mansueti de Colliscipoli Rector Ecclesiæ S. Balbinæ de Urbe, quæ verò sequuntur colliguntur ex Chronico nostro Senensi.

Vota ad ejus Imaginem appensa.

Anno Domini 1622. instantibus nonnullis Civitatis Senarum Viris primarijs, & Petro maximè addictis in Ecclesiâ nostrâ ejusdem Civitatis exposita publicè fuit veneranda ejus Imago, statimque plura ad ipsum appensa fuere vota pro beneficijs acceptis, scilicet figura pedis chartacei, quam obtulit Fiore de Montevarchi, sicuti & alij superiùs memorati usque ad sexdecim. Anno 1624. die 20. Januarij duo vota argentea oblata fuere, quorum unum imaginem exprimebat Comitissæ Mariæ Uxoris D. Joannis Patrizzi, alterum verò imaginem D. Salderij Patrizzi filij Marchionis Joannis, qui paucos Menses natus Petri meritis sanitatem receperat. Mense verò Aprili alia adhuc tria, nimirum pro Filio Mallio Mazzoni, pro Pierâ Famulâ Julij Corti, & Sorore Felici Venturi supra memoratis. Alia itidem annis sequentibus oblata adhuc fuere, quorum auctores nos latent, sive candelæ, sive eleemosynæ pro Missis, sive vota.

Hæc sanè de Petri, tum cùm viveret, tum post obitum gestis, hactenus dicta sint satis, cùm adhuc alia non suppetant, quæ liceat recensere; quæ tamen ejus momenti sunt, ut neminem deceat de eximiâ Petri Sanctitate, vel minimùm dubitare, quin potiùs maximè deceat omnes ipsam summo studio commendare. Quemadmodum Ordinis nostri Patres in Comitijs Provincialibus Etruriæ apud Politianum congregati anno 1611. præstiterunt, ijs speciatim commoti, quæ eo tempore contigerant, & passim circumferebantur. Cùm enim Defunctorum Fratrum nomina juxta consuetudinem nostram in Capitulo recenserentur, ut eorum animæ debitis juvarẽtur suffragijs, productum vix fuit Petri nomẽ, cùm extemplo Reverendissimus Antonius Vivolus à Corneto Ordinis nostri Generalis ita fatus est: *Eja PP. pro hoc B. Viro non oportet nos modò fundere preces, quin potiùs opus est, ut illum in cœlesti gloriâ triumphantem deprecemur, ut apud Altissimum pro nobis interpellet*.

De sanctitate Petri opinio.

Tanta erat Petri apud omnes existimatio, tanta de ejus Sanctitate opinio, quæ maximè comprobatur ex ijs, quæ Marcus Antonius Amaroni J.U. Doctor Metropolitanæ Senensis Canonicus, ibidemque S. Officij Consultor, & Procurator Fiscalis in extremis agens de Petro testabatur jam ætate grandævus. Cùm enim Amaronus prædictus ita graviter infirmus decumberet de Ven. Petro verba faciens cum suis familiaribus sæpe conquerebatur, quasi pœnitens, quòd Petri Præceptoris, & Consultoris sui pretiosa monita, & consilia segniter, & perfunctoriè prosecutus fuisset, veniam obortis lachrymis ab eo postulans, & ejusdem frequenter auxilium implorans dicere solitus erat: O *Beate Petre intercede pro me misero peccatore apud Dominum Jesum Christum, ejusque pijssimam Virginem Matrem.*

Invalescente jugiter in dies hujusmodi de Sãctitate Petri opinione, paucis ab ejus obitu annis opera quædã Flor. Typis impressa fuisse testatur pluries memoratus Papirius Superiorum permissu, in quibus Petri nomen occurrit titulo Beati apposito, quæ opera tamen quid in specie fuerint non explicat, & P. Ludovi-

dovicum de Montone Inquisitorem Urbis Senarum annuisse pariter testatur, quod eodem titulo apposito Typis imprimeretur ejusdem Petri vita, quam scripserat Marcus Antonius Amaroni illius Merropolitanæ Canonicus, & S. Officij Consultor. In serie Virorum Illustrium apud Ecclesiam nostram Senis expositâ Petrum titulo Beati Insignitum descriptum fuisse non solùm annuit Philippus Ferrarius Alexandrinus Ordinis nostri eo temporis* Prior Generalis, verùm etiam anathemate eos perstrinxit, qui titulum hunc, totamque illam seriem immutare ausi fuissent. Prætetea Aloysia Piccolominea de Aragonâ Comitissa Senis clarissima pluries P. Philippum Senensem è nostris urgere non desijt, quòd Petri vitam Italicè scriptam in lucem edere vellet, eximiâ verò Religione apud se servabat particulam Cilicij, quod Petrus adhibuerat, eique dono dederat idem P. Philippus. Comitissa Portia Sozzini Comitis Ursi de Ilcio Soror cùm à prædicto P. Philippo B. Francisci Patrizzi excepisset Imaginem anno 1624. gratum utique sibi hoc munus testata fuit, longè verò gratius fuisse subiunxit, si B. Petri, quem suum esse dicebat, expressa quoque fuisset Imago. Pluries, & quidem frequentissimè ante Petri Imaginem in Ecclesiâ nostrâ Senis eo tempore expositam accensæ conspiciebantur Candelæ, necnon appensa ex argento, & ex aliâ marcriâ vota à pluribus oblata, qui Petri Intercessione beneficia se recepisse testabantur. Insuper tum Viri nobiles, tum ignobiles eleemosynas P. Marco Aurelio Moretti eo temporis sacristæ in Ecclesiâ nostrâ Senensi offerebant eo consilio, ut Missa de B. Petro celebraretur, Sacristâ verò reponente id fieri non posse, quòd S. Sedes Apostolica Petri cultum nondum approbasset, addebant Missam saltem de Spiritu S. celebrandam esse in honorem ejusdem Petri, cujus meritis beneficia quædam referebant accepta, quæque ab ipsis in specie expressa Annalibus hisce inseruntur. Florindus item Gelli de Castulone de Orciâ Sacerdos secularis certior factus de mirabili gratiâ, quam P. M. Monteboni anno 1622. assecutus Petri meritis fuerat, statim ac fragmentum vestis ejusdem Petri conspexit apud ipsum P. Monteboni positum, cùm alibi memoratum vitæ discrimen evasit, humi provolutus particulam ejus ab eodem enixè petijt, quod assecutus inter alias Sanctorum reliquias non mediocri pietate cnllocavit.

* Anno 1624.

Instantibus Sororibus Agnete, & Franciscâ Petrucci in Monasterio S. Marthæ de Senis Monialibus anno 1632. die 6. Decembris eò delata fuit Petri nostri Imago, & in earum Monialium Choro publicè exposita, quò confluentes Moniales, & aliæ Virgines candelas circa ipsam accensas tenere, varia obsequij genera exhibere, seque eius intercessioni commendare non dubitarunt, ex quo licèt inordinato, & importuno cultûs genere, utpote Constitutionibus Pontificijs opposito, A conijcere fas est, quòd apud omnes insignis de Petro insederat existimatio, non minùs ac è varijs elogijs, quæ in ejus honorem exarata circumscrebantur, è quibus hic placet attexere, quod sequitur à P. Capranicâ Soc. Jesu die 21. Maij anno 1633. editum.

Petrus Bertus
Pistorij unâ obstetricante pietate natus,
unâ educatus
Nutrice Sanctimonia
Romã Ephebus contendit è Patriâ, Civitatẽ hic
Permanentem non habiturus, ut futuram
Inquireret studiosius.
Cælum illud aureum cæteris, ac liberale,
æneum sibi
B *pariter, & avarum expertus est.*
Divites nempe Roma facit, non creat,
Pecuniæ, rerumque omnium penuriâ
adactus, Vitium.
Custos efficitur, improbi custodiâ laboris
Vitium exterminaturus.
Positus quippe Custos in Vineis, vineam ille suã
diligentissimè custodivit.
Diei pŏdus in vineâ portavit, & æstus, nŏ diurni,
Sed æterni mercede denarij remunerandus.
Virtute demum ferente suffragiũ, Terræ hospes,
Cæli municeps, è villâ revocatur in Urbem,
Inimico iterum usus Romano Cœlo periculosum
Incidit in morbum, petito solùm è superis
Pharmaco sanandus,
Convaluit voto sanctioris vitæ nuncupato,
C *Usque adeò ad omnia semper utilis pietas fuit.*
A Virginum Maximâ præmonitus Servorum
Ejusdem Virginis Familiæ
Nomen dedit.
Româ paulò post Florentiam mittitur
Vicinius Virgini salutatæ præstiturus obsequiũ.
Bonarum addicitur studijs Disciplinarum.
Sed unum scire Deũ cupiens, cætera ignarus esse
voluit.
Misso proinde studijs nuncio Senas petit. Hic ubi
Cælum spirare Sanctorum cœpit, sanctitatis
Spiritûs concepit egregios.
Ferreâ statim catenâ sese cinxit, ut arctiùs
Astringeretur Deo.
Præcinctus ita lũbis Dominũ expectabat Servus
Maximè fidelis, ac vigil, ut qui asseres etiam
D *Adhiberet duros somni vigilãtissimi cõciliatores*
Extimis hyeme vestibus indutus, intimè nudus
Incedebat; uno Divinæ flagrans incendio
Charitatis.
Solis æstu sæviente superaggestarum pondere
vestium
Æstûs corpori adaugebat, solo Paradisi zephyro
recreandus.
Cibarium ut hostem longiùs eliminaret, jejunium
advocabat.
Famis Tesserâ usus valde familiari.
Piscem dono datũ in sui æde Victoriæ amplissimũ
Debellatæ Trophæum concupiscentiæ suspendit,
Dum deditâ operâ edendum distulit in annum.
Impostorum calumnijs accusatus ad Innocentiæ
Tri-

Tribunal absolvitur,
Unâ causam perorante
Patientiâ.
Sed qui sibi nullatenus nequam, bonus æquè
cæteris fuit.
Exorato enixiùs Numine aliorum in sese morbos
transtulit,
ut convalescerent.
Novum hoc ægrotantibus propinare Pharmacũ
didicit;
Artem è Cœlo medicam
Edoctus novam.
Æterno Pacis Principi facturus in Pace locum,
Mutuis inter se diffidentes odijs, dexteritate
maximâ conciliabat.
Deserta sordium, ac vepreta criminum in lilicta
pudoris
F *Convertit, & roseta virtutum.*
Egenorum Pater amantissimus habitus est,
Quibus
Et suas non rarò vestes tradidit,
Uno contentus amiculo misericordiæ.
Mirum hoc!
Quam non habuit pecuniam Pauperibus erogãdã
Sæpiùs impetravit è Cœlo.
Unâ scilicet admotâ precum clave
Aperiebat Æraria Divinitatis.
Ita fœneratori liberalissimo sola videbatur
Habere, quod solveret viventis Arca Dei.
Quo etiam annuente
Futurorũ præscius, & scrutator cordium, futura
pariter, & abdita prænunciabat.
Sic expresso in sese numine, num Angelorũ in sese
G *Mores exprimeret? Expressit autem ad vivum.*
Cùm impuro defunctæ Virginis, quam inviserat
Ægrotantem, phantasmate divexatus
Post dies ab ejusdem obitu quindecim
Sepulcrum ingressus est.
Indéque putrescentis haustro fœtore Cadaveris,
Odorem servavit pudicitiæ;
Speciéque vermium studiosè ingestâ
Importunum loco Phantasma deturbavit.
Ita jam similis Angelis effectus ad consortium
anhelabat Angelorum.
Nec vota ceciderunt irrita,
Excessit brevi Sanctorum ritu,
Quippe qui more Sanctorum
vixerat.
Visus eodem puncto temporis est inter Cœlites
H *In æterna regionẽ vitæ translatus è diversorio*
Mortalitatis.
Disce Lector,
Qui moritur sibi vivens brevi
Deo victurus in æternum cadit.

Pro coronide rerum præclarè gestarum ab hoc sanctissimo Viro consentaneum est ea paucis attexere, quæ de clarissimâ, & pijssimâ quadam ejusdem Alumnâ ex ijs didicimus, quæ exactè descripta invenimus in Archivo nostro Senarum. Portia hæc est Æmilij Pannellini Filia, & Fabij Gori Patriciorum Senensium Uxor, quæ è manibus prædicti Petri Confessarij sui Habitum Tertij Ordinis nostri
E suscepit, ejusque vestigijs inhærens orationis studio maximè delectabatur, jejunijs, & flagellationibus carnem suam macerabat, indigentibus opem ferebat, Ideò sæpissimè pretiosas vestes exuta habitum gerens Pedissequæ Ecclesias valde diluculò invisebat, séque alijs Confessarijs sistebat, quoties Petrus ei adesse non poterat, & claritatem sui generis dissimulabat, ut ita faciliùs ab ijsdem corriperetur, de quo maximè gloriabatur. Die tamen undecimâ Septembris sanctissimè obijt, & pro ejus animâ Sacrum faciens idem Petrus splendoribus circundatam ipsam in Cœlum ascendere conspexit.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

F

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta de Petro Romanorum habentur ex ijs, quæ scripserat Marcus Antonius Amaronus, & è Chron. nostro Senensi, alijsque scriptoribus in eodem citatis.

Societas Habitûs Dolorum B.M.V. ex Oppido Butrij Florentiam pergit, & Soror Francisca à Turre Cœlestem Patriam petit.

CAP. II.

G Hisce temporibus beneficio Indulgentiarum, quas Paulus V. anno 1607. impartitus benignè fuerat Confratribus Societatum Habitûs Dolorum B. M.V. & facultatis hujusmodi sodalitia ubique fundandi, Divini Verbi Præcones ex Ordine nostro cultum eorundem Dolorum longè majori studio promovebant, & Societates prædictas passim erigebant, ut votis Fidelium certatim undique confluentium satisfieret. Præcæteris modò veneranda nobis occurrit Societas Habitûs præfati in Oppido Butrij prope Bononiam, numero, ac pietate nulli fortè secunda anno 1543. à P.M. Bartholomæo de Raconisio Ordinis nostri canonicè erecta. Gens enim illa Instituto nostro maximè addicta Habitum hunc, & Deiparæ Dolores adeò colebat, ut hoc anno singulari pie-
H tate commota Florentiam ad sacratissimam D. Annunciatæ Imaginem adorandam hilari animo proficisci, ideóque maximè ardua Apenninorum juga superare non detrectarit. Cùm verò Confratres isti ad Florentiæ Portas accessissent, obvios solemniter habuerunt Cõfratres Societatis S. P. N. Philippi, qui eos semper per Urbem insigni pompâ, & musicis concentibus associarunt. Cœnobij autem nostri Patres eos præeunte P.M. Callisto Mazzi ibidem Priore intra domesticos parietes perhumaniter receperunt, ac integrum triduum congruentia cum ipsis hospitalitatis jura servarunt. Quin etiam (quod sanè paucis datur) Sanctiss. Annunciatæ Vultum illis conspicuũ, colen-

Confrat. Soc. 7. Dolor. B.M.V. de Butrio processionaliter adeũt D. Annunc. de Flor.

Obviã illis procedunt Confr. Soc. S. P.N.Ph. de Flor.

In Cœnob. D. Annun. perhumaniter excipiuntur.

colendumque exponi curarunt. Præterea, ut eos post oblationes, & vota ab iisdem persoluta ex animo gaudentes dimitterent, perantiqua SS. Crucifixi Imagine ligneâ, quam inter pretiosissima habebant, quippe quæ piè vulgò credebatur usui S. P. Philippi, eidemque acceptissima fuisse, 7. Idus Augusti libenti animo donarunt. Hoc munus egregium Butrienses plurimi semper fecerunt, et in peculiari Oratorio ad hoc fundato, summâ veneratione collocarunt. Procedente verò tempore, cùm per Quadragesimam Conciones ibidem haberet P.M. Archangelus Giani de Florentiâ numquam satis laudatus potissimùm propter studium religionis nostræ illustrandæ, apud ipsum Oratorium ad ejusdem SS. Imaginis cultum magis semper, ac magis augendum preces quædam laudabili ritu pro vespertinis horis qualibet sextâ Feriâ recitandæ institutæ fuerunt, quibus accedebat devotissimus Sermo, & ad pios affectûs excitandos accommodatus de sacrosanctis Mysterijs Dominicæ Passionis; instituti pariter fuerunt alij quidam ritûs, quos in dies posteritas exactè servare consuevit gratias inde singulares non paucas uberrimè ab Altissimo reportans. Placet autem hic obiter indicare, quod Processionum hujusmodi consuetudo originem auspicata fuerat anno 1539. operâ P. M. Cæsaris *dal Pontone* Ordinis nostri, cum in Oppido prædicto Butrij concionaretur.

Cùm præcedentibus annis nomine Patrum Eremitarum Montis Senarij exhibitus fuerit Summo Pontifici Paulo V. supplex Libellus sequentis tenoris.

Eremitæ M. Senarij supplicant pro quadam Indulgentiâ.

BEATISSIMO PADRE.

Avendo la Santità vostra per il costume, che hanno gl' Eremiti del S. Eremo di S. Maria de' Servi del Monte Senario di tenere nel dormire una Croce di legno di lunghezza circa un palmo avanti al petto, concesso dugento giorni d' Indulgenza, in forma Ecclesiæ consuetâ *a tutti gl' Eremiti ogni volta che nel dormire terranno, e che bacieranno detta Croce; ora gl'istessi Eremiti acciò di questo beneficio fattogli non se ne perda la memoria con ogni umiltà la supplicano à contentarsi, che di ciò se ne spedisca Breve, offerendosi à pregare Iddio per la sua conservazione. Quam Deus &c.*

Sanctissimo placuit, dummodo orent pro extirpatione Hæresum, S. Matris Ecclesiæ exaltatione, & unione Principam Christianorum. 2.

S. Cobellutius.

Hoc anno per Manûs pub. Notarij fit Romæ authentica recognitio hujusmodi supplicis Libelli, atque Rescripti, prout constat ex Instrumento, quod sequitur.

Attestatio pro concessione prædictæ Indulgentiæ.

IN *nomine Domini Amen. Universis, & singulis præsens Instrumentum visuris, lecturis pariter, & audituris fidem facio, & attestor ego Franciscus q. D. Raphaelis Gabriellis Presbyter Romanus, ac pub. Apostol. auctoritate, & in Archivo Romanæ Curiæ descriptus Notarius, qualiter A.R.P.M. Aurelius Raffaellius Perusinus Ordinis Servorum, ac Lector Logicæ in almo Gymnasio Sapientiæ Urbis habens, & suis præ manibus tenens præsens Memoriale, ut asseruit SS. D.N. Papæ Paulo V. porrectum pro parte RR. PP. Eremitarum Eremi S.M. Montis Senarij Ordinis Servorum Florentinæ Diœcesis, illud mihi Notario prædicto consignavit ad effectum recipiendi recognitiones infra scribendas, ac medio juramento, prout tacto pectore more Religiosorum ad Sancta Dei Evangelia præstitit, dixit, & attestatus fuit tam verba descripta in inscriptione, videlicet: Indulgentia bis centum dierum &c. quàm alia in pede petitionis, videlicet:* SS. placuit, dummodo orent pro extirpatione hæresum, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione, ac unione Principum Christianorum. *S. Cobellutius fuisse, & esse scripta, & subscripta in sui præsentiam ab Ad. Illustri & Reverendiss. D. Scipione Cobellutio Secretario Apostolico participante, ac prælibati SS. Familiari, & continuo commensali Literarum Apostolicarum in formâ Brevis sub annulo Piscatoris, & pro tali recognovit. Et qualiter Magnificus P. Benedictus Rogerius Laicus Romanus familiaris, & continuus Commensalis ejusdem Reverendiss. D. Cobellutij similiter medio juramento, prout tactis scripturis in manibus ejusdem Notarij ad S. Dei Evangelia præstitit, recognovit, & attestatus fuit eadem præinserta, fuisse scripta, & subscripta manu ejusdem Reverendiss. D. Scipionis Cobellutij Secretarij prædicti. In quorum omnium, & singulorum fidem Ego Franciscus Gabbriellius Notarius prędictus hîc me subscripsi, meoque solito signo signavi requisitus sub anno à Nativitate Domini Millesimo sexcentesimo decimo, Indictione octavâ, die verò vigesimâ primâ Mensis Januarij Pontificatûs prælibati SS. D. N. D. Pauli Divinâ Providentiâ Papæ Quinti. Anno ejus Quinto.*

Signum ✠ Notarij

Ita est Franciscus Gabbriellius Romanus in Archivo Rom. Curiæ descriptus Notarius.

Soror Frãcisca à Turre piè obit.

Hoc pariter anno Cœlestem Patriam petijt die 4. Decembris Soror Francisca à Turre, postquam in Terris Cœlestem potiùs, quàm humanam vitam per annos 77. egisset, de quâ vix compertum nobis est nomen, & ubi veneranda ejus Ossa quiescunt, quæ fortuitò deprehensa fuisse ad annum 1662. videbimus. 3.

P. Angelicus Eremita M. Senarij b. m. Vir.

Non importunum abittor obitum hîc adijcere P. Angelici Eremitæ nostri in Monte Senario. Hic in Seculo vocabatur Nereus Filius Roberti Acciajoli Patritij Florentini anno ætatis suæ circiter 22. die 14. Septembris anno 1605. Eremiticum Habitum suscepit, 2.

proceræ erat staturæ, sed tenui ac delicatâ corporis constitutione, moribus innocens, consuetudine lenis, omnibus propterea acceptissimus, & verus quodammodo Israelita, in quo dolus non esset, nec Adam peccasse videretur. Quoniam verò optimè noverat, quòd sola morum probitas, quam à natura comparatam habemus, aurum infimæ notæ est, operam seriò dabat virtutum omnium studio, seipsum maximè despectui habens, à quolibet affectu solutus, qui non in unum tenderet Deum, præter communia, sivè in Choro, sive alibi, cum ceteris Fratribus exercitia, reliquum temporis vel orando quàmlibentissimè impendebat, vel sacræ lectioni, quippe qui literis etiam haud mediocriter erat instructus. Vilia quæcunque opera, ceteroqui in Eremo consueta certatim obire studebat, ac denique adeò exactè Constitutiones singulas servabat, ut reliquis Eremiticæ vitæ propositum videretur exêplar. Quocirca consummatus in brevi, qui multa expleverat tempora, anno ætatis suæ circiter 27. plenus dierum in Domino piè creditur obijsse. Post obitum verò conspicuum se præbuit Patri cuidam Vincentio Mariæ pariter Eremitæ, postquam persolutis Horis nocturnis quieti se dederat, eique dixit: *Ab mi Frater, longè majori, quàm sibi quisque suadeat, felicitate in futuro seculo nobiscum agitur.*

Apparet P. Vincentio Mariâ post mortem.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 EX *monum. Conv. D. Annunc. de Florentiâ.*

2 *Ex Monumentis M. Seuarij.*

3 *Ex Monumentis Arch. Gianij.*

Miracula quædam B.V. recensentur. CAP. III.

ANNO prox'mè superiori apud Laudam Pompejam recensenda nobis occurrunt insignia quædam beneficia B. V. de Fontanâ intercessione nonnullis collata. Primùm verò Augustinus Comesanus morbo Comitiali laborans in ignem casu cecidit, & uno ex cruribus combusto, nervisque solutis adeò attractus remansit, ut in posterùm absque ligneis fulcris incedere non posset; verùm B. V. prædictâ invocatâ Mense Martio pristinam omnino recuperavit sanitatem, præfatis fulcris in eâ Ecclesiâ pro voto suspensis. Genevera quoque Jacobi Nosij Laudensis occulto quodam, & incurabili morbo præpedita, quin posset absque substentaculis se loco movere à propriâ Matre Margaritâ summis precibus Deiparæ commendata incolumis prorsus evasit XVII. Kal. Septembris, in cujus rei testimonium in eâdem Ecclesiâ sustentacula prædicta suspendit.

Attractus liberatur.

Mulier incurabili morbo præpedita sanatur.

In eodem quoque B. V. Sacello obvium

E omnibus est Victoriam filiam Balthassaris Vegij emisso voto à septem malignis Spiritibus eodem anno per intercessionem Deiparæ exemptam fuisse. Insuper Marius Viviani de Cremonâ magno sanguinis è naribus profluvio, intensoque Capitis dolore, necnon assiduâ febre laborans, adeòut conclamatum ipsi foret à Medicis, emisso voto de hac B. V. Imagine nudis pedibus adeundâ, convaluit. Anno quoque insequente 1611. die 22. Januarij Puellula quædam 13. Annorum nomine Anna Laudensis filia cujusdam Bazani Maldote ab immundis spiritibus vexata ab ejus Parentibus ad Imaginê B.V. de Fontanâ perducta, eidemque commendata, vix ad Sacelli cancellos pervenerat, cùm cœpit vehementer exclamare, ejulatûs edere, & hisce similia præstare, quæ ipsam à Dæmone non mediocriter cruciari significabant, quin etiam

Mulieres à malignis spiritibus vexatæ liberantur.

F cancellis prædictis manu apprehensis adeò firmiter adhæsit, ut ne plures quidem homines contra nitentes totis viribus illam possent dimovere; accedens verò P. Paulus Laudensis Ordinis nostri Sacerdos illam præ manibus excipiens nullo negotio intra Sacellum, & ad Virginis Aram maligno Spiritu non amplius reluctante feliciter admisit, ubi ad geniculata, cum exanimis per aliquod temporis spatium defecisset, ejulatu magno emisso, tandem assurgens in hæc verba erupit: *O Dei Mater SS. Virgo Maria me tandem à nefarijs Spiritibus gratiâ tuâ vindicasti.* Cùm verò inter alios ex plurimis, qui ad hoc spectaculum

G confluxerant, Puer quidam novennis unà cum Matre adesset nomine Hyacinthus Davidis Saliæ Laudensis filius elatâ voce ad Matrem conversus dixit: *O Mater, o Mater vidisti ne tot Dæmones veluti Serpentes ab hac Puellâ exeuntes?* Quibus dictis exterritus, & penè mortuus per dimidium Horæ in terram cecidit, at summis precibus Matris ad B.V. fusis absque ulla læsione incolumis surrexit. Mense deinde Septembri proximè sequenti Sacerdos quidam Laudensis nomine Franciscus gravi, & inevitabili morbo epidimiæ correptus voto emisso, & sanitate statim acceptâ Tabellam votivam in argumentum receptæ gratiæ ad B. V. Aram suspendit.

Sacerdos Epidimiæ morbo laborans sanatur.

H Quo pariter Mense alter Sacerdos Laudensis insanabili plagâ in altero ex cruribus affectus vix B.V. de Fontanâ se voto obstrinxit, cum sanus omnino, & integer evasit.

Insanabili plagâ affectus liberatur.

His alia quædam accedunt miranda ejusdem Deiparæ intercessione ab Altissimo perpetrata, sed tum in Sacello D. Annunciatæ de Florentiâ, tum merito Habitûs ejusdem Virginis Dolorum. Puer quidam nomine Petrus Joannes Alexandri, & Catharinæ filius tibijs à nativitate attractus, & scapulis gibbosus adeò deformis, ut monstri potiùs speciem, quàm hominis exhiberet per integrum lustrum nullâ Medicorum arte sanatus, nullam Parentibus spem assequendæ sanitatis fovebat, quapropter ipsius Genitrix ad Ecclesiam

Puer tibijs attractus, & gibbus D. Annun. de Flor. intercess. liberatur.

siam procedens D. Annunciatæ de Florentiâ coram venerandâ illâ Imagine humillimè prostrata lachrymis obortis Filij miseriam etiam atque etiam commendabat, voto se obligans, quòd ipsi Filium ejusdem Virginis Habitu indutum per integrum biennium, si convalesceret, offerret emisso voto; cùm ipsa adhuc in iisdem precibus perseveraret, Filius repente è sellâ, quâ semper bajulabatur, assurgens pedibus liber matri adblandiens ambulare cœpit dicens: *O Mater o Mater ego sum sanus, ego liberè, ut vides, incedo:* & illicò non solùm incolumis evasit, verùm etiam deformitatem omnem scapularum, Tibiarum, totiusque corporis dimisit 3. Kal. Julij.

Contemnens Habitum 7. Dolor. B.M.V. à Dæmone vexatur.

Secus accidit Soraneæ Diœcesis Parmensis in Adolescente quodam nequissimo, qui dicebatur Trivolinus; adscriptus hic erat Societati Habitûs Dolorum B.M.V. ab anno usque 1610. proximè Superiori, petens verò in Ordine nostro solemniter profiteri, cùm Fratres renuentes advertisset, irâ commotus in hæc sacrilega verba erupit: *Fratres nolunt me accipere, & ego Habitum hunc Societatis nolo super me deferre:* Quibus vix dictis detractum sibi Habitum, necnon cum indignatione, & contemptu in frusta comminutum in ignem conjecit, sed illicò nefarius quidam Spiritus illum invasit, qui die noctuque, nullâ interpositâ morâ, eum per ignem, & aquam exagitabat, singulos edocens, quâ ratione S. hunc Habitum venerari debeamus. Quòd cùm præstitisset jamptidem scilicet an. 1602.

Habitû 7. Dolor. gestans ab aquis liberatur.

Vir quidam Lapicida in Oppido Galeatæ in Etruriâ insigne B.V. expertus est Beneficium. Is enim Societati Habitûs cooptatus, eodemque religiosè suscepto per manûs P. M. Joannis Vitelii Florentini Ordinis nostri, qui eo temporis in eo Oppido cõcionabatur, cùm pergeret Cæsenam in fluvium quendam casu prolapsus est Feriâ 2. Resurrectionis Domini, unde ab aquarum fluctibus exagitatus, dumpenè mergeretur, S. Habitûs, quo ipsâ die donatus fuerat, recordatus, gloriosæ Dei Matri ob venerationem prædicti Habitûs sese ex animo commendavit; quâ de re cùm in eo discrimine Salutationem Angelicam recitasset, se ab eadem B. V. capillis apprehensum præsensit, & unà cum fascinulis super humeros ab ipsâ aquarum alluvione incolumem ad ripam adduci, quòd ipse cum Uxore suâ prædicto P. Magistro, & alijs quampluribus testabatur. Insigne miraculum hoc anno præcæteris superiùs relatis memorandum occurrit B. M. V. intercessione ob devotionem erga S. Habitum invocatæ.

Puella visum recipit.

Puella quædam ætatis annorum circiter quindecim Eugubij à tribus annis, & amplius cæcitate laborans, de Societate B. M. V. Ord. Serv. edocta B. Virginem ita ex animo deprecari cœpit, ut si visum recepisset, se ejusdem Habitum induturam pollliceretur. Die proximè sequenti humano prorsus quocunque destituta auxilio, oculorum visu perfectissimè recuperato, ad Ecclesiam nostri Ordinis præ gaudio mirum in modum exiliens unà cum sui matre perrexit, ac per manûs P. Philippi de Tuderto Habitum B. V. maximè singulari devotione suscepit, quod idem Pater admiratus ab ipsâ, ejusque Matre enixè petijt quâ de causâ adeò instanter postulatet, ut ipsam Societati ejusdem Habitûs aggregaret. *Nonne*, respondit illicò Mater, *quàmmaximè decet Filiam meam, & me hujusmodi petitio?* & singula mox exposita eidem exactè enarravit.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

EX *supplemento Annalium Archangeli Gianij.*

Gesta, & obitus Sororis Victoriæ Senensis Ordinis nostri enarrantur.

CAP. IV.

Obitus Sororis Victoriæ Senens.

Recolenda nobis occurrunt hoc anno præclarè Gesta Venerandæ Virginis nomine Victoriæ Senensis, quæ planè singulare est Ordinis nostri decus, verè enim cõsummata in brevi explevit tempora multa, quippe quæ hoc anno non absque ingenti sanctitatis famâ ætatis suæ 21. è vivis excessit.

Virginitate Deo vovet sexennis.

In Castro quodam, quod dicitur Brenna per septem milliaria Senis distante ex Bonino Pistore, & Ancilla Senensibus humilibus, & pijs parentibus ortum duxit Victoria. Hæc autem Deo maximè devota ab ipsâ usque infantiâ, cùm vix sextum ageret annum suam Christo Domino Virginitatem voto consecravit, ipsumque perpetuò, ejusque Crucem prosequi, ac ferre decrevit. Hinc orationi indesinenter addicta, à D. Augustino ferè dixerim edocta, quod ore proferebat, in corde versari diligenter satagebat, ubi notandum occurrit, quòd præ jugi orationis exercitio, genibus semper flexis graviter iisdem laboraverit, unde P. Claudius è Congregatione Clavorum, qui Ven. Petroin Victoriâ dirigendâ successerat, genuflectere eidem prohibuit, carnem verò suam, ut spiritui subiecta foret, super nudos asseres cubando, jejunijs, cilicio, ac ferreâ zonâ pungentibus aculeis undequaque armatâ macerare curavit, quam sanè sicut, & cilicium apud se maximâ servabat venerarione P. Franciscus Cruciano de Satthiano Ord. S. Francisci de Observantiâ ejusdem Virginis Confessarius, postquam Romam profectus fuerat præfatus P. Claudius, sicut & alteram consimilem zonam servabat P. Galganus Cajus Servita Senensis. Plures quotidie Ecclesias præsertim verò B. V. dicatas libentissimè invisebat, quo factum est, ut aliquando S. Mariæ Servorum Ecclesiam ingressa Sorori suæ nomine Catharinæ morem gerens Ven. Petro prædicto propria sacramentaliter confiteretur peccata, quâ datâ op-

Vita austeritas.

portunirate verbis illius profectò cœlestibus erga B. Virginem eò exardescere cœpit amore, ut antequam ex Ecclesiâ recederet, cæteris ejusdem SS. Reginæ famnlabus adscribi enixè postulaverit, ac reipsâ ab eodem Petro adscripta fuit, & Habiru sancto induta, quo sicut ab aliis distinctam se noverat, ita & in assequendis virtutum otnamentis singularis esse studebat. Tantæ fuit prudentiæ, pietatis, & modestiæ hæc Deiparæ famula, ut maximam semper ipsi habuerint omnes venerationem, quamobrem D. Fabius Gori, & D. Portia Pannellini eius Uxor nobiles Senenses, ac Divites Sanctitatis ejus famâ commoti ipsam Domi suæ habere curarunt, & ut rei familiaris ipsorum curam gerere vellet etiam, atque etiam rogarunt, quorum votis annuentem Victoriam veluti Filiam, non quasi Famulam eam in posterum habuerunt, & singulari amore sunt prosecuti. Frequentissimè Deo, & Confessario suas dicebat culpas nil aliud magis expetens, quàm Spiritûs munditiam, & animi decorem, deinde verò Eucharistiæ Sacramento refecta quotidie nimiâ cordis conceptâ dulcedine in extasim rapta Deum, ac Divina Mysteria videbat; si quando verò à Dæmone inhonestis carnis motibus vexabatur, ferreo cingulo, quem lateri semper adhærentem habebat, sese magis premebat, dicere solita familiaribus suis, quòd sicuti calcaribus utuntut homines, ad hoc ut equi recta semper incedant, ita & Juvenes carnem nimirum calcitrantem premere debent, & pungere jejunio, cilicio, & id genus instrumentis, ut viam Dei mandatorum percurrant. Infirmas mulieres, præsertim verò pauperes, libenter invisebat, quas tum pane, tum alijs cibis, Domino suo hoc permittente, reficiebat, & intimo cordis affectu æternam ipsarum salutem anhelans ad infirmirares, quibus aditus ad Regnum Dei fit nobis, æquo animo ferendas hortabarur. Quâ quidem in re insigne charitatis hujusmodi præbuit argumentum, cùm mulieri cuidam Meretrici nomine Magdalenæ, cui erat prorsus incognita, diligenter ministraret, ipsam proinde ter, vel quater in die, prout opus erat, invisens, quippe quæ domi secum non morabatur. Magdalena enim ulceribus plena dexterâ propterea pectori adhærente, ab omnibus derelicta morti proxima decumbebat fœtorem undique pestiferum emittens in domunculâ quadam, quæ sita est in eâ Civitatis regione, quę vulgò dicebatur *Vallerozzi*. Ad hęc ipsam hortata est Victoria, ut numero Sororum cooptaretur Societatis S. Catharinę Senensis, cui morem gerens sese adscripsit, generalem priùs peccatorum suorum sacramentalem emittens Confessionem, in quâ dolore cordis reverâ tacta Magdalena, & lachrymis obortis exclamans: *Deus propitius esto mihi Peccatrici*: obvios sibi habuit in humili illâ casâ quosdam Angelos, qui coronas aureas præ manibus gestantes ita ipsam sunt allocuti: *Deo primùm gratias age, & Victoriæ, hujus enim precibus summo Deo gratissimis Victoriam retulisti; unde altera ex hisce coronis, quas intueris modò, coronaberis, & in æternâ gloriâ quamcitissimè petes, ac Deum facie ad faciem videbis.* Quod utique factum est, nam paulò post ingravescente morbo maximè contrita è vivis excessit.

Induit Habitû Servor.

Ejusdem devotionis fervor.

Quibus armis Dæmonis artes vinceret

Ejus charitas in proximum.

Nunquam otiosa Victoria nil absque consilio, & inutiliter agebat, quinimmo quantumlibet domesticis rebus intenta in Deum semper elata cœlestia contemplabatur Mysteria; quoties enim Virginem aliquam alloquebatur Virginum Reginam se alloqui putabat, cum cęteris verò veluti cum Deo, vel Angelis, vel Sanctis consuetudinem habere existimabat, quin etiam cùm sibi in Confessarium elegisset, uti nuper dicebam, P. Franciscum de Observantiâ, illius Ecclesiam proinde sepissimè petens, quæ non parùm distat ab Urbe, asperam illam, & arduam premens viam Victoria Christum Dominum Sponsum ad Montem Calvarię unà cum Religiosis illis Mulieribus se comitari cogitabat. His, & alijs pietatis operibus addicta Victoria in gravem incidit morbum, coacta proinde decumbere. In hoc autem discrimine nil aliud ipsi erat in votis ad Dæmonis artes eludendas, cum quo jugiter decertabat, & cui vehementissimè resistens sanctissimos animi sui sensûs audacter exprimebat, quàm se signo Crucis munire, Divini Spiritûs verba frequentet proferre, sanctissimo Sponsi sui dulcissimi corpore quotidie refici, quo sumpto præ nimiâ cordis dulcedine in extasim rapta arcana Dei intelligebat, quæ non licet homini loqui. Præterea ipsum indesinenter in sui præsidium vocare, Oleo Sancto confirmari, & astantium maximè religiosorum orationibus adjuvari. Interea cum cæteris sanctis Venet. Petrum præfatum invocans, qui dum viveret, animæ suæ fidissimus erat Custos, & de rebus Cœlestibus colloquia miscens cum sorore suâ Catharinâ Petrum sibi præsentem circa 24. diei horam conspexit, cum quo suavissimum habuit sermonem, hoc advertente eâdem Catharinâ admirabundâ, cui Victoria, postquâ recesserat Petrus, dixit, quòd Petrus proximè sibi futurum obitum revelaverat, & æternam gloriam obventuram. Die igitur apparitionem hanc proximè sequente 25. nimirum Januarij 1611. Sole jam occidente in lectulo sedens, triumphum agens de Dæmone, laudes Christo dicens, junctis manibus, præ maximo amoris in Deum incendio insigni affecta dulcedine verè deficiens obijt in Domino anno ætatis suæ 21. Deinde sorori suæ Catharinæ pluries apparuit in Albis, & specie tanquam Solis pulcherrimâ, ipsam seriò confortans ad molestissima quæque pro Christo æquanimiter subeunda, ejusque voluntati obsequendum. Quibus omnibus pro coronide addere juvat Victoriam, & Catharinam pietate fortè non minùs, quàm sanguine junctas esse

Gravis ejus infirmitas.

Ven. P. Petrus Berti ei apparêt obitûs diem revelat.

Ejus obitus.

Sorori suę Catharinæ pluries apparet.

Catharinæ Gesta, & laudes.

esse Sorores, hoc tamen discrimine, quòd Victoria contemplarioni, Catharina verò manualibus operibus majori studio operam darent, quocirca P. Claudius è Congregatione Clavorum, de quo superiùs, quique apud Senenses maximo habebatur in pretio, Sororum istarum vivendi tenorem expendens dicere solebat: *En Martha, & Magdalena*: revera enim, uti mox dicebam, ad pedes Domini jugiter provoluta meditabunda consistebat Victoria; Catharina verò plures horas in die varia manibus adornabat opera, quorum pretium pro Animabus purgantibus insumebat, quibus adeò acceptum erat hujusmodi charitatis Officium, ut aliquando à somno ipsam excitarent, & ab ipsâ peterent, ut preces ad Deum pro ipsis funderet, & ab operibus manuum non cessaret, ut eorum pretio eleemosynas pro ipsis erogaret. Hoc pariter anno die 22. Februarij B. Magdalenę Carpensis Ordinis nostri Sororis Ossa exhumata in decentiorem locum transferuntur 2. cujus laudes, & obitum prosequitur Gianius Cent.4. lib. 1. Cap. 14. nunc verò 13.

Translatio B. Magdalenæ Carpensis.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 EX *supplemento Annal. Archang. Gianij. Cosmo Beringuccio Patricio Senen.*, & *P. Claudio superiùs memorato.*

2 *Ex notulis ejusdem Gianij, quæ servantur in Biblioth. D. Ann. de Florentiâ, & Filza 2. pag. 54. in Archivo ejusdem Conv.*

Referuntur Literę *Apostolicæ Pauli V. Summi Pont. pro Indulg. Societatis Habitûs, & pro Constitutionibus Eremi Montis Senarij, & de ejusdem Eremi PP. nonnulla enarrantur.*

CAP. V.

CUM hisce temporibus plura, quemadmodum superiùs dicebam, erigerentur sodalitia Habitûs Septem Dolorum B.M.V, opportunum maximè fuit hoc anno, quòd P. M. Dionysius Bucherelli de Florentiâ Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ Indulgentijs superioribus annis à Summo Pontifice impetratis, alias adhuc assequeretur, cujusmodi fuit plenaria Confratribus, & Consororibus concessa, qui Processioni per singulos Menses semel faciendę Dominicâ Tertiâ in honorem ejusdem Deiparę interessent, prout indicant sequentes Literę Apostolicę .1.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Paulus Papa V. favet Habitui Dolorũ B.M.V.

AD *perpetuam rei memoriam. Piat Christifidelium Confraternitates ad pietatis, & Charitatis opera exercenda canonicè institutas, præcipuis spiritualium gratiarum muneribus quotidie magis ad eadem opera non prætermittimus invitare, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.* A *Proinde volentes nos Confraternitates B.M. in Ecclesijs Fratrum Ordinis Servorum ejusdem B.M. canonicè erectas, & erigendas, quæ, sicut accepimus, Dominicâ Tertiâ cujuslibet mensis solemnem Processionem peragere solent, ac dilectos Filios illarum Confratres, & Consorores hoc speciali munere decorare. De omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi: supplicationibus quoque dilecti Filij Dionysij Florentini prædicti Ordinis B.M. Servorum Procuratoris Generalis, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, ultra alias Indulgentias, & gratias à Nobis eisdem Confraternitatibus, illarumque Confratribus, & Consororibus concessas, quas earum concessio*-B *nes, ac desuper confectarum Litterarum tenores præsentibus pro expressis habentes, salvas esse volumus, omnibus & singulis Confratribus, & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui prædictæ Processioni Dominicâ Tertiâ cujuslibet mensis in prædicti Ordinis Ecclesijs peragendis, devotè interfuerint, & pro Christianorum Principum concordiâ, Hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; contrarijs non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut si alias prædictis Confratribus, & Consororibus præmissa peragentibus aliquam* C *aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, illa nulla sit, utque etiam præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo Prioris, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existentis munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quę ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Cõcedit plen. Indul. ijs, qui Processiæ Dominicæ interesst.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martij MDCXI. Pontificatûs nostri anno sexto.

Scipio Cobellutius.

Cùm in Eremo Montis Senarij magis in di- D es, ac magis Religiosi illi Eremitæ in sanctitate proficerent, Deoque arctiori vinculo adhærere vehementer optarent, quidam ex illis P. Bonajuncta paucis ab hinc Mensibus in Cellulâ, quæ dicebatur S. Philippi, à Cœnobio distita per sylvam, Patribus Eremi permittentibus ad aliquod tempus reclusus, juxta leges reclusorum in Eremo Camaldulensi in Etruriâ .2. solitudinem hanc, & reclusionem magis adhuc appetens ab ijsdem Patribus Capitulariter congregatis die 18. Junij hujus anni permissionem præfatam adhuc per tres menses consequitur, quam pariter tribus his mensibus elapsis adhuc per quatuor imperrat, deinde verò per sex, quibus pariter anno se-quenti

P. Bonajuncta Eremita Montis Senarij inclusus petit cõfirmari.

PP. S. Eremi Montis Senarij recurrũt ad Protect. Ord. pro consequẽdâ cõfirmat. & decl. Constit., & sequẽs Breve obtinent.

quenti elapsis ad alios sex menses assequitur. Præterea pro consequendâ Constitutionum Sacræ Eremi confirmatione, & declaratione ad retundendas oppositiones quasdam adversus easdem, & Apostolica Brevia pro Eremi instauratione emanata in medium productas ad Illustris. & Reverendis. totius Ordinis nostri Cardin. Protectorem recursum habere per secreta suffragia decreverunt Eremitæ prædicti, quippe qui eosdem singulari prosequebatur amore, eorumque vitæ methodum plurimi faciebat. Quapropter P. Bernardinus ejusdem Eremi Rector permittentibus Patribus Romam se contulit, ut pro Eremo ejusque indemnitate apud S. Sedem ageret, datâ illi proinde omnimodâ in hac re disponendi facultate. Hinc die 4. Augusti proximè sequens Breve emanavit 2.

PAULUS PAPA QUINTUS.

AD perpetuam Rei memoriam. Alias per Nos accepto quòd dilecti Filij Fratres Eremi, seu Domûs Eremitorij nuncupati S. Mariæ Montis Senarij Ordinis Servorum B. Mariæ Florentinæ Diœcesis, eorum Constitutiones Regulares hactenus observatas nonnullis, quæ ad Regulare Institutum, & Eremiticæ vitæ integritatem deesse videbantur in Conventuali eorum Capitulo, quod ipsi Eremi Capitulum vocant per suffragia secreta additis, & de mandato ejusdem Ordinis Capituli Generalis Romæ ultimo loco celebrati per quatuor d. Ordinis Fratres, et deinde per dilectos Filios Antonium Vivolum d. Ordinis Priorem Generalem, ac Philippum de Alexandriâ ejus in hujusmodi officio Prædecessorem, necnon Dionysium Florentinum ejusdem Ordinis in Romanâ Curiâ Procuratorem Generalem correctas, & reformatas, ac demum per Ven. Fratrem nostrum Hieronymum Episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem Asculanum nuncupatum ejusdem Ordinis apud nos, & Apostolicam Sedem Protectorem de mandato nostro examinatas, & approbatas in unum volumen compilaverant. Nos supplicationibus ipsorum Fratrum Nobis tunc humiliter porrectis inclinati, per alias nostras in simili formâ Brevis sub datum die 12. Octobris 1609. Pontificatûs nostri anno quinto expeditas Literas, omnes, & singulas Constitutiones, & Ordinationes prædictas, ut præfertur, compilatas, correctas, reformatas, ampliatas, & à dicto Hieronymo Cardinali examinatas & approbatas cum certâ moderatione tunc expressâ, confirmavimus, & approbavimus, prout in dictis Literis plenius continetur. Cùm autem sicut eorundem Fratrum nomine Nobis nuper expositum fuit Constitutiones prædictæ, antequam d. Capitulum Generale celebraretur, primùm per tres d. Ordinis Fratres à d. Hieronymo Cardinali ad id deputatos revisæ fuerint, & eorum manu dictarum Constitutionum censura subscripta, & subinde de mandato ejusdem Capituli Generalis dd. tres Fratres, & alius Frater ejusdem Ordinis ad easdem Constitutiones revidendas pa-
E *riter deputati fuerint, quorum tamen iidem tres Fratres, quoniam semel, ut prædicitur, eas reviderant, ampliùs non reviderunt, & quartus postquam easdem revidit, eidem Censuræ prædictorum trium subscripsit, licèt demum per Antonium Priorem Generalem, & Philippum de Alexandriâ, necnon Dionysium Florentinum Procuratorem etiam Generalem de ejusdem Hieronymi Cardinalis mandato, & mox nostro jussu per eundem Hieronymum Cardinalem examinatæ, correctæ, & deinde approbatæ fuerint, & quia etiam in eisdem Literis de alijs Literis fel. rec. Gregorij XIII. super recto regimine, & electione Officialium Domûs B. M. Annunciatæ Florentinæ ejusdem Ordinis Servorum, & Locorum ad eandem Domum spectantium sub datum*
F *sub die 22. Novembris 1578. nec de alijs etiam Literis piæ mem. Clementis VIII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum sub datum 22. Octobris 1593. super erectione d. Eremi, seu Domûs Eremitorij nuncupati, ac Vicarij ejusdem electione, ac alijs ad statum, & regimen d. Eremi, & jura d. Conventûs in illis spectantibus, nec de alijs ejusdem Clementis Literis sub datum 19. Decembris 1600 super bono Regimine Eremi, & Domûs prædictæ in eadem formâ Brevis expeditis, nulla, aut minùs sufficiens respectivè mentio facta, illisque quoad ea, quæ Constitutionibus prædictis adversantur, nullo modo, aut minus sufficienter derogatum fuit, dicti Fratres, & alij dubitant Literas prædictas de subreptionis, & obreptionis vitio notari*
G *posse. & quoniam in Constitutione 46. inter alias à nobis, ut præfertur, confirmatas disponitur, quòd electio Rectoris d. Eremi per Capitulum Fratrum B. M. Annunciatæ prædictæ ex duobus, vel tribus per dd. Fratres Eremi hujusmodi ex suo corpore eligendis, & proponendis infra octo dies fieri debeat, & in casu, quòd infra octo dies non fiat, non provideatur, maximè vero d. Eremi felici regimini conducit, ne hujusmodi electio protrahatur. Nobis propterea Fratres d. Eremi humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dd. Fratres specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, ali-*
H *jsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, siquibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorundem nomine Nobis iterum porrectis inclinati Apostolicâ auctoritate tenore præsentium decernimus, quòd prædictæ nostræ Literæ cum omnibus, & singulis in eis contentis, & quæcunque inde sequuta valeant, & observari debeant, perinde ac si in illis, quòd d. Constitutiones à tribus Fratribus prædictis ab eodem Hieronymo Cardinale deputatis ante Capitulum Generale revisæ, & earum solùm censurâ subscriptâ, de-*

inde

inde verò ab uno tantùm ex quatuor d. Capitulo Generali similiter deputatis revisæ, & Censurâ prædictâ similiter solùm subscriptâ, non autem quòd de mandato Capituli Generalis per quatuor d. Ordinis Fratres correctæ, & reformatæ fuerant expressum, necnon dd. Literarum Gregorij, & Clementis Prædecessorum nostrorum, specialis, specifica, & expressa mentio facta, ac illis, quoad ea, quæ prædictis Constitutionibus adversantur, expressè derogatum fuisset, prout illarum omnium, & singularum tenores præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habendum; Nos harum serie specialiter, & expressè derogamus. Et insuper quieti, & fœlici regimini, & gubernio Eremi, seu Domûs prædictæ peramplius consulere volentes Constitutionem 46. circa electionem illius Rectoris declarando, & reformando perpetuò statuimus, & declaramus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus vacante Officio Rectoris Eremi, seu Domûs prædictæ Capitulum ejusdem B.M. Annunciatæ Florentiæ unum ex propositis in Rectorem Eremi, seu Domûs hujusmodi infra terminum quindecim dierum à die factæ propositionis incohandum eligere debeant, alioquin electione hujusmodi minimè factâ infra d. tempus, illa ad prædictos Fratres Eremi, seu Domûs Montis Senarij ipso jure pro illâ vice devolvatur, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus prædictis Literis, concessione, & Constitutionibus, alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Eremi, & Domûs B. M. Annunciatæ, necnon Ordinis prædictorũ etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Electio Rectoris M.Senarij fiat à Capit. D. Anu. de Flor. infra terminũ 15. dierũ.

Dat. Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1611. Pontificatûs nostri anno septimo.

S. Cobellutius.

Cùm in Oppido Molvedri 2. in Regno Valentiæ Ordinis nostri Sanctimoniales alieno à Patribus nostris essent animo, de quorum regimine valde conquerebantur, ab eodem se subduxerunt, qui ab ipso usque Institutionis Exordio illis fuerant à Confessionibus, earumque curam gesserant quamdiligentissimè, illæque vicissim iisdem Patribus mirabili constantiâ adhæserunt, de quâ adeò magnificè Gianius Cent. 2. lib. 4. cap. 2. Hinc prædictæ Sanctimoniales anno 1609. à SS. D. N. Papâ Paulo V. Breve quoddam sub dat. Romæ die 21. Julij 1609. impetrarunt, quo ipsis indultum fuerat, ut ab Ordinis nostri gubernio eximerentur, & Archiepiscopo Valentiæ sese subijcerent, donec in eo Regno Cœnobium aliquod sibi Ordo noster compararet. Vivolus autem è Corneto Generalis damna hujusmodi cupiens reparare, ac perturbationes illas compescere per Literas Patentes sub datum die 8. Martij anno 1610. Vicarium suum Generalem constituit P.M. Onuphrium de Requesens Ordinis Prædicatorum publicum Barchinonæ S. Theologiæ Professorem usque ad Capitulum Generale proximè futurum, & Literas hasce confirmandas curavit per Breve quoddam Apostolicum sub datum die 24. ejusdem mensis, & anni cum plenariâ facultate ea omnia peragendi, quæ pro rei opportunitate in eo discrimine expedire viderentur. Verùm ex adverso reclamãtibus Patribus nostris in Hispaniâ eo temporis degentibus nec ullatenus pati volentibus ex alieno Ordine Vicarium Generalem SS. D. Breve illud revocavit per allud expeditũ die 16. Maij 1611.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 *Ex Suppl. Annal. Arch. Gianij.*
2 *Ex Monum. Montis Senarij.*
3 *E m. s. ejusdem Gianij in Archivo D. Annunc. de Flor.*

Moritur Card. Bernerius Protect. succedit Fabritius Verallus. Moritur quoque Cornelius Peraccinus de Pistorio. Paulus V. varias Indulg. impartitur Societati Habitûs septem Dolorum B.M.V. Erigitur in Hispaniâ Cœnobium S. Marcelli Episc. de Deribusa, necnon recens Ecclesia Aretij, & apud Forum Cornelij instauratur.

CAP. VI.

Deplorandum modò occurrit munificentissimi, ac benignissimi Cardinalis Hieronymi Bernerij Ord. nostri Protect. & Patris amantissimi funus, qui planè in promovendis ejusdem Ordinis commodis, & ornamentis nemini fuerat secundus, cujus proinde, licet paucis de more, debitâ tamen veneratione celebranda sunt Gesta 1. Itaque F. Hieronymus Bernerius de Corrigio Ordinis Prædicatorum ex Præfecto Cœnobij S. Sabinæ Romæ, creatus fuit à Sixto

Cardin. Hieron. Bernerij Protect. Ordin. Servor. Gesta, laudes, & benef. relig. collata recens.

xro V. Præsbyter Cardinalis Tit.S. Thomæ in Parione anno 1586. 16. Kal. Januarij, ut Cardinali Alexandrino F. Michaeli Bonelli S. Pij V. Nepoti gratificaretur. Quamvis autem esset Patriâ Corrigiensis ex Familiâ Berneriâ, quia tamen paulo antequam Purpurâ decoraretur ab eodem Sixto V. Epis. Asculanus fuerat declaratus, ideò Cardinalis Asculanus cõmuniter nuncupabatur. Quantum ipsi debeat Ordo noster, præclara ab illo ipsi collata beneficia luculentissimè ostendunt. Primùm enim viriliter illum protexit, à molestijs vindicavit, in pristinum libertatis splendorem restituit, deinde Privilegijs non paucis ipsum ornari curavit, Summo Pontifici Paulo V. eundem etiam atque etiam commendans adhuc coram Patribus ejusdem Ordinis in Comitijs Generalibus Romę habitis anno 1609. quos inter aderat P. M. Archangelus Gianius de Florentiâ, qui hæc in suis m.s. liberè testatur, & hoc speciatim asserit, quòd Cardinalis præfatus Summo Pontifici cunctis audientibus dixerit, quòd Viris Doctissimis, & Concionatoribus eloquentissimis Ordo noster afflueret, prout in ijsdem Comitijs, quibus ipse præfuerat, pro rei veritate compererat. Quã ob rem plurimum ijs deferre consueverat, qui Literis sedulò operam darent, è contrario eos, qui Dignitates, & Magistralia decora inanis tantùm gloriæ incitamento, ac temerè appeterent, omninò reijcere, quamobrem nullus unquam, quandiu Cardinalis iste Ordinem protexit, magisterij Gradum ausus fuit expetere, qui priùs præclarum aliquod tum de bonis moribus, tum de sufficienti eruditione specimen non præbuisset. Ab initio usque suæ Protectionis maximos, qui eo tempore fervebant inter Fratres, tumultûs compescerit. Ordinem destitutum novitijs iterũ amplificari curavit, auctoritatem pro dimittendis ad Sacros Ordines, ad examen vocandis, & approbandis propriam tantummodo voluit Generali. Indultum de restituendo Officium Semiduplici B.M.V. in Sabbatho ab Apostolicâ Sede impetravit, Lectiones proprias similiter de Vitâ B. Philippi in ejus Officio legendas obtinuit. Joachimum pariter de Senis, & Peregrinum de Forolivio inter Beatos referri, eorumq́ue natalitia cum Officio, & Lectionibus proprijs de ipsorum vitâ legendis solemniter celebrari curavit. Quæ sanè, & alia nunquam intermoritura beneficia posteritati suadere possent quòd ipse, non per quinquennium tantùm, sed per plura Lustra Ordinem nostrum protexerit. Diligebat enim & Ordinem, & S. ejusdem Habitum, & singulos Fratres, gloriari solitus in Domino, quòd ea sibi ab Apostolicâ Sede demandata fuisset protectio. Principem hunc satis erat adire, si quid unquam ab Apostolicâ Sede prædictâ Nobis esset impetrandum, & nemo non voti compos ab eodem recessit, ita quidem, ut ardua etiam eo Auctore facillimè assequeretur. Verùm senio confectus, ac septuaginta annis superior ex diuturno hydropis

E languore hoc anno VI. Idus Augusti è vitâ decessit, Immortalitatem tamen nominis apud nos consecutus. Sepultus denique fuit in Sacello, quod munificè extruxerat in sui Ordinis Ecclesiâ S. Sabinæ nuncupatâ apposito proximè sequenti marmoreo monumento. *Ejus obitus.*

D. O. M.

Fr. Hieronymus Bernerius Corrigiẽsis ex Ord. Prædic.

Tit. S. Mariæ super Minervam S.R.E. Presb. Card. Asculanus.

De morte, & corporis resurrectione

F piè, ac religiosè cogitans,

Hoc sibi Sepulcrum, in quo cùm universæ carnis viam ingressus fuerit, Mortale suum conderetur, Vivens posuit.

Sacellũ, ubi quotidie pro ejus anima Sacrum fieret,

Extruxit; D. Hiacyntho Confessori Dicavit,

Anno Jubilei 1600. ætatis suæ 60.

Vixit annos 70. Menses 7. dies 11.

G Obijt Episcop. Portuensis 6. Id. Aug. MDCXI.

Credo, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.

Defuncto Bernerio sufficitur à Summo Pontifice Ord. nostri Protector XXVIII. Fabritius Verallus Romanus, quem sanctitas sua Cardinalem proximè creaverat. Fabritius igitur suscepto munere intelligens plura Ordinis Cœnobia, præsertim verò Florentinum, propediem cum Xenijs consuetis secum gratulabundos mittere nonnullos meditari insigni animi constantiâ continuò præcepit, quòd

H secum speciatim exactè servaretur inposterum Bulla de largitione munerum fel. rec. Clementis VIII. quippe qui protegendum Ordinem susceperat, non autem gravandum, quapropter ab hujusmodi largitionibus Fabritio Cardinali auctore Ordo noster se præsensit immunem. 1. *Cardin. Fabrit. Verallus Rom. eligitur Protect. Ord.*

Hisce pariter diebus magnâ Pistoriensis Cœnobij, vel potiùs totius Ordinis jacturâ vitâ functus est P. M. Cornelius Peraccini. Vir iste à teneris unguiculis ob ingenij docilitatem, & propensionem quandam insignem ad Religionem à D. Francisco Peraccini nobili Pistoriense ex eodem stipite cum Familiâ Forteguerrâ, cùm adhuc esset trimus, in Filium *P. M. Cornelij Peraccini Pist. genus, laudes, & obitus recensentur.*

lium adoptatus, quòd humilibus, & egenis parentibus in Pago, qui dicitur *Granocchio*, ortum duxerat anno 1543. die 17. Maij; brevi Habitum B. M. V. cui semper fuerat addictissimus, anno ætatis suæ 9. in Ordine nostro recepit Lucæ per manus P. Dionysij Prioris, ibique novitiarum confecit, deinde verò anno 1553. Florentiæ in eo nostro novitiatu educatus. Procedente autem tempore præmissis de more debitis literarum studijs Bononiæ declaratur Magister. Postmodum S. Carolus Archiepisc. Mediolanensis, cùm ipsum plu-ries sacras Conciones habentem audiisset, & tanquam verè Religiosum probasset, illum curandis animabus, & audiendis Confessionibus per universam Diœcesim Mediolanensem, veluti Coadiutorem, & Pœnitentiarium adhibuit, quin etiam post plures annos in Priorem illius nostri Cœnobij ab Aurelio Menocchio Generali eo consilio impetravit, ut Religiosos degeneres ibidem degentes ad pristinam disciplinæ normam reduceret, quod Patavij pariter, & alibi præstitit. Cornelio Auctore Pistoriensis Ecclesia nostra sacrâ supellectili munificè ditata fuit, quidquid enim emolumenti ex ejus Concionibus, & aliundè eidem accedebat, exornandæ Ecclesiæ totum tribuebatur. Plures exercuit Præfecturas, potissimùm verò Provinciam Etruriæ Prior Provincialis, & aliquando Vicarius Generalis administravit, in omnibus semper summam præseferens Religionem, & animi moderationem, natus quidem ad laborem, quem proinde æquè animo subibat pervigil, parcus, humilis, & sinceræ amicitiæ diligentissimus cultor: Sacrum quotidie faciebat, assiduus in lectione, vel oratione, & in Divino Officio persolvendo, ad sua munia maximè affectus, sibi sobrius; adeò temporis tenax, ut ne momentum quidem otiosè transigeret, unde & horologium arenarium præ manibus semper habebat, quod etiam videre licet in lapide marmoreo, quem sibi, & Fratribus suis super sepulchrum in medio Ecclesiæ renovari curavit, hac, dum adhuc viveret, appositâ inscriptione, quæ fideliter quidem omnino hic rescribitur, an verò emendatè, ac perfectè exarata ibi fuerit, Peritorum esto judicium: *Fr. Cornelius Peracenus Pist. Doc. Theol. Prov. Ord. Serv. in Etruriâ Præf. qui qua in se fuit Deo, B. M. huic Eccl., ac Fratribus suis vixit, & adhuc vivens, mortisque momenta videns hoc S. tum sibi, tum illis P. C. A. S. CIϽ IϽC. 3. Id. Mart.*

mortuus denique pridie Kal. Septembris anno Domini 1611. ætatis suæ 68. in Domino requievit, ibique tumulatus fuit.

Mœrorem ex hujusmodi jacturis conceptū temperare non mediocriter potest miraculum quoddam Beati Philippi intercessione .2. ab Altissimo perpetratum. Mulier quædam Tuderti prægnans, gravissimis undequaque affecta doloribus, quos etiam consequuta est febris, cùm fœtum emisisset præter omnium

P. Phil. insigne miraculū

A expectationem, qui dolores, & febrem hujusmodi effectum gravedinis fuisse sentiebant, adhuc eodem morbo laborabat, & quidem vehementiùs, itaut trium mensiūm spatio, nec se loco movere, vel per cubile, posset, nec ab alijs, nisi linteaminum eidem suppositorum ministerio, maximâ quoque adhibitâ diligentiâ, huc, & illuc dimoveri. Accedentibus verò hoc anno B. Philippi solemnijs, cùm in pervigilio Ordinis nostri Patres in eodem S. Patriarchæ honore processionem per Urbem de more celebrarent hymnos canentes, & Psalmos, hæc audiens mulier oculis in Cœlum elatis opem Sancti gemebunda implorans, illicò sese proprijs vestibus induit nullius indiga, & incolumis omninò, integra, vegeta è lecto surrexit, æquè ac si nihil mali antea

B subijsset. Die 23. Octobris hujus anni Pisauro, ubi apud Patres nostros diverterat, discessit, sacram Domum Lauretanam, & sanctissima Urbis loca visitaturus P. M. Jacobus Lugdunensis Ordinis nostri Doctor Sorbonicus, Vir omnigenâ eruditione clarissimus, qui pollicitus fuerat, se pro virili curaturum Conventuum omnium in Gallijs existentium, cum reliquis Ordinis nostri Conventibus unionem, & eidem nostro Generali obedientiam, cujusmodi erat ab initio usque ad exitiale schisma quartidecimi seculi. Verùm nihil exinde proferimus, quia necdum post centum annos completa videtur hæc unio, neque spes ulla complendi præstò esse videtur, insigni Ordinis nostri jacturâ.

P. M. Jacobus Lugdunensis.

C Summus Pontifex Paulus V. erga Ordinem nostrum indesinenter munificus hoc eodem anno 1611. Indultum aliud concessit sequentis tenoris.

PAULUS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Volentes Nos alias Confraternitates .3. Beatæ Mariæ in Ecclesijs Fratrum Ordinis Servorum ejusdem Beatæ Mariæ canonicè erectas, & erigendas, quæ, sicut tibi accepimus, Dominicâ Tertiâ cujuslibet Mensis solemnem Processionem peragere solent, ac dilectos Filios illarum Confratres, & Consorores hoc speciali dono decorare. De omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri,

Pauli V. indulta pro Cōfrater. Hab. 7. Dolorū B.M.V.

D *& Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ultra alias Indulgentias, & gratias à Nobis eisdem Confraternitatibus, illarumque Confratribus, & Consororibus concessas, quas earum concessiones, ac desuper sub datum videlicet 14. Februarij MDCVII. Pontificatûs nostri anno secundo expeditarum literarum tenorem præsentibus pro expressis habentes salvas esse volumus, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ communione refectis, qui prædictæ Processioni Dominicâ tertiâ cujuslibet Mensis in præfati Ordinis Ecclesijs peragendæ devotè interessent, & pro Christianorum Principum concordiâ, Hæresum extirpatione,*

tione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effunderent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concessimus; volentes, ut si aliàs præfatis Confratribus, & Consororibus præmissa peragentibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concessrimus, illa nulla esset, & aliàs prout in alijs nostris desuper in simili formâ Brevis, sub datum die 10. Martij MDCXI. Pontificatûs nostri anno sexto expeditis Literis plenius continetur. Cum autem, sicut nuper accepimus, præfatæ Confraternitates non in omnibus locis in tertiâ hujusmodi, sed in primâ, secundâ, vel quartâ Dominicâ pro uniuscujusque Civitatis, seu Loci instituto, & consuetudine peragere soleant, Nos, ne propterea dictæ Confraternitates ultimò datarum literarum frustentur effectu, opportunè providere, ipsasque, & illarum Confratres amplioribus favoribus, & gratijs prosequi volentes, ac earundem ultimò datarum literarum tenorem præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus Dilecti Filij Dionysij Florentini præfati Ordinis B. M. Servorum in Romanâ Curiâ Generalis Procuratoris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Confratribus, & Consororibus dictarum Confraternitatum verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ communione refectis, qui præfatæ Processioni in unâ ex cujuslibet Mensis diebus Dominicis in præfati Ordinis Ecclesijs, ut præfertur, peragendæ devotè interfuerint, & ut supra oraverint, Plenariam omnium Peccatorũ suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino, servatâ in reliquis earundem ultimò datarum Literarum formâ, perpetuò concedimus, & elargimur. Præmissis, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis, & manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo Prioris, seu Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existentium munitis, eadem prorsus fides habeatur, quę ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitę, vel ostensę.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die VII. Junij MDCXI. Pontificatûs nostri anno septimo.

Gratis pro Deo, &

S. Cobellutius.

Pro Coronide hujus capitis repetenda est in primis fundatio Cœnobij, & Ecclesiæ S. Martialis Episcopi, & Martyris Dertusæ in Caraloniâ .4., quod cum eadem Ecclesiâ cõsequentibus annis operâ P. Raphaelis Vega ædificatum iterum fuit. Ibi verò summâ veneratione coluntur B. Peregrinus de Forolivio Ordinis nostri, ac S. Virginis, & Martyris Matronæ Imago, quò proinde etiam è finitimis locis plurimi vota offerentes confluere solent, eos enim sibi valde beneficos experiuntur, potissimum verò S. Matronam urgente siccitate, cujus prædictam imaginem eo temporis processionaliter deferunt præ cæteris ad proprium oppidum Populi de Folcet, eamque tandiu ibi detinent, & peculiari veneratione prosequuntur, quandiu expetitam pluviam sint consequuti. Repetenda quoque videtur .4. recentis Ecclesiæ nostræ Aretij in Etruriâ fundatio, quoniam veterem Ecclesiam, utpote minùs concinnam, demoliri decebat; quæ recens Ecclesia progressu temporis insigne suscepit ornamentum. Repetenda adhuc videtur Ecclesiæ .4. nostræ apud Forum Cornelium Instauratio. Denique die 18. Decembris P. M. Archangelo Giani de Florentiâ Provinciæ Mantuanæ eo temporis Visitatore Generali post diligentem perquisitionem mandante B. Toscanæ Ordinis nostri Tertiariæ Veneranda ossa apud Casalem Majorem in decentiorem locum transferuntur, prout Gianius ipse refert Centuriâ tertiâ lib. 1. cap. VII.

Conv. S. Martialis Dertusæ.

Instauratur Ecclesia Aretii, & apud Forum Cornelii

Transfertur Corpus B. Toscanę.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 EX *supplemento Annalium Archãgeli Gianij.*
2 *Ex alijs m. s. ejusdem Gianij in Archivo D. Ann. de Flor.*
3 *E' monum. ejusdem Archivi.*
4 *E' monum. eorundem Conventuum.*

Anna Catharina Gonzaga Archiducissa Austrię induit cupit Habitu Tertii Ordinis nostri, & unà cum ipsâ renascitur idem Ordo in Germaniâ.

C A P. VII.

EX quo Antonius Alabantus de Bononiâ Generalis zelo amplificandæ Religionis, ejusdemque illustrandæ, nunquam non memorandus, Magistratum simul, ac vitam deposuit, Ordo noster per Germaniam sensim in deteriora prolapsus, tum propter frequentes bellorum incursiones, tum propter Hæreticorum persecutiones, tum fortè propter quandam eorum oscitantiam, quibus curæ esse debebat Ordinis augmentum promovere, ingruente demum, & universa susdeque vertente non sine deplorandâ Religionis Catholicæ jacturâ Lutheranorum hæresi, & accedente terribili Turcarum irruptione per Germaniam olim honorificentissimè diffusus anno 1587. penitus per illas regiones defecit, dissipato prorsus, vel omninò ad nihilum redacto, tunc ibidem superstite pusillo Deiparæ Servorum grege, Joanne quodam Baccalaureo Salspurgensi Vicarium Generalem non omnibus fortè numeris absolutum id temporis agente. Æternum sanè deploranda calamitas, cui solum aliquid exindè solaminis proficiscitur, quod è nostris, nec unus eâ tempestate ad Heterodoxorum partes defecit, singulari utique Divinæ Providen-

Ordo Servor. per Germaniam deficit.

videntiæ argumento, quæ nunquam passa est Virginis illius Servos, quæ caput Draconis contrivit, Draconis ipsius inficiendos esse veneno, inficias ire non possumus, quòd Ordinis nostri Generales in posterum operam omnem dederunt, nervis omnibus contenderunt pro Ordine nostro Germaniæ restituendo, dignitatis, decoris, & sanctitatis, quæ ipsi per illas regiones superioribus seculis accesserant, indesinenter memores, & æquè ac electus Populus super flumina Babylonis sedens, cùm memoria repeteret Sion lacrymas effundens, singulari mœrore affecti. Verùm nullus adhuc in hac re profecit, donec auspice Gloriosâ Dei Matre Ordinis nostri Patronâ, cujus generalem Præfecturam administrabat alter Antonius à Corneto in Provinciâ Tyroliensi, divinitùs postliminio restitui visus est noster Ordo, nam Oeniponte Comitatûs illius primariâ Sede Archiducissâ Austriæ Annâ Catharinâ Gulielmi Gonzagæ Ducis Mantuæ Filiâ, quondam Ferdinandi Archiducis Viduâ auspice, mirabili quodam modo suum repetit exordium. Cùm Serenissima Princeps post Coniugis Archiducis obitum, qui feliciter contigit anno 1595., diu, noctuque seculari vitâ posthabitâ, & omnibus, iisque amplissimis ejusdem pompis dimissis, Religiosam Vitam speciali cuidam Cœnobio addicta inire meditaretur, anno 1607. annuente Summo Pontifice Paulo V., immo ejus votum miris laudibus confirmante, primum lapidem à Reverendissimo Episcopo Brixinensis suffraganeo pro novâ Ecclesiâ poni curavit, Divæ Virgini dicandam juxta formam præcisè, quam Deipara ipsa delinearat, de quâ sicut & de Cœnobio pro Sanctimonialibus apud eandem erigendo fusiùs ad annum 1621., ubi Serenissimæ, & Reverendissimæ hujus Principis gesta, & sanctissimus obitus sunt recensenda. Interim verò anceps animi, cuinam Regulæ ex approbatis ab Ecclesiâ adhærendum prędictis Sanctimonialibus esset, & plura mente revolveret, non deerant aliorum Ordinum Alumni propriam ipsi preponere, ut inde ipsis insignis hoc recenris Cœnobij ornamentum accederet, & dum ipsa respondere animo suo jampridem sedisse, solas velle Mariæ Servas eligere, iisque duntaxat locum hunc designatum esse, unde ipsis adhærere non poterat, non defuit pariter non inidonea eorumdem instantia, Ordinem videlicet suum Divę Virgini quoque addictum vivere. Verùm, neque hoc Serenissimæ satis erat, quæ licèt ultrò concederet, eos quoque Beatæ Virginis famulatum exhibere, alio tamen Titulo, quàm Servorum Mariæ compellari consuevisse, illis autem tantùm, qui & re, & nomine tales haberentur, opus à Deo potiùs, & Beatâ Virgine, quàm à se destinatum competere, & à se omnino deberi. Divinitùs tandem Deiparæ mentem intelligit, & Ordinem specialem, quem ipsa vellet, cognovit, cùm scilicet Petrus quidam Martyr Felini de Cremonâ Ordinis Servorum Sacerdos ex A Bavariâ Oenipontem pertransiit à Serenissimo Bavariæ Duce Electore redux, ad quem sacras aliquas reliquias detulerat, & Urbem repetebat. Nam P. Niccolaum Barchi de Mantuâ Capuccinum, qui Serenissimæ à Sacris Confessionibus erat, amicè conveniens, ubi Cœnobium præfatum, magnâ ex parte ædificatum circumspiciebat, ab ipso perit, cuinam designatum foret hujusmodi Cœnobium, cùm verò P. Nicolaus reponeret Mariæ Servis decretum esse, Petrus præ gaudio exiliens sibi gratulabatur, quòd Ordo Servorum, cujus ipse Filius erat, tandem aliquando Germaniæ esset restituendus. Cùm autem P. Nicolaus hoc Serenissimæ significasset, ipsa confestim acciri ad se præcepit prædictum B Petrum, qui jam per aliquot milliaria Oeniponte recesserat, qui Serenissimæ se celeriter sistens, & ab ipsâ inexplicabili comitate, & sui cordis dulcedine exceptus, ipsam de Religionis Servorum B. Virginis exordio, necnon de ejus per Germaniam ab initio usque dilatatione, dignitate, sanctitate, ac de supremo ejus defectu, qui superiori seculo, anno scilicet 1587. non absque lachrymis contigerat, certiorem pro virili fecit, & sibi modò valde gratulabatur, & Ordini, quòd Beatissima Virgo Serenissimam hanc Principem ejusdem elegisset Reparatricem. Quibus cognitis Serenissima Princeps, quæ in hoc familiari cum Petro Martyre trium horarum colloquio eximiâ perfusa erat voluptate, ipsum cum certis mandatis Romam, quò C pergebat, destinavit, ut quæ rei summam concernebat, à Pontificiâ Sede impetraret. Quippe quæ Ordinem illum, qui ipsi erat in votis juxta Deiparæ placitum, mirum in modum deprehendisset, necnon literas ad Antonium Generalem per eundem Petrum Martyrem misit sequentis tenoris.

Petrus Martyr Felinus Archiducissæ Austriæ explicat Originē Ordin. Servor.

Reverendiss. P. Generali Ordinis Servor. B. M. Virginis.

POstquam placuit Deo Altissimo mentis meæ tenebras Spiritûs Sancti gratiâ illustrare, ut operâ meâ, Religio vestra Servorum Beatissimæ Virginis his in partibus denuò excitaretur, Monasterium pro Sanctimonialibus ejusdem Or- D *dinis à fundamentis erexi, pro quibus Sanctissimus D. N. Paulus Papa V., etiam de consilio Sacræ Congregationis Cardinalium super Regulares, specialem Regulam, & Constitutiones à me editas, approbavit, & confirmavit. Cupiens itidem, ut ejusdem Ordinis Confessarium habeant, & si id fieri debeat, de Ordinarij consensu, & beneplacito, cui præfatæ Moniales, juxta Regulæ tenorem immediatè subiectas esse oporteat. Id verò quantocyùs executioni mandari exopto pro majori Dei, & vestræ Religionis honore, quam brevi hac de causâ in his Regionibus ad Dei gloriam, animarumque salutem magnam accessionem facturam spero. Quapropter*

Sereniss. Annæ Catharinæ Epistola ad P. Gener.

pter Paternitatem tuam Reverendissimam rogo mihi morem gerere velle, ut priùs Sedis Apostolicæ habito consensu P. Fratri Nicolao de Mantuâ Ordinis Capuccinorum meo proprio Confessario Religionem vestram ingredi, et ad Habitum admitti liberè liceat. Ea tandem, quæ ad id agendum, inducunt, Paternitas Vestra Reverendissima à Patre Petro Martyre Felino à me valde dilecto accipiet. Interim me tibi, Religioni'que vestræ propensam exhibeo, & à Deo optimo maximo felicia quæque auspicor.

Datum Oeniponte 12. Kal. Junij 1611.

Paternitatis Vestræ Reverendissimæ

Obsequentissima
Anna Catharina Archiducissa Austriæ.

P. M. Æmilius Contini mittitur Vic.Gen. ad Serenissimam.

His Literis auspicatissimis acceptis continuò Antonius Generalis per suas Literas patentes Romæ datas die 7. Julij, Patrem Magistrum Paulum Æmilium Contini de Mantuâ Vicarium suum Generalem ad Serenissimam Archiducissam legavit, ac subinde Patri Magistro Archangelo Gianio gravissimum istud negotium maximoperè commendans, scripsit sub datum Perusij 6. idus Augusti, præcipiens, ut quæ apud se haberet, vel de Origine Ordinis, vel de B. Philippo, vel Constitutionum nostrarum exemplaria, & monumenta ad eandem Serenissimam transmitteret, & cum eâ per Literas ageret de ijs, quæ pro Religione restituendâ apud Germanos sibi opportuna viderentur; quo circa plures deinceps inter eos hinc inde datæ fuere literæ. Interea Paulus Æmilius jamdiu summis votis expetitus Oenipontem pervenerat, & perhumaniter 12. Kalendas Novembris exceptus, cujus etiam Sacrum Habitum Serenissima Princeps humi prostrata lachrymis potiùs, quàm verbis eximiam, quàm erga ipsum animo conceperat, venerationem, & insigne ipsum induendi desiderium ostendens, plurimis in ipso osculis impressis prosequebatur. Post hæc idem Vicarius Generalis, ut muneri suo, & Archiducissæ votis satisfaceret, Apostolico Indulto attento, in Ecclesiâ Valdrastensi, quæ non procul Oeniponte distat, ubi Thaumaturga Beatæ Virginis Imago colitur, quæ Serenissimæ, & Petri Nicolao in delicijs erat, Capuccinorum veste depositâ sanctum Ordinis nostri Habitum eidem Patri Nicolao VIII. Kal. Novembris hoc anno detulit, Ordin'que nostro cooptavit, nomine ipsi indito Joseph Maria, qui adhuc deinceps in munere permansit Serenissimæ Confessiones audiendi. Mirum autem quantùm exinde gaudio affecta fuerit Anna Catharina, cùm Patrem Josephum Mariam reducem vidit ex Vvaldraft Sancto Virginis Habitu indutum, cui planè non mediocriter invidere aliquomodo subindicabat se beneficio isto etiamnum destitutam, quo ille tantoperè gauderet, licèt certò certiùs crederet pari se cum Filiâ suâ, necnon alijs Sacri hujus Habitûs æmulis propediem beandam. Hac igitur ratione apud Germaniam noster renascitur Ordo.

Gravissimũ hoc negotiũ P. M. Archangelo Gianio commẽdatur.

P. Nicolaus Capuccinus Habitu nostro induitur.

Cùm hæc agerentur, nuptiæ solemnes inter Mathiam Hungariæ, & Romanorum Regem, postea Imperatorem, & Annam Annæ Catharinæ Filiam natu minorem, celebratæ fuerunt; quæ, ut Religiosis etiam Indultis decorarentur, pijssima Mater, quæ ad hoc Filiam comitatura Metropolim usque Austriæ Viennam pervenerat unà cum Patre Josepho Mariâ, & Patre Vicario Generali prædicto pro Rege, & Reginâ Filiâ ab Antonio Generali favorabiles literas participationum spiritualium bonorum Religionis impetravit, quas idem Pater Æmilius Vicarius Generalis, qui eisdem nuptijs interfuit, Regi, & Reginę summâ pietate ipsas excipientibus detulit. Quò subinde Italiam repetente constitutus ei successor fuit in munere Vicarij Generalis per literas patentes Romæ datas die 26. Octobris 1611. Pater Joseph M. Barchi præfatus Serenissimæ Confessarius.

Absolutis Annę Filiæ Nuptijs, Anna Catharina Oeniponte restituta, jamdiù propositam Sancti Habitûs devotionem diù, noctu'que revolvens, quæ ad eundem induendum paranda forent meditabatur. Postquam enim Monasterium prædictum pro Virginibus eodem Habitu induendis, ac Deiparæ perpetuò dicandis, ædificaverat, quibusdam sibi divinitùs revelatis Constitutionibus ab Apostolicâ Sede approbatis, secum ipsa cogitabat, quomodò, & à quibus Virgines illæ in perpetuâ clausurâ instituendæ forent. Licèt verò ex Ordine nostro per Italiam præstò fuissent Sorores ad id muneris maximè idoneæ, aptiùs tamen ipsa putavit sanctimoniales quasdam Germanas propter idiomatis usum ad opus illud traducere. Quare ex Monasterio Suvarensi Ordinis Sancti Augustini tres Moniales educendas curavit, quarum altera novo Monasterio præficeretur, reliquæ verò duæ Novitijs instituendis deputarentur. Huic pariter Monasterio Anna Catharina proximum voluit cum eadem Ecclesiâ aliud Cœnobium pro Tertiarijs Ordinis nostri, cum quibus & ipsa simul degere aliquando constituerat; ac ut opus undequaque perfectum evaderet, nec aliquid munificentissimæ suæ pietati, & Religioni defuisse videretur, Monasterium adhuc aliud pro Fratribus nostris à fundamentis excitare secum ipsa quotidie, & cum Architectis meditabatur. Itaque maximo huic operi intenta semper Serenissima, de præeligendis Virginibus pro Monasterio solicita, quàm diligentissimè earum Spiritum explorabat, ut compertum illi foret, quænam ibidem in obsequium Gloriosæ Dei Genitricis longè aptiores viderentur. Præ cæteris verò admiranda nobis occurrit altera Annæ Catharinæ Filia natu major, nomine Maria, quæ adhuc domi superstes, posthabitis Regis Hispaniæ nuptijs, tum præfati sui nominis veneratione,

Serenissimæ studiũ pro absolvẽdâ Ordinis reparatione.

Tres Moniales Ord. S. August. è Monasterio educandas curat.

tum

tum exemplo Matris commota, Religionem, & sanctitatem in moribus mirum in modum colebat, & æquè ac Mater Sanctæ Virginis Habitu indui expetebat. Pari quoque diligentiâ Viduis eligendis incumbebat Serenissima, quę in Domo Regulari prædictâ Tertium Ordinem Servorum unà secum, & cum Filiâ profiteri debebant. Hæc igitur sunt reparati per Germaniam Ordinis nostri exordia, auctore Serenissimâ, ac Principe, omnique laude superiori, quæ aliquam cum Prioribus analogiam tenuisse videntur, sive nobilitatem Fundatorum spectemus, sive Servorum nomen oraculo Infantium Divinitùs inditum, sive Mariam Virginem veneremur speciem vestis in Senario, necnon vivendi Regulam demonstrantem. Siquidem hæc Ordinis, de quà agimus, reparatio, Serenissimę Fundatrici debetur, quæ mirabili modo notitiam assequitur Ordinis nostri, cujus nulla antea ipsi, Titulo saltem tenus, inerat cognitio, ac per Germaniam obliterata erat memoria; cui pariter eadem Deipara Vestium formam exhibuit, & vivendi normam præscripsit, prout fusiùs ad annum 1621.

Hujus fūdationis Analogia cū Priori.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

A*Ugust. Romer Servitus Mariana, & Reg. Gen. Ducci a 83.*

Fundatur Cœnobium, & Ecclesia in Valle Camultj in honorem Beatæ Virginis, quæ dicitur del Boschetto, *& varia ejus recensentur Miracula.* CAP. VIII.

In Valle Camultj miranda B.Virginis apparitio.

QUI modò sequitur Annus duodecimus supra millesimum sexcentesimum felicissimo omine à Beatâ Virgine Mariâ singulari Ordinis nostri Patronâ auspicatur initium; hæc enim in Valle Camulij inter littora Maris Ligustici, non procul Genuâ, Puellę cuidam apparens anno 1518. ipsi præcepit, ut Populum moneret de construendo ad sui honorem delubro, & Cœnobio pro Servis suis; de quo infra. Interim Lectorem monitum volo plura contigisse miracula ab anno prędicto 1518. deinceps Beatę Virginis intercessione apud Sacratissimam ejus imaginem in Ecclesiâ pędictâ collocatam, quę modò recensere opportunum existimo, ut aliquod eidem Deiparę grati animi argumentum exhibeam, ac debita ipsi veneratio magis in dies augeatur. Ineunte anno 1558., cùm ad Trivium illud, in quo sita erat hęc Beatæ Virginis Imago, Pueri quidam convenissent, ut inter se varios jocos exercerent, & jaciendo lapides luderent, inter eos aderat Cœcus quidam nomine Antonius de Schiaffinis, qui gloriabundus dicebat, se æquè ac illos lapidem quemcunque ad scopū determinatum dirigere posse, alijs contradicentibus, sibi lapidem pedi superimponi mandavit, quem eâ facilitate, ac vehementiâ in ædiculam illam iniecit, in quâ Beatæ Virginis sita erat Imago, ut hanc directè percuteret, & in frusta comminueret. Quòd cùm advertisset reliqui Pueri nimio perculsi terrore inde statim recessere. Antonius autem stupidus continuò, & immobilis remansit, necnon pes ille, quo lapidem iecerat, cum totâ tibiâ maximè intumuit, & pluribus ulceribus adeò scatere cœpit, ut gravissimis pressus doloribus miserrimè moriens Antonius per universam illam Vallem documento Posteris fuerit sancta sanctè tractandi. Ex hoc verò sacrilegio ausu omnipotens Deus non mediocre bonum eduxit; longè enim major exinde profluxit Populorum pietas, frequentior concursus, major etiam beneficiorum copia, quæ iisdem jugiter contulit Beatissima Virgo. Præterea quo tempore Locum hunc Ordinis nostri Fratres colere cœperunt, hoc scilicet anno, Vir quidam nomine Franciscus ex Oppido oriundus, quod dicitur *Recco*, malignâ febri gravissimè laborans, ita quidem, ut vix ulla superesset spes ipsam feliciter evadendi, nocte quadam sanctæ huic Imagini ex animo se commendabat, & sibi vim faciens viribus aliquantulum instauratis à lecto assurgens, sese vestibus induens, cæteris omnibus dormientibus clam illis ad Sacram Ædem Camulij pedetentim se solo processit, quatuor milliarium itinere peracto, ibique genuflexus in oratione per aliquod temporis spatium perseverans ab omni prorsus infirmitate liberum se præsensit, seque pristinum recuperasse vigorem. Illucescente verò die gratijs Deo, ejusque Virgini Matri, prout par erat, actis, plures in eâ Valle sibi amicos, qui rem hanc vehementer mirabantur, invisit. Deindè verò Domum feliciter reversus est, ubi medicum, qui ipsum ab infirmitate curandum susceperat, evulgasse per Oppidum deprehendit, quia ipsum non adinvenerat, quod Franciscus phrenesi quadam actus præcedenti nocte, vel per aliquam ex rupibus, vel in mare præcipitem se dederit. Parentes verò, ac Domesticos omnes maximè dolentes reperit, quique ipsum tanquam miserrimè mortuum destebant. Luctus autem ipsorum in Cytharam repente est versus, cùm ipse coram omnibus penitus incolumis, ac viribus integer sese præbuit videndum, qui rem ipsam exactè, prout contigerat, singulis admirabundis, & præ gaudio exilientibus enarravit. Ad hæc Antonius Bianchi à Vico Sanctæ Margaritæ, necnon ejus duo Filij eâ oculorum caligine laborabant, ut omnes ad singularem sui commiserationem commoverint, quippe qui pro hujusmodi vitio domestica curare non possent, ac propterea omnia pessum irent. Antonius ergo insigni spe in hanc Beatam Virginem erectus, se, suosque Filios vehementer ipsi commendans, voto ejus Imaginem unà cum Filijs adeundi emisso, confestim pariter unà cum

1 Cujusdā Cœci temeritas severè punitur.

2 Malignâ Febri gravissimè laborans statim sanatur.

A B C D

3 *Aliqui oculorũ caligine affecti convalescunt.*

cum Filijs convaluit, quod beneficij genus in se quoque expertus est Baptista Schiaffini de Camulio. qui pari affectus oculorum caligine, precibus ad eandem humiliter fusis ex eadem infirmitate evasit. Insuper Puer quidam Filius Petri à Vico, qui dicitur Fontana bona

4 *Pestiferâ lue laborans illicò sanus efficitur.*

pestiferâ lue laborans, ex quo lingua morbo quodam, veluti cancri, affecta est, à Parentibus eidem Beatæ Virgini commendatus, illicò sanus effectus est. Ulteriùs Peregrina quædam Mulier idiomatis Italici omnino expers,

5 *Membris malè affecta mirabiliter sanatur.*

sed adeò membris male affecta, eorumque integritate destituta, ut incedendo par non esset, Camulium fortè appellens apud Franciscum quendam de Schiaffinis piscatorem per humaniter ipsam excipientem divertit. Hic verò per noctem piscationi intentus adeò uberem piscium copiam recepit, ut illucescente die ipse, & singuli ex familiâ suâ operam omnem huic prædæ conferentes, magnam diei partem insumpserint, quin vel ipse, vel alter ex illis domum rediret, vel inopis illius fœminæ, quæ domi suæ hospitabatur, recordaretur. Completo demùm prædicto piscationis opere domum repetens obviam statim Peregrinam illam habet, quæ Italicè loquens coram omnibus ipsam facillimè intelligentibus dixit: *Beatam Virginem* del Boschetto *adeamus, plurimas ipsi gratias acturi, quandoquidem hac nocte mihi visibiliter apparens, integram mihi, prout omnes conspicitis, sanitatem restituit*. Hæc sanè prodigia Beatæ Virginis intercessione, ad hoc usque tempus patravit Altissimus, alia tamen adhuc insequentibus annis recensenda supersunt.

Itaque cùm longè, latèque sese diffunderet sacræ hujus Imaginis, & miraculorum, quæ Beatæ Virginis intercessione ab Altissimo quotidie patrabantur, celebritas ad amplissimam Genuæ Civitatem progressa Ordinis nostri Patrum ibi degentium animos, quàm maximè commovit, ut ibi Locum sibi pararent, séque Deiparæ cultui prosequendo summo studio exhiberent, quippe qui probè noverant, quod eadem Deipara supradictæ Puellæ revelaverat, quòd Servis suis locus hic erat designandus, qui eam peculiari veneratione à Fidelibus colendam pro virili curarent. Præ cæteris autem Pater Magister Polycarpus Costa originem ducens de Camullo operam omnem adhibuit anno 1611. apud Communitatem illam, ejusdemque Loci Archipresbiterum, necnon Patres Cœnobij Servorum de Genuâ, ut sibi liceret situm ibi pretio comparare, in quo Ecclesia, & Cœnobium pro Ordine nostro à fundamentis ædificaretur.

Fũdatur Conv. Camulij

Subinde annuente D.D. Horatio Spinulâ Archiepiscopo Genuensi, assentientibus Serenissimæ illius Reipublicæ Magnatibus, quæ quidem omnia patent inter monumenta Conventûs Genuæ, anno tandem 1612. frequentissimo Populi concursu primum Lapidem Ecclesiæ, & Cœnobio ædificandis solemni ritu posuit; quæ deinde Polycarpo prædicto vitâ functo, Pater Costantinus Crovara Loci hujus regimini, nomine Vicarij præpositus à Patribus Conventûs Servorum de Genuâ, cui locus hic unitus remansit, tanquam capiti membrum usque ad annum 1646., quo in Prioratum electus, & Conventus absolutus declaratus fuit, felici omine perfecit, opem maximè ferentibus Camuliensibus, & omnibus conspicuâ Beatæ Virginis Mariæ protectione, quę Fidelibus Populis studium instillabat larga erogandi subsidia, nec sine prodigijs aderat, inter quę recolendum omninò videtur, quòd cum negasset aquam alter promovendę fabricę necessariam, quam commodè tribuere poterat, hujus aquæ fons statim exaruit, & alter abundè suffecit, quin etiam omnium vota excessit, qui cęteroqui satis esse non posse videbatur.

Die tandem secundâ Julij, quę fuit Dominica, Visitationi B. M. V. nuncupata anno 1634., cùm Ecclesiæ Fabrica sanctissimę Missę Sacrificio celebrando apta censeretur, maximâ Populi confluentiâ, insigni pompâ, ritúque valde solemni ab Ædiculâ anno 1518. ędificatâ ad hanc recens constructam Ecclesiam translata fuit à Patribus Beatę Virginis Imago, statímque Divina solemniter celebrata fuere mysteria, quo tempore summus omnium Conditor Deus ad augendum Beatę Virginis cultum omnipotentiam suam ostendit. Cùm promoveretur hujus Ecclesię fabrica, Nicolaus Schiaffini, & Laurentius Marchiagni eandem Ecclesiam nondum verè completam ingressi, alvum ibidem exonerare veriti non fuere, quod summę irreverentię genus acriter ipsis exprobrante, atque damnante Joanne Baptista Marchiagni, unanimi petulantiæ sensu ambo ipsum irrisere, quorum alter dixit. *Mori vellem quâ die primùm hic celebrabitur Missa* alter verò *eadem die naufragium inter maris fluctus subire*, Quę

In novâ Eccles. celebratur solemniter prima Missa non sine prodigiis.

sanè reipsâ contigere, eodem enim tempore, quo solemnis hęc actio habebatur, Nicolaus in conspectu Camulij naufragium subijt, & Laurentius misertimè obijt. Procedente verò tempore Patrum ibi degentium industriâ Deiparę, cultus magis in dies, ac magis excrevit, varia Religionis officia ibi statis diebus exercendo, ac denique annuente Eminentissimo Stephano Card. Durazzo Archiepiscopo Genuensi die 29. Julij 1639. instituta fuit ibidem societas plurium Laicorum Confratrum, qui cappâ nigrâ induti in Oratorio quodam inter Claustra nuper constructo in unum coeuntes singulis diebus festis infra annum Officium Beatę Virginis, cum alijs precibus, tum ante, tum post meridiem persolvunt, aliáque hujus generis opera alijs quoque diebus non mediocri pietate exercent.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

EX *monumentis hujus Conv., Tabellis votivis, et communi traditione.*

Gesta

Gesta, & Obitus Venerabilis Sororis nostræ Cæciliæ de Bernabeis Cortonensis enarrantur. CAP. IX.

QUO tempore vetus Cœnobium nostrum Cortonę propter varia bella dirutum funditùs fuerat, anno scilicet 1529., ac proinde per aliquod temporis spatium Fratres nostri certâ sede destituti ab eâ Civitate abesse cogebantur, ad annum scilicet usque 1532., vetus pariter illa Sancti Habitûs nostri devotio vehementer deferbuerat, donec in aliâ S. Antonij intra Urbem Ecclesiâ anno prędicto acquisita quarto illo Religionis nostrę seculo postliminio fuit restituta. Plures quidem tum Viri, tum Fœminę ipsam summo studio colebant; pręceteris verò, qui Societati illi nomen dederunt, recolenda nobis modò est, & maximè veneranda Soror Cæcilia Filia Joannis de Bernabeis. Itaque Cæcilia ab incunabulis Beatę Virgini addictissima, cùm à Patre Gabriele de Bonis, qui eo temporis Cœnobio nostro ibidem prępęrat, sancti Habitûs dignitatem, & admiranda percepisset, spiritualibus ejusdem Patris colloquijs illecta, emisso perpetuę Virginitatis voto ab eodem Patre Habitu prædicto fuit induta. Pater hic Gabriel alter ex ijs fuit, qui postea Eremiticam Vitam in Monte Senario instauratam Clemente VIII. Summo Pontifice, & Ferdinando Primo Magno Etrurię Duce colere primi cœperunt, quâ in Eremo ad annum usque 1622. religiosissimè vixit, quo tempore mortalitatis exuvias mense Junio deposuit, prout ex suo loco dicendis fusiùs patebit. Cùm igitur Cæcilia preclarum de se per integrum annum in eâ probatione specimen præbuisset, frequens in Ecclesiâ nostrâ, & pietatis operibus maximè dedita solemnem Professionem juxtà Regulam Martini V. in manibus prædicti Patris Gabrielis emisit, acceptissimum quidem Altissimo, & Beatæ Virgini opus. Dæmoni verò ingratissimum, qui proindè varijs artibus ab eo ipsam removere conatus fuerat, quemadmodum & à Generali peccatorum suorum Confessione, quam varijs studijs præmissis cotam eodem Patre Gabriele feliciter tandem peregit, antequam emitteret Professionem. Vitam in summâ ducebat Paupertate, non solùm quia hoc necessario exigebat rei familiaris egestas, verùm etiam, quia erat illi in delicijs; cilicium pro thorace adhibebat, ac ferream Zonam ad insidias Diaboli retundendas eâ planè animi constantiâ, ut ejus familiares affirmare aliquando non dubitaverint, quòd tres annos continuos ipsum nunquam exuerit, quod proindè Carni interius adhæsit. Modico pane, & frigidâ, alio quocunque obsonio penitus excluso, contenta quandoque, ut modò dicemus; contra æquè avida erat Sanctissimæ Eucharistiæ, ac ab alijs Cibis aliena, adeòut plures aliquando dies venerabili hoc Sacramento aleretur.

Emisso Virginitatis voto induitur Habitu.

Dæmonis tentationes superat.

Vitæ austeritas

A Charitatis officijs erga Proximum ita studebat, ut ægrotantes fœminæ Cæciliam apud se Ministram, sociam, familiarem certatim habere curarent. Solemne pariter erat Cæciliæ pauperum Adolescentularum domos adire, easque, dum periclitarentur, ad pudicitiam, & continentiam integram servandam cohortari, & ideo reipsâ ex congestis eleemosynis juvare. Triginta annis carnes nunquam manducasse ferunt, quatuor verò dies per singulas hebdomadas pane solum, & frigidâ transigere contenta, corpus suum vigilijs, & flagellis in servitutem redigere consueverat: quæ quidem abstinentia eò tandem processit, ut stomachus præ nauseâ, & infirmitate vix retinendo cibo par esset, illumque sæpissimè B rejicere cogeretur, quamobrem, qui spiritum ejus dirigendum susceperant, eam aliquando per obedientiam cogebant, ut delicatulas quasdam epulas, & aliquam vini portionem ad confovendum, & reficiendum stomachum desumeret. Plures Cæcilia domi, forisque jugiter tolerabat tentationes: In primis enim Domi Matrem vetulam, languentem, fastidientem, molestam æquo animo multos annos tulit, ac semper eadem vultu, & animo ad hilaritatem composito importunæ Matri Filia dulcis ministrabat; foris verò non deerant conflictus assidui cum Dæmone, qui illâ varijs illecebris, & vehementibus impudicitiæ speciebus vexabat, adeòut sæpissimè de hac re conquereretur, & cupere dissolvi dic C taret ad hujusmodi Dæmonis artes declinandas, qui sibi satisfactum non putans, si inhonestas hujusmodi imagines eidem sæpissimè objiceret, adhuc etiam ipsam ad desperationem tantopere incitabat, ut nisi Divina præstò fuisset gratia, quæ semper adest diligentibus Deum, in altissimum quendam publicum Civitatis fontem se demergere tentasset. Verùm ab ejusdem fontis margine Cæcilia sese repelli, & interiùs confortari præsensit. Cæciliæ fama Episcopum adierat, qui tanquam pervigil Custos sibi concrediti gregis Ecclesiam frequenter ingrediens Cæciliam, tum in sacramentali Confessione, tum extra ipsam quàmlibentissimè audiebat, & ejus operâ veluti salutari instrumento ad conD vertẽdos peccatores utebatur. Præterea paupertatem illius, & Matris varijs Eleemosynis relevabat, quin etiam pluribus alijs Pauperibus occultè juvandis Cæciliam, veluti Thesaurariam, & Eleemosynariam suam constituerat. Erat igitur Cæcilia sibi valde egens; egenis verò, & Pauperibus haud mediocriter Dives; nam Cortonenses Matronæ Cæciliam varijs artibus confovebant, eidemque plura erogabant, scientes illam fidelem esse aliorum pauperum Dispensatricem. In assiduâ Oratione ferventissima, cui magnâ lachrymarum vi plerunque vacabat, genibus adeò callum obduxerat, ut incedere vix posset. Si qua verò corpori exinde accedebat molestia, præ

Charitas in proximum.

Abstinentiæ rigor.

Alias Dæmonis tentationes superat.

Episcop. ipsius Confessiones audit, et ejus operâ ad convertendos Peccatores utitur, & ad Pauperes sublevandos.

Orationis fervor.

cordis

cordis delicijs, quibus in oratione affluebat, pro nihilo haberetur, nam in ejusmodi mentis elevatione, & contemplatione rutilantem Jesu Christi Imaginem sæpè videre affirmabat, quemadmodum & in Sacrificio Missæ post consecrationem super Altare sibi conspicuum fieri Puerum Jesum visibili specie illam confortantem, qui se aliquando Sacratissimæ Trinitatis mysteria in extasim rapta penetrasse, & hujusmodi alijs visionibus, necnon Beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum apparitionibus confoveri afferebat. Quod sanè rerum hujusmodi peritis mirandum non est, quandoquidem siquis suapte naturâ infirmus gravissimis præsertim tentationibus prematur, deesse illi non solet, aspirante Deo, id genus cœlestes deliciæ, ne forte deficiens Diabolicis artibus succumbat. Quò igitur Cæciliæ ex tot bonis operibus vegetior, & Deo, Beatæque Virgini acceptior evaserat animus, eò debilius factum fuerat corpus, itaut pravis humoribus affluentibus, vitalique stomachi calore deficiente cogeretur Cæcilia plures menses decumbere, cui pijssima quædam fœmina, nomine Diamantes diutino quartanæ morbo vexata ministrabat. Morti verò proxima Cæcilia sociam suam Diamantem sic alloquuta fuit: *Eja soror plurimas tibi debeo gratias pro tantâ erga me benignitate, sed referendis sum impar; polliceor tamen, si fortè summè misericors Deus suæ gloriæ fecerit hæredem, me tibi sanitatem pro beneficijs compensandis impetraturam*. Itaque Cæcilia Sacris omnibus munita placidè obijt; & spiritum, qui tantoperè Deo obsequutus fuerat, ipsi quoque Deo reddidit die 22. Januarij hujus anni 1611., quâ die Cortonensis Ecclesia S. Martyris Vincentij Patroni sui celebrare consuevit solemnia, ac si et ipsa Cæcilia eadem die gloriosè victrix de Mundo, Carne, & Dæmone triumphum egisset. Cujus rei insigne argumentum fuisse videtur, quòd vix defunctâ Cæciliâ, prædicta ejus socia ab omni prorsus infirmitate incolumis confestim evasit. Venerandum verò ejus Corpus die proximè sequenti in Ecclesiâ Cathedrali honorificè tumulatum fuit. Erat Cæcilia proceræ staturæ, sed pallidæ faciei, quæque comitatem simul, & gravitatem præseferret. Charitatis operibus præcæteris familiaribus exercitijs addicta, habitu contemptibilis, demissa incessu, verbis humilis, venerabilis aspectu, & charitate undequaque perfusa.

Varijs apparitionibus recreatur.

E

F

Graviter infirmatur.

Eius obitus.

G

H

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

EX *supplem. Annal. Archangeli Gianij, & è monumentis Ecclesiæ Cathedralis Cortonæ.*



Recensentur plura Miracula Divæ Annunciatæ de Florentiâ.
C A P. X.

BEatissimam Virginem pluribus quidem in locis Ordini nostro concreditis gloriosam reddere gestit Altissimus, venerationem Populorum erga sacras ejus Imagines commovendo, insignia proinde miracula in eorundem beneficium Beatæ Virginis prædictæ intercessione perpetrando. Plura tamen, eaque longe superiora quinque ferè ab hinc seculis coram celeberrima Imagine Divæ Annunciatæ de Florentiâ quotidie præstat, quæ profectò opus non esset recensere, cùm ex argenteis potissimùm votis, votivisque Tabellis numero quocunque superioribus ibidem appensis, veluti præclaris trophæis unicuique se prodant, & apud varios scriptores, vario quoque idiomate omnibus obvia prostent. Verùm è re maximè esse arbitror nonnulla saltem referre, ne dum cætera Ordini nostro honorifica recenseo, prout Annalium ratio exposcit, hæc tanquam nullius pretij parvi facere videar, quod sanè ingrati animi vitium nimis detestabile foret. Itaque Gianij vestigijs insistens, aliqua ex hisce miraculis, quemadmodum rei, ac temporum opportunitas exiget, identidem recensere decrevi. Primùm verò referendum in præsenti occurrit, quod in agro Lucensi cuidam nobili Puellæ contigit, quæ dicebatur Sylvia Pompeij Bedini Lucensis Filia. Hac enim anno 1605. mense Octobri ruri degente cum D. Laurentiâ Oricellariâ Matre Viduâ, Fabritius ejus Patruus dotem illi à Patre donatam iniquè appetens pluribus Aureorum millibus constantem, è Gallijs cùm aliquibus sicarijs eò advenerat, ut propriam Neptem Matri subduceret, & brevi voti compos effectus per Apenninos in Galliam unà cum raptâ Puellâ, quàmcelerrimè remeabat. Interea Mater Filiam raptam Beatæ Virgini Annunciatæ etiam atque etiam commendabat, nec sanè frustra; Paulus enim Oricellarius Puellæ Avunculus ipsam Rhegij Lepidi armatorum vi suffultus à Fabritio exemit, & post paucos dies mœstissimæ Matri restituit, quæ statim cùm satis sibi factum videret, Imaginem Filiæ argenteam insignis ponderis sanctissimæ Annunciatæ nuncupavit. In agro quoque Pistoriensi apud Tivranam mulier quædam nomine Clementia Leonis Baldassini Coniux anno 1607. circa Festum Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ à Privigno, qui jampridem in eam summo exarserat odio, pluribus vulneribus iterum ac tertiò graviſsimè affecta, & penè mortua, cùm se sacratissimæ Annunciatæ devovisset, post quindecim dies incolumis evasit. Consimili pariter odio Privignus alter Ascanij de Rafis Filius, nomine Franciscus, Novercam Gemmam, defuncto Patre persequebatur; ut autem iræ veno-

1 *Sylvia Lucensis à Patruo raptore liberatur*

2 *Clementia vulneribus affecta incolumis evadit.*

3 *Gemma jugulata liberatur.*

venenum, jamdiù in eam conceptum, tandem aliquando evomeret, Mantuâ, ubi degebat, Aretium pervénit simulans se velle Gemmam, quam ipse Matrem vocabat, in propriâ Villâ Pomarlâ, ubi mulier diversabatur, non mediocri temporis spatio interiecto ad humanitatem compositum visitare. Ibi verò anno 1609. die 6. Novembris nactâ opportunitate vittâ quadâ sericâ Novercæ gutturi impositâ ipsam suffocare tentavit, neque adhuc hujusmodi scelere contentus, immò longè majori percitus irâ, stricto gladio mulierem humi jacentem jugulavit, & unà cum famulo, qui sibi opem præstiterat, aufugiens, Mantuam, ubi non diù superstes fuit, quàm celertimè rediit. Intereà Gemma in extremis laborans (neque enim arterijs, & jugulo solutis, attentis naturæ viribus vitam agere poterat) Divæ Annunciatæ præsidium implorans, preces, & vota, prout poris erat, ingeminans, naturæ jura superavit, siquidem admirantibus Medicis, & verè Miraculum prædicantibus, Gemma statim omninò convaluit, & in posterum in aliquod grati animi argumentum unà cum vestibus pullis Viduæ proprijs indumentum cœruleum, ad honorem Virginis Annunciatæ perpetuò deferre decrevit. Jacobus de Fracassatis Vir prima-

4 *Jacobus de Fracassatis moribundus sanatur.* rius in Oppido Butrij pestiferâ vexatus febri, jam agebat animam, animo tamen aliquando repetens Gloriosam Divæ Annunciatæ Imaginem, quam Florentiæ jampridem conspexerat, ipsique se ex animo commendans, eâ nocte, quæ omnibus vitæ suæ suprema videbatur, unde parabantur exequiæ, obviam ante cubile eandem Imaginem habuit anno Domini 1612. 5. Kalendas Septembris, cujus aspectu ita se recreatum præsensit, ut super ipsum cubile confestim genuflexus, junctisque manibus eandem insigni prosequutus fuerit veneratione. Quod animadvertens Pater Angelus Maria Ordinis Prædicatorum ejusdem Confessarius ibidem præsens celerem illum Jacobi motum Vesaniæ effectum existimans, ac proinde cohibere ipsum contendens, ab eodem intellexit sibi conspicuam se exhibuisse Imaginem Divæ Annunciatæ de Florentiâ, quæ ipsum valdè consolata erat, ipsique salutem pollicita fuerat, quemadmodum rei comprobavit eventus; nam proximè sequenti die, dum Cornelius de Sartis Medicus ad invisendum Jacobum accedens, quem proximè moriturum credebat, vegetum, & sanum Ecclesiam adeuntem Sacro audiendo, & gratijs Beatæ Virgini agendis reperit, & fere in extasim raptus exclamare statim cœpit: *Miraculum, miraculum!* Jacobus verò æstivis caloribus superatis Florentiam pedetentim ad

5 *Fracisc. Firmanus liberatur à præcipiti casu.* Matrem gratiarum confugit, & argenteam Imaginem ipsi obtulit in perpetuum hujus rei monumentum. Franciscus Firmanus Florentinus artis Fullonicæ minister, dum laneis pannis exsiccandis extra sublimem fenestram incumbit idibus Aprilis anno 1612., & ne in

A præceps rueret, cuidam funi innititur, accidit fortè, ut funis maximè debilis disrumperetur; quapropter Franciscus hoc præsidio destitutus in præceps ruere cogebatur. Verùm in eo discrimine ad Divæ Annunciatæ Imaginem confugiens, & in eâ plenam sui fiduciam reponens, dum pendulus extra fenestram casurus erat, modo quodam admirabili repentino impulsu sese præsensit intra limites fenestræ Domi in tuto positum, & à miserabili casu non absque insigni miraculo, ac beneficio Virginis Annunciatæ exemptum. Jo- 6 *Joannes Antonij liberatur à naufragio.*
annes Antonij Veredarius Serenissimorum Etruriæ Principum, dum è Germaniâ Florentiam reverteretur mense Januario anno 1612. in profluente Tagliamenti Fluminis inter Foroliviensés, quà pertranseundum illi erat,
B vehementiâ fluctuum amisso equo, exagitabatur, itaut prope proximè submergendus foret, Sanctissimam Annunciatam memoriâ repetens, emisso voto, eam protinus in adeò gravi periculo sibi propitiam expertus fuit, adeòut recuperato equo unà cum Sarcinulis è fluctibus omninò liber evaserit. Donatus Faber lignarius à Vico Brancaldole inter Apenninos, non procul à Florentiolâ, disruptâ Peritonei membranâ, & effusis visceribus herniæ morbo gravissimè laborabat, adeòut præ doloribus aliquando emori videretur; prædicto igitur anno, mense Junio, cùm Florentiam versus pergeret hujusmodi doloribus gravissimè affectus, ad Divæ Annunciatæ præsidiû confugit, ad quam instauratis quoquomodo 7 *Donatus Faber à gravissimis Doloribus sanatur.*
C viribus, tandem pervénit, & Sacro ibi audito precibus, unà cum lacrymis fusis ab hisce doloribus, ab herniæ morbo se liberatum agnovit. Cùm varia hoc anno Florentiæ celebraret spectacula D. Antonius Medices Capistrani Princeps, gratulabundus solemnibus nuptijs inter reges Hispaniarum, & Galliarum initis, casu accidit, ut in mediâ confertissimâ multitudine Antonius quidam Mutinensis sub quodam curru ab equis, & rotis adeò premeretur, & comminueretur, ut imminentem mortem evadere nullatenus posset, hoc unum pro sui remedio supererat, quod statim amplexus est, sese videlicet Gloriosæ Dei Genitrici Annunciatæ, cujus venerandam Imaginem eadem die Populo conspicuam de- 8 *Antonius Mutinensis sub curru liberatur.*
D votissimè veneratus fuerat, summis precibus commendare. Quod sanè irritum non fuit, vitam enim, quam casus ille ferè prorsus abstulerat, naturę vires excedens B. Virgo restituit; & hęc de Beatâ Virgine Annunciatâ, quę ad hanc usque diem collecta in lucem edidit italico idiomate P. Joannes Angelus Lottini de Florentiâ, Annalibus hisce inferenda sint fatis.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

EX *monum. Conventûs Divæ Annunciatæ de Florentiâ.*

Transferuntur Ossa Beatæ Elisabeth de Piecinardis Mediolani in Ecclesiâ Sancti Dionysij apponitur honorificum Epitaphium. Induuntur Habitu nostro plures etiam insignes. Celebrantur Comitia Generalia, & eligitur Generalis 45. Deodatus Ducci à Burgo Sancti Sepulcri. Procurator autem Generalis Antonius Zenobius Balleoni de Florentiâ. E

C A P. XI.

MAndante Archangelo Gianio de Florentiâ Provinciæ Mantuanæ, ut alibi * dictum est, Visitatore Generali, veneranda Ossa Beatæ Elisabeth de Piccinardis in suo Sacello Mantuæ reperta, iterum cum speciali arcâ sepulta in decentiorem locum hoc anno translata fuere superimposito sequenti Epitaphio. F

** Cent. 3. lib. 1. cap. 7.*

Beatæ Elisabeth de Piecinardis, quæ Virgineum Ordinis Servorũ Habitum perpetuò coluit, ossa miraculis clara, diuque in solo hujus sacelli ejusdem nomini nuncupati humiliter jacientia, Patrum hujus Cœnobij, & Superiorum ejusdem Ordinis jussu ad tantæ sanctimonialis conservandam memoriam, Populique devotionem, in hunc decentiorem locum translata fuerunt anno 1612. G

Intus verò in Arcâ hæc leguntur

Beatæ Elisabeth de Piccinardis, Filiæ quondam D. Leonardi Cremonẽsis ossa miraculis clara hìc jacent. Obijt Mantuæ die Veneris 19. Februarij 1468. anno ætatis suæ 40.

Hæc omnia ex fidissimis monumentis Conventuum Mantuæ, & Cremonæ, quæ Gianius H ipse diligenter expendisse in suis manuscriptis testatur. Beatæ Elisabeth Imago habens manum dexteram ad pectus, & in sinistrâ Breviarium, cum lilio quatuor foliorum, faciè conversâ ad Imaginem Beatæ Virginis, & ex ejus ore exeunt hæc verba: Jesus, Maria; & circa caput aurei radij; quæ omnia ex manuscriptis Alexandri de Piccinardis ad Instantiam Fratris Julij Servitæ Cremonensis, pariter de Piccinardis, deprompta sunt. Hìc placet obiter notare Titulum *Beatæ* ab immemorabili Elisabeth concessum, cùm titulus iste legatur in Contractibus quibusdam habitis Mantuæ annis 1480. & 1483. Juxta decretum Visitatoris ejusdem Gianij in Ecclesiâ E nostrâ sancti Dionysij Mediolani appositum est sequens Epitaphiũ maximè honorificum.

Ejusdem Imago.

Titulus Beatæ ab immemorabili.

In hoc rotundo lapide erectum fuit vexillum Salvatoris à Sancto Barnaba Apostolo Mediolanensis Ecclesiæ Fundatore, ut Scriptorum auctoritate, & vetusta Populi huc confluentis 13. Martij traditione comprobatur, quem devotionis augendæ gratia jussum est exornari anno 1612.

Epitaphiũ honorificũ in Ecclesiâ S. Dionysij Mediolani.

F Hoc pariter anno ab eodem Archangelo Giani Soraneæ eo temporis Concionatore, & in eâ Provinciâ, ut diximus, Vicario Generali, festo die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Tertij Ordinis Habitum cum chlamyde, & velaminibus maximâ devotione receperunt Virgines Susanna, & Joanna, ambæ ex Aulâ, & Familiâ D. Marchionissæ, Coniugis Illustrissimi Joannis Pauli ejusdem Loci Marchionis. Romæ similiter auspicatissimo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis die Virgo quædam nomine Marina Dominicæ de Angelinis Filia à P. Magistro Antonio Zenobio Balleoni de Florentiâ, tunc Procuratore Generali Ordinis in Curiâ, Habitum eundem, G cum chlamyde, & velaminibus consuetis, nonnisi Divinitùs recepit; quod fusiùs declarabitur, ubi ad annum 1659. gesta, & obitus ejusdem sunt recensenda, & inter Ordinis nostri Tertiarias cooptata Soror Maria Victoria nuncupata fuit. Venetijs etiam hoc eodem anno pijssima Adriana, sive Andriana eodem Habitu suscepto in obsequijs Dei, ac Deiparæ singulari modo sese exercebat, de quâ pariter plura, eáque admiranda ad annũ 1648. celebranda reservantur. Civitellæ quoque à Patre Clemente Fabri de Bononiâ sex religiosissimæ Fœminæ sanctum eundem Habitum Tertio Ordini nostro se mancipantes solemni pompâ hoc anno suscipiunt; quemadmodum hoc pariter anno, & sequentibus H apud Bandenum super flumen Padum jampridem erectam Societatem ejusdem Habitûs per Patrem Magistrum Angelum Mariam Berardi de Perusio, & numero Fidelium, & sacrarum Ædium structurâ non vulgaria suscipere legimus incrementa. Præterea non modò mulieres, sed etiam probatissimi Viri hisce diebus Venerandum hunc Habitum summo studio prosequuntur. Hoc siquidem anno Jo. Baptistâ Bonato Betiense Baccalaureo in Cathedrali apud Forum Cornelij Conciones Quadragesimales habente, & Instituti hujus nostri Religionem mirum in modum prædicante, Illustrissimus D. Rodulphus Paleottus Episcopus, unà cum suis Canonicis, necnon pluri-

Plures Virgines Habitũ Tertij Ordinis recipiunt Soraneæ Romæ, Venetijs & Civitellæ.

pluribus Viris, & Fœminis vehementer ad pietatem excitati eundem Habitum solemni pompâ receperunt, & processionaliter adeuntes sanctum hunc Deiparæ Habitum super cæteras vestes conspicuum omnibus, omnes indiscriminatim detulerunt, unde longe feliciùs hujusmodi sodalitia auspicata fuere exordium.

Præclara quædam de Eccles. nostrâ Eugubinâ. Ecclesiam nostram de Eugubio, de cujus origine egimus ad annum 1265., sub titulo Divæ Annunciatæ ferè olim collabentem D. Fridericus Cardinalis Fregosius ejusdem Urbis Episcopus magnificè t5. Sacellis ornatam à fundamentis restituit. Præter consuetum Sororum, & sancti Habitûs sodalitium, quod à Beatâ Santucciâ, de quâ ad d. annum 1265., originem duxit, & hisce præsertim temporibus proventibus annuis affluit, quorum administratio, atque proprietas penes Laicos est, non penes Cœnobij Fratres; est etiam nobilium societas, sub titulo sanctissimi Corporis Christi Archiconfraternitati de Urbe super Minervam aggregata. Est quoque in Sacello Societatis Habitûs perantiqua Beatæ Virginis Imago admirandæ venerationis, ad quam confugientes quicunque gratias singulares recipiunt, quemadmodum Adolescentulæ cuidam nomine Marsiliæ côrigit hoc anno 1612. hęc enim oculorum luce destituta per annum integrum ante Sacram hanc Imaginem provoluta, emisso voto de Sancto illius Habitu recipiendo, Beatæ Virginis ope ipsam recuperavit, quod ex processu constat, eo temporis ad Urbem transmisso. Cæterùm ibi quoque student Fratres, quamvis numero pauci, nè pe sex, Dei, ejusque Matris cultum promovere, singulis enim diebus Dominicis, & Festis principalioribus infra annum Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum per aliquot horas publicæ Venerationi exponunt, & ineunte anno per triduum cum Indulgentijs. Singulis pariter diebus Dominicis Coronam Beatæ Virginis Dolorosæ persolvunt, ac tertiâ cujusque Mensis Dominicâ Processionem in ejusdem Virginis honorem instituunt, æque ac primâ Dominicâ in honorem Sanctissimi Sacramenti, quamobrem eò plerunque conveniunt Christifideles ad varia pietatis officia obeunda.

Habenda proximè erant Generalia Comitia per Antonium Generalem Romæ jampridem ad mentem Summi Pontificis indicta, qui etiam pro eorundem honorificâ, & commodâ celebratione Indulgentias de more concesserat. Quinetiam, ut longè majori apparatu, ampliorique Fratrum numero celebrarentur, quatuor simul Capitula Provincialia fuerant Romæ coacta, scilicet Etruriæ, Provinciæ Romanæ, Romandiolæ, & Mantuanæ. In Provinciâ Etruriæ electus fuit Provincialis Antonius Zenobius de Florentiâ, & socius Jacobus de Aretio. In Provinciâ Romanâ Provincialis Annibal de Fulgineo, socius Benedictus de Viterbio. In Provinciâ

A Romandiolæ Provincialis Jacobus de Bononiâ, socius Cyrillus de Cæsenâ. In Provinciâ Mantuanâ Provincialis Paulus Æmilius de Cremonâ, & socius Nicolaus de Foropompilio. Duo priora Capitula habita fuere apud Sanctum Marcellum, reliqua duo apud Sanctam Mariam in Viâ, quibus omnibus, sicut et Comitijs Generalibus, præfuit Cardinalis Verallius Protector. Non deerant intereà plures, qui Generali præfecturâ digni censerentur; proponebantur enim ex Provinciâ Etruriæ Archangelus Giani de Florentiâ, & Franciscus Rughesi de Monte Politiano: Ex Provinciâ Romanâ Deodatus Ducci à Burgo Sancti Sepulchri: Ex Provinciâ Romandiolæ Adrianus Farinius, & Balthassar Bolognetti Bononienses: Ex Provinciâ Lombardiæ Laurentius Corradinus de Scandiano: Ex Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ Honorius Gemellus de Paduâ, & Orans Taxonus de Ferrariâ: Ex Provinciâ Mantuæ Urbanus de Brixia Pontificiæ Familiæ Confessarius: Ex Provinciâ Neapolitanâ Joannes Baptista Mirtus.

B Die igitur 9. Junij in pervigilio Pentecostes aggregatis in unum Patribus, collectisque suffragijs ex his decem unus Deodatus Ducci à Burgo S. Sepulchri Prior Generalis 45. nostri Ordinis electus fuit. Electores fuere pro Etturiâ Definitor, M. Franciscus Rughesi præfatus, Provincialis Antonius Zenobius Balleoni de Florentiâ, M. Lœlius Balleoni Exgeneralis, & Jacobus Bartolanus de Aretio Socius. Pro Provinciâ Romanâ Angelus

C Meliorati de Burgo Sancti Sepulchri Definitor, P. Magister Annibal Canutus de Fulgineo Provincialis, Benedictus Leoni de Viterbio Socius. Pro Romandiolâ P. Magister Angelus Maria Torsanus de Arimino Definitor. P. Magister Jacobus de Bononiâ Provincialis, Cyrillus de Cæsenâ Socius. Pro Lombardiâ P. Magister Joannes Angelus Spelta Placentinus Definitor, Pater Magister Julius de Mediolano Provincialis, Petrus Franciscus Barberius de Placentiâ Socius. Pro Marchiâ Tarvisinâ P. Magister Elisæus Definitor, P. Magister Ambrosius Provincialis, ambo Tarvisini, P. Gregorius de Castrofranco Socius. Pro Venetâ P. Magister Joannes Paulus Villa de Brixiâ Definitor, P. Magister Gabriel Bo-

D nierius de Bergomo Provincialis, P. Laurentius Campana de Utino socius. Pro Mantuâ P. Magister Sylvius Definitor, P. Magister Paulus Æmilius Panuinius Provincialis, ambo Cremonenses. P. Nicolaus de Foro Pompilij Socius. Pro Genuâ P. Magister Hieronymus Astensis Definitor, P. Magister Hieronymus de Vitia Provincialis, P. Blasius Cagna de Papiâ socius. Pro Neapoli P. Magister Joannes Baptista Mirtus Definitor, P. Magister Petrus de Neapoli Provincialis . . . socius. Pro Narbonensi P. Magister Antonius Rainaldus de Rovello Provincialis, P. Andreas Signoretus de Cucurone socius. Pro Hispaniâ P. Magister Hieronymus Noghem Provincialis,

lis, P. Magiſter Mathias Lopez Socius. Pro Sardiniâ P. Magiſter Aurelius à Monte Politiano, quorum ſuffragijs electus fuit Procurator Generalis in Curiâ ex octo Patribus ad hoc munus propoſitis, unus P. Magiſter Antonius Zenobius Balleoni de Florentiâ Provincialis Etruriæ, quo proinde non perſeverante in Præfecturâ prædictæ Provinciæ in ejus locum Rector Provincialis creatus fuit P. Magiſter Laurentius Picciolius de Florentiâ. Ex hiſce comitijs ſequentia decreta emanarunt.

1 *Singulæ Provinciæ duo ſcuta hoc anno, & alia duo anno ſequenti ſolvant pro expenſis factis, & faciendis in coadunandis, & providendis Religionis Annalibus ab ejuſdem initio juxta decretum præteriti Capituli Generalis.*

2 *Taxas ſuperiorum, Regentium, & ſubſidij Capitulorum eſſe per Provinciales, ſocios, & Definitores in futuris Capitulis Provincialibus, ſecundùm ſtatutum præſentium proventuum Monaſteriorum imponendas; ita tamen, ut non augeantur, nec diminuantur, niſi contingat etiam eorundem Monaſteriorum ſtatum diminui, vel augeri.*

3 *Imprimantur Conſtitutiones Ordinis, additis in fine omnibus decretis Capitulorum Generalium præteritorum, & Conſtitutionibus pro Novitijs recipiendis, prout in Bullâ Clementis VIII., cum indice omnium notabilium, tranſlatione duarum Provinciarum Venetæ, & Mantuanæ, nominibus omnium Provinciarum, & Conventuum totius Ordinis, conſideratis tamen priùs decretis Capitulorum Generalium, & ſi quæ digna conſideratione ſint, referantur ad Patrem Reverendiſſimum, qui poſſit deputare unum, vel plures ad ſupradicta compilanda.*

4 *Si quis Converſus de cætero fuerit ad Sacerdotium promotus, intelligatur ipſo facto ſuſpenſus; & quia id pluries contingit fieri extra Italiam, ſi quis Converſus in quacunque Provinciarum ordinatus fuerit, teneatur Provincialis ſub pœnâ privationis Officij eo ipſo incurrendâ ipſum ad Officia vilia Conventûs deſtinare, nec ullo modo ad Sacra admittere, ſeu permittere Coronam Clericalem deferre, ſub quâ etiam pœnâ quiſque Prior comprehendatur.*

5 *Confirmatur Decretum Capituli Generalis præteriti 1609. circa Canonizationem Beati Patris noſtri Philippi, quòd videlicet omnes Provinciæ tranſmittant pecunias Romam pro literis commiſſionalibus pro Advocato creando, & alijs expenſis faciendis, ut procuret, & tandem deveniatur ad optatum hujus negotij finem, fundanturque per totam Religionem Deo preces à Fratribus, ut concedat huic operi finem.*

6 *Singulis in Capitulo Generali Concluſiones publicè defendentibus deferâtur ſcuta quinque pro earundem Concluſionum impreſſione. Honorificæ habitæ ſunt in his Comitijs per ſapientes, & facundos viros cum magno Religionis honore, atque decore diſputationes, & Orationes.*

Abſolutis Comitijs Antonius à Corneto Exgeneralis Magiſtratu depoſito Cardinali
E Petro Aldobrandino, cui priùs à Sacris Inſervierat, quoque ejus familiaritate utebatur, iterum adhæſit, & unâ cum illo Ravennam profectus eſt ad Archiepiſcopatum.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

EX ſupplem. Annal. Archang. Gianij Ex Regeſto Thuſciæ fol. 135. Ex monumentis Conventûs Florentiæ lib. memorab. D *fol. 120. Ex Regeſto Gener. ab anno 1612. ad 1614., quæ quidem omnia, vel in Archivo, vel Biblioth. D. Annunc. de Flor. aſſervantur.*

F *Anna Catharina Gonzaga Archiduciſſa Auſtriæ induitur Habitu Tertij Ordinis noſtri, unà cum Filiâ, & in Domum Regularem ſecedit. Sacro pariter Habitu indutæ Virgines Cœnobio ſolemniter includũtur.*

CAP. XII.

SEreniſsima Reparatrix Viennâ, ut diximus Cap. VII., Œnipontem redux ſummo ſtudio contendit ſeculi pompis valè prorſus dicere, ſeque Domui regulari totam dedicare uni Deo, Divæque Virgini vacatura, quâ de re nil intentatum reliquit, ut ſacram hanc ſolitudinem tandem aliquando aſſequeretur. Quoniam verò Domui
G prædictæ regulari manus ultima adhuc deſiderabatur, ipſa ulterioris cujuſque moræ impatiens Cœnobium Virginibus Clauſtralibus deſtinatum unà cum quindecim, tum Virginibus, tum Viduis, aliàs ejus miniſterio aſſuetis, conſilijſque æmulis, ſingulari animi ardore ingreditur; cùm maximè delirantes in Bacchanalia homines pietatis opera detrectant, quâ ſanè temporis circumſtantiâ Sereniſſima hæc Princeps, ejuſque Aſſeclæ de Mundo verè, ejuſque pompis, atque delicijs triumphum agere palam faciebant; ſacris autem illius Cœnobij detenta parietibus, velut altera Anna Propheriſſa, curam omnem adhibebat tum Verbo, tum exemplo, ut ſingulæ ſtudio virtutum incumberent, religioſiſ-
H que inſtitutis aſſueſcerent, hinc ſpeciatim Adoleſcentulas ibidem Deo cum Virginitate ſacrandas, erudiendas tradidit Religioſis Virginibus, quas ex Apoſtolico Indulto, prout diximus cap. 8., ex Monaſterio Suvazenſi, quò ſe modò eo conſilio contulerat, eduxit, in Eccleſiam primò ſolemni cantu præmiſſo hymno *Te Deum laudamus* ingreſſa, deinde in præfatum ſui Cœnobium unà ſecum recluſit; mutuo hinc inde præ reciproci affectûs teneritudine lachrymas ubertim effundentibus, tum Virginibus recipientibus, tum Virginibus receptis. Cùm verò prædictæ Virgines receptæ ſui muneris partes, quàm diligentiſſimè explebant, Sereniſſima Princeps

operam

operam omnem dabat Templo, ejusque partibus undequaque exornandis, & sacræ supellectili adornandæ eâ sanè munificentiâ, ut vel eo temporis quadringenta Florenorum millia eum in usum expenderit. Omnibus deinde, quæ ad Ecclesiæ dedicationem exigebantur, ritè comparatis, Dominica, quæ dicitur in Quinquagesimâ, hujus anni Reverendissimus D. Simon Feyrstein Brixinensis Episcopi suffraganeus maximè solemni pompâ Ecclesiam præfatam Divæ Virgini in Templo Præsentatæ dedicavit, cùm proximè præcedenti die Campanas Tres Divarum Annæ, Julianæ, Annæ Catharinæ, & Annæ Mariæ honori non sine luculento nominum præsagio initiasset. Absolutâ hac anterioris Templi Dedicatione, interioris nimirum sui Corporis, & mentis Dedicationem magis in dies expetebat Serenissima in æternum Dei, ac Deiparæ Sacrarium, quæ secundùm quietem Annæ Catharinæ se sistens pullum exhibens amictum, cujusmodi etiamnum Sorores Regulares induuntur, Eadem in præeligendo vestrum genere ancipitem determinavit. Itaque Kalendis Julij ejusdem Anni Reverendissimus præfatus Antistes Serenissimæ Principi nunquam non obsequens in Claustralium Odæo maturè comparuit, & sacro absoluto, impetratâ ad hunc solummodò actum serenissimâ ipsâ rogante ab Ordinis nostri Vicario copiâ, omnium primò Serenissimam præfatam Archiducissam non sine præclarâ gestientis animi significatione crinibus attonsam, Sacro, recentique Tertij Ordinis Habitu induit, indutæque juxta consuetudinem Annæ Catharinæ nomen jure optimo, cum nomine Annæ Julianæ ideò commutavit, quòd Beata quoque Juliana Falconeria, cui maximè addicta erat Serenissima, pari felicitate inter Sorores Tertiarias nostras Principatum obtineret. Serenissimæ Matri succeslit Filia, sicuti sanguine, ita & sanctâ Religione meritò secunda, materni nominis, Annæ scilicet Catharinæ, velut ex asse hæres, longè magis exultans pro hujusmodi cum Rege Cœlorum connubio, quàm si Hispaniarum Regi nupsisset; subinde reliquas nobiles fœminas ex Archiducissæ Familiâ eodem induit Habitu, peculiari Divæ Annæ nomine singulis indito, quarum una dicta fuit Anna Francisca, Anna Barbara altera, tertia denique Anna Felicitas. Sanctimonialibus Suvazensibus pariter sacras Divi Augustini vestes, ac titulum cum vestibus, ac titulo longè nobiliori Deiparæ Servarum commutavit, hoc tamen à prioribus discrimine, quod hæ non D. Annæ, sed D. Virginis nomine insigniri deberent, hac lege in æternum imposterum sancitâ, quòd cuilibet Sorori præter nomen ipsi proprium Mariæ nomen addatur. Ex illis tribus prior, quæ Monasterio præficienda erat, Soror Maria Anna nuncupata fuit, & reliquis duabus, quarum operâ instituendæ erant Novitiæ, Soror Maria Cleophe una, altera verò Soror Maria Martha omnibus ita indutis, ac sacâ Eucharistiâ ministerio ejusdem Episcopi refectis, Archiducissa cum reliquis in ædem proximam pro Tertiarijs apud eandem Ecclesiam condita sese recepit sub alterius ex Tertiarijs obedientiâ, quam sibi unâ cum Filiâ præfectam elegerat, exclusis omninò amplissimis Principissæ titulis, administrandi Principatûs facultate, & omnibus illis, quæ Principis majestatem redolere videbantur, in summâ Paupertate, animi dejectione, sui que contemptu constituta, quemadmodum fusius ad annum 1621., propriâ tanquam in sede recensere decrevi.

Ecclesiæ dedicatio.

B. Virgo Annæ Catharinæ pullū exhibet Habitū pro Tertiarijs induēdis

Actum hunc nunquam non memorabilem proximè sequens dies excellentiorem præstitit, quo ea, quæ pridie privat quodammodò inter parietes, cum recenter indutis Tertij Ordinis Novitijs, Virginibusque Suvazensibus præmissa erant, publicè modò cum Virginibus Deo, ac Deiparæ perpetuò claudendis Cœnobio celebranda consequebantur. Hac igitur die, quæ non otiosè huic actui prælecta videtur, quòd annis ab hinc quinque eâdem die Virgini Elisabetham invisenti nuncupatâ, primus in hujus Ecclesiæ fundamentum positus fuerat lapis, sacrandis hisce Virginibus, unà cum sororibus Regularibus ad parochialem Ecclesiam clam Populo maturè deductis, quò magna populi vis celebri rumore tantæ solemnitatis illecta contenderat, instituta fuit solemnis supplicatio, ex quo inusitato spectaculo unusquisque è plurimis illis, qui eò confluxerant, haud mediocri in amorem Divinum æmulatione rapiebatur. Hoc verò modo ordinata fuit supplicatio. Urbis Vexillum inter ludentibus tubis præcedebat, quod proximè sequebantur pulcherrimo quodam Ordine sacra Labara, postque parvuli literarum candidati incedebant, eos insequente symphoniacorum choro Lauretanæ Virginis laudes suavi modulamine canente. Succedebant deinde Adolescentulæ Deo, ac Deiparæ sacrandæ æquali singulæ ornatu; Vestis nimirum illis erat ex serico candidissima unionibus, & gemmis refertissima, dextrâ unaquæque lilium, sinistrâ Crucifixi Imaginem argento fusam gerebat; Virgines lumbos fascia cingebat cœrulea in terram usque deflua, cœlestis vitæ in terris prosequendæ luculentissimus index. Adolescentes etiam duo Angeli speciem repræsentantes singulis addebantur, quorum munus erat fascias prædictas unâ ex manibus suspendere, alterâ verò cereum accensum deferre. Hisce sic adornatis imminebat pronubæ Virginum, Cœlestisque Regis Sponsarum Reginæ Statua elegantissimè sculpta, quam octo Adolescentes exterioris Corporis cultu veteres Prophetas referentes sustinebant. Basi insidentem attalico stragulo ornatam; Ipsam verò Virginis effigiem, Vestis opere phrygio confecta, ac pretiosissimis gemmis distincta ambiebat, coronâ planè regiâ caput ejus integente

Ordo supplicationis solemnis pro Monialibus Claustralibus induendis

tegente. Cæterùm simulacri hujusmodi cor Eucharistico pani conservando decretum ex puro puto auro confectum, adamantibus, pyropisque splendidum, argenteis cancellis exterius muniebatur; quod olim poculum fuisse ferunt à Serenissimo Archiduce lectissimæ Coniugi donatum, sed Christo Domino longè meliori consilio in hunc usum destinatum semper illibatum permansisse. Quòd nequis non præmonitus præteriret indice dextræ è simulacro prodeuntis monebatur, sinistrâ interim aureum sceptrum regentem mirum in modum pretiosum. Cordi prædicto hæc inscripserant verba: *Venite ad me omnes, qui concupiscitis me; Deum enim, & Hominem, quem genui, in corde meo porto.* Sacro autem simulacro desuper imminens Umbella ex Attalicâ Telâ contexta Magnatibus ex Comitum genere Primarijs deferenda cedebat, nec deerant complures Pueri ingenui, qui Cœlestium Geniorum faciem gerentes, cultumque regium induti, Venerabile simulacrum suavi oculis spectaculo coronarent. His demum Reverendissimus Episcopus cum Ministris ornatu Sacerdotali pretiosissimo, huic verò Ordinis Vicarius Generalis Æmilius Contini cum Patre Josepho Barchi Confessario successore, quibus proximè accedebant Sorores Regulares pridie Habitu donatæ, insequente ingenti Nobilium, & ignobilium indiscriminatim longè, latèque confluentium Catervâ. Serenissimæ verò Sorores Mater, & Filia insigne hoc, Deóque sacrum agmen Domi excepturæ cum gaudio opperiebantur.

Cùm inter Sacros Campanarum concentûs, festivosque Bombardarum boatûs ad recentem Ecclesiam singuli pervenerunt, Reverendissimus Episcopus hymnum *Te Deum laudamus* clarâ voce exorsus est, Musicis suavissimâ, & lectissimâ harmoniâ inceptum prosequentibus. Interim regulares in suum Oratorium se recipiebant, & initiandæ Virgines pegmate nonnihil sublimiori ad impetum Populi declinandum sistebantur. Reverendissimus autem Pontifex, cum in Sacrâ Liturgiâ solemniter celebratâ ad Offertorium accersisset, sedens ad novas Christi Sponsas conversus, in gravitatem simul, & humanitatem compositus pauca quidem habuit, sed quæ lachrymis in unoquoque eliciendis satis superque forent, deinde crinibus de more attonsis, Patre Magistro Æmilio adiuvante, sacrum ipsis contulit Habitum, & nova indulsit nomina, scilicet Maria Salome, Maria Jacobi, Maria Joanna, Maria Magdalena, Maria Gertrudis, Maria Angelica, Maria Agnes, Maria Clara, Maria Methildis. Ad hæc Sacrâ Communione opportuno tempore refectis, descenderunt ex Oratorio Serenissimæ Mater, & Filia cum Sororibus Suvazensibus, cæterisque Regularibus, quibus Altari circum applicatis idem Antistes optimè precatus ad Cœnobium unà cum Serenissimis progredi incœpit, universo Populo inspectante, & Principes suas hujusmodi antea amictu nunquam visas, cæterasque adeò Sanctæ virtutis, raræque permutationis Comites, inter Tubarum clangores, musicosque concentûs, & quod magis in delicijs Deo, & hominibus esse videbatur, inter uberrimas lachrymas è pietatis venâ profluentes ingenti animorum motu prosequente. Habitâ deinde in eo Cœnobio Refectione, quam serenissima Mater pro sui munificentiâ paraverat, nedum Virginibus, ac Tertiarijs, verùm etiam Reverendissimo Episcopo, cui accessere D. Marchio de Burgnie cum suâ Coniuge Ducissâ Cliviæ, ac Vicarius noster Generalis, necnon P. Josephus Maria Barchi. Deinde Vesperis, & Completorio solemniter persolutis Reverendissimus Antistes sororem Mariam Annam Monasterij Præfectam declaravit, reliquis duabus ad præscriptum Constitutionum, quas nuper Summus Pontifex confirmaverat, instituendas Novitias commendavit. Sanctimoniales ritu solemni reclusit, reclusas fore perpetuò edixit ter clave reseratis, ac ter validè adductis foribus. Festivæ hujus diei lætitiam cumulaverunt supervenientes ad Serenissimam Annam Julianam Cæsarei Legati faustissimum ipsi deferentes nuntium, quòd scilicet Filia ejus Anna Augusti Mathiæ Coniux Imperiali inaugurata fuisset Diademate. Reliquis omnibus maximè ovantibus, sola Serenissima Mater vix commota videbatur, & vix dixerim contemnenti propior, quàm gratulabunda Cæsareis Legatis respondisse fertur, sibi quidem esse, quod de tantâ Filiæ suæ Annæ sublimitate materno sensu gratuletur; sibi verò longè magis esse, cur gaudeat, utpote sacro Habitu, velóque capitis amicta, quę interim dissuaviari non desistebat & obstupescentibus ad hæc Legatis, & recedentibus, ad sibi proximos conversa: *Hei, quàm citò*, ait, *præterit fastus, & gloria hujus Mundi!* Ominosum certè pro Augustâ Filiâ oraculum; hæc enim paucu'is post annis hæredis expers, honoribus terræ subducta est, ut longe amplioribus in Cœlo cumularetur egregia, & nonquam satis laudanda Imperatrix; Augustum sanè societatis Habitûs Beatæ Virginis membrum, cujus nimium oblongo Habitu prima post Serenissimam Parentem ætate illâ sub Imperiali cultu voluit ornari. Vix per Italiam percrebuerat celebris hic rumor, quòd Serenissimæ Sorores Mater, & Filia prædictæ cum reliquis modò memoratis nostrum induerint Habitum, eáque solemnitate, restituta fuerat Germaniæ Beatę Virginis Servorum Religio Serenissimę Annæ Julianæ operâ, cum Ordinis nostri Patres de Florentiâ gratulabundi integrum os cruris pro insigni Reliquiâ Beatæ Julianæ Falconeriæ, cujus Corpus ibidem in Ecclesiâ Divæ Annunciatæ requiescit, ad Serenissimam Sororem nostram 3. Idus Augusti ejusdem Anni, quàm libentissimè transmiserunt, quam sanè reliquiam ipsa pro eximiâ sui pietate, & Regio animo, exi-

Sanctimoniales ritu solemni includuntur.

Indutum Habitû quatiti jaceret Anna Juliana.

PP. D. Annunc. de Flor. integrû os cruris B. Julianæ Falconeriæ ad Annam Julianã trãsmittunt.

eximiâ quoque devotione, & pompâ recepit, & in argenteam Thecam sibi jampridem ab Imperatrice Filiâ donatam honorificentissimè reposuit. Quin etiam Deodato Generali mandante in obsequium Serenissimæ Sororis præfatæ Pater Magister Archangelus Giani hoc pariter anno Beatæ Julianæ Falconeriæ sanctissima gesta, & beatissimum obitum describenda suscepit.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

Augustinus Romer Servitus Mariana lib. 3. c. 10. ex supplem. Annal. Gianij.

Indulta quædam Apostolica pro Eremitis Montis Senarij recensentur; necnon fundatio Conventûs S. Michaelis de Castro Mõtano in Regno Valentiæ. Privilegium Cœnobij in Oppido S. Martini. Benefactrix insignis de Raconisio, & obitus Liberij Romani. Constituuntur Vicarij Generales extra Italiam.

CAP. XIII.

EA est, experientiâ teste, nostris hisce temporibus humani corporis infirmitas, ut assequi spiritum aliquando non valeat, qui maximam cum Deo expetens unionem plura, eáque ardua virtutum opera, quibus contra corporis conditio succumbat, exercere non vereretur. Recentis Eremi in Senario cultores ab ipso usque sui exordio Constitutionibus primò compilatis, et à Clemente VIII. confirmatis adamussim servandis summo studio adhærebant. Verùm progressu temporis animadverterunt earundem observantiam, nisi quædam ipsis adhiberetur moderatio, non diù perseveraturam ratione prædictæ infirmitatis, quæ propositio illarum rigori par non esse videbatur. Itaque in unum pluries congregati Eremi prædictæ Patres unanimi sensu decreverunt de moderatione hujusmodi rem seriò habere cum Illustrissimo, & Reverendissimo Ordinis Protectore, Patris Bernardini Eremitæ eo tempore propter alia Eremi negotia Romæ degentis operâ. Primùm verò. t. proposuere die 17. Maij removendum à Constitutionibus esse jejunium in pane, & aquâ, quod tempore Quadragesimæ, & Adventûs qualibet Feriâ quartâ præcipiebatur, & in jejunium Quadragesimale juxta formam Ecclesiæ commutandum. Item jejunium, quod singulis anni Sabbathis extra Quadragesimam, Vigilias, Quatuor tēpora, & Adventum, Quadragesimali rigore fiebat, adhibitis ovis, & lacticiniis servaretur. Item jejunium in pervigilio Nativitatis Domini Jesu Christi faciendum conforme prorsus esse debere jejunio, quod Sabbatho Sancto servabatur. Præterea amovendam esse ex cap. 37., in quo agitur de qualitate Vestium, clausulam, quâ interdicitur pannos recipere à Mercatoribus, licèt hoc commodum Eremo foret; denique facultatem omnimodam præfato Patri Bernardino concedendam esse ea omnia permutandi, quæ juxta consilium Patris Rectoris expedire magis viderentur, antequam in lucem edantur. Ad hæc primâ die Junij proximè sequentis iterū in unum congregati Patre Amadeo Rectore adhuc alia proposuere pro earundem Constitutionum moderatione, quæ idem Pater Bernardinus cum præfato Domino Protectore sedulâ mente pensaret. Primò quidem quòd Fratres Conversi juxta Eremi exigentiam extra Eremum absque socio degere possint habito solùm Rectoris, & duorum Conservatorum assensu, ad hoc autem ut omnia prosperè cederent, singulis annis Patres capitulariter congregati decernere debeant, quinam ex prædictis Conversis permissioni huic assequendæ magis apti viderentur. Item quòd Epistolas Patribus mittentes titulum *Reverendi* inscribere possint Quadragenariis Patribus; iis verò qui quadragesimum annum nondum attigerint, titulum duntaxat *Venerabilis*. Item, quòd ipsis copia suppeteret missas celebrandi, antequam dies illucescat, & post meridiem. Item quòd Patres Eremitæ reclusi Cellularum, quas colunt, Capellas visitantes opportunâ intentione consequi valeant Indulgentias, quas Eremitæ non reclusi Ecclesias nostras visitantes consequuntur. Item quòd prædicti Patres reclusi in præfatis Capellis sacrum facientes Privilegio gaudeant Altaris Divi Gregorij. Item quòd Fœminæ diebus illis, quibus ab Apostolicâ Sede permittitur ad Eremi Ecclesiam accedere, ab Eremo per illud spatium remotæ sint, quod Patribus nostris Definitoribus libuerit sub pœnâ excommunicationis Eremi Rectori reservatâ ipso facto transgressoribus incurrendâ. Item quòd cùm feriâ 5. in Cœnâ Domini generales culpæ publicè dicuntur, valida omnino sit ultima illa absolutio, quam ipse superior impartitur. Item consentaneum ipsis videbatur clausulam illam è Constitutionibus amovere, quâ cap. 27. statuitur, quòd Novitiis non liceat ultra duo milliaria ab Eremo recedere, quoniam nemini hoc licet absque superioris, & Capituli assensu. Item quòd cùm cap. 42. decernitur curæ Patribus esse debere manutentionem Sylvæ, plantas nimirum de novo inserendo, & alia hujusmodi ad rem præstando, rationi consonum videbatur Provinciam hanc Patribus, Rectori, & Camerario speciatim demandare ad confusionem omnem evitandam. Item quòd ubi cap. 45. de constituendo Vicario agitur, opportunum maximè censeretur, quòd Patri Rectori pro tempore integrum semper esset Vicarium pro libito eligere, qui semper intelligatur esse Vicarius, donec à Superiore deponatur, etiamsi in Eremo idem Rector adesset, eâ tamen lege, quòd in publicis congressibus nullum exerceat jus, nisi ab iisdem absente Rectore, neque cum aliquo ex Patribus

Quæ præ cæteris à Constitutioni-bus removeri cupiebāt PP. Eremitæ, & quæ approbari.

bus dispensare, nisi cùm idem Rector extra clausuram fuerit. Item ex quò Fratribus Florentiam adeuntibus ratione laborum, & operum, quæ ipsis in eadem Civitate sunt subeunda, grave esse videtur jejunium in pane, & aquâ, prout in Eremo servatur, æquum esset, cum illis æquè ac cum iter habentibus pro eo tempore dispensare. Item cap. 20., ubi de quantitate, & qualitate ciborum, importunam præscribi methodum pro eorum refectione, qui servando jejunio non sunt in pane, & aquâ, opportunam verò hanc potius videri, quòd scilicet actu infirmis provideatur ab infirmario; ijs verò, qui ex alio capite servare præfatum jejunium non valent, uniformiter provideat Camerarius duce prudentiâ, & charitate comite, adeòut nulla inter eos ciborum disparitas intersit. Item cap. 41., ubi de ijs, qui vocem habent in Capitulo, atque statuitur infirmos ferre debere in scriptis suffragiorum, magis consentaneum videri, quod idem secretò ferant intra urnam, prout fieri mos erat cum reliquis. Item cùm cap. 15. de Novitijs decernitur ad Patres Rectorem, duces Conservatores, & Magistrum Novitiorũ, nemine ex ipsis discrepante, spectare, eos ab Eremo dimittere, qui in eodem recipi peterent, longè magis consultum videri, quòd plures è quatuor illis dimittendo sint satis. Item cap. 4. opportuniùs videri, si decernatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum post quindecim circiter dies, non præcisè per octo renovandum esse. Item moderationem adhibendam cap. 42., ubi statuitur cõmodari nullatenus posse quidquid ad cultum Divinum pertinet, nisi præcedente Capituli assensu, & satis esse Capitulum consulere pro supellectili aureâ, & argenteâ; pro reliquis autem minoris pretij Superioris, & Conservatorum assensum impetrare. Item cap. 40. ubi de Capitulo Eremi, speciatim verò de Discretis, statuendum potius videri, quòd ubi Patres Discreti congregantur, ut de ijs differant, quæ pro Eremo agenda videntur, priùs per secreta suffragia proponatur, & decernatur, proponenda Capitulo sit, necne res illa, quam expenderunt. Item è cap. 46. amovendum nomen illud *Sartoris* esse, & loco illius adhibendum nomen *Custodis Vestiarij*. Item animadvertendum proposuere, quòd opera manuum in communi exercere penes arbitrium Superioris, & Conservatorum foret, quoniam grave nimis, experientiâ magistrâ, videbatur Constitutionum præscriptum. Item animadvertendum quoque proposuere, quòd integrum superiori esset juxta exigentiam dispensare cum ijs, qui parvum Habitum noctu deferre non possunt unà cum Caputio, & solùm Habitum permittere, necnon pileolum ipsis concedere ex materiâ graviori. Denique amovendam esse è cap. 10., ubi de Paupertate, Clausulam, quâ interdicitur capsulas pro Eleemosynis in Ecclesiâ, vel in Sacristiâ nostris exponere, quoniam egeni erant, & pauperes, quandoque verò accedentes ad Eremum nonnulli ab eleemosynis erogandis abstinent, quia modicæ ipsis videntur, quas cœteroqui in Capsulam secretò injicerent, quibus accedit, quòd ratione egestatis coacti fuerant mendicare. Cùm verò universa hæc capitulariter approbaverint Patres, & præfati Patris Bernardini operâ apud Illustrissimum D. Protectorem maturè discussa fuerint, ab Apostolicâ Sede, quæ proximè sequuntur, Indulta Mense Octobri tandem aliquando impetrarunt, quæ proximè superius propositis aliquâ tantùm ex parte, non autem omninò satisfaciunt. .1.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Conceditur Privilegium celebrãdi Missam per horam ante lucem.

N*Omine Dilectorum in Christo Filiorum Majoris, & Conventûs Eremitarum Eremi Montis Senarij Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Florentinæ Diœcesis Nobis nuper expositum fuit, quòd in dictâ Eremo octodecim Fratres Eremitæ in Presbyteratûs Ordine constituti reperiuntur, ipsius autem Eremi Ecclesia quinque duntaxat Altaria habet, quo fit, ut omnes Presbyteri ad dicta Altaria privatas Missas celebrare, & omnes Divinis Officijs, ac Missæ Conventuali suo tempore interesse nequeant, nisi per nos, ut infra, provideatur. Quare nos Majoris, & Conventûs Eremitarum prædictorum votis augmentum Divini cultûs concernentibus, annuere volentes, & illorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, alijsque Ecclesiasticis Sententijs, censuris, & pœnis à Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolvendas, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Omnibus, & singulis dictæ Eremi Fratribus in Presbyteratûs Ordine constitutis, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium in Eremi hujusmodi Ecclesiâ per horam, & non ultra ante lucem celebrare liberè, & licitè valeant, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur. Non obstantibus Apostolicis, & in universalibus, Provincialibusque, & synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Eremi, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die primâ Octobris 1612. Pontificatûs nostri anno octavo.

S. Cobellutius.

PAU-

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cōceditur tribus Patribus ex antiquioribus à Cap. Cōventuali deputandis eadem facultas in admittēdis Novitijs, quā habent Capitula Generalia, & Provinc.

SEdis Apostolicæ circumspecta benignitas Personarum quarumlibet in Eremis, & alijs locis Regularibus Altissimo famulantium votis ad pij eorum instituti propagationem, & incrementum tendentibus libenter annuit, eáque favoribus prosequitur opportunis. Hinc est, quòd Nos supplicationibus nomine Dilectorum Filiorum Eremitarum Domûs Montis Senarij Florentinæ Diœcesis Ordinis Fratrum Servorū Beatæ Mariæ, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem Eremitis perpetuò concedimus, & indulgemus, ut in eorum Domo tres ex antiquioribus à Capitulo Conventuali ejusdem Domûs deputari possint, qui eandem habeant facultatem, & potestatem in admittendis Novitijs, quam habent Capitula Generalia, & Provincialia, aliáque deputandi juxta Constitutionem super Novitiorum receptione à felicis recordationis Sixto Papa V. Prædecessore nostro editam sub datum 6. Kalendas Decembris anno Tertio; & alteram ejus declarationem sub datum 12. Kalendas Novembris anno quarto ejus Pontificatûs, dummodò in reliquis earundem Constitutionum formam servent, ad hocque plenam, & amplam facultatem, & auctoritatem dictis Deputatis impartimur. Non obstantibus prædictis Sixti V., & alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 2. Octobris 1612. Pontificatûs nostri anno octavo..1.

S. Cobellutius.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias felicis recordationis Clementi Papæ VIII. Prædecessori nostro nomine Dilectorum Filiorum Lælij Balleoni de Florentiâ tunc existentis Prioris Generalis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, ac Prioris, & Fratrum Domûs ejusdem Beatæ Mariæ Annunciatæ Florentinæ dicti Ordinis exposito, quòd ejusdem Ordinis prima Institutio à septem Nobilibus, & Religiosis Viris Florentinis, quodam in Monte Senario nuncupato, octavo à Civitate Florentinâ lapide, originem duxerat, eodemque loco Conventus tenuis redditûs, & angustus dudum extructus fuerat, in quo tunc tres soli Fratres dicti Ordinis commorari solebant, & ipse Prior Generalis, ac Prior, & Conventus dictæ Domûs Annunciatæ primævi dicti eorum Ordinis Instituti, & originis memoria excitati augustiorem Domum, & Ecclesiam extruere, illucque septem Fratres Professos prædicti Ordinis, qui ad primævi dicti Ordinis Instituti normam, ex tunc perpetuis futuris temporibus cœ-

A *lestium, Divinarumque rerum contemplationi vacantes gratum Altissimo in Eremiticâ vitâ famulatum præstarent, & aliquos alios Fratres Conversos, qui omnes annum 25. excederent, introducere decreverant, ipsisque Fratribus in dicto Conventu Montis Senarij ultra alia spiritualia Ordinis prædicti exercitia, quæ in ipsius Constitutionibus, & Sancti Augustini regulâ, sub quâ degunt, præcipiuntur, hæc nominatim imposita esse voluerunt onera, ut nimirum nullo tempore carnibus, sed lacticinijs tantùm vesci possent, secundâ, quartâ, & sextâ ferijs totius anni jejunare, sed in ipsâ sextâ semper, & reliquis secundâ, & quartâ ferijs hujusmodi in Adventu, & Quadragesimâ jejunium in pane, & aquâ tantùm facere tenerentur; Idem Cle-*

B *mens Prædecessor supplicationibus eorum hac in parte inclinatus, eidem Patri Generali, ac Priori, & Fratribus dictæ Domûs Annunciatæ erectionem, introductionem, aliáque omnia, & singula præmissa, prout supra expressum est, accedente tamen Ordinarij loci consensu, & sine cujusquam præjudicio faciendum, statuendum, ordinandum, & exequendum, plenam, & liberam Apostolicâ auctoritate licentiam, & facultatem concessit, & impartitus fuit, eáque omnia, & singula, si, & postquam facta fuissent, auctoritate prædictâ confirmavit, & approbavit, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiecit, omnesque, & singulos tam juris, quàm facti defectus (si qui desuper quomodolibet intervenissent) supplevit,*

C *& alias, prout in dicti Clementis Prædecessoris literis desuper in simili formâ Brevis expeditis plenius continetur. Cùm autem, sicut pro parte Dilectorum Filiorum Majoris, & Conventûs Fratrum Eremitarum dictæ Eremi Montis Senarij Nobis nuper expositum fuit, prædicti Prior Generalis, ac Prior, & Fratres dictæ Domus Annunciatæ concessâ sibi, ut præfertur, facultate utentes, erectionem, & alia præmissa fecerint, statuerint, & ordinaverint, experientiâ verò compertum sit, quòd jejunium in pane, & aquâ tantum in tribus prædictis quarumlibet Hebdomadarum Adventûs, & Quadragesimæ ferijs observandum dictorum Fratrum Eremitarum vires nimis debilitet, ac valetudinem efficiat; Nobis propterea humiliter supplicari*

D *fecerunt, ut sibi in præmissis, ut infra, providere de Benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur attendentes, quòd prædictorum Fratrum Eremitarum Institutum, etiamsi dicta panis, & aquæ jejuniorum observantia moderetur, tantum satis arctum remanet, humanæ infirmitati aliquid indulgendum duximus. Itaque eosdem Fratres Eremitas specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, ha-*

rum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem nunc, & pro tempore existentibus Eremi prædictæ Fratribus Eremitis, ut in feriâ quartâ cujuslibet Hebdomadæ Adventûs, & Quadragesimæ in pane, & aquâ tantùm jejunare minimè teneantur, firmis in reliquis remanentibus literis prædictis, dictâ auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Decernentes ipsos Fratres Eremitas super premissis, aut eorum aliquo nullo modo molestari, vel perturbari quoquomodo posse, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus literis prædictis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Eremi prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus; Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Declaratur minimè teneri ad jejunium in pane, & aquâ in Feriâ quartâ cujuslibet Hebdomadæ Adventûs, & Quadragesimæ.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 13. Octob. 1612. Pontificatûs nostri anno octavo. . 1.

S. Cobellutius.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ex relatione Dilecti Filij nostri Fabritij Titularis S. Augustini, S. R. E. Presbyteri Cardinalis Veralli nuncupati, apud nos, & Sedem Apostolicam Ordinis Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Protectoris accepérimus, quòd Dilecti Filij Fratres Eremi, seu Domus Eremitorij nuncupatæ Sanctæ Mariæ Montis Senarij ejusdem Ordinis Servorum Florentinæ Diœcesis diebus elapsis quadam lite, seu controversiâ coram ipso inquietati fuerunt per Dilectum etiam Filium Procuratorem Domûs Fratrum Beatæ Mariæ Annunciatæ Florentinæ ejusdem Ordinis, sub prætextu, quòd attentâ superioritate dictæ Domûs Fratrum Beatæ Mariæ Annunciatæ super dictâ Eremo per literas in formâ Brevis à felicis recordationis Gregorio Papa XIII. Prædecessore nostro specialiter reservatâ, Eremitæ non potuerint sibi Constitutiones condere, & præcipuè eas, quæ antedictæ superioritati præjudicare videntur, absque licentiâ Fratrum, seu Capituli dictæ Domûs Beatæ Mariæ Annunciatæ Eremitis sub certis conditionibus expressis, nec adimpletis, facta, ut Eremitæ in eorum Capitulo nominarent, seu præsentarent duos, vel tres ex eis, ex quibus Fratres Domûs Annunciatæ unum eligerent in Rectorem dictæ Eremi, tanquam facta contra dispositionem literarum, etiam in formâ Brevis à piæ memoriæ Clemente Papâ VIII. Prædecessore nostro in erectione dictæ Eremi emanatarum, & per antedictos Patres Discretos (cùm tamen fieri debuerit per totum Capitulum dictæ Domûs Annunciatæ) servataque non fuerint cætera de jure servanda, quòdque postmodum modus ille concessus præsentandi, & eligendi Rectorem fuerit in Eremiticis Constitutionibus insertus, nullâ factâ mentione de tali concessione, nec de conditionibus in eâ appositis, & quòd antedictæ Constitutiones non fuerint revisæ, nec approbatæ per quatuor Patres in ultimo Capitulo Generali dictæ Religionis in Urbe celebrato, ad hoc deputatos, & quod licet per Nos, non semel tantùm, sed etiam bis per literas etiam in formâ Brevis eædem Eremiticæ Constitutiones confirmatæ fuerint, tamen contra prædictas nostras Literas de nullitate, obreptione, & subreptione, ex supradictis, alijsque causis fuit oppositum, præcipuè tamen, quòd obtentæ fuerint lite pendente super earundem Eremiticarum Constitutionum validitate, vel invaliditate coram aliquibus ejusdem Ordinis Superioribus, & etiam quòd concessio per Nos in secundis literis dictis Eremitis facta, quòd nisi Capitulum Beatæ Mariæ Annunciatæ Florentinæ, hujusmodi infra terminum quindecim dierum à die factæ nominationis incboandum non elegerit unum ex præsentatis per Eremitas in Rectorem dictæ Eremi, electio pro illâ vice devolvatur ad Eremitas, sit nulla aliquibus ex supradictis causis, & etiam quia omninò sit contra superioritatem antedictam; & tandem quòd prædicta lis, seu controversia de Partium consensu per concordiam fuit terminata, & per Capitula tam dictæ Domùs Annunciatæ, quàm etiam Eremi fuit confirmata, juxta quam concordiam, & etiam in aliquibus alijs postmodum antedictæ Eremiticæ Constitutiones reformatæ, & per prædictum Fabritium Cardinalem diligenter recognitæ, ac nihil contra Sacros Canones, & Concilium Tridentinum continere repertum fuit. Nos igitur Religiosorum quieti, ut attentiùs Deo valeant famulari, studentes, de omnibus supra expressis, ac alijs quibuscunque in supradictis litibus, & controversijs contra prædictos Fratres Eremitas, eorumque Constitutiones, & Apostolicas confirmationes deductis, bene informati motu proprio, & ex certâ scientiâ nostrâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine easdem Constitutiones, sicut supra reformatas, recognitas, & impressas, seu imprimendas authoritate Apostolicâ tenore præsentium confirmamus, easque non solùm à prædictis Fratribus Eremitis, sed etiam ab alijs, ad quos juxta earum dispositionem spectabit, omninò servari mandamus, etiam quòd revisæ, approbatæ, & publicatæ non fuerint in aliquo Capitulo Generali ejusdem Ordinis, vel per deputatos in eo, prout motu, & scientiâ similibus confirmamus dictam concessionem nominandi duos, vel tres Eremitas Capitulo domûs Annunciatæ, ut unus pro Rectore Eremi eligatur, seu confirmetur

Confirmantur constitutiones, & concessio nominãdi duos, vel tres Eremitas Capitulo Domûs Annunc. ut unus pro Rectore Eremi eligatur infra quindecim dies

metur per Patres Discretos factam, ac si facta fuisset per totum Capitulum antedictum, & in eo omnia intervenissent, quæ de jure, & secundùm Sacrorum Canonum dispositionem requirebatur, illamque nominationem eo modo fieri mandamus, quo in Constitutionibus Eremiticis hujusmodi disponitur, etiam quòd in eis de tali concessione nulla expressa mentio reperiatur; similique modo confirmamus literas per Nos in formâ Brevis semel, & iterum concessas in dictarum Constitutionum Eremiticarum confirmatione, und cum omnibus concessionibus in eis existentibus, præcipuè supradictam, ut Capitulum Annunciatæ teneatur infra quindecim dies eligere in Rectorem Eremi unum ex nominatis per Eremitas, aliàs pro illâ vice electio devolvatur ad ipsos Eremitas, omnéque vitium, seu defectum ex obreptione, subreptione, aut aliunde proveniens tam contra alias suprascriptas nostras confirmationis literas, quàm contra præsentes tollimus, easque omnino sanamus, ita, & taliter, ut in posterum contra easdem Eremiticas Constitutiones, & nostras Literas antedictas ex causis supradictis, aut alijs quibuscunque de nullitate dici d quoquam nullo modo possit, sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Judices, quavis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane quidquid secus super his d quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædictis Literis Gregorij, Sixti, & Clementis Summorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Domûs Beatæ Mariæ Annunciatæ Florentinæ Eremi, & Ordinis prædictorum decreto Capituli Generalis, conventionibus, aut pactis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorũ quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 22. Octobris 1612. Pontificatûs nostri anno octavo. .t.

S. Cobellutius.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Spirituali consolationi, & animarum saluti Dilectorum Filiorum Eremitarum reclusorum Montis Senarij Florentinæ Diœcesis Ordinis Beatæ Mariæ Servorum, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere cupientes: de omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, omnibus, & singulis Eremitis reclusis ejusdem Montis Senarij, ut diebus, quibus alij ejusdem Eremi Eremitæ minimè reclusi Ecclesiam, & illius Altaria dicti Eremi visitando, &, ut in Literis Indulgentiarum præscribitur, orãdo, aliquam Indulgentiam, etiam plenariam consequuntur, eandem Indulgentiam, aliquod tamen pium opus Superiorum suorum arbitrio loco visitationis Ecclesiæ, & Altarium hujusmodi peragendo, & Capellam, seu Oratorium suæ Cellæ visitando, consequantur, concedimus, & indulgemus, servatâ in reliquis earundem literarum formâ. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus Regulâ nostrâ de non concedendis Indulgentijs ad instar, & alijs Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Indulg. pro Eremitis Montis Senarij.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Novembris 1612. Pontificatûs nostri anno octavo. .t.

S. Cobellutius.

Hoc pariter anno munificentiâ Michaelis Valterræ Domini seu Comitis Castri Montalto in Regno Valentiæ, & P.Faustini R[illegible] Servitæ operâ Ordini nostro accessit Conventus S. Michaelis Archangeli, & S. Annæ in eodem Castro, quem consequentibus temporibus amplificavit, & illustriorem reddidit P. Joannes Drughet ejusdem Ordinis, natione Gallus. Insuper celebranda nobis occurrit .t. Domina Isabella Filia quondam Domini Bernardini de Racunisio ibidem Primarij, quæ plures ex ejus Loci Dynastis æmulata, qui erga Ordinem nostrum singularem benevolentiam exercuere, munificentiam suam proventibus non contemnendis, annuatim exigendis assignatis erga eundem Ordinem luculenter ostendit. Præterea Petrus Cardinalis Aldobrandini prætereundus nullatenus est, qui hoc pariter anno Patribus Cænobij nostri in Oppido Marini privilegium benignè concessit annuatim exigendi ab Officialibus Portûs Cæsænatici notabilem salis portionem, quod consequentibus temporibus anno 1622. legitur à Domino Cardinali Ludovisio confirmatum. Florentiæ verò Patri Arsenio Mascagni die vigesimâ secundâ Novembris Ordinis nostri cura mandatur prosequendi Religionis nostræ historiam, quam in ejus Cœnobij claustro, non fine in-

Conv. S. Mich. Arcãg. & S. Annæ de Castro Mõtalto in Regno Valẽtiæ.

Isabella insignis Benefactrix de Racunisio.

Privil. Cœnob. Marini.

Picturis exornatur Claustrum D. Ann. de Flor.

genti plausu pingendam præ cæteris susceperat celeberrimus Pictor Bernardinus Poccetti de Florentiâ ; necnon Patri Joanni Angelo Lorrini pariter Florentino die 20.Decembris munus describendi D. Annunciatæ miracula, quod sanè præstitit methodo nunquam satis commendatâ . Hoc eodem anno 1612. Mense Octobri Serenissimæ Christina Lotharingia Magna Ducissa Mater, & Maria Magdalena Archiducissa Austriæ Cosmi secundi Magni Ducis Etruriæ Coniux Sacram Beatæ Virginis Imaginem dictam de Quercu, positam in Ecclesiâ nostrâ prope Lucinarum venerabundæ adiere, & donaria ei obtulere, quippe quæ unà cum alijs Serenissimis illis Principibus eximiâ pietate illam prosequebantur. Constituuntur autem à Reverendissimo P. Generali hoc anno 1612 Vicarij Generales in Provincijs extra .2. Italiam, Hispanicâ, Narbonensi, Germanicâ, Corsicæ, & Sardiniæ, & quædam pro earum bono regimine decernuntur. Denique deplorandus nobis supereft pro huius anni coronide præclarissimi Viri Patris Magistri Liberij de Bianchinis Romani obitus post diutinum languorem. Vir iste præstantiâ formæ, morumque suavitare non magis amabilis, ac doctrinâ , & in dicendo eloquentiâ admirabilis, apud Casalem majorem Diœcesis Cremonensis , cùm adhuc esset Mantuanæ Provinciæ Præfectus, feriâ 4. majoris Hebdomadæ è vivis excessit, cuius funeri condecorando Viri permulti, ipsique ex Primarijs interfuere.

Evulgātur miracula D.Ann. de Flor.

Principes Etruriæ venerātur Imaginem B.V. de Quercu de Lucinano.

P.M.Liberti de Bianchinis Romani obitus, & Gesta.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

1 EX *Monumentis Senarij , Conventuum Martini , S. Michaelis de Castro Montalto , de Racunisio , & Casali Majori .*

2 Ex *Reg. Thusciæ fol.* 144. *Ex Reg. Gen. fol.* 71. 75. 80. 83. *Florent. in Arch. D. Annunc.*

Fundantur nonnullæ Societates Habitûs . De obitu Antonij Vivoli , Petri Martyris Felini , & Bartholomæi Mazzantini .

CAP. XIV.

HUjus anni exordium consecrant sodalitia solemniter erecta in honorem Sancti Habitûs Beatæ Virginis Mariæ . Primò quidem in Ecclesiâ S. Marcelli permittente Generali nostro Ducci die 23. Februarij iterum erigitur juxta formam à sancto Pontifice Paulo Quinto præscriptam Societas Habitûs Septem Dolorum apud Altare Juris Patronatûs Griffoniæ Familiæ , ibidem ab immemorabili erecta, quæ tamen anno 1642. translata ad Altare fuit, ubi adhuc permanet, anno videlicet 1713., cùm hæc scribimus, & quidem mirum in modum, sive nobilitatem sodalium, sive Altaris ornamenta, sive Populi frequentiam spectemus, promota. Deinde apud Civitellam in

Erigitur Societas Habitûs juxta formā à Paulo V. præscriptam in Ecclesiā S. Marcelli de Urbe.

E Æmiliâ eodem Generali permittente die 24. Martij, necnon Ordinario Loci annuente, erecta pariter fuit eadem societas studio Patris Clementis Fabri de Bononiâ ibidem Prioris, necnon Patris Anselmi de Cæsenâ, & P. Vincentij de Civitella juxta propositam Pauli V. ideam. Quæ quidem electio solemniter habita fuit, nam Vesperis pompâ solemni persolutis instituta fuit Processio, delatâ Beatissimæ Virginis Imagine, insigni Populorum, nedum Civitellæ degentium, sed etiam aliunde confluentium concursu, singulari omnium jubilo, inter varios, eosque festivos boatus ab illius Arcis militibus hinc inde ritè dispositis emissos, & singulis certatim induere gestientibus sacræ Virginis Habitum, quorum numerus insignis fuisse deprehensus est. Cui sanè operi, quàm maximè detulisse dubitandum non est præclarissimum Virum Patrem Magistrum Archangelum Ballottini de Bononiâ Oratorem, atque Theologum eximium, qui eo temporis in Ecclesiâ Civitellæ Quadragesimales habens Conciones Gentem illam ad hujusmodi cultum vehementer inflammavit : Quin etiam 25. die Martij proximè sequenti Habitum, & velamina Tertij Ordinis nostri induerunt Religiosæ duæ Mulieres, nimirum Angela Pretini, & Catharina Benedetti Bartoli ambæ de Civitellâ, quarum prima unà cum Habitu Sororis Angelæ Mariæ nomen suscepit, altera verò Sororis Julianæ, ex quibus auspicatur initium Sororum Tertij Ordinis nostri Consor

G tium, quod consequentibus annis in sanctitate magis semper, ac magis profecit. Die verò 2. Maij ejusdem Anni Dominica in Albis, postquam coronata solemniter de more fuit Beatæ Virginis Imago operâ prædicti Clementis Fabri, erecta quoque fuit sub eadem invocatione societas Virorum Cappam deferentium, eâdem prorsus solemnitate, & Populi confluentiâ, quâ habita fuerat modò memorata erectio. Absolutis autem Processione, & reliquis omnibus, quæ pro hac festivitate celebrata fuere, Confratres Societatis hujus Patre Clemente præfato dirigente ad electionem Officialium devenere. Rebus hisce festivis, quæque magno sunt Ordini nostro emolumento, duo modò recensenda succe-

H dunt, quæ mærorem eidem Ordini , ac jacturam ingerunt singularem , obitus nimirum Antonij Vivoli de Corneto , & Petri Martyris Felini de Cremonâ . Antonius in primis, prout ipsemet inhæsitanter testabatur, dum adhuc degeret in seculo, & secularibus negotijs nimis addictus, à speciosissimâ quadam Fœminâ candidis vestibus indutâ sibi per quietem apparente monitus fuit , ut Ecclesiam Sanctæ Mariæ Servorum Vallis viridis de Corneto adiret, & quidquid sibi ab illius Priore præciperetur incunctanter impleret. Ibi Prior tunc erat Pater Magister Philippus à Castro Plebis , qui Gasparinum audiens (hoc enim tunc erat illius nomen ,) quæ-

Erigitur etiā solemni pompā eadē societas apud Civitellam in Æmiliā.

Induuntur Civitellæ duæ Sorores Habitu Tertij Ordinis nostri.

Erigitur ibidem Societas Habitûs etiā pro Viris Cappam deferētibus.

Antonij Vivoli de Corneto obitus, et Gesta.

quæque illi acciderant mox exposita, Deiparæ Virginis mentem intelligens inter ejusdem Servos Habitu nostro indutum ad noviriatum peragendum Perusij recepit, eoque statim dimisit, ut Religionem coleret, & Literas, ibique reipsâ juxta singularem sui ingenij docilitatem adeò brevi profecit, ut studij Magister primùm, Baccalaureus deinde Cóventûs, ac deinceps in Capitulo Generali Romæ habito anno 1582. Sacræ Theologiæ Magister fuerit declaratus, qui varias subinde Ordinis Academias moderatus fuit, Fulginei scilicet, Patavij, & Perusij; insigne verò nomen sacras habendo Conciones per universam Italiam sibi comparavit, quâ de re Ecclesiastici Proceres, & Viri Principes magni in Ecclesijs Primarijs ipsum audire expetebant. Hinc Petrus Cardinalis Aldobrandinus, qui ei aliquando in Ecclesiâ S. Marcelli Concionanti interfuit, illum in posterum inter sibi familiares admisit, Confessarium, atque Theologum sibi perpetuò delegit, quinetiam, cùm idem Cardinalis Augustam Taurinorum profectus, unà secum duxisset Antonium, Sabaudiæ Dux perspectâ Viri suavitate, ac Doctrinâ illum in Ecclesiâ Cathedrali pro Quadragesimâ proximè futurâ Concionatorem designaverat, licèt postmodum Antonius ad munus Generalatûs assumptus Regiæ suæ Celsitudini, ac sibi satisfacere nequaquam potuerit. Insuper Serenissimus idē Dux, ut eidem gratificaretur quendam morti damnatum absolvit, & in pristinum restituit. Quidquid autem ex hujusmodi Concionibus comparaverat, quod sanè non mediocris pretij habetur, instituendæ Perusij insigni Bibliothecæ, ob ingentem librorum copiam conspicuæ adhibitum ab eodem videmus, cujus beneficij non immemores Patres cum ejusdem Insignibus perpetuum in marmore monumentum hoc inscripserunt.

Frat. Antonio Vivolo à Corneto Generali optimè de se merito Monasterium Perusinum grati animi ergo Anno D. 1610.

Cui profectò non minùs debere videntur Cœnobij nostri Patres, tum Fulginei, tum Corneti, siquidem in his etiam locis munificentiæ suæ præclara reliquit argumenta. Quâ verò benevolentiâ prosequutus Antonium fuerit Cardinalis præfatus, nemini non ostendunt præcipua illa Charitatis officia, quæ ipsi, & languenti, & morienti, & defuncto idem Cardinalis exhibuit. Ejus enim funus, & Ravennatum omnium frequentiâ, & longè plurium, quàm fieri poterat, celebratione Missarum, tùm in Ecclesiâ nostrâ, tum in Cathedrali, & universo Clero tum seculari, tum Regulari, speciatim verò Seminarij Clericis ejus Corpus associantibus, singulis accensum funale deferentibus, & Patris . . . . A Clerici Regularis Theatinorum disertissimâ de ejus laudibus Concione, honorificentissimum esse proprijs expensis contendit, quippe qui passim conquereretur tardiùs, quàm par fuerat, se Vivolum agnovisse, nam ad longè majores dignitates ipsum promovere potuisset; quos autem honores exhibere viventi non potuit, jam vitâ functo cumulatè marmoreum excitans sepulcrum in Ecclesiâ nostrâ Ravennæ ubi mortuus fuerat, cum sequenti elogio persolvit.

F. Antonio Vivolo Cornetano Ordinis Servorū Theologo,
Verbique Dei Concionatori disertissimo,
Ob eximiam morum
B *Probitatem, Suavitatem, Candoremque animi, omnibus charo,*
Cunctis sui Ordinis muneribus gradatim perfuncto, ac demum
Magno suffragiorum consensu ad Generalatûs honorem evecto,
Quo summâ cum laude administrato,
Egregium pietatis, prudentiæ,
Modestiæque specimen dedit,
Anno ætatis suæ LXIII.
Vitâ functo XIV. Kal. Maij MDCXIII.
Petrus Tit. S. Mariæ Trans Tyberim Presbyter Card. Aldobrandinus S.R.E. Camerarius,
Et Archiepiscop. Ravennæ Amici, & Familiaris optimi memoriæ ponendum mandavit.

C Magna profectò laus Antonij nostri, quod ab amplissimo, laudatissimoque Viro S. R. E. Cardinali marmoreis hisce præconijs Posteritati perpetuò commendetur; cui proximè accedit egregium aliud existimationis summæ argumentum, quod idem Vivolus apud omnes sibi conciliaverat, quod scilicet ejus Imago in Publico Corneti Palatio publicè exposita servetur. Petrus verò Martyr Felinus, qui Vivolo præfato accensendus aliquomodo videtur, etsi plures post menses, mense nimitum Octobri obierit, aliquod modò laudationis genus exposcit. Itaque ab ineunte ætate gloriosissimæ Deiparæ addictissimus fuit Petrus, Religiosæ morum culturæ, ac Literarum studijs semper intentus, necnon musicæ D arri, adeòut Romæ in Ecclesiastico cantu moderando unus Felinus præ cæteris fuerit delectus. Humanioribus Literis haud mediocriter instructus, et in Ecclesiasticis ritibus apprimè versatus, tria volumina scripsit, unum circa Breviarium, alterum circa Missale, tertium verò, quod nuncupavit Cæremoniarum supplementum, quæ cùm prælo commissa non fuerint, quia tamen Summo Pontifici Paulo V. dedicata in Bibliothecâ Scipionis Cardinalis Burghesij asservari dicuntur. Scripsit etiam Opusculum eidem Summo Pontifici dicatum de modo visitandi præcipuas Urbis Ecclesias, cum quibusdam precibus pro singulis locis à quolibet pio Christiano

Petri Martyris Felini de Cremonâ obitus, & Gesta.

no rec tandis; Utpotè verò Antiquitatum explorator solertissimus librum alterum scripsit, quem *Mirabilia Romæ* nuncupaverat, qui sanè liber summo labore, summâque diligentiâ compositus eo plausu exceptus communiter fuit, ut semel, bis, ac tertiò non Italicè solùm, sed etiam Hispanicè opus fuerit typis ipsum mandate; est enim elegans, & quod plurimùm fieri solet, omnium fidelissimus, qui de te propositâ editi fuerint. Varijs etiã linguis præstabat Felinus, quocirca Oratori Cæsareo, scilicet Joanni Gorhifiedo Bambergæ Episcopo, & sacri Romani Imperij Principi acceptissimus erat propter linguam Germanicam, ac proinde quoties Oratori præfato adeundus erat Summus Pontifex, unus Felinus munus ageret Interpretis, cujus obsequijs devictus Bambergensis ille Princeps à Paulo V. id assequutus fuit, ut Felinus Magistrali laureâ decoraretur, & apud se Habitu retento commoraretur pro gravissimis aliquando negotijs obeundis. Hinc factum est, ut ab Urbe hoc anno discedens Orator præfatus Cæsareis rebus operam daturus Generali Dietæ Ratisponæ habendę interfuturus, Felinum unà secum voluit, qui tamen ibidem, uti superius est dictum, pestifero morbo consumptus V. Idus Octobris interijt; Cujus tamen præclara nunquam interibit memoria, non modò propter opera proximè superius memorata, verùm etiam, & quidem maximè quòd ipsum adhibuerit Beatissima Virgo ad explicanda Serenissimæ Archiducissæ Austriæ Ordinis nostri exordia, progressus, & decora, prout cap. 7. fusiùs est dictum.

Bartholomæi Mazzãtini obitus, & Gesta.

Recolendus pariter est P. Bartholomæus Mazzantini Cœnobij Senensis Alumnus, sanctitate illustris, cujus obitum, & Gesta ex ejusdem Cœnobij Chron. didicimus. Itaque Bartholomæus Virginitatis Florem illibatum perpetuò servavit. Orationi summopere addictus, præter Divinum Officium plurimas alias ab Ecclesiâ præsertim institutas preces recitare quotidie consuevit. Petrum de Bertis, de quo satis ad annum 1610., instituendum suscepit, dignus tanto Alumno Præceptor. Sacræ Eremi in Monte Senario Diœcesis Florentinæ nuper erectę adeundę studio incensus fuit, de quâ miscens identidem colloquia temperare sibi à lachrymis non poterat, sed à Superioribus Ordinis eò se recipere prohibitus, quòd ipsum in pluribus, & magni momenti negocijs adhibere satius ducerent, quibus proinde morem gerere in delicijs habuit. Ter in Hebdomadâ, quandiù vixit, feriâ nempe quartâ, sextâ, & Sabbatho jejunium exactè servavit. Erga Pauperes valdè misericors, neminem à se, & à Cœnobio, quoties ei præerat, mærentem repellere patiebatur. Diu, noctuque sanctis operibus addictus, antequam ad Matutinas Laudes persolvendas accederent Patres, duas horas Orationi vacabat. Divinis Officijs in Choro semper interesse solitus, & sacramentalibus Christifidelium Confessionibus excipiendis intentus, Sacellum societatis Habitûs exornare, & custodire quàmdiligentissimè satagebar. Ordinis nostri Novitios in sancto Dei timore instituebat; ut autem Orationi, & Literarum studijs quammaximè vacarent, operam omnem adhibebat, dicere solitus se illis, tanquam Angelis Dei famulatum exhibere, quibus etiam charitativa subsidia, prout rerum ferebat conditio, suppeditabat. Archiepiscopo Senarum Camillo Burghesio acceptissimus erat. Ejus effigies D. Philippo Nerio valdè conformabatur. Die tandem 14. Aprilis 1613. illucescente sanctissimè in Domino obijt, ac totam ipsam diem à cantu prorsus abstinuere philomelę, aliæque aves, quæ in ejus Cellulâ cibum ex ejusdem manibus accipere consueverant.

Plures Moniales S. Mariæ Paradisi de Bergomo sanctitate illustres.

Viris illustribus, quorum obitum, & gesta hactenùs descripsimus, accedant & Mulieres, hoc eodem anno recolendę in Monasterio Sãctæ Marię Paradisi de Bergomo, sanctitate vitę venerandæ. De Sorore Peregrinâ, ejusque laudibus satis, ni fallor, dictum est ad annum 1498., ubi de Origine illius Monasterij. Nunc verò ex ejusdem Loci monumentis, quę anno 1715. Mense Augusto egomet ibidem perspexi, intelligere licuit, quòd anno 1609. die 22. Augusti in osculo Domini obijt Soror Ludovica Alexandri morum innocentiâ celebris, quæ Monasterium illud incredibili plausu pluries administravit. Præterea Soror Veronica de Vitalibus, quæ pariter idem Monasterium administraverat, Christi Domini Passioni quàmmaximè addicta, persæpè, præsertim verò Feriâ sextâ, spineam coronam ad effusionem usque sanguinis Capiti impositam gerebat, & altissimæ contemplationis munere prædita, extasim quàmsepissimè patiebatur. Hujus tamen obitus, quò tempore contigerit, latet. Præterea die 16. Martij 1612. Soror Lucia Calvetti, quæ 22. annis in eo loco sanctissimè exactis perfectionis culmen fermè attigerat, in extremo vitæ constituta alijs Sororibus pariter advertentibus, audire meruit suavissimam Angelorum harmoniam. Denique die 8. Maij ejusdem anni obdormivit ibidem in Domino Soror Maria Stella Roggieri, quæ 53. annos, menses octo, dies 17. sanctissimum vitæ genus ibi transegerat, adeò verò macerationibus, & Orationi intenta, ut intueri quandoque meruerit Christum Dominum, quâ specie Crucem super humeros impositam gestans Calvarium ascendebat, qui verbo simul, & exemplo ad æquanimiter subeunda adversa quæcunque, & quidem plurima, eidem sorori familiaria vehementer excitabat.

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monum. eorundem Locorum.

Sere-

Serenissima Anna Juliana cum Filiâ, & tribus alijs Professionem emittit. Patres Florentini munera quadam ad ipsam transmittunt. Marfisa Estensis, & Cosmus II. Magnus Dux Etruriæ Benefactores insignes. Fundatur Conventus apud Oppidum Inglivæ.

C A P. XV.

COmpleverat Serenissima Ordinis nostri per Germaniam Reparatrix tempus, quo per solemnem Professionem, unà cum Filiâ, & reliquis anno proximè superiori Habitu Tertij Ordinis indutis Deo sese, ac Deiparæ prorsus consecrare decreverat, quin vel unum temporis momentum per totum anni circulum ipsi præterierit, quo non semper studuerit sese cœlestibus virtu- B tum ornamentis instruere, ut Domino Sponso Jesu Christo se redderet magis in dies, ac magis acceptam, prout exactè dicendum erit ad annum 1621. Itaque hoc anno die 21. Novembris Præsentationi Virginis Mariæ in Templo .1. nuncupatâ, cui sacrosancto Mysterio dedicata est Sororum nostrarum Ecclesia, ideò solemni pompâ undequaque exornata, prout liberalitatem summam, ac pietatem Annæ Julianæ decebat, Serenissima Mater Soror Anna Juliana media inter duas Archiduces Halâ huc invitatas, Mariam scilicet Christiernam, & Mariam Eleonoram Archiducis Leopoldi Sorores Germanas; Serenissima verò Filia Soror Anna Catharina inter Priorissam Claustralem, & Baronissam quandam, tres reliquæ tandem Sorores inter alias Sacras Virgines à Choro Claustralium, quò se tantisper receperant, digressæ, dextrâ candelam accensam, & spinarum sertum, sinistrâ verò Crucem, & coronam ex globulis precatorijs contextam gerentes Oratorium hoc ordine subierunt. Ibi verò coram Serenissimo Archiduce Maximiliano Tyrolis Principe, prædictis Serenissimis Archiducibus, & Ordinis nostri Patribus, P. Vicarius Generalis Joannes Paulus de Sermeto Sacrum facere cœpit, quo ad ejus Offertorium perveniente eadem Princeps cum Filiâ, & reliquis humillimè ad solum usque provoluta, interim hymnum *Veni Creator Spiritus* cantantibus prædictis Patribus, postquam id suppliciter omnino D singulæ petierant, in genua cum reliquis erecta, hymno prædicto completo, ad Professionem admissa in hæc verba juravit, Germanico Idiomate prolata, ita in latinum translata. *Ad laudem, & honorem omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, etiam Beatissimæ Virginis, & Matris Dei Mariæ, & omnium Sanctorum coram Vobis R. Pater, promitto, & voveo ego Soror Anna Juliana in posterum secundùm Regulam Tertij Ordinis Servorum B.V. vivere, Pontificiæ Sanctitati, R. P. Generali, & Vobis R. Pater, Venerabili quoque Matri Superiorissæ obedire, puram Castitatem servare, & usque in meam mortem in tali*

Soror Anna Juliana Austriaca Professionē emittit cū Filiâ, & reliquis Sororibus.

Expenduntur actiones antecedentes, & consequentes Professionem.

Forma Professionis.

A *S. Ordine perseverare, etiam fidam Protectricem obseratis Conventûs B. V. in Templo præsentatæ, & fidam servam illarum Sororum esse. Ad hęc adiuvet me Deus, et sua chara Mater Sancta Virgo Maria. Soror Anna Juliana de Austriâ.* Quæ pariter post Serenissimam Matrem Anna Catharina Filia eodem modo pronunciavit, postquam Serenissimæ Matri hoc ab ipsâ petenti bis annuerat, se scilicet Dotem quoque suam Loco illi adijcere velle, si ibi manere liberum esset. Idem subinde præstiterunt reliquæ tres Sorores in proposito Professionis negotio comites. Post hæc Sacerdos singulis Velum primò cœruleâ, & septangulari notatum stellâ capiti superimposuit, deinde spineam coronam, ac denique Clamydem nigram humeris circumduxit. Absolutâ B hujusmodi actione, quæ singulos astantes præ sui raritate vehementer commovit, eximiam Serenissimarum Principum dejectionem expendentes, Antiphonam *Regnum Mundi &c.* suavi modulamine Musici cecinere. Deinde Missâ completâ Serenissima Mater osculata iterum est dexteram Sacerdotis, & Fœminas sibi addictas singulatim complexa est, quas etiamsi minimas non amplius servas, sed Sorores dicebat. Ad hujus solemnitatis Coronidem Adolescens quidam exteriori corporis cultu Angeli speciem repræsentans concinnâ oratione nonnulla festivè dixit commendandæ Neo sponsarum Christi consecrationi, potissimum verò Serenissimarum quammaxime accommodata. Postmodum in Ecclesiâ C inferius positâ, alia adhuc Missa solemniter fuit celebrata, cui pariter interfuere Serenissimi prædicti Archiduces ab eâ deinde prandio excepti una cum Confessario; super hæc autem eo exiliebat gaudio Anna Juliana, ut dum & ipsa suo otium obsequio mancipatas Tertij Ordinis nostri Habitu induere voluerit, habitâ de more post meridiem concione, & opiparum prandium omnibus Oeniponte Religiosis paraverit, necnon Pauperibus centum Florenos erogaverit, universos in sortem triumphi, & gaudii sui venire exoptans. A meridie demum Vesperas cecinere eleganti, & ritè disposito concentu non Musici vulgares, sed sorores ipsæ, quæ utpotè recèns instructæ non vulgarem sibi concilia- D runt stuporem, quibus peractis absoluta omnino fuit actio ista solemnis. Hanc verò præ cæteris seriò perpendens Serenissimus Maximilianus supremus Ordinis Theutonici Magister, cum Archiducissis Halensibus, Mensæ postmodum adhibitis, Reverendissimam Sororem Annam Julianam Romano Imperatori, Coronam ejus spineam ex Christi Regis similitudine conspicuam Imperiali diademati, ardentem bonorum operum facem aureo pomo Imperiali, Crucem denique inferis ipsis tremendam Imperiali sceptro satis appositè comparavit. Addidit insuper ipsam inauguratorum Cæsarum more, & Equites creasse, & solemnes epulas dedisse, cùm Habitum

Serenissimi Maximiliani pulcra cōparatio.

dua-

duabus Fœminis contulisset, & tantâ liberalitate Religiosos simul, egentesque recreasset. Quoniam verò solemnis hæc pompa apud Serenissimam Archiducissam maximo erat in pretio, & æternitati consecranda, ad perenne grati animi monumentum statuit, quòd peculiari quadam solemnitate in honorem B.V. ejusdem in Templum Præsentatæ Festum per octo consequentes dies celebraretur, ita quidem, ut secundâ die Missa solemnis concentu musico cantaretur de Immaculatâ Conceptione; Tertiâ die de Nativitate; Quartâ de Annunciatione; Quintâ de Visitatione; Sextâ de Purificatione; Septimâ de Assumptione, & die octavâ iterum de Præsentatione. Interim verò singulæ Sorores Pallium B. Virgini texerent, millies videlicet salutationem Angelicam recitarent, & singulis diebus Deiparam enixè rogarent, ut virtutes quasdam ipsis impetraret, quas plurimi faciebat. Interim Reverendissima Soror omnia hæc secum ipsa repetens, tanquam eximia Dei beneficia, ideoque se totam eidem deberi, quò pluribus afficiebat cœlestibus gratijs, eò frequentioribus agebatur stimulis eas Deo pijs, & assiduis operibus referendi, & vitam ad longè majorem sanctitatem per singula temporis momenta componendi, quod fusiùs enarrandum nobis erit ad annum 1621.

Ad perpetuam hujus rei memoriâ solemnitatem instituit per octo dies in honorem B.M.V.

PP. D. Ann. de Flor. dona transmittunt ad Annã Julianã.

Referendum modò potiùs est, quòd PP. D. Annunciatæ de Florentiâ eximiam Sororis hujus clarissimæ pietatem admirabundi jugiter recolentes singularem animi sui erga eandem ostendere cupientes venerationem, laudabili sanè consilio particulam quandam Habitûs S.P.N. Philippi Oenipontem ad ipsam hilari animo transmiserunt, sicut & Imagines tum ejusdem B. Philippi, tum B. Julianæ Falconeriæ, quas egregiè delinearat P. Arsenius Mascagni de Florentiâ. Serenissimæ huic Principi accensere non pigeat adhuc aliam Principem, utpotè insignem Ordinis nostri apud Ferrariam in Cœnobio, & Ecclesiâ Sanctæ Mariæ de Consolatione Benefactricem, scilicet D. Marfisam Estensem Principi Massæ Cybo matrimonio jampridem copulatam, cui positum hoc anno legimus ab ejus Filio Carulo Massæ Principe in Ecclesiâ præfatâ Ferrariæ honorificum monumentum .2.

D. Marfisa Estẽsis insignis Benefactrix.

Longè potiori jure revocare decet in memoriam, quòd Serenissimus Cosmus II. Magnus Etruriæ Dux vestigijs exactè inhærens Serenissimi Patris Ferdinandi Primi, aliorumque Majorum, qui in celeberrimo D. Annunciatæ de Florentiâ Sacello Altare argenteum extruxerant .2. ipsumque candelabris pariter argenteis insignis pretij exornaverant, pavimentum ex marmore, pretiosisque lapidibus mirabili arte ad invicem connexis Mense Novembri hujus anni undequaque sterni mandavit. Interim P. Honoratus Godævus Narbonensis Ordinis nostri Sacerdos eximius eundem Ordinem propagari cupiens, extra Oppidum Inglivæ, sivè extra muros Villæ de Boleâ in Diœcesi Koscensi Provinciæ .2. Narbonensis, ad tertium milliare propè Canetum, possessionem ab Incolis recepit Loci cujusdam, sive Ecclesiæ, cui titulus est Sanctissimæ Trinitatis, ubi subinde Cœnubium pro Fratribus construere cœpit, quod in posterum P. Magister Epiphanius Cedo Barchinonensis Cœnobij nostri Prior haud mediocriter amplificavit, & ab Hostium insidijs Urbis illius Senatûs ope vindicavit.

Cosmi II. M. Etruriæ Ducis insigne Beneficium.

Conv. SS. Trinitatis de Inglivâ.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

1 *AUgust. Romer Servitus Mariana l. 3. c. 16.*

2 *Ex monum. Conv. Ferrariæ, Florentiæ, & Inglivæ.*

Privilegia, & Jura Ordinis Servorum, per Auditorem Apostolicum Cameræ denuò confirmantur.

CAP. XVI.

AD comprimendam quorundam audaciam, qui Religionis nostræ Jura, vel contemnere, vel perturbare quotidie non verebantur, P. Magister Antonius Zenubius Balleoni de Florentiâ Procurator Generalis in Curiâ proximè sequentem Privilegiorum, & Jurium Ordinis nostri Confirmationem ab Auditore Apostolicæ Cameræ pro toto Ordine impetravit, quæ Romæ ex ejusdem Cameræ Typographiâ edita in lucem fuere.

LITERÆ MONITORIALES Illustrissimi, & Reverendissimi D. Auditoris Cameræ Apostolicæ ad favorem, & pro manutentione Privilegiorum RR. Fr. Ordinis Servorum Beatissimæ Mariæ semper Virginis.

JOannes Dominicus *Spinola Protonotarius Apostolicus utriusque signaturæ S. D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, sententiarum quoque, & Censurarum, tam in eadem Romanâ Curiâ, quàm extra eam latarum, ac Literarum Apostolicarum quarumcunque universalis, & merus exequutor ab eodem Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputatus, Universis, & singulis DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Thesaurarijs, Sacristis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, Parochialium, Ecclesiarum Rectoribus, Locumtenentibus, eorundem, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, Presbyteris, Clericis, Notarijs, Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem, & Diœcesim, & alijs ubilibet constitutis, illisque, vel illis, ad quem, vel ad quos præsentes nostræ*

Lite-

Literæ pervenerint, salutem in Domino, & nostris hujusmodi, immò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis nuper coram Nobis pro parte, & ad Instantiam Admodum Reverendi Patris Fratris Antonij Zenobij Balleonij Florentini in Sacrosanctâ Theologiâ Magistri, totiusque Ordinis Fratrum Servorum Beatissimæ Mariæ semper Virginis Procuratoris Generalis, ac vice, & nomine Reverendissimi Patris Generalis, necnon RR. Provincialium, Priorum, & Fratrum nunc, & pro tempore existentium, & singulorum Monasteriorum, Domorum, & Ecclesiarum cujuslibet earum, tàm in Urbe, quàm in universæ Reipublicæ Christianæ partibus consistentium dicti Ordinis comparitum, & expositum. Quòd cùm dictus Ordo ob fructus uberes, quos in Dei

Ordo Servor. est penitus exēptus à quavis Jurisdictione Ordinariorum, Legatorū Apostolicorū de latere.

B Ecclesiâ produxit, & labores, quos pro animarum salute impendit, ac in dies impendere non desistit, illiusque Superiores Regulares, cæterique Fratres, omnesque Conventûs, Domûs, & Ecclesiæ fuerint, & sint à primævâ ejusdem Ordinis erectione immunes, & exempti penitus, et omninò à quavis Jurisdictione, tùm Ordinariorum, quàm quorumcunque aliorum Legatorum Apostolicorum, etiam de Latere, & Sanctæ Sedi Apostolicæ, soloque Romano Pontifici, Superioribusque Regularibus dicti Ordinis immediatè, absque ullo medio subiecti; necnon sub Patrocinio Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ejusdemque Sedis Apostolicæ benignè

Declaratio c. 14. Sess. 7. & c. 20. Sess. 24. Concil. Trid. de Reform. per D.N. Paul. P. V. ad favorem Regularium.

suscepti. Proindeque etiam Sanctissimus Dominus noster Paulus Divinâ providentiâ Papa V. C per suas Literas declaravit caput 14. Sessionis 7., & caput 20. Sessionis 24. Concilij Tridentini de reformatione non comprehendere Religiosos intra Claustra degentes, qui etiam in primâ instantiâ coram suis Superioribus regularibus, seù eorum Conservatoribus sunt conveniendi, ac etiam dictus Ordo, quàmplurimis gratijs, favoribus, privilegijs, & Indultis specialibus, & temporalibus à diversis fuerit decoratus Summis Pontificibus Romanis, & præsertim ab Alexandro IV., necnon Bonifacio VIII., Joanne XXII., ac XXIII., Martino V., Urbano etiam V., & Innocentio VIII. Et insuper eidem

Ordo Servor. plurimis gratijs, favorib. & privil. est decoratus à Summ. Pontif., & per viam cōmunicationis.

Ordini Servorum, illiusque Superioribus utriusque Sexûs Regularibus Personis, Domibusque, & Ecclesijs ab eodem Innocentio VIII., Leone X., Julio III., ac Pio V. per viam communi- D cationis concessa fuerint omnia privilegia, Concessiones, Gratiæ, & exemptiones, quibus omnes Regulares, Domûs, Ecclesiæ, ac Oratoria quorumcunque Ordinum Mendicantium, etiam Prædicatorum, Minorum, & de Observantiâ nuncupatorum, ac Eremitarum Sancti Augustini, Carmelitarum, Minorum, aliorumque Ordinum Congregationes, Personæ, Domûs, & Ecclesiæ, illorumque Priores, Fratres, Sorores, & Oblati, Corrigiati, Mantellati, ac de Pœnitentiâ nuncupati, aliæque utriusque sexûs Personæ, quomodolibet potiuntur, & gaudent, & quæ ab eisdem Romanis Pontificibus hactenus quomodolibet concessa, & in posterum etiam, seu

vivæ vocis oraculo concedentur, quibus omnibus A singulis uti, frui, potiri, & gaudere possent in omnibus, & per omnia, perinde ac si eidem Ordini Servorum, ac illius utriusque sexûs Regularibus, Personis, Domibus, Ecclesijs, & Oratorijs specialiter, nominatim, & expressè concessa fuissent. Et successivè Clemens VIII. felicis memoriæ prohibuerit expressè, ne dicti Ordinis utriusque sexûs regulares Personæ cujuscunque status, gradûs, dignitatis, conditionis existentes sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, à quâ nonnisi à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in articulo mortis, absolvi possent, necnon privationis perpetuæ officiorum per eosdem Regulares obtentorum, & inhabilitatis ad illa, aliàque ejusdem Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activæ, quàm

Probibitio SS. D. N. Clem. P. VIII. confugiendi ad Tribunalia secularium per Fratres Servor.

B passivæ eò ipso absque ullâ declaratione incurrendis, ad Tribunalia secularia, quovis prætextu, seù quæsito colore appellare, & ad illa confugere, aut ea propterea quoquomodo adire auderent, sed si à Prælatis dicti Ordinis gravatos sese prætenderent, ad Reverendissimum Priorem Generalem dicti Ordinis, seu illius Illustrissimum Protectorem, aut Viceprotectorem in Romanâ Curiâ, vel ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesiâ Dei Judicem, recursum haberent; decernens idem Pontifex, nedum dicti Ordinis Regulares contrafacientes, verùm etiam eorum fautores, & consultores quomodolibet directè, vel indirectè pœnas prędictas eo ipso incurrere, irritumque, & inane decernens, si secus à quo- C quam scienter, vel ignoranter attentari contingeret, prout in singulis desuper confectis literis plenius continetur.

Ordo appellationis, & recessus.

Contrafaciētes, Fautores, & Consultores puniūtur

Cùm igitur antedictus Ordo per viam communicationis, & participationis non solùm hactenùs, sed etiam perpetuò futuris temporibus utatur, & potiatur, prout Reverendus Pater Procurator Generalis nomine quo supra, uti, & potiri in pręsentiarum intendit, Privilegijs omnibus cæteris Religionibus concessis, pręsertim illis, quę hactenus reperiuntur concessa Congregationi Beatę Marię Fulsensis, & illius Conventibus, Personis, & Ecclesijs per diversas literas, videlicet Gregorij XIII., Sixti V. Gregorij XIV. Clementis VIII., & Sanctissimi in Christo Patris D.N.D. Pauli, Divinâ providentiâ Papę V., qui inter D cætera sub certo colore, quòd antedicta Congregatio Beatę Marię Fulsensis inquietabatur, vexabatur à nonnullorum Locorum Ordinarijs, quia in literis non erat facta specialis mentio exemptionis à jurisdictione eorundem Ordinariorum. Ideò ne dubitari de cętero super hujusmodi exemptione contingat, expressè mandat supradictam Congregationem Beatę Marię Fulsensis sub quovis quęsito colore, seù prętextu, ab Episcopis, Archiepiscopis, Pręlatis, Abbatibus, Judicibus, Ordinarijs, seù Delegatis, Legatis Apostolicis, seù quovis alio nomine nuncupatis in visitando, gubernando, regendo, pręcipiendo, corrigendo, aut quemvis alium actum jurisdictionis exercendo minimè molesta-

Ordo Servor. per viā communicationis utitur, & potitur, ac uti, & potiri intendit privilegijs omnibus cęteris Relig. concessis, pręsertim ijs, quę reperiūtur concessa Cōgreg. B. M. Fulsensis.

ri, inquietarique posse, sed solo Romano Pontifici illam, & illius Conventûs, Ecclesias, Loca, & Personas subiecit, & sub immediatam suam, & Sedis Apostolicę protectionem, Regimen, subiectionem, gubernium, & obedientiam recepit, ita quòd Episcopi, Archiepiscopi, Ordinarij, Vicarij, Iudices, & Officiales pręfati etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei, de quâ agitur, nullam in eos, & eorum aliquem, aut Monasteria, membra, & bona pręfata tanquam prorsus exemptos, & exempta, jurisdictionem, correctionem, superioritatem, Dominium, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, & quasvis alias sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas promulgare pręsumant, seu possint, aut debeant ab ipsis quoquomodo Sedis Apostolicę Delegatis, nisi in literis, eis pro tempore directis de pręsentibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio fiat, ad judicium evocari, aut quovis modo directè, vel indirectè molestari possint cum Decreto irritante, & clausulâ, sublatâ aliter judicandi facultate, remoto vitio obreptionis, ac intentionis, non obstantibus quibuscunque in contrarium forsan facientibus, & sub pœnâ excommunicationis latę sententię, à quâ, nonnisi in articulo mortis, pręterquam à Romano Pontifice pro tempore existente, absolvi possint.

Extensio exemptionis.

Insuper dictam Congregationem, & illius bona, & Personas à solutione decimarum, talijs, aut quovis genere exactionis, etiam prętextu Visitationis, aut transitûs exemit, innovans omnia alia privilegia, exemptiones, ut latiùs in dictis literis continetur. Expositumque etiam fuit, quòd aliàs de Anno MDLXXXIV., die verò 14. Mensis Martij ad instantiam Ordinum Mendicantium Reverendissimorum Superiorum D.D. Generalium, & Provincialium eò temporis existentium, fuerit expeditum à bonę memorię Hieronymo Mattheio, tunc Auditore Cameræ, privilegia, immunitates, & exemptiones in diversis Literis concessa, & concessas, & illarum vigore contra nonnullos malevolos, invidos, & æmulos, qui non verebantur perturbare dictos Ordines, & eorum Loca, Conventûs, Ecclesias, attestantes reprobare sensum super eorum privilegiis, confingentes novas declarationes, ideò illis inhibuit sub pœnâ Excommunicationis, alijsque pœnis in eo contentis, ne auderent Loca, Conventûs, Ecclesias, Bona, & Personas perturbare, seù pręsumere velle declarare Indulta, Privilegia, Confirmationes in dictis Literis contenta, nec vexare in solutione Decimarum, Taliorum, ac alterius exactionis, ut latiùs in eo continetur. Quod quidem Monitorium, licèt in multis locis forsan præsentatum, & exequutum fuerit, tamen non desunt, qui temerè audent velle interpretari privilegia, & Indulta, & exemptiones Apostolicas, licèt in illis adsit clausula, sublatâ aliter judicandi facultate, cum Decreto irritante, quę claudunt os omnibus, ita quòd nemo possit, nisi solus Pontifex os aperire, necnon usurpare jurisdictionem in suos

Exemptio à solutione Decimarũ, Taliis, aut quovis genere exactionis.

Inhibitio contra malevolos, invidos, & ęmulos perturbantes Ordines Mendicantium, & eorum privil.

E Fratres, eorumque bona, & occupare forsan bona, & cogere indirectè ad solutionem fructuum, Decimarum, Taliorum, ac alterius oneris. Cupiens modò D. Procurator præfatus, cùm soleat magis specialis provisio, quàm generalis, & memorię renovatio antiquarum pœnarum, excommunicationisque comminatę multùm prodesse, & terrere malevolos, & parum Dei, ac Sedis Apostolicę auctoritatis timoratos, ut sui muneris est, privilegia, gratias, & indulta, quę toti Ordini pręfato indifferenter concessa extant, illibata omninò, & penitus illęsa in universâ Fratrum Servorum familiâ unanimiter conservari, pręsertim cùm ad eorum aures devenerit, quòd aliqui Locorum Ordinarij pretendunt contra formam eorundem privilegiorum, & Indultorum jurisdictionem contra di-

Votum Procuratoris Gener. erga suę Religionis Ordinem.

F ctos Fratres, & Sorores exercere, eorumque visitare Monasteria, & loca, dictosque Fratres, & Sorores punire, corrigere, & emendare. Alij etiam sunt, qui de redditibus, & bonis Conventuum Fratrum, vel Monialium pręfatorum, ac de receptis, & expositis eorundem exigere rationem in maximum dicti Ordinis pręjudicium, ac literarum Apostolicarum nobis à dicto Patre Procuratore Generali exhibitarum de opportuno juris remedio requisiti. Vobis omnibus, & singulis, & vestrûm cuilibet in solidum committimus, & in virtute sanctę obedientię districtè pręcipiendo mandamus, quatenus statim visis, ac receptis pręsentibus, & postquam pręsentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrûm fuerit requisitus ex parte no-

Exequutorum deputatio.

G strâ, immò veriùs Apostolicâ authoritate inhibeatis, & inhibendo expressè pręcipiatis, & mandetis, prout nos pręcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Locorum Ordinarijs, necnon alijs quibuscunque in exequutione pręsentium nominan., & cognomin. ne visis, & receptis pręsentibus sub mille Ducatorum auri in auro locis pijs arbitrio nostro applicam., & pro illius mandati exequutione, & in Juris subsidium, quatenus opus sit quoud Reverendissimos DD. Episcopos suspensionis à Divinis, Interdicti Ecclesiastici ingressus Ecclesię; quò verò ad alios excommunicationis, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis audeant, seu pręsumant, aut eorum aliquis audeat, sive pręsumat dictos DD. instantes, eorumque Con-

Pœnę, & censurę contra molestantes, & perturbantes Fratres Servor. eorũque Conv., Eccles., Domos, Fratres & Sorores.

H ventûs, Ecclesias, & Domus, Fratres, Sorores, contra formam dictarum literarum Apostolicarum molestare, vexare, vel perturbare, aut in eos aliquam jurisdictionem ullo pretextu exercere, seù visitare, punire, corrigere, seù emendare, aut de redditibus, & bonis Conventuum, Fratrum, vel Monialium pręfatorum, aut receptis, & expositis eorundem aliquam exigere rationem, aut quidquam innovare, seù attentare, seù innovata, & attentata prosequi in posterum contra formam dictarum literarum Apostolicarum per se, sive alium, seu alios quovis prętextu, quęsito colore, vel ingenio: quinimmo moneatis eosdem, quatenus infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro

secun-

secundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino, & monitione canonicâ vobis assignamus, & vos assignetis eisdem sub eisdem Sententijs, Censuris, & pœnis debeant, & quilibet ipsorum, prout ad eos, & eorum quemlibet spectat, & pertinet, debeat à quibusvis jactationibus, vexationibus, perturbationibus, & impedimentis ejusdem DD. instantibus quomodolibet contra dictam formam dictarum literarum Apostolicarum, & Privilegiorum, & exemptionum, illatis, factis, & præstitis, ac fieri, & inferri comminatis; ac ab inferendis in futurum destitisse, cessasse, & sese abstinuisse, dictisque privilegijs, gratijs, immunitatibus, & exemptionibus quibuscunque sibi per dictos Summos Pontifices concessis, uti, frui, potiri, & gaudere permisisse; ac etiam dictis literis Apostolicis, & nostris hujusmodi monitorialibus literis in omnibus, & per omnia paruisse, & obedivisse, deque paritione vos certiorasse. Alioquin præfatos sic monitos, si in præmissis sese fore gravatos senserint modo, & formâ præmissis, citetis, & citare curetis, prout nos etiam citamus eosdem, quatenus sexagesimâ die post citationem nostram hujusmodi per vos eisdem facta immediatè sequen., si dies ipsa juridica fuerit, alioquin primâ die juridicâ ex tunc proximè futura compareant Romę in judicio coram nobis, sive nostro Reverendissimo D. Locumtenente, causam sui gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & recepturi, prout justitia suadebit, & ordo dictaverit. Certificantes eosdem sic citatos, quod sive in dicto citationis termino, ut præmissum est, comparuerint, sive non, nos nihilominus, vel R. D. Locumtenens noster præfatus ad hujusmodi Causę decisionem, necnon ad omnes, & singulos actus, & terminos judiciales, usque ad sententiam definitivam inclusivè, & lite non contestatâ procedemus, sive procedet justitiâ mediante dictorum citatorum contumaciâ, vel absentiâ in aliquo non obstante; & insuper inhibeatis, & inhibendo expresse præcipiatis, & mandetis, prout nos etiam præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis DD. Judicibus ordinarijs, extraordinarijs, Delegatis, & Commissarijs quibusunque, necnon omnibus, & singulis in exequutione præsentium, nominandis, et cognominandis, ne sub eisdem Censuris, et pœnis audeant, seu præsumant, aut eorum aliquis audeat, seu præsumat dictos instantes super præmissis molestare, vexare, perturbareque, aut in judicium trahere, quàm coram nobis, et nostro in Civilibus Locumtenente quovis prætextu, quęsito colore, vel ingenio; quòd si secus fiat, ultra pœnarum prędictarum incursus id omne revocabimus, justitiâ mediante, absolutionem verò omnium, et singulorum præmissorum nobis, vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem has præsentes fieri, et per infrascriptum Curię nostrę Notarium subscribi, sigillique Reverendę Camerę Apostolicę, quo in talibus utimur, jussimus, et fecimus appensione muniri.

Omnib., & singulis Judi- cibus ordinarijs, et extraordinarijs, Delega- tis, & Commis- sarijs quibus- cunque præsenti- um exe- quutio commen- datur.

Datum Romę ex Ædibus nostris sub anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quarto, Indictione duodecimâ, die verò 3. Aprilis Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli Divinâ Providentiâ Papę Quinti, anno ejus nono.

L. A. Virilis Locumtenens

Ainaldus Burattus Cur. Causarum Cam. Apost. Not.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

Exemplar originale harum Literarum in Pergameno habetur Florentię in Archivo nostro D. Annunc., et in alijs Ord. nostri Conv.

Moritur in Senario F. Lotheringus. Fit solemnis Processio Civitellę. Consecratur Ecclesia Ischię. Erigitur Florentię Societas de Charitate. Moritur Generalis Deodatus. Succedit Balthassar Bolognetti.

CAP. XVII.

Moritur hoc anno 1. in Eremo Senarij die 9. Martij F. Lotheringus Laicus, non fine quadam sanctitatis opinione, cujus proinde Gesta hic paucis saltem recensenda videntur. Lotheringus igitur in seculo vocatus Phillippus Maria Filius Zenobij del Pelle Florentinus atti linariæ addictus, Habitum Eremiticum nostrum, tanquam Laicus die 25. Januarij anno 1603. suscepit, & die 21. Martij anni sequentis 1604. solemnem Professionem emisit. Mediocris erat staturę, integrâ corporis valetudine, patiens laborum, omnibus ferè dixerim omnia, ideoque pluribus in Eremo officijs designatus singula quàmdiligentissimè obibat, sive in communi Vestiario, sive in Ecclesiâ, quam utpote sacristiæ Minister nitidam undequaque servabat, eleganti quadam ratione convocans Patres de more ad Horas Canonicas in Choro persolvendas mirum in modum eos alliciebat. Sacrum pluries in die audiebat eximiam præseferens pietatem; Superiorum jussa, & Constitutionum præcepta adamussim implebat, maximam omnibus reverentiam adhibebat, silentium ipsi præcipuè erat in votis, ab inanibus omninò verbis, nedum à contentionibus, & murmurationibus abstinens, sibi, suoque spirituali profectui seriò incumbens, cæteris, prout rei necessitas exigebat, præsto semper erat, & quidem acceptissimus omnibus, quippe qui eximiâ pollebat activitate, & charitate. Præterea non modò circa frequens Ministerium satagebat cum Marthâ, verùm etiam ad pedes Domini cum Magdalenâ in Oratione, quod temporis supererat, summo animi ardore impendebat. Contra verò somno vix, aut ne vix quidem indulgens, ipsum ut

F. Lotheringi Laici Eremitæ obitus, & Gesta.

utplurimùm super nudos asseres brevi carpebat. Sancto erga se ipsum concepto odio, suique verè contemptor, cæteros singulari prosequebatur amore, & plurimi, proportione servatâ, faciebat, comis, docilis, festivus, pia præsertim opera magnâ perfusus lætitiâ exercebat, cœlestibus semper ipsa condiens Verbis. His addere plura non possum, quia plura apud Eremi monumenta Posterorum eruditioni servata non adinveni; unum hoc superaddam; quòd Senior quidam ex eadem Eremo, cujus consuetudine usus erat Lotheringus, cùm quæ scripta hic sunt, audisset, liberè statim reposuit, quòd pauca nimis de hoc Servo Dei recensita ipsi videbantur, de quo longè plura supererant scribenda.

Civitellę prima solẽnis Processio Soc. Habitûs instituitur.

Die 6. Aprilis hujus anni, Dominicâ scilicet in Albis habita primò solemniter fuit Civitellæ .1. in Æmiliâ Generalis Processio societatis Habitûs dirigentibus P. Clemente Fabri de Bononiâ ibidem Priore, & P. Anselmo de Cæsena ejus Vicario pari omninò pompâ; ac anno proximè præcedenti habita fuit prima ejusdem institutio, sive musicos concentus spectemus, sive Poemata, & elogia, sive festivos apparatûs, sive militiam pulcherrimo ordine dispositam, sive tormentorum boatûs, sive tandem insignem Populi frequentiam, & Religionem.

Ischię cõsecratur solẽniter Ecclesia

Hoc pariter anno Ecclesia .1. Ordinis nostri apud Ischiam Oppidum Ducatûs Castri à Reverendissimo Domino Alexandro Rossi ab Ischiâ Civitatis Castri Episcopo die 25. Maij Deo, & D. Rocho ritu solemni fuit consecrata. Consecrationem prædictam sacra modò sequitur Societas Titulo de Charitate distincta.

Florentię erigitur societas de Charitate.

Florentiæ igitur ad veterem illam, & præ vetustate non minùs, quàm sanctitate venerandam septem Ordinis nostri Fundatorum nobilitatem restituendam, sodalitium quoddam per alios septem, earundem Familiarum Viros primarios .2. institutum fuit sub nomine prædicto Societatis de Charitate Beatæ Mariæ septem Beatorum Patrum Ordinis Servorum ejusdem Deiparæ Fundatorum, præcipuo studio Patris Magistri Elisæi Mazzoni de Florentiâ, qui sacris concionibus, et piis operibus jugiter intentus, haud mediocriter opportunum fore putavit, si bis centum duntaxat virorum Nobilium Urbis illius Cœtus congregaretur, quorum peculiare munus esset Viduis, Orphanis, & aliis opem secretò ferre, quia præ nobilitatis præstantiâ non sine ingenti pudore eleemosynas publicè ostiatim quæritare cogerentur.

Modus erectionis eiusdẽ recẽsetur cũ statutis Capitulis.

Hæc autem societas sub auspiciis Beatæ Mariæ Virginis Servorum eodem Gloriosissimæ Assumptionis die, quo veteres illi nostri Patres Divino aspirante lumine Ordini nostro initium dederunt, hoc modo erecta fuit. Primò, in Ecclesiâ nostrâ Divæ Annunciatæ convenerunt infrascripti septem Proceres ex eisdem Familiis Beatorum Fundatorum originem ducentes, nimirum, Donatus Antellensis Clarissimus Senator, Petrus Philippus Uguccionius, Oliverius Falconetius, Simon de Amideis, Petrus Monaldius, F. Æmilius de Sosteneis Eques Hierosolymitanus, Jannottus de Manettis. Singuli ergo unanimi consensu, accedente D. Alexandri Martij Medices Archiepiscopi Florentini authoritate, coram D. Sebastiano de Cennis Notario Publico Archiepiscopalis Curiæ de erigendo hujusmodi charitatis sodalitio spoponderunt, curâ demandatâ Patri Magistro Elisæo præfato, & Patri Magistro Archangelo Gianio de statuendis Capitulis, & per eundem Archiepiscopum approbandis, quemadmodum proximè sequenti anno pridie Idus Julij confirmata fuisse constat, quæ nimirum hic recensentur.

1 Eligatur in Correctorem Ordinis nostri Sacerdos, cujus munus sit Confratres ad idẽ Charitatis officium, & erogandas eleemosynas hortari, & novitios sodalitii, qui nullatenus ante 25. annum completum in Societatem admitti possint, erudire, neque possit unquam alius, quàm ex Ordinis nostri Patribus ad hoc munus deputari.

2 Ex illis bis centum Civibus eligatur Gubernator, & Caput Societatis, qui inter eos appelletur Major, cujus officiom quatuor menses non excedat, sed quatuor exactis mensibus alius deinceps præficiatur.

3 Tres per eundem Majorem præficiantur Ministri, quorum erit Confratres ad oblationes pro eleemosynis excitare, præsertim verò teneantur secundo quoquo Mense publicas à singulis colligere collectas.

4 Eligat etiam quolibet quadrimestri Camerarium, apud quem collectæ oblationes conserventur ad arbitrium D. Majoris distribuendæ.

5 Eligat quoque Provisorem unâ cum tribus præfatis Confratribus ad eleemosynas excitantibus, qui deinde ab universâ societate per tres saltem è quatuor partibus votis favorabilibus confirmetur, cujus officium ad annum protrahatur, sed pluries confirmari possit ab eodem Majore, ac tribus prædictis Confratribus, qui præ cæteris teneatur celebrandam curare quolibet Mense semel Missam ad Altare privilegiatum, ibique pariter ter pro animâ cujuscunque Confratris statim ac ex hac luce migraverit, necnon Capitulum aliquod Societatis illius legere, quoties in unum, ut infra, convenerint.

6 Pari Lege cum Provisore eligatur ad annum scriba, qui æquè ac Provisor confirmari possit, teneatur autem ad nutum Majoris eos amovere, qui taxam non solverint, eidem Majori eorum notam exhibendo, & de mandato Provisoris notas faciat pro collectis eleemosynarum, Confratres in ipsis ad libitum designando.

7 Extra Congregationem sexies in anno colligantur à Confratribus eleemosynæ juxta eorum conditionem pro libito erogandæ, scilicet in Festis Assumptionis Beatæ Virginis,

nis, omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, Resurrectionis ejusdem, Adventûs Spiritûs Sancti, ac primâ die Quadragesimæ. Teneantur bis centum illi Cives Confratres quolibet anno singuli solvere libras septem.

8 Quoties aliquis è Confratribus, sive per obitum, sive aliunde defecerit, quilibet è Confratribus Majori aliquem proponat taxis solvendis aptiorem. Qui verò præ cæteris per secreta suffragia ab eodem Majore, ac tribus solicitatoribus approbatus fuerit in Congregatione publicetur, ut ab universâ Societate in proximè sequenti Conventu, cui quindecim saltem intersint, per tres ex quatuor partibus eorundem Confratrum convenientium per secreta suffragia admittatur.

9 Non teneantur Confratres saccos induere, ad Processiones accedere, neque Divina in unum recitare, sed tantummodo Dominicis primâ, & tertiâ cujuslibet mensis, necnon in Festo Assumptionis, Nativitatis, Purificationis, & Annunciationis Beatæ Virginis post meridiem convenire, tum ad sermonem audiendum, tum ad ipsas eleemosynas juxta Domini Majoris arbitrium dispensandas; habito tandem pro animabus Fratrum Defunctorum suffragio cum Psalmo *De profundis*, & acceptâ à Patre Correctore benedictione.

10 Ut plena, & perfecta hujusmodi legum habeatur observantia, Confratres omnes ipsam teneantur complere sub pœnis ibidem expressis, & à Majore exprimend s, quoties expressæ non fuerint. Nullus autem unquam leges has immutare præsumat, nisi quoties res urgeat, & in emolumentum societatis referatur; id autem fieri non possit, nisi per secreta suffragia quoad tres ex quatuor partibus. Quæ planè leges anno proximè sequenti 1615. conditæ ab Alexandro Martio Medices Archiepiscopo Florentino confirmatæ fuere die 14. Julij anno 1616.

Hisce statutis, celeberrimo die Nativitatis Deiparæ, ad imitationem veterum septem Patrum nostrorum Fundatorum convenientibus in unum in Cœnobio Divæ Annunciatæ centum quinquaginta Civibus Florentinis Societas de Charitate hoc anno congregata primò fuit, & instauratis suffragijs pro eligendo Majore cecidit sors super Petrum Monaldi ad hoc, ut sicuti Beatus Bonfilius, ex eadem Familiâ Rector fuit, & Major reliquorum Ordinis nostri Fundatorum, ita modò, & alios ex eodem Genere novam hanc regeret societatem. In Correctorem verò electus primo loco fuit Pater Donatus Florentinus, ac deinceps reliqui Officiales secundùm ordinem superiorem electi fuere. Quos denique Frater Cyprianus Sabellius Clericus noster Florentinus ingenio præstans, & eruditione ad tantum pietatis opus amplectendum eleganti oratione de laudibus Charitatis, ac de septem Beatorum Ordinis nostri Fundatorum præstantiâ, ac sanctitate excitavit. Hanc postmodum societatem, anno videlicet proximè sequenti, prout videbimus, Paulus V. Summus Pontifex amplissimis Indulgentijs dignatus fuit illustrare; illustravit & Alexander Mattius Medices Archiepiscopus Florentinus; illustravit etiam Princeps Antonius Medices, & quidem maximè illustravit Serenissimus Magnus Etruriæ Dux Cosmus II., qui Societati huic aggregari eximiâ benignitate voluere. Hoc eodem anno, postquam Deodatus Generalis Ordinis loca visitasset, senio, laboribusque confectus Biturgij, propriâ nimirum in Patriâ, morbo correptus 13. Kalendas Septembris fato brevi cessit. Vir iste ab ineunte ætate literis deditus, ac deinceps gravioribus imbutus scientijs domesticas Ordinis nostri Academias, Cæsenæ, Fulginei, & alibi moderatus est. Deinde per alios Dignitatum gradûs ad supremum Ordinis Magistratum anno 1612., ut diximus, promotus fuit, postquam Procurator Generalis in Romanâ Curiâ bis fuerat, scilicet ab anno 1594. ad 1597., & iterum ab anno 1606. ad 1609., quo in munere Orationes plures coram Summo Pontifice, & Purpuratis Patribus de more habuit, ex quibus nonnullæ collectæ fuerunt, & in lucem editæ per Angelum Rocham Pontificium Sacristam. Ne verò Generalis Præfectus Ordini nostro desideraretur, qui Deodato succederet, posthabito Patre Magistro Angelo Meliorati Biturgiensi, qui utpote Definitor Generalis Romanæ Provinciæ, in quâ Generalis obierat, juxta Constitutionum nostrarum præscriptum ejus vices obire debebat, Summus Pontifex Paulus V. speciali dispensatione Vicarium Generalem Ordinis nostri sexto Kalendas septembris suffecit Patrem Magistrum Balthassarem Bolognetti de Bononiâ publicum illius Universitatis Theologum, Domino Joanne Garzia Cardinale Millino, cui Balthassar in legatione Bohemicâ ad Rodulphum Imperatorem à Sacris inservierat, procurante. Succedente verò Mense Novembri die 21. ab eodem Summo Pontifice emanarunt literæ de prorogando Capitulo Generali, quod habendum erat anno 1615. usque ad annum 1618. sub datum Romæ 11. Kalendas Decembris, quarum vigore Balthassar in Magistratu usque ad tempus prædictum intelligebatur electus. Hoc igitur anno Ordinem nostrum secundis auspicijs regendum suscepit Balthassar Bolognettus de Bononiâ, è cujus administratione præ magno, quo apud omnes habebatur, pretio, secundos quoque idem Ordo sibi augurabatur eventûs.

Vir quidam insignis nomine Patriarchę Babylonis adit Eremum Senarij.

Die quintâ Maij hujus anni ad Eremum Senarij se contulit Vir quidam insignis nomine Adam Prior Generalis Patrum Sancti Pacomij designatus ad Paulum V. Summum Pontificem pro Patriarchâ Babylonis, qui dicebatur Elias, Orator, quem Patres Eremitæ rogarunt, ut aliquid illis concederet speciale sui monumentum, qui proinde morem ijsdem

getens

gerens, quæ sequuntur, sed idiomate Chaldaico, ac deinde a quodam Francisco Genere Chaldæo, sed Italicæ linguæ perito Florentiæ degente, in Italicum Idioma translata, scripto reliquit .4.

More Chaldæorum

In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sanctitatis. Amen.

EGO Adam Peccator Dei gratiâ Generalis Patrum Sancti Pacomij Legatus Orator ad Sanctissimum Dominum Paulum Papam V. pro Patriarchâ Babylonis, qui dicitur Elias, anno Domini Millesimo nongentesimo vigesimo quarto juxta computum Græcorum (juxta Romanos anno 1614.) ad Montem Senarium me contuli, Reliquias Sanctorum veneraturus. Præfectus huius Loci erat Pater Augustinus Gavrielli, à quo sicut & ab aliis Patribus ipsi subditis rogatus, ut aliquid scripto illis concederem, monumentum hoc paucis complexus sum, scilicet: Propter Dei amorem petimus à singulis Christifidelibus, qui scripta hæc viderint, quòd recitent Psalmum Miserere, in remissionem criminum, quæ patraverint Viri mox memorati, & Dominus noster Jesus Christus suam ipsis gratiam largiatur, ac Deus ipse peccata singulis Peccatoribus nunc, & semper dimittat. Amen.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

1 EX *monum. eorundem Locorum.*

2 *Ex Supplem. Annalium Gianij, & Baccio Bandinelli in lib., cui tit.* Idea della Sapienza Cristiana P. 1. fol. 44.

3 *Ex Reg. Gen. Bolognetti ab anno 1614. ad 1618 fol. 1., & ex lib. memorab. Conv. D. Annunc. de Flor. ad hunc annum fol. 154.*

Tria Cœnobia Ordini nostro accedunt, in Monte Virginio, Theani, & Oeniponte. Florentiæ reconduntur sub Altari suæ Familiæ Beatæ Julianæ Falconeriæ Ossa, & pro eius Beatificatione fit Procuratio in illâ Curiâ. In Castro Saxuoli novæ Tertiariæ. Miracula Sancti Habitûs, & Sancti Philippi. Reparatur Ecclesia nostra de Mestre, ibique Vitam ducit quidam solitarius.

CAP. XVIII.

POST varias discussiones à PP. Montis Senarij hoc anno habitis super religiosissima D.D. Virginij de Ursinis Ducis Bracciani petitione, qui iisdem Patribus in suâ Ditione Locum exhibebat idoneum pro Eremo construendâ, in quâ ipsi Patres juxta Constitutionum præscripta laudabiliter degere possent, tandem aliquando petitioni prædictæ obsequentes hanc Eremi fundationem obvijs ulnis amplexati fuere, P. Bernardino Ricciolino de Florentiâ Eremitæ, tunc Romæ pro Senarij negotijs degenti facultatem omnimodam concedentes, & Locum personaliter invisendi, & ad ipsos Patres fideliter referendi, & ea omnia peragendi, quæ ad hanc fundationem complendam expedire viderentur. Quamobrem P. Bernardinus die 15. Maij hujus anni 1614., eò profectus, ut Locum inviseret, habitâ diligenti consideratione ipsum probavit. Feriâ verò tertiâ Pentecostes Dux idem Virginius pium hoc suum Consilium Paulo V. Summo Pontifici, et D. Fabritio Cardinali Verallo Ordinis nostri Protectori aperuit, quod ipsi ex animo commendarunt. Interea rebus aptè dispositis die 8. Septembris Sacratissimæ Virginis Mariæ Nativitati nuncupatâ Sanctæ Crucis Vexillum in Monte Saxano ritu solemni plantatū fuit, quem deinceps non amplius Saxanum dicendum esse, sed Virginium in honorem Beatæ Virginis publico Edicto Dux idem præcepit. Sacræ huic actioni magnâ celebritate habitæ interfuere pro Duce prædicto absente D.D. Gemmarius de Florentiâ utriusque signaturæ Referendarius, & in Ditione ejusdem Ducis Gubernator, alijque ejusdem Curiæ Ministri, magnâ Populi frequentiâ undequaque plaudente; Indulgentias quoque sacris quibusdam Imaginibus pro omnibus concesserat idem Summus Pontifex ipso Duce enixè petente, qui eidem Functioni interfuissent, easque accepissent. Solemnis item habita fuit Processio, & à Patre Hieronymo Interamnensi Ordinis nostri satis apta de laudibus Deiparæ Concio, incredibili etiam finitimorum concursu, magnâque lætitiâ, quibus omnibus Dux præfatus annonam eximiâ liberalitate suppeditavit. Subinde formato per Architectos Fabricæ schemate, die 8. Decembris ejusdem anni 1614. Immaculatæ Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis dicatâ primi lapides ritu solemni benedicti in prædicto Monte positi fuere pro Ecclesiæ, & Eremi fabricâ promovendâ. Verùm dum hæc agerentur, & singulari omnium gaudio ferveret opus, die 9. Septembris anni sequentis 1615. in luctum versa erat cythara propter obitum inclyti Ducis Virginij. Quò tamen avulso, Deiparâ favente, non defecit alter operis hujus insignis munificentissimus Protector, Paulus videlicet prædicti Virginij Filius in Ducatu, & pietate successor, qui unanimi Fratrum omnium suorum assensu in Monte Jordano publico habito Donationis Instrumento tanti Patris consilium confirmavit. Quæ sanè de Origine hujus Eremi dicta sint satis, reliqua ad annum 1623. dicemus, quò Patres ipsam deserere satius existimarūt.

Fūdatur Eremus in Monte Virginio.

Hoc pariter anno die 15. Julij in loco quodam, qui dicitur *Monte lucro* Civitatis Theani in Regno Neapolitano erigitur pro nostro Ordine recens Cœnobium, & loco præsentis Ædiculæ nova ædificatur Ecclesia, in quâ honorificè collocatur Imago Sanctæ Mariæ dictæ de Constantinopoli, quæ in Ædiculâ præfatâ magnam apud Gentes illas conciliaverat sibi venerationem. Cui sanè pio

Fundatur Theani Cœnobium.

pio operi quàmmaximè contulere Innocentius de Villâ Furnoli, ejusque Uxor Aloysia, qui peculiari veneratione prosequentes septem Dolores Beatæ Mariæ Virginis, ejusque Servorum Habitum, Locum pro hac constructione Ordini nostro donarunt, operam suam adhibente, ac recipiente ejusdem Ordinis nomine Patre Magistro Augustino de Casertâ In Regno Neapolitano Priore Provinciali; ubi, cum maximè vigeat, ut diximus, Populorum devotio erga præfatam sacram Imagi nem, ideoque qualibet Feriâ tertiâ plures ab esu carnium abstineant, & jejunium servent, propterea Innocentius, & Aloysia prædicti convenere cum Patribus, ut ipsâ die per singulas Hebdomadas Missa ad honorem Sanctæ Mariæ de Constantinopoli, quæ Titularis est Ecclesiæ, celebretur.

Oenipontè similiter fundatur solemni pompâ aliud Cœnobiū pro Fratribus.

Ad hæc recolendum adhuc hoc anno nobis occurrit insigne aliud argumentum tatæ illius Religionis, quâ Reverendissima Soror Anna Juliana Austriaca, erga Deum, Deiparam, ejusque Servorum Ordinem impensè ferebatur, ædificatio nimirum alterius Cœnobij pro nostris Fratribus in Oenipontanâ Civitate, & illi adnexæ Ecclesiæ, pro quâ Reverendissimus Simon Brixinensis Episcopi suffraganeus 16. die Octobris primum lapidem fundamentalem sacro, solemnique ritu consecravit, de quo fusius ad annum 1621.

Ossa B. Julianæ Falconeriæ recondûtur honorificè sub Altari suæ Familiæ.

Interim Florentiæ enixè petentibus Falconeriæ Gentis Proceribus Veneranda Beatæ Julianæ, ex eodem Genere prodeuntis, Ossa longè decentiori formâ die 18. Decembris honorificè reconduntur, ipsis præposita jugiter accensâ lampade sub Altari in Sacello Juris Patronatûs ejusdem Familiæ, quod in Ecclesiâ nostrâ Divæ Annunciatæ Immaculatæ Deiparæ Conceptioni est nuncupatum, quæ consequentibus temporibus super idem Altare longè decentiùs reposita fuisse referendum est.

Procuratur Processus pro ejus Beatific.

Præterea instantibus potissimùm Serenissimis Etruriæ Principibus, cum Reverendissimâ Sorore Annâ Julianâ Austriacâ, Cœnobij Florentini Patres, P. M. Archangelo Giani nemini non cognito Provinciam demandarunt pro virili curam omnem adhibendi, ut in Archiepiscopali Florentiæ Curiâ opportunus de Beatâ Julianâ prædictâ construeretur processus ad consequendam ab Apostolicâ Sede cultûs ejusdem approbationem.

** Indultum hoc emanavit an. 1718. die 20. Septemb.*

His opportunum arbitror adycere, quoniam Beata Juliana inter Ordinis nostri Tertiarias primas utique tenet, imo Fundatrix habenda est ex Apostolicæ Sedis Induito * quod in Castro Saxoli Ducatûs Mutinensis ab anno usque 1603. institutum primò fuit Consortium Sororum Tertij Ordinis nostri, cùm Magdalena quædam Filia Benedicti Benafsi recepto nomine Sororis Mariæ,

In Castro Saxoli induuntur Tertiariæ.

Lucia Bersana recepto nomine Sororis Annæ, & Bartholomæa Cavassoni omnes de dicto Castro recepto nomine Sororis Julianæ, Habitum Tertij Ordinis ritu solemni induerant, & inter Tertiarias cooptatæ fuere. Hinc modò quoque eodem Habitu donatæ fuere, & iisdem Sororibus cooptatæ Dominica Ferrari accepto nomine Sororis Catharinæ, & Agnes pariter Ferrari nomine Sororis Mariæ. Pro re natâ consentaneum videtur aliqua hic recensere admiranda, Religiosisque Fidelibus utilia, meritis Beatæ Virginis, ejusque Sancti Habitûs Septem Dolorum religione ab Altissimo patrata anno 1613. proximè præcedenti.

Mulier gravida ab eminenti fenestrâ in terrâ dilapsa abortum non patitur, & feliciter parit.

Pisis in Etruriâ Margarita Joannis Baptistæ Ricordati quatuor Menses utero gravida è fenestrâ in publicam viam, eamque lapidibus stratam per undecim ulnarum altitudinem cecidit, & marmoreum gradum offendens graves in varijs corporis partibus subijt fracturas. Verùm Deiparæ, cujus Habitum septem Dolorum religiosè gerebat, se commendans, neque abortum passa est, sed opportuno tempore feliciter peperit, nec ullatenus læsa plures adhuc annos fuit superstes.

Puella pustulis graviter affecta perfectè cōvalescit.

In eâdem Urbe Puellâ quadam pustulis graviter affectâ, præsertim verò in facie, ejus Genitrix, non temerè verita ipsam oculorum luce destituendam esse, ac turpiter deformādam, voto se obstrinxit Deiparæ Virgini, quòd Filiam, si perfectè convalesceret, sancto ejusdem Habitu indueret; cui profectò Afflictorum Regina benignè respondit, non modò enim oculorum luce destituta Filia non fuit, verùm etiam nec ulla, vel minima in ejus facie, & corpore pustularum nota apparuit, rem ipsam omnibus mirantibus, qui eam viderant ægrotantem.

Puer à nefario Spiritu vexatus liberatur.

Hoc autem anno Florentiæ, Puer quidam octennis, nomine Jacobus Petri Joannis Nerij Filius quatuor integros menses vexatus fuerat à nefario spiritu. Hic verò 5. Nonas Octobris cùm exorcismis urgeretur fateri, coactus fuit se ex eo corpore nullatenus egressurum, nisi Puer sancto Mariæ Virginis Habitu indueretur. Hinc ejus Parentes Puerum ad Sacellum Sacratissimæ Virginis Annunciatæ detulerunt. Hoc voto emisso de Habitu prædicto ipsum induendi, protinus nefarius ille spiritus à Puero recessit, qui proinde Habitum illum deinceps religiosissimè gerebat.

Gladio percussus ab hostibus illæsus evadit.

Nec prætereundum videtur, quòd hisce pariter diebus Joseph Navinius Vincentinus, cùm Veronæ casu degeret, à quatuor hostibus gladio armatis repentè impetitus, pridie Idus Martij à tergo se percuti sensit. Verùm sancti Habitûs Beatæ Virginis, quo procedebat indutus, virtute protectus adeòquidem, ut gladij ab ipso Habitu, tanquam a ferreo thorace retunderentur, è manibus Hostium Joseph illæsus evasit.

Puer in altū Puteum incidens mirabiliter servatur.

His ferè temporibus Genuæ Puerulus quidam vix quinquennis incidit fortè in altum Puteum, & ne mergeretur, Beata Virgo Ordinis Servorum Patrona, eodem idipsum testante, illum super aquas randiu sustentavit, donec incolumis evasit. Præterea Domina Lælia Uxor D. Joannis Baptistæ Doria, qui Sabaudiæ Ducis militiæ Præfectus erat, difficultatem in emittendo fœtu subiens maximam,

Puerpera difficulter pariens illicò exauditur, & feliciter parturit.

ximam, voto se obstringens Beatæ Virgini, E ejusque sanctissimæ Imagini Dolorosæ Genuæ in Ecclesiâ nostrâ positæ illicò masculum emittit, in cujus beneficij anathema argenteum ibidem Beatæ Virgini obtulit Donarium. Rhegij Lepidi pariter 10. Kalendas Maij coram sacratissimæ Virginis celeberrimâ Imagine ibidem in Ecclesiâ nostrâ publicæ venerationi expositâ vota persolvens se sistit Agramontes Milavus publicus Laudensis Civitatis Præco. Cùm enim Civitatis prædictæ Præfecti Virum aliquem ad officium Præconis eligere deberent, Agramontes præ cæteris, & quidem pluribus munus hoc affectantibus assequi summoperè cupiebat.

Ignarus mirabiliter instruitur

Unum autem hoc vehementer obstabat, quòd nec legere, nec scribere unquam didicisset. Quare gloriosissimæ Virgini maximè confisus, cui se F potissimùm commendaverat, coram Dominis Præfectis sese ultrò exhibuit, & libro, calamoque accepto, & legit, & scripsit; quo habito experimento verè admirabili in Præconem electus fuit. Hoc autem audientes Cœnobij nostri Patres Agramontem ad Episcopum adduxerũt, qui modò exposita jurejurando confirmavit, unde & in publicis Tabulis grande istud miraculum relatum fuit. His circiter diebus Sanctimoniales quædam Ordinis Sancti Francisci in Monasterio Sancti Marci Civitatis Tudertinæ, quod olim coluere cum Beato Patre nostro Philippo Ordinis nostri Patres, & in quo adhuc supersunt ejusdem Beati Patris monumenta, speciatim verò Cellula, in quâ Beatus idem Pater plurimis à G Deo, ac Deiparâ gratijs ornatus sanctissimè obijt, in Sanctuarium, & Oratorium sapienter quidem conversa, sicut & in Ecclesiâ ejusdem Beati Statua, & in laqueari frequentissimæ ejusdem, ac Deiparæ Imagines, quas ego ipse anno 1712. Mense Junio die 8. proprijs oculis non medioeri perfusus gaudio conspexi, & pluries diligentissimè lustravi,

Sanctimonialis ab igne malè affecta implorată ope B. Philippi integrã impetrat sanitatẽ

Sanctimonialis quædam, inquam, cùm in ignem fortè incidisset, adeò in altero ex pedibus malè affecta fuit, ut nervi ipsi paterent, & nullum ex remedijs à Medico, vel Chirurgo appositis eidem levandę, curandęque esset satis, quinimmo plurimùm obesset, quâ de re à Medicis conclamatum erat, & hoc absolutè pronunciatum, quòd nonnisi enormiter H læsa superesse poterat. Hioc Soror quędam infirmę, & ipsa ibidem Deo Sacra ad Chorum celerrimè contendens coram Imagine Beati Philippi, quę ibi ab immemorabili servatur, & colitur plurimis votis, ac Tabellis ornata, genuflexa Beatum Patrem ex animo rogat, ut Sorori integram impetret sanitatem. Quo vix habito prędicta Soror ægrotans nullo imposterum adhibito remedio convalescere cœpit, ac sana prorsus, & integra, quasi nil unquam passa fuisset, evasit.

Reparatur Eccl. S. Hieronymi de Mestre.

Pro coronide hujus capitis, & anni indicare lubet, quod Ecclesia Sancti Hieronymi de Mestre Ordinis nostri in Ditione Venetorum haud procul ab Urbe ipsâ Venetiarum operâ, & studio Pa- E tris Josephi Policretti Patris nostri clarissimi adeò reparata fuit, ut de novo potius ædificata videatur. Huc autem se recepit Joannes de Amorevolis, ac perpetuæ solitudini addixit anno 1612., ideò parvâ quadam Ædiculâ nostræ huic Ecclesię proximè constructâ, in quâ, velut in angustissimo carcere, vitam sanctissimè transegit Habitu Servorum Beatæ Virginis religiosè suscepto anteactæ vitæ pœnitentiâ ductus, mundi delicijs posthabitis, & divitijs in pauperes distributis, scęnicę enim arti, ac theatralibus ludis magnâ nominis celebritate, neque minori opum congerie per universam fermè Europam operam dederat. Hujus autem vestigia imitatus pius quidam, & simplex Vir nomine Jodocus F Mollat de Fribugo Helvetiorum sequenti anno 1613. Romam petens à Deodato Generali sanctum Servorum Beatę Virginis Habitum sub Eremitico Instituto suscepit 15. Kalendas Julij cum literis parentibus pro novâ Eremo fundandâ prope Friburgum ad instar Senarij Provinciali Lombardię subiectâ, ut ibi solitariam vitam in varijs pœnitentię operibus perpetuò duceret, cui adhuc alius adhęsisse fertur pietate, ac doctrinâ inter Helvetios conspicuus, sacris initiatus, & in Eremitico Instituto haud mediocriter proficiens. Quid autem reipsâ contigerit de hujus Eremi fundatione, & progressu, exploratum nondum habemus.

Conv. S. M. de Friburgo Helvetiorũ

G

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta habentur ex suppelm. Annalium Granij, & ex monum. respectivè eorundem Locorum.

Moriuntur Aurelius Menochius de Bononiâ, Orantes Taxonus de Ferrariâ, & Benedictus Leoni de Viterbio. Eliguntur Superiores Provinciarum. Eriguntur nonnullæ Societates Habitûs. Officium Beati Philippi pro Civitate Florentinâ cum Indulgentiâ Plenariâ, & nonnulla ejus miracula. Indulgentia pro Societate de Charitate Florentiæ.

CAP. XIX.

H

FUnestum hic annus sortitur exordium, deplorandus enim ab ipso usque limine nobis occurrit obitus præclarissimorum Virorum Aurelij Menochij de Bononiâ, & Orantis de Ferrariâ, quibus jure merito pro modulo nostro persolvere justa debemus. Primùm verò de Menochio verba faciam .1. qui die 20. Januarij vitâ functus est. Plura quidem summâ laude digna in Aurelio convenerunt ad ipsum undequaque exornandum, prudentia nimirum in rebus gerendis, & omnigena eruditio cum singulari eloquentiâ conjuncta, qui plurimi proinde habitus ubique fuit, tum in dicendo, tum in erudiendis,

Aurelij Menochij obitus, & gesta

exco-

excolendisque studijs addictis Adolescentibus; Græcus illi affluens sermo, lacteum eloquentiæ flumen, Demosthenem simul, & Tullium æmulari videbatur, cui à naturâ ea indita erat elegantia, ut sive concionaretur, sive quoquomodo Orationes, aut lectiones haberet, Auditores omnes in sui raperet admirationem. Intra Domesticos Cœnobij nostri parietes Bononiæ plures annos Academiam administravit. Romæ ab anno 1573. usque ad annum 1578. Procurator Generalis in Curiâ, & Orator de more Pontificius; Theologalem etiam illius Universitatis Cathedram gloriosissimè coluit, & eloquentiam suam coram Sanctissimo Pontifice Gregorio XIII., & Purpuratis Patribus admirabundis per sexennium demonstravit. Deinde anno 1582. in Comitijs Generalibus Romæ honorificè habitis Generalis Præfectus unanimi Patrum consensu electus, nedum per tres annos, prout Ordinis nostri scita præscribebant, verùm etiam in Comitijs pariter Generalibus die 8. Junij anno 1585. solemni pompâ Bononiæ habitis, summâ suffragiorum concordiâ iterum in Generalem salutatus per tres alios annos Magistratum sapientissimè administravit. Quo tandem deposito propria repetens à Bononiensi Senatu inter publicos Universitatis illius Theologos cooptatus, Sacram Scripturam tantâ doctrinâ, tantâ Patrum authoritate, tantâ perspicaciâ, tanto denique verborum lepore, & elegantiâ ad extremam usque senescentis vitæ periodum fuit interpretatus, ut ad ipsum audiendum certatim omnes accurrerent, quin eis capiendis spatium Gymnasij, cæteroqui amplissimum, aliquando par esset. Plures ejusdem circumferuntur elegantes Orationes, quæ habentur manuscriptæ in Bibliothecâ nostrâ Florentinâ Pisis erectâ, & ego vidi die 6. Decembris 1715., plures etiã tum Dialecticæ, tum Physicæ, ac Theologicæ supersunt Lucubrationes, necnon lectiones ipsæ, quas, ut dicebatur, Bononiæ super Genesim habuit; Præ cæteris omnibus autem præclarum est opus, cui titulus: *Tractatus de Apostolicis Institutionibus, quæ in novo Testamento non habentur*: In eo enim plura de Apostolicis Traditionibus, quæ sunt in Ecclesiâ continuâ temporum serie conservatæ, & quæ per contrariam consuetudinem abolitæ. Ingentem voluminum copiam eo consilio congesserat, ut renovandæ insigni Bibliothecæ in celeberrimo Bononiæ Conventu deservirent, quemadmodum nostris hisce temporibus, dum hæc scriptis mandantur, posterorum ejus sedulitate maximè deservisse videmus. Denique post diutinum hydropis languorem anno ætatis suæ 78. 13. Kalendas Februarij mortuus unâ cum omnium lachrymis honorificentissimum à viris ejusdem Academiæ doctissimis consequutus est funus, pro cujus laudibus Pater quidam ex Ordine Sancti Augustini eximiam habuit Orationem, quibus omnibus ex æquo respondit solemnis in cæteris pompa ab illius Cœnobij Patribus A parata. Aurelio verò ex publico Senatusconsulto ad interpretandam Sacram Scripturam in celeberrimâ illâ Universitate Pater Magister Theophilus Bartoletri de Bononiâ Ordinis nostri successit. Aurelium proximè sequitur Pater Magister Orantes Taxonus de Ferrariâ .1. Vir nedum re literariâ, sed etiam religione morum insignis, qui plura sui Ordinis munera prudentiæ laude exercuit, & à Consultationibus Sancti Officij diù fuerat, necnon librorum omnium Censor, ac deni que moriens apud omnes magnum sui desiderium reliquit. Proximus etiam huic è vitâ decessit Pater Magister Benedictus Leoni de Viterbio Romanæ Provinciæ socius, dum Senis sacras haberet Conciones, Vir sanè al- B tissimæ spei, quam nisi adeò immaturâ morte præventus fuisset, non mediocres concionando progressus habiturus impleüet.

Orantis Taxoni de Ferrariâ, & Benedicti Leoni de Viterbio obitus, & laudes.

Frsi Comitia Generalia hoc anno habenda ex Indulto Apostolico, uti supra dictum est, ad annum 1618. dilata fuerint, nonnulla tamen, quæ dilationem hujusmodi pati commodè non poterant, de consilio Domini Protectoris, Summo Pontifice mandante, per Vicarium Generalem .t. Balthassarem exequutioni mandata fuere, speciatim verò Præfecti, & Officiales Provinciarum, prout opus erat, electi fuerunt. In Provinciâ Etruriæ Definitor Generalis Pater Magister Jacobus Barbolanus de Aretio; Provincialis Pater Magister Lælius Balleonius de Florentiâ, So- C cius Pater Cæsar Bonsantius de Lucâ. In Provinciâ Romanâ Definitor Generalis Pater Magister Annibal de Fulgineo, Provincialis Pater Magister Felicianus Penna de Perusio, Socius Pater Benedictus de Passiniano. In Provinciâ Romandiolæ Definitor Generalis Pater Magister . . . . Provincialis Pater Magister Archangelus Gherardinus de Mutinâ, Socius Pater Petrus de Bononiâ. In Provinciâ Lombardiæ Definitor Generalis Pater Magister . . . . Provincialis Pater Magister Hyppolitus de Ferrariâ, Socius Pater Camillus de Patavio. In Provinciâ Venetâ Definitor Generalis Pater Magister Gabriel de Bergomo, Provincialis Pater Magister Joannes Paulus Villa de Brixiâ, So- D cius Pater Gulielmus de Bastarellis Venetus. In Provinciâ Mantuanâ Definitor Generalis Pater Magister Paulus Æmilius Panuinius de Cremonâ, Provincialis Pater Magister Cornelius Podius de Cotoneo, Socius Pater Philippus de Mediolano. In Provinciâ Genuensi Definitor Generalis Pater Magister Hieronymus de Monticulo, Provincialis Pater Magister Joannes Maria Dona de Summaripâ, Socius Pater Archangelus de Cassinis. In Provinciâ Neapolitanâ Provincialis Pater Magister Augustinus Casertanus de Capuâ. In Provinciâ Narbonensi Provincialis Pater Joannes Rolandus de Revest, Socius Pater Augustinus Textonius de Massiliâ. In Provinciâ Hispa-

Eliguntur, & recensentur Superiores Provinciarum.

Hispanicâ Provincialis Pater Magister Emmanuel Rodriguez, Socius Pater Paulus Silvanius. Pariformiter ex Apostolico Indulto plures Baccalaurei Insignia Doctoratûs suscepere. Cùm Romæ hæc agerentur, Pater Philippus Eremita in Senario Monte reclusus more Camaldulensium, & juxta methodum pro Eremitis nostris à Summo Pontifice approbatam Mense Maio, iterum petitâ Patribus reclusionem eandem sibi adhuc per quatuor menses confirmari, quam ipsis exactis iterum ab ipso Octobris exordio per idem spatium Quadrimestre, deinde verò ineunte Februario proximè sequenti adhuc per sex menses prorogari postulavit. Is erat tunc in Eremo prædicta Charitatis fervor, ut cujusque limitis impatiens magis semper, ac magis ageretur in Deum.2.

P. Phil. in Senario reclusus petit cõfirmari.

Ab anno usque 1614. proximè superiori P. M. Antonio Zenobio Procuratore Generali in Curiâ ab hoc munere cessante justis de causis recensitis in Regesto Gen.fol.4., Summi Pontificis oraculo vivæ .3. vocis in secreto Consistorio sub die 27. Augusti in ejus locum subrogatus statim fuit P. M. Aurelius Raffaelli de Perusio publicus Romæ in Sapientiâ Professor, & apud S. Marcellum studij Regens. Hoc autem anno Balthassar Generalis, cujus prudentiæ sese commiserat D. Cardinalis Veralli Protector, ab eodem humillimè requisitus, Aurelium prædictum Raffaelli subrogatum, ut diximus, Procuratorem Generalem in Curiâ, in eodem munere absolutè constituit, Literis patentibus Bononiæ data die 10. Septembris, quibus ipsum Provinciarum Neapolitanæ, & Romanæ, præsertim verò Conventûs S. Marcelli de Urbe Vicarium Generalem suum more Majorum declarat. Præterea cùm idem Balthassar pridie quàm Româ discederet, scilicet die 21. Junij hujus Anni eidem D. Cardinali Protectori tria hæc exposuisset, primò quidem de constituendo in Romanâ Curiâ Procuratore Generali, de quo satis; secundò de licentiandis ad Magisterium Baccalaureis; Denique de facultate quærendâ à summo Pontifice, ut ipsemet posset Licentiatis Doctoratûs Insignia conferre; D. Protector plura respondens, quoad primum, ejus prudentiæ sese commisit, ut diximus; quoad secundum, satius esse dixit Bononiæ simul omnes Baccalaureos, quàm singillatim per Provincias per examen probatos ad Magisterium licentiare, quod planè factum est distributis illis Bononiæ per tria illa Ordinis nostri Cœnobia; Quoad tertium dixit, de hac re cum Summo Pontifice agendum, quam cæteroqui utilem censebat ad expensas evitandas, quæ pro consequendo Magisterio in Universitatibus fieri solent. Verùm à Procuratore Generali per Literas Romæ datas die 1. Augusti, & Bononiæ acceptas die 5. idem Balthassar Vic. Generalis certior factus fuit, quòd Dominus Protector ageret utique cum Summo Pontifice de hac facultate, supplicem libellum ipse exhibuerat eidem Protectori remissum, ac denique ex mente Summi Pontificis nihil esset innovandum. Quod autem spectat ad Antonium Zenobium à munere, ut diximus, Procuratoris Generalis in Curiâ, sciendum est, quod auctoritate Card. Veralli Protectoris remissis illi pœnis, quas ex Decreto Judicis subierat, restitutus in pristinum fuit, non autem in munere Procuratoris Generalis, ac denique obijt Florentiæ die 30. Septembris 1619.

Anton. Zenobius deponitur à munere Procur. Gener.

In eodem munere subrogatur Aurelius Raffaelli de Perusio, ac deinde absolutè confirmatur

De promovẽdis ad Magisteriũ in Ordine, & Licentiandis.

Quid cõtigerit Antonio Zenobio prædicto olim Procur. Gener.

E

Hoc etiam tempore prædicti Aurelij Raffaelli .3. Procuratoris Ordinis operâ in ædibus Divi Marcelli cœtus quidam Virorum singulis diebus festis congregatur ad pias preces, & meditationes septem Dolorum Gloriosæ Dei Genitricis, necnon ad Coronam quinque Psalmorum recitandam à primis Patribus nostris institutam ad honorem nominis ejusdem, & alia pietatis officia erga Proximum eroganda, prout latiùs colligi potest ex quibusdam hujus generis exercitijs spiritualibus, quæ pro eadem Societate edidit Pater Gregorius Alasia de Summaripâ, & ipsismet Confratribus nuncupavit. Barchinone quoque .4. ad Altare Beatæ Virginis, quæ dicitur de Bono Successu Regionibus illis celeberrimæ, erecta solemniter fuit Societas nostri Habitûs, Indulgentijs proinde, & privilegijs prædita cæteris hujusmodi Societatibus concessis, necnon aggregata fuit Archiconfraternitati de suffragijs Animarum Romæ erectæ, & duabus Puellis quinquaginta aureorum dote pro singulis quotannis erogare solebat. Eo hactenus Deiparæ præstito, quod sanè decebat, obsequio, opportunè successit obsequium, quod fideli ejusdem Deiparæ Servo Beato Philippo Benitio Patria ejus sedes Florentia ab Apostolicâ Sede solemniter exhibendum consequitur. Plurima quidem, eáque validissima, instantibus verè summo studio Superioribus Ordinis, & Patre Magistro Archangelo Gianio Canonizationis Beati Philippi quàmdiligentissimo Procuratore, superioribus annis adhibita fuere officia, & ad hæc usque tempora mirum in modum repetita, tum à Serenissimis Etruriæ Principibus Ferdinando I., Cosmo II. Magnis Ducibus, Christinâ Lothatingiâ, & Archiducissâ Magdalenâ Austriacâ Magnis Ducissis, tùm ab Alexandro Martio Medices Archiepiscopo Florentino apud Sedem Apostolicam, ad impetrandam pro toto Etruriæ Dominio, vel saltem pro Diœcesi Florentinâ celebrationem Festi, & Officij Beati Philippi Benitij.5. quod à felicis recordationis Leone Papâ X. concessum fuerat sub datum die 24. Januarij 1516.* Ordini Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & à SS. D. N. Paulo Papâ V. confirmatum fuerat, additis etiam lectionibus proprijs in secundo Nocturno, ac propterea in publicis Tabulis Ecclesiæ Florentinæ die 23. Augusti, prout In Martyrologio Romano, recenseretur; die tandem 4. Julij hujus anni Sacra

F

G

H

* *Cent. 3. lib. 6. cap. 1.*

cra

cra Rituum Congregatio auditâ relatione per D. Card. Millinum habitâ censuit posse indulgeri ad instantiam supplicantium, nimirùm Serenissimorum præfatorum Principum, & Archiepiscopi Florentini, ut in Civitate Florentinâ celebrari possit Festum dicti Beati Philippi, & de eo Officium recitari sub ritu simplici; & factâ relatione SS. D. N. die 20. ejusdem Mensis Sanctitas sua benignè annuit, prout in Decreto tenoris sequentis; ex quo præfatus Archiepiscopus Florentinus Festum hoc in publicas Tabulas Ecclesiæ suæ referri mandavit.

FLORENTINA

Cum Serenissimi Principes b. m. Ferdinandus Medices, & Cosmus ejus Filius magnus Dux Etruriæ, unà cum Serenissimâ Christinâ, & Magdalenâ ejus uxore, necnon Reverendissimus D. Alexander Martius de Medicis Civitatis Florentinæ Archiepiscopus, instante Fratre Aurelio Raffaelli Procuratore Generali totius Religionis Servorum Beatæ Mariæ, SS. D.N. supplicaverint, ut sicut in totâ Religione Ordinis Servorum recitatur Officium, & celebratur Festum Beati Philippi Benitij Patriâ Florentini ejusdem Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, ita etiam omnibus Christifidelibus, & utriusque Sexûs Sacerdotibus tam Regularibus, quàm secularibus in Civitate Florentinâ, ubi dictus Beatus natus est, & in toto Statu, & Dominio ipsius Magni Ducis liceat recitare Officium, & celebrare Festum de dicto Beato Philippo, & proposito de mandato Sanctissimi hujusmodi negotio in sacrâ Rituum Congregatione ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Millino, cui Causa commissa fuerat, & auditâ ejus relatione factâ in plenâ Congregatione die 4. præsentis Mensis Julij.

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, si SS. D. N. placuerit, posse indulgeri ad instantiam supplicantium, ut in Civitate Florentinâ, ubi dictus Beatus Philippus natus, & educatus fuit, possit ab omnibus Christifidelibus tàm Regularibus, quàm secularibus celebrari ejus Festum, & de eo recitari Officium sub ritu simplici, & factâ relatione per me eidem SS. D. N. hac die infrascriptâ in Consistorio secreto Sanctitas Sua annuit sententiæ Congregationis, approbavit, & concessit, ut de dicto Beato Philippo Benitio Ordinis Servorum B.M.V. in die ejus obdormitionis in Domino, videlicet die 23. Mensis Augusti ab omnibus utriusque sexûs Christifidelibus tam Regularibus, quàm secularibus possit in Civitate Florentiæ celebrari Festum, & de eo recitari Officium sub ritu simplici. In quorum fidem &c. die 20. Julij 1615.

A. Mar. Card. Gallus

P. Mucantius Secret. Congreg.

Subinde verò emanavit Decretum sequentis tenoris.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini nostri Jesu Christi, qui Servos suos æternæ Gloriæ præmio donat in Cœlis, vices, quanquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto nobis Pastoralis Officij debito, ut eorundem Servorum Christi honor, & veneratio promoveatur libenter procuramus, & Christifidelium votis, quæ peculiarem erga illos cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Sanè nomine Dilecti Filij Aurelij Raffaelli Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Procuratoris Generalis Nobis nuper expositum fuit, quòd alias felicis recordationis Leo Pp. X. Prædecessor noster Fratribus Ordinis præfati indulsit, ut in omnibus dicti Ordinis Ecclesijs Officium de Beato Philippo Benitio Florentino olim dicti Ordinis Professore in die ejus obdormitionis in Domino celebrare possent, & valerent, prout in dicti Leonis Prædecessoris desuper expeditis in simili formâ Brevis Literis pleniùs continetur. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, beatæ memoriæ Ferdinandus, dum vixit, desideraverit, ac dilectus Filius nobilis Vir Cosmus Etruriæ sibi subjectæ Magnus Dux, ac dilecta in Christo Filia nobilis Mulier Christina dicti Ferdinandi Vidua relicta, ipsiusque Cosmi Mater, ac Maria Magdalena Archiducissa Austriæ ejusdem Cosmi Uxor, necnon Venerabilis Frater Alexander Archiepiscopus Florentinus plurimùm cupiant Indultum hujusmodi ad alias omnes, tam Regulares, quàm Seculares Personas Ecclesiasticas Civitatis Florentinæ, in quâ dictus Beatus Philippus natus, & educatus fuit, extendi, ac diem Festum celebrari posse. Nos pium Cosmi Magni Ducis, & Christinæ Mariæ Ducissæ Viduæ, ac Mariæ Magdalenæ Archiducissæ, necnon Alexandri Archiepiscopi præfatorum desiderium plurimùm in Domino commendantes. Supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati de venerabiliû Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio omnibus, & singulis Ecclesiasticis Personis, tam secularibus, quàm regularibus, ut in die obdormitionis in Domino dicti Beati Philippi, qui, ut asseritur, est 23. Mensis Augusti, ejus Festum celebrare, & Officium de dicto Beato Philippo sub ritu simplici juxta formam, & rubricas Breviarij Romani in Civitate Florentinâ præfatâ tantùm peragere liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolicâ authoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majo-

rem sub annulo Piscatoris die ultimo Julij MDCXV. Pontificatûs nostri Anno undecimo. E
S. Cobellutius

Recensentur aliqua miracula B. Phil.

Hujus concessionis exemplo Senatus Tudertinus commotus eandem pro suâ Civitate facultatem impetravit, ut infra ad annum 1618. In his enim Civitatibus, ubi natus fuerat, & ubi mortuus quiescit, celebris semper viguit fama, ac devotio erga ipsum ex frequentibus gratijs, & miraculis ob ejus intercessionem jugiter à Deo patratis, quorum aliqua paucis hîc recensere decrevi. Hoc enim .6. anno cùm Canonicus quidam Tudertinus genere Græcus, ac Tudertinæ Cathedralis Theologus intestinis doloribus Tuderti gravissimè afflictaretur, itaut penè animam ageret, vix Beato Philippo ex animo se commendavit, cùm suaviter quieti indulsit, qui priùs quiescere nullatenus potuerat, expergefactus verò sese incolumem deprehendit, & è cubili statim exurgens Beato Philippo summas retulit gratias. Quædam etiam Mulier ibidem, dum aquam è puteo hauriret, horribili quodam spectro repentè ipsi obvio adeò exterrita fuit, & faciem in diversa contorquens adeò deformis evasit, ut plures Mēses à Dæmone vexata crederetur. Quare Frater ipsius Germanus Sororis valde miseratus magnâ plenus fiduciâ, grana quædam pulveris ex fiustulis capsulæ, in quâ jacuerant Ossa Beati Philippi, Vino admixta Sorori dedit potanda, verùm vix hausto vino cum granis prædictis ab omni prorsus timore, & faciei deformitate liberata pristinam recuperavit valetudinem, & formam. In eâdem quoque Civitate sodalitium quoddam insigne sub titulo Misericordiæ maximâ erga hunc sanctum Patrem devotione affectum inter cæteras sibi consuetas devotissimas preces hoc anno pro solemni ritu, suadente Patre Magistro Angelo Mariâ Berardio Perusino, recitandam cum Fratribus instituit Coronam illam quinque Psalmorum in honorem quinque Literarum nominis Beatæ Mariæ Virginis, quam ab eadem Beatâ Virgine Beatus Philippus edoctus ad Ordinis tribulationes evadendas anno 1276. recitandam omnibus iterum instituit, quam cæteroqui ab ann. usque 1241. Patres Ordinis nostri Fundatores instituerant, prout refert Gianius Cent. 1. lib. 2. cap. 2., & lib. 4. cap. 5. in fine*. Ut autem ad favorabile rescriptum superiùs propositum mea iterum revertatur oratio, opportunum existimo ad erudiendos Posteros, qui fortè ejusdem conditionem admirabuntur, quasi vulgare sit, ac nullius ferè pretij, animadvertendum ipsis proponere Romanæ Curiæ stylum, quæ tunc potissimùm pro Beatis nondum canonizatis Indulta hujusmodi, nonnisi rarò, & ægerrimè concedere consueverat, quippe quæ gradus esse videntur ad solemnem Canonizationem. Ac reverâ Rex ipse Hispaniarum, Episcopi, & Archiepiscopi omnes Regni illius amplissimi, quantumlibet enixè petijssent celebrationem Festi, & Officij de Beatâ Teresiâ in eorum ditionibus extra Ecclesias Carmelitarum, Indultum hoc consequi minimè potuerunt, nisi in illâ Ecclesiâ, in quâ Beatæ Teresiæ Corpus quiescit, & de Communi Virginum in die ejus obdormitionis, quamvis maximo, quàm fieri poterat, studio Beatarum Virginum fastis solemniter adscripta fuisset. Hinc pariter pro Beato nostro Philippo nil aliud indulgere meditabantur Romani Proceres, quàm celebrationem Missæ de Communi Confessorum non Pontificum in ejus Sacello Florentiæ in Eccl. Divæ Annunciatæ ab omnibus habendam. Quod cùm accepisset Aurelius Procurator Generalis, nec sibi ullatenus satis hoc modo factum esse dixisset, F nervis omnibus iterum contendens, quod modo dicebam, est consequutus. Longè verò amplius sperari poterat Indultum, Officium scilicet Duplex pro toto M. Ducis Etruriæ Dominio, si Civitas eadem Florentina, & singulæ totius prædicti Dominij Diœceses Beatum Philippum sibi solemniter in Patronum elegissent, quemadmodum ab Antonio Zenobio Balleono, & Aurelio Raffaelli Procuratoribus Ordinis nostri Generalibus à Secretario Sacræ Congreg. Rituum edoctis certior factus fuit, & quidem pluries Archangelus Gianius, necnon ad hoc pro virili tentandum inflammatus. Quod tamen nescio quâ ominatione sortiri minimè potuit præfatus Gianius, cæteroqui rebus hujusmodi Ordi- G ni nostro honorificis addictissimus, prout pleraque ejus opera testantur. Consequenter ad hoc Indultum Summus Pontifex Paulus V. per Breve datum die 31. Julij ejusdem Anni ad perpetuam rei memoriam indulgentiam Plenariam concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui pœnitentes, confessi, & Sanctâ Communione refecti Ecclesiam Divæ Annunciatæ de Florentiâ, & Sacellum in eâ situm Beato Philippo Benitio dicatum visitaverint, & preces ad Deum effuderint juxta formam Ecclesiæ consuetam.

Gravissimis doloribus affectus liberatur.

Mulier ex terrore concepto deformis evadens pristinā recuperat formam.

**in edit. 2. 6.*

Concessio Officij B. Phil. sub ritu simplici quādi sit facienda.

Indulg. Plenar. in Festa S. Phil.

Summus idem Pontifex Paulus eodem anno 1615. sub dat. Romæ Mense Decembri plures Indulgentias impartitur Confratribus Societatis Beatæ Virginis de Charitate sep- H tem Beatorum Ordinis nostri Fundatorum, quam superius diximus cap. 17. anno 1614. in Ædibus D. Annunciatæ de Florentiâ erectam, prout constat ex Literis Apostolicis sequentis tenoris.

Indulg. pro Soc. de Char. B. V. 7. BB. Ordin. Ser. Fundatorum.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. De salute Gregis Dominici curæ nostræ meritis licèt imparibus Divinâ dispositione commissi solicitis studijs cogitantes, Fi-

deles

deles singulos ad pia, & meritoria opera exerceuda spiritualibus muueribus, Indulgeutijs videlicet, & peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per eorumdem operum exereitium snorum abolitâ maculâ delictornm ad æternæ Beatitudinis *gaudia perveuire mereautur. Cùm itaque, sieut accepimus, in Ecclesiâ, seu Oratorio S. Mariæ Charitatis nuncupatæ* Florentin. *una pia Virilis sexûs Christifidelium Coufraternitas sub iuvocatione ejusdem Sauctæ Mariæ* Charitatis *septem* Beatorum *Fundatorum Ord.* Servorum B. *Mariæ, uon tameu pro hominibus unius specialis Artis instituta existat, cujus dilecti Filij* Confratres *in plurimis piis operibus sese exercere consueveruut. Nos igitur cupientes, quòd Confraternitas prædicta majora iu dies suscipiat spiritualia incremeuta, de Omuipotentis Dei misericordiâ, ac* Beatorum *Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis d. Virilis sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & eoufessis, qui dictam Coufraternitatem pro tempore ingredieutur, die primi eorum ingressus hujusmodi, si Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac tam ipsis, quàm omnibus, & singulis alijs nunc, & pro tempore existentibus virilis sexûs dictæ Coufraternitatis Confratribus iu eorum mortis articulo, si & verè pœuiteutes, & confessi, ac Sacrâ Communioue refecti, pium nomen Jesu corde, si ore nequiveriut, devotè invocaverint. Præterea omnibus, & singulis Coufratribus præfatis similiter verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam prædictam, seu Oratorium dictæ Coufraternitatis in die Festo Assumptionis ejusdem B. Mariæ à primis Vesperis usque ad Occasum Solis diei Festi hujusmodi annis singulis pro tempore visitaveriut, & inibi pro S. Matris Ecclesiæ exaltatioue, ac Fidei Catholicæ felici statu, illius que inimicorum depressione, & inter Christiauos Principes servãda pace, concordiâ, & unione, hæresumque extirpatioue, hæreticorum ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ reductioue, ac Infidelium conversione, necnon Romani Poutificis salutem pias ad Deum preces fuderiut, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgeutiam, & remissionem Apostolicâ auctoritate teuore præsentium misericorditer iu Domino eoucedimus, & elargimur. Postremò omnibus, & singulis Confratribus præfatis, qui pariter verè pœuiteutes, & coufessi, ac Sacrâ Commuuione refecti Ecclesiam, seu Oratorium hujusmodi in Nativitatis, & Purificationis, ac Annunciationis, necnou Conceptionis ejusdem B. M. Festivitatibus visitaverint, inibíque, ut præfertur, oraverint, quâ die prædictarum quatuor Festivitatum id, & pro tempore fecerint, septem annos, & totidem Quadrageuas; quoties verò Missis, & alijs Divinis Officijs iu Ecclesiâ, seu Oratorio hujusmodi pro tempore celebraudis, & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Confraternitatis interfuerint, vel Pauperes hospitio susceperint, aut pacem cum inimicis proprijs, vel alienis composuerint, seu componi feceriut, vel procuraverint, necnon & qui corpora Defunctorum, tam Coufratrum, quàm aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associaverint, vel quascunque Processioues per ipsam Coufraternitatem de licentiâ Ordinarij faciendas, dictumque sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus quando ad Iufirmos, aut aliàs ubicunque, vel quomodocnmque pro tempore deferendum comitati fuerint, aut si impediti, campanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam prædictas pro animabus Confratrum dictæ Confraternitatis Defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxeriut, & ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt de necessitate, docueriut . . . . sexaginta dies de eis injunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs auctoritate, & tenore præmissis etiã misericorditer iu Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quòd si dicta Confraternitas, alicui Archiconfraternitati aggregata sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alià ratione pro illius Indulgeutijs consequendis, & de illis participandis uniatur, vel aliàs quomodolibet iustituatur, priores, seu quævis aliæ Literæ desuper conficiendæ præter præseutes nullatenus ei suffragentur, sed ex tunc prorsus nullæ sint. Quòdque si Confratribus præfatis ratione præmissorum, vel aliàs aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit eidem, præsentes nullæ sint eo ipso.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quintodecimo Kal. . . . . Pontificatûs nostri anno undecimo.

Deinde verò Balthassar Ordinis nostri Vicarius Generalis Apostolicus eosdem Confratres ad participationem Bonorum ejusdem Ordinis admisit Literis de more Majorum datis tenoris, qui sequitur.

F. Balthassar Bolognettus de Bononiâ Sacr. Theologiæ publicus Professor, ac totius Religionis Servorum Beatæ Mariæ semper Virginis Vicarius Gen. Apostolicus.

In Christi Charitate plurimùm Dilectis Charitatis septem Beatorum Servorum Mariæ Florentiæ salutem in Domino.

SUpremam Ordinis nostri Præfecturam, quâ (meritis licèt imparibus) Nos decoravit Apostolica Sedes, inter cætera, quibus incumbere debemus, illud potissimùm exposcere cognovimus, ut ijs, quorum dilectionem certis beneficiorum iudicijs frequentiùs experimur, vices Charitatis rependamus. Quamobrem, nos qui (ubi temporalia non suppetunt) spiritualibus caduca Beneficia compensare vehementer optamus;

mus; harum ferie Literarum authoritate Nobis E *concessâ Dei omnipotentis misericordiâ, & Salvatoris Jesu Christi meritis, necnon sanctissimæ Genitricis ejus, Beatorum Patrum nostrorum Philippi, Joachimi, Peregrini, & aliorum intercessioni confisi, Te D. Priorem, sive Majorem, tuosque Confratres, tàm in hac vitâ degentes, quàm post obitum participes volumus, & efficimus Indulgentiarum, Divinorumque Officiorum, Missarum, Jejuniorum, orationum, ac singulorum bonorum, quę in omnibus, & singulis prædicti nostri Ordinis Monasterijs, & Ecclesijs, tàm Virorum, quàm Mulierum, Altissimus dederit operari. Concedimus insuper, & elargimur in Domino, ut cùm obitus cujusque vestrûm Prioribus nostrorum Conventuum innotuerit, Officium, quod pro Fratribus celebrari consuevit, pro Animarum vestrarum salute per-* F *solvi faciant. Vos autem postremò rogamus, & obsecramus, ut statui Religionis nostræ precibus vestris consulatis. In quorum Fidem &c.*

Admittitur ad particip. Ordin. Servor. B.M.V.

Datum Bononiæ in Conventu nostro Servorũ die 15. Mensis Januarij anno 1617.

Ita est F. Balthassar Vicarius Generalis Apostolicus Servorum.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

1 *Ex supplem. Ann. Gianij.*
2 *Ex monum. Eremi Montis Senarij.*
3 *Ex Reg. Gen. Bolognetti.*
4 *Ex monum. eorundem Locorum.*
5 *Ex eodem supplem. Annal., & Originale asservatur in Archivo S. Marcelli de Urbe.*
6 *Ex eodem supplem.*
7 *Ex eodem supplem., & Baccio Bandinelli lib. cui tit.* Idea della Cristiana Sapienza. *Breve Indulg. asservatur apud eosdẽ Confratres.*

Moriuntur Augustinus Vigiani, & Hieronymus ambo Florentini. Agitur in Senario de Libro Observantiæ Regularis. In lucem eduntur Constitutiones. Monumentum quoddam Pragense.

CAP. XX.

FLorentiæ spectaculum nobis se exhibet profusis lachrymis prosequendum, Augustinus nimirùm Vigiani, qui è vivis H excessit, cæteroqui apud eruditos immortalis, cujus proinde, utpote de Republicâ nostrâ optimè meriti, laudes omninò præterire non decet. Augustinus .1. ergo ab ineunte ætate magnæ indolis, & perspicacis ingenij fuit. Adolescens humanioribus literis apprimè instructus, plures confecit elucubrationes elegantissimas, & Oratorias, & Poeticas; Græcis, Hebraicis Literis operam dedit, nec ullum studiorum genus, quod ætati illi congrueret, prætermisit. Dialecticam deinde, quæ sibi, & alijs in disputatione prodesset, optimè callebat. Pisis Jacobum Tavanthium audiens celeberrimum illum Theologum, ac de Universitate illâ, & Civitate, E necnon de toto Ordine nostro optimè meritum, plurimùm profecit, itaut brevî extraordinariam Philosophiam publicè ibidem interpretaretur. Opusculum edidit de Ecclesiasticâ immunitate, quod Hieronymo Cardinali Protectori nuncupaverat; cujus benevolentiam assequutus, postquam Romæ in publicâ Concertatione coram ipso Cardinali Protectore præclarum de se specimen præbuisset, ante consuetum tempus Magister declaratus fuit, eâ tamen lege, ut nonnisi completo sexennio, juxta reformationis decreta, Privilegijs Magisterij gauderet. Quâ quidem in re Posteris obiter expendendum permittitur, quanam prudentiâ in hisce privilegijs concedendis usus fuerit sapiens Cardinalis F erga Virum hunc etiam de re literariâ tantopere meritum, qui studijs, & Doctrinâ à legibus præscriptum tempus anteverterat, ut inde colligant, quâ methodo erga cæteros inferioris literaturæ processerit, dignus proinde etiam ex hoc capite, quem sapientes æternis laudibus exornent. Verùm ad rei propositæ evidentiam Literas ejusdem Domini Protectoris præstat in medium afferre.

Augustini Vigiani Flor. obitus, & laudes

F. Hieronymus Bernerius ex Ordine Prædicatorum miseratione Divinâ S.R.E. Episcopus Portuensis Cardinalis Asculanus, ac totius Ordinis B. Mariæ Servorũ Protector.

Reverendo Patri Fratri Augustino Vigianio G Florentino ejusdem Ordinis Servorum Provinciæ Thusciæ salutem, majorem in dies in Sacris Literis profectum.

AUthoritate Apostolicâ Nobis vivæ vocis oraculo à SS. D. N. Paulo Papâ V. ad tui favorem specialiter commissâ, Facultatem Tibi facimus, ut cùm Tibi opportunum videbitur ad gradum Magisterij in Sacrâ Theologiâ in celeberrimâ Pisarum Universitate more solito promoveri valeas, eâ potissimùm de causâ, ut in eadem Universitate sacram ipsam Theologię scientiam publicè profiteri possis, si eâ Cathedrâ ab ijs, quorum interest, donatus fueris, quam, ut accepimus, Reverendissimus Pater Magister Jacobus Tavanthius jam senio confectus est resi- H *gnaturus; non obstantibus in contrarium Tuâ Ordinis Constitutionibus, aut Capituli Generalis Ordinationibus de non admittendis ad Magisterium ante sexennium ab adepto Baccalaureatu, eâ tamen lege, ut privilegijs, quibus in ipso tuo Ordine Magistri in sacrâ Theologiâ gaudere solent, ipse non gaudeas, non transacto ipso sexennio, & bonâ veniâ tuorum superiorum. In quorum fidem &c.*

Datum Romę die 29. Maij 1607.

Fr. Hieronymus Episcopus Portuensis Cardinalis Asculanus.

Julius Cæsar Bottiphangus Eques militię Hierosolymitanę Secret.

Idem

Idem etiam Augustinus domestica Ordinis nostri studia Cæsenæ, ubi etiam Consultor sancti Officij fuit, necnon Florentiæ, non sine singulari Discipulorum profectu moderatus est. Fratribus quoque Cistercienfibus Florentiæ Dialecticam, & Philosophiam Interpretatus fuit. Dum verò grande opus illud Typis mandare conatur, cujus titulus erat, *De efficientiâ, liberalitate, & infinitate Dei*, diruptâ ex assiduitate studiorum pectoris venâ in languorem incidit, & tandem ethicâ febre confectus Florentiæ 3. Kalendas Septembris hoc anno non sine magno Patrum mœrore anno ætatis suę 38., occubuit, cujus laudes funebri oratione coram totâ Theologorum Universitate celebravit P. Joannes Venega de Civitate Belluni Ordinis Minorũ Conventual um. Senis etiam 4. idus Septembris moritur Magister Hieronymus Florentinus, cui à naturâ adeò præclarum ingenium comparatum fuerat, ut quidquid ipsi libitum fuisset in liberalibus Disciplinis mirum in modum assequeretur, præsertim verò in Adolescentibus Dialecticâ facultate imbuendis maximam cum subtilitate facilitatem adhiberet. Mense verò Octobri Eremitæ Montis Senarii morem gerentes Reverendissimo Patre Magistro Lælio Balleoni eo temporis in Etruriâ Ordinis nostri Provinciali, & cui specialis cura potissimùm erat de illâ recens institutâ Eremiticè vivendi methodo, capitulariter in unum congregati seriò rem ipsam expendentes quoad librum de observantiâ regulari scribendum unanimi sensu decreverunt, nonnullos ex Patribus nominandos coram Patre Rectore seorsim ab aliis .2. esse, qui ad id muneris scilicet, ad librum hunc scribendum aptiores viderentur, nominati verò fuere Pater Bonajuncta, Pater Vincentius Maria, Pater Placidus, Pater Archangelus, Pater Gabriel, sed prę cæteris electi Pater Bonajuncta duntaxat, & Pater Archangelus, quippe qui præ cæteris plura vota favorabilia habuere. Liber hic reipsâ conscriptus fuit, verè saluberrimus, in ipsâ Eremo asservatur, nunquam tamen typis impressus. Interim Venetijs, & Bononiæ typis impressæ publici juris fiunt.3. hoc anno Constitutiones in Ordine nostro in posterum servandæ, ab Alexandro de Scandiano Provinciali Lombardiæ, Paulo Veneto Provinciali Venetiarum, & Cyrillo de Bononiâ Socio Provinciæ Romandiolæ juxta Decreta Capituli Generalis Parmæ celebrati die 26. Maij anno 1579., ad hoc deputatis, unà cum Jacobo Tavanthio Priore Generali, & Antonio de Burgo S. Sepulcri in Romanâ Curiâ dicti Ordinis Procuratore Generali, correctæ, reformatæ, & compilatæ apud S. Marcellum de Urbe, necnon ab Alexandro Card. Farnesio ejusdem Ordinis nostri apud S. Sedem Apostolicam Protectore approbatæ, & confirmatæ sub dat. in Arce Viterbij die 1. Octobris 1579., & à Summo Pont. Gregorio XIII. per Literas Apostol. Romæ datas die . . . . ejusdem anni speciali modo roboratæ.

Hieronymi Florentini obitus, & laudes.

Nominantur in Senario PP. pro scribendo Libro Observantiæ Regul.

in lucem eduntur novæ Constit.

A

Jucundum Posteris continget, opinor, hoc etiam ipsis compertum esse, quod Pater Joseph Maria Suarez Eremita Ordinis nostri Sacerdos Italus quidem, sed ex Hispaniâ oriundus, hoc anno Mense Octobri Pragæ in Bohemiâ deprehendit. Cùm Pater iste ibidẽ fortè diverteret die 17. Octobris præfati Monasterium quoddam invenit, cui præ foribus erat Religionis nostræ Servorum Beatæ .4. Virginis Stemma, ac veritatis assequendæ studiosus Chronicon Bohemiæ revolvens in eo comperit mentionem fieri de hoc nostro Monasterio hisce præcisis verbis, quæ sicuti præfatus Pater in Literis ad Patrem Magistrum Archangelum Gianium Florentiæ degentem Oeniponte datis die 15. Aprilis 1617. ad Italicum, seù vernaculum idioma transtulit, quia ad Itaium scribebat, Ita & ipse ad Idioma latinum transferenda duxi, quia ad omnes communiter scribo, ac propterea idiomate eruditis communi. Verba igitur ibidem idiomate Bohemico scripta sunt ista: *Anno Domini MCCCLX. Carolus IV. Imperator pietate ductus pridie Festi Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis in Urbe Pragensi in loco quodam, qui dicitur Travvinczku cis rivulum Bottiz nuncupatum, ædificari mandavit Monasterium, primum ibi lapidem posuit proprijs manibus eodem die, quo pariter duxit sex Fratres, qui dicuntur Servi Matris Dei Domini nostri, & Monasterium ab Imperatore illo pijssimo fuit munificè auctum, & eximijs privilegijs exornatum.* Ad quę Pater Joseph Maria pręfatus statim subdit in Literis ad Gianium eò temporis, anno scilicet 1615., quando Pragæ morabatur, Monasterium illud ab Abbate quodam Præmonstratensi possideri, nec ibi redditûs aliquos esse, sed parvulam tantùm Ecclesiam, cùm dirutum jampridem fuisset ab Hussitis Monasterium, anno nimirum 1420., uti notissimum est ex Historiâ P. Augustini Romer lib. 5. cap. 14., quod cur non referat in suis Annalibus Gianius noster penitus ignoro; neque enim pro hoc excidio afferendo desiderantur monumenta, prout ex eadem historiâ patet, nisi fortè dixerim, quod Gianius ipse frequenter dicere solet, quoties aliquid in prędicto suo opere asserit, quod non asseritur à cæteris Scriptoribus, quorum Interesse videbatur ea referre, sed silentio ab ipsis præteriri videmus, ea nimirum comperta ipsis minime fuisse, quod mirum non est, non enim omnia omnibus obvia esse novum non est, & insuetatum, pręsertim verò hoc mihi licet de Gianio dicere, quia semel, et iterum in prędictis Annalibus liberè scribit, nec sine gravi querimonia, quod non pauca ex ijs, quę ad nostrum Ordinem spectant, vel seriò nimis, vel nullatenus communicata ipsi fuerint.

Monumentum quoddã Pragẽse

B

C

D

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

E

1 *EX Supplem. Ann. Gianij.*
2 *Librum hunc vidi in prædictâ Eremo.*
3 *Ex ipsis Constitutionibus.*
4 *August. Romer. servitus Mariana lib. 5. cap. 13.*

Mathias Imperator semper Augustus ob Devotionem erga Habitum Dolorum B.M.V. Conventui S. Joseph Ordinis nostri Oenyponte Privilegium concedit.

CAP. XXI.

INvictissimus Mathias Austriacus Imperator concedit Privilegium in Pergameno F cum solemnitatibus omnibus descriptũ, quo Superioribus nostris concedit in Oenipontano nostro Monasterio, ut possint uti sigillo Religionis in Stemmate Serenissimę Domûs Austriacę. Insuper etiam, ut Religio nostra per Germaniam nullis subiaceret gravaminibus Camerę, vel Principi solvi solitis pro qualibet re nobis ad usum comparandâ, hac tamen conditione, ut simul etiam accederet consensus Principis, in cujus Dominio sita sunt Monasteria nostra. Hujus autem Privilegij tenor est.

Nos Mathias Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgi, VVitembergæ, Superioris, inferiorisque Silesiæ; Princeps Sveciæ, S. R. Imperij Marchio, item in Brugau, Moraviæ superioris, inferiorisque Lausnit &c. Comes Hasburgi, Tyrolis in Pfierdt, Kyburg &c Goit &c. Landtgravius Alsatiæ, Dominus Lymburiæ, in Porteaau &c. Salias &c. Gratiam nostram Cæsaream, & omne bonum. G

CUm Reverendissima, & Serenissima Princeps Domina Anna Juliana Archidux Austriæ, Tertij Ordinis Servorum Beatæ Virginis Dilectissima Cognata nostra, ac Mater pro H *suâ singulari pietate ad Majorem Dei optimi maximi, ejusque augustissimæ Parentis, & ejusdem Sponsi honorem, & gloriam, Christianæque pietatis, & integritatis incrementum Oeniponti Religiosum Cœnobium sub Divi Joseph tutelâ, ac titulo Ordinis ejusdem Beatissimæ Virginis Religiosis Viris ædificandum curaverit, dotatumque locarit. Nos tam laudabile, ac pium ejus Institutum, tantamque inde orituram Divini cultûs amplificationem, accessionemque pietatis, quantam in totius Reipublicæ Christianæ bonum ex Personarum in eo Cœnobio Deo dicatarum assiduo Divino cultu, derivatum iri confidimus, eo, quo par est, & res ipsa meretur, favore prosequentes, id Serenitatis* E *suæ nuper constructum, instructumque copijs suis Monasterium, Imperatoriâ nostrâ benevolentiâ, gratiâ, & privilegiorum prærogativâ promovendum, atque augendum duximus. Quapropter maturâ deliberatione, & consultatione præmissâ, proprio motu, ac de certâ scientiâ, supranominatum Serenitatis suę Monasterium, ejus cœtum cum posteritate suâ, jam nunc, & dehinc in perpetua retro tempora hisce Insignibus, atque ornamentis donatum, ornatum, insignitumque volumus, eâ ratione prorsus, ac modo, quo & verbis, & coloribus expressa pręsentibus hisce nostris Literis inserenda curavimus, videlicet.*

Superiores Oenipõtani Cœnobij utè possant sigillo Religionis in Stemmate Serenissimæ Domûs Austriacæ.

Area sit inæqualis, sive oblongæ rotunditatis, colorisque cærulei, in cujus basi scutum stat F *bipartito, quàm in longum exurgit, divisum. In earum partium sinistrâ formatus est prisco ritu ex albicante colore, character Majusculus* M. *cujus mediæ columnæ alius character S impositus est. In alterâ partium (dextrâ) per æquor purpurei coloris lactea via, & candicans ducta, ambabus verò partibus diadema aureum impositum est, per quod è viroribus suis, ac nativis stipitibus, tria candida lilia exurgentia se effundunt. Huic supernè imminet rursus latè diffusum æquor. in eo Divus Josephus viridi cespiti insistens effigiatus est, qui succinctę Tunicæ punicei coloris flavescentem penulam, sive pallium superindutus, manu sinistrâ tria candidantia lilia ex viridi frutice suo protuberantia profert. Parte verò ex aliâ utique dextrâ, D.* G *Josepho sinistram tenente, stat D. Virgo in puniceâ matronali stolâ, cui superinduta est prisci moris cærulea chlamys, velamine candido, & humeros fluente operta caput. Dextrâ Librum explicatum, sinistrâ Jesu Filij sui dexteram tenens cum Sponso Josepho, sinistrâ puerulum manu ducente, medium eum, ac purpuratum, veluti deducit. Desuper verò in illustri radiorum splendore, Spiritus Sanctus conspicitur, cui in splendidâ nube Pater cœlestis umbilico tenus Cœlo exertus, in veste purpureâ, & clarâ supereminet, sinistrâ orbem Mundi, surrecta in convexâ Zonâ, Cruce insignem gestans: dexterâ primoribus digitis bene precantis in morem erectis, libera est, quemadmodum in ipsius Diplomatis medio accuratiùs ad oculum expressum est.*

Describitur sigilli forma.

H *Quod agimus, & concedimus Serenitatis suę Monasterio, ejus cœtui, & posteritati, ex Romanæ Imperatoriæ Potestatis plenitudine, proprio motu, ac scienter, tenore harum literarum, & sancimus. statuimus, ac volumus, ut in posterum illud à Serenitate suâ recens excitatum Monasterium, ejus Conventus, ac Posteritas dehinc in perpetua tempora hæc Insignia habere, deferre, iisque in omnibus sigillis. eleemosijs, sepulturis, Imaginibus, alijsque omnibus rebus sacris æquè, ac profanis pro sui nominis, ac utilitatis ratione, voluntate, ac arbitratu, uti possint, ac debeant. Insuper universos, ac singulos honores, dignitates, immunitates, prærogativas, jura, ac bonas consuetudines his Insignibus debitas, &*

anne-

annexas obtineant, eorum omnium participes, digni, ac capaces existant, more aliorum Religiosorum, Locorum, ac Monasteriorum, quæ similibus gratijs, donis, ac privilegijs munita sunt, ijs gaudent, utuntur, ac fruuntur, seu jure, seu consuetudine, sine ullius omnino impedimento.

Mandamus itaque singulis, ac universis Electoribus, Principibus, tam secularibus, quàm Ecclesiast., Antistitibus, Comit., Baronibus, Dominis, Equitibus, Militibus, Clientibus, Provinciarum Præsidibus, Mariscalchis, Capitaneis, &c. Bitydomis, Curatoribus, Prætoribus, Vicarijs, Officialibus, Justitiarijs, Sculteris, Civium Præfectis, Judicibus, Consulibus, Inquisitoribus Insignium &c., & Communitatibus omnibus denique nostris, ac Imperij, tum Hæreditariorum Principatuum, ac Dominiorum nostrorum Subditis, ac Fidelibus cujuscunque Ordinis, conditionis, ac dignitatis ij sint, ac seriò, & severè inhibemus, & vetamus hoc diplomate, ut ne prædicto à Serenitate suâ fundato Monasterio, ejus Conventui, ac posteritati circa hæc Insignia, necnon cætera privilegia, gratias, prærogativas, ac jura, quibus id donavimus, ullam molestiam, aut negotium facessant, sed ijs tranquillè, ac pacatè frui, eaque in perpetuum retinere permittant supradicto modo, ac lege non contrafaciant, nec quoquam ulium ijs contraire conniveant. Quatenus quisque nostram, & Imperij gravissimam Indignationem, ac mulctam sexaginta marcarum auri voluerit evitare, quas quisque quoties temerario ausu huic Edicto nostro fraudem fecerit, medium Cameræ nostræ Imperiali, medium verò supramemorato Serenitatis suę Monasterio, absque omni spe condonationis persolvere tenebitur. Hæc enim expressa Imperatoria nostra, supremaque voluntas est testimonio hujus Diplomatis Imperatorio nostro sigillo obsignati. .1.

Datum in Regiâ nostrâ Arce Pragensi Idibus Octobris post Christum natum anno 1615. Regnorum nostrorum Romani 4. Hungarici 7. Bohemici V.

Maximilianus Archidux Austrię declarat Fratres nostros in suâ Ditione commorantes immunes ab omni onere, seù gravamine Cameræ.

Quare post tres abhinc annos, nempe 1618. die Januarij Reverendissimus, & Serenissimus Maximilianus Archidux Austrię &c. Comes Tyrolis &c. benignissimè, & clementissimè per patentes Literas inhęrendo suprapositio Augustissimi Imperatoris Privilegio decrevit, ac declaravit nos Fratres Servorum Beatissimę Virginis in Ditione suâ commorantes exemptos, & immunes esse ab omnibus tributis, gabellis, vectigalibus, pedagijs, cæterisque gravaminibus, tàm pro vino, quam pro cęteris rebus nobis ad usum advehendis, vel emendis. Insuper idem Serenissimus Maximilianus, ut in usum hujus nostri Monasterij Sancti Josephi de Oenipontе gratis, & amore haberemus, quotannis sexaginta currus, sive plaustra lignorum, liberalissimè concessit, ut in ipsius Serenissimi literis apparet. Interim Florentiæ Serenissima Christina Lotharingia Magna Ducissa Co-

smi II. Matre urgente, .2. P. Matthæus Palmieri die 27. Maij electus fuit in Priorem Conservatorij Pauperum Derelictorum, proximè verò futuro Novembri huic muneri abdicavit ob aeris inclementiam, & ad propria redijt. Idem munus exercuerat 7. circiter annis antea Pater Christianus è Volaterris Ordinis nostri Sacerdos, qui brevi ibidem obierat, & in Ecclesiâ nostrâ sepultus fuerat. Senogalliæ verò in Ecclesiâ nostrâ ponitur hoc anno Episcopi Christophori à Blanderatâ Effigies, & sequens honorificum Epitaph.um. .2.

Fr. Christoph. à Blanderata Ord. Ser.
B.M.V. Episc. Senog., & Com.
Anno Domini MCCCCLXVIII.
Ecclesiam S. Mart. hujus Civitatis
Fratribus sui Ordinis concessit.
Quæ Urbis Mœnia restaurandi
gratia intra Civitatem translata
Anno Domini MDLXII. hic cōservata fuit, & in augustiorem
hanc formam illustrata Anno
Domini MDCIII. Fr. Jul. Mazzocchus Senog. effigiem, & Lapidem hunc grati animi ergo, &
posterorum memoriæ posuit.
Anno Domini MDCXV.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

1 *EX supplem. Annal. Gianij, & Aug. Romer Servitus Murtana l. 5. c. 4.*

2 *Ex monum. eorundem Locorum.*

Recensentur participationes pro Societate Habitus, et nonnulla Beatæ Virginis prodigia. Anna Imperatrix recipit Habitum. Fundantur Conventus S. Caroli de S. Mariâ de Capuâ, & de Casellis Camerius. CAP. XXII.

RECens hoc anno succedit Dei, ac Deiparæ erga nos benevolentiæ argumentum. Eò enim hisce temporibus excreverat Christifidelium devotio erga B.V. Habitum septem Dolorum, ut nova in dies pluribus in Locis construerentur Cœnobia. In primis autem .1. hoc anno in Oppido S. Mariæ Majoris Capuani districtûs Locus quidam receptus fuit die 9. Februarij pro Monasterio cum Ecclesiâ sub tit. S. Caroli Card. Borromæi construendo, nomine Ordinis recipiente P. M. Augustino de Casertâ in Regno Neapolitano eo temporis Provinciali. Quod sanè factum fuit non modò pro

dilatatione Ordinis, verùm etiam ut Locus iste, utpote magis obvius Medicis, cæterisque necessarijs longè melius Instructus, reficiendis Infirmis præstò esset, qui degerent in Conventu S. Mariæ de Jerusalem, cui utpotè in arduo Loco posito obvia facilè esse non possunt quæcunque eorum necessitatibus opportuna censentur. Item in suburbio Camerini P. M. Felicianus de Pennâ Perusinus Provinciæ Romanæ Præfectus, & P. M. Angelus de Melioratis à Burgo S. Sepulcri receperunt die 22. Aprilis ejusdē Anni 1616. Ecclesiam quandam, quam in proprio fundo ædificaverat D. Altinus Canonicus sub tit. S. Mariæ, ut ajunt, *delle Caselle*, & anno prædicto peculiari devotione commotus erga B. V. Ordini nostro resignaverat cum annuis cujusdam Prædij proventibus. Intereà Balthassar Bolognetti Vic. Generalis Apostolicus seriò animadvertens singularem animi propensionem, quâ Christifideles gravissimos Deiparæ Dolores prosequebantur, & Sanctum ejusdem Habitum quaquaversum expetebant, optimè consultum existimavit per Literas patentes Confratribus, & Consororibus Societatis ejusdem Habitûs participationem concedere operum omnium spiritualium, quæ per totum Ordinem nostrum fiunt, proximè sequenti tenore.

Fundatur in districtu Capuæ Conv. sub tit. S.Caroli.

Conv. S. M. de Casellis Camerini.

Fr. Balthassar Bolognettus de Bononiâ S. Theologię publicus Professor, ac totius Religionis Serv. B. Mariæ semper Virginis Vicarius Generalis Apostolicus.

In Christi charitate plurimùm dilectis Confratribus, & Consororibus Habitûs B. M. Virginis Ordinis nostri Salutem in Domino. .3.

SUpremam Ordinis nostri Pręfecturam, quâ (meritis licèt imparibus) nos decoravit Apostolica Sedes, inter cętera, quibus incumbere debemus, illud potissimùm exposcere cognovimus, ut ijs, quorum dilectionem certis beneficiorum indicijs frequentiùs experimur, vices charitatis rependamus. Quamobrem nos, qui (ubi temporalia non suppetunt) spiritualibus caduca beneficia compensare vehementer optamus; harum serie literarum, authoritate nobis concessa, Dei omnipotentis misericordiâ, & Salvatoris Jesu Christi meritis, necnon sanctissimę Genitricis ejus, Beatorum Patrum nostrorum Philippi, Joachimi, Peregrini, & aliorum intercessione confisi, vos omnes Confratres, & Consorores, tam in hac vitâ degentes, quàm post obitum participes volumus, & efficimus Indulgentiarum, Divinorum Officiorum, Missarum, Jejuniorum, Orationum, ac singulorum bonorum, quę in omnibus, & singulis prędicti nostri Ordinis Monasterijs, & Ecclesiis tam virorum, quàm mulierum Altissimus dederit operari. Concedimus insuper, & elargimur in Domino, ut cùm obitus cujusque vestrum Prioribus nostrorum Conventuum innotuerit, Officium, quod pro Fratribus celebrari consuevit, pro animarum vestrarum salute persolvi faciant. Vos autem postremò rogamus, & obsecramus, ut statum Religionis nostrę precibus vestris consulatis. In quorum fidem, &c.

Participatio Confratribus, & Consororib. Soc.Dol. B.M.V.

Datum Bononię in Conventu nostro Servorum die 20. Mensis Februarij 1616.

Ita est F. Balthassar Vic. Generalis Apostolicus Servor.

Plures quidem, ut dictum est, & pluribus in Locis Habitum B. V. expetebant, & induere gestiebant, præ cæteris verò maximè habenda in pretio est, nedum præ Imperiali Majestate, verùm etiam, & quidem magis præ summâ in eundum Habitum religione Anna Austriaca Reverendissimæ Sororis Annæ Julianæ Filia, Imperatoris Mathiæ lectissima Conjux. 2. Hæc siquidem Genitricē suam summo studio æmulari cupiens, insignis profectò pietatis exemplar, cùm ipsam Tertij Ordinis nostri Habitu indutam accepisset, & in eo solemniter Professam, rato hujusmodi exemplo commota, hoc anno permittente Mathia Coniuge humillimè petijt eundem Habitum Talarem sub Imperialibus indumētis gestare, quamobrem P. Joseph Maria Vicarius Generalis Ordinis per Germaniam, alter nimirum ex ijs, quos eò vocaverat Serenissima Reparatrix, Pragam usque unà cum Patre Antonio Mariâ Medices Florentino Montis Senarij Eremita profectus fuit, ibique ab Augustissimâ Imperatrice summâ benignitate, ac reverentiâ exceptus, Missâ priùs celebratâ optatum illi contulit Habitum; deinde verò eadem Imperatrix communem ipsis secum eâ die Mensam habere voluit, & ab Imperatore Mathiâ Privilegia nonnulla pro Fratribus, ac Sororibus Oenipontanis obtinere promeruit. Egregia fanè, & nunquam fatis laudanda Imperatrix, Sacratissimi Sodalitij septem Dolorum B. V. augustum decus, & immortale. His verò absolutis prædicti Patres varijs muneribus ab eadem cumulati, quę summæ ejus liberalitati, & pietati congruerent, Oenipontem Mense Octobri redierunt. Minimè verò mirùm, quòd ubique Gentium zelo colendi Deiparæ Dolores, & Habitum illius induendi Christifideles adeò inflammarentur, ipsa enim Deipara, verè Mater Gratiarum, plura ijs conferens beneficia, qui religionem hujusmodi colerent, testatum omnibus voluit, quod hæc illi maximè foret accepta. Hinc ad rem arbitror esse nonnulla ex ijs recensere, tum ad Gratias ipsi Virgini referendas, tum ad Christifideles in isto cultu confirmandos. Itaque sciendum in primis est, quòd sub Ditione Ferd. Archiducis Austriæ an. Dom. 1613. Joannes Baptista Corona Militiæ Dux Goritiam profectus, & inde Gradiscam rediens incidit fortè in præpotentem quendam, & infensissimum hostem, qui armatâ manu insidias ipsi meditatus, cùm iter haberet,

Anna Imperatrix induit Habitū nostrum Talarē sub Imperialibus indumētis

Joannes Baptista Militiæ Dux se commendans Virgini 7. Dol. Hostium insidias evadit.

beret, septem sicarios validis armis instructos secum pro Joanne Baptistâ occidendo comparaverat. Verùm Joannes Baptista deprehensis à longè insidijs, & hoste perspecto certissimam sibi mortem imminere præsensit, nec ullo modo ab eo discrimine tot vallatus sicarijs evadere se posse cognovit. Cùm verò inter eos cooptatus jampridem fuisset, qui Gradiscæ Sodalitium S. Habitûs à P. Archangelo Sandrinio de Valvasone non longè ante instauratum colerent, ipsius B. Virginis tesserâ, sive Habitu quodam, veluti clypeo protectus, suam omnem fiduciam in Habitum, quem gestabat, atque Deiparam, quam colebat, toto cordis affectu in eo rerum discrimine reponere cœpit, nec sanè spes eum fefellit. Nam rarum protinus concipiens animū intrepidus sclopo armatus, inimico ad insidias expectanti occurrit; qui cùm vix ipsum vidisset, adeò exterritus fuit unà cum socijs, ut nec unus quidem ex illis ausus fuerit quidquam iniuriæ, vel mali adversus Joannem Baptistam inferre; quin potius prætereuntem hostis ipse amicis verbis, & varijs humanitatis officijs excepit, liberum denique dimisit, summâ deinceps inter eos confirmatâ pace. Magnum reverâ Dominum, qui præ manibus omnium habens corda, ea, quòcunque voluerit, convertit, & Gloriosæ sui Genitricis morem semper gerere gestit. Pari quoque erga S. Habitum religione protectus Joannes Terlingus Præfectus Oppidi Sanctæ Crucis ejusdem Ditionis Austriacæ anno proximè præcedenti 1615. Mense Aprili iter agens Fluvium quendam, qui dicitur Lizont, ubere aquarum alluvione tumentem pervadere tentavit. Verùm unà cum equo pluries in profundum demersus, destitutus etiam equo, quin artem nosset natandi, humano quocunque exclufo penitus subsidio, ab eo periculo evadere se non posse perspiciens, sanctissimæ Dei Genitrici, cujus Habitum dolorosum gestabat, sese etiam atque etiam commendavit; hinc brevi ex fluctibus exemptum, & ad ripam incolumen appulsum mirabili quodam modo sese cognovit, equo etiam recuperato, pileo, sarcinulis, & quibuslibet alijs, etiam minimis rebus repertis. In agro Vicentino in loco, qui dicitur Cavazzale, hoc anno F. Hieronymus Vicentinus Ordinis nostri, cùm per Quadragesimam Divinum Verbum explicaret, & Sancti Habitûs Dolorum Beatæ Virginis præconia quàm frequenter celebraret, tanto fervore commoti fuerunt illius Loci municipes, ut post tertiam diem Resurrectionis Domini agmine facto ad Ecclesiam Servorum de Vicentiâ turmatim concurrerent, ubi quingenti utriusque sexûs eâdem die sanctum hunc Habitum induerunt, & sodalitium novum in suo Loco fundarunt. Ex his Mulier quædam nomine Margarita Polatta ineunte Mense Junio, cùm in supremo Domûs solario ligna colligeret, truncus magni ponderis ex ejus manibus dilapsus Filiolum

Naufragium patiens liberatur.

nomine Joannettum quatuor annorum ad terram prostravit graviter in capite percussum. Quâ de re Genitrix maximè dolens Filium semianimem super Lectum collocavit, sed longè meliori consilio Habitum Dolorum Beatæ Virginis, quem ipsa fideliter gerebat, cum summâ veneratione, & fiduciâ Filiolo superimposuit, Beatæ eidem Virgini se valdè commendans, deinde clamores validos de more per vicinia emittens humana remedia è proximo emendicare studet, verùm quin ullum ex his adhibuerit, domum illicò reversa Puerulum super lectum ludentem, & sibi adblandientem absque ullâ læsione incolumem reperit, ac Beatæ Virgini, cui planè beneficium hoc referebat acceptum, gratias retulit plurimas. Ad hæc Mauritius quidam Jannottus Nauta Vincentino cuidam Civi aliquando narrabat, se procellas multas, & magna pericula sæpe sæpiùs subijsse, dum Adriaticum Mare peragraret. Verùm celebritatem audiens S. Habitûs Dolorum Beatæ Virginis, ipsius amore incensus, postquam ejusdem Virginis Imaginem Doloribus transfixæ in suâ Naviculâ apponi curasset, cui etiam lampadem sæpe accensam præmittebat, nunquā ampliùs naufragium, vel aliud simile discrimen sensisse testabatur. In cujus beneficij monumentum apud S. Silvestrum, quò Vincentinæ naves solent appellere, consimilem aliam Deiparæ Virgini Imaginem cum lampade pariter accensâ præposuit, unde magna Vincentinorum nautarum erga hunc Habitum devotio excitata deinceps fuit, & plurima gratiarum signa consequuta inter eos fuisse ferunt. Marsilia quædam, Filia quondam Paulini Comitis de Eugubio coram Notario, ac Testibus ad perpetuam rei memoriam medio juramento testatur die 11. Julij hujus anni, quòd quatuor ab hinc annis oculorum lumine ferè prorsus destituta, nec ullatenus quidquam proficere sentiens plura, ac pluries adhibita medicamenta, ad B. Virginem ex animo confugiens, cujus Imago in Ecclesiâ nostrâ Eugubij colitur; votum emisit se induturam fuisse ejusdem Habitum, & Societati aggregandam, si oculorum lumen recepisset, quo vix emisso incœpit statim convalescere, & lumen oculorum recuperare. Præterea Vir quidam è Raconisio prælium initurus cum Duce Mantuæ pro Sabaudiæ Duce, cujus stipendio militabat, Habitum induit Beatæ Virginis Dolorosæ, tanquam loricam aliâ quaecunque validiorem. Accidit fortè, quòd in loco quodam, qui dicitur *Tunco* apud Mōtem Ferratum unà cum suis Commilitonibus ad custodiam pervigilans loci cujusdam, ab hoste validissimè impetitus, sicut & cæteri Commilitones, omnibus prorsus interfectis, alter ex illis tantummodò fugæ præsidio à morte se vindicavit. Vir autem iste Habitu Virginis, ut diximus, indutus, varijs plagis affectus, humi prostratus, ac tanquam mortuus derelictus jacebat, mox autem incursione

Nauta apponēs in sua Naviculâ Imaginē Virginis Doloribus trāsfixæ nullum ampliùs naufragiū patitur.

Miles per tres vices variis plagis affectus, & veluti mortuus derelictus breviſ sanatur.

hujuſmodi declinatâ ſurgens, alios ex hoſtibus ſubinde offendens, iterum graviter ab ipſis percuſſus in terram cadens, tanquam mortuus habebatur; Verum aliquantiſper recreatus ulterius procedens alios adhuc ex inimicis ſibi obvios habuit, qui longè graviùs ipſum, præſertim in capite, percutientes, non modò tanquam mortuum deſeruere, ſed etiam hominis ſpecie deſtitutum. Evadens verò hoc adhue graviſſimum diſcrimen, & ab Hoſtibus omninò liber nonnullis adhibitis artis Medicæ præſidijs brevi ſanatus omninò fuit. Quam planè inſignem gratiam nonniſi Beatæ Virgini, ejuſque S. Habitui referebat acceptam. Accedat modò haſtenus dictis haud mediocriter conſentaneum proximè ſequens Epitaphium, quod in honorem cedere non vereor Societatis Habitûs B. Virginis in Ecclesiâ noſtrâ Senogalliæ erectæ. .4.

D. O. M.

Societas Habitus S. Mariæ Servorum ſtudio P. F. Alex. Galluſ. Piſauren. tunc Prioris à Reverendiſs. P. F. Lælio Bal. Flo. totius Ord. Gen. an. MDXCVI. in hac Eccleſia inſtituta, & à Concionatoribus Ordinarij Conſ. promulgata, præter alia alior. Summ. Pont. Privilegia poſtremò precibus R.P F.Philippi Ferrarij Alex.Gen. à Paulo V. Pōt. Opt Max. hoc decorata fuit, ut qui in ea ſcripti ſunt in Dominica tertia Septembris, quæ eſt Soc. Principalior dies Feſtus, & in tertia ſing. Menſium Dominica, Hi, qui Proceſs. poſt Veſp. comitati fuerint, neenon primo in eam ingreſſu, & in Mort. Art. Plen. Indulg. conſequentur.

F. Julius Mazzocchius Senog. inſcrib. curavit anno Sal. MDCXV.

Hoc anno 1616. Card. Verallus Ordinis noſtri Protector facultate ſibi tributâ à SS. D. N. Paulo Papâ V., concedit P. M. Franciſco Canuti de Guaſtal â ſupplicanti Beatiſſimo eidem Patri, quòd uno, vel altero anno S. Theologiam explicaturus degat in Monaſterio Ciſtercienſium de Moribondo, ſub obedientiâ tamen P. Prioris Conventûs Servorum viciniorìs ad arbitrium Vicarij Generalis Bolognetti, hic autem aſsignavit Priorem Conventûs Servorum Viglevani die 25. Octobris. Eodem anno DD. Antonius Corneo Urbinas Vicarius Generalis D. . . . .

E Card. Lante Epiſcopi Tudertini, poſtquam Divina ſolemniter peregerat myſteria, præſente Clero illius Cathedralis, in Eccleſiâ veteri Monialium D. Annunciatæ de præfatâ Civitate, ad Locum deſignatum eodem Clero aſſiſtente accedens, primum lapidem ritu ſolemni die 25. Martij B. Virgini ab Angelo ſalutatæ nuncupatâ poſuit pro novâ Eccleſiâ à fundamentis excitandâ, quod innuimus ad annum 1554. Item die 28. Junij, quæ Dominica fuit, hoc pariter anno erecta ſolemniter eſt in Eccleſiâ noſtrâ S. Sebaſtiani Ravennæ Societas Habitûs Beatæ Virginis Doloroſæ, & hujus veneranda Imago nō mediocri pompâ coronata à D. Card. Rivarola SS. D. N. per Romandiolam, & Exarcatum Ravennæ

Ædificatur Tuderti nova Eccleſia pro Monialibus noſtri Ord.

Erigitur Ravēnę Soc. Habitûs, & Imago B. V. ſolemniter coronatur.

F de Latere Legato in Habitu Pontificali, qui deinde unà cum D. Gubernatore, & Civitatis Optimatibus, necnon ſingulis Ordinibus Mendicantibus, & Laicorum Confraternitatibus Sacram Imaginem proceſſionaliter comitatus ſolemni benedictione univerſo Populo, qui frequentiſſimus eò confluxerat, collatâ, conſuetas Indulgentias promulgavit. Quibus peractis conſecutus eſt tormentorum bellicorum, & univerſæ militiæ boatus, feſtivè ſimul pulſantibus omnibus Eccleſiarum Campanis. Plurimi verò non ſolùm è grege, ſed etiam nobilitate generis, & dignitate præſtantiſſimi utriuſque ſexûs B. V. Habitum ipſâ die recepere. Honorificum profectò opus, quod unà cum ejus Authore P. Clemen-

G te Fabri de Bononiâ, tunc Ravennæ Priore, dignis laudibus hoc loco inſerendum videbatur; quæ tamen unicuique patent, qui libellum quendam legerit Ravennæ pariter impreſſum ejuſdem P. Clementis operâ, quâ etiam non mediocre ornamentum Eccleſiæ illi acceſſit. Cultus autem hic 7. Dolorum magis ſemper in dies, ac magis excrevit; plura item religionis exercitia in eadem Eccleſiâ ſingulis fermè diebus habentur, tum in honorem B.V. Doloroſæ, tum S. Philippi Benitij, tum Beati Peregrini Latioſi, eos enim Populus ille ſingulari veneratione proſequitur, quos identidem ſibi propitios experitur. Dominicâ verò Palmarum præſertim publicæ adorationi proponitur rarâ quidem pom-

H pâ Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ per 40. horas continuas, quod ab Eccleſiâ Metropolitanâ ad hanc noſtram ſolemniter defertur. Sacra hæc actio inſtituta dicitur Mediolani primùm à Franciſco II. Duce anno 1574., opus hoc promovente ſervo quodam Dei Cremonenſe ad recolendum ſpatium 40. horarum, quo in ſepulcro jacuerat Chriſti Domini corpus; Procedente verò tempore erecta Ravennę fuit in hac noſtrâ Eccleſiâ, cujus expenſis ſatis abundè conſulit celeberrimus 90. Pacificorum Magiſtratus, quem Fiudiri omnes norunt inſtitutum in hac Urbe Pontificatûs Pauli IV. anno 1., Domini 1555. à D. Baldo Ferratino Epiſcopo Lipparitano, &

Magiſtratus 90. Pacificorū Ravēnę inſtitutur.

per Romandiolam Vice-Legato ad componendas civiles discordias, quæ eo temporis Urbem illam miserrimè dilacerabant.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

1 EX *supplem. Annal. Gianij*.
2 *August. Romer. Servitus Mariana lib. 3. cap. 12.*
3 *Ex Reg. Gen. Bolognetti pag.* 40.
4 *Ex monum. eorum Conventuum.*

Sara Senensis Tertij Ordinis nostri sanctissimè obijt. CAP. XXIII.

PRæclaram huic anno coronidem imponit Saræ Senensis Tertij Ordinis nostri Sororis sanctissimus obitus, cujus laudes audire prorsus præstat nobis, quàm celebrare, dum sanctitatis ejus famâ commotus R.D. Philippus Quirinus Senensis Presbyter Societatis Clavorum præclara ejusdem Gesta simplici stylo, sed linguâ vernaculâ, prout sequuntur, descripta Posteritati mandavit, quibus & alia ex alijs infra notandis scriptoribus addenda putavi. Fuit in diebus Ven. Petri de Bertis Ordinis Servorum Deiparæ Mariæ Puella quædam nomine Sara, quæ & ejus Mariæ Servi fidelis monitis, & vestigijs inhærens, tanto fervore gloriosam Dei Matrem dilexit, ut ipsius Dolorum Habitu induta in Ecclesiâ Fratrum Servorum ad honorem tantæ Matris perpetuam virginitatem voveret. Ejus Frater Germanus erat D. Benedictus Galli Canonicus Regularis S. Salvatoris. Hujus Pater Cerbonius de Gallis jam defunctus Hortensiæ uxori curam Filiæ è vitâ decedens commendaverat. Sara igitur sub Matris Tutelâ constituta, varijsque exercitijs mancipata sæpe sæpius severitate Matris ab Oratione præpediebatur, cujus studio adeò tenebatur, ut ipsa nunquam, si fieri potuisset, ab ejus suavitate cessasset, ea enim erat Saræ orantis in Deum conversio, ut extra se quandoque rapta in Deum transformata videretur; qua quidem in re maximè notandum occurrit, quòd D. Urania Checconi dicere solebat se nimirum 22. Novembris die, cùm in Cathedrali Senensi in honorem Sanctæ Cæciliæ solemniter Musicis concentibus celebrarentur Vesperæ visam fuisse Saram, quæ in extasim rapta purpureâ præter consuetudinè facie, veluti Angelus, oculis in Cœlum immobiliter fixis, etsi artem canendi nullatenus apprehendisset, exactè, & inexplicabili suavitate ea omnia canebat, quæ tum à Clericis in Choro, tum à Cantoribus cum Organis canebantur, quod alibi quoque pluries contigisse Tullia quædam restabatur, quæ æquè ac prædicta Urania præ cæteris exquisitissimè percepperat. Quotidie enim dura Mater Filiam ad suendum urgebat, quin & ut alias Puellas ad legendum, aut acu linteamina suenda

A erudiret, impellebat. Cùm autem quandoque Hortensiæ ad audiendum Sacrum, & alia negotia peragenda adiens, antequam domo discederet, certa quædam linteola, seu velamina filiæ complenda imperitaret, minitans nisi perfecta in suo reditu comperisset, se contra ipsam verbis non solùm minacibus, sed & verberibus iratam ostensuram; quapropter Adolescentula hinc maternis minis, inde zelo consuetæ orationis excitata, utrunque simul implere satagebat, nam post discessum Matris puellulis, quas docebat, clam præcipiebat, ut cùm revertentem Matrem ad januam audirent, continuò Saram in cubiculo orantem monerent; quæ confestim ab oratione surgens (mirabile dictu) opus sibi à

B Matre designatum, Matri completum (nescio quâ Divinâ ope) exhibebat, & ita suis optatis, Matrisque imperatis simul, & semel, Deo favente, satisfaciebat. Jam ad nubiles pervenerat annos, quando Mater, & Fratres de Filiâ, & Sorore in matrimonium soliciti, novas in d'es parare nuptias satagebant, quorum consilijs, & hortationibus cum frustra adversaretur Sara, nihilominus statuerant ipsi (vellet, aut nollet) desponsare Sororem, quinimmo Dæmon ipse, utpote adhuc in renuendis nuptijs constantem illam verberibus afflixit, seque ipsi aliquando Domi suæ in specie pauperis, ut ipsam deciperet, videndum exhibuit. Ad orationem igitur eo consilio confugit Puella, eâque constantiâ Virgi-

C nitatem suam tueri conabatur, ut Beatum Joachimum Servitam Senensem deprecaretur, quod eodem Comitiali morbo, quem ipse gratis meruerat, ipsam quoque laborare concederet, quâ gratiâ impetratâ continuò Sara ægra, atque deformis evasit, ita ut cogerentur Fratres mutare sententiam. Interea Mater de Filiæ infirmitate excruciata, quòd nesciret secretum Dei, ad vota, & peregrinationes, piaque hujusmodi opera conversa, Saram secum duxit Florentiam, ut intercedentibus votis, & orationibus coram celeberrimâ Imagine B. Virginis ab Angelo salutatæ Filia morbo illo liberari mereretur; quando viceversa suis orationibus assistebat Sara, deprecans Sanctissimam Annunciatam,

D ne ab eodem malo liberaretur, sed cum eo usque ad mortem perseveraret, Instantissimè etiam D. Philippum Quirinum Congregationis Clavorum Christi Presbyterum, & Confessarium suum rogavit, quod ubi Senas cum Matre reversa fuisset, Hortensiam Genitricem hortaretur, ut ab hujusmodi votis cessaret, quod Decretum Dei sibi à Jesu Christo revelatum de perpetuâ Virginitate Filiæ deturbare frustra conaretur. Hic verò laudanda non minùs videtur Saræ in subeundis doloribus constantia, quàm B. Virginis erga ipsam beneficentia; Sara enim peregrinationem prædictam unà cum Matre suscipiens, vix à Civitate Senarum egressa, ad Imaginem quan-

quandam ejusdem Virginis publicè expositam in pariete sese convertit, ipsam enixè rogans, ut, quandiu iter habendum illi esset, ne a comitiali morbo vexaretur, impetraret, eâ tamen lege, ut cùm Senas rediisset, morbum eundem illi restitueret. Cui sanè benignè respondit Deipara, Sara enim iter commodè complevit morbi prædicti nunquam vices passa; verùm ubi proxima Senis coram prædictâ Imagine fuit, ibidem se sistens, morbum, quem ipsi tanquam depositum crediderat, iterum petiit, & illicò reipsa eodem jacuit oppressa. Vix à peregrinatione illâ reversæ fuerunt, quando novum incommodum subsequitur Filiæ, ut die quadam Sara à caduco morbo illo correpta, in ignem caderet, atque altera tibia graviter comburi cœpisset, & magno ulcere affligaretur, ut exinde oporteret devotam Virginem plures hebdomadas in lecto procumbere, & interim consuetis Devotionibus, Ecclesiarum Visitationibus, audiendâ Missâ privari. Quâ verò constantiâ ægritudinem illam ferret Sara, diutina patientia indicavit, ut nunquam conqueri de eâ infirmitate audita fuerit, unum illud tantum, modò ægrè ferens, quòd Sacra audire non posset, cùm tamen absente Matre conaretur quotidie super cubile genuflectere ante quandam Sacratissimæ Dei Genitricis Imaginem, & illam deprecari, ac si in Ecclesiâ esset. Ulcere intereà penetrante, & urgente consilium inierant Medici de Tibiâ Saræ in proximum secandâ, quando posterâ quoque die Sara absente Matre ex usu ad orationem genuflexa super lectum ante prædictam Imaginem Beatæ Virginis in suo Cubiculo positam, vocem utique ejusdem Virginis audivit sibi dicentem: *Eia Sara, de lecto assurge*, cui respondens Filia: *& quomodò* (inquit) *tam gravi ulcere vexata, atque præpedita surgere valeam?* tunc eadem vox: *Eja Filia, quàm modicæ fidei, & verbis meis non credas!* Quibus auditis Sara è lecto assurgere conata, se prorsus incolumem præsensit, ac pristinis viribus receptis à redeunte, & admirante Matre reperta fuit negotia Domûs contrectare, & exequi. Tanto igitur repentinæ incolumitatis suæ evulgato prodigio non defuerunt postmodum à variis languoribus detenti, qui Devotioni ejusdem Imaginis per intercessionem Famulæ Dei sese commendarent, ut gratias curationū reciperent. Quare Imago illa Beatæ Virginis, quæ stannea erat, & peregrinationem in Ægyptum ejusdem Virginis Filium Jesum inter Ulnas gestantis exprimebat, deinceps maximâ veneratione habita in ædes Dominæ Uraniæ Checconiæ de Sanis nobilissimæ Fœminæ Senensis translata, præcipuâ religione colebatur. Hoc etiam dignis laudibus prosequi decet, quod aliquando ab Ecclesiâ S. Georgii Senis domum repetens Sara prædicto morbo correpta humi jacebat in viâ; quoniam verò pluvium tempus erat, & ipsa uberiori aquarum copiæ exposita, infra suggrun-

E dia, maximo proinde ab ipsis afficiebatur incommodo; eandem fortè animadvertens Vir quidam nomine Joannes Baptista Tulliæ superiùs relatæ Conjux, ipsius misericordiâ motus ipsam elevans in Ecclesiam prædictam introducit, passim omnibus testatus, quòd dum ipsam elevatam tenebat, vix minimæ paleæ pondus sentiret; Sara autem vix Ecclesiam ingressa ab eâ convulsione libera ipsi Joanni Baptistæ comiter subridens maximas gratias egit. Reginæ Angelorum accepta maximè erat Sara, ita quidem, ut cùm aliquando Ecclesiam S. Spiritûs adiret, per viam imaginem Beatissimæ Virginis in pariete depictam, quæ dicebatur vulgò *la Madonna del Forcone* reverenter salutans, ab eadem ipsâ Imagine caput sensibiliter inclinante hilari

F facie salutata mutuò fuerit. Procedente verò tempore cùm Sara piis operibus, & virtutibus colendis magis semper ac magis studerer, Mater illius lethali pressa infirmitate decubuit, qua proinde, & Saræ Fratribus valde sollicitis de Filiâ, si Matri morienti superesset, quomodo scilicet cura ipsius haberi posset, & cuinam commendanda, eos omnes præmonuit Sara, ne de hac re adeò soliciti essent, & consolari nitebatur dicens: *De Matre quidem moriente soliciti estote, non autem de me, Deus enim mihi jampridem opportunè providit*. Quod sanè prophetico spiritu Saram dixisse comprobavit eventus, nam proximè sequenti die post obitum Matris, quæ pariter erat pijssima Fœmina, & ipsa quoque Ordinis

G nostri Soror, Sara placidè in Domino obijt, & quæ Dominum Jesum speciali affectu coluerat Dominicâ die, quæ fuit 18. Decemb. hujus anni ad ejus amplexus cucurrit. Deinde in speciali arculâ ligneâ corpus ejus repositum de consilio Fratrum suorum in Claustro Ordinis nostri honorificè tumulatum fuit, licèt Patres Societatis Clavorum in suâ Ecclesiâ humandum instanter curassent. Elegantissimam denique de ejus laudibus Orationem ad Populum habuit P.M. Laurentius Mazzantinius Senensis Ordinis nostri Sacræ Theologiæ Professor. Virginem hanc magno habebat in pretio P. Teius Congregationis clavorum Fundator. Ejus confessiones diù excepit D. Abbas Julius Tuti prædicti Fundatoris socius,

Felix ejus obitus.

H quem deinde sequuti sunt alii Sacræ Congregationis illius Presbyteri, qui non mediocri studio ei à confessionibus fuere, ejusque spiritum coluerunt, quandiu in terris egit. Prophetico spiritu Tulliæ cuidam Joannis Baptistæ Sutoris Conjugi prædixit, quòd lecticæ commodo sacram Ædem Lauretanam adijsset, prout reipsa contigit. Eodem spiritu acta Tulliam eandem, veluti consulens num expediret, quòd Florentiam, & Lucam urgente Matre aditura, uti superiùs est dictum, morbum comitialem, quo laborabat, dimittere, an potius secum ferre deberet, eidem Tulliæ de hac re subridenti subintulit: *Eja ergo illum dimittam, animo tamen ipsum, cum rediero*,

rediero repetendi. Multipliciter vexabatur à Dæmone ei quandoque horribili specie se conspiciendum præbente, quem tamen, invocato nomine Jesu, fugavit. Virginis hujus gesta scripsere Gregorius noster Alasia. Philippus Quirini linguâ vernaculâ, de quo superiùs; & Antonius Maria de Archangelis Medicus Physicus, & Patritius Senensis idiomate latino. Philippi præfati exemplar Orginale ipsius manu scriptum in Archivo nostro Senensi extare testatur Chronicon nostrum Senense.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

EX *supplem. Annal. Gianij, & è Scriptoribus in hoc capite relatis.*

Obitus Francisci Bennij Episcopi Scalensis, & Dionysii Bucherelli de Florentiâ. Enarrantur prodigia B. Virginis, tum in Urbe Terdonâ, tum alibi, necnon B. Patris nostri Philippi, de cujus Canonizatione agitur.

C A P. XXIV.

INfaustum hic annus auspicatur initium, quia nobis statim ob oculos ponit seculo defunctum Franciscum Bennium de Butrio Episcopum Scalensem, & Ravellensem, quem prosequi laudibus oportet .1. Vir iste profectò doctus Hebraicis Literis olim à celeberrimo nostro Eusebio Imolensi, qui ex Judaismo ad Fidem Catholicam conversus Ordini nostro nomen dederat, eruditus, Concionator disertissimus, & in infestand's Hæreticis per Carinthiam, Stiriam, Carnioiam, & universam Austriacam Ferdinandi Archiducis Ditionem hæreticæ pravitatis Inquisitor acerrimus, & maximè zelator, qui proinde plures ex ipsis ad Catholicam fidem perduxit; A Clemente VIII. Summo Pontifice, dum Ferrariæ ageret, precibus Raymundi de Turre Oratoris Cæsarei creatus fuit Episcopus Scalensis, & Ravellensis, quatenus eodem Oratore suadente summus idem Pontifex Episcopatui Scalæ Episcopatum alium Ramelli illi conterminum adjunxit. Vixit Franciscus annos circiter 67., & in Episcopatu 16., quo etiam tempore Paulli V. Pontificis jussu per integrum biennium suffraganeus fuit Vvolphangi Archiepiscopi Salsburgensis, à quò tandem honorificis muneribus cumulatus ad proprium Episcopatum remeavit, & 11. Kalendas Februarij hoc anno è vitâ decessit, in propriâ deinde Cathedrali tumulatus. Deinde justa persolvere decet P.M. Dionysio Bucherelli hoc anno 1617. Florentiæ die 30. Novembris defuncto, utpote de Cœnobio illo Florentino, ac de toto Ordine nostro .2. optimè merito, cujus proinde gesta laude digna paucis saltem expediam. Vir iste triginta fermè annos Domesticis Ordinis nostri Academijs Arimini, Senis, Bononiæ, & diù Florentiæ præfuit, cum antea A adhuc maximè Juvenis Theologicas lectiones in Universitate Pisanâ pro Jacobo Tavanthio habuisset. Publicæ disputationes, quas in præfatis Locis, in Capitulis Generalibus, & Florentiæ juxta varias opportunitates egregiè pluries habuerat, ipsum omnium opinione Theologum eminentem declararunt. Publica etiam Religionis munera exercuit, tum Etruriæ Præfectus, tum maximè Procurator Generalis in Curiâ. Præterea Florentiæ S. Inquisitionis Consultor diu fuit, & aliquando dignus, quem D. Alexander Card. Ursinus, cùm Romę ageret, coram Summo Pontifice de Terrâ Bracciani in Civitatem declarandâ, primum Episcopum proponeret, etsi Dionysius caducis istis honoribus saniori B consilio prętulerit immortales. Prętereundum denique nullo pacto videtur Cœnobium nostrum Florentinum ipsius habitâ ratione, & eo maximè curante, de bonis Paternis fuit Genitoris Dominici amplissimè ditatum fuisse, & plura Charitatis officia ab ipso Dionysio adhuc superst te, eodem Dom nico Patre annuente pauperibus adhibita fuisse. Obijt ergo Pituitæ morbo affectus pridie Kalendas Decembris, ut diximus, circa quartam noctis horam, honorificè deinde tumulatus, & coram omnibus Florentinę Universitatis Theologis à quodam Patre Carmelitâ pręclarâ oratione commendatus. Plures ingenij sui lucubrationes reliquit super Aristotelis opera, & in Magistrum sententiarum, C necnon Tractatum quendam Etrusco idiomate de Ecclesiasticâ immunitate. Auspice verò Beatâ Virgine Patronâ nostrâ prosequitur hic annus, ac proinde feliciter; ipsi ergo pro beneficijs, quę modò recensere decrevi, gratię sunt referendę non aliâ meliori ratione, quàm ipsa pro modulo nostro celebrando. Primùm verò nobis occurrunt, quæ Terdonæ, ubi sacra Fascia colitur, de quâ fusè Gianius Cent. 4. lib. 4. cap. 1. contigerunt .2. Consueverunt hujus Civitatis prægnantes, quòd etiam ipse Gianius advertit, antequam puerperij dies accederet, Ecclesiam nostram devotissimè adire, & specialibus votis proximè futurum partum eidem sacræ Fasciæ commendare; cùm verò Partûs dolores acce- D dere præsentiunt, omni studio curant, ut Sacra illa Fascia solemni quodam ritu, & specialibus quibusdam precibus ad se deferatur, quemadmodum contigit anno 1598., quo scilicet D. Cornelia Cavagnola doloribus hujusmodi maximè vexata sollicitè curavit Fasciam eandem per F. Antonium Cavagnoli ad se deferri, spe suâ minimè fraudata. Idem quoque contigit anno 1612. D. Doriæ Guidobonæ Cavalchinæ Feudatarię, quæ feliciter peperit, statim ac illa sacra Fascia ipsi fuit adhibita. Insuper hoc anno die 25. Septembris D. Praxedes Carvilia diris partûs doloribus affecta, cùm adhuc pariendo non esset, suam omnem fiduciam in sacram hanc Fasciam reposuit,

Terdonę devotionis fervor in S. Fasciam B. V. & S. Carolo Eccles. nostrę donatâ.

Plures Puerperæ gravibus doloribus affectę opę recipiût

posuit, quam proinde ad se delatam summis lachrymis, & precibus venerata vix fuit, cum omni prorsus angustiâ cessante commode fœtum enixa est. Hic verò pro tenata congruum arbitror celebriter Posteros monere, quòd pro sacrâ istâ Fasciâ decentiùs, ac tutiùs conservandâ, venerandâ non modò, quia B. Virginis pretiosa reliquia sit, sed etiam, quia dono nobis data à S. Carolo Borromæo Terdonensium Senatu curante, prout scribit Glanius loco citato, statutum fuit, ut sub duplici clave in Tabernaculo quodam Aræ majoris custodienda in posterum esset, quarum altera apud Cœnobij nostri Patres, altera verò apud quendam ex nobilibus Civitatis per Senatum deputandum esset. Quapropter primâ die Januarij quotannis, tùm universa Civitas, tùm Agri Terdonensis Incolæ ad eam venerandam, & exosculandam frequentissimi confluunt. Ipsâ enim die, quâ circumcisus fuit Dei Filius, & nomen Jesu accepit, piè creditur sacrat fimam ejus Matrem tali Fasciâ pretiosum illud Unigeniti sui Corpus involutum gestasse.

Quantâ cura hæc S.Fascia custoditur.

Non disparem B. Virginis beneficentiam aliæ quoque Gentes, licèt dispari cultu, expertæ sunt, etiam in puerperijs ratione sanctissimi Habitûs .2. ejusdem Dolorum. Hoc enim anno Uxor Mauritij Nautæ, de quo superiùs cap. 22. jurejurando affirmavit, quòd cùm apud Antoniam Joannettam puerperam diversaretur, & Antonia gravibus Partûs doloribus premeretur, prout ipsi familiare erat à quindecim annis in singulis suis puerperijs, Mauritius ejusdem puerperæ m serâ tus, detracto sibi ab humeris, quem semper gestabat, Habitu, eâ fide Uxori dedit ad hoc, ut superimponeret Puerperæ, ut Oratione Dominicâ, & Angelicâ Salutatione vix ter pronunciatis, cessantibus confestim doloribus incolumis Mulier Filium pepererit, ac deinceps Habitum hunc Dolorum B. Virginis in delicijs semper habuerit. Hoc eodem ann. Jo: Terlingus Germanus æquè ac proximè superiori maximo sibi emolumento esse sensit religionem, quam erga eundem Habitum profitebatur. Cùm enim in eodem Oppido S. Crucis stabulum quoddam fortè incenderetur, & flamma ventorum impetu exagitata maximam vicinis ædibus, quæ ligneis tegulis cooperiebantur, combustionem minitaretur, nec aqua, vel aliud quodcunque opportunum incendio extinguendo præstò foret, Joannes Habitum Virginis sibi è pectore detractum animadvertentibus singulis astantibus in ignem illum conjecit; quo facto (mirabile dictu) flamma illicò in orbem inde recedens, nec ipsum ullatenus contingens, continuò eodem stabulo corruente extinguitur ignis absque ullâ Viciniæ læsione. Quod autem maximè admirandum est, & in longè majorem Deiparæ gloriam cedit, Habitus prædictus inter cineres deinde illæsus, & integer deprehensus Joanni restitutus fuit; de quibus omnibus

Beneficentia Virginis 7. Dolorū.

Puerperæ gravibus doloribus affecta feliciter parit.

Habitus in ignē conjectus ipsum extinguit, & mirabiliter servatur illæsus.

E fidem faciebant Terlingus idem, & alij hæc in se ipsis experti. Cùm autem hæc ita sint, ac semper, & ubique Gentium beneficam experiantur Deiparam, quicunque ejusdem Habitum ritè venerantur, Ariminì in Romandiolâ Societate ejusdem in Ecclesiâ nostrâ, tum numero, tum pietate hisce diebus excrescente, & P.M. Nicolai Briganti à Foro Pompilij operâ, cum ibidem egregiè concionaretur, instaurata nova quædam prodijt tum Mulierum, tum Virorum pia Congregatio ad honorem Sanctissimi D. N. Jesu Christi, & Beatissimæ illius Genitricis Virginis, opus illud Impensè jampridem curantibus P. M. Angelo Mariâ Torsani, & P. M. Hyppolito Battalini Ariminensibus Patribus; Congrega-
F tionis autem hujus hæc est forma. Virorum numerus ob reverentiam annorum Beatæ Mariæ usque ad 63., & non ulterius ascendit, Fœminarum autem usque ad 33. in honorem annorum Domini nostri Jesu Christi, & in illud Consortium admitti non possunt, nisi prius fuerint in celebri Societate Habitûs aggregati, & optimo exemplo comprobati. Pia sanè, & religiosa Divini cultûs idea, ut pijs etiam officijs, & precibus tempus illud recolatur, quod Filius simul, & Mater pro Generis humani salute in hoc mundo insumpserunt. Congregationis hujus statuta, & alia longè plura à D. Cæsare Clementino collecta Arimini hoc anno impressa omnibus prostant. Non minori fortè admiratione digna his ipsis diebus contingunt intercessione
G B. Patris Philippi, quem Deus apud nos etiam gloriosiorem facere volebat. Lucæ Puerulus quidam 18. Mensium nomine Joannes Laurentius Filius Joannis de Liverotis epidimiæ morbo adeo graviter affectus, & adeò vehementi febre laborans, ut à Medicis destitutus, certissimis in facie, & oculis proximæ mortis indicijs, jam animam agere videretur; ab ejus Parentibus B. Philippo commendatus, cujus sacrum Pallium à Patribus nostris de more eidem superimponi curarunt; hoc vix imposito, Puerulus statim oculis, & facie ad hilaritatem compositis, cum Genitrice, & alijs astantibus ridens, ludens, & manibus plaudens æquè ac si nullo unquam morbo laborasset, post triduum ab Epidimiæ
H lue exemptus omninò surrexit. Consimili quoque morbo in eodem discrimine constitutus Vir quidam Nobilis Tuderti, de quo fides apud Glanium in supplemento, voto emisso se nudis pedibus sepulcrum B. Philippi aditurum, convaluit. Hisce pariter diebus, Mense scilicet Junio Sacerdos quidam ibidē Habitum nostrum parvum induir in honorem ejusdem Beati, cujus ope testabatur Matrem suam, quæ jampridem in agonem per 9. continuos dies constituta jacebat, B. Philippi Chlamyde (dixerim verius Tunicam prout nos Glanius docet, qui eam diligentissimè contrectavit, etsi vulgò nomine Cappæ, seu Chlamydis per omnium ora circumferatur)

Arimini nova Cōgreg. Virorū, ac Mulierum erigitur ad honorem Jesu Christi, & B. V.

B. Phil. miracula.

Epidimiæ morbo affectus, & pene mortuus sanatur.

Vir nobilis in eodem discrimine propter Epidimiæ morbum constitutus convalescit

ejus

Mulier in agone constituta recipit sanitatem.

ejus capiti superpositâ reviviscere statim cœpisse, liberè loqui, & vegetam è cubili surrexisse. A Altissimus opera quædam aliquando facit naturæ viribus superiora, vel ad Fidem Catholicam confirmandam, & Religionis nostræ mysteria declaranda, vel ad firmiter testandam, & universis manifestandam fidelis alicujus servi, & heroicâ sanctitate præstantis virtutem. Hinc minimè mirum, quòd B. Philippi meritis, quæ hactenus retuli, miracula patraverit, & alia non pauca, sive jam recensita, sive in posterum recensenda. Summâ enim sapientiâ suâ ab æterno decreverat hoc Seculo potissimùm per solemnem Canonizationem palàm Universo facere insignem ejus Sanctitatem. Hinc vel Tudertini, vel Florentini Proceres, vel adhuc aliæ Gentes identidem, & Ordo noster indesinenter so- B lemnitatem hanc promovere nervis omnibus contendebant; quinetiam Florentini Cœnobij Patres unanimi consensu decrevere B. Patris Philippi Imaginem ex argillâ à clarissimâ Familiâ de Guicciardinis, tanquam germanam, nobis concessam in ejusdem Sacello speciali quodam ornamento publicæ venerationi exponendam. Postquam verò in superioribus Comitijs Generalibus, modò sub Antonio Vivolo, modò sub Deodato Duccio, modò sub alijs Generalibus decrevere semper unanimi consensu Patres Canonizationem Beati Patris nostri procurandam, Dionysius Bucherelli, & Antonius Zenobius Balleoni .2. ambo Florentini in Romanâ Curiâ sibi succedentes Procuratores Ordinis Generales san- C ctissimum hoc opus summo studio procurare non destiterunt; verùm nemini secundus hisce temporibus Aurelius Raffaelli de Perusio itidem Procurator Generalis solertissimus, ac vigilantissimus, cùm plures annos magnos etiam Principes ad opus idem promovendum apud Apostolicam Sedem excitasset, recognoscendis, prout oportet, ac diligenter expendendis tum antiquis, tum recentioribus B. Philippi miraculis, & heroicis gestis operam omnem navavit. Cùmque Tudertum profectus fuisset, & Senatûs illius opem implorasset, voluit adhuc certior fieri de antiquo illo miraculo, quod circumferebatur, quando scilicet Florentini Beati Philippi corpus clam nocturno tempore Summo Pontifice D Honorio IV. permittente asportare Florentiam tentarunt, prout legitur Cent. 1. lib. 7. cap. 3., & quomodo circulus ille in agro, quem totam noctem circumierat jumentum, hisce quoque temporibus perpetuò infœcundum conservabatur, licèt semina eò jacere non desisterent Agricolæ, quo per publicos Notarios, ac idoneos Testes recognito, & in Tabulas pariter publicas relato, Senatus ille, ac Populus Tudertinus ad perpetuam tantæ rei memoriam publicè inibi, quæ sequuntur, exponi statuerunt.

Procuratur Canonizatio B. Philip.

Recognitio quorundam miraculorum B. Philip.


Senatus, Populusque Tudertinus.

Quod B. Patris Philippi Florentini ex Ordine Servorum B.M.V. corpus, Honorio IV. regnante, super jumentum clam à Florentinis sublatum, admirabili quodam circuitu per integram noctem ex agro præsenti, nunquam dimoveri posset, cujus rei perpetuum Testimonium indicat singulis annis recens hic inter satas fruges apparens semita, ob tantæ rei memoriam posuere anno Domini MDCXVII.

Vetus autem hoc prodigium recenset aliud modò consequitur, quòd scilicet cùm agri prædicti Villicus, quàmsæpissimè conquereretur, quòd in eâ semitâ recognoscendâ plures ex Tudertinis, (sexaginta nanque Viri, & amplius eò convenere) fruges eo Mense, nempe Majo, crescentes pedibus contrivissent, unde de colligendâ segete animo penitus despondisset, & damnum sibi illatum à Senatu repeteret, divinitùs factum est, ut ex eodem agro tres frumenti sarcinas præter consuetudinem uberrimè colligeret, quocirca joco dicere in posterum solebat sibi maximè in votis esse, ut singulis annis Ager ille hoc modo contereretur, ita enim longè semper majorem frugum copiam sibi accessuram esse sperabat. His verò peractis ex Senatûs consulto decretum unanimiter fuit, ut Civitas Tudertina pro virili gravissimum illud negotium de Canonizatione B. Patris Philippi amplecteretur, quod ab anno usque 1346. ex animo quidem susceptum, & per varia publica decreta, per varia exhibita subsidia promotum, prout ex actibus publicis Priorum illius Civitatis apparet, hoc anno per publicum Consilium octo Viris, inter quos D. Lucas Albertus Petti Canonicus illius Cathedralis, & antiquitatum ejusdem Civitatis indagator solertissimus, computaretur, cum generalissimâ facultate concreditum fuit. Quâ vero sedulitate huic peragendo negotio incumberet Balthassar Generalis, & ad hoc tutò promovendum, quo animi studio operam daret, colligendis, & conservandis pecunijs, sequentes Literæ duobus abhinc annis expeditæ apertissimè demonstrant.

Frumentum in agro ope B. Phil. uberiori copiâ colligitur.

Decreta Senatûs Tudertini pro Canonizatione B. Phil.



F. Balthassar Bolognettus de Bononiâ S. Theologiæ Publicus Professor, ac totius Religionis Servorum B.M. semper Virginis Vicarius Generalis Apostolicus.

Dilecto Filio in Christo Patri Magistro Adriano Mannoctio Florentino Salutem in Domino.

Quoniam maximâ cum animi nostri molestiâ cognovimus ea, quæ pro B. Patris nostri Philippi Canonizatione sancita fuerunt, ferè in tenebris consepulta jacere. Nos tanti momenti negotio totis viribus incumbere volentes, ut ex iisdem tenebris eruta executioni mandentur, Te R.P.M. Adrianum Mannoctium Florentinum Vicarium Generalem in hac parte constituimus, & publicum Exactorem, & Depositarium pecuniæ tam solutæ, quàm solvendæ à Provinciis nostræ Religionis declaramus, dantes tibi auctoritatem vocandi, & citandi quoscunque Fratres, & Patres, apud quos cujusvis pecuniæ quantitatem ad prædictum negotium spectantem detineri credideris, vel quolibet modo sciveris. Volumus autem, ut Conventus Divæ Annunciatæ Fidejussionem, & sponsionem facias pro pecuniâ, quam exigis, quò tutiùs asservetur. Tu ergo, quâ soles prudentiâ, & solicitudine munus injunctum suscipe, & exequere. Sic enim, favente Deo, huic negocio manus imponetur extrema. In quorum fidem &c.

Deputatur Mannoctius Exactor pro Canonizatione B. Philip.

Datum Bononiæ die 6. Maij 1615.

Ita est F. Balthassar Vic. Generalis Apostolicus.

Præter has literas nullum non lapidem movit Reverendissimus idem Generalis, ut sibi, & reliquis omnibus in hoc tantæ molis negocio satisfaceret, quod proinde semper præ oculis habens, & congerendis pecunijs ad hujusmodi opera nimirum necessarijs, singulis Concionatoribus sæpe sæpius eleemosynas, & opportuna subsidia comparare commendabat. Romæ quoque pro quotidianis expensis ad rem ipsam habendis P.Gregorium Alasiam de Summaripâ Camerarium deputavit, qui adhuc in superandis quotidie emergentibus difficultatibus plurimum operæ, pro suâ in B. Philippum devotione impendit. Quibus omnibus profectò maximè consentaneum videtur illud adijcere, quod cæteroqui referendum erat ad annum Domini 1487., & diem 9. Mensis Octobris, quo nimirum tempore Christina Maurocera in suo ultimo Testamento, quod proximè sequenti morte confirmatum fuit, quingentos aureos legavit Conventui Servorum de Venetijs pro Canonizatione B. Patris nostri Philippi expendendos. Actû per Notarium Ser Antonium Plebanum S.Felicis Venetiarum. Ex hujusmodi Superiorum Ordinis vigilantiâ factum est tandem aliquando, ut die 23. Octobris hujus anni à S.

Generalis sedulitas pro ejusdem Canonizatione.

Christina Maurocena Veneta Legatum pro ejusdem Canonizatione.

Rituum Congregatione pro B. Patre nostro
E Philippo ad informandum Summum Pontificem sequens emanaret decretum.

Cum ad Instantiam F. Aurelij Raffaelli Procuratoris Generalis, nomine Magistri Balthassaris Prioris Generalis, & totius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, necnon Communitatis Civitatis Tudertinæ supplicatum fuerit, ut authoritate Apostolicâ ad effectum Canonizationis formarentur Processus in specie super sanctitate vitæ, & miraculis Servi Dei B.Philippi Benitij Florentini prædicti Ordinis Servorum Beatæ Mariæ, qui non sine magnâ sanctitatis opinione obdormivit in Domino anno Domini 1285., & posteaquam sanctus habitus, & reputatus fuit, & de quo etiam ex concessione
F *Apostolicâ fel.rec. Leonis X. recitatur Officium in totâ Religione præfatâ Ordinis Servorum B.M., ac etiam ex concessione SS. D. N. in Civitate, & Diœcesi Florentinâ ab omnibus Viris, & Religiosis tam secularibus, quam Regularibus proposito hujusmodi negotio de mandato ejusdem SS. D. N. in Congregatione Sacrorum Rituum.*

Sacra Rituum Congr. decretû pro informãdo Summo Pontif. ad effectũ Canonizationis.

Eadem Sacra Rituum Congregatio censuit, & declaravit Causam præfatam in tali statu esse, ut si Sanctissimo D. N. placuerit, possit de more committi aliquibus Auditoribus Rotæ, ut ipsi authoritate Apostolicâ forment Processus in specie, & compulsent omnes scripturas, & monumenta, atque antiquos Processus in eadem Causâ jam factos, seu facta ad effectum Cano-
G *nizationis: Et factâ de præmissis omnibus relatione eidem Sanctissimo D.N. hac die infrascriptâ in Consistorio secreto, Sanctitas sua annuit, sententiam Congregationis approbavit, & mandavit de more committi causam tribus Auditoribus Rotæ, ad effectum, ut ipsi authoritate Apostolicâ forment Processus, & compulsent scripturas, & monumenta antiqua, factas, seu facta ad effectum Canonizationis. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præsentes per infrascriptum ejusdem Congregationis Secretarium fieri jussimus, manu nostrâ subscripsimus, & solitâ nostrâ Sigilli impressione muniri fecimus die 23. Mensis Octob. 1617. Pontificatûs ejusdem Sanctissimi in Christo Patris, & D.N. Pauli Divinâ Providentiâ Papæ*
H *V. anno XIII.*

Approbatio Summi Pontif.

A. Mar. Episcop. Ostiensis Card. Gallus
Locus ✠ Sigilli.

R. P. Mucantius Secret. Congreg.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIV.

1 *Ex monumentis D. Annunciatæ de Florentiâ in Archivo.*
2 *Ex supplem. Annal. Gianij.*

Refe-

Referuntur primi Patres in Ordinis reparatione per Germaniam. Approbantur Constitutiones pro Sororibus Regularibus Oenipontanis. P.Joseph Maria Barchi petit receptionem in Senario. Romæ fundatur Hospitium pro Patribus ejusdem Senarij. Moniales Molvedri petunt se Ordini iterum subjicere. Consecratur Ecclesia Luciniani. Obeunt tres præclari Viri. Instauratur Cœnobium Pisis.

CAP. XXV.

EX quo P. Josephus Barchi Serenissimæ Sororis Annæ Julianæ Archiducissæ .1. Confessarius Habitu Capucinorum deposito Habitum suscepit Ordinis Servorum B.V. anno 1611. in Ecclesiâ VValdrastensi, quemadmodum ad eundem annum dictum est, & exacto Tyrocinij sui anno Mantuæ vota solemnia emisit in manibus Reverendissimi Generalis Deodati Ducci, adiecto ad Josephi nomen Mariæ nomine, familiari antea Senarij Montis Patribus, ac per Germaniam deinceps augmento, felicissimo omine Religionis nostræ instaurans cunabula, plures adhuc alij identidem, vel Habitum eundem de novo suscepere in illis regionibus, vel jam pridem ipso Habitu induti, eò migrarunt ex Italiâ, rem gratissimam Archiducissæ facturi; Anno siquidem 1612. Oenipontem perrexere P.Alexander Placentinus,anno verò 1613. Patres Paulus, Lælius, & Bonaventura de Mantuâ. Insuper anno 1614. Patres Michael Angelus de Veronâ, & Matthæus de S.Salvatore cum Fratribus Laicis Callisto Veronensi, & Antonio Castelletto in recens fundato D.Josephi Cœnobio religiosam vitam juxta Ordinis nostri præscripta instituturi. Cùm verò Serenissima Reparatrix anno salutis 1615., qui primus erat à primo lapide pro D.Josephi Ecclesiâ posito, seriò meditaretur Summi Pontificis verba adiecta in confirmatione Regularum, quas ipsa pro Sororibus præscripserat, *Monasteria*, videlicet, *fi tibi ad legum amussim Religiosi vitam exigant, esse Fidei orthodoxæ firmamina;* è Florentinâ Senarij Montis Eremo, velut omnium primo Servitarum Cœnobio, Viros postulavit pro adolescentes, & adhuc tenellâ iterum inter Germanos Religione, quæ cæteroqui in primo sui exordio nulli ex alijs Gentibus erat fecunda, valde necessarios, & spiritu fęcundos, quem recèns satis illic plantulis imbiberent; cui profectò justæ petitioni Reverendissimus Generalis non defuit, qui proinde eò legavit, quàmcitissimè ex Eremo prædictâ Patrem Antonium Mariam Medices, Archangelum Mariam Benivieni, & Josephum Mariam Suarez, qui cùm eò pervenissent, unà cum F. Joachimo Mariâ Converso,è Serenissimæ ore pendentes operam suam omnem domi, forisque, eidem Principi mirum in modum probarunt. Antonius enim D. Josephi Conventum, & Archangelus ejusdem Novitios, juxta veram Religiosæ vitæ methodum moderabantur, & cum Serenissimâ Archiducissâ ad Augustos Generum, & Filiam Pragam contenderunt, quos tanquam sibi acceptissimos in itinere comites excepit; Archangelo præsertim eâ sanctitate, ac solertiâ in aulâ Cæsareâ suas partes obeunte, ut Serenissima quàm sæpissimè dictitare soleret, se utique paratam è manu suâ digitum deponere, si Archangelus linguam Germanicam æquè ac Italicam calleret. Hoc autem anno quatuor novi paulatim exurgunt surculi Religionis nostræ in Germaniâ, videlicet Dionochus Odale in ultimæ Hyberniæ comitatu Korchagiensi natus Reparatrici amicissimus; Georgius Eztl Civis Halensis Filius; Carolus Ignatius Guarinonius P. Hippolyto Medico natus pariter Halensis; & Jacobus Fieger à Cronburg antiquæ, & equestris in Tyroli Familiæ, omnes etiamnum adolescentes, nec 16. ætatis annum egressi. Hi ergo præmissâ de more animi eorum probatione ad dimittendas vitæ secularis exuvias, & Habitum Servorum Virginis induendum promptissimi, publicè spectantibus, & admirantibus plurimis, qui ad hoc eò convenerant, 6. Idus Januarij Oeniponte in Ecclesiâ D. Josephi Ordini Servorum B.V. ejus Habitu ornati propriâ veluti Tesserâ distincti nomen dederunt, unà cum Habitu nomen etiam commutantes, sibique proprium facientes Angelicum nomen, ut Angelicis moribus induendis incitamento foret. Primus enim ex illis Cherubinus dictus est, secundus Archangelus, Seraphinus Tertius, & Quartus Angelus, utìquè futuri feliciores Angeli, si Archangelus antiquissimum Archangelum è Cœlo reprobatum, aliquomodo æmulatus non degenerasset, verùm reliqui tres in vocatione perseverantes suam operi servarunt perfectionem. His proximi sunt duo Oblati Gabriel Maria Loberer, & Raphael Maria Buz, ipsi quoque Angelorum nomina adepti. Hos autem omnes omnium felicissimus prævenit Felix Maria Engl, anno scilicet superiori eodem Habitu indutus, sedulus omninò Operarius, qui dum sibi inter labores minimè parcit sæpe sæpius infirmus Fato cedere, sed beatissimè coactus fuit. Non minùs felix P. Joachimo Aver contigit obitus, cùm enim è Germanis nostris primus ad sacrum Altare accessisset, Sacratissimam hostiam Deo immolaturus quinto ab ingressu in Ordinem anno, septem solummodo dies infirmus, post percepta Sanctissima Ecclesiæ sacramenta ipso Cœnæ Dominicæ die, sicuti præ Sacerdotio prior cæteris tempore, ita & Cœlum prior tempore ascendit. Interim verò Ordinis nostri per Germaniam Adolescentes sub disciplinâ P. M. Prosperi Merli ex Sardiniâ literis æquè, ac religione morum efflorescebant. Serenissima verò Fundatrix cum Sororibus Claustralibus, quibus primò novum extruxerat Cœnobium, sanctas Leges præ-

Patrum nomina, & numerus.

Quidam Eremitæ Montis Senarij Oenipontem pergunt.

Induuntur Oeniponte quatuor bonæ Indolis adolescentes.

Unus ex his quatuor in vocatione non perseverat.

Duo Oblati recipiuntur

Duorum PP.Germanorũ felix obitus.

Sorores in Professione obedientiæ Votum Ordinario Loci dicunt.

præscripsisset ab Apostolicâ Sede anno 1608. approbatâs, juxta quarum præscriptum cap. 24. in solemni Professione Sorores Obedientiæ votum, non Patri Generali Ordinis, sed Reverendissimo Episcopo Loci Ordinario dicerent, quia tunc Ordinis nostri Fratres ibi minimè degebant, nec adhuc Serenissima Cœnobium condere meditata fuerat, etsi subiectionem istam Ordinario ægerrimè tulerit, ac pro eâ declinandâ apud S. Congregationem negotijs Episcoporum, & Regularium præpositam nil intentatum, sed frustra reliquerit, quæque nedum aliam quoque Domum Regularem dictam instituerat, in quâ unà cum Filiâ degeret, sicuti innuimus ad annum 1612., & fusiùs dicendum erit ad annum 1621. verùm etiam pro Fratribus ejusdē Ordinis Tertiū Cœnobiū minimè extruxerat, de quo pariter dictum est ad an. 1614. Quasdā etiam leges Domûs hujus Regularis Sororibus proprias præscripsit, quas hoc anno die 8. Julij Summus Pontifex Paulus V. ratas habuit, & confirmavit, in quibus omnia eorum capita comprehenduntur, quæ à Martino V. Ordinis Servorum Tertiarijs concessa jampridem fuerant, anno videlicet 1424., ita quidem, ut inter has, & illas nil aliud intersit, quàm quòd in Constitution. Domûs Regularis, nedum illa habentur, quæ Regulis prædicti Pontificis præscripta sunt, verùm etiam alia plura ad majorem vitæ perfectionem tendentia, adijciuntur statuta, quibus Constitutionibus ita receptis Sorores Regulares Habitum Ordinis ab ejusdem Superioribus, non ab Episcopo, vel ejus Vicario, quemadmodum præstant Claustrales, in posterum accepere, non enim alteri juxta cap. 4. præscriptum, quàm Summo Pontifici, Ordinis Superioribus, ac Superiorissæ suæ, tacito utique Episcopi nomine, obedientiæ juramentum dicere jubentur. Iisdem pariter Constitutionibus, non Episcopo, sed Ordinis Præfecto confertur potestas cum Sororibus, prout opus fuerit, dispensandi delinquentes, & Incorrigibiles per pœnas etiam juris, censurasve puniendi, quibus accedit, quòd in supradictis Constitutionibus Superiores Ordinis Superiores etiam Domûs hujus Regularis communi vocabulo passim appellantur. Constitutiones autem hæ à Summo Pontif. approbatæ, ut diximus, sunt, quæ sequuntur..2.

Confirmantur à Sum. Pontif. Constitutiones Sororibus Regularib. propriæ

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad futuram rei Memoriam.

Constit. Soror. Regular. Oenipōte confirm. Apostol.

SAcri Apostolatûs Ministerio per abundantiam Divinæ Gratiæ nullo licet nostro merito præsidentes, ea quæ per Monasteriorum, & piorum Locorum quorumlibet, præsertim fœminei sexûs prospero statu, & directione, ac Divini Cultûs, & Spiritualium operum propagatione providè facta, & ordinata fuisse dicuntur, libenter, cùm à Nobis petitur, Apostolico
E *præsidio communimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire.*

Cum itaque, sicut dilecta in Christo filia Nobilis Mulier Anna Juliana Austriæ Archiducissa Nobis nuper exponi fecit, Ipsa pro singulari suâ pietate, & devotionis affectu ex Bonis sibi à Domino collatis in Oppido Oenyponti Brixinensis Diœcesis prope Monasterium Monialium Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis ab eadem Annâ Julianâ Archiducissâ fundatum, unam Domum Mulierum, quæ sub titulo Servarum ipsius B. Mariæ Virginis Altissimo famulentur, Votaque Castitatis, & Obedientiæ tantùm emittant sub habitu, & Constitutionibus inferiùs expressis, ac Monialibus dicti Monasterij inserviant, vitæque necessaria ministrent, erigi, & pro felici Domûs, & Mulierum hujus-
F *modi directione, atque gubernio infrascriptas Constitutiones fieri procuraverit, & obtinuerit tenoris subsequentis, videlicet.*

Constitutiones pro Sororibus Servis Servarū Beatæ Virginis Mariæ.

CAPUT I.

De recipiendis ad Congregationem.

NON recipiantur ad Domum, seu Congregationem, nisi quæ honestati, virtutibus, & Pietati deditæ, integræ existimationis, & famæ, Natæ legitimæ, non legitimatæ, Catholicæ Fidei addictæ, sanæ mentis, & Corporis
G *sint, nec de Hæresi suspectæ; factâ autem de his omnibus, & singulis diligenti inquisitione, si petens humiliter ad Congregationem admitti prædictas Dotes habuerit, & priùs quæ aliena sint restituerit, sibique proximum reconciliaverit, accedente Sororum omnium, quæ emiserunt vota, assensu, ad statum probationis recipi poterit.*

CAPUT II.

De Vestibus.

IN Domo prædictâ nulla utatur veste seculari, nisi ad Congregationem promovenda, imò etiam illa nonnisi antequam recipiatur per aliquod tempus utatur ad arbitrium Supprioriſsæ,
H *& aliarum Sororum. Vestes sint è panno rudi, & vulgari arbitrio Supprioriſsæ, & aliarum quatuor, ex Majoribus Sororum, quæ sint Tunica, Habitus, Pallium Hispanicum, & Zona nigra, Gutturale verò, Binda, & Velum albi coloris. Tunica à pectore ad talos clausa, & collo duntaxat aperta, dorsum pedis longitudine attingat, in summo, medio, & infimo loco æqualiter ampla, justæque gerentis proportionis, & Crux rubea sinistro lateri cordi accommodatè, spatium à Binda ad Zonam occupans assuta sit, manicasque habeat, quarum extremitas palmo laxa, ab humeris verò cingulotenus circiter se extendat. Zona nigra sit de corio duobus lata digitis, cum fibulâ ferreâ, seu osseâ lumbos cingens, & parte*

te dexterâ anteriori aliquantulum dependens, sinistrâ verò Rosarium dimissam habens. Habitus sit Tunicâ nonnihil longior, terram attingens, anterioriq́ue, & posteriori parte ejus laxitatis, quantum Sororis, cui conficitur, ab uno ad alterum digitorum medium brachia se extendunt. Inferior autem, & Superior extremitas dimidio arctior; ad collum rugosus, & absque manicis sit, in sinistro humero fibuletur, in dextro verò totus, sed ab utroque latere infernè sursum ad medium usque suatur, quem Sorores Templum, vel in conspecta Laicorum accedentes semper gerant. Pallium præterea Hispanicum ex materiâ etiam arbitrio Suppriorissæ, nigrum tamen habeant, quo Sorores non domi, sed in Templum publicè, vel aliàs in publicum prodeuntes capiti imposito, itaut velum in fronte digito promineat, utantur. Gutturale de linteo albo mediocri nullâ exquisitâ arte elaboratum, & ornatum, sed simplex, quod se à mento ad ventriculum extendat, pectusq́ue, & collum, ne videri possit, usquequaque occultet. Binda etidem de linteo albo sine aliquo ornamento, aut exquisito labore, quæ in occipitio vinciatur, & frontem tegat. Velum etiam de linteo, vel Sindone, aut peplo nullo labore ornatum, sed simplex, ne quid vanitatis, superbiæve præseferat, in cujus parte capitis medium tangente frontem versùs Stella cærulea ex serico, vel aliâ materiâ Taleri magnitudine, ut facile videri possit, Sororibus, quæ emiserunt vota, addatur.

CAPUT III.

De Habitûs assumptione.

P*Riusquàm recipienda habitum secularem mutet, mensibus ad minimum tribus, eo induta permaneat, intra quod tempus regulas omnes observet, & seipsam probet, & probetur, eo tempore elapso, aut habitu induatur, aut dimittatur. Vestienda in Sacello, vel Oratorio Domûs Patri Generali, aut Vicario, aut Provinciali, aut Priori illius loci, necnon Matri Suppriorissæ à duabus Sororibus eam comitantibus offeratur, ipsa deinde flexis genibus coram aliis, habitaq́ue solitis Cæremoniis benedicto seorsim ab Altari induatur, ad Altare reversa, & genuflexa dicto à circumstantibus Hymno* Veni creator Spiritus, *aliisq́ue in Cæremoniali descriptis, aquâ benedictâ aspergatur, eiq́ue præsentes gratulentur.*

CAPUT IV.

De tempore, & modo emittendi Vota.

E*Lapso tempore probationis Suppriorissa convocatis Sororibus, quamlibet earum quid ex animo, & coram Deo de moribus, aptitudineq́ue Novitiæ sentiat, interroget, & si minùs idonea communiori calculo habita fuerit, id confestim ei exponatur, & tres denuò menses ad emendationem concedantur, quibus finitis, & nullâ meliore fruge apparente ulteriùs non erit* A *probanda, sed omnino abjicienda. Primo verò, vel secundo Trimestri apta, idoneaq́ue reperta si fuerit, transacto probationis anno, factâ priùs Confessione omnium peccatorum totius ejus vitæ, vel saltem post ultimam Generalem Confessionem ad Congregationem recipiatur. His autem, vel similibus verbis ab uno ex supradictis Superioribus ad vota admitti petat.* Ego N. Mundo N. annos servivi, & jam verò Dei beneficio Servarum Beatissimæ Virginis Mariæ indigna serva effecta sum, & annum probationis transegi, firmiterq́ue proposui in tali Congregatione, & hac Domo, Deo omnipotenti, & prædictæ ejus Sanctissimæ Matri toto tempore vitæ meæ, præmissis Votis, perseveranter servire, quare ut ad Vota facien- B da me admittas, te Reverendum Patrem per Dei, Deiq́ue Matris amorem humiliter precor, & obsecro. *Cui Superior tali, vel simili modo respondeat.* Charissima Filia in Christo electa Serva Servarum B. Mariæ Virginis, ecce tuis precibus paratus adsum. *Illa tunc subjungat, & emittat Vota in Congregatione per hæc verba.* Ad laudem, & honorem Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus S., sanctæq́ue Virginis Mariæ, & omnium Sanctorũ coram te R.P.N. promitto dehinc secundum Constitutiones Servarum Beatæ Mariæ Virginis vivere, Summo Pontif., Reverendiss. Generali, & Tibi, & Reverendæ Subpriorissæ, & successoribus, præstare obedientiam, servare castitatem, & toto tempore vitæ meæ C in eâ Congregatione perseverare, fideliterq́ue Claustrum Præsentationis Sanctissimæ Virginis defendere, & Sororibus in eo existentibus servire: sic me Deus adiuvet, Deiq́ue Mater Sanctissima. *Hoc finito à Patre prædicto Superiori Soror, quæ Vota emisit, benedicatur, & Subpriorissæ, quæ pro eâ Deo rationem reddere tenetur, ejusq́ue obedientiæ tradatur. Ipsa verò, si sciat literas, nomen, & Cognomen, Votaq́ue sua, necnon annum, mensem, & diem, quo emissa fuerunt, propriâ manu scribat, & Subpriorissæ offerat; si scribere nesciat, ipsa Subpriorissa suppleat, quæ scriptura Domi perpetuò conservetur.*

CAPUT V.

D

De Orationibus.

S*Orores, quæ non ægritudine, aut alio gravi negotio impeditæ, quotidie Missam piè, religiosèq́ue audiant, & loco Matutini vicies & octies, loco Vesperarum quater, & decies, & loco cujuslibet horæ septies Orationem Dominicam dicant, necnon in honorem Beatiss. Virginis ejus Officium latinè, quæ sciunt, vel saltem, quæ omnino legere nesciunt, illius loco Salutationem Angelicam toties recitent, quoties Orationem Dominicam. Singulis præterea diebus ante Matutinum, & ante Primam Symbolum fidei, idemque unà cum Litanijs Sanctorum latinè post Completorium pronuntient. Infra autem Octa-*

vas

vas cujuslibet septem festorum B. Mariæ Virginis Milltes Salutationem Angelicam devotè recitent, & omnibus sextis ferijs horâ à Matre Subpriorissa designatâ spatio unius Miserere *cum Hymno* Stabat Mater dolorosa *cum Responsorio, & Oratione* Interveniat &c. *se flagellabunt, & præterea quotidie post Matutinas Laudes, semihorâ Orationi mentali incumbant, & pro materiâ proponantur earum exercitia, vel aliquid aliud arbitrio Subpriorissæ, cui Sorores singulis hebdomadibus genuflexæ culpas suas generales fateantur, & illa pro suâ prudentiâ pœnitentiam imponat.*

CAPUT VI.

De Confessione, & Communione.

SOrores *omnes peccata sua confiteantur, & Sacram Eucharistiam sumant singulis quibusque Dominicis diebus, quolibet festo Domini Nostri, omnibusque festis Beatæ Mariæ Virg., & Sanctorum, Apostolorum, die omnium Sanctorum, Sancti Michaelis Archangeli, Angeli Custodis, S. Joannis Baptistæ, S. Magdalenę, S. Catharinę, S. Annę Prophetissę, S. Philippi, & B. Julianę Patronorum nostrorum, atque S. Annę Matris Divę Virginis Marię.*

CAPUT VII.

De Mensa, Jejunijs, & Abstinentijs.

AD *primam, & secundam Mensam pia semper, & religiosa lectio magno silentio audiatur, Sororesque nullo modo utantur aureis, aut argenteis vasis, sed vulgaribus patinis, ambabus manibus potum sumant, & Jejunia à S. Ecclesiâ statuta accuratissimè observent, & præterea à primâ Dominicâ Adventûs usque ad Nativitatem Domini, feriâ sextâ, & Sabbatho per totum annum, & qualibet vigiliâ festorum Beatissimę Virginis jejuneant, quod sępius non agent, nec aliud pœnitentię genus sine Matris Subpriorissę, & Patris Confessoris facultate suscipiant. Insuper Feriâ quartâ per totum annum, nisi precipua aliqua solemnitas incidat, à carnibus abstineant, nec interdiù unquam edant, vel vinum bibant, absque Subpriorissę facultate, quę in hoc rigida, & dura esse non debet.*

CAPUT VIII.

De Cellis, Vestiario, & Munusculis.

SOrorum *Cellę nullo modo clavibus obserentur, nihilque penitus preter Oratoriolum cum devotis Imaginibus, tabulam, sedem, armarium, vel Capsulam sine serâ, vel clave in eis habeatur, & Subpriorissa cum duabus Sororibus quater saltem in anno eas omnes visitent, & si eâ aliquâ earum curiosum quid invenerint, auferant, & habenti pœnitentiam injungant. Et quoniam valde bonum est, ut omnia sint commu-*
E *nia, idcirco habeatur locus, qui vestiarium appelletur, ubi exceptis rebus sacris ad Ecclesię ornatum, & comestibilibus, cętera omnia conserventur, & nulli Sorori liceat absque Subpriorissę licentiâ Munuscula etiam levia largiri, & quando valor pretium excesserit semiaurei, tunc duarum partium Sororum consensus requiratur.*

CAPUT IX.

De modo dormiendi, & exercitijs manualibus.

SOrores *saltem subuculâ, & parvulo nigro Habitu indutę, & cingulo, aut corrigiâ cinctę dormiant, Crucem semper inter brachia tenentes, & diurnas horas in aliquo loco ad hoc*
F *designato manualibus exercitijs incumbant, & dum vicissim laborant, arbitrio Subpriorissę, aliquid etiam spirituale vel recitent, vel audiant.*

CAPUT X.

De Modo exeundi è Domo, & de Literis scribendis, aut recipiendis, & bonorum administratione.

NUlla *Soror domo exeat, nisi peregrinationis causâ, & ad proprias possessiones, & ad minimùm quatuor simul egrediantur, & hoc nonnisi mandato, & licentiâ Subpriorissę, quę semper curet, ut inter illas una sit, cui cętere morem gerant, & obsequantur, nec eis extra Domum pernoctare quavis de causâ liceat. Nulla*
G *Sororum Literas ab aliquo, sed ex Subpriorissę duntaxat manu recipiat, nec ipsa scribat sine ejus licentia, quas etiam tunc apertas det illi legendas, & communi Sigillo Domûs obsignandas. Nulla preterea quidquam ex auro vel argento confectum ad corporis usum habeat, nullique liceat quidquam, nisi consentiente Subpriorissâ, à quoquam recipere, & pecuniam taliter acquisitam apud se non retineat, sed Subpriorissę conservandam, & utiliter erogandam tradat.*

CAPUT XI.

De Silentio, & de honore Superioribus deferendo.

H SOrores *Divino Officio, Sacrę Missę, & Verbo Dei piè, & modestè intersint. In Oratorio, Mensâ, & post cœnam ab octavâ, vel eo tempore quo Subpriorissa benedictionem largitur, usque ad horam quintam matutinam silentium servent, vel si ex necessitate loquendum erit, submissè id agant. Debitum pretereà honorem, ac reverentiam Superioribus suis exhibeant, eosque singulari obsequio prosequantur.*

CAPUT XII.

De Pœnis.

POenas *ob transgressiones, & excessum sibi impositas libenter suscipiant, & peragant; spernentis verò admonitionem, binamque correctionem*

ctionem dentur sex menses ad emendationem, & resipiscentiam, quibus elapsis, si pertinax in A *malo permanserit, nec emendationis in eâ spes ulla affulserit, sed insanabilis fuerit judicata, prad juris rigore à Patre Generale, seu Vicario, & Subpriorissâ assentientibus puniatur.*

CAPUT XIII.

De novis Legibus condendis.

Quotiescunque ad communem Sororum utilitatem vel temporalem, vel spiritualem agendum, aut decernendum erit, subpriorissa quatuor ex Majoribus consentientibus agat, & decernat: si verò aliquid supererogationis ad Constitutiones addere, aut aliquid ad majorem earum progressum in Dei famulatum, & perpe- B *tuâ Domus conservatione arctare voluerint, agat Subpriorissa, ut illud per tria Concilia, medietate Sororum, quæ Vota emiserant, superantia constituatur, quodque ab uno ad aliud Concilium trigiuta dierum spatium intercedat. Tertiò autem deliberatione peractâ quidquid decretum fuerit, Constitutionibus adscriptum ab omnibus inviolabiliter observetur. Vocem autem habeant Sorores omnes post sex Menses à die, quo Vota emiserunt, & in receptione probationis Novitiarum ad Habitum, & ad quodlibet aliud vim suam deliberationes obtinuisse intelligantur, quoties suffragiorum medietas accesserit, prater casus in Constitutionibus expressos.*

CAPUT XIV.

De Infirmis curandis, & de Mortuis sepeliendis.

Circa infirmas Subpriorissa dilig[illegible] sit, ubi primùm aliqua ægrotaverit, [illegible] ret, ne quid de Corporis, aut Animæ accessarijs ipsi desit, nec solammodò eam ipsamet sepiùs quotidie visitet; occupata, nomine suo visitari, sed etiam at ibidem cæteræ Sorores faciant, provident non minùs, quàm si res sua ageretur, omne charitatis officium pariter impendatur. Erga oblatas nostræ Domus infirmas, ut fit erga Matres Sorores. Si verò aliqua è vitâ decesserit, toto minimùm insepulta maneat die, postea ad nostrum Templum Præsentationis B. Mariæ Virginis omnibus sociata Sororibus, quæ non singulæ, sed binæ honestè incedant, deferatur. Recitatoque solemniter Officio Defunctorum sepulturæ in Templi medio existenti tradatur, sequenti die cantetur solemne Defunctorum, quatuor insuper Missæ privatæ offerantur. Idem septimo, trigesimo, & Anniversario die observetur; & Sororum qualibet integrum Latinè recitet Defunctorum Officium; Literas verò ignorans, psalterium Beatissimæ Virginis recitet. Quatuor præterea anni temporibus pro animabus omnium Defunctorum Fratrum, & Sororum solemnes Vigiliæ cantentur, & Missa cum alijs quatuor privatis. Oblatæ verò sepeliantur extra nostram Ecclesiam ad fores.

CAPUT XV.

De nostræ Familiæ Oblatis.

Suscipiendæ pro nostra Familia Oblatis sint fæminæ, quæ benè apud omnes audiant, nec sint nuptæ, atque trigintaquinque Annorum excedant ætatem, nec ære alieno adstrictæ sint, filiosque habentes tales sint, qui sine ipsorum Matris auxilio vivere possint. Sintque ipsæ sanæ mentis, & Corporis; & quæ has conditiones omnes habuerit, ad probationem per aliquot menses ad arbitrium Subpriorissæ introducantur, quibus probationis mensibus elapsis, si ipsæ pro Domo aptæ adjudicatæ fuerint, tunica cum Cingulo ex corio, vel ex aliâ materiâ, bindaque circa caput, & pectorale, habitusque de more Laicorum longus uno brachio, & latus uno palmo concedatur. Deoque, B. Virgini Mariæ, Matri Subpriorissæ, præsentibus Adm. R. P. Vicario Generali, & R. D. P. Priore S. Josephi, atque Sororibus omnibus Obedientiam, Domui fidelitatem, promittant, nec ipsæ Domo ejiciantur, nisi ob inobedientiæ Causam, & Domus infidelitatis. Et hoc fiat semper cum consensu Majoris partis Sororum, quæ Vota emiserunt; serventque ipsæ Oblatæ jejunia Sororum, ac semel in Mense, festivisque diebus Domini nostri Jesu Christi, ac B. Mariæ, Sanctorumque principalium confiteri peccata sua, & Eucharistiæ Sacramentum recipere teneantur. Singulis quoque diebus Coronam Beatiss. Mariæ Virginis cum septem Pater noster, & totidem Ave C *Maria, ad honorem septem Dolorum ipsius Dei Matris Mariæ semel orent, & Missam audiant.*

CAPUT XVI.

De Electione Subpriorissæ.

Ea Subpriorissa à Sororibus eligatur, quæ idonea, & apta dum vivet, in officio permansura judicetur, nisi vitium in eâ aliquod fuerit deprehensum. Quâ de causâ in Octavâ Pentecostes cujuslibet Anni Sorores conveniant, & eam idoneam repertam confirment. Eligatur etiam post electionem Subpriorissæ quatuor ex Sororibus, quæ omnibus negotijs momenti alicujus intersint, & consilio Priorissam juvent. D *Ex illis autem una Vicaria officio deputetur, quæ re exigente Subpriorissæ partes agendi potestatem habeat.*

CAPUT XVII.

De Officio, & diligentiâ Subpriorissæ.

Subpriorissa potissima sit, quæ Constitutiones observet, spectatam, probatamque vitam ducat, eàque ut cæteræ idem præstent maximè elaboret. Leges hasce violantem, culpabilem, vel aliàs negligentem, amanter, benigneque admoneat, & corrigat. Quidquid offensioni esse possit in vestibus, & incessu admoneat, nec admittat,

mittat, ut Sorores Juniores præsertim cum personis dubij nominis cujuscunque sexûs, vel conditionis sint, nec cum illis etiam, quæ bonæ famæ, & vitæ, absque ejusdem facultate, & præsente aliâ Sorore illi adjunctâ loquantur; & curet, ut Sorores in omnibus constitutiones observent, nec unquam otiosæ sint, sed orent, & operentur, ne tempus ullum perdant. Subpriorissa cum Patre Generali, vel Vicario potestatem habeat ex causis, & ratione legitimâ circa jejunia, & abstinentias cum Sororibus dispensandi, & alia præterea agendi. His autem Constitutionibus non obligentur Sorores ad peccatum mortale, sed ad pœnam, & pœnitentiam à Superioribus ob earum transgressionem sibi injunctam duntaxat subeundam, & perpendam. In quo Dominus noster Christus Jesus Humani Generis Redemptor, qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto perpetuò vivit, & regnat, illis auxiliabitur. Amen.

Nos, ut Constitutiones prædictæ à dictis Mulieribus, & alijs in eâdem Domo pro tempore existentibus personis firmiter observentur, & illorum ductu Domus, & Mulieres prædictæ majoribus in dies proficiant incrementis, quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus jam dictæ Annæ Julianæ Archiducissæ, necnon dilectæ etiam in Christo Filiæ nobilis Mulieris Mariæ ejus natæ, quàm Charissimi in Christo Filij Matthię Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Charissimæ etiam in Christo Filiæ nostræ Annæ Romanorum Reginæ, in Imperatricem electæ, & supradictę Annæ Julianæ Archiducissæ Natæ, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum consensu, Constitutiones prædictas, ac dictæ Domûs erectionem Apostolica authoritate præsentium tenore ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicę firmitatis robur adjicimus; ac omnes, & quoscunque tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes, Constitutiones prædictas dicto beneplacito durante in eadem Domo observari debere, ac Mulieres, & alias personas prædictas ad illarum observantiam cogi, ac compelli posse, ac debere, irritumque, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis etiam Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, & individua mentio facienda esset, horum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat, quoad ea, quæ Erectioni, & Confirmationi prędictis adversantur, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Julij MDCXVII. Pontificatûs nostri Anno Decimotertio.

S. Card. S. Susannæ.
N. de la Plume.

Ex monumentis Conventûs D. Annunciatæ de Florentiâ, ubi adest copia authentica per Nicolaum Zerzer Excelsi Regiminis Superiorum Austriæ Provinciarum Secretarium, & Notarium publicum facta, ejusque sigillo, & signo munita Oeniponte Mense Februario Anno 1636., & inserta manet Filzæ, quæ inscribitur *Processo della B. Giuliana Falconieri nu. 5.*

P. Joseph Maria Barchi petit admitti in Eremo Mõtis Senarii.

His etiam temporibus præfatus P. Joseph Maria de Mantuâ Serenissimæ Sororis Annæ Julianæ Confessarius à Patribus Eremitis Montis Senarij enixè petijt, ut ipsum ad Ereniticam vitam in sui consortium admitterent, si ipsi integrum fuisset à curis omnibus sese eximere, quibus, eâdem Serenissimâ mandante, premebatur. Quâ petitione seriò expensâ Patres Eremitæ, habitâ ratione Oratoris, & ijs attentis, quæ à P. Antonio Mariâ supramemorato Eremitâ Cœnobij S. Joseph Priore de hujus laude dignis moribus acceperant, unanimi consensu admiserunt. Verùm petitioni reipsâ minimè respondit, quia P. Joseph Maria prædictus, nunquam ab illis curis solutus, prout opinor, ad Eremum se contulit. Hoc pariter anno ijdem Patres Eremitæ, qui superioribus annis, uti suo loco dictum est, Eremum in Monte Virginio de novo excitandam susceperant, quia varijs de causis Romam persæpè cogebantur appellere, de opportuno sibi Hospitio in eâ Urbe providere volentes, P. Bernardini Ricciolini Eremitæ operâ in Monte Quirinali quibusdam Domibus pretio comparatis ædiculam extruxere in honorem D. Annunciatæ nomine Patrum Eremitarum Montis Senarij, quam die 6. Maij hujus anni Superioribus permittentibus ritu solemni benedixit P. Gregorius Alasia de Summaripâ, in quâ prior omnibus Sacrum confecit Angelus Maria Medices Ordinis nostri Eremita. Adnexæ ipsi ædiculæ habebantur Cellulæ quædam cum Officinis, & hortulo, prout Ordinis tenuitas eo temporis permittebat.

Romę fũdatur Hospitium pro PP. Eremitis de Mõte Virginio

Ab anno usque 1609. Moniales Ordinis nostri in Oppido Molvedri in Regno Valentiæ ab ejusdem Ordinis Patribus, eorumque regimine se subduxerũt, & Valentiæ Archiepiscopo se subiecerunt, prout ad annũ 1611. adnotatum est, quia tamen Patres nostri hoc semper ægerrimè tulerunt, & vix postliminio eatundem Monialium regimen iterum

sibi

sibi vendicare posse sperabant, quippe qui tunc Cœnoblum Ordini, & sibl proprium ibi nondum habebant; hoc autem anno eorum nomine, necnon ipsarum Sanctimoniallum Procurator Generalis Ordinis Sanctitati suæ humiliter supplicavit, ut Moniales præfatas ab Archiepiscopi gubernio subduceret, & Ordini nostro iterum subijceret; ex quo Ordo idem noster Cœnobium In eo Regno adeptus erat. Sanctissimus verò Dominus pro causâ hujusmodi Episcopum Segobricensem delegavit per Breve quoddam speciale datum die 3. Novembris 1617. Consequentibus autem temporibus quid in hac re decrerum fuerit, intelligemus. In oppido Lucinianl Vallis Clanarum consecrata solemniter hoc anno fuit Ecclesia nostra S. Mariæ de Quercu, prout constat ex inscriptione à lævâ Ecclesiæ appositâ sequentis tenoris.

Delegatto Epis. Segobricēsis pro subijciendis iterum Ordini Monialibus Molvedri in Regno Valētię.

Luciniani consecratur solemniter Eccl.

Ad perpetuam rei memoriam. Antonius de Riccis Patritius Florentinus Episcopus Aret. S. R. Imperij Princeps in Etruria, & Comes hâc Ecclesiam, & Altare in Dei honorem, & Gloriosæ V.M. gloriam die 16. Maij MDCXVII. solemni ritu cònsecravit, atque Indulgentiam dierum XL., tàm ipso die, quàm singulis per octavam piè in ea orantibus authoritate ordinaria perpetuò concessit.

Pisis autem operâ Reverendissimi Lælij Balleonij Florentini in eâ Universitate Theologi tenui præsertim eo temporis illi nostro Cœnobio insigne incrementum accessit, series videlicet plurium Cellarum .3. per integrum Dormitorij latus, & murus plateam Ecclesiæ undequaque circumdans à fundamentis excitatus. Denique hoc anno pariter Massiliæ primùm fato cessit P. M. Antonius Maria Olivarius de Summaripâ .3., qui fuerat olim Provinciæ Narbonensis Provincialis, & de Conventu Massiliæ potissimùm, necnon de totâ Provinciâ optimè meritus, immortali proinde laude prosequēdus. Apud Montem Ferratum etiam P. Jacobus Abbas placidè in Domino mortuus non mediocris sanctitatis opinione extremum sui desiderium reliquit .3.

Cœnobiū S. Ant. de Pisis notabile incremētum accepit.

Antonij M. Olivarij de Summaripâ, & P. Jacobi Abbatis apud Montem Ferratū obitus.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

1 *AUgust. Romer Servitus Mariana lib. 7. cap. 2., & lib. 5. cap. 6.*

2 *Constitutionum pro prędictis Sororibus habetur exemplar authenticum in Archiv. D. Annunc. de Flor.*

3 *Ex monum. eorum Conventuum.*

Habentur Bononię Comitia Generalia.
CAP. XXVI.

AD Comitia Generalia, quæ hoc anno celebranda in Cœnobio S. Joseph de Bononiâ indicta jampridem fuerant, hilares, & vigiles properabant Patres, quòd amplissimum, & elegans Cœnobium S. Mariæ Servorum summâ curâ Reverendissimi Balthassaris Generalis, tandem aliquando perfectum, & mirum in modum exornatum conspecturi essent. Ex quo enim Andreas de Faventiâ Generalis ejus fundamenta posuerat, anno videlicet 1380. circiter, humillimum, & vix è solo egressum jacuerat, donec Aurelio Menochio de Bononiâ Generali mandante, & summo studio promovente, anno videlicet circiter 1582. recognitis prioribus illis fundamentis ædificium quàmcelerrimè surgere incœpit; verùm Balthassaris prædicti vigilantiâ unâ cum novo Sacrario, Bibliothecâ insigni, & omnibus officinis rarâ non magis munificentiâ, quàm arte ad umbilicum pervènit; opus profectò maximo absolutum impendio, septuaginta millium videlicet Aureorum, quod tamen præ Architecturæ excellentiâ, præ Operum pictoriæ artis celebritate, præ Cellarum, officinarum, ac rerum omnium mirabili ad invicem proportione nulli ferè dixerim pretio æquale. Itaque die pro Comitijs statutâ, scilicet 23. Maij, quæ hoc anno pervigilium fuit Ascensionis Dominl, summo mane congregatis Patribus in unum coram Illustrissimo, & Reverendissimo D. Aloysio Cardinali Capponio Legato Bononiensi, & Præsidente Apostolico Capituli hujus Generalis, Balthassar Vicarius Generalis Apostolicus post resignationem Officij, quod integrum quadriennium obierat, iterum unanimi omnium consensu per secreta suffragia solus à singulis Provincijs electus in Generalem Priorem fuit confirmatus. Electores autem fuere pro Etruriæ Provinciâ PP. Magistri Callistus Mazius Definitor Generalis, Adrianus Mannozzius Provincialis, Lælius Balleonus Exgeneralis, Innocentius Vecchius Socius omnes de Florentiâ. Pro Romanâ PP. Magistri Aurelius Raffaellus Procurator Generalis Apostolicus, Felicianus Penna Definitor Generalis, Paulus Marthiolus Provincialis, & P. Mercurius de Rosarijs Socius omnes de Perusio. Pro Romandiolâ PP. Magistri Archangelus de Mutinâ Definitor Generalis, Teophilus Bartolottus de Bononiâ Provincialis, & P. Alabantus de Bononiâ Socius. Pro Lombardiâ PP. Magistri David de S. Bernardo Definitor Generalis, Constantius Tortelli de Parmâ Provincialis, & P. Epiphanius de Castellerro Socius. Pro Venetâ PP. Magistri Andreas de Brixiâ Definitor Generalis, P. . . . . Jannonus de Venetijs Provincialis, & P. Theodorus Follia Veronensis Socius. Pro Mantuanâ

Magnificū Cœnobium Servor. Bononię perficitur.

Confirmatur Balthassar Bolognetti Prior Gener.

PP. Magistri Cornelius Podius de Cotoneo Definitor Generalis, AureliusRicciolius de Perusio Provincialis, & P. Celidonius de Mantuâ Socius. Pro March â Tarvisinâ PP. Magistri Octavius de Ferrariâ Definitor Generalis, Seraphinus de Tarvisio Provincialis, P. Ægidius de Ferrariâ Socius aberat. Pro Genuensi PP. Magistri Joannes Maria Dona de Summaripâ Definitor Generalis, Aurelius de Alexandriâ Provincialis, & P. Hieronymus Spinola de Papiâ Socius. Pro Neapolitanâ PP. Magistri Augustinus Florilius de Capuâ Definitor Generalis, Andreas Fortunatus de Sieti Provincialis, & P. Thomas Maccarellus de Capuâ Socius. Pro Narbonensi P.M. Joachimus Gerardus Provincialis, & P. Gulielmus Santerius Aquinas Socius. Pro Hispanicis P. M. Theodorus Cardona Provincialis, & P. Joannes Baptista Fagiensis Socius. Pro Corsicâ, & Sardiniâ P. Joannes Carta Sardus Vicarius Generalis. Ab his confirmatus pariter fuit die 25. ejusdem mensis in eodem Magistratu P. M. Aurelius Raffaelli de Perusio, qui per quatuor annos in Romanâ Curiâ Procurator Generalis Ordinis Apostolicus fuerat, eòque libentiùs, quò certiùs ejus prudentiam, & diligentiam in procurandâ B. Philippi Canonizatione perspexerant, non obstantibus Constitutionibus nostris, in quibus per Apostolicas Literas Summus Pontifex Paulus V. dispensaverat, tum pro Balthassare in Priorem Generalem, tum pro Aurelio in Procuratorem Ordinis eligendis; deinde verò ab ijsdem Patribus sequentia emanarunt Decreta.

Confirmatur pariter Aurelius Raffaelli de Perusio Proc. Gener. Ordinis.

Quoad Divina.

Decreta à Patribus emanata.

In Divinis peragendis eodem omnes utantur ritu, præter Officia Religionis propria in libello aliàs impresso contenta. Recitentur etiam infrascripta, videlicet die 14. Januarij, Officium Sanctissimi Nominis Jesu sub duplici ritu, prout apud Eremitanos; die 8. Martij Officium Desponsationis B. M. semper Virginis ritu, quo celebratur Officium Nativitatis ejusdem, nomine Nativitatis *cum nomine* Desponsationis *immutato, lect. autem primi nocturni de Canticis Canticorum, sicut in die 4. infra Octavam Assumptionis ejusdem Virginis; in 2. Nocturno ex Officio ejusdem B. M. in sabbatho Mense Aprili, & in 3. lectiones, quæ in Vigiliâ Nativitatis D. N. Jesu Christi communiter leguntur. Die 18. Martij Officium S. Gabrielis Archangeli sub eodem ritu duplici, prout apud Eremitanos. Qualibet feriâ 5. recitetur Officium Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sub ritu semiduplici, prout in Breviario, sed extra Quadragesimam, & Adventum; lectiones primi nocturni legantur de Feriâ currente, secundi autem, & tertij legantur quæ sunt per Octavam Corporis Christi distributæ, scilicet Mense Januario ut in die Festi; Februario, ut in feriâ 6.; Martio, & Aprili, ut in Sabbatho; Majo, & Junio ut in feria 2.; Julio, & Augusto, ut in feriâ 3.; Septembri, & Octobri ut in feriâ 4.; Novembri, & Decembri, ut in die Octavæ. Post Missam à nemine in posterum prætermittatur Antiphona* Salve Regina *cum versiculo, & Oratione flexis genibus semper, exceptâ oratione, sed ab omnibus juxta veterem consuetudinem recitetur. Celebraturi omnes ad Altare incedant capite amictu tecto, & post celebrationem eodem modo in sacristiam revertantur sub pœnâ privationis utriusque vocis per annum. Singulis diebus, in quibus festum alicujus Sancti, vel Beati celebratur, mentio illius fiat initio lectionis Martyrologij; in fine verò fiat mentio Beatorum Religionis nostræ, de quibus non fit Officium, si dies obitûs certus habeatur, illíque jampridem in numero Beatorum habeantur, juxta Rubricas ejusdem Martyrologij.*

Quoad statum Ordinis.

Invigilent Provinciales, ne in eodem Conventu maneant duo Fratres uterini, vel Germani. Cura demandatur Adm. Rev. P. M. Archangelo de Bononiâ inquirendi, & referendi Reverendissimo Patri Generali, ut hic deinde decernat, quænam Indulgentiæ Ordini nostro diversis temporibus concessæ sint, tanquam legitimè retinendæ, quæque tanquam suspensæ dimittendæ. Quoad incorrigibiles puniendos Reverendissimus P. Generalis, & Admod. Rev. Pater Provincialis quamprimùm de remedio adhibendo in Ordine consulant, ita ut puniantur, & quoad fieri potest corrigantur, sed summâ præditi pietate, ne Fratres nostri ad Triremes transmittantur, ibi torqueantur, & Religiosæ vitæ obliti extra Ordinem moriantur.

Attentis maximis expensis, quæ in celebrandis Comitijs Generalibus fiunt, & alijs justis de causis decreverunt PP. Definitores Generales, ne in posterum Capitulum Generale, nisi de sexennio in sexennium celebretur, quolibet autem Triennio Reverendissimus Generalis Modernus, alijque pro tempore futuri Generales in unum congregentur cum Definitoribus Generalibus, & de actibus ad suum Tribunal spectantibus, sive de Baccalaureis ad Magisterium promovendis, sive de rebus alijs necessarijs, consulant, determinent, & exequantur. Si verò contingat aliquem ex Definitoribus Generalibus vel obire, vel aliâ quavis de causâ ab hoc munere amoveri, alius subrogetur in proximo Capitulo Provinciali eligendus. Hæc autem omnia approbanda sunt ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Protectore, & à SS. D. N. Papâ, quemadmodum reipsâ approbata fuere, prout ad annum 1619. dicemus.

Decreta Capit. Gener.

Si quis Fratrum deprehensus fuerit retinuisse eleemosynas Missarum, vel aliorum Divinorum Officiorum, Sacerdos suspendatur à celebratione, utrâque voce, & omni gradu prive-

privetur; Clericus coronâ clericali; conversus Habitu, & Scapulari.

Quoad debitum Missarum, quod antiquitùs contraxerunt Monasteria, decreverunt PP. Definitores Generales, quod Provinciales in Provincijs suis ita provideant, ut pro singulis Missis quotidianis respondeant quotannis quinquaginta scuta.

Iidem PP. Definitores facultatem absolutam concessere Reverendissimo Patri Generali recipiendi in posterum superiores sexdecim annis, æquè ac si reciperentur in Capitulo Provinciali; Item purgandi Infames, & pristino candori restituendi.

Decreta ad Annales spectātia.

Attentis supplicationibus Adm. Rev. P. M. Archangeli Giani de Florentiâ singula Provincia, quæ juxta consuetudinem cujuslibet anni non solverunt, solvant. Item prima pars Annalium ejusdem jam impressa distribuatur per singulas Provincias, & pro quolibet volumine sex libræ Florentinæ solvantur. Postremò qualibet Provincia solvat in posterum prædicto Patri Taxam consuetam superioribus annis solutam, ut possit opus complere.

Attentis gravioribus expensis Conventûs S. Marcelli de Urbe decreverunt PP. Definitores Generales, ut prædicto Conventui singuli Ordinis Conventus solvant unum scutum singulis annis per Triennium, ita annuente Illustrissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Protectore.

Denique ad Magisterium promoti fuere 12. Baccalaurei, inter quos duo juxta consuetudinem Majorum ab eodem P. Generali magistralia decora acceperunt, nempe Hippolytus Fortinius de Lucâ, & Joannes Agolantius de Ferrariâ publicus Ordinis Scriba.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

EX *Supplemento Annal. Gianij, & ex Reg. Generali.*

Fundantur nova Cœnobia Barchinone, & in Oppido Ullier. Enarrantur miracula de S. Habitu, qui confertur Viris clarissimis. Codicillum favorabile Oenipontanis Fratribus Annæ Julianæ Austriacæ. Indultum Tuderti pro Officio B. Philippi. Requiruntur opera Henrici, & aliorum Ordinis Scriptorum.

CAP. XXVII.

ORdinis nostri Patres ab anno usque 1576. à Senatu Barchinonensi, non tanquam proprij Domini, sed potiùs tanquam Officiales, & Capellani regendam .1. susceperunt Ecclesiam S. Matronæ extra Urbem Barchinonam. Hoc autem anno quorundam malignantium seditione subortâ, & falsò de Ordine nostro malè sentientium præfato domicilio relicto in quasdam ædiculas in medio Civitatis ejusdem positas, in quibus studiorum causâ degebant, se receperunt, & ex Collegio, quod antea B. Philippi dicebatur, Cœnobium construere cœperunt, Ecclesiam quoque ibi erigentes sub invocatione B. V. M. de Bono successu, quam piorum eleemosynis brevi perfecerunt, & licèt à Summo Pontifice Paulo V. decretum emanasset hoc eodem anno, ut iterum PP. in possessionem S. Matronæ postliminio restituerentur, Senatus etiam eos precibus urgeret præcedentis dimissionis pœnitentiâ ductus, ut pristinam sedem repeterent, nihilominus ob aeris insalubritatem, à Civitate distantiam, aliaque incommoda PP. illuc remeare noluerunt. Verùm aliò adhuc transmigrarunt Patres intra eandem Civitatem anno 1635., quod fusiùs ad dictum annum exponemus. Interim ad rem nostram placet hic recensere, quòd ibidem erectâ Societate Habitûs 7. Dolorum Beatæ Virginis non mediocriter conspicuâ, tum præ nobilitate primariâ Sodalium ex familijs præsertim de Magarolâ, de Spugni, de Almerâ, de Navarro, &c., tum præ singulari ejusdem B. Virginis erga illos, qui dolores ejus recolunt, beneficentiâ, maximum auspicata est incrementū hujuscemodi devotio, & plura in dies contulit beneficia Mater eadem Gratiarum, quemadmodum constat ex Tabellis votivis, necnon alijs hujusmodi, pretiosis etiam monumentis, quæ ibidem in ejusdem Virginis Sacello à Religiosis fidelibus oblata perpetuò appensa beneficentiæ illius præclara sunt argumenta. Hic modò maximè decet referre, quòd alibi quoque Societas Habitûs haud mediocriter excrescit, & pietati Fidelium B.V. dolores excolentium eadem Virgo beneficia conferendo respondet, quarum aliqua placet recensere. Vincentiæ primùm Fœmina quædam nomine Prudentia de Franciscis molestijs animi adeò conficiebatur, ut quàm sæpissimè fureret; quadam verò die in Ecclesiâ nostrâ ad Sacellum S. Habitûs B. Virginis confugiens, ipsique se maximè commendans, ut ab hujusmodi vesaniâ eximeretur voto se adstrinxit, se Habitum induturam, si prædictis animi molestijs exutis mentem integram recuperaret, quo deinde induto protinus ab occultâ illâ mentis infirmitate convaluit. Hinc Ordinis nostri PP. seriò animadvertentes cultum hujusmodi septem Dolorum Virginis non modò corporibus, verùm etiam animabus Fidelium adjumento maximo esse, summo studio, prout exigit eorum vocatio, ipsum propagare nitebantur. Præ cæteris hoc anno recolendus est P. M. Joachimus Gerardus de Cucurone, qui in Oppido Ullier per decem milliaria distante à Civitate S. Maximini, pro Ordine nostro amplificando, & S. Habitûs cultu dilatando recepit Ecclesiam, quæ dicitur S. Mariæ nemoris, & Cœnobium ibi ædificare suo labore, & prudentiâ studebat. Eadem pietate commotus Comes de Gherardescâ Cosmus primus Episcopus Collensis

Fundatur Barchinone novum Cœnobium.

Erigitur Societas Habitûs & ejus incrementum adnotatur.

Miraculum S. Habitûs

Episc. Colleusis unà cum suis Canonicis suscepit Habitũ.

lensis in Etruriâ, unà cum suis Canonicis hisce temporibus P.M. Elisæo Mazzoni de Florentiâ Ordinis nostri ibidem in suis sacris cōcionibus ad cultum hunc Christi Fideles excitante, per manus ejusdem P. Elisæi, quem deinde universus Populus turmatim imitari voluit, Habitum eundem suscepit die 24. Februarij S. Apostolo Matthiæ dicatâ publicè in Ecclesiâ Cathedrali consimili pompâ, quâ idem præstiterat, anno 1612. Rodulphus Paleottus Episcopus Imolensis. Hujus autem solemnitatis occasione, eâdemque die repertum divinitùs fuit corpus S. Alberti Colliensis, quadringentis jam annis in eâ Ecclesiâ tumulatum, et pluries, licèt incassum conquisitum. Quâ quidem de re universa Civitas præ gaudio exiliens, pretiosum se invenisse thesaurum ubique, et passim prædicabat, et plurimas Deo gratias referebat. Cum Serenissima Ordinis nostri per Germaniam reparatrix, de quâ, licet hactenus satis, nunquam tamen satis, anno Domini 1613. suum condiderit Testamentum, quo tribus omnibus Cœnobijs Oenipone à se insigni munificentiâ extructis, summâ prudentiâ consuluit, hoc anno Codicillum confecit, quo non modò confirmat, quæ in Testamento decreverat, verùm etiam redditus annuos pro PP. nostris S. Josephi liberaliter adauxit. Ut autem rem ipsam Posteri clariùs edoceantur, apponere præstat Extractum quoddam fidele ex ijsdem Testamento, et Codicillo. .2.

EXTRACTUS

Serenissimæ Annæ Catharinæ Archiducissæ Austriæ, et Fundatricis nostræ felicissimæ memoriæ ex Testamento, et Codicillo Domûs Regularis, & Claustralis apud Præsentationem B.M.V., ac Conventûs Servorum apud S. Josephum, quantum attinet ad supradictum Conventum S. Josephi.

Nos Anna Catharina Dei gratiâ Archiducissa Austriæ, & Ducissa Mantuæ, & Monferrati, &c. Vidua testamur, &c.

Sexto. Ordinamus, & volumus, ut Sorores Domûs Regularis, pro communi vitæ sustentatione, Fratribus Servitis Conventûs S. Josephi, omnibus, & singulis annis, numeratâ pecuniâ, non minus, quàm mille quingentos Florenos in quatuor partes divisos, singulis anni Quartarijs, partem ex illis quatuor impertiantur.

E' contra supradictos Fratres obligamus, & adstringimus ad sequentia.

Primò, ut neminem, nisi Germanum, aut saltem ex Comitatu Tyrolensi oriundum in hoc Conventu recipiant.

Secundò, ut semper in eodem Conventu duodecimus numerus Patrum, & Fratrum impleatur: nimirum, ut sint septem Sacerdotes, & quinque Fratres. Si verò accideret numerum pauciorem haberi, tunc ex redditibus, pro qualibet Personâ absente, nimirum pro quovis Sacerdote centum et quadraginta, pro Fratre centum, & quatuor Florenos, Sorores Domus Regularis detrahant, eosque sibi in usum proprium vendicent.

Tertiò, Si P. Josephus Maria, nunc temporis Confessarius noster, non in Conventu prædicto, sed alibi mansurus, moraretur: illi viventi annuatim ex detractis redditibus Conventûs Servorum centum, & quadraginta Floreni attribuantur: Sorores verò Regulares hos Florenos illi subministrare, & prædictis pecunijs alios sexaginta Florenos ex proprijs redditibus addere teneantur.

Quartò, Ut ex Patribus illius Conventûs omnibus & singulis diebus, omnibus & singulis annis, duo Sacerdotes in hac nostrâ Ecclesiâ Præsentationis B.M. Sacra legant, & celebrent. Præterea duo Sacerdotes ex illis exemplari vitâ, bonis, & honestis moribus, sufficientique Doctrinâ præditi, ac omnibus Sororibus accepti, constituantur, quorum unus Sororum Regularium, & Claustralium excipiat Confessiones; alter verò in præfatâ Ecclesiâ consueto, & statuto tempore concionetur. Factum Oeniponti die 18. Novembris anno 1613. .2.

Alius Extractus ex præfato Serenissimæ Archiducissæ Testamento, & Codicillo quantum ad Patres supradicti Conventûs S. Josephi spectat.

Domus Regularis RR. Patribus Servitanis S. Josephi hujus Loci, supradestinatum numerum pecuniarum in Testamento, nimirùm, mille, & quingentorum Florenorum (hac conditione tamen, ut præfati PP. non solùm duo Sacra in nostrâ Ecclesiâ legere, constitutis temporibus concionari, Regularium, & Claustraliũ confessiones excipere, verùm etiam semper octodecim Patres, cum Fratribus sustentare teneantur, inter quos, ut dictum est, nullus suscipiatur, qui non sit ex Comitatu Tyrolensi oriundus, aut Germanus: nec etiam alios, exceptis illis, qui tempore obitûs mei præsentes aderunt, mansuros excipiant; denique secundùm Professionis illorum, & perfectæ observantiæ Constitutionum tenorem vivant) pro commodiori vitæ sustentatione adhuc quingentos; deinde pro meliori conservatione Sacrorum ornatuum, aliarumque necessitatum Ecclesiæ, tum etiam Ecclesiæ, aut Conventûs ædificijs, aut complementis, alios quingentos Florenos addere, sicque singulis annis duo millia, & quingenta Florenorum reddere teneatur.

Posito tamen, si Reverendi prædicti Patres obligationi, tum in Sacris legendis, Concionibus habendis, tum etiam Confessionibus excipiendis non satisfacerent, Sorores Domûs Regularis de annuato Deputatu, & redditibus supradictorum Patrum, tantum, quantum ad sustentationem aliorum Presbyterorum, per quos ritus Divini celebrentur, necessarium fuerit, detrahatur.

Tan-

Tandem etiam præfata Domus Regularis, si supradictorum Patrum aliqui, aut propter defectum, & inopiam Fratrum suorum ex alijs Conventibus (si interim alij Conventus ejusdem Ordinis, & Provinciæ extruerentur) in majoribus studijs Germaniæ degerent, pro sustentatione eorum de novo quingentos Florenos expendere annuatim sit perpetuò adstricta, & obligata. Factum Oeniponti die 20. Decembris anno 1618.

Florentiæ quoque Serenissimus ab Etruria Princeps Laurentius D. Annunciatæ æquè ac ejus Majores addictus, sacræ ejusdem Aræ gradus undequaque argenteos, & ornamentum consimile pretiosissimis gemmis distinctos Sanctissimi Salvatoris Imagini superponenda curavit, ex quo, sicut & ex alijs argenteis donarijs, lampadibus nimirùm, Altari, & candelabris, quæ Serenissimi Magni Duces Cosmus I. Ferdinandus I., & Christina Lotharingia, Maria Magdalena Archiducissa Austriæ, cæterique Etruriæ Principes eidem B. V. obtulere, compensatæ videntur jacturæ, quas anno 1527. die 30. Aprilis ob communes Urbis calamitates subire coacti fuimus*, cum argentea quæcunque ex publico Senatûs consulto amota inde fuere. Ibidem Festum B. Philippi longè honorificentiùs celebrari cœpit, quod & per alias Ordinis nostri Ecclesias fieri paulatim innotuit. .4.

Indulgetur celebratio Festi, & Officij B. Philip. Civitati Tudert.

Postquam Civitati Florentinæ Apostolica Sedes anno 1615. benignè indulsit celebrationem Festi, & Officij de B. Philippo Benitio, uti dictum est ad eundem annum, Tudertini Cives de hac re certiores facti, quippe qui singulari B. Patrem religione prosequuntur, summo studio apud eandem S. Sedem instituerunt, ut eorum quoque Civitati Indultum hujusmodi concederetur. Neque verò eorum pietas suo fraudata est voto, nam hoc anno Civitati illi indulgetur celebratio Festi, & Officij prædicti, prout constat ex Decreto S. R. Congregationis, & ex Bullâ Pauli Papæ V. tenoris sequentis. .3.

Tudertinen. die Veneris 7. Septembris 1618.

Congregatio Sacrorum Rituum Civitatis Tudertinæ, necnon Fratris Aurelij Raffaellij totius Ordinis Servorum B.M.V. Procuratoris Generalis, piæ annuens petitioni, censuit posse concedi, si Sanctissimo D. N. placuerit, ut de B. Philippo Benitio ejusdem Ordinis Servorum B.M.V. officium, alias à SS. D. N. sub die 12. Octobris 1606. approbatum, in Civitate prædictâ tantùm, ubi Venerabile ejus corpus asservatur, ab omnibus tam secularibus, quàm Regularibus publicè, privatimque in die ejus obdormitionis in Domino liberè, & licitè recitari valeat. Et facto per me verbo cum SS.D.N. in Consistorio secreto sub die 1. Octobris 1618. Sanctitas sua Sacræ Congregationis sententiam
A *approbavit.*

A. Mar. Episc. Ost. Card. Gallus.

Locus ✠ Sigilli

Petrus Ciamariconus Secret. Cong.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini Nostri Jesu Christi, qui Servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cælis, vices, quanquam immeriti, gerentes in terris, ex injuncto nobis Pastoralis officij debito, libenter procuramus, ut eorundem Servorum Christi honor, & veneratio in terris promoveatur, ideò-
B *que Fidelium votis, quæ peculiarem erga illos cultum respiciunt, favorabiliter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè nomine Dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum Civitatis nostræ Tudertinæ, ac Aurelij Raffaellij Ordinis Fratrum Servorum B.M.V. Procuratoris Generalis nobis nuper expositum fuit, quòd ipsi ex singulari, quem erga B. Philip. Benit. ejusdem Ordinis Professorem gerunt, devotionis affectu, & alias ad augendam Fidelium erga illum devotionem, Officium de eodem B. Philippo alias à nobis per nostras in simili formâ Brevis sub die 12. Octobris 1606. expeditas literas approbatum in prædictâ Civitate, ut supra, recitari posse summoperè desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut de opportunâ sibi in præmissis licentiâ providere de Benignitate Apostolicâ digna-*
C *remur. Nos igitur pijs Communitatis, & hominum, necnon Aurelij Raffaellij præfatorum votis hujusmodi annuere, illosque specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio, ut in Civitate præfatâ tantùm, ubi ejusdem B. Philippi Corpus, ut asseritur, asserva-*
D *tur, Officium de d. B. Philippo per Nos, ut præfertur, approbatum, ab omnibus, tam secularibus, quàm Regularibus Personis publicè, privatimque in die ejus obdormitionis in Domino recitari liberè, & licitè valeat, Apostolicâ Authoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem perpetuò concedimus, & impartimur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Octobris 1618. Pontificatûs nostri anno XIV.

Pro

Doctrinæ Henrici à Gadavo insigne argumentum.

Pro complemento hujus Capitis, & anni non injucundum erit Posteros edocere, quænam fuerit hisce temporibus etiam apud Viros primarios, eosque clarissimos, opinio de Henrici Doctoris nostri solemnis Doctrinâ, cujus rei argumentum insigne sit, quod proximè sequitur. Nactâ singulari opportunitate Illustrissimus, & Reverendissimus Cardinalis S.Susannæ ad instantiam Aurelij Raffaelij Ordinis nostri Procuratoris Generalis quàm amantissimi, quique summam jugiter pro Ordinis nostri incremento, amplitudine, decore, operam navavit, non mediocri curâ mandavit, quòd per omnes Bibliothecas, quæ per Galliam, Germaniam, Flandriam, Poloniam, & Alexandriæ in Ægypto floreant, singula Henrici nostri Gandavensis opera, quàmdiligentissimè requirantur; quamobrem idem Procurator Generalis per Literas Romę datas die 20. Octobris 1618. Archangelum Gianium nostrum etiam atque etiam rogat, ut pro eximiâ, quam ipse sibi comparaverat, rerum nostrarum experientiâ, certiorem illum faciat de vetustioribus alijs Ordinis nostri Scriptoribus, eoquidem consilio, ut eorundem etiam opera eâdem opportunitate requirantur. Hisce quoque temporibus Ecclesiam S.M. Servorum in .4. Regiâ Urbe Mediolani singulari animi voluptate conspicimus in elegantiorem formam redactam, cujus exordia descripsimus ad annum 1290. Incrementum autem hoc, & ornamentum illius Cœnobij Fratrum solertiæ, & in excolendâ eadem Ecclesiâ vigilantiæ acceptum referre debemus; cujusmodi reverâ debetur, tum ob maximam viciniæ, & ejus amplissimæ Urbis Procerum confluentiam, ex quo præsertim haud mediocriter ab eâ distant reliquæ Ecclesiæ, tum ob frequentissimam Societatem Habitûs, necnon Societatem SS. Corporis Christi Domini anno 1515. die 6. Martij ibidem erectam, cujus Confratres fœdere cum Patribus mutuò inito eximiâ pompâ Venerabile Eucharistiæ Sacramentum in Festo ejusdem Corporis, & per singulos ejus Octavæ dies associare tenentur, ipsumque Feriâ 5. Majoris Hebdomadæ in sepulcro, ut moris est, in proprio Sacello publicæ venerationi exponere; tùm, & quidem maximè, ob Sacrum B. Angeli Corpus, de quo, sicut & de quibusdam alijs Societatibus procedente tempore ibidem erectis, aliquid dicendum nobis erit ad annum 1700.

Quædam spectantia ad Eccl. S. M. Servor. de Mediolano.

E F G H

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

1 EX *supplem. Annal. Gianij.*
2 *August. Romer. Servitus Mariana lib. 5. cap. 4.*
3 *Ex alijs m. s. ejusdem Gianij in Archivo D. Annunc. de Flor.*
4 *Ex monum. eorundem Conventuum.*

FINIS.



CEN-

CENTURIÆ QUARTÆ SACRORUM ANNALIUM ORDINIS SERVORUM B. MARIÆ VIRGINIS,


AUCTORE

FRATRE ALOYSIO MARIA GARBIO

Ejusdem Instituti M. Theologo.

Liber Octavus,

CONTINENS AB ANNO MDCXIX. USQUE AD MDCXXI.



B. Bartholomaea de Bertinis obitus, & Gesta referuntur. CAPUT I.



Ucundum profectò hic annus auspicatur initium, quippe qui Sororem Tertij Ordinis nostri primò nobis proponit, è cujus gestis sanctissimis, & Beatissimo obitu eidē Ordini singulare decus accedit; ut autem longè majori perfundantur voluptate Lectores, congruum arbitror hæc omnia, quæ ad prædictam Sororem pertinent, ea adamussim referre, prout eadem conscripsit lingua vernaculâ Sacerdos quidam venerabilis Senensis, & Juris utriusque Doctor nomine Paulus Teruccius, qui eam probè cognovit, cujus proinde verbis longe major habenda erit fides. Soror hæc Bartholomæa est de Bertinis, de quâ ita scribit præfatus Teruccius. Devotissima hæc, sanctissimaque Mulier ex Dominico de Bertinis, & Mariâ Joannis de Scarlactis, honestis Parentibus, Empotiensis quidem Genere, Senensis tamen Privilegiorum participatione reverà existimatur. Ipsa igitur optimis imbuta moribus, necnon sanctissimis educata virtutibus ab incunabulis propemodum suæ sanctimoniæ clarum, & singulare præbuit testimonium, etenim neque lectulum pauperrimum adibat, nisi priùs per longam orationem, Cœlesti Sponso, Deiparæque Virgini suam animam humillimè commendasset. His A autem præmissis statim suis requiem sensibus minimè per somnum præstabat, sed junctis ante pectus manibus semetipsam, veluti mortuam, cogitabat; hinc ante Judicis irati Tribunal astare se fingens suspirijs, & lachrymis, ne contra ipsam Damnatorum ferret sententiam, Deum ardentissimè precabatur, illud Davidis dictum usurpans: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit?* B Vix decimum septimum agebat annum, quando Angelo Francisci de Cardavellis Florentino in Vico quodam propè Florentiam, qui dicitur *Ponte à Rifredi*, sacramentali fuit coniuncta Matrimonio, cui tamen assensum præstare penitùs renuebat, eo quòd virginitatem, quam maximè excolebat, servare mallet. C Verùm per quandam Monialem In Monasterio Magno Duci subjecto Florentiæ Sororem suam, nomine *Speranza*, hanc esse Dei voluntatem monita, cujus sanè dicti veritatem rei probavit eventus, cogitur mutare sententiam; in nocte enim matrimonium præcedente, videre sibi videbatur per quietem Dominum nostrum Jesum Christum Crucifixum, D qui extenso brachio manum ipsius apprehendens Angeli sui Sponsi manui dulcissimè coniungebat. Orationibus adeò erat intenta, ut noctes insomnes duceret orandi studio; si quando autem membrorum lassitudine somnus eam capere contigisset, sæpissimè

Ejus humilis Ortus.

Ab infantiâ clarum suæ sanctitatis specimē præbet.

Servæ Dei cōsilio Matrimonio assensū præstat.

Angeli Custodis beneficiũ.

fimè Angelus Custos Mulieris percusso latere eam à somno excitabat, quæ expergefacta negligentiam propriam accusans, magis ac magis orationibus, meditationibusque vacabat. Tempore autem ineunte, anno videlicet 1606. unà cum marito suo Senas se contulit, ubi Venerabilis Petri Romanorum de Bertis Ordinis Servorum B.M.V. optimi Magistri, ac Familiaris sui auxilio, arctiorem vitam ducere decrevit; quare corpus suum vigilijs, & abstinentijs macerans tanti Patris veram imitatricem brevi tempore se ostendit.

Vitæ austeritas.

Quotidie multis cum lachrymis sua confitebatur peccata, sanctissimę verò Eucharistię Sacramentum humilitate maximâ, ac devotione ter in hebdomadâ sumebat; die videlicet Dominico, Feriâ 4., & 6. ad honorem Deiparę Virginis Marię, quam sibi peculiarem elegerat Patronam; unde perfectè ei inservire desiderans Ecclesiam Servorum sub titulo B. Virginis Conceptionis erectam frequentissimè invisebat; ibique summo pietatis affectu eam, ut sibi viam diceret, qua Cœlum adire posset, assiduè precabatur; accidit autem aliquando, ut ipsâ orante in Capellâ Chlamydatarum B.M. Virginis, quę vulgò dicuntur, *le Mantellate*, ab eadem Virgine, quę ibi depicta cernitur, hujusmodi audiret verba: *scias, ò Bartholomæa, Te erga Filium meum esse aliquantisper ingratam*. Quibus verbis commota Mulier domum reversa inconsolabiliter lugens, Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, deprecata est, ut à corde suo tenebras omnes peccatorum expelleret, & ipsum sui amoris radio suaviter illustraret. Orationi nondum finem imposuerat, quando è Cœlo descendens Spiritus Sanctus in Columbæ specie ingenti Beatorum Spirituum numero assistente, super caput Mulieris sedens, eamque radijs, & splendoribus perfundens, quinquies super eam alas excutiens ipsam, quę à facie Domini prę lachrymis erat tanquam cera liquescens, dulcissimè consolatus est. Sequenti die, antequam Sol occidisset, oranti Bartholomeæ Virgo comitantibus Angelis in hæc verba prorupit: *Dilectissima Filia habeas pro comperto quòd rubescente Polo Satan in eadem formâ, quâ Spiritum Sanctum vidisti, veniet ad te, ut animam tuam superbiæ laqueo obstringat; sed ne timeas à facie ejus, ego enim, qui caput illius confregi, tecum ero; ut autem faciliùs illius calliditatem agnoscas, cuncta, quæ ipse faciet, diligenter observa; siquidem in specie columbæ comitatu magno veniet ad Te radijs micantibus per totum, nanque ut mundum fallat, se aliquando Satan in Angelum lucis transmutat, attamen in alarum commotione, facilè insidias deprehendere poteris; quater enim super te alas excutiet, in quintâ verò commotione deficiet*. His ita dictis ab oculis Mulieris evanuit Virgo Beata, & ecce statim in eâ oratione perseverans aspicit venire ad se mendacis hostis fucatam Imaginem, nec tamen turbabatur Bartholomæa; Crucis namque Sanctissimæ clypeo munita, necnon summæ Reginæ tutelâ protecta dicere valebat cum Psalmistâ: *Si exurgant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, in Matris Dei nimirum patrocinio. Interim Columbam intuetur, quam tamen in quintâ alarum commotione deficientem agnoscens: *Putas ne Satan Superbe*, inquit Bartholomæa, *quod ego non cognoscam, sub istius Imagine columbæ corvinam calliditatem, deformitatemque latere? longè falleris. Optimè tuas fallaces artes novi, B. enim Virgo, quæ Creatorem genuit, tui tyrannici regni destructorem, in cujus nomine hoc loco discedas impero, id totum mihi manifestatum est*. Fremit tunc inimicus, stridet, mugit, ac in instanti pœnale barathrum petens, à Sanctissimæ Mulieris aspectu, non sine pudore maximo aufugit. Volens intereà Summi Patris Filia, summique Filij Mater Famulam hanc devotissimam suarum Servarum numero conscribere, vestibusque Induere, oranti Bartholomææ (ut moris erat) ante ejus Altare in Ecclesiâ Servorum de Senis, ut Habitum suæ Servitanæ Religionis reciperet, Deipara mandavit.

Spiritus S. eam miro modo consolatur.

B.Virgo ipsi futuram Dæmonis tentationem prædicit, & quomodo eam dignosceret facilè ostendit.

A B.Virgine corripitur.

In Mariã Virginem devotionis fervor.

Induit Habitũ Tertij Ordinis nostri.

Hæc igitur sanctissima Mulier Beatæ Virginis cupiens obedire imperatis, præsertim verò, quia dum loqueretur ei pijssima Mater, spiritualiter cor suum talibus videbatur ornamentis fulciri. Finitâ oratione P.Petro Berti ejusdem Ordinis Confessario, ac Familiari suo, omnibus, quæ à Virgine audierat, per ordinem narratis, optimum hunc Patrem, ut ipsam, licèt indignam, inter Servas tantæ Matris reciperet, deprecata est, ac reipsâ recepit. Sacerdoti Sacrum facienti quotidie assistebat, unde factum est aliquando, quòd cùm celebranti Petro prædicto assisteret, & Sanctissimam, asperrimamque Incarnati Verbi Bartholomæa meditaretur Passionem, Deum Cruci affixum, mœstissimam Matrem ad ejus pedes dolentem in Hostiæ Sacratissimæ elevatione videre non solùm meruit, sed quod diù concupierat, Christi Passionum in corpore suo particeps fuit, atque in extremâ infirmitate eosdem passam ipsam fuisse dolores referunt. Interim mundana relinquens, cœlestia conscenderat P. Petrus, cùm ad ejus corpus invisendum, ac venerandum tota Civitas concurreret, intecfuit & ipsa ibi ad tanti Patris laudes publicè canendas: accidit autem, ut à terrenis suspensa hujusmodi habere mereretur visionem. Januas Cœli apertas sibi videre videbatur, in quarum medio Deum, cui millia millium Angelorum assistunt, super Majestatis solium sedentem, taliaque Petro verba facientem inspiciens audivit: *Veni, Petre mi, Veni Matris Unigeniti mei serve Fidelis, veni, inquã, ad me, præmium siquidem tui laboris, æterna est Beatitudo; sum ipse ego, qui laborantes in vineâ meâ intra talia gaudia recipio*. Hinc præ dulcedine lugens humilitate incomparabili•

Aliqua visiones recensentur.

bili, quæ per extasim viderat, narravit. Ecclesiam Servorum, tanquam propriam domum, humilitate, ac reverentiâ inhabitare consueverat, nec mirum, B. enim Virgo Maria, ut hujusmodi Ecclesiam præcipuè inviseret, ipsi præceperat; Sacra Dei eloquia ut audiret, omnia postponebat; noverat enim Bartholomæa, quòd qui ex Deo est, verba Dei audit, & audita custodit. Quare quotiescunque in Ecclesiâ contigisset concionem haberi, Bartholomæa ad audiendum Divinum Verbum accurrebat sollicitè, quod genibus flexis ab ore dicentis pendens, oculis ad terram versis, intenta recipiebat. Per Quadragesimam explicante concionibus eruditissimis Divinas laudes, apud Senensem Populum in Ecclesiâ Fratrum Servorum P.M. Feliciano è Pennâ Perusino ejusdem Ordinis, maximum ex ejus Sermonibus, in Dei servitio, augmentum cœpisse confessa est, quod certè non videtur à veritate alienum; quandoquidem, ut Deum Deorum videret in Sion, de virtute in virtutem in dies procedebat; nec caret admiratione, quòd supradicto R.P. Divina Verba explicante, non semper in ejus vultu idem color videbatur, sed modò rubicunda, modò pallida aliorum oculis apparens maximâ lachrymarum copiâ, & vultum, & vestes, & terram quoque irrigabat, quod testata est inter alias, quæ præsens aderat, Domina Baptista, Domini Sallustij de Teruccijs uxor, mulier fide dignissima, insuper addens, quòd Pauperibus, & Infirmis omne, quod poterat, præbebat auxilium; quando verò ob rei familiaris inopiam (erat enim pauperrima sex habens filios egenos) necessitatibus subvenire non potuisset, devotis Personis eleemosynas pro semetipsâ petens, illas deinde Pauperibus erogabat, quinetiam à paupere mensâ nunquam recessisset, nisi partem aliquam cibi à se de industriâ reservatam iisdemmet pauperibus erogasset. Quotidie post prandium ad remotiorem partem Domûs, usque ad imum Cellæ Vinariæ se recipiebat, ibique per duas horas continuas meditationibus, ac disciplinis vacans sola morabatur. Inter orãdum verò contigit, ut Imago Pueri Jesu illam hortaretur, ut Coniugem suum curaret meliorem fieri, & ad vitam tendere perfectiorem, ait illi: *Et quæ sum ego, quæ Virum meum quavis suasione meliorem facere possim?* Cui Puet Jesus continuò respondit: *Ego dabo tibi os, & sapientiam, cui facile acquiescere possit Maritus tuus, & in Dei obsequium frequentiùs converti possit.* Hinc inimicus Satan invidiâ motus, ut eam ab incœpto retraheret itinere, pluries cum ipsâ suâ usus fuit calliditate, nunc eam flagellis cædendo, nunc Maritum contra ipsam ad iracundiam provocando, nunc austeritatem ipsius quasi infructuosam reprehendendo, nunc tandem ut sibi ipsi nimiam severitatem inferret. Verùm non prævaluit hostis, neque permisit Deus eam tentari supra id, quod poterat. Hic verò non

Quâ humilitate Verbum Dei audiebat, ac devotione.

Charitas in Pauperes.

A Puero Jesu admonita Maritũ suum ad meliora cõvertit

Dæmonis artes, ac crudelitas in ipsam.

prætermittendum, quòd hæc sanctissima A Mulier semper aut orationibus, aut meditationibus, aut pauperum, infirmorumque servituti vacaret, non tamen ob id aliquid impedimenti suæ Domûs, aut rei familiaris servitio declinasse videbatur. Optimè noverat Bartholomæa, quòd qui ad cœlestem Patriam anhelant, quæ bonorum operum pretio sollummodò comparatur, ut in dies proficiant necesse est, siquidem, qui semper in eodem gradu persistunt, non solùm non lucrari, sed etiam, quòd pejus est, non sine animæ detrimento, multum amittere videntur. Quare spirituale lucrum desiderans, qualibet aut Sanctorum, aut B. Virginis Vigiliâ orationibus orationes, macerationibus macerationes addebat. Pluries B. Virginem inter orandum B meruit videre, præsertim verò in die Assumptionis ejusdem, ac in Vigiliâ Sanctorum omnium, quando non solum Deiparam, sed ipsam quoque individuam Trinitatem videns, Angelum Raphaelem, sibi hæc verba dicentem audivit: *Tunc, ò Bartholomæa, gaudia possidebis æterna, quando maculæ, quas in hoc panno vides* (habebat tunc Angelus linteolum maculis respersum in manibus) *totaliter fuerint lachrymarum lymphis ad nihilum redactæ.* Jamque ad extremum laborum suorum vehementer fessa pervenerat Bartholomæa, cùm statuisset linteaminum sordes suæ domûs abluere, sed cùm deficientibus viribus ad finem id perducere non posset, ante Jesu Christi Crucifixi pedes confugiens, ab ipso tan-C dem amplectitur, & recreatur. Hinc Angelo comitante, & ad pondus ferendum auxilium præbente, fontem adit, lavat, ac sine ullo corporis labore, maximâ animi lætitiâ, domum suam revertitur; cumque ardentiùs, quàm dici possit, Deo gratias agens, ante Deiparæ Imaginem oraret, sic sibi eam læto vultu dicentem audivit: *Non est, quod dicam tibi, Dilectissima Filia, te Mundum istum fallacem relicturam; quandoquidem à teneris annis & mihi, & meo inserviens Filio, deservisti, hoc tamen Tibi notum volo, jam in cœlesti Patriâ sedem animæ tuæ paratam esse. Quia verò Mortalium nullus, nisi per magnos labores ad magna præmia pervenire valeat, neque est coronandus, nisi qui legitimè certaverit, proinde* D *sciat, infirmitatem, dolores, tentationes, ac tormenta, quę nunquam amplius passa es, hæc tibi nunc restare ferenda. Tu igitur eâ, quâ solita fuisti, accipiens fortitudine, expelle timorem, depelle mæstitiam, in Christo Filio meo, & in me ipsâ confide. Breve erit certamen, supra modum auxilium potens, victoria certa, præmium immarcescibile.* His auditis corde magis, quàm voce, auxilium tantummodò postulans, statim Bartholomæa præbet assensum, corpusque suum non multos post dies ad mortem infirmatur. Jacebat ergo in lectulo Mulier ista fortissima, cùm de ejus ægritudine per totam ferè Civitatem diffusâ famâ omnes gementes accurrunt (prodigium quidem maxi-

Aliæ Cœlestes visiones

Nnn mum)

Ejus mortalis Infirmitas, & virtutū exercitium.

mum) nam cùm hæc Mulier toti Civitati ignota esset, domum tamen intrant suam panes, vinum, carnes, medicamenta, nummos quoque portantes, non tam infirmantis, quàm familiæ suæ necessitati singuli cupiunt consulere. Adfuit inter alios Venerabilis Vir recolendæ memoriæ P. F. Joannes Baptista Turchius Servita Senensis, Confessarius ipsius, qui pietate motus, ut se B. Francisco de Patritijs Senensi ejusdem Ordinis pro sanitate recuperandâ commendaret, illam hortatus est. *Verùm Dei fiat voluntas*, respondit Mulier, *ut debitum naturæ solvam, tempus advènit; & quamvis indigna, eâ, quâ possum, reverentiâ Ecclesiæ Sacramentis ante muneri cupio. De cæteris autem nemo mihi molestus sit, quandoquidem in meorum remedium peccatorum libenter infirmitatem patior, & Deo gratias ago, nam digna factis recipio. Hoc tantùm te scire volo, quòd B. Franciscus apparens mihi verò, et singulari pace familiam meam perpetuò munire pollicitus est, qui in hac Civitate vivens Pacificatoris nomen adeptus fuerat*. Passionem Domini, & infirma semper contemplabatur, oculos à Christi, Deiparæque Imagine nunquam removebat, quorum intuitu aliquando accidit, ut Jesu Christi Domini nostri Imaginem Passionum doloribus afflictam, & mœroribus plenam intueretur, cujus commiseratione mota, quòd sitientem in Cruce videret, astantibus sæpe repetebat: *Eja date illi bibere*: Astantes verò arbitrantes Bartholomæam potum sibi petere, quantò diligentiùs porrigebant illi vasa varia, tantò ferventiùs illa repetebat: *Eja, non mihi, sed patienti, & morienti porrigite*. Interrogata verò à devotis quibusdam Mulieribus, ut ipsas peculiares doceret devotiones, & documenta: *Ingredimini*, ipsa respondit, *ingredimini charissimæ Sorores Domini nostri Jesu Christi plagas, ibi nanque, quæ sit voluntas Dei bona, videbitis, videbitis omne bonum*. Cognoscens interim humani generis hostis, quòd modicum haberet tempus, ut animæ ipsius dominaretur, omnem adhibuit solicitudinem, & primò eam aggrediens, ut cibum ad mortem citiùs ferendam, nequaquam sumeret, hortatus est, quòd si cibos sumpsisset ei damna quamplurima minabatur instare. Id quidem experientiâ compertum fuit, quotiescunque enim cibum, vel & guttam aquæ tantùm sumpsisset, extremos experiebatur dolores, necnon ferè mortua apparebat, unde astantes sæpè rogabat, ut quando cibus esset sumendus, suis orationibus eam juvarent, & lustrali aquâ aspergerent. Quoniam autem Tentator, non victor, sed victus evasit, alteram continuò adhibens calliditatem Bartholomææ suadere conabatur, ut se ad magis merendum mortuam fingeret, & ita se vivam tumulari fineret; at Famula Dei voce tacens, corde tantùm in manu dexterâ Crucifixum gerens, dulcissimi sui Sponsi crudelissima meditabatur tormenta, quando repentè irato

Variæ Dæmonis tentationes.

vultu se ad parietem vertens dicere audita E fuit: *Scelestissimus es superbe Satan nihilè tamen te facio, in Christo enim Sponso meo confido, qui animam meam de manibus tuis solus ipse potens est eruere*: unde Crucifixum amplexata lachrymis, ac suspirijs unà cum Rege Davide ajebat: *Domine, non secundùm peccata nostra facias nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. Erue à frameâ Deus animam meam, & de manu canis unicam meam; & quia in te speravi fac, ut non confundar in æternum*. Cupiebat Bartholomæa, quòd solent graviter languentes, apud se habere flores, & fructus varios, cujus desiderio accurrens Joannes Baptista Falerius ejus Familiaris fasciculum rosarum, cum tribus pomis, & aureum malum, à quo pendebat folium unum, detulit, quibus pia Mulier acceptis cum qua- F dam mentis elevatione cœpit Sanctissimæ Trinitatis mysteria in illis meditari, nam per unum aureum malum simplicem Dei essentiam, per tria poma tres distinctas Personas contemplabatur; sed in folio ab aureo malo pendente, lanceam, quâ Christus in Cruce vulneratus fuerat, venerabatur; viso denique rosarum fasciculo ita aptari sibi rogabat, ut tres Rosæ cæteris eminentiores pari modo Sanctissimam Trinitatem sibi repræsentarent, altera B. Virginem præseferret, altera verò Raphaelem Archangelum Advocatum suum, & ita in modum crucis fasciculum dispositum cum pomis inter manus acceptum, & aquâ benedictâ conspersum ipsi Deo veluti G sacrificium gratanter obtulit, dicens se tanto munere indignam esse, quin & Patrem Joannem Baptistam Turchium Confessarium suum obnixè rogavit, ut poma, & flores coram Altari B. Virginis Mariæ in Ecclesiâ Fratrum Servorum offerret, & pro eâ cum Antiphonâ *Salve Regina* Beatam Dei Matrem salutare dignaretur. Filijs præterea suis ad se vocatis, quòd in sequenti die ex hac vitâ migraret, prædixit, hoc tantum relinquens illis, ut Deum toto corde amantes timerent, & Patrem honorando diligerent, Habitum Dolorum B. Virginis gestarent, vana colloquia fugerent, assiduè orarent, ac tandem novissima recordarentur, ne in æternum peccarent; taliter enim viventibus Deus, Beataque Vir- H go, in quorum nomine benedixit illos, prospera cuncta donant. Dum verò præfatus Cōfessarius ei astaret, & Sacra administraret, ne tam clara gesta oblivioni traderentur, sed posteritati exemplo essent, piam Fœminam obedientiæ præcepto obstrinxit, ut singula hæc, quæ relata sunt, proprio ore ad Dei laudem confiteretur, & singula conscriberentur; cujus mandatis obediens humiliter hæc omnia enarravit, quæ calamo ejusdem Patris exarata fuerunt linguâ sanè vernaculâ, & nullâ factâ in dictis mutatione huc asportata. Die igitur sequente, quæ fuit 28. Maij anni 1619., ætatis suę 36. Sacris de more munita, cum quasi Spiritu Prophetiæ repleta

Sanctissimæ Trinit. mysteria meditatur.

Sui obitûs diē Filiis prædicit, & cœlestia monita impertitur.

Con-

. Confessarium suum brevi fore moriturum nuntiasset (quod utique factum est ipse enim diem suum clausit 17. die Junij ejusdem anni 1619.) concomitantibus Angelis ad cœlestia Regna transivit. Famâ itaque defunctæ Bartholomææ per Urbem diffusâ, Populus certatim ad ejus funus cohonestandum occurrit, & ne ipsius imago penitus amitteretur, jussu quarundam nobilium Fœminarum species vultus ejus gypso formata fuit, & ipsa post consueta suffragia in speciali arcula lignea cum quodam Chirographo gestorum ipsius clausa in tumulo fuit.

Ejus obitus, & Fama sanctitatis.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

Ex *Supplem. Annal. Gianij.*

Paulo V. Summo Pontifice annuente per Judices Romanæ Rotæ cura de Processu conflando pro Canonizatione B. Philippi varijs Prælatis demandatur.

CAP. II.

Quonlam experimento compertum est, quàm avidè tempus rerum memorias conterat, atque dilaniet, non abs re judicabitur, si inter hos Annales, ne Posteritati in ijs, quæ ad B. P. N. Philippi Canonizationem pertinent, ambigendi locus relinquatur, quæ nostris temporibus circa hujusmodi Canonizationis apparatum disposita fuerint, per ordinem referantur. Ex quo igitur tempore Beatus ille Pater in Cœlestem vitam .1. fuit translatus, non destitit Lotharingus ejus successor pro eo Sancto laborare, & ut Sanctus haberetur omnibus suis subditis hujus Ordinis ob quotidianam miraculorum, & gratiarum coruscationem edicere; anno verò 1317. in Comitijs Senarum actum est de primâ ejus translatione solemni ritu celebrâdâ Tuderti Nicolao Armato Episcopo annuente. Anno deinde 1395. in Comitijs Generalibus Bononiæ Andreas de Faventiâ Generalis de Canonizatione B. Philippi procurandâ à Bonifacio IX. cum ipsis Patribus egit, sed re infectâ decessit è vitâ. Tempore verò Callisti III. rursus de eadem re apud Pontificem Senatu Florentino, & Tudertinâ Civitate procurantibus, quæsitum, agitatumque fuit, donec succedente Christophoro Justinopolitano anno 1470. in Comitijs Generalibus Florentiæ perspicuum est decretum fuisse, & mandatum, ut in omni Capitulo Generali sermo fieret de canonizatione B. Philippi procurandâ, omnesque Patres totis viribus contenderent, ut hoc exequutioni mandaretur. Quamobrem ex eo tempore usque ad Leonem X. per successores Generales eadem res, licet parum prosperè ob varia discrimina, agitata fuit. Anno verò 1516. procurantibus Angelo Aretino Generali, Augustino de Florentiâ Oratore in Curiâ, & Philippo Al-

Superiorū cura, & vigilantia pro Beatificatione, & Canonizatione B. P. Philippi qualis, & quanta sæper fuerit.

A brisio Mantuano Vicario Generali Congregationis, unà cum D. Antonio de Monte Cardinali Protectore intercedente, Leo X. primus omnium per Apostolicas Literas eundem Philippum inter Beatos retulit, additâ in eisdem Literis speciali pollicitatione de ejusdem aliquando decernendâ canonizatione, quam demum gravioribus negocijs præpeditus, ac tandem morte præventus implere non valuit. Procedente verò tempore multa fuerunt in diversis Comitijs ad sacros Beati Philippi amplificandos honores sancita Decreta, multi pij ritus ordinati; nam anno 1598. Angelus Maria Montursius de Florentiâ Religiosissimus Generalis Antiquorum zelum æmulatus, jam Summos Principes, præcipuè Ferdinandum I. Etruriæ Magnum B Ducem, Ecclesiasticos Prælatos, Urbes, Populos, totumque Ordinem ad hujusmodi opus egregium excitaverat, & fortasse ad finem optatissimum perduxisset, ni tam insperato obitu cessisset è vitâ. Postremò nostris his temporibus Balthassare Generali Bononiensi annuente, M. Aurelius Raffaellius de Perusio, Ordinis Vigilantissimus Procurator in Curiâ, rem eandem tam accuratè, tam strenuè, pervigilique studio adeò amplexatus est, ut omnium Majorum præteriti seculi labores, & studia longè hac in re excesserit. Is enim postquam ad Urbem pervenisset, omnem suam operam, omnem diligentiam, & omne studium adhibuit, & rem istam omni conatu amplexatus tandem à Sacrâ Rituum C Congregatione, deinde à Summo Pontifice Paulo V., ac postremò à totâ Romanâ Curiâ, pro Canonizatione B. Philippi insinuandâ, ac tandem Divinâ suffragante gratiâ obtinendâ, ea Decreta, eas Apostolicas concessiones, & literas impetravit, pro gestis Beati Philippi examinandis, per Judices Romanæ Curiæ, quæ in sequentibus conscripta videri possunt.

Supplicatio ad Summum Pontificem pro Canonizatione Beati Philippi

Florentina Canonizationis Servi Dei BEATI PHILIPPI BENITIJ.

D Beatissime Pater.

Vocato ad Cœlum servo Dei B. Philippo Benitio Florentino Ordinis Servorum jam usque de anno 1285., adeò ab inde citra excrevit fama sanctitatis, & multiplicatio miraculorum, quæ Deus Omnipotens illius intercessione dignatus est operari, ut dum universaliter in Populo pro Sancto haberetur fel. rec. Leo Papa X. S. V. Prædecessor per Literas Apostolicas concessit facultatem recitandi Officium in totâ Religione prædictâ Servorum B.M.V., ac etiam ex concessione Sanctitatis Vestræ in Civitate Florentinâ ab omnibus Viris, & Religiosis, tam secularibus, quàm Regularibus. Verùm quia cùm multiplicitate miraculorum, & fama sancti-

Supplicatio pro Canonizat. B. P. Philippi.

sanctitatis, devotio erga istum servum Dei in E *dies augeatur, Universus Ordo Servorum B.M. ejusque Procuratoe Geneealis, necnon Communitas Civitatis Tudertinæ, poerecto supplici libello S.V. pro obtinendâ facultate fabricandi Peocessus in specie super sanctitate vitæ, & miraculis ejusdem Servi Dei ad effectum Canonizationis, omnibus maturè consideratis, & discussis, eadem Congregatio de meritis, & de statu causæ, ad plenum informata censuit, & declaeâvit causam Canonizationis hujusmodi in tali statu esse, ut si Sanctitati Vestræ placuerit, possit de more committi aliquibus Auditoribus Rotæ, ut ipsi authoritate Apostolicâ forment Peocessus in specie, & compulsent omnes scripturas, & monumenta, atque antiquos Peocessus, in eadem causâ jam factos: quam Congregationis sententiam Sanctitas Sua approbavit ex De-* F *ereto die 23. Octobeis 1617., unde peo parte dicti Ordinis Servorum, ejusque Prioris, & Procuratoeis Generalis, necnon Communitatis Tudertinæ devotorum illius Oeatorum humiliter supplicatur, quatenus dignetur committere, & mandare Tribus ex antiquioribus Rotæ Auditoribus, videlicet Francisco Sacrato Archiepiscopo Damasceno, Joanni Baptistæ Coccino Decano, & Alphonso Manzanedo, ut causam inquisitionis, & Canonizationis hujusmodi in statu, & terminis, in quibus repeeitue, assumendo conjunctim Processûs super puritate fidei, vitæ, ac morum sanctitate, miraculorum, & Populi erga illum devotionis famâ, in Curiâ, & extra, in locis, in quibus opus fuerit,* G *in specie Peocessus fabricent, & ad hunc effectum, quòd Peocessum fabricandum in Curiâ, articulis, & interrogatoeijs datis, Testium juramenta super illis eecipiant, eosque examinent, atque eorum dicta in actis redigi curent, juraque, ac monumenta ad negotium hujusmodi facientia quæcunque, & quoslibet Processus hactenus factos eecipiant. Quò veeò ad extra Curiam aliquibus Episcopis, seu alijs Peesonis in Dignitate Ecclesiasticâ constitutis, honestis, discretie, & incoeruptis, prudentiâ, & industriâ prædstis, Literas remissoriales, & compulsoeiales quomodolibet necessaeias, & opportunas dirigendas decernatue, & eelaxentur etiam sub censueis, & pœnis eisdem Episcopis, aut alijs similibus Personis, iniunctio, ut ad Testium examen, jurium, & monumentorum re-* H *ceptiones, ut peæsertue, procedant; omniaque sigillo clausa ad ipsos Auditoees fideliter teansmittantur, ac eosdem Processus, & alios eorum mandato conficiendos apeeiant, illosque apertos videant, examinent, & discutiant, ac eisdem sic examinatis, & discussis, necessaeiam, & opportunam S.V. de, & supee præmissis faciant eelationem, ad hoc, ut quicquid intra Canonicas Sanctiones, à Rituum Congregatione circa illud agendum sit, ad Dei gloeiam, & Catholicæ Fidei exaltationem, eadem Sanctitas Sua statuere valeat, cum potestate citandi, & inhibendi quos, quibus, & quoties opus fuerit etiam sub censuris, &c. contradictores, &c. talisque faciendi, dicendi, geeendi, & exeeeendi, quæ in* E *præmissis, & circa ea quomodolibet fuerint necessaria, & opportuna, præmissis, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, stylo Palatij, cæterisque in contraeium facien., non obstantibus quibuscunque statutis, &c. peo plenitèr, & sufficienter expressis haben.*

Placet

Camillus.

Literæ Remissoriales Trium Auditorum Rotæ ad Archiepiscopum Florent. .1.

JOannes Baptista Coccinus Sacræ Rotæ Decanus, Franciscus Sacratus Archiepiscopus Damascenus, unus ex S. Palatij Apostolici Causarum Auditoribus, Alphonsus Manzane- F *do de Quinones, & S. Rotæ Auditoe, & à Sanctissimo D.N. Paulo Divinâ Providentiâ Papâ V. in causâ Canonizationis piæ memoriæ B. Philippi Benitij Florentini Ordinis Servorum B. M.V., jam super eius meritis per S. Rituum Congregationem de Ordine ejusdem Sanctissimi in genere cognitâ, seu discussâ, Judices Commissarij ad foemandum Peocessum, & de meritis dictæ causæ suæ Sanctitati deferendi, ac citra pronuntiandi facultatem specialiter, vel conjunctim deputati, prout in Literis in formâ Commissionis desuper exaratis, ac manu suæ Sanctitatis signatis, nobis dieectis, & præsentatis, ac per nos debitâ cum reverentiâ receptis, & acceptatis pleniùs continetur, quæ sunt tenoris sequentis.* Lit. Remissoriales ad Archiepisc. Flo. pro canoniz. B. P. Philip.

G *BEatissime Patee, Vocato ad Cœlum, &c., ut prædiximus Illustrissimo, & Reveeendissimo in Christo Patri, & Domino, Domino, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Aechiepiscopo Florentino, necnon Illustribus, & Reverendis DD. Cosmo Minerbetto Aechidiacono Florentino, & Peteo Niccolino Canonico Protonotario Apostolico, & Vicario Generali Floeentino, Judicibus exequutoribus ad infrascripta peragenda per nos deputatis, & subdelegatis, salutem in Domino sempiternam.*

Noveeint Dominationes vestræ, quòd cùm de vitæ, sanctitatis, miraculorum Seevi Dei Beati Philippi, ac Populi erga ipsum Devotionis famâ in geneee, & satis sufficienter constaeet; nihilominus pro majori claritate illius Beatitu- H *dinis ad effectum deveniendi ad ipsius Canonizationem, advenientibus die, & anno infrascriptis comparuit coram nobis R.P.F. Joannes Baptista Petrocchius de Perusio Baccalaureus in Sacrâ Theologiâ dicti Oedinis, Religiosus, ac Universi ejusdem Ordinis Servorum B.M.V. peincipalis Procueator ab Adm. R.P.F. Aurelio Raffaellio de Peeusio dicti Ordinis Procueatoee Generali substitutus, & eo nomine ad ulteriora in Causâ Canonizationis prædictæ, ac ad specialem inquisitionem, seu informationem supee sanctitate fidei, bonitate, miraculorum operatione, & devotione prædictis faciendam, & recipiendam, juxta, & secundùm peæinseetæ commissionis formam, & tenoeem per nos procedi cupien-*

cupientes, nonnullas positiones, & articulos exhibuit, dedit, atque produxit, quos ad probandum extra Romanam Curiam, & ad partes A *admitti, remissoriamque, & compulsoriam desuper decerni, & Judices horum articulorum, in quibus exequutio dictæ remissoriæ facienda, sic deputari per nos instantiùs postulavit. Nos verò attendentes requisitionem hujusmodi esse justam, & rationi consentaneam, positiones, & articulos prædictos approbantes, admisimus remissoriam, & compulsoriam respectivè desuper decrevimus, & concessimus, & Vos Illustrissimum, & Reverendissimum D. Archiepiscopum Florentinum, necnon Illustres, & Reverendos DD. Cosmum Minerbettum Archidiaconum Florentinum, ac Petrum Niccolinum Canonicum Protonotarium Apostolicum, & Vicarium Generalem Florentinum antedictos, de quorum fide, sinceritate,* B *religionis Zelo, ac prosperosâ, & debitâ erga sanctam Sedem Apostolicam obedientiâ plurimùm in Domino confidimus, in Judices exequutores præsentium nostrarum literarum nominavimus, & constituimus, has nostras Literas desuper decernentes, & concedentes opportunas. Idcircò Vobis Illustrissimo, & Reverendissimo Archiepiscopo Florentino, ac Illustribus, & Reverendis DD. Archidiacono, & Vicario Generali Florentino Judicibus prædictis committimus, authoritate Apostolicâ mandamus, quatenus vos coniunctim, & simul, vel saltem non minùs, quàm duo simul procedentes, omnes, & singulos Testes hujusmodi, scripturas, instrumenta, monumenta, & alia quævis probationis genera, quos, quas, & quæ coram vobis, ut præmittitur, simul, & coniunctim procedenti-* C *bus, præsentari, produci, extrahi, & compulsari contigerit à legitima mandata habentibus super interrogatorijs, & articulis in hac remissoriâ contentis, & vobis exhibitis, & præsentatis, ac exhibendis, & præsentandis, quæ, & quos sub sigillis nostris inclusa, & inclusos transmittimus in Civitate Flor., ac in alijs forsan locis Diœcesis Florentinæ, ac in Ecclesijs, vel Locis pijs, & ibidem in Capellis per Nos erigendis, seu deputandis pro Tribunali admittatis, & ab ipsis Testibus juramentum de veritate dicendâ ad sancta Dei Evangelia præstitum super dictâ causâ, & super his, super quibus examinabuntur, in manibus vestris recipiatis. Eosque primò super dictis Interrogatorijs, deinde super positionibus, & articulis per vos ip-* D *sos coram Notario præsentis causæ per vos deputando, qui Processum scribat diligenter, examinationes ipsorum, attestationes, dicta, & depositiones, necnon literas, scripturas, monumenta quæcunque coram vobis exhibenda, & compulsanda fideliter adscribi, & coram nobis cum originalibus consultari, & concordari faciatis. Si verò aliqua Persona Cardinalitiâ, vel Ducali dignitate præfulgens, vel Religiosa Monialis intra septa Monasteriorum clausa super famâ sanctitatis, vel operatione miraculorum prædicti B. Philippi, examinandæ forent, vos ad eam, vel ad eas examinandas accedatis. Postquam verò Processum modo prædicto perfe-* A *ceritis, clausum, vestrisque sigillis munitum, per fidelem Nuncium ad nos Auditores prædictos Judices authoritate Apostolicâ in hac causâ deputatos transmittere curetis, significantes nobis per vestras Literas quantam fidem testibus desuper examinatis, juribus, scripturis, & monumentis prædictis, sic exhibitis, & compulsatis, præstandum esse duxeritis, ut authoritate prædictâ omnia, & singula liberiùs exequi valeatis. Eâdem authoritate Apostolicâ vobis committimus, ut Nuncium, sive Nuncios pro citationibus faciendis, & alijs mandatis, & decretis exequendis deputare, & testes, ut se examini subijciant, & privatos quoslibet etiam Notarios, & Archivistas, & Scripturas, & Instrumenta quæcunque ad hanc causam quomodolibet* B *bet pertinentes, & pertinentia habentes, ut ea, vel eas vobis exhibeant sub pœnis, & censuris Canonicis compellere, & cogere possitis; & demum prædictis omnibus transmissis, et à Nobis Suæ Sanctitati oblatis Apostolicam benedictionem, æternæ beatitudinis præmium pro labore excepto consequi valeatis. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes manibus nostris subscriptas, per infrascriptum Sacri Palatij Apostolici, ac ad acta Canonizationis hujusmodi deputatum Notarium publicum expediri, & auscultari, & sigilli nostri jussimus, & fecimus appensione communiri.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem in Palatio Apostolicarum causarum, in quo pro hujuscemodi negotio congregati fuimus sub anno Nativitatis Domini 1619. Indictione secundâ, C *die verò 27. Mensis Maij, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Pauli Divinâ Providentiâ Papæ V., anno ejus XIV. præsentibus ibidem DD. Joanne Fauden, ac Mastrulo Jamphortino Sacri Palatij Apostolici Causarum Notarijs, atque scribis, testibus ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis.*

Joannes Baptista Coccinus Rotæ Decanus.

Franciscus Sacratus Archiepiscopus Damascenus unus ex S. Palatij Apostolici Causarum Auditoribus.

Alphonsus Manzanedo de Quinones Rotæ Auditor.

Ego Joannes Maria Jordanus S. Apostolici D *Palatij Notarius, ac etiam hac in Causâ scriba specialiter deputatus, de mandato Reverendiss. DD. Joannis Baptistę Coccini Decani, Francisci Sacrati Archiepiscopi Damasceni, & Alphonsi Manzanedi de Quinones ex Rotæ Auditoribus præsentes Literas remissoriales, & compulsoriales expedivi, & auscultavi, & manu meâ propriâ subscripsi, & solito meo sigillo Notariatûs munivi, & publicavi requisitus.*

His igitur acceptis, & coram Judicibus deputatis per tres nostros Procuratores MM. Adrianum Mannoctium Provincialē Thusciæ, Ell-

Elisæum Mazzonium, & Callistum Mazinm præsentatis, & explicatis, Procurator deligitur D.Christophorus Flor. J.U.D., qui rem impiger, & solerter ad finem usque perduxit. Missos interim facimus labores, & diligentias P.M. Archangeli Gianij, cui præsertim Balthassar Generalis per suas Literas causam hanc vehementer commendavit. Centum igitur articuli circa B.P.N. Philippi tàm vetera, quàm recentiora miracula, & gesta in Archiepiscopali Curiâ diligenter examinantur, & 84. testes usque ad annum 1621. per suas vices probantur, quorum inprimis Franciscus Boncianus Archiepiscopus Pisarum multa pro eodem Beato testatus fuit, quem deinceps sequuti sunt Philippus Salviatus Episcopus Burgensis, Lucas de Alemannis Episcopus Senior Volaterranus, Alexander Caccia Episcopus Pistoriensis, Cosmus Comes Gherardesca Episcopus Collensis, & Antonius Riccius Episcopus Aretinus. Hos sequuti sunt plures Canonici Florentinæ Cathedralis, Theologi Florentinæ Universitatis, & plures diversorum Ordinum Religiosi, & Clerici seculares. Deinde Matthæus de Bortis Marchio Campiliæ, Fabritius Coloredus Marchio, & Cosmi II. Magni Ducis secretus Cubicularius. Multi etiam Senatores Primarij, & alij Florentiæ Proceres, usque ad præfatum numerum 84. Tuderti quoque per idem Tempus eædem Literæ, ijdemque examinandi articuli pro alio processu ibi conflando demandantur, causâ prius commissâ M. Angelo Mariæ Berardio Perusino, qui plurimùm in hac re pro Sancto laboravit.

Articuli, & testes examinati pro ejus Canonizatione quales, & quot fuerint.

Hoc eodem anno die 23.Februarij Andriana quædam Veneta Rossi, Tertij Ordinis nostri Soror, 2. de cujus obitu, & rebus præclarè gestis scribendum fusiùs erit ad annum 1648., annuente Patriarchâ Venetiarum egreditur è Monasterio D. Hieronymi amplissimæ illius Civitatis, in quo Moniales habitant clarissimi Generis Ordinis S. Augustini, quo se jampridem receperat, diuque sanctissimè vixerat, ut in Insulâ, quæ dicitur Buranum, & ab Urbe prædictâ sex circiter milliariis distat, Monasterium à fundamentis excitet pro Monialibus Ordinis Servorum, quodque reipsâ brevi non sine conspicuo Divinæ Providentiæ præsidio mirum in modum perfecit, sanctissimis legibus instruxit, ab Episcopo Torcellano deinde approbatis, quæque typis impressæ Venetijs anno 1648. omnibus prostant, & laudabiliter quandiù vixit, administravit, eâque sanctitatis opinione, ut exinde profluxerint Monasteria ejusdem arctioris instituti posita, tum in eadem Urbe Venetiarum, tum in Civitate Arcensi Diœcesis Tridentinæ, quæque omnes eximiâ veneratione prosequuntur. Quæ fanè ita innuisse sit satis, nam de Loci hujus origine, incremento, & celebritate fusiùs ad annum prædictum 1648., erit nobis agendum, ubi de obitu, vitâque sanctissimè actâ præfatæ Sororis Andrianæ, quæ deinde nuncupata fuit Soror Maria Benedicta, ex instituto scribemus.

Fundatur Monasterium pro Monialibus Ordin. Servor. in Insulâ Burano.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *Ex supplem. Annal., & alijs m.s. Archangeli Gianij.*

2 *E monum., & præsertim Hist. ejusdem Sororis Andrianæ illius Monast.*

Processus de B. Philippo apud Lucenses, & Tuderti instaurantur. Reliquiarum ejus Custodiæ. Enarrantur nonnulla Prodigia B. Francisci de Senis. Mors Imperatricis Annæ, & Aurelij Raffaelli Procuratoris Generalis.

CAP. III.

His Romæ habitis ad cultum B. Philippi promovendum, in Etruriâ quoque Lucæ pari studio Fratres nostri idem prosequuntur, nam ad instantiam R. P. F. Cæsaris Prioris, & Patrum illius nostri Conventûs per D. Stephanum Meconium J.U.D., & Procuratorem ejusdem Conventûs supplicatur cum omni debitâ instantiâ apud Illustrissimum, & Reverendissimum D.D. Alexandrum Guidiccionium Episcopum Lucensem, ut dignetur suâ facultate ordinariâ ad perpetuam rei memoriam recognoscere, aut recognosci mandare quandam Chiamydem B. P. Philippi Benitij Florentini, olim ejusdem Ordinis Generalis, quæ ab antiquo tempore, velut insignis Reliquia, asservatur, & colitur in eorum Ecclesiâ inter alias Reliquias. Pro cujus cognitione, & approbatione prædictus Procurator petit examinari de publicâ voce, & famâ penes majorem, & saniorem partem Populi Lucensis, & per Testes opportunè inducendos prædicta petit diligenter inquiri, & formari, & exhiberi Processûs super nonnullis articulis, prout de jure, &c. Tuderti verò P. M. Angelo Maria Berardio de Perusio enixè studente, pro conservandis decentiùs, quàm fieri possit, B.P.N. Reliquijs instaurantur custodiæ, & in longè meliorem formam rediguntur, altera quidem pro Crepidis, altera verò pro Sotularibus ejusdem, quæ modò, cum hæc scribo, super Altare quoddam in Ecclesiâ nostrâ sub clavi servatæ maximâ veneratione coluntur, quod planè mihi contigit anno 1712., cùm ineunte Junio ad eas visitandas me contuli, ipsasque, sicut, & S. Tunicam, quàm vulgò appellant S. Cappam, in argenteâ Thecâ inclusam, meis oculis perspexi, quibus pariter quàm diligentissimè undequaque, prout fieri poterat, lustravi sepulcrum elegans marmoreum, in quo sub Arâ Majori jacet B. Patris Corpus, calce penitùs obstructum, & crate ferreâ, eâque prævalidâ circumquaque munitum, ex quibus maximam hausisse me fateor voluptatem. Hisce pariter diebus nonnulla Senis in Etru-

Recognoscitur Lucæ in Thuscia Chlamys B. P. Philip.

Instaurantur Tuderti custodiæ pro conservandis decentiùs Reliquiis ejusdem B. Patris.

B. Francisci Patritij prodigia

Etruriâ B. Francisci Patritij intercessione contigisse prodigia feruntur, ex quo illud in eâ Civitate solemne ab antiquis temporibus habetur, quod singulis annis aliquod Senensium Beatorum Corpus per Urbem solemni pompâ circumferatur. Contigit ergo hoc anno, ut nostrum esset in Ecclesiâ juxta hanc consuetudinem, Sacrum Corpus Beati Francisci, quod adhuc incorruptum servatur, Dominicâ in Albis die 7. Aprilis publicæ venerationi exponere, & solemni Processione per Civitatem circumferre. Cùm autem hoc fieret, plures singulari fiduciâ conceptâ B. Francisco se commendantes plures deinde sibi favores, & gratias compararunt. Traditum enim est à Viris omni exceptione majoribus Cosmum Carellium Macheropæum intestinis doloribus calculi in vesicâ gravissimè vexari; hic verò die 12. Maij in lecto diris affectus cruciatibus jacens B. Francisci opem imploravit, seque illi intimo cordis affectu devovit, quo habito proximè sequenti nocte circa horam 4. calculum frangi sensit, & nullâ interpositâ morâ paulatim totum absque ullo, vel minimo, doloris sensu per urinam emitti, sicut & alios duos ejusdem generis lapillos; posteà autem die incolumis ad tumulum Beati se contulit condignas gratias acturus; cujus rei fidem juratam ipsemet Cosmus habet in scriptis. Quid simile consequuta fuit B. Francisci meritis Flavia de Bertis Marci Antonij Burghesij Coniux, quemadmodum ipsamet in Ecclesiâ nostrâ Senis jurejurando testata fuit in scriptis. Hæc enim integro quadriennio colico morbo, & intestinis pressa doloribus nullum suæ infirmitatis remedium opportunum adinvenire poterat, quapropter in extremo vitæ discrimine constituta jacebat, sed B. Francisci præsidium implorans incolumis evasit, ac deinde vota persolvit. Interea quàmpluribus Civitatis Senensis Primarijs de habitâ B. Francisci Processione Constantio Patrizzi Apostolico Thesaurario gratulantibus, quòd talem Dei Servum ex eadem Familiâ Patritiorum prodijsse affirmarent, sicut etiam Abbas Silvanus Razzi Camaldulensis in suâ Beatorum historiâ testatur, posteâ idem Constantius Patrizzi animum adjecit ejusdem Beati Canonizationi procurandæ. Præfatæ verò Processionis præclara memoria, & penniciliis, & calamo in publicas ejusdem Civitatis tabulas ad perpetuam rei memoriam relata fuit. Cosmus Francisci Gei Filius Florentinus, sed Domicilium habens Senis, morbo quodam in alterâ ex manibus adeò laborans, ut inde tumor evaserit præ magnitudine, & malignitate insignis, qui proindè maximo afficiebatur dolore, muliere quadam, cui nomen Portia, suadente, flores manui circumligavit, qui corpus nuper attigerant B. Francisci Patrizzi, cujus opem nonnullis adhibitis precibus imploravit; die verò proximè sequenti amotis è manu fasciolis ipsam deprehendit omninò integram, & à præfato morbo penitus vindicatam, quod B. Francisco acceptum referens suis ipse manibus testimonium hujus veritatis, tantique beneficij scripto mandavit.

Doloribus calculi gravissimè vexatus liberatur.

Colico morbo graviter affecta incolumis evadit.

Morbo gravi laborans in alterâ ex manibus ex florum contactu sanatur.

A

Interea cùm in Etruriâ tãta pro Ordine nostro lætitiæ suppetunt argumenta, per Germaniâ, & Romæ aliquid maximè deplorãdũ occurrit. Anna siquidem Imperatrix, ac Tertij Ordinis nostri Augusta Soror, postquam in terris Reverendissimæ Matris veneranda vestigia premere summo studio contenderat, prout dignitas Imperatoria patiebatur, quẽadmodum dictum est superiùs ad ann. 1616.; ipsam hoc anno celerrimè præveniens ad cœlestia piè creditur petijsse seculo lugentibus omnibus defuncta. Quod profectò non mediocri fuit Ordini nostro detrimento; jam enim Pragense Cœnobium à Carolo IV. Imperatore fundatum, & ab infensissimis hostibus Catholicæ fidei solo æquatum, iterum excitare meditabatur; immaturâ verò morte præventa, nec sibi, nec nobis satisfacere potuit; nihilominus obitum suum proximè futurum prospiciens, pietatem, & munificentiam suam verè augustam erga eundem Ordinem declaravit, cùm Patribus nostris Cœnobij S. Joseph Oenipontis quadringentos Florenos annuatim solvendos Testamento legavit, Cæsaris deinde mandato exactè solutos. Romæ verò è vivis excessit pridie Kalendas Augusti Aurelius Raffaelli Procurator Ordinis in Curiâ Herniæ morbo laborans, cujus jacturam nunquam satis lachrymis prosequemur, quippe qui Religionis nostræ amplificandæ, & illustrandæ studiosissimus omnium sibi benevolentiam conciliarat. Fuit Aurelius ab ineunte ætate Florentiæ in ejus nostri Cœnobij Novitiatu educatus, etsi Perusinus foret, deinde verò ob tantam ingenij docilitatem cæteris studentibus superior Physicam brevi explicandam suscepit. Mox Romam profectus, & Magister designatus, necnon in Cœnobio S. Marcelli studij Regens, Dialecticam publicè in Sapientiâ Romanâ, Hieronymo Cardinali Bernerio Protectore curante 13. annos interpretatus fuit. Præterea Pœnitentiarij munus in Ecclesiâ Vaticanâ exercuit, inter Familiares Alexandri Cardinalis Ursini adscitus Theologi partes apud ipsum explevit, multorum Principum graviora negotia apud Apostolicam Sedem peregit, scilicet pro Raynuccio Parmensium, & Cæsare Mutinensium Ducibus, pro Annâ prius Catharinâ, deinde Julianâ Archiducissâ Austriæ, pro ejus Filiâ Imperatrice Annâ, & alijs quàmplurimis Proceribus: Aurelius enim disertissimus erat, & eruditissimus, quamobrem & publicè Orationem habendo, & familiariter agendo omnium animos facilè in sui amorem alliciebat; Cardinalibus mirum in modum acceptus pariter erat, quocirca Scipio Burghesius, Franciscus Cenninus, Fabritius Verallus, Marcellus Lantes, Philippus Philonardus Cardinales, & Scipio Cobellu-

Anna Imperatricis obitus, & in Ordinem nostrum beneficentia.

B

C

Aurelij Raffaelli Perusini obitus, & Gesta.

D

bellutius Aurelium plurimi faciebant, & suo patrocinio, prout opus fuerat, confovebant. Procedente autem tempore ob ingenij dexteritatem, morum suavitatem, animique prudentiam, & modestiam ad gravia Ordinis negocia, præsertim Procurator Generalis admissus, solemnem B. P. Philippi Canonizationem tanto prosequebatur ardore, quemadmodum ex hactenus dictis compertum est, ut laboribus, vigilijs, & arduis itineribus confractus, tandem fato cedere coactus fuerit, honorificentissimis habitis exequijs in Ecclesiâ S. Marcelli tumulatus cum hoc marmoreo monumento.

D. O. M.
Fratri Aurelio Raffaellio Perusino
Ordinis Servorum,
Qui Phil., & Theol. in Urbe, & alibi
Morum gravitate, vitæ innocentia,
Ingenij dexteritate, summorum
Principum florens gratia
Suæ sodalitatis Procurator Gen.
mirificè locupletavit:
Quo in munere, dum B. Philippi
Benitij Apothesim apud Paulum V.
promovet
Lento, ac difficili morbo è vivis
ereptus est
Pridie Kal. Aug. Anno MDCXIX.
Perusina Servitarum Familia Alūno
Opt. & Benem. P.
MDCXIX.

Hujus R. Patris opera sunt. Cœnobium S. Marcelli in amplius spatium, commodioremque habitationem renovatum, & Bibliotheca Conventûs nostri Perusij multis voluminibus aucta, necnon Ecclesia illa multis Sanctorum Reliquijs ditata; cujus etiam studiorum cumulata monumenta in varijs facultatibus, præcipuè super Libros Posteriorum Aristotelis (ni brevi floruisset tempore) jam edita ab omnibus conspici possent; in ejus verò locum ad præscriptum Constitutionum nostrarum suffectus fuit M. Felicianus à Pennâ Perusinus, qui tunc Priorem S. Marcelli agebat.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

EX *Supplem. Annal., & alijs m. s. Archangeli Gianij.*



E *Transfertur solemniter Imago B.V. de Rhegio. Oblationes variæ D. Annunciatæ de Florentiâ. Fundatur de novo Cœnobium apud Massam Carrariæ. Recluditur in Senario P. Ignatius, & ab illis Patribus statuitur forma Caputij, & ab Apostolicâ Sede approbatur celebratio Capituli Generalis de sexennio in sexennium.*

C A P. IV.

EX quo Templum apud Rhegium Lepidi longè augustius, & manificentius anno salutis 1597. excitari cœperat à fundamentis, ut ibi Regiâ tanquam in Sede decentiùs collocandam Christifideles B. V. Imaginem venerarentur, de quâ tot admiranda anno 1596. contigisse legimus apud Gianium Cent. 4. lib. 5. cap. 11., hisce temporibus tandem aliquando, licèt non undequaque perfectum, rarâ tamen majestate eò usque promotum Majores nostri viderunt, ut ejusdem pretium æquasse dictum fuerit quamplurima millia aureorum, quod consequentibus annis absolutum omninò pro dignitate fuisse referendum erit. Interim hoc anno die 12. Maij insigni solemnitate, ac pompâ in idem Templum translata fuit ex priori illâ ædiculâ prædicta Deiparæ Imago. Seriem operum, & solemnitatem Translationis, quæ cæteroqui quàmlibentissimè exposuissem, iterum exponere non vacat, cùm hoc satis abundè præstiterit R. D. Alphonsus Isachi Sacerdos ex eadem Civitate, in libello, cui titulus: *Relazione d' Alfonso Isachi intorno l' origine, solennità, traslazione, e miracoli della Madonna di Reggio*; necnon P. Cherubinus Ranzani Ordinis Servorum ejusdem B.V. pariter de Rhegio in Libello, cui titulus: *Veridico racconto dell' Origine, Processi, e miracoli della Madonna di Reggio*. De quâ proinde hactenus dicta in præsenti sint satis, præsertim verò, cùm & Archangelus Gianius Cent. 4. citatâ plura de hac Sacrâ Imagine, prout opus erat, scripserit, & mihi non pauca ad annum 1674. dicenda supersint. Illud potius celebrare modò lubet, quòd cùm anno proximè superiori 1618. Serenissimus Princeps Laurentius Medices Florentiæ super Altare D. Annunciatæ, undequaque jamptidem argenteum, gradus pariter undequaque argenteos, sicut & tabernaculum, in quo Salvatoris colitur Imago celeberrimi Pictoris Andreæ *del Sarto* opus egregium, lapidibus, & gemmis non elegantibus minùs, quàm pretiosis ad invicem insertis distinctos collocari mandasset, hoc anno Serenissima Christina Lotharingia Magna Etruriæ Ducissa D. Annunciatæ pariter Ostensorium reverenter offert argenteum omnino, sed deauratum, & pluribus gemmis ornatum, necnon instrumenta præseferens Passionis Christi Domini eodem pretio expressa, grati animi monumentum, quod Serenissimus Ferdinandus Archidux Au-

Imaginis B.V. de Rhegio solemnis trãslatio.

D. Ann. de Flor. Dona pretiosa recensẽtur.

striæ

ſtriæ in Romanorum Imperatorem fuerat electus. Ad Aram verò Majorem acceſſere ſimul hoc anno operâ, & induſtriâ P. Magiſtri Adriani Mannozzi, eo temporis in Etruriâ Ordinis noſtri Præfecti, candelabra decem inſignis magnitudinis argentea, & Crux pariter argentea, varijſque elegantibus figuris diſtincta; quorum pretium æquare dicitur ſex millia ſcutorum.

Fundatur Cœnobium apud Maſſam Carrariæ.

Cùm an. 1618., proximè præcedenti P. Jo: Baptiſta Capellerri de Maſsâ Carrariæ Ord. Serv. in poſſeſſionē immiſſus fuerit Ædiculæ cujuſdā in loco, qui dicitur *alla Marina*, quam ſibi conſtruxerat Illuſtriſſimus D. Julius Pachiera Genuenſis, prout conſtat ex actis . . . . . . Cichioperi, hoc anno primus lapis poſitus ſuit pro extruendo ibidem Cœnobio, de quo ſicut & de ejus progreſſibus uſque ad annum, in quo hæc ſcribo 1721., fuſiùs ad annum 1695.

P. Ignatius Eremita Mōtis Senarij recluditur

Senarium potius adire decet, ubi P. Ignatium ibi Eremitam reperimus humillimè à Patribus Eremi petentem die 13. Februarij reclusionem per totam illam Quadrageſimam in ſolitariâ Cellulâ B. Philippo dicatam, cui planè ſatisfecere Patres. Ibidem quoque die 18. Septembris coram Patribus Capitulariter congregatis tribus figuris Caputij, quod ipſi inpoſterum induere deberent, poſt varias diſcuſſiones unam præ cæteris unanimiter elegerunt, quâ etiam nunc utuntur.

PP. Eremitæ ejuſdem Montis è tribus figuris Caputij unam eligunt.

Cohærenter ad ea, quæ anno proximè ſuperiori 1618. in Comitijs Generalibus Bononiæ habitis decreta fuere de celebrandis hiſce Comitijs de ſexennio in ſexennium, & de hujus decreti confirmatione petendâ ab Apoſtolicâ Sede, ſupplicatum eidem fuit pro hujuſcemodi confirmatione, quocirca ſequens Diploma Pontificium emanavit. .2.

Confirm. Decreti de celebrando Capit. Gen. de ſexennio in ſexēnium.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ſicut Dilecti Filij Definitores, & Capitulum Generale Ordinis Fratrum Servorum B.M.V. in Civitate noſtrâ Bononienſi de anno proximè præterito celebratum, Nobis nuper exponi fecerunt juxta Regularia ejuſdem Ordinis Inſtituta Apoſtolicâ authoritate approbata, & confirmata, Capitulum Generale hujuſmodi quolibet Triennio celebrari, & in eo illius Prior Generalis, necnon Procurator etiam Generalis, & alij Officiales eligi debeant; ex ipſâ autem triennali Capituli Generalis celebratione hujuſmodi Ordo prędictus ingentes ſumptus ſubire cogatur, & propterea ad obviandum expenſis hujuſmodi, & alijs de cauſis, animos eorum moventibus inprimis opportunè per Nos, ut infra, provideri ſummoperè deſiderent, Nos Definitorum, & Capituli Generalie hujuſmodi votis, quantùm cum Domino poſſumus, annuere, Illoſque ſpecialibus favoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quâvis occaſione, vel cauſâ latis, ſiquibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus dictum Capitulum Generale, non quolibet Triennio, prout hactenus obſervatum fuit, ſed de ſexennio in ſexennium celebretur, in eóque Prior, & Procurator Generalis, ſervatis aliàs ſervari ſolitis ad hujuſmodi ſexennium eligantur, ac celebrari, & eligi debeant; itaut electio Dilecti Filij Balthaſſaris Bologuetti, moderni ejuſdem Ordinis Prioris Generalis, & Dilecti etiam Filij Aurelij Raffaellij Procuratoris Generalis ad ſexennium à die Feſtivitatis Sanctiſſimæ Pentecoſtes proximè prętéritæ computan. duret, prout nos illam ad hujuſmodi ſexennium extendimus, & ampliamus, quo quidem ſexennio durante, ipſi, & eorum quilibet, eiſdem privilegijs, prerogativis, antelationibus, favoribus, authoritate, Officio, præeminentiâ, & juriſdictione, alijſque gratijs, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus dicti Ordinis Prior, & Procurator Generalis, uſi, potiti, & gaviſi ſunt, ac quibus de jure, conſuetudine, privilegio, ut aliàs, quomodolibet, utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum: ipſi pariter, & pariformiter abſque ullâ prorſus differentiâ utantur, potiantur, & gaudeant, dictóque ſexennio elapſo, & non antea dictum Capitulum Generale celebretur, & celebrari debeat, in eóque, quæ de more fieri ſolent, dicto Triennio penitus excluſo, fiant, & obſerventur; alij verò omnes, & ſinguli Officiales quomodolibet nuncupati, juxta formam Statutorum, & Conſtitutionum Ordinis hujuſmodi creentur, & deputentur, dictâ authoritate tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, decernentes præſentes Literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere, necnon irritum, aut inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, & quavis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus, & Fratribus, & quibuſvis alijs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio habenda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis etiā impreſ-

Capit. Gen. de ſexennio in ſexēnium.

impressis manu alicujus Notarij publici subscri-
ptis, & sigillo alicujus Personę in dignitate E
Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus
fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur,
si forent exhibitæ, vel ostensę.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris die decimâ septimâ Maij
MDCXIX., Pontificatûs nostri anno decimo
quarto. *S. Card. S. Susannæ.*

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 EX *monum. eorundem Locorum.*
2 *Ex Reg. Gen., & m. s. Archangeli Gia-*
nij, ubi supra.

Enarrantur nonnulla B. Philippi Miracula. F
C A P. V.

CUM Florentiæ, ac Tuderti summo stu-
dio omnes ij, quorum intererat, cap.
2. exposita exrquentes mandata pro-
cessus conflarent pro B. Philippi Ca-
nonizatione, Altissimus quoque iisdem non
minori studio respondens plura, eaque admi-
randa patrare dignatus est prodigia, ut et
ejusdem Beati Sanctitatem palàm faceret
Mundo, & à se confirmatam ostenderet, &
ut inde venerationem in corde Fidelium erga
eundem magis in dies excitaret; quæ sanè
consentaneum arbitror in præsentiarum re-
censere. In primis Tuderti Joannes Baptista
1 *Colicâ infirmitate pressus illicò sanatur.* Guazzaronius studiosissimus Literarum cultor G
colicâ infirmitate usque adeò premebatur,
ut apud Medicos ferè de ipso conclamatum
foret; Ipse verò noctu quadam gravissimis
doloribus affectus, B. Philippi præsidium im-
ploravit, quo vix præstito, doloribus illicò
cessantibus, & viribus corporis instauratis,
summâ Medicorum, & Familiarium admira-
tione proximè sequenti die incolumis, & ve-
getus, æquè ac si nunquam infirmitatem su-
biisset, votis B. Philippo persolutis, Romam
versus eâdem die, scilicet 3. Nonas Februa-
rii iter quàmcitissimè suscepit. Pari fermè
modo Infans quidam nomine Bernardinus
2 *Infans præ inediâ morti proximus statim convalescit.* Cipriani à Vico Sancti Joannis, cùm præ nau-
seâ, & gravi infirmitate lacte, & alimento
quocunque triduum integrum abstinuisset, H
adeòque præ inediâ morti proximus esset,
Mense Majo à Parentibus ad Tumulum B. Phi-
lippi delatus, vix tactâ illius Tunicâ hilarem
faciem exhibuit, gestire cœpit, Matri ad-
blandiens, lac etiam sugere, & brevi ex eâ
infirmitate convaluit. Eodem quoque tem-
3 *Macie confectus & penè moribundus evadit incolumis.* pore adhuc alius Infans in eodem Vico, no-
mine Lucas, occultâ macie confectus, & penè
moribundus, consulente Parocho, à Flaminiâ
Matre ad eundem Tumulum delatus, postquã
veneranda B. Philippi Tunica ipsi superim-
posita fuit, viribus protinus integer Domum
rediit prorsus incolumis. Consimili modo
Angelus Puer Filius Rutilij Spolti Pictoris,
cùm adhuc biennis esset, gravem subibat di- 4
E senteriem, quæ per 20. dies continuos adhuc *Puer biennis pluribus morbis affectus sanatur.*
perseverans additâ quoque inediâ, & stoma-
chi nauseâ ferè semianimem redegerat. Quo-
circa ejus Genitrix Agatha voto se obstrinxit
B. Philippo eum se ad ejus tumulum ter dela-
turam, quo vix emisso convalescere Puer si-
mul, & cibum appetere cœpit; hinc placen-
tulam, quam viderat apud quendam Pisto-
rem, cùm Domum repeteret, à Genitrice su-
per hoc maximè admirabundâ enixè petiit,
ut manducaret, mox verò ex illâ infirmitate
convaluit. Carolum quoque Leonardi de 5
Cortesinis septennem gravissima Febris ad 20. *Derelictus à Medicis recipit illicò sanitatē*
usque diem eâ vehementiâ oppresserat, ut
Medici de ejus salute desperantes ipsi non
amplius adessent; adsuit verò B. P. Philip-
F pus, cui Octavius Patruus, & Horaria Mater
voto se obstrinxere, quòd si convaluisset Puer
morti jam proximus, Habitu nostro in hono-
rem B. Philippi ipsum induissent; non enim
inanes passus est Ipse preces eorum fieri; ces-
sante enim illicò febri, & proximè sequenti
die de Lecto Puer surrexit, Sacrum B. Philip-
pi tumulum invisit, & sanctum Habitum sa-
nus, & integer recepit. Cynthius Lapicida
Tudertinus altero Brachio per 12. annos con- 6
tractus, ac proinde propriæ arti exercendæ *Brachio contractus integer protinus evadit.*
ineptus, ad B. Philippum confugiens votum
eidem vovit, se quolibet anno diem ejusdem
Festum sanctificare velle, si convalesceret, &
Brachium argenteum ejus tumulo sistere; quo
voto emisso integer Brachio protinus evasit,
G eâdemque die ad exercendam artem reversus
fuit. Vir quidam, nomine Tarquinius, Men- 7
se Aprili, grandi, & periculoso tumore super *Humano destitutus remedio convalescit.*
caput laborans, humano quocunque destitu-
tus remedio ad B. Philippum confugit, ipsi-
que maximè confisus sanctam ejusdem Tuni-
cam parti affectæ vix ritè admoveri curavit,
cùm Divinam in se virtutem expertus tumo-
rem brevi evanuisse, seque prorsus convaluisse
cognovit. Puer alter Triennis, Filius Andreæ
de Aduvanis stomachi nauseâ cùm ægrotaret, 8
ita laborans, ut alimento sumendo non esset, *Alius Infans præ inediâ morti proximus illicò convalescit.*
quâ perseverante quatuor dies inediâ animã
agebat; sed Filij vicem miseratus Andreas,
nudipes B. Philippi tumulum invisit, eique
moribundum Filium profusis lachrymis etiam
H atque etiam commendavit; reversus autem
Domum Filium reperit exilientem, & man-
ducantem, & illicò incolumem recepit. Mu-
lier quædam nomine Cleria de Guazzaroni-
bus 13. annos sanguinis fluxum passa, morem 9
tandem gerens Fratri suo Joanni Baptistæ se- *Mulier 13. annos sanguinis fluxum passa statim sanatur.*
se B. Philippo ex animo devovit, cujus opem
experta illicò fuit, nam proximè sequenti
die 29. Maij è lecto assurgens, & viribus inte-
gra post diutinum languorem alterâ die inco-
lumis unâ cum cæteris Processionem solem-
nem sanctissimi Corporis Christi prosequuta
fuit. Cùm hæc admiranda de B. Philippo
Tuderti quotidie prædicarentur, & interim
apud Judices delegatos ad examen vocaren-

tur

tur pro condendo Processu, Senatus, Populusque Tudertinus longè majori fervore in ejusdem Beati cultu inflammatus, necnon veterum exemplo commotus, qui B. Philippum ante annos Tercentum Vexilliferum sibi, & Patronum Civitatis delegerant, hisce pariter temporibus ad 4. Idus Decembris unanimi consensu perpetuum suæ Civitatis Patronum decreverunt, quod ex instituto referemus inferiùs cap. 6.; quod profectò quàm acceptum Deo fuerit, prodigiosus quidam eventus illicò subsequés demonstravit. Cùm enim triduo festivis ignibus accensis, Tubarum clangore, campanis sonantibus, & alijs hujusmodi gestientis animi argumentis universa exultaret Civitas, Felicianus de Armenis Domum reversus, & ab Uxore interrogatus quid rei clamores illi significarent, respondit; B. Philippum Ordinis Servorum in Civitatis Patronum iterum elegit Senatus. Tum Uxor Parvuli nati in cunâ jacentis miserata maximo cordis affectu exclamare cœpit: *Heù P. Philippe, qui tot Matribus Filios incolumes restituisti, cur & mihi languentem Parvulum,* (vix enim sextum agebat Mensem) *sanum non reddis?* magna namque pituitæ gravedine tenebatur in naribus Infantulus, itaut à Medicis pluries ignito ferro in occipite adureretur, & morbus insanabilis Puerum in extremo vitæ discrimine constitueret; vix autem invocato B. Philippo Vitam Puer, & sanitatem integram recepit.

10 *Infans in extremo vitæ discrimine jacens illicò sanatur.*

Hactenus relata prodigia contigere Tudertinis, quos veluti prædilectos speciali modo jugiter fovet B. Pater. Verùm ejus beneficentia unius tantùm Loci limites non passa, ad alias quoque Gentes diffusa singularem in omnibus sui excitat amorem. In primis enim P.M. Angelus Maria Berardi de Perusio sub datum Tuderti die 28. Junij huius anni ad Archangelum Gianium scribit, Puerum quendam in Oppido Aquilæ, qui anno Domini 1595. ex utero Matris mortuus prodierat, B. Philippi intercessione à mortuis revocatum fuisse, & adhuc hisce diebus superstitem Pueri Matrem idipsum passim testari. Romæ verò Angela nobilis Fœmina Caietana Cosmi Ursini Coniux eâ debilitate in pedibus, & relaxatione in Tibijs laborabat, ut fulcro destituta Loco se movere nullatenus posset. Quâ die S. Marcelli Fratres Processionem solemnem Habitûs Dolorum Virginis de more habentes B. Philippi quasdam reliquias deferebant, prout eâ tempestate fieri alicubi mos erat, qui tamen deinceps jure in desuetudinem abiit, Angela è regione Ecclesiæ Domi degens pietate commota prope Fenestram perducta Reliquias prædictas venerabatur; vix autem precibus fusis, consolidatis tibiis, & pedibus illicò se posse stare, & liberè incedere præsensit. Cujus beneficii non immemor proximè sequenti die plures Missas in honorem B. Philippi celebrari curavit; deinde verò varia, eáque pretiosa eius obtulit Sacello donaria, & ornamenta: ut autem omnibus rarum hoc beneficium, linguâ etiam tacente, prædicaret, integrum annum Habitu, & nigris indumentis induta processit; completo autem anno ad perpetuam rei memoriam eadem indumenta, tanquam B. Philippi trophæa, in ejusdem sacello suspendit, & Fratribus nostris frequentissimè retulit se in quibuslibet angustiis B. Philippum sibi semper propitium agnovisse.

11 *Puer ex Utero Matris mortuus prodiens revocatur ad vitam.*

12 *Mulier debilitate pedũ laborãs consolidatur.*

Pisis etiam quâ die celebratur B. Philippi Festum Puer quidam octennis nomine Raphael Filius Octavii de Potentis ab Infantiâ usque comitiali morbo adeò concutiebatur, ut præ vehementiâ agitationis nonnullos dentes amisisset. Itaque eius Parentes, qui celebritati B. P. Philippi interfuerant, cùm reperissent Filium Domi eodem morbo oppressum humi jacentem, consilium unanimiter inierunt de voto pro eo emittendo coram B. Patre, quo vix emisso Habitu sancto Ordinis nostri per annum ad honorem B. Philippi indutum ab eo morbo perpetuò deinceps liberum receperunt. Ibidem etiam mense Novembri Hyacinthus Triennis diutinâ Febri acutâ laborans eò discriminis processerat, ut jam intumescens morti proximus à Medicis haberetur; quamobrem ejus Pater Joannes Maria de Puntâ, ejúsque Mater Filium summis precibus B. Philippo commendantes curarunt, ut fragmentum Vestis B. Patris, quod summâ veneratione in Ecclesiâ nostrâ S. Antonij colitur, Puero admoveretur; quod eùm Pater Alexander Maria Guerrinius de Marradio Pueri capiti superimposuisset, illicò Puer convalescere cœpit, ac pristinam subinde sanitatem recuperavit; quemadmodum constat ex Tabellâ votivâ ad ejus Altare appensâ. Neque minora prodigia contigisse legimus Florentiæ, quæ B. Philippi Patria sedes est, & cujus ipse decus est immortale, cùm pro conflandis supradictis Processibus B. Philippi Gesta, quæque in ejus honorem patraverat Altissimus, diligenter expendebantur. Cùm plures Infantes, & parvuli pustularum morbo periclitarentur anno 1617. Joannes Baptista Filius Joannis Antonij Canei impressoris, quem Archangelus Gianius se vidisse testatur in suppl. Annal., per eruptionem pituitæ undequaque per corpus adeò Infectus, ut monstri speciem præseferret, jam morti proximus habebatur. Ejus verò Parentes morem Patribus nostris gerentes B. Philippo pro Filii remedio vota, precésque obtulerunt. Quo præstito Puer illicò convaluit, facies pristino decori restituta, & omne quodcunque Infirmitatis prædictæ vestigium, quod paucissimis accidit æquè ac si nihil mali habuisset, amisit; qui deinceps ut gratiam aliquam pro tanto beneficio referret, integro Habitu nostro Indutus plures annos incessit. Carolus Maria decem Mensium Infans præpediti gutturis, & pectoris difficultate adeò laborabat, ut alimentum sumere non posset, ac proinde præ diuturnâ inediâ more-

13 *Puer comitiali morbo laborãs sanatur.*

14 *Puer morti proximus illicò convalescit.*

15 moreretur. Bartholomæus autem Gondonius à Florentiolà ejus Genitor B. Philippo, quem fummoperè venerabatur, oatum ex animo commendavit, nec fanè fruftra, nam illicò die 23. Aprilis 1618. difficultate gutturis folurâ Puer lac, & cibum avidè fufcepit, & omnino convaluit; deinceps verò in tantæ gratiæ monumentum integrum Habitum noftrum B. Philippo obfequens per annum geftavit, prout colligitur ex ejus Tabellâ votivâ in ejufdem Beati Sacello appensâ. Bartholomæus Puer decem annorum occulto quodam morbo repente oppreffus in Vico S. Zenobij ad Gangalandos propè Florentiam die 29. Junij 1619. quolibet deftitutus remedio per duas integras horas, quin ullum vitæ proderet indicium, mortuus habebatur, quâ de re Genitor Parochum confuluerat de Filio fequenti die tumulando. Mater verò, quòd à finitimis mulieribus accepiffet B. Philippum Pueris hujufmodi ægrotantibus plura ad rem contuliffe beneficia, Filium eidem commendavit, voto fe obftringens fe Filium, fi revivifceret, ei oblaturam, eumque per annum ejufdem Habitu induturam. De hujufmodi Pueri cafu ab ipfifmet Parentibus certior factus Archangelus Gianius prædictus, fe Puerum vidiffe vegetum, incolumem, & religiofis indumentis coopertum in fupplemento Annalium fcribit. P. M. Rupertus de Orlandis Florentinus Ordinis noftri ætatis annorum 44. circiter febil adeò vehementer æftuabat, ut morti proximus communiter à Medicis crederetur; quòd cùm illi fignificatum fuiffet, ad B. Philippi præfidium humillimè confùgit emiffo voto fe in ejus honorem quotidie Orationem illam perfoluturum, quæ incipit: *O B. Philippe Te quæfo, &c.*, ftatim verò receffit febris, & bene fe habere cœperat. Verùm in eandem iterum, immo graviorem infirmitatem relapfus, paucis poft diebus ingravefcente morbo reverenter fufceptis fanctiffimis Sacramentis exhalandæ animæ proximus erat, ac propterea dum ipfi parabatur funus, eique decorando F. Cyprianus Sabellius Clericus nofter folerti ingenio, & valde literis excultus, Superiore mãdante, funebrem de ejus laudibus Orationem adornaverat; Rupertus autem adhuc B. Philippo confifus, iterum fe illi commendat voto fe obligans, fi mortem evafiffet, fe quotidie in ejus honorem matutinas horas cum proprijs lectionibus de ejus vitâ defumptis perfoluturum. Quo habito minuitur illicò morbus, recedit Febris, & meritis B. Philippi Rupertus poft paucas horas priftinæ reftituitur incolumitati, quod appofitè indicat Difticon fequens Tabellæ votivæ in ejufdem Beati Sacello expofitæ.

Tres Pueri varijs, & gravibus morbis affecti ftatim fanantur.

16 *P. Rupertus, Servita animam agens revivifcit.*

Bis morbo cecidit, præclara ob Gefta Philippi
Accipit hic vitam, hic pia dona dedit.

Hoc verò fpeciale B. P. N. Philippi Patrocinium erga tot Pueros præfertim haftenus indefinenter declaratum; quodque magis in dies, ac magis manifeftatur, unde procefse rit, fi quis mediretur, fingulari ejufdem, ac perpetuæ puritati refert planè acceptum, qui fui Redemptoris adeò exactè premebat veftigia, qui cùm ipfam valdè diligeret in Pueris dicere confueverat: *Sinite Parvulos venire ad me*: Ex quo enim B. hic Dei fervus quinque Menfes natus Matrem blandis illis verbis notiffimis Divinitùs prolatis ad Charitatem, & cultum erga Fratres B. Virginis Servos admirabili modo, de quò Cent. 1. lib. 1. cap. 6., & alibi, excitaverat, non defuere Viri tum pietate, tum eruditione præftantiffimi, qui ejus laudes pro Concione celebrantes fpeciali dono futuræ puritatis præcocem illum fermonem Parvuli tribuerent, quemadmodum Apoftolo Joanni fuper pectus Domini in ultimâ Cœnâ recumbenti propter privilegium Caftitatis plura Chriftum communicaffe, quàm, cæteris, ficuti plufquàm cæteros ipfum diligebat, nemini licet dubitare. Eximium verò puritatis donum in B. Philippo mirabilis quidam eventus comprobavit, prout memoriæ tradidit celeberrimus nofter Paulus Attavantes Florentinus in fuo Quadragefimali *Paulina* nuncupato, quòd morte præventus imperfectum reliquit, fabbatho primo Quadragefimæ, hæc de B. Philippo dicens: *B. Philippus nofter Benitius in nive undam carnem domuit, fugavitque Diabolum in fpecie Mulieris illum tentare conatum, & ab Angelo ftolâ candidâ cinctus eft in Teftimonium infufæ Virginitatis*; quæ quidem pro laudum S. P. N. coronide fatis effe videntur.

17 *Quare in Pueros effulgeat B. Philip. fpeciale patrocinium.*

ANNOTATIONES IN CAP. V.

EX fupplem. Annal. Gianij, & alijs ejufdem m. f.

Coronatio B. Virginis de Tipherno. Tranflatio Corporum B. Petri de Cruce, & Angeli Mariæ Monturfij. Igne confumitur Templum, & Cœnobium Oenpote, & aliud de novo conftruitur. Excitantur Patres ad Principum favorem aucupandum pro Beati Philippi Canonizatione. Eligitur in Protectorem Tudertí.

CAP. VI.

VEneranda B. Virginis Imago, quæ ab anno falutis 1442. circiter apud Tiphernates eximiâ pietate colitur, & quàmplurimis exornata donarijs, lifque pretiofiffimis, necnon Tabellis votivis, quoniam plurima ijs jugiter contulit beneficia Mater illa Gratiarum, de quâ Gianius in Tractatu de S. Ædibus ad annum 1262. aureâ hoc 1. anno die 2. Februarij Purificationi ejufdem Virginis confecratâ, in quâ proinde quotannis folemnis habetur celebritas, honorificè redimitur Coronâ, quæ perpetuum erit, & irre-

Coronatur Imago B. V. de Tipherno.

& irrefragabile apud Posteros argumentum singularis venerationis, quâ Tiphernates, & adhuc aliæ Gentes imaginem illam prosequuntur, necnon specialis beneficentiæ, quam Dei Genitrix impetrando quoque ab Omnipotenti Deo miracula pro illis, qui eam ex animo colunt, exercet. De sacratissimâ istâ Imagine, eíque præstitâ jugiter non mediocri veneratione alibi dicendum superest, ad annum scilicet 1693.; quare in præsenti hæc dicta sufficiant, & ad alia progrediar. Hoc pariter anno nonnulli tùm ex Ordinis nostri Patribus, tum ex secularibus, qui Reverendissimum quondam Generalem, & venerandæ memoriæ Angelum Mariam Montursium de Florentiâ speciali veneratione colebant, magis in dies, ac magis hujusmodi pietatis sensu augmentum suscipiente, ægerrimè ferentes, quòd ejus ossa, quem veiuti Beatum cœlestis gloriæ cum Christo cohæredem venerabantur, humili loco jacerent nullatenus à reliquis distincta, quorum sanè discernenda ipsis videbatur sanctimonia, animum adjicere in locum decentiorem, & honorificentiùs transferendis. Quapropter communicato hujusmodi consilio cum Patribus nostris Florentinis, quorum potissimùm esse videbatur Beati Concivis gloriosam memoriam ad Posteros transferre, operâ præsertim P. Gregorij Alasiæ de Summaripâ tantopere de Ordine nostro, ac speciatim de nostris Annalibus meriti, qui Beatum Patrem singulari præ cæteris, & intimo cordis affectu diligebat, ipsíque quotidie se magnâ spe plenus commendabat, veneranda prædicti Montursij ossa, quæ in arcuiâ ligneâ ante Aram majorem in Ecclesiâ S. Marcelli de Urbe ipso sui obitûs die deposita fuerant, ailò, & quidem decentiùs, curante quoque Fratre Deodato Florentino, qui B. Patri, dum viveret, perpetuò inservierat, eodem Patre Gregorio Alasiâ proprijs manibus deferente translata fuere die 10. Martij, in Sacellum videlicet D. Antonio Patavino dicatum Sacrario proximum, in quo simul erectus fuerat marmoreus tumulus tanto Patri illustrando cum sequenti Inscriptione .1.

Transferuntur in locum decẽtiorem Ossa Angeli Mõtursij

D. O. M.

Fratri Angelo Mariæ Montursio Florent. Ord. Serv. B.M.V. Præconi, & Sacræ Theologiæ Professori eximio, qui cùm solitariam, austeramque vitam in Cœnobio D. Annunciatæ, non sine sanctitatis fama, jam per decennium Florentiæ duceret, Clementis VIII. Pont Max. jussu ad supremam sui Ordinis Præfecturâ vocatus, cùm

A Gregem sibi commissum pietate, & prudentia regeret anno Jubilæi 1600. in sævam pleuritidem incidẽs Romæ decessit VII. Kal. Martij annum agẽs quinquagesimum tertium, monumentum hoc unanimi Florentinorum Patrum cõsensu F. Deodatus Florentinus ejus obsequentissimus Socius grati animi, ac pietatis ergo D.C. Anno sal. MDCXX.

B Intus verò super arculam, in quâ hujus Patris ossa quiescunt in lamina plumbea hæc impressa leguntur: *Ossa P. Angeli Mariæ Montursij Florentini Ordinis Servorum B.M.V. hic posita anno Domini 1620. die 10. Martij à F. Gregorio Alasiâ ejus Discipulo, cujus meritis se quotidie commendat.*

Mense proximè sequenti Octobris P. M. Paulus Marhiolus de Perusio Romanæ Provinciæ Præfectus, cùm Cœnobium .1. nostrum Viterbij de more visitaret, veterem tumulum B. Perri de Cruce deprehendit, de quo Gianius Cent.3.lib.6.cap.5.nũc 7., in quo laterem etiam adinvènit capiti ejusdem Beati suppositum loco pulvinaris, ob nimiam Populi devotionem, ni verius dixerim curiositatem, adeò labefactatum, ut B. ejus ossa contrectari, seù potius auferri nimis commodè possent. Est enim rara Viterbiensium, & singularis erga B. Petrum devotio, præsertim febri laborantium, qui ipsum invocantes receptâ à nostris Fratribus quadam Crucis Imagine utplurimùm convalescunt, quemadmodum se accepisse testatur Gianius in supplemento Annalium de D. . . . . . Matthæuccio ejusdem Urbis Episcopo, & nuper de Alexandro Card. Peretto à Monte Alto, qui cùm in Agro dicto *Bagnaia* hoc anno diversaretur febri correptus consuetâ B. Petri Cruce vix humillimè receptâ ab infirmitate convaluit. Hic autem pro renatâ referre non pigeat ad eruditionem Posterorum, quòd novissimis temporibus in eadem Urbe evenerat; cùm enim ex inveteratâ consuetudine febricitantibus Tertianâ præsertim febri tria hostiæ fragmenta per tres discretos dies ad honorem individuæ Trinitatis, & B. Perri de Cruce accipienda concedere solerent Patres jejuno stomacho, scilicet fragmentum unum quovis mane post recitationem Orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ hoc ordine servato, ut in primo fragmento primâ die sumendo scripta essent hujusmodi verba: *Christus natus* Crucis figurâ ipsis subjectâ: in 2. fragmento secundâ die sumendo hæc verba: *Christus passus* geminâ Crucis figurâ subjectâ: in tertio denique tertia die sumen-

Inventio veteris Tumuli B. Petri de Cruce.

Crux B. Petri mira in febricitantes operatur.

C D

sumendo triplici Crucis figurâ pariter adiecta hæc verba : *Christus resurrexit* , nullus Tertianâ Febri laberans adsuisse comperiebatur, qui minimè convaluisset. Quocirca nostri Patres capsulam quandam opertam quidem, sed omnibus expositam fragmentis hujusmodi plenam in Choro tenebant , de quibus liberè possent quicunque ijs opus haberent, accipere ad sanitatem consequendam. Cùm verò D. Franciscus Maria Card. Brancaccius novus hujus Urbis Episcopus certior factus aliquando hujusmodi Devotionis, germanam ejusdem causam non intelligens, veluti superstitiosam abolendam præcepit. Verùm (admirabile Dei consilium , cui hominum vota resistere nequeunt) infirmatur quàmprimùm in ejus aulâ quidam sibi acceptus Febri Tertianâ vexatus, qui aliud quodcunque artis Medicæ remedium inutile prorsus expertus, & de Cruce B. Petri prædictâ, ejusque oratione certior factus adeò vehementer excitatus ipsam adhibere voluit, statimque convaluit; quod seriò animadvertens Episcopus, Patribus nostris, ut eandem in posterum pro libito de more adhiberent, tanquam saluberrimum è Cœlo proditum remedium quàm lubentissimè concessit. Itaque præfatus Mathioius de hujusmodi Populi devotione præmonitus sepulcrum B. Petri instaurandum decrevit : interim verò collectis ejus reliqnijs, ex qnibus conijcere licuit *Beatum istum proceræ fuisse staturę* , in specialem capsulam reponi curavit hac honorificâ inscriptione super eandem capsulam appositâ. *Ad honorem B.M.V., ac B. Petri de Cruce Germani, cujus ossa in hac capsulâ noviter factâ tempore visitationis ab Adm. R.P.M. Paulo Mathiolo Perusino Provinciali hujus Provinciæ Romanæ Ord. Serv. B.M.V., unâ cum. R.P.F. Mercurio Rosario Perusino ejusdem Provinciæ Socio, ob majorem devotionem, ac conservationem condita sunt anno 1620., die verò 22. Octobris Pontificatûs SS. D.N.D. Pauli Papæ V. anno 16*

B. Petri sepulcrũ instauratur.

Locus ✠ *Sigilli*

Ita est F. Paulus Provincialis Provinciæ Romanæ.
Ita est F. Mercurius Socius ejusdem Provinciæ.

Detrahũtur à corpore B.Petri aliqua Reliquiarũ fragmenta.

Ex prędictis B. Petri Reliqnijs digitum unum dettaxit idem P. Provincialis, quem dono dedit P. Gregorio Alasię in Ecclesiâ nostrâ Summaripę decenter collocandum ; detraxit quoque duas Costulas, quarum unam Perusium ad Ecclesiam nostram S. M. Novæ, alteram verò ad Ecclesiam pariter nostram Senarum transmisit ; detraxit quoque fragmentum calcanei, quem die 5. Decembris hujus anni Ecclesię nostrę Passiniani concessit, quod ibi simul cum fragmento Tunicę B. Philippi servatur. Hoc pariter anno de mandato S.R. Congregationis recognitæ canonicè

Recognoscuntur canonicè Reliquię B. Phil.

fuere die 22. Martij B. Philippi Reliquiæ
E causâ solemnis .r. Canonizationis, quæ de ipso tunc summo studio procurabatur. Interea verò Oeniponte casus quidam contingit, de quo non faciiè definierim, an inde gaudij porius copia suppetat, quàm luctus. Ipso Palmarnm die primâ noctis horâ incendium concepere domunculæ qnædam baud procul à novo Cœnobio, & Ecclesiâ D. Josephi positæ, ipsi cohibendo cùm pares non essent quicunque ad id eò confluxere, ignis brevi undequaque diffusus, & proinde validior proximas primùm ædes, exinde verò prædictum cum Cœnobio Templum depascitur; plures adhuc Domus egregias cum Palatio Marchionum Burgoiæ, unâ eâdemque involvens ruinâ. Spectaculum boc ex alio Civita-
F tis capite eminùs conspiciebat Serenissima Princeps mœrenribus quidem oculis, quippe quæ solo propemodum æquari ædificium tot annorum, & Florenorum impendio excitatum intuebatur, & cui iterum excitando se parem non esse maximopere dolebat ; sed animo veræ Heroinæ proprio, nimirùm invicto soli Deo Jobnm æmulata inbærebat; cujus tamen, & reliquarum Sanctimonialium preces ignem præfatum à Cœnobijs Claustralium, & Regularium, quibus per varios flammarum globos, & nubium voiumina diffusus atrociter imminebat, repellere omninò valuere. Deplorandum sanè Patribus nostris spectaculum, qui pusillum Ordinem suum veluti in cunabulis oppressum lugebant! Verùm
G Heroina nostra nunquam sibi non eonstans ijsdem haud mediocriter afflictis, licèt & ipsa afflictissima, magno fuit solatio aptissimâ ad rem promissione, se nimirum longè augustius priore Templnm, atque Cœnobium, si vita, viresque suppeterent, Deo acceptius, Dæmonibus insensius condituram. Neque verò verba tem ipsam excessere, nam delectis illicò veteribus muris, egestisque combustorum ruderum reliquijs intra unius anni decursum eò novum surrexit ædificium, ut et ad celebranda in Templo Divina, & ad sedes in Cœnobio iterum parandas Patribus, qui se Grienegg ab incendio receperant, satis ampla commoditas accesserit, ac reverâ progressu temporis licèt desecerit Serenissima Prin-
H ceps, non ideò tamen defecit ejus immortalis munificentia, quæ Templum, & Cœnobium longè augustius consummavit, quod quidem sicut & gloria nunquam intermoritura, quam in hujusmodi angustiis invicto animo superandis sibi comparaverat Reverendissima Soror, longè majus nobis conciliat gaudium, quàm excitando doiori par fuerit incendium. Enimverò misericors Deus, qui nec jucunditates, nec tribulationes sinit esse continuas, sed vitam hanc mndò ex his, modò ex illis admirabili varietate contexit. nam præter mox dicta Serenissimæ Principis beneficentiæ argumenta, nedum desiderandum nobis non est, quòd inimicus ignis depasce-

Oenipõte comburitur Eccles., cum Cœnobio S. Josephi.

Eccles., & Cœnobium S. Josepi magnificentius reædificantur.

pascebatur, Cœnobium iterum à Serenissimâ excitandum, quinimmo recens aliud apud Ecclesiam Vualdrastensem Deiparæ Patronæ nostræ auxilio quàmprimùm consurget, unaque cum ipso in Serenissimo alio Archiduce Serenissimæ Annæ Julianæ paterna Charitas revivifcet, quemadmodum anno proximè sequenti reperiemus. Interim editur in Lucem Bononiæ Typis ImpressaSuperiorum Ordinis jussu Epistola quædam ab Archangelo Gianio Italico Idiomate conscripta, quâ certiores faciens singulos ejusdem Ordinis Patres de Beati Philippi Benitij Florentini, & Ordinis illius Quinti Generalis eximiis meritis per annos plusquam tercentum non interruptâ ferie miraculorum comprobatis, eos pro virili hortatur ad studia quæque adhibenda, ad maximos Orbis Christiani Principes excitandos, ut solemnem ejusdem Beati Canonizationem apud S. Sedem Romanam Apostolicam prosequantur, quæ sanè notare decet, ut posteris compertum sit, quonam studio se gesserint Majores nostri, præsertim Archangelus præfatus, dignus propterea immortali laude in re tanti momenti Ordini nostro adeò honorificâ promovendâ, necnon ipsius gravitatem percipiant, cui assequendæ necesse fuerit tantos Viros, tantamque curam adhibere.

B. Phil. Benitius eligitur solemniter in Vexilliferum, & Patronũ Civitatis Tuderti.

Tuderti quoque communi omnium plausu, ejusque Civitatis Procerum unanimi consensu, vivæ vocis oraculo primùm, deinde per secreta suffragia nemine penitus discrepante in generali Conventu die 10. Decembris hujus anni electus in Protectorem Urbis idem B. Philippus, quem exteroqui per 4. ferè secula tanquam Patronum specialem experti fuerant omnes, ac venerati, ac propterea per tres proximè sequentes dies plures insuetatæ lætitiæ significationes singuli per Urbem dedere, sive festivis ignibus, sive plaudentium Campanarum sonitu, sive aliâ adhuc ratione, quam ingeniosus amor excogitavit, quem exinde quoque sapienti cuique liceat colligere, quod in Generali prædicto Procerum Conventu per supplicem libellum causæ hujus promotores exhibuere, quem proinde proprio idiomate, prout jacet, hic placet attexere, unà cum favorabili ejusdem Conventûs rescripto .3.

Molto Illustre, e Generoso Consiglio.

NON *è di che una Città possi tanto gloriarsi, che esser ricca di Corpi Santi in terra, a Protettori in Cielo, da' quali sia ajutata, e difesa, non pure negl' universali, ma ancor ne i bisogni particolari; e quanti più sono, meglio è, perche* Multipilicatis intercessoribus largiaris. *Questi sono le vere fortezze, e muraglie, come dissero con molta ragione i Cittadini d' Antiochia a Leone Imperatore, il quale voleva levargli il Corpo di S. Simone, per difendersi dall' insidie de' nemici, o tenerli lontani; di dove senza alcun intoppo si può dedurre quanto sia felice questa nostra Città di Todi,*
A *poichè non solo lei è abbondante di Santi da lei diversi, ma anco favorita di Figli d' alcuna Patria, fra quali non si può negare, che uno de principali sia il B. Filippo vero Servo di Maria Vergine, e tanto glorioso per i meriti, del quale, chi è, dicasi pure, perchè è vero, che à lui sia ricorso, e non abbia ottenuto da Dio grazie? Cominciò in vita, seguitò in morte, et ha continuato, e continua tuttavia, poichè oggi più che mai si sentono Miracoli grandissimi, mercè la protezione particolare, che tiene di questo Popolo; Fiorenza lo messe in luce, e Todi è stata degna di esserne erede; in Fiorenza ha fatto gran Miracoli, ma non hanno che fare con quelli ha fatto in Todi, sì in quantità, come in qualità: Quella come Patria, sebbene si vede priva*
B *d' un Tesoro sì grande, qual è il suo Corpo, l'ha eletto nondimeno per suo Protettore; e Todi quanto meglio deve farlo, poichè senza merito suo è stata preferita alla di lui Patria, non solo con aver il suo Crpo, ma la Cappa, & altre Reliquie. Amore si paga con amore, dunque se questo Beato hà mostrato, e mostra particolare affetto à questa Città, e la Città deve rendergliene quelle grazie maggiori, che ella può, pigliandolo formalmente per Avvocato in Cielo in compagnia degl' altri suoi Protettori, e ricorrendo a lui confidentemente, che questo è il contracambio, che gl' Uomini possono dare a' Santi.*

Quando fù mai, che si multiplicassero tanti peccati, & offese à Dio benedetto, quanto oggi?
C *Dunque a' maggiori bisogni più Protettori ancosono necessarij per placare l'ira Divina. In tutti i tempi si è mostrata ardente la Città di Todi verso questo Beato, come si legge nelle Scritture antiche, e principalmente nel Decretale del 1369., dove si tratta, che la Città ogn' Anno offeriva al detto Beato due Torcie nel giorno della sua Festa; dunque oggi più che mai dovrebbe farlo, e mostrarsi tale, quale fù sempre, essendo con utile inesplicabile, perchè, se non essendo Protettore, è stato sempre vigilantissimo nondimeno in vedere i bisogni, e soccorrere a tutti, quanto maggiormente lo farà, e con quanta maggior efficacia andrà dinanzi a Dio per ottener quelle grazie, che dalla sua Città gli saranno dimandate, essendo suo Avvocato?*
D *Non fù senza Providenza, che fosse trasportato il suo Corpo dalla Chiesa di S. Marco a quella di S. Maria delle Grazie, quale è Protettore particolare di questa Città, che perciò si chiama la Città della Vergine, perchè il servo non deve scostarsi, ma star vicino al Padrone: dunque se si facesse quest' elezione, alla quale non si ricerca spesa, ma solo il commun volere, di che vorrà mai dubitare questa nostra Città di Todi, avendo data di se stessa cura alla Vergine del Cielo, & ad un suo Servo così caro, come si vede giornalmente; sù dunque sia di tutti noi in quest' azione un sol cuore, una sola volontà, acclamando il B. Filippo per nostro Protettore, Padrone, & Avvocato in Cielo appresso la Maestà Divina,*

Divina, cui soli honor, & gloria. Amen.

In Consilio generali facto super dictâ Apocâ fulemni, ac diligenti partito ad lupinos albos, & nigros fuit obtentum per lupinos albos 60. affirmativam denotantes, nullo nigro penitus discrepante, & cum maximo applausu. Cujus rei fidem publicam facit die 14. Decembris 1713. Paulus Petrus Nisterna Secretarius Prioralis Civitatis Tudertinæ, qui exemplar hoc ex publicâ Secretariâ ejusdem Civitatis accepit.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 *Ex monum. Conv. Tipherni, D. Marcelli de Urbe, ac de Viterbio, & m. f. Grantj.*

2 *Augnst. Romer Servitur Martana lib. 3. cap. 20.*

3 *Exemplar authenticum est in Archivo D. Annunc. de Flor.*

Illustrium Patrum Gesta, & obitus enarrantur. Moritur Oenipontæ Soror Maria Humilitas. CAP. VII.

Stephani Guasco Alexandrini ogestum, ac laudes.

Annoniaci .t. in Galliâ Celticâ P. M. Stephanus Alexandrinus ex nobili Familiâ Guasco post diutinos labores pro Catholicâ fide contra Hæreticos concionando, & disputando gloriosam oppetit mortem hoc anno 1620., cui dignis laudibus justa persolvere decet. Vir iste ob præcipuam eruditionem, morumque probitatem cum suavi quadam comitate coniunctam præter Avitam nobilitatem, Principum, & Prælatorum benevolentiam inire nullo negotio potuit. Quare cùm in Gallijs diversaretur, habitâ ratione ejus Majorum, qui varia, eaque acceptissima Regibus præstiterunt obsequia, Consiliarius Regius, & Eleemosynarius in Aulâ Henrici IV. admissus fuit. A D. Hieronymo de Villars Archiepiscopo Viennensi Vicarius Generalis totius Diœcesis constitutus, & pluries ad Urbem pro gravioribus negocijs ad Clementem VIII. Orator missus, ac tandem veluti benemeritus ejusdem Collegiatæ Annoniaci Archipresbyter Præfectus creatus fuit, in quâ dignitate usque ad finem vitæ perseveravit. In proximâ verò Provinciâ Narbonensi Generalium Ordinis vices pluries gesserat, & Prioris Provincialis munus exercuerat, nec unquam etsi tanto rerum pondere pressus Divini Verbi prædicationem neglexerat, plenus denique dierum in eâdem sui Archipresbyteratûs Ecclesiâ requievit. Hunc proximè sequitur P. M. Lælius Balleonius de Florentiâ, qui feriâ 4. Majoris Hebdomadæ circa secundam noctis horam Pisis, ubi publicè in Universitate Theologiam profitebatur, repentino apoplexiæ morbo correptus, usu loquendi destitutus quinto post die 12. Kalendas Maii horâ 15. feriâ 2. Resurrectionis Dominicæ 70. annum agens, mortuus est, in æternum cum eodem Christo victurus. Virum hunc, quem planè æternis laudibus prosequi debemus, qui in sæculo vocabatur Octavianus Dominici Filius, & Habitum nostrum suscepit anno .t. Domini 1558. die 1. Februarij, à teneris unguiculis vividi, & acerrimi ingenii, necnon tenacissimæ memoriæ Patres nostri experti fuerant, itaut brevi condiscipulos quoscunque, non autem Angelum Mariam Montursium, longè superasset; invictum semper, & infracti animi, fervidum, sed æquè ad humanitatem compositum, honestate vitæ semper laudabilem, morum comitate jucundum, maxima, & præclara appetentem, amicorum, pro quibus etiam non modica subijt incommoda, acerrimum usque ad aras defensorem, nullo non ævo Universi comprobarunt. Postquam domestica Senarum, & Bononiæ Ordinis Gymnasia moderatus fuerat, & per primarios Italiæ suggestus Divinum Verbum honorificè explicaverat, ad varias ejusdem Ordinis dignitates promotus fuit, nam Præfecturam in primis in Etruriæ Provinciâ exercuit. Oratorem egit in Romanâ Curiâ; & defuncto Librantio Generali, à Sixto V. Summo Pontifice, cui ob quandam ingenij sympathicam indolem acceptus maximè fuerat, Vicarius Ordinis nostri Generalis Apostolicus constitutus usque ad proximum Capitulum Generale Parmæ in eadem Præfecturâ confirmatus, & iterum in Comitiis Generalibus Butrij sex annos Religionem administravit. Gratiam quoque Ferdinandi Cardinalis Medices, cui nonnulla opuscula Theologica nuncupaverat, longè antea tulerat, qui cùm Principatum Etruriæ post Franciscum Fratrem assequutus fuisset, Lælium semper inter Familiares ascivit, quin & ad varios Episcopatus, Cortonensem præsertim, Collensem, & Fesulanum quamsæpissimè proposuit. Unum autem præcæteris immortalem apud Posteros præstitit Lælium, quòd Senarium penè fundItùs dirutum tantâ celeritate, rantaque animi magnitudine restituit, ut brevi locus perficeretur, & in Sanctam Eremum eodem Lælio procurante à Summo Pontifice Clem. VIII. erigeretur, & à primis Patribus instituta Eremitica Vita servaretur, quemadmodum exactè scribit Gianius Cent. 4. lib. 5. cap. 7. nunc 8. & seqq. Absoluto Generalatûs Officio in Patriam reversus Metaphysicam primùm in Universitate Pisanâ Ferdinando Magno Duce jubente, sex annos interpretatus fuit; deinde S. Theologiam, cui per 47. annos operam honorificentissimè dederat præclarissimus Jacobus Tavauthius anno 1607. sæculo defunctus, ferè tredecim annos ad obitum usque explicavit, & Carolo Cardinali Medices, Cosmo II. Magno Duce mandante, munere Theologi præsto fuit. Romam cum ipso profectus, qui purpureum Galerum à Paulo V. Summo Pontifice excepturus erat, Apologeticum Opusculum Hieronymi Cardinalis

Lælij Balleonij obitus, & laudes.

dinalis Protectoris jussu pro tuendâ Ecclesiasticâ immunitate edidit, & summo eidem Pontifici nuncupavit. Postea verò, Fabritio Cardinali Verallo Protectore excitante, insigne moliebatur opus adversus Ecclesiasticam Rempublicam Archiepiscopi Spalatensis, sed morte præventus perficere non potuit. Ejus exequiæ Pisis honorificis carminibus, decenti apparatu, ac totius Universitatis frequentiâ deploratæ, à præclarissimo, atque eruditissimo D. Julio Cæsare Bulingerio Gallo in eadem Universitate humaniorum Literarum Professore disertissimâ oratione, tum ob eximias virtutes, tum ob animi magnitudinem, & præstantiam, tum quòd de nostro illo Pisano Cœnobio, quod commodo studentium magnificentissimè auxerat, & satis amplam Ecclesiæ plateam prævalidis muris ad ornatum, & defensionem undequaque vallaverat, optimè meritus esset, egregiè celebratæ fuerunt. Plura ingenij sui monumenta reliquit, præsertim verò commendanda posteris, superest ingens librorum copia, quæ in Florentino Cœnobio novæ instaurandæ Bibliothecæ quàmmaximè conduxit, in quâ pariter exornandâ mille aurei è Cathedræ stipendijs provenientes erogati honorificè fuere; in ejus autem locum Pisis sufficitur Theologus P. M. Henricus Antonius Burgus à Castro novo Scripiæ, qui pariter antea in Universitate Ticinensi idem munus administrarat; Reverendissimo denique Balleono præclaras quasdam Inscriptiones ejus Tumulo apponendas Idem Bulingerus adornaverat. Lælium præfatum proximè sequitur moriens F. Cyprianus Sabellius Clericus noster Diaconus, qui proximè illum sequi videbatur ingenio, quippe qui adhuc adolescens, annum scilicet 24. agens Archangelo Gianio in adornandis Annalibus nostris adsuerat, pluraque alia jampridem præbere cœperat ingenij sui solertissimi specimina, & optimæ expectationis Juvenis ad majora studia properabat. In Eremo .a. quoque Senarij duplex Deo, ac Deiparæ offertur Hostia, duo nimirum Fratres Laici mortem oppetunt, quorum memoriam, utpote æternam, quæ competit justis, præterire silentio non decet. Primùm ergo die 29. Septembris hujus anni obiit in Infirmariâ nostrâ apud S. Martinum Laicus quidam nomine Paulus, qui utporè staturâ pusillus, vulgò dicebatur *Paulinus*, in seculo vocatus Cosmus Filius Michaelis Baroni. Eremiticum Habitum, tanquam Laicus, induit die 25. Julij anno 1614. ætatis suæ 40., & die 29. Julij anno sequenti 1615. solemnem Professionem emisit. Religiosæ vitæ, cui speciatim nomen dederat, optimè perspectâ conditione, sedulus jugiter fuit Operarius, non sibi, sed alijs morem exquisitissimè gerens, munia quæque quàm diligentissimè obibat, nemini secundus in opere, licèt in Professione postremus, solertiam insignem in omnibus adhibebat, ut omnibus præstò foret, præsertim Infirmis,

F. Pauli Eremitæ Senarij felix obitus, & laudes.

A suavis eloquio, morum comitate singularis, Deo proinde, & hominibus dilectus, cujus memoria in benedictione est. Paupertatis severissimus cultor, & Eremiticæ vitæ studiosissimus, cum Cellulâ destitutus esset propter tenuitatem Fabricæ tunc exurgentis, se paratum exhibuit super nudam etiam humum cubando, quam verè mirabilem animi dispositionem admirabundi animadvertentes nonnulli ex Fratribus humile quoddam sarmentum super contignationibus quibusdam, prout fieri potuerat in eâ rerum egestate, ipsi adornarunt, cui vicissim commoda nimirum habitatio videbatur. Dono virginitatis sese spectabilem præbuit, & licèt 46. ætatis suæ annum non excederet, plenus tamen dierum obdormivit in Domino, in Eremi deinde Ecclesiâ tumulatus. Die autem 6. Octobris hoB râ circiter 17. alter Laicus ibidem obijt anno eodem 1620., ætatis suæ 42., & Religionis 20. dignis pariter laudibus prosequendus. Frater Manettus hic dicebatur Filius Barnabæ Ferri Genuensis, natus tamen Florentiæ ex Matre Florentinâ, professione Aromatarius. Die 25. Martij anno Domini 1601., ætatis suæ 22., Eremiticum Habitum suscepit unà cum P. Angelo Maria Medici, Antonio Mariâ pariter Medici, & F. Hieronymo, cum quibus etiam anno sequenti die 31. Maij solemnem emisit professionem. Cùm adhuc in seculo degeret pietati valdè addictus, celebriora frequentabat Oratoria, in quibus præclara exercentur Christianæ virtutis arguC menta; in ijsaurem Manettus noster, quamvis maximè juvenis cæteros vel æquabat, vel superabat, laudandus præsertim in dicendis ultrò culpis, prout Oratorio S. Benedicti familiare erat, siquidem humano quocunque respectu superior simplicitatem maximam in minimis quibusque accusandis præseferebat sui verè contemptor. Hinc minimè mirum, quòd Eremiticam vitam amplexus virtutibus omnibus indiscriminatim studeret, silentium speciatim diligeret, cujus transgressiones quascunque, licèt minimi habendas, graviter puniebat, adhibito præsertim labiis ligneo quodam instrumento, quod equis de more adhibitum demordeant, adhibent etiam Eremitæ, quod cùm actu labiis admotum D gestaret, januam Eremi, prout sui muneris erat, aperiens, seipsum hujusmodi pœnâ affectum Exteris præbuit videndum summâ animi sui dejectione, verè spectaculum Mundo, Angelis, & Hominibus. Observantiæ legum Eremi tenacissimus Custos, solitudinem, orationem, pœnalia opera in votis maximè habebat, à recreationibus, & aliis hujusmodi etiam in Eremo permissis deliciis alienus, totus erat in exercendis sanctis operibus erga Deum, & proximos, quorum cômodis, potissimùm verò, si ægrotarent, valde inhiabat, sibique haud mediocriter complacebat, aromatariam artem magis ac magis callere, ut majori ijsdem esse posset adjumento,

F. Manetti Eremitæ ejusdem Senarij obitus, & laudes.

mento, omnibus profectò omnia factus, patiens proinde mirabili modo laborum. Quæ quidem omnia maximè aversatus Diabolus, ut ipsum ab operibus hisce deterreret, cùm actu cellam vinariam tunc incredibili labore expurgaret, cùm ipsi quiescendum foret, nec satis ipsius charitati videretur factum in alijs, & quidem pluribus completis per diem operibus, repentè se videndum exhibuit specie mulieris, quod Manettus advertens, ab ipso statim secessit, & in Eremum se recipiens Diabolum contemnens fugavit. Ejus denique constantia in supremâ Infirmitate mirabiliter enituit, nam procul ab Eremo, quam ipse præcæteris omnibus diligebat, repentino morbo correptus fato cedere coactus fuit, scilicet Castuleone Aretino, seu Florentino in Palatio Prætoris, quod munus ejus Pater tunc administrabat, cùm à Balneis Eremum ipsam repeteret. In eo rerum discrimine mirum est quot, & quanta præstiterit charitatis, humilitatis, patientiæ, sui contemptûs, paupertatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum argumenta, quarum ornamento cùm se coram Domino pretiosum reddidisset, sacrosanctis Ecclesiæ sacramentis refectus, speciatim Eucharistiæ, quæ semper illi fuit in deliciis, cæterisque Ecclesiæ ritibus prestitis verba illa frequenter repetens: *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis:* Sibi verius, non Christo adhibenda, jucundum sibi ostendens Psalmum audire: *Domine non est exaltatum cor meum*; sacratissimis Jesu, & Marie nominibus quàm frequentissimè invocatis, nunquam sibi non constans in osculo Domini obiit.

Sororis Mariæ Humilitatis Oenipontanæ felix obitus, & laudes

Recensitos hactenus Ord. nostri Fratres, qui ea hac vitâ per hujus anni circulum migrarût; postremo loco sequitur Soror quedam Tertii Ordinis Professa, que procul dubio pie sanctimoniâ eosdem antecellit. Hec Soror est Maria Humilitas .3. Oenipontana, que anno Domini 1614. die 21. Maii Habitum nostrum Tertii Ordinis induit, anno verò 1620. sacris communita, integris sensibus, astantibus, & pso eâ orantibus Consororibus Oeniponte, dum Serenissima nostra Anna Juliana Canticum *Stabat*, sive planctum Virginis unà cum aliis recitaret, ad illa verba: *Fac, ut animæ donetur Paradisi gloria*; hilaris, & placida spiritum Deo reddidit. De Sororis huius Gestis, & Sanctimonie argumentis vix aliquid dicere possum, quia vix aliquid mihi adhuc innotuit. Unum illud adiiciam, quod P. Joachimus noster Germanus in Epistolâ quadam sub datum Oeniponte die 16. Julii 1622. scripserat ad Patrem Gregorium Alasiam, quod scilicet supponit, se ad eundem Patrem plura de morum Sororis hujus probitate antea scripsisse, eaque accepisse à P. Henrico Seysud eius olim Confessario, & Ordinis Franciscanorum per Tyrolim Reformatorum Provinciali. Adiiciam etiam ea præcisè verba, que eidem P. Joachimo scripto dederat Sororis prædicte Priorissa, videlicet: *Soror Maria Humilitas nostra anno 1614. die 21. Maij Monasticam vitam amplexata est, mortua est anno 1620. die 6. Decembris ætatis suæ 24., sed quantùm ad morum, & vitæ perfectionem meritò sexagenaria dicenda; nomen suum cum moribus optimè conformavit, obedientiam mihi inviolabilem semper sine ullo contradictionis signo ab ingressu Religionis usque ad extremum vitæ halitum præstitit.* Sororis hujus proximè sequens vestigia in dissitis etiam regionibus P. Franciscus Canales Barchinonæ olim degens specialem vitæ Sanctimoniam pluribus ab hinc annis prosequitur, ac proptereà parem cum illâ in .3. Cœlis sibi glosiam comparabit. Hujus autem Viri ea erat his quoque temporibus apud varias Gentes de sanctitate opinio, ut, præter hactenus dicta, hoc anno quoque in variis Provinciis fuesir abundè comprobata, nam Barchinone versus Italiam solvens, cùm aliquantisper moraretur Massiliæ ad ipsum ibi non mediocris factus est Populorum concursus ob summam, quam erga eundem venerationem fovebant, ibique infirmum quendam sanavit, quod Genuæ pariter subinde præstitit. Mediolanum verò vocatus à Gubernatore Duce de . . . . . publicè habuit Conciones nonnisi eximio Divini Spiritûs fervore incensus. Præterea Consules Barchinonenses duabus Literis Barchinone datis 6. Kalendas Februarij anno 1611. ad Antonium Vivolum de Corneto Ordinis nostri Priorem Generalem, hæc præcisè testati fuerant de hoc P. Francisco. *P. Franciscus Canales Ordinis vestri, ex Ordine quondam Benedictinorum, est insignis Concionator, cujus præter quàm quod Philosophiam, & Theologiam egregiè callet, tanta est pietas, & charitas erga Infirmos, ut qui ejus precibus, virtuti, & fidei se commendant, penè ab infinitis morbis, qui physicis medicaminibus vehementer obstringuntur, divinâ miseratione liberentur.* Idem confirmat Literis .4. ibidem datis die 24. Februarij ejusdem anni P. Matthæus Lopez Hispanus è nostris hæc scribens. *Est hic F. Franciscus Canales Magnus Theologus, quondam ex Ordine S. Benedicti, cui petenti Habitum dedimus, & est Vir sanctus habens gratiam specialem curandi omnes infirmos, unde Ordo noster in his partibus magnum honoris incrementum suscipiet, confluentibus undique summâ admiratione infirmis, & ejus precibus, & intercessione à Deo curantur, unde maximus fit concursus hominum, & præsertim ex Provinciâ Cataloniæ.*

Frācisci Canales laudes.

Hisce Viris, & Fœminis Sanctitate præsertim illustribus, accedunt & aliæ Fœminæ in primis in Urbe Senarum, scilicet, Eleonora, Domitilla, & Uritia. Eleonora quidem humilibus Parentibus nata Tertij Ordinis nostri Habitum suscepit, ejusque Confessarius fuit P. Herculanus Congregationis Clavorum, Vir sanctitate Vitæ conspicuus. Hæc quoties divino pabulo reficiebatur in extasim illicò

rapta

tapta erat, peccatum adeò exhorrebat, ut si fortè ad aliquem eidem obnoxium accessisset, inde recedere omnino cogeretur, graveolentiæ scelerum ferendæ impar. Ipso Herculano testante Eleonoræ conspiciendum aliquando se præbuit Generis nostri Redemptor sub specie Infantis in Præsepi, aliâ verò vice Crucem super humeros deferens, ipsamque ad sui sectanda vestigia confirmans. Nicolaus de Bulgarinis Patritius Senensis infirmitate stomachi laborans, Eleonoræ precibus sese commendans integram sanitatem recepit. Hoc demum anno 1620. ad cœlestia contendit. Domitilla in Oppido Sancti Geminiani nata vitam Casulis transegit in Ditione Senensi. Habitum Tertij Ordinis Servorum B. M. V. è manibus P. M. Christophori de Galganis Ordinis nostri Senensis accepit. Prodeunti è domo ante meridiem ei videndum se exhibens Dominus, ipsam de omnibus monebat, quæ die illâ peragenda ipsi erant. Jejunijs, alijsque corporis macerationibus addicta, pluribus cumulata meritis æternam vitam cum morte commutavit hisce pariter temporibus, & in Ecclesiâ Præpositturæ ejusdem Oppidi sepulta fuit. Uritia denique Galgani Uxor Annibalis Ortheringhi Patritij Senensis ab eodem P. M. Christophoro eundem Habitum recepit. Frequens erat in jejunio, & flagellationibus, Sacratissimâ Eucharistiâ quàm frequentissimè vescebatur, erga Pauperes valde misericors, seipsam despectui non mediocriter habebat, & quò magis premebatur angustijs, eò magis lætabatur, & plurimas Deo gratias agebat.

Domitilla Tertij Ord. Serv.

Uritia Galgani ejusdem Ordin. Soror.

Recensendi pariter sunt Viri quidam illustres, qui in Conventu nostro de Pistorio [4] varijs temporibus floruere, quorum Archangelus Gianius non meminit, qui cæteroqui præclaram de alijs mentionem fecit, quia ipsi nullatenus innotuerunt, quos mihi licuit assequi ex illius Cœnobij monumentis. Primùm sanè Angelum de Cancellerijs, quem nonnulli sensere Episcopum Pennensem fuisse à Clemente VI. creatum, quem tamen ad hâc Dignitatem assumptum fuisse admittendum non esse docui ad annum 1381. Deinde Nicolaus, qui anno Domini circiter 1380. Chronicon Ordinis nostri scripserat, cujus Originale quàm diligentissimè servatur in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ magno habitum in pretio. Jacobus Nicolæ de Gualfreduccis, qui anno 1330. rarâ prudentiâ, & sanctitate prædictum Cœnobium administravit. Sebastianus Vongeschi, qui publici Ordinis nostri decoris studiosissimus Disciplinam regularem instauravit, Cœnobij Fabricam reparavit, prædia comparavit, rem familiarem mirabiliter auxit, & nobiliores illius Urbis ad Habitum nostrum recepit, nimirum Benedictum de Carlis, sive Banchellis, & Bonfilium de Cellesis, quorum vestigijs inhæsere FF. Bonifacius de Peris, Hieronymus de Butis, Christophorus de Bracciolinis, Benedictus de Panciatichis, Phillppus de Villanis, Joannes Franciscus de Turis Goris, & alij usque ad Cornelium de Peraccinis, de cujus obitu, & laudibus satis abundè diximus ad annum 1611., suis enim virtutibus, & optimis moribus Ecclesiam, & Locum hunc plurimùm exornavit. Quorum omnium imitati exempla alter Christophorus de Bracciolinis, Cæsar Bonsantius, & Jacobus Auringhelius, qui vel Ecclesiam sacrâ supellectili satis abundè instruxere, vel Cœnobij Fabricam ad umbilicum perduxerunt, & valde locupletarunt; quibus accedit pro coronide illustri Alexander Marci de Salvis, qui celebris Orator, atque Theologus plura posteris reliquit m. s. opera mathematica.

Viri Illustres de Pistorio.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

1 *E M. S. Archang. Gianij in Archivo D. Anu. de Florentiâ, & alijs ejusdem Cœnobij monum.*

2 *E monumentis Montis Senarij.*

3 *Ex supplem. Annal. ejusdem Gianij.*

4 *E monum. ejusdem Gianij, Senarum, Pisarum, & Pistorij.*

Mortuo Paulo V. Summo Pontifice succedit Gregorius XV. Balthassar Generalis Commendator S. Spiritûs in Saxiâ, Clemens Fabri creatus Magister eidem Archihospitali præficitur. Virorum illustrium quorundam obitus. Decretum favorabile pro Societate Habitûs Perusij. Consecratur Ecclesia Senarij. Instauratur Ecclesia Cremonæ. Hymni B. Philippi divinitùs compositi. Supplicatio, & jejunium Florentiæ. Novum Cœnobium VValdrastense.

CAP. VIII.

Annus reparatæ salutis 1621., cujus acta ad Ordinem nostrum spectantia mihi sunt recensenda, plura complectitur eidem Ordini & injucunda, & importuna, obitum scilicet Illustrium ejusdem Virorum, [1] præsertim vero Serenissimæ, & Reverendissimæ Sororis Annæ Julianæ, de quibus in cap. sequenti; obitum insuper Summi Pontificis Pauli V., cui tanquam de eodem Ordine optimè merito pro modulo nostro paucis quidem [1] sed ex abundantiâ cordis parentare conabor. Summus igitur hic Pontifex post diutinam adversam valetudinem repentino Apoplexiæ morbo correptus die 28. Januarij è vivis excessit, postquam 16. annos universalem Ecclesiam administraverat, quæ quantùm ipsi debeat, & cæteri referunt Historici, & ipsa ejus Gesta immortalitate digna declarant; meum potissimùm est animadvertendum proponere, quantùm ipsi debeat sacra nostra Familia, quod sanè satis abundè demonstrant plurima

Paulus Pp. V. moritur.

Privilegia, & beneficia à Paulo V. Religioni præstita expenduntur.

ipsi cuiata Privilegia, & beneficia ad ejusdem dignitatem amplificandam, cultum Habitûs, ac Beatorum promovendum, & hujus generis alia in superioribus ordine, quo par erat, exposita, quammaximè accommodata. Paulo V. post consueta Novendiala Purpuratis Patribus Conclave ingressis unanimi eorum consensu Alexander Card. Ludovisius Archiepiscopus Bononiensis nuncupatus Gregorius XV. in Petri sede successit eadem prorsus die, quâ Conclave ingresso vix scrutinium instituere cœperant, scilicet 3. idus Februarij. Quàm accepta Christiano Terrarum Orbi electio ista fuerit, & quam opinionem de isto optimo Pontifice omnes indiscriminatim conceperint, argumento statim fuere Oratores quàmplures à singulis ejusdem Orbis Principibus gratulabundi ad Urbem Legati. Bononiensis verò Senatus jure sanguinis etiam Summo Pontifici proximus non minori celeritate, prout par erat, quàm munificentiâ apparatus varios nullâ interpositâ morâ Oratores ad Gregorium Concivem suum egregium, & Optimum Patrem destinavit.

Alexander Card. Ludovisius eligitur successor Pauli V.

E

F

Pari verò ratione Bononiense Doctorum Collegium duos elegerat, qui suo nomine Summi Pontificis pedes venerarentur, Balthassarem nimirum Bolognetti publicum in eâ Universitate S. Theologiæ interpretem, & Ordinis nostri Generalem, & unà cum ipso P. M. . . . Locatelli in Cœnobio nostro S. Dionysi de Mediol. Regentem. Sciant Posteri, ne importunâ existiment Balthassaris ad hoc munus electionem, quòd cum prædicto Gregorio adhuc in minoribus constituto mutuam quandam jampridem necessitudinem, & familiaritatem inierat, & jugiter foverat, dum adhuc Archiepiscopus, & Cardinalis ipse Ludovisius esset, qui mutuis officiis benevolentiam suam adhuc in eâ dignitate præeminens erga Balthassarem declaravit, eamque revera etiam in summo Apostolatûs apice nedum non imminuit, sed potius auctam fuisse reipsâ demonstravit; vix enim ad Urbem pervenerat Balthassar, die nimirùm 16. Martii hujus anni, ut Legationis munere fungeretur, cùm Gregorius antiquæ cum ipso necessitudinis non immemor die proximè sequenti ad sacra pedum oscula obvijs ulnis excipiens, motu proprio, non ad illius, vel alterius instantiâ, ut eundem honorifico hoc munere semper .1. sibi proximum haberet opinor, Commendatarium, & Magnum Præceptorem Archihospitalis S. Spiritûs in Saxiâ 15. Kal. Aprilis constituit, proximè sequenti die Purpuratis omnibus plaudentibus promulgavit, 9. Kal. ejusdem Aprilis Summus idem Pontifex Habitu Prælatitio proprijs manibus induit, & in realem possessionem immisit. Quod munus, & ratione dignitatis, & gravissimarum rerum administratione maximè conspicuum in Urbe habebatur. Præterea .1. P. Clementem Fabri pariter Bononiensem, quem

Balthassar Bolognetti à Bononiensi Doctorû Collegio Legatus mittitur ad Greg. XV.

G

H

Balthassar constituitur à summo Pontif. Commendatarius Archiospitalis S. Spiritûs in Saxiâ.

Bononiæ tanquam Virum frugi, & Charitatis obsequiis deditum agnoverat, & inter suos Familiares libenter asciverat, consuetudinis hujus, & probitatis non immemor, titulo Magistri decoratum, eidem Archihospitali præfecit. Hoc pariter anno 6. Kalendas Julij obiit P. M. Petrus Sirius à Foro Pompilij, Vir æquè moribus, ac doctrinâ singulari conspicuus, de re literariâ tum in sacris Concionibus, tùm in S. Theologiâ, & artibus benemeritus, quem plures Alumni ab eodem instituti, & mirum in modum exculti immortalem ferè dixerim præstitere; optimè quoque meritus de Cœnobio nostro ejusdem Oppidi, necnon Ecclesia B. Virgini nuncupata, (non autem D. Antonio Abbati, prout vulgò circumfertur, habitâ ratione Altaris cuiusdam eidem Sancto dicati) illud enim vetustate penè collapsum ejus ope, & operâ in ampliorem, & elegantiorem formam plurium millium aureorum impendio restitutum, & absolutum fuit; cujus merita P.M. Nicolaus Briganti ejusdem Cœnobii Filius, & amantissimus prædicti Patris Alumnus sequenti elogio in Ecclesiâ publicè exposito complexus est, quod injuriâ temporum obliteratum periit, quia non lapidi impressum .1.

P. Clemens Fabri Bonon. eidem Archihospitali præficitur.

Petri Sirri obitus, & laudes.

D. O. M.

F. Petro Sirro Foropompiliensi Ord. Serv. S. Theol. Prof., qui post laborum emeritos honores moderato ad sexennium suæ Mantuanæ Provinciæ studio, Provincialatus gradu decoratus, mox Definitor Generalis, deinde aliarum Provinciarum Visitator, sæpè inter gravissimos Patres ad Religionis apicem nominatus; tãdem Patriæ illectus amore, Domi quiescens, Cœnobio funditùs refecto, Alumnisque pluribus in artibus, ac Theologia imbutis, S. Inquisitionis supra decennium Vicarius, omnibus charus, nulli infensus; postremò diutina, ac importabili infirmitate patientissimè tolerata, febri correptus mali moris quievit in pace.

F. Nicolaus Brigantus S. Theol. Magister, ac Prior Conventus Patri de sua Religione meritissimo,

tri

Concivi, Patriæ amantissimo, demū Præceptori Dilecto pignus memoriæ perennis P. C.

Vixit annos LXII. obijt 6. Kal. Quint. MDCXXI.

Adriani Sferæ obitus, & laudes. Moritur etiam hoc anno Perusij P.M. Adrianus Sfera, non omninò planè .1. prætereundus, quippe qui P.M. Cyrilli Franchi primi nominis Theologi, & in celeberrimâ Perusij Universitate S. Theologiæ Interpretis verè dignus Alumnus in eadem facultate præstantissimus evasit, cooptatus proinde Theologorum illius Urbis collegio, cui etiam plures annos præfuerat, deinde post varios Magistratûs, quos in Ordine nostro honorificè obierat non authoritatis pondere magis, quàm laudabilis exempli virtute Venerabilis, de Cœnobio, Bibliothecâ, & Ecclesiâ propter ingentem librorum usque ad nongenta volumina copiam, & magni faciendam fabricæ instaurationem. Viros hosce præclarissimos duo quoque Adolescentes proximè sequuntur, qui dum obeunt hoc anno propter ingenii præstantiam, & insignem in literis profectum extremum sui desiderium omnibus de eorum excellentiâ altè sentientibus, & Ordini nostro non vulgare decus exinde accessurum sperantibus reliquere. Unus fuit Hieronymus Mazzinius Baccalaureus de Genuâ, dum in Athenæo Pisano literis iisdem, quibus ab ineunte ætate imbutus fuerat, magis, ac magis operam dabat, & gravioribus scientijs Henrico Antonio Burgo à Castronovo Scripiæ ibidem Theologo ejus amantissimo Præceptore addictus præclarum de se specimen præbuerat; alter verò Pistorij, nempe F. Joannes Baptista Buges Hispanus Clericus Diaconus, Publicus in Barchinonensi studio philosophiæ Professor, dum enim Româ patriam repetebat, acerrimâ sævìente hyeme laboribus, & itineribus pressus in viâ defecit. Interim dum Episcopus Perusij apud S. Congregationem Cardinalium Episcoporum, & Regularium negocijs præpositam impedire nititur Generalem sancti Habitûs Processionem, quam PP. nostri de more celebrabant, ab eadem Sacrâ Congregatione sequens emanavit Decretum. .2.

Hieron. Mazzinij de Genua, & Joan. Baptistæ Buges Hispani obitus, & gesta.

Servi di Perugia *Al Vescovo*

Decretū S. Congreg. pro Generali S. Habitûs Processione Perusij. *Essendosi riferito nella Sacra Congregazione ciò, che V.S. scrive con la sua li 31. di Gennaro prossimo passato intorno alla pretenzione di cotesti Frati dell' Ordine de' Servi, di far certa Processione Generale della loro Compagnia dell' Abito introdotta già con il consenso di Lei, e di portare una Statua della B.V. con gran moltitudine di lumi, e concorso di Popolo con Indulgenza [illegible] perpetua. M' anno questi Illustrissimi Signori ordinato di scriverle voler permettere, che si osservi il solito, nè si innovi cosa alcuna intorno a questa, e Dio &c.*

Ita reperitur in Regesto S. Congregationis Cardinalium Episcoporum, Regulariumque negociis Præpositorum sub Congregatione habitâ die 20. Julii 1621. & collationata concordat meliori &c. In quorum &c. Romę hac die 10. Septembris 1621.

N. Jambl. Secr.

Die autem 21. Septembris D. Apostolo Matthæo dicata Ecclesia Montis Senarii per Dominum Alexandrum Martium Medices Archiepiscopum Florentinum solemni ritu consecratur, ad cujus rei perpetuum monumentum in lapide expressa ad lævam Ecclesiæ apposita fuit proximè sequens Inscriptio.

Consecratur Eccles. Montis Senarij

Alexander Martius Medices Archiepiscop. Florent. A.D. M.DC.XXI. Templum hoc Assumptioni Deiparæ Virginis dicatum, Majoremque Aram die Festo D. Matthæi Apostoli consecravit; Summus autem Pontifex Gregorius XV. cunctis Christifidelibus confessis, & S. Communione refectis die anniversaria visitantibus, in perpetuum Plenariam Indulgentiam concessit.

Ecclesia hæc iterum à fundamentis excitata, & quidem augustiùs consecrata solemniter iterum fuit ab Episcopo Miniatensi D. F. Jo. Francisco Poggi anno 1717. , prout ad eundem dicemus.

Hoc pariter anno instaurata fuit Ecclesia S. Victoris apud Cremonam. Die 22. Decembris, Universus Florentiæ Clerus secularis, & Metropolitanæ Canonici unà cum cæteris quatuor Ordinis Mendicantibus Processionaliter adiere D. Annunciatæ Ecclesiam, Sanctissimæ Crucis lignum summâ devotione deferendo, & singuli in eadem Civitate jeiunium servavere, humillimè Deum obsecrantes pro serenitate aeris .3. impetrandâ, ex quo nonnullis ab hinc Mensibus pluvia nunquam cessabat, insigni omnium jacturâ. Nocte festum B. Philippi proximè sequente Thomas Rimbotti Sacerdos, & J.U.D. egregius religione motus erga eundem Beatum hymnum quendam in ejus laudem composuit, necnon duabus noctibus immediatè sequentibus, duos pariter alios, eosque elegantissimos in idem argumentum, qui communiter divinitùs compositi habebantur, cùm eorum auctor se nunquam metricam artem didicisse fateretur, quos deinde legimus apud P. Gregorium Alasiam fuisse ab Authore ipsi dono datos,

Processio Generalis Florentiæ ad Eccles. D. Annunc.

unà

unà cum Epistolâ in laudem Ordinis nostri, ac B. Philippi ab eodem disertissimè scriptâ. Huius B. Patris Processus pro canonizatione S. Rit. Congreg. Authoritate ab Archiepiscopo Florētino Alexandro Martio Medices, Cosmo Minerbetti Archidiacono, & Petro Niccolino Archipresbytero Florentinis, quibus hæc data fuerat commissio, de quâ ad annum 1619. duorum annorum spatio formatus, hoc anno Mense Junio absolutus fuit Archangeli Gianii potissimùm studio, ubi 84. testes dignitate etiam Episcopali præclarissimi apparent, quod pariter Tuderti factum est. Hoc eodem anno die 22. Augusti Florentini Cœnobii Patres Societati B. Philippi, quam summoperè diligebant, dono dedere sacram Reliquiam ex eiusdem Beati mandibulâ desumptam, quam è Civitate Tudertinâ jampridem detulerat P.M. Archangelus Giani, cùm in ejus Urbis Cathedrali Quadragesimales Conciones haberet, quam subinde Confratres prædictę Societatis in thecâ quadam decenti repositam speciali veneratione prosequuntur, quod si vel periret Societas, vel aliud quid simile contingeret, Sacra eadem Reliquia ad PP. D. Annunciatæ præfatos, tanquam directos Dominos, deferatur, prout constat ex libro D memorabilium ejusdem Conventûs fol. 210., & fusiùs ex Instrumento juridicè celebrato. Ultimo hujus anni die moritur Oenipонte noster quidam Tertiarius nomine Joannes Altmair morum integritate clarus, & sanctimoniç famâ non obscurus, qui jampridem prędixerat Cœnobium nostrum S. Joseph ejusdem Urbis in loco, ubi nunc adest, ædificandum esse, longè antequam de loco omninò aliquid in mentem Serenissimę Fundatricis venisset. Prętereà cum ab anno usque 1591., die 10. Septembris statuta quędam laudabilia condidissent hujus Societatis Confratres, quę deinde anno 1593. die 25. Septembris confirmaverat, & approbaverat D. Antonius de Benivienis Ecclesię Metropolitanę Canonicus, & Archiepiscopi Florentini Vicarius Generalis, procedente tempore alios adhuc ritus maximè pios invexere, & Societatem illam proinde celebrem Florentię prębstitere nova quędam statuta, quę pro meliori ejusdem Regimine die 13. Decembris anno 1620. iterum condidere, & hoc anno 1621. D. Alexander Martius Medices Archiepiscopus approbavit, prout ex seqq. constat..3.

Comple-tur Processus B. P. Philippi Florentiæ.

PP. D. Ann. de Flor. donàsti Mândibulam S. Phil. Societ. ejusdem

Statuta præd. Societ. approbat Archiepisc. Flor.

D. O. M.

Alexander Martius Medices Dei, Sanctæque Sedis Apostolicæ gratiâ Archiepiscopus Flor., visis, & diligenter perlectis, & consideratis supradictis Capitulis dictæ Societatis B. Philippi Benitij, & à nobis petito, ut illa approbare, & confirmare dignaremur, & consisto nobis nihil in eis esse, quod hæresim sapiat, & Sacris Canonibus sit contrarium, sed omnia tendere in honorem Dei, & salutem animarum Confratrum ejusdem Societatis, ideo authoritate nostrâ ordinariâ supradicta Capitula approbamus, confirmamus, & illorum observantiam mandamus, & Decretum, & authoritatem nostram ordinariam desuper interponimus sub pœnis in eis contentis. Declarantes tamen transgressores per prædicta nullatenus obligari ad peccatum mortale, nisi quatenus obligentur à S. Matre Ecclesiâ. In quorum testimonium, &c.

Datum Florentiæ in nostro Archiepiscopali Palatio anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexcentesimo vigesimo primo indictione quintâ, die verò 24. Mensis Novembris Gregorio XV. Summo Pontifice, & Serenissimo Ferdinando II. Etruriæ Magno Duce feliciter dominante.

Alex. Martius Medices Archiepisc. Florent.
Josephus Barvius Canc. de mand.

Plura spectantia ad Societatem B. P. Phil. Benitij in Civitate Florent.

Hic autem pro re natâ consentaneum arbitror originem hujus Societatis repetere, aliaque ejusdem honorifica referre, quę hactenus eidem contigere, ut omnes de eorundem veritate edoceantur. Originem recenset quidem Gianius Cent. 4. lib. 5. cap. 2. nunc verò 3. sed paucis ita quidem, ut Lectori ibi nullatenus satisfaciat, quippe quem hortatur, ut consulat, quę Gianius idem scripserat in ejusdem B. P. Historiâ .3. quę cùm obvia omnibus non sit, originem eandem satiùs existimo hic propriâ tanquam in sede explicare. Itaque Florentię anno 1583. religiosi quidam Viri, numero septem, æmulari cupientes septem BB. Ordinis nostri Fundatores post varias ad invicem habitas consultationes, die 15. Octobris unanimi consensu decreverunt Confraternitatem de novo excitare ad pietatem fovendam, & varia virtutum opera exercenda accommodatam, quamobrem P. Bernardinum Ricciolini consuluere eò temporis in Cœnobio D. Annunciatę degentem, postmodum verò in Sacrâ Montis Senarii Eremo vitę Eremiticæ ibidem recèns institutæ Antesignanum, prout ad annum 1595. Hic autem pium eorum consilium intelligens, & de sancto Patrono requisitus, sub cujus auspiciis Confraternitas hæc erigenda foret, cœlesti quodam instinctu, absque aliâ consultatione, nullâ interpositâ morâ eligendum in Patronum ipsis proposuit S.P.N. Philippum Setvum Mariæ fidelem, quem pari animi sensu, eximiâ cordis dulcedine etiam per lachrymas exhibitâ ultrò exceperunt. Septem hi Viri fuere Joannes Joannis Baptistæ . . . Benedictus Bartholomæi de Pardis, Bartholomęus Pauli de Romeis, Hippolytus Juliani del Basso, Andreas Juliani de Battaglis, Joannes Christophori . . . Joannes Matthęi . . . . Hi ergo institutâ Confraternitate animum statim adjecere Sanctissimę Euchatistiæ singulis diebus Dominicis accipiendę. Quoniam verò nullus adhuc ipsis erat locus determinatus, quò convenite possent in unum, Patres Cœnobii D. Annunciatæ perbenignè annuerunt, ut in Capitulo convenirent, quod primo

Societatis prædictæ origo.

primo Claustro respondet. Anno autem 1586. Confratres ejusdem Societatis S. P. Philippi eorum Patronum speciali veneratione prosequentes processionaliter adiere Sacram Ædem Montis Senarii à religiosissimis illis Patribus perhumaniter excepti, speciatim verò antrum illud celebre, quo S. Pater vitam asperrimam 4. annos duxit, eo animi sensu, ut temperare sibi non potuerint à lacbrymis, res ibi gestas ab eodem S. Patre expendentes, necnon admirabilem fontem B. Philippi meritis divinitùs ibidem eductum, de quo ad annum 1254., proindeque unanimi consensu decreverunt venerandum illum locum singulis annis circa Festum Ascensionis Domini processionaliter adire; quod cùm reipsâ deinceps præstiterint, Serenissimus Ferdinandus I. Magnus Etruriæ Dux tantâ pietate commotus, & rem ipsam edoctus, auctor fuit, ut Sacra illa Ædes, ac Domus à Terremotibus jampridem eversa magnificentissimè repararetur, & in Eremum erigeretur, prout dictum fuit ad annum 1593., & proximè sequentes. Anno deinde 1587. iidem Confratres singulari pietate erga Deiparam ducti, die 24. Mensis Maii Sacram Domum Lauretanam processionaliter petiere, indeque sibi dono datam retulere pervetustam quandam, & valde venerandam Sanctissimi Crucifixi Imaginem, quæ apud eandem Societatem adhuc summâ veneratione colitur. Subinde verò animadvertentes, quòd Capitulum ipsis designatum in Cœnobio D. Annunciatę, prout supra dictum est, par omnino non erat spiritualibus exercitiis ibi diutius obeundis, ob celebrationem officiorum insignis illius Ecclesię, & ob alia capita, Oratorium quoddam parvum sub arcu Xenodochii Innocentium Ecclesię nostrę proximum obtinuere, quò Ipsis convenire liceret annuente D. Joanne Baptista Totti ejusdem Xenodochii Præfecto; quod tamen deinceps æquatum solo fuit ratione ędificiorum, quę à fundamentis ibidem excitata fuere; ibi verò Confratres prędicti annos octo commorati fuere; anno autem 1594. Generalis Lælius Balleoni ad augendam pietatem, sanctorumque operum studium fovendum in hac Societate die 8. Octobris Literas patentes dedit ejusdem Societatis Confratribus, & Consororibus, quibus eos omnes, & singulos ad participationem admittit omnium bonorum operum, quæ in Ordine nostro exercentur. Quoniam verò Confratres isti sacram Ædem Mõtis Senarii ab anno 1586. processionaliter adire cœperunt, quemadmodum modò diximus, Incolæ illius Vici, qui dicitur Biviliano, ad illius Montis radices positi, eorum pietate commoti, Societatem quandam sub titulo S. Joannis Baptistę iampridem erectam, diù tamen desertam, anno 1595. sub auspiciis S. P. Philippi instaurarunt, & Confratres prędictos imitati posthabitis vestibus coloris . . . quas hactenus induerant, nigras deinceps adhibuere cum cingulis coriaceis, & pallio pariter nigro, prout memorati Confratres adhibere solebant. Exquo deinde certâ sede destituti, quâ convenire possent ad opera pietatis peragenda, vagari cogebantur, Patres Cœnobii D. Annunciatę minimè passi, quòd Veneranda illa Societas dissolveretur, de quo maximè verebantur, in imâ platcę parte sub porticu ad eosdem Patres spectante situm quendam tradidere anno 1599. certis quibusdam adiectis conditionibus, in instrumento publico expressis, quod in Archivo nostro D. Annunciatę de Florentiâ asservatur cum aliis publicis instrumentis in libro quodam, qui dicitur *Bullettone*, & ego diligenter evolvi, quo habito Confratres die 1. Novembris eiusdem anni in possessionem immissi fuere, Sanctissimi Crucifixi Imaginem, de quâ superiùs, non mediocri pompâ eò secum transferentes. Hoc pariter anno Generalis Angelus Maria Montursius Literas participationum à Generali Balleonio datas anno 1594. ratas habuit, & confirmavit. Anno 1603. Clemens Papa VIII. Societati huic S. Philippi Florentię anno 1583. erectę gratias, & privilegia quędam indulget, prout constat ex amplissimo Sanctitatis Suę Breve, quod Incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Cùm sicut accepimus in Plateâ D. Annunciatæ &c. Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 30. Septembris*. Eodem anno Generalis Gabriel de Venetijs privilegia Ordinis confirmat à Generalibus Balleonio, & Montursio annis superioribus eidem Societati Indulta. Societas hęc anno 1613. Diplomate quodam authentico aggregatur Archiconfraternitati Sanctissimi Crucifixi apud S. Marcellum de Urbe; ex quo factum est, ut uberior Confratrum numerus eidem Societati accederet. Cùm verò ad Umbilicum perducta esset Societatis ejusdem Fabrica juxta conditiones Florentię habitas anno 1599., die 3. Maii Inventioni S. Crucis nuncupatâ anno 1614. Sanctissimi Crucifixi imago, de quâ superius, quę per annos 14., & ampliùs in primo Societatis ingressu permanserat, insigni solemnitate translata ad Altare maius fuit, cui translationi pręter frequentissimum populum interfuere 12. è primariis illius Urbis Confraternitatibus. Quę quidem referre, & Annalibus nostris inserere par erat de Societate hac Ordini nostro adeò addictâ, quam semper fovere, & illustriorem reddere consueverunt Patres D. Annunciatę animo non minùs, quàm Loco proximi, hisce præsertim temporibus, * quibus hæc scribimus, operâ enim P. M. Placidi Mariæ Bonfrizieri ex eodem D. Annunciatæ Cœnobio, moderni Correctoris, qui varia in lucem edidit opuscula Confratribus illis, & quibuscunque Christifidelibus in religionis Christianæ cultu erudiendis aptissima; plura quotidie ibidem exercentur pietatis officia, & singuli tum seorsim, tum in unum congregati sanctis meditationibus, sanctisque

Confratres Soc. præd. adeunt M. Senarii quotannis.

Adeunt S. Domũ Lauretanam, & venerandam SS. Crucifixi Imaginẽ ibidem dono sibi datam recipiũt.

Oratorium eligunt extra, & prope Conv. D. Ann.

Gen. Balleonius præd. Soc. dat Lit. particip.

In Biviliano erigitur Soc. sub tit. S. Philippi

PP. D. Annun. donant eidem Soc. situm in eorum plateâ.

Privil. Balleonij confirmat Gen. Montursius.

Clem. PP. VIII & Gen. Gabriel de Venetijs.

Cõfirmat etiam

Soc. præd. aggregatur Archicõfr. SS. Crucifixi apud S. Marcellum de Urbe.

Transfertur Imago SS. Crucifixi suprad.

** anno 1720.*

Illustrior evadit præd. Soc. ob varia pietatis officia.

ctisque operibus addicti in charitate, cæterisque Catholico homini propriis virtutibus mirum in modum proficiunt. Quamobrem Societas hæc, & numero, & claritate Confratrum, qui eidem aggregantur, conspicua maximè evasit, illustris, & veneranda.

Deniq;pro Capitis huius complemẽto recolendũ adhuc est insigne aliud beneficentiæ argumẽtum, quam erga nostrum Ord. per Germaniam Patrona nostra Deipara prosequi non dedignatur. Cùm enim brevî vale huic seculo dictura sit, ut in Domum abeat ęternitatis gloriosè victura Serenissima, & Reverendissima Soror Anna Juliana Ordinis ejusdem reparatrix omni laude superior, quemadmodum capit. sequen. dicendum erit, ne uno avulso alter deficiat, Archiducem alium ad eundem Ordinem fovendum, & illustrandum excitat, scilicet Serenissimum, & Reverendissimum Leopoldum Archiducem Austriæ, & Ferdinandi II. Cæsaris Germanum. Hic enim, Deo afflante, in edito, & arduo quodam Monte, qui dicitur VValdrast, non procul Oeniponte, ubi ab immemorabili colitur in quadam Ecclesiâ Beatissimæ Virgini dicatâ quædam illius imago miraculorum affluentiâ conspicua, & præ compluribus Tabulis .4. votivis, Statuis, & hujusmodi aliis oblationibus maximè veneranda, quæ pariter Ecclẽsia ad ipsum Archiducem jurepatronatûs spectabat, Cœnobium à fundamentis excitare hoc anno meditabatur, in quo Regulares degant, qui venerationi Deiparę, Ecclesiæ decori, Populorum ædificationi, necnon utilitati consulerent, suique simul Instituti tenacissimi forent Custodes; quamobrem cæteris Ordinibus posthabitis, qui cęteroqui eius animo priùs obversabantur, Ordinem nostrum pręelegit; communicato proinde huiusmodi animi sui consilio cum P. Josepho Mariâ Barchi Annę Julianæ Confessario, & Ordinis nostri reparati per Germaniam tunc Vicario Generali, quod cùm Serenissimę Annę Julianę significasset, præ gaudio ipsa exiliens, & plurimas Deo, ac Deiparę gratias agens, Archiducem in eâ sententiâ confirmavit dignis eum laudibus prosequendo, quòd Ordinem adeò sibi dilectum, & quod pluris habendum est, Deiparę eidem acceptissimũ, In quo cum probitate morum non vulgari insignis literarum cultura efflorescere, protegendum, amplificandum susciperet. Itaque Leopoldus inspectante frequentissimâ hominum multitudine, qui supplici ordine Oeniponte, Halâ, & ex alijs Locis eò venerant eodem anno 1621. 7. kal. Octobris, Constantinum Magnum ęmulatus, qui Cęsarum sanguine progenitus erat, huius Cœnobii fundamenta iacere volens terram propriis manibus ligone effodere cœpit, & effossam eiicere, quem subinde Aulici, iique pręclarissimi imitari non detrectarunt. Architecto deinde seriò pręcepit, ut opus quàmprimùm, & sedulò maturaret, non tempori, non impensis ullis parceret, 40. millibus Florenorum ad hoc augusto sanè animo decretis. Statim verò cõpertum omnibus fuit, quàm acceptum Deo, ac Deiparę foret hoc opus, quandoquidem, & valetudinem integram statim recuperavit, qui gravissimè ęgrotarat, & Bellum feliciter confecit, quod in Valle Telinâ à Grisonibus eidem infestis institerat, nonnisi conspicuo Dei, ac Deiparę pręsidio. Anno autem sequente 1622. facultatem impetravit, ut Ordinis nostri Patres in hac Ecclesiâ, cujus originem, & progressus sequenti capite exponemus, Divina mysteria peragerent, quod patet ex sequentibus.

Leopoldus Archidux Austriæ Ord. Ser. donat Eccles. VValdrasten. & Cœnobium de nuvo ædificat.

Antonius Crosinus S. Theologiæ, & utriusque Juris Doctor, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Brixinensis, necnon Serenissimi, & Reverendissimi Archiducis Caroli Episcopi Brixinensis Vicarius in spiritualibus, & temporalibus Generalis. Admodum Reverendo, & Religioso in Christo P.F. Josepho Maria Ordinis Servorum B.M.V. Vicario Generali per Germaniam salutem in Domino. Ut Admodum Reverenda Paternitas sua aliquos de suis Fratribus ad Divam Virginem in VValdrast, qui ibidem (Serenissimo Archiduce Leopoldo clementissimè sic requirente) Missas celebrent, sermones ad Populum faciant, illi porrò, qui ad hoc juxta Decreta sacrosancti Concilij Tridentini legitimè admissi fuerint, eò peregrinantium sacras Confessiones excipiant, ad libitum pro tempore mittere valeat, eidem Paternitati vestræ tenore præsentium, authoritate, quâ in hac parte fungimur, plenam in Domino facultatem concedimus, & impertimur. In quorum fidem &c. Brixinæ pridie Kalendas Junij. Anno MDCXXII.

Vic. Gen. Brixinensis facultas PP. nostris collata Eccles. Munia exercẽdi apud B. V. in VValdrast.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

1 EX *supplem. Annal. Arch. Gianij.*
2 *Ex Monum. Conv. S. Mariæ Novæ de Perusio.*
3 *Ex monum. Conv. D. Annunc. de Flor.*
4 *August. Romer Servitus Mariana lib. 4. cap. 1. & 5.*

Apud VValdrast in Tyrolo ædificatur Ecclesia in honorem B.V.M., & enarrantur plura ejus miracula.

CAP. IX.

REcens hoc anno per Germaniam Ordini accedit Cœnobium apud VValdrastensem Ecclesiam, quod capite pręcedenti narravi, Archiducis Leopoldi pietate, ac munificentiâ, & admirandâ semper Deiparę Patronę nostrę benignitate, quę eundem ad opus hoc moliendum, & nobis adjudicandum excitavit, quo quidem In opere Serenissimę, & Reverendissimę Annæ Julianę, quę Ordinem nostrum amplissimo

ejus

Declaratur Origo Imaginis B.M.V. de VValdraft.

ejus Pattocinio enixè commendaverat, vota impleviſſe videtur. Interim Hiſtoriæ, quam deſcribendam ſuſcepi, conditio exigit, ut ab ovo remipſam repetens Eccleſiæ VValdraſtenſis, & Imaginis glorioſæ Dei Matris Virginis originem declarem, ut abſoluta hujus rei compareatur notitia. Sciendum itaque eſt, quòd procul Oeniponte Tyrolis Metropoli, ubi Archiducum cum regimine ſedes eſt, per tria milliaria Germanica locus quidam eſt Germanis dictus VValdraſt, cujus nominis ethymologia *quietem ſaltus*, ſignificat, quem aſſequi non poteſt Viator quantumlibet in planitie poſitum, niſi prius arduum, & ferè inacceſſum ſuperaverit Montem. Via planè, qua modò, dum hæc referuntur, per Montis dorſum illuc contendimus, equorum, & curruum ſatis patiens eſt, ac tribus in locis ſcaturentium aquarum delicijs fatigatos aliquantulom recreat, quinimmò Viatores ipſos ad pietatem incitat quindenis certa per intervalla diſpoſitis myſteriorum Fidei Ædiculis, quas acceptas referimus nobili, & generoſo Domino VVolphango Pürchner Oenipontanæ Cameræ Conſiliario, & Aulico Quæſtori, qui curru circa montis hujus medium unà cum Vectotibus in Vallem præcipiti Divinitùs ſervatus ipſe cum cæteris, Beatiſſimæ Virgini VValdraſtenſi liberatrici perenne hoc grati animi monumentum, & eò peregrinantibus incitamentum hujuſmodi ad eam magis venerandam ex voto poni curavit. Huic autem loco VValdraſt dicto imminet ad dextram jugum aſpectu verè horridũ, quod cæteris Montibus *Illio*, nempe, *Venuſto*, ſeu *Piceo*, & *VValdraſtenſi*, & alijs quibuſque in ambitu longè ſupereminens, poſt longa in ſe invicem ſerpentia arborum fructeta, & mille ingentium ſcopulorum anfractus, ſublimi demum verticæ caput, nedum inter nubila condit, ſed ulteriùs etiam attollit. In quâ profectò ſummitate, quemadmodum in ſuâ hiſtoriâ Ordinis Servorum B.M.V., quæ Servitus Mariana inſcribitur, ſe expertum eſſe teſtatur Auguſtinus Romer, è quo iſta petitur deſcriptio, velut in Olympi Vertice, cùm fulmina huc, & illuc emittunt nubes, quicunque ſatis operosè ex VValdraſt eò connitentes aſcenderunt, quaſi tempeſtatem intra ſecundam aeris Regionem obortam pedibus prementes Cœlo deſuper ſereniſſimo utebantur, & certo quodam in loco, ſeu quà Oeniponte, ſeu quà è Regione illius ex Matraij aditur, aetem ſentirent ab altero longè diverſum. VValdraſt igitur, cujus ſitum paucis deſcribere ſtatui, locus eſt, in quo Beatiſſima Virgo ſibi Templum elegit, cujus originem modò explicandam aggredior. Ruſticus quidam nomine Chriſtianus Luſch oriundus ex Oppido quodam, quod dicitur *Matera* procul Oeniponte 15. Italica milliaria præ ſingulari ſimplicitate, & pietate Deo, & Deiparæ maximè acceptus, conſecandis in aliorum uſum arboribus ſuam operam locabat, eâque ratione ſe,

ſuamque Familiam utcunque tolerabat. Anno
A poſt Chriſtum natum 1409. cùm in vertice Montis VValdraſt, quem modò deſcripſi, & in quo ſacra modò conſtructa colitur Eccleſia, poſt Solis occaſum quintæ cujuſdam Feriæ requieſceret Chriſtianus, vocem de Cœlo lapſam, quæ ipſum excitaverat, audivit dicentem: *Obdormitue?* Verùm nihil ipſani faciens tertiûm uſque vox eadem ipſum compellavit, quærendo ſemper, an ipſe dormiret. Cui demum ille, non quaſi Samuel obediens, & ad Heli Sacerdotem contendens, ſed refractarius, & contemptui vocem habens ſubiratus reſpondit: *Quis es tu, & quid vis à me*; cui vox eadem repoſuit: *Vox ego ſum; ut autem intelligas quid à te velim, ſcias Eccleſiam Tibi in honorem D.Virginis ſtruendam eſſe:*
B Ad hæc ſubridens Chriſtianus reſpondit: *hoc nullatenus faciam*. Nocte proximè ſequenti vocem eandem iterum accepit, cui pariter faſtidio affectus reſpondit: *quomodo hoc faciam, cùm adeò inopiâ laborem?* Tertiâ denique nocte proximè pariter ſequente eandem audiens vocem irâ percitus dixit: *Cur mihi quietem perturbas*; cui vox: *fac quod Tibi præcipio*; tunc ille, *nolo id facere*: Tunc ſe per aerem elevari præſentiens, ſibique iterari præceptum, cui ſe nollet, ſeu vellet morem gerere debebat, in virum alterum mutatus ſe paratum ad opus exhibuit, dummodo ipſi de loco ædificij conſtaret, & de ratione ineundâ ædificium ipſum excitandi, ſuam paupetiem ſemper cauſando. Cui vox illicò ſub-
C didit: *Saltum proximum conſcende, ubi parvula quædam jacet plauſtrum, ibi ad quietem membra compone, ac quid facere oporteat mox tibi innoteſcet*. Annuit Chriſtianus, necdum benè fatigatum ex viâ ipſum occupaverat ſopor, cùm acutiſſimo Tintinnabulorum duorum ſonitu illi ſtatim diſcuſsus eſt, & ſpecioſiſſimam Fœminam, Beatiſſimam ſcilicet Virginem coram ſe poſitam veſte candidâ cum eleganti inter ulnas Filiolo breviſſimo licèt tempore areæ illi inſiſtere, quam nunc Eccleſia VValdraſtenſis occupat, conſpexit. Quaptoptet non ampliùs animi dubius, ſed ex animo dolens ſe tandiu reſtitiſse, probè intellexit planitiem illam locum eſſe à Deiparâ electum pro Eccleſiâ ſibi conſtituendâ, & rem ipſam
D Cœlo auſpice aggreſſus etiamnum Tintinnabolis concrepantibus Eccleſiæ formam pro modulo ſuo ſupra ſolum deſcribit; quo opere abſoluto à ſonitu quoque Tintinnabula ceſſarunt. Verùm iterum pauperiem ſuam expendens, ubi de rei exitu adhuc anxius hæret, virtute ex alto confirmatur, jubeturque bono animo eſſe, nec bonæ mentis hominis deſuturos eſſe, qui ejus indigentiæ liberalitet conſulerent, quos opportunè ipſe deberet adire; hoc autem advertiſſet, quòd perfectò Eccleſiæ opere, ejus tamen conſecratio in 36. annos differenda eſſet, interim verò plurimis miraculis eſſet illuſtranda. His habitis ſibi adhuc non fidens Chriſtianus, Sacerdotem priùs

Chriſtiano Luſch apparet B.Virg. in VValdraſt.

consuluit, qui ei à Confessionibus erat, ipsique rem totam aperuit, deinde ipso suadente Parochum, & Diœcesanum Antistitem Viennensem Udalricum nomine eo temporis Brixinensem Episcopum adiit cum illo convenit, à quo Præsule post quintum supplicem accessum facultate impetrata à Ipso D. Pancratii die 12. nimirum Mensis Maii felici omine excitando denuum Sacello suam admovit manum. Verùm cùm annorum quinque decursu parum suâ industriâ, suisque sumptibus proficeret, cœlestis moniti non immemor, aliorum etiam pias manus in subsidium advocavit, Ecclesiasticis ad hoc muniis literis, quas ex autographicâ membranâ descriptas, ut afferendæ fidei commodiùs inservirent, datâ operâ subjicio, quarum tenor hic est.

Concedi-tur Facultas colligendi eleemosynas pro con-struendo sacello.

NIcolaus Suvarath Canonicus, & in spiritualibus Ecclesiæ Brixinensis Vicarius Generalis, Universis, & singulis Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, seu loca tenentibus eorundem per Civitates Diœcesis Brixinensis ubilibet constitutis salutem in Domino. Quia Christianus Lusch de Matrayj zelo devotionis ductus quoddam Oratorium in loco dicto VValdrast infra limites Ecclesiæ Parochialis in Matrayj dictæ Diœcesis in honorem B. M. V. cum consensu Reverendi in Christo Patris, & Domini, Domini Udalrici Episcopi Brixinensis erexit. Cùm autem ad hujusmodi operis perfectam consummationem dicti Christiani propriæ non suppetant facultates, nisi Christifideles ad id porrigant manus suas adjutrices, universitatem vestram requirimus, & hortamur in Domino, vobisque nihilominus committimus, & mandamus, quatenus præfatum Christianum, seu ejus specialem Nuncium pro colligendis eleemosynis ad vos, seu loca vestra declinantem gratanter suscipiatis, & charitativè pertractetis, ipsumque, vel ejus Nuncium in hujusmodi petitione fideliter promovendo, & plebem vobis subjectam vestris cohortationibus sollicitè inducatis, ut ad præfatum Oratorium pro restauratione multiplicium defectuum sua subsidia largiantur, per quæ, & alia bona, quæ, Domino inspirante fecerint, ad æterna valeant gaudia pervenire. Præsentibus hinc à die datis primùm computando ad unum annum duntaxat valituris. In quorum fidem dicto Christiano eum sigilli nostri appensione duximus concedendas, quia hac vice sigillum Vicariatûs penes nos non habuimus.

Data in Matraij dictæ Diœcesis die 17. mensis Novembris anno M. DXIV.

Literis hisce quantumlibet instructus liberale quidem Christianus hinc inde à Benevolis congessit subsidium, plures tamen, ferè nimirum quindecim annos imperfecta substitit fabrica, donec ad congruam Ecclesiæ amplitudinem subinde excrescens sacris ritibus initiari posset, quod juxta prædictæ vocis oraculum in trigintasex annos experimur dilatum. Intereà postquam duos annos Christianus fabricandæ Ecclesiæ institerat, haud procul eodem loco circiter ad teli jactum Christiparæ Imago duobus Pueris fortè supervenientibus super arbore quadam apparuit insignem, prout in subitis fit, excitans in ipsis admirationem. Hi, quorum unus nomine Petrus erat, alter verò Joannes, utpote pietati non parum dediti, sacro desuper consternati horrore quamcitissimè pottetum hoc suis annunciant in Pago, qui dicitur *Mincens*, medio inter VValdrast, & Matray, qui Puerorum sequentes vestigia simulacrum Virginis inveniunt juxta Puerorum testimonium, inventumque simulacrum ab arboris trunco recisum Ecclesiæ Matrayensi tantisper inferunt, donec recens VValdrastensis Ecclesia eidem simulacro, prout decebat, excipiendo accommodata fieret; quâ deinde perfectâ simulacrum prædictum jure fundi illam non immeritò subiit. Jugis autem, & constans viget traditio simulacrum illud à duobus Capellanis vices alternantibus ex Ecclesiâ Matrayensi ad VValdrastensem deportatum solemni quadam pompâ ægris quamplurimis, qui se supplicationi ad hanc translationem institutæ conjunxerant, duobus præsertim cæcis integram salutem momento temporis attulisse. Ex quâ speciatim materiâ confla- tum sit hoc simulacrum non satis obvium est; vero tamen proximum videtur, quòd ex larice sit, hujus enim generis arborum quaquaversus solum illud abundat, ac propterea anno salutis 1392. Beatissima Virgo per Angelum Imaginem suam concavo unius ex his arboribus trunco imprimi mandavit, futurum proinde revelans magnum propediem eò peregrinantium concursû. Ex quibus pleraque ad Imaginem istam spectantia ab Energomenis etiam, quos ad veritatem edicendam sacris exorcismis compellebant Sacerdotes, inhæsitanter afferta fuere. Hoc verò simulacrum talem præsefert speciem. Insidet Beatissima Virgo illi arboris parti, à quâ præcisum fuit simulacrum, augustâ, & oblongâ facie, severiorem nonnihil exhibens vultum, quem corrigit Jesulus ejus insidens dextræ blando, & modesto risu, illa verò subridenti pomum ostendit. Crines capitis in Filiolo soluti, in Matre sub vittam colliguntur. Hæc nativa hujus Imaginis species, hisce tamen diebus non tantùm pretiosis amiculis, cimeliisque ad omnem splendorem adornata est, sed etiam in facie ascititiis obducta coloribus, & peregrino cooperta capillitio, spectatur; an autem ad rem hoc fuerit, alij definiant. Tandem post trigintasex annos, scilicet anno Domini 146., optatissimus ille dies advenit, quo prædicta Ecclesia solemni ritu Deo, ac Deiparæ inaugurata fuit, manum ultimam, eamque sacram augusto huic operi imponente Dominicâ infra octavam Deiparæ ejusdem in Cœlos assumptæ Gasparo Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopo Baruthensi vices Brixinensis in Divinis tunc obeunte, prout lite-

Imago B. V. apparet duobus Pueris.

Hujus S. Imaginis descriptio.

Completur Ecclesia, et solemni ritu consecratur

ræ publicæ pridie Kalendas Martij datæ attestantur Paulo II. Summo Pontifice, Friderico III. Absburgico Romanorum Imperatore, & in Comitatu Tyrolensi Principe Sigismundo Austriaco, cujus potissimùm authoritate VValdrastensis Ecclesia coronidem undequaque suscepit, cui deinde ex piorum Eleemosynis Sacristæ Domicilium accessit, necnon opportuna eò peregrinantibus, qui proinde confluunt frequentiores, caupona. VValdrastensis Ecclesia plurimùm sanè debet Baruthensi Præsuli, cujus operâ consecratam dicebam, eò quod & Aram principem D. Virgini, & lateralium unam Divis Laurentio, & Sebastiano, alteram D. Barbaræ initiavit; verùm vel maximè debet sex Purpuratis Ecclesiæ Romanæ Proceribus, qui anno à Dedicatione proximo amplis eam illustrarunt Indulgentiis, quorum nomina expressa Literis in membranâ scriptis, ceræque obsignatis hæc sunt: *Alanus tit. S. Praxedis; Joannes tit. S. Laurentij in Damaso; Bernardus tit. S. Sabinæ; Bartholomæus tit. S. Clementis Presbyteri; Franciscus tit. S. Eustachij; Franciscus tit. S. M. Novæ S. R. E. Diaconi Cardinales, vulgò nuncupati Avinianensis, Zanorensis, Spoletanus, Ravennas, Senensis, & Mantuanus.* Quin verò singula Cardinalium præfatorum Diplomata in medium singillatim producam, satis sit eorundem proœmium indicare, ex quo colligere fas est, quanam veneratione Purpurati hi Patres Ecclesiam hanc prosequerentur, & quonam in pretio apud omnes eadem foret. Illud autem sic habet: *Dum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum Virgo Dei Genitrix gloriosa, sedibus prælata Sidereis, quasi Stella matutina præruttlat, devotæ considerationis indagine perscrutamur; dum etiam inter pectorum nostrorum arcana revolvimus, invenimus, quòd ipsa, utpote Mater Misericordiæ, & pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute Fidelium, qui delictorum onere prægravantur, sedula Oratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut Ecclesias, Capellas, & loca Ecclesiastica in honorem sui nominis instituta gratiosis Indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur ad instantiam Venerabilis Viri D. Joannis Gotdede, scholastici, & Canonici Ecclesiæ Tridentinæ, ut Ecclesia Beatæ, & Gloriosæ Virginis Mariæ in VValdrast &c.*

Varijs Indulgẽtijs illustratur.

His autem superveniens Sixtus IV. post Paulum II., nedum VValdrastensem Ecclesiam novis adhuc Indulgentijs dato diplomate locupletavit, sed etiam quas Paulus II. largiri meditatus fuerat, sed immaturâ morte præpeditus non potuit, speciali diplomate uno, eodemque anno 1471. ratas esse voluit, adnitente potissimùm Sigismundo Archiduce Austriæ, & ejus Coniuge Eleonorâ. Thesauris hisce spiritualibus, quibus illustrior semper hæc sacra Domus evasit, temporales quoque accessere; Sigismundus enim Archidux inprimis redditus annuos stabilivit determinato Presbytero sustentando idoneos, qui sedulam Ecclesiæ gereret curam. Maximilianus verò I. Romanorum Rex Tyroleos hæres Sigismundo sine liberis mortuo, Patronum se perpetuum eiusdem Ecclesiæ professus plures lites diremit, quæ in probrum Ecclesiæ vergere deinde potuissent, & ejus decus pro virili adaugere curavit anno 1498. quod pariter præstitit trigintaquinque annis postmodum elapsis Ferdinandus ætate illâ Romanorum Rex. Non defuere demum Magnates, & alii tum pietate, tum nobilitate clarissimi, qui varia identidem, eaque pretiosa D. Virgini offerentes Donaria sacram Ecclesiæ supellectilem pretiosam, & celebrem fecere, quippe qui beneficentiâ Virginis illecti ob gratias singulares, quas exceperant, perenne aliquod grati animi monumentum ponendum duxere. Plura quidem Christifidelibus ad eam in Æde VValdrastensi confugientibus contulit beneficia Gloriosa Mater Gratiarum, ex quibus, licèt non omnia, utpote numero quocunque superiora ad nostram notitiam descenderint, pleraque tamen hic recensere fas erit.

Sigismundi Archiducis, & Maximiliani I. Romanorũ Regis beneficia.

Pretiosis donis decoratur.

Joannes Haber à Tulps non longè à Civitate Brixinâ unà cum Coniuge suâ die 23. Decembris anno 1466. ad Balneum curandi corporis gratiâ perrexerat, & Filiolum unius anni clausis Domi fenestris cunis concreditum reliquerat. E balneo autem redeuntes in cubiculo, in quo Puer jacebat, incendium advertunt. Mater vi amoris acta, suique proinde oblita incendium penetrat Filiolum inde erepturа, quem copioso os, & aures manantem sanguine, & penè mortuum ubi videre Parentes, maximo animi dolore concepto, protinus tamen ad Divam VValdrastensem conversi, cujus admiranda publicus rumor ad ipsos quoque detulerat, vitam Puerulo humillimè petunt, addito precibus voto se incolumem ipsum ad ejus Aram stituros; nec irritum cecidit votum, nam pluribus spectantibus vitam Filio tulit Deipata, & Deiparæ Filium Parentes tulere.

Recensentur miracula.

Puerum ab incendio præservat, & liberat.

Eodem ferè anno Uxor Georgij Chera de Myznes in Paræciâ Motteræ confluentium multitudinem advertens, quæ Ecclesiam VValdrastensem petebat, illorum pietatem irridens eos inde avocare studebat; cùm verò paucis diebus elapsis partûs dolores subiret, nec fœtum emittere posset, morti se proximam sentiebat. Georgius verò melioris Fidei Vir Uxorem suam in eo discrimine dolenter conspiciens, nec immemor ejus in Divam VValdrastensem dicacitatis, suas apud hanc pro illâ humillimas offert preces, & unà cum Fratre suo, & alijs Cœlo etiam pluvio, & in noctem vergente in VValdrast contendit, quò sub auroram pervènit, ibique ad aram Virginis provolutus Uxorem etiam atque etiam commendat, quæ eodem temporis

Puerpera gravissimis dolorib. cruciata fœtum feliciter emittit.

risarticulo fœtum, cessantibus omnino doloribus, feliciter emisit, & in posterum à pristinâ dicacitate abstinuit.

Puerulus in ignem prolapsus, & exanimis inventus revivisc it.

In eodem Loco Myrres, quà ex VValdrast in Matray via est, unius anni Puerulus ex ulnis Puellæ cujusdam imbellis in ignem ecci-dit, ubi tandiu permansit, ut ejus Genitrix domum reversa exanimem invenerit. Sed quin aliud remedium inquireret, longè meliori consilio ad Virginem VValdrastensem conversa pro salute Filioli enixè rogat, & in ipsâ Oratione Infantulum advertit motibus, & fletibus adhuc vitâ gaudere.

Oculorũ luce destitutus ipsam recuperat.

Georgium Knilling ex Barrenkirch oppido Bojarię non ignobili leucæ dimidium Halâ distante tres Menses oculorum luce destitutum, Henricus Rinderpergh Motteræ Incola ejus valde necessarius Beatissimæ Virgini VValdrastensi ex animo commendat, & ceræ oblationem desert, cujus precibus benignè auditis Georgius oculorum luce iterum donatur.

Naufragium subiens miro modo liberatur.

Idem Georgius Adriaticum navigans, qui Venetias profecturus ex Oppido prædicto solverat fortunâ minimè secundâ, quinimmo toto ventis, procellisque adversus agente Adriatico, adeòut septemdecim Vectoribus demersis ipsum mors proximè maneret, in tanto discrimine positus Stellam Maris Mariam VValdrastensem respiciens emisso voto se prius VValdrast petiturum, quàm Patriam Domum, ut ipsum ibidem citissimè solvat, si emersisset incolumis, se liberum, quonam pacto non comperit, à morte præsensit, & votum fideliter solvit.

Alter simili periculo expositus liberatur.

Joannes Tanner de Halâ, huc profecturus Oenîponte solverat super navim onerariam. Cùm autem hæc adeò ad ripam allisserit, ut tota fuerit discerpra, proximè mergendus erat in Oeno, quocirca B. Virgini de VValdrast emisso voto, cùm se commendasset, illicò obvium habuit fragmentulum quoddam, cujus ope Halæ repetens portum ex eo discrimine incolumis evasit feriâ 6. post Corpus Christi anno 1468.

Puer ossibus undequaque confractus integrã recuperat sanitatem.

Paulus Reidinnger de Ritteu Oppido, quod per leucam distat Bolzano die 4. Julii 1469. Filiolum suum trimum jam tr duo amissum lugens quæritabat, sed voto se obstringens B. Virgini VValdrastensi, si repetisset, oblaturum, postridie ab Amico quodam quæsitum invènit Puerum in angulo Domus latentem, qui cùm ex altitudine 20. cubitorum cecidisset membris, & ossibus undequaque confractus humi jacebat exanimis; verùm de solo elatum, & aliquantisper amplexibus fotum, reviviscere vidit, & brevi penitus illæsum recuperavit.

Puerpera gravibus affecta doloribus feliciter parit.

Mulier quædam de Chispichel haud obscuro Tyrolis Vico anno 1472. circa Festum S. Jacobi Apostoli quatuor continuos dies partûs doloribus graviter affecta se proximè morituram putabat; verùm quia ejus Coniux votum emiserat se velum sericum B. Virgini de VValdrast oblaturum, si tantùm evasisset illa periculum, vix emisso voto sine doloribus peperit Uxor, ipse verò voti fidem servavit.

Lue pestiferâ graviter affectus statim evadit incolumis.

Eodem ferè tempore Michael de Landsbel in Valle Vingscoviense lue pestiferâ, quæ eò loci vehementer ingruerat, graviter affectus, in agone positus laborabat in extremis; ejus autem Pater B.V. de VValdrast votum emisit, se pro gratiarum actione Missam solenniter cantari curaturum, si Filius ab illo morbo curatus fuisset, nec sanè frustra, hic enim statim evasit incolumis.

Puerpera parere non valens illicò fœtum emittit.

Coniux Andreæ Scerl de Pintzau, non procul Saltspurgh diris partûs doloribus correpta, cùm parere non posset Mense Octobri anno 1472. B.M. de VValdrast à Viro suo cõmendata illicò Infantulum emisit.

A Sue laceratus pristinã recuperat sanitatẽ

Georgius Stambel de Pintzau, cùm aliquando in Campestria pervenisset Filiolum in Cunis Domi reliquit, sed ipsam sues ingressi Infantuli pudenda lacerarunt; domum verò repetens Mater, & Filioli casum advertens Mense Novembri 1472. ipsum B. Virgini VValdrastensi commendat, qui reviviscens membrorum etiam integritatem recuperavit.

Oculorũ luce destitutus ipsã recuperat.

Destitutus quidam jampridem luminibus, anno 1470. Miraculorum hujus B. Virginis famâ commotus ad eam, ut visum reciperet, confùgit, & binos ipsi oculos cereos detulit, sed brevi proprios recuperavit, & eorum aciem pristinâ longe meliorem præsensit.

Ab ingẽti niviũ copiâ in Domo propria ferè sepulti opem recipiunt.

Rusticus quidam inter Rhætiorum confinia unà cum Coniuge Prægnante, & Filiis Domi suæ degens ab ingenti nivium copiâ è Montis imminentis vertice præcipiti totam Domum cooperiente inibi adeò fuit oppressus, ut nec inde egredi, neque per rimulam lucem posset recipere, quamobrem miserrima hæc Familia B. Virgini de VValdrast opem implorat, quo vix præstito ea præsto fuit lux, quæ & nivibus solvendis, & necessariis comparandis satis esset, hinc hebdomadâ secundâ Quadragesimæ eodem anno votum emissum persolverunt.

Ingratus Virginis beneficio graviori corripitur infirmitate, à qua iterum liberatur.

Filius cujusdam Rustici de Larmos voto solutus in Ecclesiâ VValdrastensi, quo se B. Virgini obstrinxerat ob gravem quandam infirmitatem, quâ ejus ope convaluerat, ab eadem discedens domum propriam reversurus, cùm per arduum illum Montem descenderet Patri, qui secum erat, dixit: *Faxit Deus, mecumque agat, ut libet, huc amplius minimè revertar:* vix autem domum reversus pristinâ infirmitate, sed longè deteriùs corripitur, quare Patri morem gerens ad eandem Virginem iterum confugiens ipsâ quoque die sanitatem recepit suum omnibus errorem palàm confessus.

Spectro territus, ac penè mortuus reviviscit.

Udalricus Straus famulus Capitanei Taverensis venationi indulgens, cùm saltum quendam penetrasset obvium habuit terribile spectrum nigerrimo insidens equo leporem transversum super ephippium tenens, consternatus signo crucis se muniens, spectrum tali, tan-

toque

toque strepitu, ac fremitu fugavit, ut terram exinde concussam certo certius crederet; ubi verò Domum redux domesticos terræmotus hujus ignarus cognovit viribus prorsus destitutus per triduum tanquam mortuus haberetur, sed B. Virgini se commendans omninò liber evasit.

Præcipitiũ patiẽs breví sanatur.

Faber Lignarius è summitate Domûs in præceps ruens, ubi mortuus creditur, Beatæ Virgini tamen commendatus, voto quodam emisso brevi sanatur.

In Barbarã Turcarũ servitute degentes mirabiliter liberãtur.

Mathias VVyrth Cauponarius Paterniano ex superiori Carinthiâ oriundus in servitutem Turcicam abreptus cum pluribus aliis Christianis diebus jam fermè sexdecim gravissimas tum itineris, tum servitutis molestias passus, suique capitis veritus non temerè discrimen, summis precibus B. Virginem VValdrastensem implorat, quæ ipsis benignè annuens Mathiam, & cæteros concaptivos plusquam viginti ab immani illâ servitute vindicavit, manicis ferreis, & gravioribus catenis sponte solutis, dum somno vincti tenebantur Turcici custodes, qui proinde Christiani ex eorum manibus divinitus elapsi Templum suæ liberatricis statim petiere anno 1478. Manicas illas ferreas, atque catenas anathema ibidem suspendentes.

Voti solutionem differẽs eodem gravi morbo corripitur, à quo iterum liberatur.

Christianus Gryesser ex Obermyssen infra Oppidum Meranum vehementi membri cujusdam vexatione adeò affectus, ut in universum corpus redundaret dolor, duos ferè Menses aliorum indigens fulcimento VValdrastensi Virgini votum nuncupavit se ad eam venerandam profecturum, & incolumis, & integer extemplò factus est; quia verò votum solvere tantisper distulit, eodem omnino affectus iterum morbo sibi meliùs consulens veteris voti religionem iterato voto confirmavit, iterum quoque exauditus, sed voti solvendi causâ ad VValdrastensem statim profectus, liber inde recessit anno 1468.

Mortali vulnere affecta integrã recuperat illicò sanitatem.

Anna Mairenin Leontina in campestrem pectinè tanto impetu incidit, ut è ventris vulnere sanguinem, & aquam, & vix non animam effunderet: Medici, & Chirurgi confestim adhibiti magnitudine vulneris deterriti actû de illâ pronunciabant. Per quietem verò oblata VValdrastensis Virginis Imago animos addidit Annæ spondentis ex eo periculo evasuram, si imaginem invisuram voveret. Igitur Anna expergefacta jussis obtemperans, quod in votis habuit integrè statim accepit, & D. Virginem invisens fideliter reddidit, Tot fidei testes, nimirum triginta, quot viæ Comites ad Virginem duces anno Dom. 1473.

Morbo quodam pertinaci in se subsistere non valens statim sanatur.

Matrona quædam Brixinensis Hoferin dicta annum ferè integrum malo quodam pertinaci lecto affixa secundùm quierem in VValdrast lte monetur assequendæ salutis causâ. De loco, quem antea penitùs ignoraverat, edocta, assumptis in subsidiũ grallis illuc adire contendit; plures autem dies in viam transegerat, cùm Pagum Nafeldes gressu admo-

A dum operoso pervênit, probè demum assequuta sibi ulterius progredi nullatenus licere viribus deficiens, manum velut hominis se sub axillis regentem luculenter advertit, quapropter reliquum viæ seipsâ fortior in montem usque facillimè ascendit, ibique grallis in Ecclesiâ suspensis plurimas Virgini referens gratias, propriis pedibus domum feliciter repetit anno 1476.

Evidẽti naufragio expositus liberatur.

Nobilis Dominus à Spaver ex Ananiensi Valle unâ cum Famulo per viam Contersensem equitabat. Famulus, qui certas gravis momenti literas sellæ suæ equestri alligarat, fallentibus equi vestigiis in subterlabentem fluvium Eisaccum præceps ferebatur. Mersus famuli Dominus B. Virgini VValdrastensi eum voto commendat. Hærent equus, &
B Famulus in præcipiti, quoad literis à Sella expeditis Famulus in altum evadens restitutus est viæ; Equus autem jugiter in præceps ruens, fluvioque demersus non ampliùs comparuit; voto deinde ambo soluturi Dominus scilicet, & famulus VValdrastensem Dominam piè venerituri contenderunt anno 1476.

Puerulus mortali expositus periculo liberatur.

Bolsano in Tyroli ex D. Viti Ecclesiâ, quò voti causâ processerat, ad propria remeabat Barbara Maurerin Eppanensis cum Filiolo, quem utpote tenellum cunis impositum equi ephippio desuper alligarat. Trajecto quodam Fluvio nomine Talfero saxosam premere cogitur viam, equus præter expectationem rapidissimo cursu in viam sese effundit, quin ullus ipsum vel retinere, vel assequi possit, & cum ipso Filiolus fugit; cujus discrimini verè gravissimo consulens Mater pedetentim, sed
C celerrimè insequens Dominam invocat VValdrastensem, quo habito Filiolum, quem omnes tanquam mortuum putabant, vivum, integrum, & illæsum deprehendit, equum etiam assequitur, quem non ampliùs indomitum, sed consistentem, & paventem nullo negotio in viam reducit, reperit etiam cunas adhuc ephippio alligatas. Barbaræ tamen fides in Virginem adamussim respondit, sicut & Filius rem hanc suo tempore edoctus anno 1479.

Mulier à Marito gravissimè percussa ab eadẽ Virgini commendata, cũ ab omnibus teneretur mortua revivisci, & integræ restituitur sanitati.

Uxorem suam Lanfo quidam Villaci, quod est superioris Carinthiæ Oppidum, percutiens humi prostravit, itaut duas horas tanquam mortua haberetur. Cùm autem ad spectaculum hoc rumore exciti certatim omnes
D accurrerent, & merum funus esse conclamarent, quam jacentem explorabant, temerariæ scenæ author ejulari primò cœpit, Uxoris necessarios deinde vereri, demum lictores, veluti sibi imminentes circumspicere, ut ipsum traherent ad supplicium. Intereà facti seriò pœnitens in genua provolutus VValdrastensem Deiparam sibi propitiam rogat, quẽ pariter alii orantem prosequunrur, hinc obstupescentibus omnibus Uxoris Corpus divinitùs paulatim commoveri, vitalis deinde calor artubus restitui, & spiritus liberè meare cœpit, ac denique ipsa sibi, Viroque integra

gra piorius reddi. Itaque Voti damnatus Vir
VValdrastensem Ecclesiam ascendit itinere E
unius, & triginta milliarium, prout voverat,
remipsam utique ibidem omnibus, & quidem
plur bus referens, sed suo nomini parcens,
quia famæ parcere voluerat anno 1482.

Paulus Joannis Kalchschimidt, & Annę
Schleglin Sylvæ Matrayensis Accolarum filius
ætatis annorum 14. Dominico quodam die
anno salutis 1573. animi gratiâ campos Gle-
insenses sagaci oculo perlustrans sciurum in
altâ Pinu advertit, arboris vertici adrepit,
sed exerrante vel pede, vel manu in caput
devolutus gravissimo casu affligitur solo, ita-
ut ex cranio duplici vulnere læso cerebrum
pateret; tanto autem malo haud modicum
sanguinis profluvium accedebat; jam tertiam

Duplici vulnere graviter læsus in cranio recuperat sanitatem.

horam sub Pinu jacuerat miser, cùm superve- F
niens verna defunctum Puerum esse ratus ani-
mam illius humillimis precibus Deo com-
mendat. Itaque Filius, & mentis impos, &
vix vitæ compos, postquam Paternæ Domui
illatus est ab omnibus Chirurgis, qui ad opem
ferendam convenerunt, destituitur; soli Pa-
rentes animo concordi, votóque pro salute
Filij interposito spem in VValdrastensi Virgi-
ne reponunt, quæ sanè eorum preces minimè
fefellit, lenito enim sensim dolore vulnerum,
brevi Filius integram retulit salutem, quâ
cùm primum uti ipsi licuit votivæ peregrina-
tionis iter sedulò exequitur.

Merani, quod est Tyrolis oppidum, ope-
ram locabat opifici Coriario Christophorus

Constitutus in extremo vitæ discrimine integrã recipit sanitatẽ

Schilierer; operi intentus, cùm Vase quo- G
dam lapsus præfervidam aquam ita sibi su-
perfudit, ut toto corpore combustus in ex-
tremum vitæ discrimen statim venerit, cu-
tem enim cum carnibus defluentem habuit,
præter intolerandam emanantis inde puris
fœtorem ardore ipso acerbiorem. Christo-
phorus animadvertens supremum sibi diem
instare præmissis in VValdrast precibus ad
Virginis Thronum admitti petebat; quæ pro-
fectò & ipsum, & preces ejus admisit, siqui-
dem morticinâ carne in vivam, & vegetam
redeunte grave discrimen evasit anno 1575.

Geoigio Camerlander Ambrasiani Pagi ad
Archiducalem Arcem Incolæ Filiolus erat
triennis, in quem plurima condixerant mala
phrenesi laborantem, adeòut nec stare, nec H
ambulare, nec sedere, & vix ægetrimè jace-

Puerulus gravissimis morbis affectus pristinæ restituitur sanitati.

re misero liceret; serpere parumper adinstar
quadrupedum poterat, omnibus omninò
membris officio suo destitutis. Huic malo-
rum cumulo gibbus, & gibbo bina tubera
herniarum speciem habentia accessere. Me-
dium annum eâ morborum strue, membro-
rumque impotentiâ detentus fuit, cùm ejus
Parentes B. Virgini de VValdrast humillimè
eum devoverunt; quo præstito Filiolus me-
liusculè in dies sese habebat, quoadusque ex
omnibus malis nihil omninò superfuerit,
quàm parvulus ipse integritati, & prosperæ
valetudini restitutus. Prodigium hoc innotu-
it anno 1585.

E *ANNOTATIONES IN CAP. IX.*

AUgust. Romer Servitus Mariana lib. 2. cap. 13. & seqq.

Gesta, & obitus Reverendissimæ, ac Serenissimæ Annæ Julianæ Mantuæ, & Montis Ferrati Ducissæ, Archiducissæ Austriæ, Tyrolis olim Dominæ, Ordinis Servorum B.M.V. per Germaniam Reparatricis, ac Tertij Ordinis ejusdem Sororis.

CAP. X.

QUemadmodum nimia, ac præter con-
suetudinem excrescens aquarum col-
luvies, vel è præruptis Montium in F
præceps acta, vel è torrentibus,
& rivulis emanans regium subiens flumen,
per cujus sinus ad Oceanum tanquam sui cen-
trum tumentibus fluctibus superbiens defera-
tur, amplissimum exigit alveum, quasi limi-
tum impatiens, & vulgares angustias dedi-
gnata, neque raro alvei leges pervadens, seu
per subterraneos cuniculos, seu per agros,
per sata, per subjectam quamcunque plani-
tiem, nullo servato vulgaris cursûs ordine
longè, latéque protenditur, eòque magis ab
antiquis fluminum legibus recedit, quò ma-
gis ab ipso fonte remota excurrit; eodem
planè pacto insignis gratiarum copia, quas
hisce diebus Ordini nostro summus rerum
G conditor, ejusque Beatissima Parens munifi-
centia singulari impendit, minimè patitur
vulgares angustias, prout hucusque in refe-
rendis illustrioribus rebus ad Ordinem eun-
dem spectantibus solemne nobis fuit. Seriem
vitæ, quam egit in terris Reverendissima, &
Serenissima Princeps Anna Juliana Gonzaga
Austriaca Ordinis nostri per Germaniam Re-
paratrix mirabilis, & ejusdem Ordinis San-
ctissima Soror, explicandam aggredior. Hæc
autem ab Infantiâ ad extremam usque perio-
dum adeò jugiter in sanctitate progressa est,
quasi autora in luce semper proficiens, donec
ad summum claritatis in meridie elata fuit,
ut plurima mihi de ejus admirandis operibus
in quadruplici statu, quem ei contigisse vide-
H bimus, recensenda, et Annalibus hisce inse-
renda supersint; plura quidem in statu Infan-
tiæ, pueritiæ, necnon adolescentiæ ad sta-
tum usque conjugalem, admiranda nobis oc-
currunt; longè plura in statu ejusdem Conju-
gali; longè adhuc plura in statu viduitatis;
plurima denique in statu Religionis, quem
Oeniponte cum Monialibus Tertij Ordinis
nostri in amplissimo Cœnobio à se fundato
sanctissimè professa est; ex quibus mox grada-
tim percurrendis facilè cuique erit cognosce-
re, quod splendor insignis ex augustissimâ
Austriacâ Gente Ordini nostro ab ipso usque
sui exordio, tanquam à Sole accedens non
modò nunquam defecit, licèt ob ingruentia
bella,

bella, & catholici nominis Hostium persequutiones, quæ superiùs innuimus, aliquam passus fuerit eclipsim; verùm etiam nitidior semper in dies apparuit, sicuti lux Solis interposito corpore Lunari deficere quidem nobis videtur, verè tamen non deficit, quinimmo corpus ipsum Lunare prætergressa longè splendidior nobis apparet, quâ de re eclipsim potiùs subire dicendus esset globus terraqueus, quàm discus solaris. Quæ cum ita sint, id à Lectoribus assequuturum me spero, quod meum consilium in recensendis Annæ Julianæ Gestis à veteri consuetudine recedendi minimè redarguant, quin potius maximè commendent, hoc enim & alijs ejusdem vitæ scriptoribus arrisit. Si enim hæc paucis perstringerem, non æquè eorum pietati satisfactum arbitraret, ac si in dicendo prolixior singula magis exactè recenseam, quæ mihi licuit hactenus ex varijs scriptoribus, ac monumentis ad calcem historiæ notandis colligere. Itaque rem ipsam aggredior.

Status conjugalem precedens.

Serenissimæ Principis ortus

Serenissima Anna Juliana Princeps per totum vitæ cursum, prout ex dicendis pro re natâ constabit, virtutis præstantiâ, & Sanctimoniæ gloria sexu superior, & claritati Natalium eximium splendorem adijciens, nascitur Mantuæ, quæ sanè Civitas ob sui celebritatem quamnotissima omnibus est, 16. Kalendas Februarii anno reparatæ salutis 1566. Gulielmo ejus nominis, & Generis III. Mantuæ, & Montis Ferrari Duce, & Reginâ Eleonorâ Austriacâ Ferdinandi I. Imperatoris, & Annæ Reginæ Hungariæ, & Bohemiæ Filiâ, Parentibus; salutari lavacro expiata, ipsam levante Philippo II. Catholico Hispaniarum Rege, Annæ Catharinæ nomen sortita fuit. Nobilem, & singularibus virtutum ornamentis conspicuam Matronam de Fuggerorum Familiâ apud Vindelicos inclytâ in sui nutricem, morumque Magistram assequuta, quantâ par erat solicitudine pro indolis & sanguinis splendore educabatur eò quidem maximè, quòd & à Parentibus tanquam spes ultima maximè diligeretur, & adhuc infans haud obscura futuræ sanctitatis indicia præbuit. Etenim cùm per ætatem sua incommoda non aliter exprimere posset, quàm per vagitus, & lachrymas, neque adhuc ejus vota satis intelligerentur, si fortè Deiparæ Virginis Rosarium ipsi præ manibus offerretur, illicò præ gaudio exiliens sphærolas illas studiosè, & oranti similis volutando percurrebat, & à lachrymis omnino cessabat. Quòd si B. Virginis effigies aliqua præ oculis ipsi objiceretur, statim in oscula ejusdem ruens Anna Catharina ipsam frequentissimè dissuaviabatur, & maximâ voluptate perfusa ipsam indesinenter oculis lustrabat. Ex quibus Parentes ejus, cæterique domestici eam aliquando Deiparæ Virgini, cultu insignem futuram haud temerè augurabantur, idque eò majori animi gaudio, quò magis uterque eidem Virgini erat addictus. Infantiam egressa annum ætatis quintum agebat,

Adhuc infans futuræ sanctimoniæ specimē præbet.

A cùm Deus optimus maximus Annæ Catharinæ favoribus prosequendæ intentus, & in eâdem singularis sanctitatis, ac perfectionis molimina meditatus, ab infirmitate corporis gradum facturus ad perficiendum animum, gravem illi morbum intercutis aquæ immisit, qui per biennium ipsam tenuit, quique demum eò discriminis adduxit, ut insanabilis à Medicis proclamata fuerit. Anxios summopere habuit hoc Filiæ discrimen Parentes, qui remedia quæcunque humanitùs excogitata Filiæ sanandæ adhibuere; cùm autem nihil præsidij exinde proficisci viderent, divinam opem implorarunt, ac Filiam, si tantum discrimen evasisset incolumis, Deo, ac Deiparæ devoverunt, manciparunt. Irrita sanè non B fuere Parentum vota, nam vix oblatione hac factâ, èvestigio Anna ex integro convaluit, postquam integrum Biennium gravissimas ejus morbi vices subijsset. Quâ verò lætitiâ, quâ admiratione eventum hunc suspexerint Parentes nos impares sumus explicando, ille solùm assequi poterit, qui amoris regulâ, quo Filiam complectebantur, beneficium metiri voluerit. Itaque Filiam Parentes à se nunquam deinceps abesse passi, tanquam donum secundò sibi divinitus concessum, in id maximè incumbebant, ut Deo, & Beatissimæ Virgini se vitam iterum debere ita eidem suaderent, ut nonnisi eorum obsequio sibi perpetuò vitam consecrandam esse ratum haberet; hinc beneficium hoc quàmsæpissimè C illi in memoriam revocabant, ut ad hanc quandam veluti cotem ad omnem virtutem, præsertim verò ad Deiparæ cultum, industriam illius acuerent. Quapropter Serenissimâ Matre authore adhuc in tantillâ ætate singulis Sabbathis, qui dies B. Virgini speciatim consecrati habentur, duriusculè jejunare in ejusdem Virginis obsequium cœpit, consuetudine hac à septimo ætatis anno ad extremum usque vitæ spiritum constantissimè servatâ, quippe quæ Angelorum Reginam in hæreditatem suam, & acceptæ salutis tesseram nominare consueverat. Quia verò bona est oratio cum jejunio, prout à Divino Spiritu edocti sumus; propterea servatricem suam Beatissimam orare consuevit hymno speciaD tim: *Ave Maris Stella, &c.*, quem duodecies quotidie juxta numerum duodecim Stellarum Coronam eidem formantium flexo, ac nudo genu recitabat. Quinimmo sensu adeò tenero in eandem ferebatur, ut & nihil ei jucundius accidere posset, quàm de ipsâ sermones miscere; & à teneris unguiculis ejusdem annos veneratura ter, & sexagies in genua quotidie provoluta ore simul, & corde, sancta hæc verba pronunciaret, *Maria Mater Dei Dominus tecum*; neque unquam Divinissimum Jesu nomen, nisi addito nomine Mariæ, proferret. Præterea à Festo Virginis ab Angelo salutatæ usque ad Christi Domini Nativitatem, singulis quibusque diebus vigesies, & quater

Quinquennis infirmatur ad mortem, & Deo, ac Deiparæ à Serenissimis Parentibus commendata statim convalescit

Septima ætatis annum agens singulis Sabbathis in obsequium Virginis jejunare incipit, & ipsam varijs orationibus venerari.

ad

ad honorem felicis illius horæ, quâ Deum jam animo conceptum, utero divinitùs Virgo concepit, sive omnium horarum, quibus Deus homo in alvo Virginali delituit, salutationem Angelicam magnâ animi reverentiâ, neque minore intimæ dulcedinis sensu recitavit. His, & alijs hujusmodi pietatis studiis jugiter addicta Anna exemplo potissimùm, & verbis Parentum excitata juxta progressum in ætate, in excellentiâ virtutum, & sanctitate morum proficiebat; ex quo virtutum, & venerationis in Virginem incremento, unicuique colligere fas erat in qualem, & quantam Heroinam, Magno divinitùs alicui molimini faciendo adolesceret, quòve perfectionis progressu temporis esset profectura. Contra verò valde sibi in Anna complacebat Deipara, quę proinde, ut aliquod Annæ benevolentiæ suæ specimen exhiberet, eidem nonum ætatis annum agenti, dum quieti indulgeret, plurimis circumquaque radijs conspicuam se dedit, ipsique aliquot verba, quorum tamen assequi sensum non potuit Anna, auribus instillavit; quemadmodum fermè Samuelem adhuc Puerum secundùm quietem vocans Deus, magnis ad Populi sui salutem spiritibus imbuebat, licèt Puer nondum assequeretur, vel à quo, vel ad quid vocaretur, eo solùm discrimine, quòd Samuel à quo vocaretur ignarus, quid ipsi diceretur intelligebat: Anna verò quid ipsi diceretur ignara, à quâ diceretur cognoscebat; in eo tamen ambo pares, quòd in ætate tantillâ ponebant ambo rudimenta cœlestis industriæ, quâ Populo quisque suo quandoque foret saluti. Præterea sicut ad Heli cucurrit Samuel ratus se ab illo vocatum, ita Anna, & meliori quidem consilio, ad certum fuæ vocationis authorem Dei Genitricem recurrit, & oravit enixè, ut oraculi nuperi sententiam ipsi aperire dignaretur, pollicita, quàm sanctissimè poterat se quidquid præceptum fuisset quantumlibet arduum, Deo, & ipsâ auspicibus quàm libentissimè amplexuram, & opere exequuturam, nihil tamen impetrare adhuc potuit, quia ętatulâ illâ molem non capiebat alijs planè temporibus, cùm spiritus robustior fuisset, capiendam, sicuti Christus Dominus Apostolis quiddam simile postulantibus fatis minimè fecit, dicens: *Non potestis portare modò, scietis autem postea*. Hoc autem ipsum non mediocriter anxiam habebat Annam, verebatur enim hoc sibi contingere propter offensas, quas ipsa Deo irrogare putabat, & eò acriùs repulsam hanc sibi, suisque peccatis imputabat, quò innocentior erat, & ab omni peccato per ætatem, educationem, & jam animo insitam Religionem magis aliena. Nihilominus Serenissima ejus Mater de omnibus, quę ageret, vel animo conciperet Filia, certior facta, ut ejus tranquillitati consuleret, opportunum existimavit Religiosum, ac doctū Virum advocare, qui exciperet Annę Confessiones, & ex eo Anna vicissim tùm ascetiE cam, tum literariam hauriret Doctrinam. Huic ergo, tanquam à Deo sibi dato Interpreti, peccata frequenter cœpit confiteri, identidem verò puerili, sed cœlesti quâdam simplicitate percunctari solebat plura sanè ad perfectionem spiritûs, & animi moderationem pertinentia, maximè verò an probè nosset quid rei, quidve Imperij id demum fuerit, quod ab apparente sibi Deipara dictum, sed minimè perceptum fuerat. Ad quę Confessarius Annam, ut ęquo animo esset, hortabatur, ut certo certius fore affirmabat, quod siquid ab eâ fieri velit Deipara, vel iterum se ipsam, vel consilium suum aliâ quacunque ratione aperuisset; quinetiam addebat (nec sanè absque Divino impulsu, quod enim deinceps verè contigit, prædixit) dubitari mi- F nimè posse sanctissimam Dei Genitricem ejus operâ ad insigne aliquod opus usuram esse. Ab eodem Viro literis simul, & pietate instructa nullo negotio in utroque mirum in modum profecit, tùm propter summam ejus animi docilitatem, quâ sibi ęquè ac ipsi Deo morem gerebat, tum propter ingenij alacritatem, quâ facillimè quęcunque sibi proposita assequeretur, & assequuta memoriâ tenaciter servaret; tum propter egregiam indolem, quâ ad excolendam virtutem vehementer ferebatur. Etsi verò expositam de Virginis oraculo hujus Viri sententiam summâ reverentiâ excepisset, & in eadem acquievisset, non ideò tamen fieri potuit, quin plura secum tacita volutaret, speciatim verò an G Deo in votis esset, quòd abdicatâ domesticę Majestatis pompâ in aliquo Virginum Cœnobio totam se Deo, ejusque Matri Virgini consecraret. Quod consilium inde vires acquirebat, quòd cum Serenissimâ Matre ad hujusmodi Virginum domicilia frequenter Mantuę accedebat, quas nactâ occasione consulere super hac re, imò urgere solebat, ad quę sacrę Virgines, quamvis in ętate adhuc illâ tenellâ piura spiritûs sublimioris indicia emicare intelligerent, nihil tamen fine consilio, & authoritate Parentum in re tantâ capessendâ faciendum esse unanimes statuebant, ita enim (& quidem prudenter) fieri non posse asserebant, quin Dei Optimi Maximi ductu ad ea proveheretur Anna, quę maximè Di- H vinę glorię, privatęque illius ęternę saluti conducerent. Itaque consilijs hujusmodi Anna tandem acquiescens, mentis suę perplexitates Parentum authoritate componere decrevit; quamvis animo sibi sententia potius insideret de Monasticâ vitâ capessendâ, ex hoc autem sui animi genio prodibat, ut subinde à Serenissimâ Matre, cui semper, ut dictum est, adhęrebat pueriliter quidem, sed non absque futurorum presagio, plura sciscitaretur de Matre Dei, de ipso Dei Filio, ac de Religiosâ Josephi domûs ęconomiâ, presertim verò quisnam fuerit vestium cultus, quem Virgo Deipara, cùm in terris degeret, adhiberet, num etiam ipsa, prout ibi in Aulâ, domesticis

nonum ætatis annum agenti B.Virgo conspicuam se præbet.

Assignatur Annæ Confessarius, & ferventiori affectu ad devotionem accenditur.

Annæ dotes, et indoles.

Deo, ac B. Virgini se consecrare meditatur.

Parentū voluntati obtemperare decernit

mesticis obsequijs splendidi famulitij fuerit usa: ad quę Mater: omni Virginem caruisse famulitij obsequio, cum Deo, suoque Filio, & sancto Fabro Josepho in magnâ victûs, & vestitûs egestate vitam tolerasse, omnibus pompis, atque delicijs posthabitis. Quibus Anna intellectis enixè Matrem rogabat, ut sibi quoque Dei Matrem in cultu vestium imitari liceret, quam cæteroqui in omnibus imitari cupiebat. Præsagum id votum præclaro ejus, & Ordinis nostri emolumento aliquando implevit Deus, cùm scilicet pauperem Habitum nostrum induta, sanctissimæ Dei Genitricis vitam imitandam suscepit. Cæterùm dictu fac le non est, quo gaudio afficerentur Serenissimi Parentes, dum hæc, & hisce similia ex animo Filiæ prodire advertentes in corde suo conferentes conservabant, plurimas identidem gratias Deo, ac Deiparæ referebant, qui talem, ac tantam Filiam ipsis dono dedissent. His profectò alia adhuc admiranda pietatis inventa, quæ seriò exercebat Anna, recensenda occurrerent; verùm ne plus æquo prolixior in his rudimentis evadam, satis abundè, ni fallor, factum existimo, si dixerim, quòd Anna immobili decreto, ac tenore perpetuo olim susceptæ religionis in Deum, eiusque sanctissimam Matrem nihil prorsus ageret, nisi Deo, & Virgini addicta, nihil alicujus momenti diceret, nisi summo decore prolatis sacrosanctis nominibus Jesu, & Virginis Mariæ. Hæc, & alia virtutum ornamenta id præstiterunt in Annâ, ut per omnium ora passim, & ubique plurimis laudibus circumferretur; quo factum est, ut à pluribus Viris Principibus, legationibus proindè ad Parentes expeditis, certatim in Matrimonium expeteretur. Diù, multumque ancipites animo fuere Serenissimi Annæ Parentes, cui prę cæteris ipsam sponderent; reliquis tandem felicior extitit Serenissimus Archidux Ferdinandus Annæ Catharinæ nostræ Consanguineus, cui legibus consanguinitatis per Summum Pontificem soluto, Anna Catharina annos 15. nata, sed morum prestantiâ ętatem antevertens, desponsata fuit; verùm non sine insigni Sponsę difficultate, quòd jam Christo Sponsam se consecraverat; quapropter Benignissima ejus Patrona Virgo Deipara ipsam adeò vehementer afflictam opportuno sanctimonialis cujusdam interventu Divinâ quadam consolatione ita permulsit, ut Parentibus obsequens, quos maximè venerabatur, propositis nuptijs eò libentiùs acquieverit, quò meliùs intelligebat id maximè Deo placere, quod ipsi unicè erat in votis, ita tamen ut Archiducem, tanquam Parentem potiùs, quàm sponsum habitura semper foret. Antequam verò Archiducem Oeniponte conveniret, Deo solùm vacare, piorum orationibus se etiam atque etiam commendare, sacrarum maximè Virginum, quarum conditioni se non mediocriter invidere indicabat; Confessarium, suosque Progenitores consulere in delicijs habebat, ut ab ipsis

A sanctissimè instituta, sanctissimâ in statu Conjugali vitam agere posset, à quibus inter alia cœlestia monita hoc sibi prętertim comparavit, quòd D. Josephum veluti Conjugum singularem Patronum, singulari quoque veneratione prosequeretur, quod planè deinceps summâ pręstitit fide ad ultimam usque vitę suę periodum. Communem etiam Patrię suę celebritatem fecit nuptiarum, nam à Serenissimo Patre flexis suppliciter genibus assequuta in primis fuit, ut 15. captivos, & quidem graviorum criminum reos carcere absolutos manumitteret; prętereà 15. egenis largam eleemosynam erogaret, ac denique 15. ejusdem Urbis Ecclesias munifico pro Altaribus, & Sacerdotibus apparatu instrueret. Indolem

B interea adeò sublimem Filię suę mirabatur valdè Serenissimus Parens, certò sibi persuadens Filiam ipsam futuram eximiam aliquando Divini cultûs promotricem, ac singularem Pauperum, afflictorumque admi nistram. Quare captivis libertate donatis, & coram servatrice adductis erogatâ in pauperes eleemosynâ, & sacro apparatu Ecclesijs petitis addictâ commonitam voluit Filiam de singulari Dei in ipsam Benevolentiâ in Archiducali Conjugio satis compertâ, quamobrem ei semper gratior, aptior quoque fieret novis iterum beneficijs ab eodem recipiendis; quibus profectò monitis quantum obsequij prę stiterit, deinceps comprobavit eventus. Superat adhuc, ut Virginibus Deo dicatis,

C quæ illi adeò in amoribus erant, valè diceret Anna Catharina, quod tanto animi ardore, & intimæ pietatis sensu obivit, ut absque mutuis, ijsque amarissimis, lachrymis compleri minimè potuerit, cum sibi pariter mutuò pollicitæ fuerint preces apud Deum pro sui incolumitate fusuras. Denique amantissimi Parentes desideratissimæ Filiæ optimè precati è paternis dimissam amplexibus splendido, quo par erat, comitatu Oenipontem direxere, cæteris omnibus Mantuæ Serenissimi prę fertim Ducis exemplo vehementer commotis, qui licèt animo generosus à lachrymis temperare sibi non potuit, cùm Filiam sibi ad pedes in genua provolutam, & Paternam be-

D nedictionem petentem conspexit. Itaque anno Christi 1581. regio splendore adornantur, & celebrantur Oeniponte nuptiæ. Quæ verò deinceps per annos 14., quos cum Serenissimo Coniuge duxit, summâ laude digna gesserit, ad omnium Coniugum, seu Principum, seu privatorum eruditionem referenda videntur.

Dum Oeniponte passim omnia festivis maximè gaudijs, prout tantorum Principum dignitas in celebrandis nuptijs petebat, aguntur, nihilque prætermittitur, quod vel majestatis admirationem, vel publicę celebritatis lętitiam augere posset, piissima Anna ingenię virtutis minimè oblita reputare secum cœpit, quomodo in communi omnium in sui gra- *Status Annæ Catharinæ Coniugalis*

gratiam, gaudio sola ipsa voluptate destituta jaceret. Itaque sicuti Junior Tobias ex Archangeli Raphaelis instructione matrimonium amplexus, mutuum cum Sponsâ per tres noctes in Virginitate convictum singulari encomio in sacris Literis celebratum transegit, longè majorem emerita laudem serenissima nostra Princeps, serenissimum Sponsum conveniens, remotis arbitris, enixè rogat, & obtestatur, ut hoc unum sibi concedere non dedignetur, quod dum apparatu solemni nuptiarum cæteris omnibus prospexerat, & satisfecerat, Dei, Deiparæ, & utriusque Tutelarium honori tribuere velit, quod quandiù solemnitas nuptiarum perseveret, & per sex adhuc insequentes hebdomadas in mutuâ secum animi, corporisque castimoniâ degere velit. Obstupuit tantæ virtutis admiratione, & veneratione perculsus Archidux, neque ausus ullatenus est adeò Religiosum, & honestum impetum retrudere, sed has illi inducias se libentissimè permittere respondit, quo circa longè majori, quàm explicari possit, voluptate perfusa Anna, totam hujus temporis usuram in imitatione Dei Matris cum S. Josepho degentis traduxit. Non hic tamen virtutibus Annæ modus, ulteriùs enim in ipsis excolendis progressa est, quod fanè in Causâ potissimùm fuit specialis, & invariati cujusdam inter hos Coniuges amoris, & reverentiæ, cùm & Serenissimus Princeps ipsam veluti omnibus virtutum ornamentis instructam summâ dilectione complecteretur, & ipsa eundem vicissim pari amore prosequuta illi, tanquam Parenti, ac Domino suo (quæ nomina semper adhibuit) detulerit, quemadmodum ipsamet Confessario Divino, ni fallor, impulsu, sicut & alia communicavit, insuper adjiciens eo verecundiæ tenore cum suo Coniuge semper processisse, ut nulla pars corporis, quæ operta solet incedere, nec ipsi Marito, nec ulli ex domesticis nuda unquam apparuerit, quinimmò plerunque non aliter, quàm solitaria ab ijsdem visa fuerit in eodem Thoro maritali, idque Serenissimæ suæ Matris exemplo, & disciplinâ, quibus & Filiæ, & omnibus in Mantuano Ducatu tanta Princeps adeò præluxit, ut vulgò etiam cùm degeret in corpore mortali, tanquam sancta haberetur. Hoc igitur vitæ instituto servato, primo Matrimonij Triennio tres Ferdinando Anna peperit Filias, Eleonoram, Mariam, Annam; harum verò natu maximam Eleonoram Deus primitias hujusmodi Coniugum dilectorum expetens, sibi adhuc Infantem in Sponsam addixit, & Cœlo asseruit. Altera verò, nempe Maria posthabito Philippi III. Hispaniarum Regis coniugio, qui eam postulaverat, Serenissimæ Matri in Instituto Religiosæ vitę capessendo sese coniunxit; Tertia denique, scilicet Anna natu minima, maxima in terris fuit, nimirum Imperatrix. Cùm igitur hisce sancti Matrimonij vinculis Conjugi obligata degeret Anna Catharina cogitare secum cœpit, nec temerè, se non inconsultò, atque fortuitò, sed summâ Dei providentiâ ad statum hunc evectam fuisse, ut majorem ejusdem gloriam impensiùs promoveret. Quapropter suum esse censuit, quæ jampridem mente conceperat, opere complere, pietatisque studio non se solam, sed Coniugem etiam animum ipsius magis in dies, ac magis inflammando, Divinitati consecrare. Primùm ergo ipsum singulari in Deum, ac Deiparam potissimùm, alios deinde Sanctos religione imbuere conata est, propterea ipsi author fuit, ut qualibet hebdomadâ in honorem B. Virginis jejunaret, cui planè consilio, licèt ob rei insolentiam, non statim adhærere promiserit, reipsâ tamen semper adhæsit, eâ quoque facilitate, ut ultrò fateretur se longè meliùs valere post jejunii rigorem, quàm post opiparæ Cœnæ delicias. Prætereà aspirante Deo ad frequentiorem Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ usum eundem excitavit, & quo vehementiori in D. Virginem amore ipsum accenderet, in causâ maximè fuit, ut in ejusdem honorem nobile Sacellum extrueret. Ædes hæc, haud procul Halâ, quæ Urbs leucâ distat Oeniponte, Sacræ Domui Lauretanæ, quâ situ, quâ magnitudine prorsus consimilis, ac piorum hominum frequentiâ, & religione adeò celebris, ut ipsimet Regionis hujus Viri Principes, unà cum totâ Aulâ pietatis causâ quamsæpissimè pedes adeant. Molestiam verò itineris valdè levant quindecim columnæ ordine per viam dispositæ inter utranque ex Urbibus prædictis ad eandem S. Ædem, in quibus totidem Rosarii Mysteria coloribus expressa eâ inter se distantiâ, ut commodè per intervalla recitari ejusdem Rosarij decades possint, quod tantorum Principum exemplo quicunque eò adeuntes indiscriminatim præstent. Simile huic opus ad Urbis Oenipontanæ pomeria (*Gassen* vocant) Servatoris nostri sepulchri Hierosolymitani simulacrum eâdem Serenissimâ Authore conditum est à Serenissimo Conjuge, & per viam, quâ ab Urbe sacrum id Sepulcrum aditur, Ædiculæ septem sunt collocatæ, in quibus septem Christi lapsûs in extremi supplicii sui tragœdiâ coloribus expressi sunt, loci custodiâ, & habitatione septem pauperibus Eremicolis Principum ærario alendis assignatâ. Intereà à Summo Pontifice varia privilegia, & indulgentias loca hæc, sicut & Ædem prædictam Lauretanam invisentibus impetravit; quo factum, ut hæc sacra loca, & ab ipsis Principibus, & eorum Aulæ Proceribus frequenter singulari Religione adirentur. Neque verò Archiducum hæc pietas Tyroleos limitibus coerceri passa fuit, nam ad extera quoque Sacra Loca se quantocyùs extendit munificis largitionibus tum pecuniæ, tum sacræ supellectilis eò passim transmissis; prætereà ad restaurationem Templorum, & erectionem Altarium Serenissimum Coniugem Anna induxit, quin etiâ ad

Serenissimum Sponsum ad pietatis opera accendit, qui varias S. Ædes ejus consilio extruit.

ad elegans Templum ſpeciatim Aulæ ipſi inædificandum Divis Principi Leopoldo, Martyri Georgio, & Seraphico Franciſco nuncupatum, necnon ſplendidas Aras ſingulis hiſce Divis conſecrandas. Prætereà in elegantiſſimo quodam ſuburbano (*Grienegg & Eo tbobr* vulgò) ſacellum totius Aulæ capax conſtruendum, in quo, dum Sereniſſimus Coniux venationi indulgeret, Anna Meditationibus in Cœlo magno ſui ſolatio, & bono verſabatur, ideò unà ſecum perpetuò habens Confeſſarium, Concionatorem, & Sacellanos, ut eorum operâ divina interim celebrarentur myſteria, nec ullum temporis momentum præteriret, quo non aliquod ſanctum opus Deo prorſus conſecraret; nihil proinde non agens, quod ad illius ſalutem magis promovendam pertinere videretur, eoque amo- B re, eaque ſolicitudine, ut ipſemet Ferdinandus perſæpè fateretur ſeculare ſecum actum eſſe, quòd ea ſibi contigiſſet Coniux, cui animæ ſuę ſalus adeò cordi eſſet, Deo optimo maximo proinde ob tantum beneficium non ſine lachrymis gratias plurimas identidem referens; eò demum progreſſa eſt Sereniſſima Princeps, ut eundem Archiducem ad Monaſteria quoque impulerit à fundamentis excitanda. Religioſæ Capuccinorum Familię ſub arctiſſimâ D. Franciſci diſciplinâ viventis in Germaniam invehendę percupida Sereniſſima Princeps, cui præ ſimilitudine ſinceri ſpiritûs, & ſimplicis genii haud mediocriter favebat, & è quâ eos adſciverat, qui ſibi eſſent à Confeſſionibus, & Divinę circa ſe voluntatis interpretes eſſent, Sereniſſimum Archiducem ad id opus moliendum inducere maximè in votis habebat. Quod ut faciliùs aſſequeretur ſeriò animum adiecit, ut Inſtitutum Capuccinorum Sereniſſimo Coniugi innoteſceret; quapropter ex eâ Familiâ ſpecie Concionatoris Apoſtolicę Sedis indulto ſibi alterum impetrat, deinde verò alterum, & alterum doctrinâ ſimul, & virtute ſpectatiſſimos Patres admittit, ac denique ſenſim in arctam cum Ferdinando conſuetudinem, & familiaritatem inſinuat. Ferdinando quidem maximoperè placuit ſumma morum, & vitę eorum integritas, animumque ipſius brevî, iiſdem ita devinxit, ut eos inter ſibi domeſticos, & neceſſarios cooptarit. Ubi hoc illa perſenſit votis ſuis aditum aperiri cognoſcens, nil cunctandum rata Ferdinandum humillimis, & ardentiſſimis precibus urget, ut Religioſos hoſce optimę vitę, pręclarique exempli ipſis extructo Cœnobio, ad inſigne Divinę glorię, communiſque profectûs emolumentum in Metropolim ſuam recipiat. Quàm libentiſſimè poſtulatis annuit Princeps Sereniſſimus in id ultrò proclivis, ac Cœnobium, quod uſque hodie Capuccini in Oenipontanâ Urbe tenent, à fundamentis primum initi lapidem propriis ipſe manibus ponendo brevî ad faſtigium perduxit, eò planè Religioſiſſimę Principis ibi pręſentis gaudio, cui

A explicando imparem ſponte me fateor. Illud potius, & aptiùs prędicabunt Capuccini ipſi, qui ſanctiſſimę hujus Principis ſummam erga ſe benevolentiam, quandiù ſuperſtes illa fuit, opere magis, quàm verbis experti ex hoc Oenipontano Domicilio deductas, poſtea per univerſam Germaniam plurimas ſui Ordinis ſacras Colonias, ejuſdem Principis ardenti ſtudio referunt acceptas, necnon Sereniſſimi Archiducis ſingularem, quem pro re natâ ſibi vendicarunt, amorem. Intereà verò adeò fecundis quoad religionem, & pietatem rebus invidere non deſtitit humani generis hoſtis, & ut à ſanctiſſimis hiſce operibus piiſſimę Principis animum diſtraheret [quod ſanè ſi conſequutus fuiſſet, animum quoque Archiducis diſtraxiſſet, qui à Sereniſſimę Coniu- B gis ſtudiis pendere prorſus videbatur] ſubdolè ſubiens eidem ſenſim inſtillare nitebatur ordine prępoſtero ipſam procedere, dum aliorum ſaluti inſudaret proprię penitus oblita, longè meliori conſilio adhęſura, ſi ſeculi pompis abdicatis in Eremo ſe abderet, ibi dem peccata ſua gravioribus pœnitentię generibus expiando, hanc ſibi viam ineundam, utpotè veram, & unicam ęternę ſalutis aſſequendę; cętera quęcunque non pietatem, ſed pietatis umbram eſſe. Neque fortè malè ceſſiſſet hoſti vaferrimo dolus, Carolus enim V. aliique Viri Principes ſolitarię vitę exemplo pręeuntes conſilium hoc Eremiticam vitam amplectendi commendatione dignum Sereniſſimę ſuadebant, magna enim ſemper eſt C exempli vis, in Viris Principibus præſertim; accedebant prætereà interni ſtimuli, & inflammati cordis æſtûs, quos in oratione cum Deo conſerens, in has, & hiſce ſimiles formulas ab alijs etiam perceptas erumpebat: *Mi Deus, mi Domine, qui meritò à tot bonis mentibus coleris, laudaris, honoraris, nihilne à me quoque admittes obſequij! Mi Jeſu tot, & tam gravia pro me paſſe, quid ego pro Te invicem! Innumeros ad obſequia tua jugi tui dulcedine trahis, me, proh dolor! præteris? ad quid ergo, Domine, nata ſum? an ne ut hoc in ævo aliquantiſper delicijs indulgens in altero æternum diſcrucier! abſit, ut me ſordes hæ viliſſimæ à charitate tui ſeparent, qui infinito mei, quamvis indigniſſimæ, amore teneris. Tua potius ſim* D *aliquando tota. Teque ſemper diligam, virtus mea, qui me prior charitate perpetuâ dilexiſti.* His, aliiſque ſimilibus coram Deo provoluta ardentiſſimo ſolitudinis deſiderio ſatisfacere contendebat, paratiſſimam ſe exhibens ad obſequium quodcunque Deo, ac Deiparæ præſtandum. Verùm ubi conſilium hoc, & internos hujuſmodi æſtus Confeſſario, prout par erat, & alijs Religioſiſſimis Viris communicavit, commentum mali Dœmonis totum hoc eſſe Sereniſſimam edocuere, quippe quo, & plura benè cœpta ſlacceſcerent, & plura alia ſalutariter incipienda interciperentur. Ad hæc vivere grandævum maritum, duas necdum nubiles Filias ſupereſſe, quibus

Anna à Dæmone ſeducta in eremo ſe abdere meditatur.

Maternâ Providentiâ destitutis multa ambi-
guæ sortis imminerent. Hæc verò licèt An- E
næ Catharinæ plurimum, & à Confessario,
& à reliquis prædictis Viris ingererentur, ob-
sequendi magis decreto, quàm quòd solutam
se ejus vori Religione sentiret, acquievit.
Quâ quidem in re nec Anna, nec Viri prædi-
cti errorem subiere; *tempora enim, quæ Pater*
Act.1.7.
posuit in suâ potestate, quæque proinde nosse no-
strum non est, rem ambiguam faciebant; De-
us enim id futuris temporibus volebat, illi
verò de præsenti differebant. Intereà multus
illi, & quotidianus cum PP. Capuccinis ser-
mo in quatuor sæpe, & plures horas protra-
ctus de Christianâ sapientiâ, & Officiis Deo
placituræ tanto suavitatis sensu, ur sui, &
cæterorum omnium oblita supra se rapta vi-
deretur, & adeò soli Deo inhiaret, ut sui ip- F
sius puderet, quòd ab austerâ patrum, qui-
buscum agebat, vivendi ratione, & à multa-
rum Principum Fœminarum sanctimoniâ pro-
cul abesset. Itaque ignominiam hanc evasu-
ra, unam ex hisce sanctis Heroinis diligere
statuit, cujus vitam in sui exemplar proposi-
tam haberet. Placuit autem præ cæteris D.
Elisabetha Ungariæ Regina, ad cujus imita-
tionem coniugalem vitam instituens singulis
feriis sextis ad supplicium carnis Tunicam è
setis molestissimam induebat, frigidam tan-
tùm, & quædam Panis frustula ad Mensam
adhibebat, bis verò, vel ter infra hebdoma-
dam nodosis flagris in se pietatis expers ani-
madvertebat; præterea à Coniugis dormi-
entis latere clam se plerunque subducens no-
cturnis horis, flexis genibus orationi, rerum-
que cœlestium contemplationi quàm arden-
tissimè incumbebat, generali quadam, atque
prudenti Archiducis indultâ veniâ, quod pa-
riter Elisabetha, à cujus vestigiis, ne latum
quidem unguem recedere decreverat, ada-
mussim præstabat. Exemplar idem sequuta,
necnon Serenissimæ suæ Matris exemplo ex-
citata sub finem Quadragesimalis Jejunii
quotannis duodecim Fœminis provectioris
ætatis, & egestatis majoris convivium in-
struebat planè opiparum, quin etiam lautum;
nam singulis suis illis hospitibus ipsamet à
Christo Domino edocta præsentibus, & mi-
nistrantibus Principibus Filiabus pedes tantâ
animi demissione, comitate, alacritate, pie-
tate lavabat, vestibus illas donabat, ac libe-
rali demum stipeditabat, ut spectantes tantæ
virtutis admiratione perculsos ad lachrymas
incitaret, præ cæteris verò ipsum Archidu-
cem has, & alias in eâdem virtutes venera-
tus, Dei benignitatem identidem adorabat,
sibique ipsi gratulabatur, quòd talem, ac tan-
tam sortitus fuisset Uxorem. Singulari pie-
tatis affectu egentium, & afflictorum quo-
rumlibet calamitatibus maximè commove-
batur, adeò quidem, ut ferre æquo animo vix
posset, quòd Serenissimus Coniux reum ali-
quem morti adjudicasset, gentium Doctorem
Paulum æmulata, qui se debitorem omnibus

In PP. Capuccinos reverentia

D. Elisabethâ Ungariæ Reginâ in moribus imitari decernit.

Sua Matris exemplo plura pietatis opera exercet.

factum esse Romanis, scribebat; quòd si ob
E sceleris enormitatem vitam illi deprecari non
auderet, animæ certè salutem pro virili cura-
bat, & ad hoc Indulgentias quasdam pro
damnatis hisce reis à Summo Pontifice impe-
trarat Plenarias per modum Jubilæi cuidam
suo Rosario cuicunque communicandas, qui
moriens Rosarium illud gestaret, quod pro-
inde illis pendulum è collo gerendum per-
mitrebat; ipsa verò, æquè ac illis similia me-
reretur, illud assiduè gerebat. Insuper quibus
diebus supplicium de illis sumeretur, Sacrifi-
cia pro singulis singula Deo offerri curabat,
eisdemque Sacrificiis genibus flexis assistens,
summo studio apud Deum animarum illarum
causam in aliâ vitâ, & patrocinium agebat.
Quæ verò Divina vis sermonis illius, & spi-
F ritûs, quoties erigendis illis, qui in mœrore
jacerent, & anxiis animis levandis incumbe-
bat; quæve dexteritas, & energia eidem fue-
rir, exactè prosequi nimis longum foret.
Hoc planè compertum omnibus erat, quòd
nemo unus quantumlibet tristitiâ ubrutus, ab
ipsâ quin aliquid solatij hausisset, recedebat,
legem illam longè feliciùs servante, quam
sibi Vespasianus Augustus Junior edixerat;
non oportere videlicet quenquam à sermone
Principis tristem discedere. Tentationibus
verò diabolicis concussos eò sæpissimè trahe-
bat, ut millies potius mortẽ oppetere, quàm
mali Dæmonis incitamentis cedere con-
stantissimè decernerent. Eodem Charitatis
impetu ardens nostræ Principis animus rapie-
G batur in alterum Othomannici Imperij Or-
bem, & gravissimam ibi in barbarâ servitute
Christianorum calamitatem miserata conge-
stâ maximâ, quàm fieri poterat, pecuniæ co-
piâ, innumeros penè homines in libertatem
vindicavit. Inopes verò verecundos, & ege-
statem præ mendicitate eligentes verè libe-
raliter, tum Oeniponte, tùm Mantuæ, tum
alibi passim tot alebat, ut numero quocunque
dicere liceret superiores. Ex hac Annæ Ca-
tharinæ solicitudine, de commodis extero-
rum conijcere pronum foret, si aliunde non
constaret, quantâ curâ, & vigilantiâ Oeco-
nomiam suam instituerit, ea profectò ejus-
modi erat, ut pro ideâ asceticæ potiùs vitæ
concipi in aulâ jure meritò possit; nulli enim
H ne infimo quidem inter famulos locus erat,
nisi honestis natalibus orlundo, quique Nata-
lium honori nullam unquam labem aspersis-
set. Hæretici inde proscripti, ipsis enim fi-
dendum minimè esse censebat, ex quo fidem
primam ipsi fregerint Deo, ejusque Ecclesiæ;
contrà verò fidei desertoribus desertores ipsi
adhæserint. Quantùm verò ab Hæreticis ab-
horruerit exindè maximè licet, quòd Filiam
suam Annam ab Angliæ Rege in Matrimoniũ
expetitam, quamvis ipsam plurimi, & qui-
dem Principum summa authoritas urgeret,
quia Hæreticus erat, despondere constantis-
simè renuerit. Gynecæo suo nobilissimarum
Virginum integritate, & Religione non mi-
nùs,

Eximius pietatis affectus in egenos, afflictos, & morti damnatos.

Christianos in barbarâ Turcarum captivitate gementes in libertatẽ vindicat.

Hæreticos in Aulâ non admittit.

nùs, quàm Generis claritate præstantium, ut virtuti authoritas constaret, Matronas primi subsellii gravitate morum spectatissimas præficiebat. Adijciebat quoque doctum æquè, ac pium animorum moderatorem, qui à Confessionibus esset, cui singulis mensibus semel saltem omnes hæ Virgines ad Sacram Confessionem se sisterent, & ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, quâ par erat, integritate, sumendum præpararent, in mandatis habebant. Item quotidie bis sacrosancto Missæ Sacrificio interessent; diebus verò festivis Concionem, & Vesperas audirent; reliquis autem diebus non otio indulgerent ex Aulâ illâ prorsus eliminato, sed operibus manuum vacarent, quas ipsamet Serenissima præibat exemplo, & adeò quidem exactò, ut ne momento quidem temporis abuteretur. Hinc solùm necessaria, seria, & brevia colloquia, congressusque Gynecæi cum reliqua Aulâ, & Aulæ cum Gynecœo nonnisi eminus, & publicè, & quatenus ferebat Urbanitas. Quâ disciplinâ, morumque sanctitate factum est, ut de nullo unquam domestico probro innotuerit, quod sanè in tam celebri, refertâque tantâ frequentiâ hominum aulâ, tanquam prodigium, Divino dumtaxat beneficio, sit referendum, si varietatem nationum spectemus, & copiam inde enasci solitam deflectendi à verâ virtutis viâ; Deus enim verè Zelotes passus minimè fuisset, quòd à capite adeò præclaro præ turpitudine morum aliena forent membra. Hinc pariter consequebatur, quòd nostra Princeps Aulicos omnes cujusque gradûs, utpotè sanctitate morum ornatos Filiorum penè loco haberet, & eximio Providentiæ exemplo gubernaret. Hæc autem virtus præsertim enituit in elocandis nobilibus Virginibus ex eodem suo Gynecœo, quas, ut aptè nuberent, paribus nubere volebat, iisdemque boni nominis, famæ illibatæ, & catholicæ fidei, ita quidem ut si vel una ex hisce dotibus, præsertim Catholica fides, defuisset, repulsam in promptu habuissent, quemadmodum ex Britanniæ Regis exemplo superiùs adducto innotescit. Admirabili huic in regendâ Familiâ prudentiæ accessit amor, & sollicitudo verè insignis infirmorum tum Oeniponte, tum circumjacentibus in Locis degentium, Serenissimam enim Matrem suam imitata peculiarem quandam in Aulâ suâ Officinam instruxit, ex quâ pharmacâ quæcunque illis necessaria gratuitò, & quàm largissimè suppeditarentur, assignatâ ad hoc sufficienti pecuniæ summâ, & peritissimis in arte præfectis. Neque verò pecuniam in hisce Charitatis operibus profundere satis habuit, nisi seipsam quoque, suaque, & Filiarum obsequia iisdem infirmis impenderet. Itaque si quis ex Domesticis in morbum incidisset, illicò ipsum non modò frequenter illa invisebat, sed & ministrabat verbis, & obsequiis plusquam Maternis levabat, quod singulare Matris exemplum Filiæ quoque sequebantur

In Aulicorum educatione cura, & vigilantia.

Charitas in Infirmos.

A facilè, & sedulò pro indolis bonitate. Hujus in infirmos curæ, & charitatis in exemplum duo præ cæteris insignia facinora in medium adducere fas fatis, quorum primum fuit quidam pijssimæ Principis Famulus; is enim in Pyram succensam casu prolapsus itaquidem, ut flammæ vis faciem, & formam illius depasta fuerit, veluti monstrum habebatur. Hunc ergo ita miserabiliter affectum, & sui horrore omnes à se fugantem Serenissima Princeps, tanta videlicet Domina, servum Gregarium propriis manibus curandum assumpsit. Cùm autem aliquando totam ejus faciem in ulcus unum informe immutatam, idque sanie, tabeque fœtido fluens, contrectando, tergendo, salutaribus succis imbuendo studiosiùs puris scaturigines, & sinus, ac reliquum mali pe-
B stem rimabatur, nauseabundæ naturæ patientiam fregit; nostra verò Princeps horrore quoque invito in officio perstabat, donec illata nauseæ vis naturam prostravit, unde in vertiginis procellâ offusis tenebris in altum deliquium prolapsa inter Filiarum, & Ancillarum manus expiratura videretur. Etsi verò hujus horroris, vi corporis vires defecerint, non ideò tamen animi ardor defecit; nam quemadmodum Ursæ fœtus suos infirmos lambendo, mulcendoque formare dicuntur, ita Anna Catharina Gregarium hunc curare non desistens, integræ formæ, & sanitati restituit. Paris virtutis, nisi dixerim majoris, exemplum edidit in quadam à cubiculis famulâ, quam itidem curandam propriis manibus suscepit. Duo mala hæc fovebat in sinu, scilicet
C edacem, & latè serpentem cancrum, & è putridis, necnon adesis, vi cancri mamillarum reliquiis spirantem intolerabilem graveolentiam, quam pectus ita nudatis costis, ut tabida etiam viscera introspici possent, exhalabat; Hanc ergo, quam cæteri præ horrore declinabant, Anna Catharina tanquam deliciis illecta prosequebatur, adeò quidem, ut in ejus tabido pectore, ac sinu purgando, Medicisque lenimentis interimendo malo adhibendis, abalienato à sensu fœtoris, horrorisque animo, fragrantiam florum sibi potiùs percipere videretur. Hoc autem ejus studium, & in hujusmodi charitatis officiis obeundis voluptatem inde proficisci dicebat, quòd in miseris hisce hominibus Homi-
D nem Deum, qui miserias, & ulcera nostra in se suscepisset, amplecti, & curare putabat, quo fastidium omne levaretur. Hactenus de curâ corporum, quam in ægrotis agebat Serenissima pauca isthæc libavi; modò verò recolendum est, quòd admirabilis planè fuerit in animorum curâ, longè quidem præstantiùs, quò magis animus corpori præstar. Quàm humanissimè salutaribus monitis, quâ erat dicendi gratiâ, & efficaciâ divinitùs prædita, infirmos ad toleranda adversæ valetudinis incommoda confortabat, Christum, & æternæ felicitatis præmia iisdem ob oculos ponens, quò fiebat, ut non modò ad intolerabilia

Ejus charitatis duo insigniora facinora enarrantur.

Post curā corporum, animorū quoque curam pari charitate suscipit.

lia æquo animo subeunda mirum in modum animarentur jacentes, eademque lenimentorum ad instar habenda; sed etiam instauratis corporis viribus alij jam à seipsis viderentur. Ut autem universa uno verbo complectar, ea fuit Anna, quam se in excelso vitæ suę statu à Deo expeti palam dictitabat, ut nimirum pupillis Mater, oppressis levamen, afflictis asylum esset. Quibus omnibus proinde pro virili prodesse in singulis necessitatibus non detrectabat, longè tamen majori studio æternę eorum saluti incumbebat. Quapropter in summo vitę discrimine positos, & quibus naturę debitum mortem oppetendo solvendum erat, sacrosanctis Ecclesię Sacramentis tempestivè muniri curabat, & prout ei licebat, omnibus in agone mortis constitutis aderat, ipsos hortabatur, solabatur, salutaribus documentis roborabat ad retundendos versutissimi Dœmonis conatus, denique res quascunque sacras, sive Indulgentijs, sive aliâ occultâ divinâ virtute pręditas, & Principibus tenebrarum graves in ultimo conflictu laborantibus superimponebat ad propulsanda tela nequissimi ignea. Quibus pijssimę Principis industrijs fiebat, ut quibus sic aderat in eo discrimine terribilium terribilissimo, pręsens, & inconcussus animus constaret, atque tantę Principis charitatem, & solicitudinem admirati, veluti à sensu dolorum mente abalienatâ, hilares, & fiduciâ pleni decederent. Si verò cęteris infirmis hujusmodi charitatis officia diligenter præstabat Serenissima, longè potiori jure Serenissimo Coniugi præstitit, cui per annos circiter 14. vitæ cum ipso Coniugalis, haud mediocri adiumento fuit, uti superius dictum est, ipsum ad pietatem, & religionem magis in dies, ac magis informando. Quapropter ubi Ferdinandum decumbentem in supremo vitæ discrimine constitutum fuisse intellexit à Medicis, in id potissimùm omni studio incubuit, ut quamprimùm de salutiferis Ecclesiæ Sacramentis ipsi prospiceretur, & PP. Capuccinos adhibuit ad ipsum opportunis in id temporis documentis præmuniendo, quorum venerandâ coronâ circumdatus, eorumque procumbentis Antistitis præsentiâ consortatus juxta tum ejus, tum Annæ vota, inter eorum, & Coniugis preces, & hortamenta salutis summâ animi sui jucunditate animam Creatori suo reddidit anno 1595., cùm antea celebrare non destitisset quantum æternæ suæ saluti vigilantia Serenissimę Coniugis profuisset, cui planè beneficium hoc referebat acceptum, quòd bonorum operum, virtutumque præsidijs, prout ipse sperabat, instructus, atque tam Sanctâ, sibique acceptâ Religiosorum coronâ stipatus Deum sibi reconciliante placidè, & libenter extremum diem obiret, quos pariter aliquando in re propositâ alloquens dixerat, quòd si è suæ Matris dote Patri suo Cæsari duo Bohemiæ, & Hungariæ Regna accessere, se tamen longè feliciorem, quàm fuerit Pater, habebat, quod è suæ Coniugis dotibus

Ferdinando Coniugi morti proximo quantâ curâ, & vigilantia assistit.

E Cœlorum Regnum sibi accessurum sperabat.

Status viduitatis.

Ferdinandi Archiducis Dilectissimi Coniugis decessus Annam Catharinam viduam reliquit anno ætatis suæ 29. unà cum duabus Filijs, alterâ undecimum, alterâ decimum annum agentibus, in eâ verò adhuc floridâ ætate, postquam tanto Principi debitâ pompâ parentatum fuit, spectabilem maximè se præstitit cum singulari prudentiâ in rebus gerendis, quoad Regimen Aulæ, suarumque ditionum coniunctâ sapientiâ, de quo cum institutum nostrum non omninò exposcat agere, quæ ad sanctitatem ejus, & Religionem pertinere potissimùm videntur, attingam. Itaque viduitatem suam in occasionem vertens pietatis, & impensiùs Deo, Deiparæque serviendi, ex voto ab Infantiâ usque habito,

Coniuge defūcto impensiùs Deo ac B. Virgini inservire incipit.

F bito, desiderij sui scopo quibusdam notis Hieroglyphicis statim proludere hac ratione incœpit: Calvarię mortis informi in Tabellâ pictæ inseri jussit arbusculam olivæ folijs, & fructibus nudatæ, cujus è ramo Cœlum intuens Turtur rostro schedam præferebat hac epigraphe inscriptam: *Cupio dissolvi, & esse tecum*: in aversâ verò Tabellæ parte post nomen Ferdinandi, ista: *Deo genitur*: germanico Idiomate scripta, supposito Annæ Catharinæ nomine symboli inventrice. Hanc verò Calvariam pro speculo habitam, & plura tacitè loquentem ob oculos opportunè cōstituit, quasi de ijs, quæ animo agitabat, ipsam moneret. Agitabat autem speciatim Re-

Calvariā pro speculo ob oculos constituit, & Religiosa vita se cōsecrare serio meditatur.

G ligiosę vitæ se consecrare, rata opportunitatem tandiù expetitam advenisse sibi, suoque voto satisfaciendi, dum Coniugij vinculo soluta, quem statum ipsi liceret, liberè poterat amplecti. Verùm huic obstabant consilio Serenissimæ Filię, quibus adhuc in ætate tenellâ constitutis, earumque educationi præstò se esse debere cognoscebat. Diù quidem, multumque anceps animo fuit Anna Catharina; tandem verò prudentissimè decrevit in eo viduitatis statu tandiù perseverare, quandiù Deus, ac Deipara, quibus se, suaque omnia commiserat, rebus paulatim dispositis, aliter secum statuissent; huic tamen consilio hac vivendi ratione sese accommodavit. Dimissis pretiosis vestibus aureis, & gemmeis orna-

H mentis abdicatis, nigra, & humilis illi vestis erat. Capitis verò ornamenta, & vittæ è nigro peplo sacrarum Virginum velamina penè imitantia; è collo Rosarium nigris sphęrulis interposita vitę, & passionis Christi mysteria expressa pręferens pendebat, eoque incessit cultu constantissimè, donec sanctum Ordinis nostri Habitum suscepit. Interrogata verò in familiari colloquio quid sibi vellet pendulum illud è collo Rosarium, respondit, illud comitem esse vitę suę individuum, in Infantiâ pro Crepundijs in delicijs fuisse, in adolescentiâ pro pietatis ac religionis rudimentis, in difficultatibus Coniugij solatio, unum verò in statu viduitatis ornamento mihi, ac decori

Humilis cultus in vestibus.

cori esse. Ex quâ Annę erga Sanctissimum Rosarium religione, quam prę novitate sensuum, quos modò in ipsâ mirabatur Confessarius, & in ejus responsis facillimum illi fuit presagire, quòd Anna specialis futura esset Deiparę Ancilla, cuius presagij veritatem comprobavit eventus. Hinc pariter originem duxere alia quędam Rosaria ad hujus Rosarij imitationem ab eâdem excogitata ultimo vitę suę anno, quę Filiabus suis ritualibus magno ad incrementa pietatis momento hæreditatis loco reliquit. Statuens igitur, ut jam dictum est, Serenissimarum Filiarum gratiâ in hoc vitę genere subsistere, donec divino nutu aliò duceretur, adhibere deinceps decrevit Patrum Capuccinorum operam ad expiationem culparum, & Dei consilium expeditiùs prosequendum, eo vel maximè, quia cum preces Deo funderet ad Ipsius voluntatem intelligendam instinctum quendam specialem ad hoc experta esset; igitur hoc suum desiderium Sedi Apostolicę exponens dispensatione super eorum legibus impetratâ, duos Viros insignes ex eâ Familiâ successivè apud se habuit, quibus demùm suffectus Joseph Maria Barchi ingenuè fatetur se semper in ipsâ promptam obedientiam decem, & octo annorum spatio, quibus id muneris obierat, expertum esse, licet apud ipsam Discipuli potius, quàm Magistri munus subire videretur, nec se, si gloriari voluerat, tantę Principi, sed tantis virtutibus ornatę Fœminę presuisse juvabit, quibus profectò gloria comes nunquam defuit. Hinc vix à primo Conjuge solutam, propter heroica ejus gesta, quorum fama longè, lateque se diffuderat, Monarchę plures eam sibi in Conjugem ardentissimis votis, & adhibitis legationibus expetivere. Prior omnibus ramen ejus nuptias ambivit Imperator Rodulphus II., deinde Rodulphi ejusdem Frater in Imperio successor Archidux Mathias, cui tamen conexpetita, sequentibus annis inaugurato Imperatori natu minima Filia Anna in Matrimonium copulata fuit. Nostra tamen Princeps tanti Cœsaris nomen, & supremum in Terris fastigium honoris æquo lance expendens, infra Dei, ac Deiparæ obsequium, cui se jamdudum constanter devoverat, habuit, neque minus memor, quàm tenax propositi sui ab adolescentiâ usque suscepti rebus humanis, quibusque, quandoque valè dicendi, & reliquam ætatem Dei, ejusque Sanctissimæ Matris servituti impendendi, quò splendidiùs, & honorificentiùs ad Cœsaris nuptias invitabatur, eò generosiùs nullis maritalibus nexibus jam liberas manus dare decrevit, ut eò liberiùs Dei legibus, consilijsque facere satis posset; quemadmodum verò ad hoc vitæ genus capessendum plurium sanctarum Principum exemplo concitabatur, ita magnis hisce Principibus, qui eam deperiebant, multo verborum honore significavit, non ijs minus æquam in partem trahendum, quòd communis omnium Dominus, ac Deus ijsdem præferatur;

PP. Capuccinos animæ suæ Directores eligit.

A magnis Principibus in Conjugē expetita, recusat.

A certa siquidem erat, se in viduitate perseveraturam ad altiorem usque Divini arbitrij indagationem; interim verò Serenissimis Filiabus suis juxta Generis claritatem, & Matris Officium educandis omnem operam sibi locandam esse. Ut autem huic Consilio obsequeretur opportunum locum expetens ex veteri Aulâ in aliam Cœnobio similiorem transmigrare statuit, ubi cum Serenissimis Filiabus ad Dei nutum usque vidua degeret, quod Palatium ideò ab ipsâ eo temporis cœptum post Triennium magnificentissimè à fundamentis usque surrexit, eodemque ergo cum Filiabus, & universâ Aulâ ex selectissimis, spectataque virtutis Viris, & Fœminis constante concessit, ibique velut in quodam sa-

B crarum Virginum Asceterio ei vitæ proludere cœpit, quam aliquando ad obitum usque ducere debebat, idque tanto omnium exemplo, & adeò accuratâ Filiarum, ac Domesticorum disciplinâ, ut admirationi simul, & gaudio omnibus esset; nunquam inde exire consueverat, nisi cum Filiabus, neque plerunque Filiæ, nisi in Templis, & sacris supplicationibus omnium oculis occurrebant; tùm verò tantâ quidem modestiâ, ac religione, ut ex abditis quibusdam sanctimoniæ, cùm domo prodirent, prodiisse viderentur. Ac reverâ Palatium, in quo degebant, Domum potiùs Deo consecratam, vel Hominum Deo dicatorum, quàm aulam referebat; in eo enim duo Sacella abditis simillima, si-

C milium locorum Architecta peritissima Anna Catharina fieri curaverat, quorum unum Aram habebat Sacris quotidie faciendis constructam, cujus in fronte effigies aderat elegantissimè delineata Virginis Deiparæ Puerum Jesum in sinu sibi adhærentem gerentis, Imaginis ejusdem Deiparæ expressiva, quæ Mantuæ in Cœnobio Monialium S. Vincentij Ordinis Prædicatorum visitur. Ejus autem pingendæ ratio in hoc Sacello fuit luculentum miraculum, quod contigit cùm Serenissima anno Jubilæi 1600. domi sedere non passa, sed toto velut orbe religionis ergo Romam sese effundente, ipsa quoque eò usque, quò speciatim à Summo Pontifice evocabatur, petere gestiens, cùm tamen assequi non

D posset, ad S. Lauretanam Domum tantisper substitit, ubi cum Serenissimâ Dei Parente summâ animi jucunditate diversata, suam inde repetere Patriam, & aliquandiù invisere voluit. Cùm enim ibi apud Aram, cùm hæc in fronte pariter erat Imago, Anna nostra aliquando cum Fratre suo Vincentio ibidem Duce, ejusque Conjuge, necnon sui Sorore Ducissa Ferrariæ, rei sacræ interesset, omnibus ipsis spectantibus, Imaginis ejusdem verticem circumquaque illustrare visæ sunt Stellæ quædam, è quarum radijs eximiâ luce in Virginis faciem effusâ Pueri Jesu caput insigni splendore coruscavit, quod sanè gloriosum spectaculum per integrum horæ quadrantem

tem perseveravit, Principibus illis rei miraculo obstupescentibus, & lachrymis obortis, solo que demum in genua procumbentibus, et Deiparæ pacem suppliciter inclamantibus. Hujus ergo prodigij memoriam, sicuti perpetuò obversabatur Annæ animo, ita oculis etiam observari, vel in picturâ voluit, ut apud eam Imaginem tanquam apud sacrum Divinæ opis asylum gratias quascumque pro opportunitate impetraret, & pro beneficijs acceptis plurimas perpetuò gratias referret. Alterum verò Sacellum ibidem pariter erat, Eremo potiùs simile, quod proinde Eremitorium vocari statuit S. Francisco in Alpibus Alverniæ dicatum, ut eò se pro libito reciperet Anna solitudinis amore incensa, orationi commodiùs vacatura. Hic autem res contigit miraculo ferè affinis, è quâ conijcere licet, quàm invisum Dæmoni foret hoc Sacellum, quàm acceptum contra Deo, ejusque Virgini Matri; tentavit enim ille, quòd Sacellum incendio absumptum corrueret, isti verò Dæmonis artem retundentes vim ignis repressere. Nam pridie ejus diei, quò in Ecclesiâ Universali Impressionis stigmatum Christi Domini in corpore S. Francisci celebratur memoria, Anna ad sacram Eucharistiam postridie cum Serenissimis Filiabus eòdem accessura, in ipso Sacello erat pernoctans in oratione Dei; recedens deinde, ut quieti nonnihil indulgeret, lucernæ curâ Ancillarum uni commissâ, hæc ejusdem Lucernæ lychnum longo nimis obsequio fatigatum incautè levans partem accensi muci in materiem segminum ligneorum proijcit concipiendæ flammæ aptissimam, & inde recedit. Ignis intereà naturâ, ut solet, suâ non segniter perfunctus totum pervadit, atque depascitur ejus Alverniæ pavimentum, quod è ligno constabat, postquam segmina præfata, & capsulam ligneam omninò combusserat, quin progrediatur ulterius, quemadmodum naturæ impetu fieri poterat præsentissimo totius palatij in cineres redigendi periculo, cùm nemo vel unus eidem avertendo præsto ibidem esset. Deus autem, cui addicta prorsus erat Anna, Alverniam illam singulari quodam, & ineffabili ratione ab incendio vindicavit. Ubi verò postridie diluculò Serenissima eodem Loci ad singulas preces rediens, & factâ Eucharistiâ reficienda discrimen hoc advertisset, haud mediocriter cohorruit; sed adoratâ Divinâ Providentiâ, ac benignitate mirabili in re propositâ nemini non obvia, laudatoque mirificè loci præside Francisco, Orationi incumbens, ingentes ipsi retulit gratias, Confessario, & Socio Deum pariter laudantibus ob tantum beneficium, quod evenerat, demonstrans. Hoc itaque dolo frustratus Dæmon, cui nimium gravis erat eximia hæc in Serenissimâ Principe virtus, diverso fraudum genere nunquam sibi non constans impetere cœpit, verebatur enim quòd si in exercitationibus hujusmodi constanter progredere-

E tur Anna, ejus operâ plurium animarum jacturam subiret. Ut igitur huic suo damno occurreret gravissimâ quâdam, & fraudulentissimâ tentatione illam urgebat, eòque magis verendâ, quò tres integros annos, non interruptâ serie perseveravit, Deo sic permittente, qui sibi dilectas animas hujusmodi tentationum igne, & quidem acerrimo, tanquam aurum probare solet, ut inde splendidiores, & quacunque, vel minimâ, scoriæ particulâ absumptâ puriores, sublimioribus muneribus à Deo exornandæ ipsius oculis se pretiosiores exhibeant. Ita verò res ipsa processit. Cùm Anna Catharina coram prodigiosâ illâ Mantuanâ Imagine in Oratorio suo Deo ferventiùs vacaret, coram illâ Mulier quædam aspectu gravis adfuit, Beata ne Virgo

Variis, & gravibus tentationibus probatur

F foret, an Elisabeth Ungarica, an alia è Beatis illis mentibus Annæ Patronis incompertum, eas induta vestes, quibus pedes lavandæ in Cœnâ Domini pro more Principis induebantur Fœminæ, hæc illi dicens: *Putasne præstabilius fidei, an carnis tentationibus subesse?* Ad quæ obstupescens Anna, & eà se peti credens consilij gratiâ, graviùs reposuit, fidei, quàm carnis sibi videri discrimen; quo dicto, Mulier illa disparuit, postquam se annuisse indicarat. Re Confessario deinde communicatâ, ipsam hic monitam voluit, sibi grave quoddam spirituale prœlium imminere, quod sanè non diù post experta fuit. In hoc verò conflictu tanta viguit Dæmonis rabies, & adeò validus impetus, quem-

G admodum fieri plerunque solet, ut animo propemodum fracto satiscens Anna vix abesse videretur, ut succumberet, omnis consilij penitus expers à Deo quoque derelicta subinde sibi videbatur, & viribus penitus destituta ad resistendum necessarijs. Illud unum ad rem sibi videbatur suppetere, quod immobile sibi erat quoddam animi decretum mortem potiùs oppetendi, quòd à Deo ne latum quidem unguem recedendi, divinâ planè bonitate contra impetus tenebrarum eam confortante. Interim verò Serenissimæ adeò graviter vexatæ secundùm quietem talis se obtulit species: videbatur sibi à Tutelari suo Angelo ad terribilis stagni litus perducta fuisse, scapham deinde ibi paratam unà cum

H ipso ascendisse, cùm autem eo scapham propellente medium stagni tenuissent, ipsaque animadversâ paludis altitudine, & obscuritate, quæ Bufonibus, atque serpentibus refertissima apparebat, contremiscere cœpisset, & animo despondere, Angelo præsertim tunc recedente, navigium paulatim subsidens certum naufragium, & ab immanibus illis bestijs interitum mirabatur; & quantumlibet Anna altiora navigij petere contenderet, suo tamen se frustratam voto videbat, quod gravis ferarum colluvies omnia simul demergere pararet; neque Deum, atque Deiparam, quos enixè invocaverat, sibi propitios experiri videbatur, donec in ipso extre-

mi

mi discriminis articulo totam se eorum arbitrio commisit. Tunc enim sibi in Littus præter expectationem expositæ Angelum redijsse, qui se derelictam conquerenti opportunè subintulit, ira nimirùm cum ijs agere Deum, qui in adversis sibi nimium fidunt, nec integram semper in Deo fiduciam collocant; quòd evigilans Anna apprimè sibi cordi fuisse demonstravit; hinc summè providus Deus Annam ab hoc discrimine vindicandam suscepit; cùm enim singulare esset, & extraordinarium Annæ discrimen ob singularem, & extraordinariam nequissimi Dæmonis artem, singulari quoque, & extraordinario modo Annæ adfuit Deus, qui nunquam bonæ hominum voluntati deest. Itaque Deiparâ administrâ subsidium Annæ præstitum hoc modo fuit. Deipara enim Religioso cuidam Clienti suo apparens, dum orationi vacaret, res Annæ periclitantis eidem aperuit, tertium, & quidem seriò, quin etiam severitate adhibitâ, quia reluctanti, præcepit, quòd Annæ ferret opportunè suppetias, quarum rationem, & modum, necnon discriminis causam, & seriem ipsi suggessit. Annam igitur adiret, præcepit, &, ut animo adesset, moneret, cavere que, ne speciosioribus verò rationibus, larvatisque mali Dæmonis imposturis in transversum ageretur; nil enim aliud his artibus assequi contendere Dæmonem, quàm ut ipsam à Deo aversam ageret præcipitem in culpam, & inde indignationem Dei subeuntem Dæmoni obnoxiam à summo bono ad summum malum, nempe peccatum, & pœnas peccato debitas in æternum traduceret, eòque graviores, quò pluribus, atque majoribus à Deo beneficijs fuerat jugiter cumulata. Adderet insuper nihil esse apud Deum peccato detestabilius, eique ultorem à tergo semper imminere, neque inultum unquam permittere, præsertim in viris Principibus, quos in aliorum scelerum vindictam à se armatos, sceleratos esse non diù impunè ferat, quin etiam in ipsis, & suis, & in hoc seculo atrociter, & in futuro atrociùs plectere soleat; quibus si Anna adhæreret, pœna eadem quoque ipsam maneret, cujus acerbitatem in præmaturo Dilectæ Filiæ Annæ interitu brevi esset gustatura. Cliens ergo præfatus Deiparæ dicto audiens, etsi rei ipsius prorsus ignarus, Serenissimam statim convènit, & inito cum ipsâ opportuno colloquio hactenus expressa adamussim eidem proposuit, ijsdem insuper adijciens, quòd ipsa facilè intelligere posset, quid sibi vellet hoc Virginis monitum, si cordis penetralia subiens, quæ ibidem agitarentur, exactè lustraret. Ad hæc nostra Princeps, veluti fulmine quodam percussa inhorruit, & ex quadam obnubilati animi perplexitate expergefacta, cujus onere pressa fermè succumbebat, veniam imprimis suæ titubationis à Deo petijt, omnem deinde in ejusmodi discriminibus cautelam promisit, & vigilantiam; non ideò satis

A hucusque acquievit, non ex eo quòd ullius liberè admissæ culpæ conscientiâ urgeretur, quam cæteroqui severissimè probaverat, sed quòd sibimetipsi suspecta esset, quæ acerrimo huic Deiparæ moniro argumentum præbuisset, seque id ipsum latere, quò tum Deo, tum illi displiceret. Prætereà Monitorem suum, ac Deiparæ Clientem, cujus beneficio se æternùm obstrictam fatebatur, interrogavit de Legationis ejus ad se ordine, suâne sponte, & aliquâ proprij spiritûs illustratione, an jussu Deiparæ venisset; ille verò rem, ut erat, exposuit, sibi nimirùm oranti ter imperatum fuisse adiectis quoque sibi reluctanti minis, ut ei Dæmonis insidias detegeret, his verbis: *Succurre Archiduci Ancillæ meæ periclitanti*. Quid verò discriminis ipsi immineret,

B non intellexit; ipsam proinde rogabat, ut admonitionem suam æqui boníque consuleret. Hæc satis habuere momenti ad Dei clementiam piissimæ Principis proponendam, ejusque animum commovendum, ut & illam veneraretur, & quam de se curam Deipara haberet, intelligeret, cujus studio è tenebris illis in Divinam cum Deo unionis lucem sese videbat assertam, cui proinde totam se nuncupans Deo, & ipsi tot beneficia accepta referens in eorum amorem, & obsequium se penitus impédit, & eo animi ardore hoc exequi cœpit, ut quasi nil hactenus egisset, quod Deo, ac Deiparæ placuisset ad sanctimoniam defæcatissimam, ac planè heroicam excolendam toto nisu incubuerit; qui sanè impetus

C brevi plurium, magnarumque virtutum, ac meritorum cœlestium compotem, & Divitem eam fecit, quemadmodum è dicendis constabit.

Hoc igitur discrimine defuncta Princeps fortissima, & ejus constantia ad instar Jobi à Deo probata ad æternum ejus decus, & ad posteritatis exemplum, seipsâ fortior facta, curas omnes adhibuit de se cum suis omnibus pro tot beneficijs Dei, ac Deiparæ consecrandâ, ut aliquam, nisi parem, ipsis vicem referret. Hæc autem ratio consilij hujus affequendi Serenissimam subijt, scilicet opes omnes, censusque suos sanctissimam Annam Deiparæ Genitricem æmulata trifariam divisit; primam è tribus partibus sacris ædibus, &

D sacris cœtibus; alteram egenorum gregibus; tertiam sibi, suæque aulæ sustentandæ dicavit. His ita dispositis, ut nihil omninò ulli ex parribus præjudicium inferretur, seipsam quoque in ordinem ita redegit, ut non jam Imperio Principatûs sui Ordines, sed exemplo regeret, & in officio præsertim pietatis contineret. Quare frequentiam Templorum, quæ majorem temporis partem absumebat, in divinis laudibus, & contemplationibus, in delicijs habebat. Gratiora ipsi spectacula convivia erant egenorum, & minimi pretij hominum, quibus per singulas hebdomadas unà cum Filiabus proprijs manibus ministrabat. Rara quoque sibi Filiabus, & domesti-

Opes suas, & census trifariè dividit, & ferventiori affectu Deo inservire decernit

cis erant cum externis commercia, omnibus unicè domi intentis, & quarum ratissimè in publicum prodeuntibus; ipsa verò Serenissima sola secum, & cum Deo, ac Deiparâ agens eorum oculis se, suasque Filias elegantibus moribus magis in dies ac magis exornabat. Prætereà maximam Domesticorum curâ habens cum Apostolo, audiens, eos omnes à qualibet peccati labe prorsus immunes esse pro virili contendebat, eorumque indigentijs, tum corporalibus, tum spiritualibus præstò erat, ut jam dictum est, suos omnes actus, suaque omnia ad solius Dei gloriam referre semper consueta. Has inter exercitationes Divino freta auxilio mentem Divinæ voluntati indesinenter adhærentem, neque unquam à Deo aversam servavit. Si quando verò humanâ infirmitate premente, aliquatenus deficisset, dictitare solebat, currum suum (scilicet corpus, prout ipsa appellare solebat) quo deferendus in Cœlos est spiritus rotam confractam habere, ipsamque quamprimùm reficiendam esse, nisi malè sibi consultum velit: currus hujus Temonem visum esse, Aurigam verò intentionem, & finem operis; si rectus ille fuerit, iste verò fidelis, salvum fore currum; opus tamen esse, ut rotæ si fractæ fuerint, vel quocunque modo dissiluerint, nullâ interpositâ morâ, reficiantur.

In infirmitatibus suis pulcrum dictum.

Exemplis hisce sese instituebat gloriosissima sui, seculi vanitatum, & Dæmonis triumphatrix, quæ adeò jam Divino amore exarserat, ut in pristino vivendi more satis adhuc sibi minimè faciens, austeritatem quoque Capuccinorum æmulari contenderit. statim verò ac se Capuccinis dirigendam tradidit molli deposito lecto super paleas cubabat in angusto conclaviolo cellulas Religiosorum arctè degentium imitante. Corpus ferreis flagellis urgebat, idque ter per singulas hebdomadas, ac tandiù, ut potius fatigatos lacertos vis deficeret, quàm verberare cessaret. Præter consueta cæteris hebdomadæ diebus jejunia feriâ 6. jamdudum familiarem inediam, pane tantùm, & frigidâ condiebat, idque in pervigiliis Deiparæ, aliorumque Sanctorum Tutelarium pari lege servabat; si quando verò adversâ valetudine, vel aliâ quacunque de causâ hujus inediæ rigorem temperare cogeretur, vel ferream illam corporis castigationem omittere, liberali datâ pauperibus stipe id compensabat. Feriâ 4. cujuslibet hebdomadæ carnibus semper abstinuit; per octavas verò Festorum B. Virginis ex mille salutationibus Angelicis recitatis pensum faciebat, ex quo eidem Virgini pallium (ita id pietatis officium vocabat) texeretur, solemniùs tamen nativitatem Domini celebrabat, quâ die mensæ quoque suæ tres pauperes accumbere volebat, masculum videlicet provectæ ætatis, qui Sponsum Virginis Mariæ præseferret; mulierem verò unà cum Infantulo, qui Mariam Virginem, & Puerum Jesum exhiberent, Orationi præter-

Austeritatē PP. Capuccinorum æmulatur.

Varia austeritatis, ac pietatis exercitia expenduntur.

eâ semper intenta invictum ab ipsâ spiritum E non relaxabat, quemadmodum de S. Mattino canit Ecclesia, singulis diebus in eorundem Patrum Capuccinorum Templo quinque sacris manè, vespere autem Completorio, & Orationi Mentali per duas ipsas horas peculiari cœlestis suavitatis sensu interesse, mirabile, atque perpetuum ejus institutum fuit. Quoties enim animi causâ à laboribus relaxandi ad Sacra, & celebriora præ singulari religione Loca cum Filiabus accedebat, eòdem illicò egenorum undique agmina turmatim fluere, quippe qui ex consuetudine probè noverant amplissimas eleemosynas ibi se manere, quas Religiosissima Princeps suâ manu plerunque liberalissimè erogabat, mirè delectata Miserorum vocibus Deum collau- F dantium ob id suæ egestatis tàm opportunè oblatum levamen. Haud minori curâ quorundam Templorum sublevabat inopiam, præ cæteris autem Patrum Capuccinorum Ecclesię consuluit, cui sacra quædam indumenta ministrorum usui accommodata, aliaque ornamenta Altaribus aptissima propriis manibus elaborata dono dederat, quibus ipsi Patres diebus tantummodò solemnioribus in memoriam tantæ Benefactricis uti consueverę; quæ sanè opera, aliaque huiusmodi tunc præstabat, cùm spiritualibus exercitiis satis abundè vacasset, à quibus par erat ipsam abstinere, nequid otio Loci adesset. Eâ verò pollebat modestiâ, ut neque ædificijs, neque ornamentis, vel indumentis sacris, quibus G Ecclesiarum paupertatem levabat, gentilitia insignia sua minimè pateretur apponi, ne gloriam stabilem, prout ipsa dictitabat, pro labili prodigeret, & inanem gloriolam pro æternâ mercaretur. Hæc enim insignia hisce rebus affixa, & oculis omnium exposita hederæ appensæ ad instar venale meritum facere non dubitabat. Neque verò sibi tantùm cordi habuit otium execrari, sed hujusmodi sensu omnem imbuit familiam; hinc si quem advertisset otio indulgentem, ipsum redarguens monebat, otium animæ blandum esse carnificem, adeòque cavendum; nihil esse in humanis tempore ipso ab omnibus sanctis, ac sapientibus mirum in modum commendato pretiosius, quo qui sedulò, & religiosè utan- H tur, cœlestibus identidem thesauris ditescere soleant; quibus, licèt malus Dœmon immineat, nil tamen minuere possit, cùm vigilantibus ipse dormiat, vigilet dormientibus; cùm enim fortis armatus custodit atrium suum, in pace omnia esse, quæ possidet, *Luc.* 11. docuit Dominus. His accedunt sacramentalis Confessionis, & Sacratissimæ Eucharistiæ usus pluries per singulas hebdomadas repetitus, & alia quamplurima Christianæ pietatis officia, quæ passim exercebat, inter quæ memorandum præ cœteris illud est, quòd quoties Sacram Eucharistiam exceperat, pauperem aliquem, seu masculum, seu fœminam, quì ad ostium, ut eleemosynam peteret, stabat

Ejus modestiæ rarum exemplū.

Sacrâ Comm. refecta Pauperem aliquem in Aulâ semper reficiebat.

bat, in aulam introducebat, prandium opiparum simul, & lautum illi adornans, & largam eidem stipem erogabat, gratias Deo optimo maximo ita referens, quòd sibi misellæ peccatrici ad mensam cœlestem accedere permisisset. Domesticorum cura, & omnium aliorum hactenus expositâ, utique segnior illa non fuit, quâ omnes omnium hominum Ordines, præsertim verò homines Deo sacros, observabat. Sacerdotibus in primis singularem ideò potissimum deferebat honorem, quòd Hominis Dei corpus & attrectarent, & ministrarent omni ob id ipsum veneratione dignissimis, quam semper illis religiosissima Princeps præstitit, sicut & Monasticorum Ordinum Viris, quorum Vestium lacinijs religiosa oscula libare solita indulgentias sibi comparare curabat huic venerationi jampridem ab Ecclesiâ concessas. Præ cæteris tamen id experti fuere PP. Capuccini, quos non magis Palatio suo proximos, quàm cordi, nedum frequenter Epulis ex Archiducali Mensâ electis reficere solebat, verùm etiam propriæ mensæ suæ in principe loco collocatos accumbere volebat, quibus Serenissimarum Filiarum una aquam abluendis de more manibus, abstergendis altera mantile porrigentes officiosè admodum, & reverenter deserviebant. Idem honor vergebat etiam in beneficentiam erga Sacerdotes, & Religiosos præsertim exteros, & peregrè commeantes, quorum singulis Sacerdotibus aureum donabat, nondum Sacerdotibus, sed tamen initiatis aurei dimidium nemine prorsus sine quadam stipe dimisso, in tantâ ultrò citroque commeantium affluentiâ, ubi maximè per Tyrolim in Germaniam ex Italiâ, & ex Germaniâ in Italiam regia patet via. Horum in censu non alios integros refero Ecclesiasticorum greges utriusque sexûs, quos in Ecclesijs, & Ascererijs inopiâ laborantibus ex piorum eleemosynis vitam tolerantes penè in delicijs fovebat, præ cæteris autem Sanctimoniales, tanquam Divini amoris sponsas purissimas, mirificè colebat, & quodam veluti ambitu earum honoris vaticinans, ac votis suis proludens dicere solebat se quoque futuram aliquando fortè alteram ex illis, quod nisi fieret, se nunquam juxta votum morituram. Et hæc quidam Prodromi Nuptialis pompæ, & ovario quædam fuere, quæ totum animi triumphum secum trahebant, nuptias cum Deo apperentis. A' teneris usque unguiculis, & consequentibus annis, seù nupta, seù vidua, tum Mantuæ, tum alibi aliquot sodalitijs nomen dederat, scilicet, Sacratissimi Rosarij Deiparæ, Montis Carmeli, Immaculatæ ejusdem Conceptionis, Augustissimi Corporis Christi, Cinguli D. Francisci, S. Crucis, 40. Horarum, Sanctissimæ Trinitatis; Oeniponte verò B. Virginis in Parochiâ; quorum omnium statuta in unum libellum collecta diligentissimè observabat, & adeò venerabatur, ut siquando eorum aliquod omisisset id Religioni ducens, tanquam grave piaculum apud Sacerdotem singulari animi dolore sacramentaliter accusaret, & expiaret; siquis autem è peritis super hac Annæ Religione dixisset similium legum neglectum culpæ tribuendum non esse, reponebat illa harum negligentiâ Indulgentiarum, quas in vivos, & mortuos harum legum custodia comparat, jacturam se facere, suâque socordiâ fieri, quòd animæ in Purgatorio detentæ salutari illo præsidio, atque solatio destituerentur, quod sceleri affine esse, vel ex ipso naturæ jure, innotescat, quò miserabiliùs nonnisi alienâ ope sublevandis talem, & ita celerem opem ferre par est, qualem nobis etiam fieri, si ibidem torqueremur, utique tam ardenter optaremus, quàm graviter cruciaremur. Ut autem fert amoris præsertim Divini conditio, qui vult ignis limitum impatiens quaquaversum se contendit effundere, Serenissimæ satis non fuit, utpote charitare Divinâ singulariter Incensæ in hæc sodalitia, & eorundem leges non per se solùm incumbere, verùm & Filias, ac totum Gynæceum ad eadem studia invitare, imò pertrahere, & eodem, quo ipsa flagrabat, ardore, inflammare studuit, ut proinde discernere nõ satis liceat, an felicius opus hoc exorsa fuerit, an celeriùs, & cumulariùs confectum dederit, cùm tot alios verbo, & exemplo ad opera exercenda accenderit juxta leges sodalitiorum præscripta, & quò magis accenderentur, ab Apostolicâ Sede pro Imaginibus, & alijs S. signis, plurimis, & liberalibus Indulgentijs impetratis, easdem tum in aulâ, tum extra, tum Proceribus, tum vulgaribus hominibus Divinæ gloriæ, aliorumque salutis studiosissima dispensabat.

In Sacerdotes reverentia, & liberalitas.

Varijs sodalitijs se adscribit.

Quemadmodum Anna Catharina hisce Christianæ pietatis, & charitatis officijs addicta magis in dies in luce virtutum proficiebat, ita & Divina bonitas majoribus in dies gratiarum ornamentis eandem illustrabat. Hinc dum ipsa curis quibusque humanis nondum exuta, sive adhuc in corpore mortali peregrinabatur à Domino, Christo tamen in suis pauperibus obsequebatur, res quædam accidit nullatenus prætereunda Anno reparatæ salutis 1606., 40. verò ætatis suæ. Princeps nostra consuetudini inhærens, 12. Pauperibus Fœminis prandium qualibet hebdomadâ instruendi, ipsisque ministrandi, non aliâ quidem ratione, quam si sub illarum pauperum specie Christo Domino, ejusque Matri olim pauperibus eo ministerio inserviret, feriâ quadam quartâ cùm Hospites tres admisisset, inter duodecim invitatas Tertiadecima quædam non invitata apparuit, ubi enim accubuere, numerat Serenissima hospes suas hospites, numerat verò utique Tredecim, sibi non credidit, Filiabus Innocentioribus mandat, ut numerent, illæque pluries illas numerant, & tredecim semper deprehendunt, neque de hoc numero ullatenus dubitant.

In Pauperibus ministrando casus mirabilis.

bitant. Tum pijſſima Anna hoc vehementer admirata putavit tertiamdecimam extremâ E forſitan, & impudente ſame coactam cæteris ſemetipſam intruſiſſe; ut autem ejus verecundiæ parceret, tem diſſimulat, verùm ubi complero prandio hoſpitibus bellaria, & conſuetam ſtipem largâ manu tribuere vult Anna illas dimiſſura, tunc decima tertia illa nunquam apparuit. Id verò tamquam inuſitatum, & inquiſitione dignum Sereniſſima Princeps rata ſervos citat, & Janitores, & edere illis jubet quot fœminæ fuiſſent ingreſſæ. Exiſtimantes illi ſe in cuſtodiæ fraudem vocari, unanimes omnes, & quidem liberè affirmant, 12. tantùm ingreſſas fuiſſe Triclinium, ac totidem, utique ſe ſtudioſè obſervantibus, ordine egreſſas eſſe. Hic hærere primùm Anna, dein dubitare, ne vel ipſa F Deipara, cujus honori obſequium illud potiſſimum adornabatur, vel certè Beatarum mentium aliqua ſpectatrix ejuſdem obſequij interfuerit, quæ ideò inſalutatâ hoſpite abierit, quod hoſpes ſalutatione foret indigna. Itaque Confeſſario in hanc rem vocato rem ipſam ordine expoſuit; ille quidem primùm dubitare cœpit, & cauſam dubitandi in oſcitantiam numerantis referre; ubi verò, & ipſam Archiducem, & utramque Filiam, & famulos omnes fide juratâ idipſum affirmates audivit, non potuit tum piè credere, id Annę contigiſſe, quod D. Gregorio Magno, & alijs pluribus ſanctis hoſpitalitatem hujuſmodi exercentibus, qui Angelos, & ipſum Angelorum Dominum, alioſque ſanctos ſub pau- G perum ſpecie excepiſſe referuntur; quod cùm Annæ perſuaſum fuiſſet, & expenſis indicijs confirmata crederet, incredibile eſt quantâ in Deiparam ſuavitate amoris exardeſceret, & quantâ animi promptitudine (qui apparitionum hujuſmodi germanus ſolet eſſe effectus) lachrymis præ dulcedine, & ſtupore obortis ſe, ſuáque omnia ejus obſequio cōſecraret. Igitur hoc Divini amoris jaculo ſaucia, quos animo conceperat erga Deum, atque Deiparam affectus, intra cordis anguſtias coercere non poterat, hinc quàm ſæpiſſimè in hæc, & hiſce ſimilia ſeſe effundebat. *Magne Deus, o Deipara, ſi quod vobis placeret, coguoſcerem, ter me felicem, terque beatam arbitrarer, quanam verò cordis alacrita-* H *te illud opere complerem! Ah ſi mihi fas eſſet in obſequium Dominæ meæ dulciſſimæ fortunas omnes meas impendere, quid mihi optabilius, quid mihi jucundius accidere unquam poſſet? Cor ipſum è pectore evulſum, quamlibentiſſimè offerrem: at me miſeram, & mortalium omnium infimam, atque inutilem fœminam! Dei Genitricem mihi adhuc noveuus conſpicuam adfuiſſe, paulò ante hoſpitem fortaſſe interfuiſſe convivio, voces audire, ac reddere me præ peccatis indignam non potuiſſe. O eximium beneficium, cui planè compenſando imparem ſemper fore me fateor.* Hæc verè querulus amor promebat, non minuebat tamen fiduciam, quâ adeò in

Virginem perpetuò inconcuſsè, amanterque E ferebatur, ut nemo facilè voti ſui repulſam tulerit, quoties illâ in patrocinium appellatâ Virginis nomen ipſe interpoſuiſſet. Hinc Sereniſſima ad omnes B. Virginis ſolemnitates mirifico ſtudio ſe comparabat, eaſque magno animi triumpho obibat, & penè pari externâ pompâ, quâ per ſingulas Octavarum, ac totius anni Sabbathorum dies, rem Divinam muſico concentu ſe, ſuiſque præſentibus magnificè fieri jubebat. Quæ Confeſſarius ſecum ipſe diligenter expendens, Annam ad pręclara in obſequium Virginis pręſtanda natam facilè cognovit, quam adeò miris modis, & varijs Divinâ beneficentiâ ornatam videret. Hujuſmodi in Deiparam religio ea ſanè fuit, ut ipſi minimè ſuffecerit obſequi- F um Domi tantùm exhibere, ſed ejuſdem exemplo Eliſabetham viſitantis impetum concepit ardua quoque, & longiora capeſſendi itinera, ut ea loca inviſeret, quę præſentię Virginis indicijs, atque miraculis celebriora erant, neque ab itineris difficultate deterrita, neque à neceſſitate profundendæ pecuniæ, neque tandem ab aliâ quacunque peregrinationis divertendæ causâ. Sacram in primis Lauretanam Ædem in Italiâ petijt, Oetingenſem in Bavariâ, Einſidlenſem in Helvetiâ, Brunduſienſem in Bohemiâ, & alibi alia hujuſmodi. De vicinis Ædibus B. Virgini dicatis, paríque famâ notiſſimis, quia res erat quotidiana, & brevitati conſulendum hîc eſt, vix attinet dicere; id ſolùm jure li- G cet recenſere, quòd apud Virginem VValdraſtenſem occurrit, quæ præ cæteris ſacris hujuſmodi Ædibus ſingulari recolenda eſt ratione, tum præ gloriâ miraculorum, quæ ibidem impetrat Deipara, tum præ ſingulari erga Ædem illam amore, ac reverentiâ Sereniſsimæ Principis noſtræ. Hanc quod tribus tantummodò leucis germanicis Oeniponte diſtaret, ſemel & iterum quotannis ſummâ animi jucunditate adibat, ubi ſemel Ædem ingreſsa ita orando, ac meditando exardeſcebat, ut inde vix aut difficulter divelli poſſet; tantâ enim tenebatur, ac detinebatur illapsâ cœlitùs illi loco ſuavitate, internæque lucis affluentiâ, ut aulâ dimiſſâ ſola ipſa cum Virgine in multam noctem res, curaſque ſu- H as, conſilium, & opem illis precando conferret, neque ante ceſſaret, quàm negotia ſua expedita feliciter, & ſe exauditam ſatis intelligeret, adeout cùm ipſam Confeſſarius moneret, ut fatigato corpori aliquam quietis partem indulgeret hoſpitium adeundo, illa quippe, quæ lachrymis adhuc madida facie erat, ſolum ipſum irrigantibus ab ipſo enixè petiit ob ſuaviſſimum Virginis amorem, ut ipſi permitteret tantiſper adhuc Loci dulcedine frui, in quo certum Deiparæ præſidium experiretur, è quo digredi nimis ipſi grave, atque moleſtum foret. Ad hæc nunquam ſe ibidem aliquid à Virgine petijſſe dicebat, quod non conſequuta diſceſſerit, proindéque

Quăplures Ædes B. Virgini dicatas raro exemplo, ac devotione viſitat.

Præ cæteris Virginē VValdraſtēſem frequentat, & colit.

tum

tum ardua sua, tum Filiarum negotia cum Virgine conferre, quibus brevî confectis se Domi futuram; idque brevî factum, rebus apud Virginem feliciter, & ex animi voto expeditis sequenti die præter consuetudinem hilaris satis cuique monstrabat pridie feliciter apud B. Virginem omnia cessisse, quod reipsâ comprobavit eventus; nam divinis persolutis Officijs esset accubitura, adsunt duo PP. Capuccini, eique nunciant Oenipontem ipsi quamprimum redeundum esse, quoniam ibi Poloniæ Regis aderant ad eam Legati, qui Filiam Archiducem Annam pro suo Rege in Coniugem petunt. Ea res profectò, etsi jam ante sibi, prout opinor, à Deiparâ indicata, magnopere tamen animum Matris exhilaravit; licèt enim effectum non esset sortitura, effecit tamen, ut Filia, quæ unà Matris votum de Vitâ Religiosâ amplectendâ morabatur, augustioribus nuptijs citius decerneretur, ac propterea Mater ad Divinas nuptias properans remoris eximeretur, quæ à Filiæ prædictæ locatione nascebatur. Itaque actis Deo, ac Deiparæ gratijs Oenipontem repetit, Legatos admittit, qui ab ipsâ petunt, ut datâ in sponsam Regi Poloniæ, & Regno in Dominam Serenissimâ Filiâ Annâ, Regem & Regnum sibi devinciret. Ad quæ Serenissima Mater, quod ad se spectaret affinitatem illam amplecti; cæterùm Cæsarem Filiarum Tutorem esse, adeóque cum illo in re propositâ agendum esse; quod ubi factum est, Cæsar Poloniæ Regi se prætulit, brevi deinde sponsus Annæ factus, ne plures immorando accederent Rivales. Quamobrem Princeps nostra Dominæ VValdrastensi se magis devinctam cognoscens, quia locatâ citius Filiâ libertatem assequebatur, Deo, ac Deiparæ se meliùs juxta votum consecrandi, uti jam dictum est; singulari semper religione Locum illum coluit, quatenus in eo mirificam Deiparæ præsentiam tum in alijs, tùm in hoc recenti facto clarissimè experta fuisset, summóque gaudio affecta fuit, ubi conditum ibidem à Serenissimo Archiduce Leopoldo Ordinis nostri Cœnobium Austriacâ munificentiâ adhuc vivens, & promovit, & aliquo modo vidit. Verùm non hic beneficentiæ Virginis modus. Cùm hactenus Deus, atque Deipara cum Principe nostrâ, vel internis illustrationibus, vel in somnis, vel sub alienâ specie egissent, utpotè gradatim ad adultam usque sanctimoniam præparandâ, deinceps cum eâdem jam perfectâ, & charitate in ipsâ ordinatâ, atque amicitiæ necessitudine ad summum evectâ palam, & facie ad faciem, prout mortalis vitæ patitur conditio, Beatissima Virgo agere cœpit. Anno igitur Domini 1606., ætatis verò Archiducis nostræ 40. die 25. Martij Annunciationi Deiparæ Sacro, quíque eo anno in Sabbathum sanctum inciderat, postquam pane cœlesti refecta Archidux nostra ad conferendos cum Divino hospite animi sui sensus sese collegerat, Sanctissima Dei

Poloniæ Regis Legati Annam Filiam suam pro Rege suo petunt in Coniugem.

A Mater amabilis quidem specie, sed magnâ conspicuam gloriâ se ipsi videndam exhibens, illam sic affata est: *Tempus jam advenit, Anna Catharina, opere complendi, quod ab adolescentiâ optabas. Igitur Oeniponte mihi ædifices volo sanctimonialium Cœnobium, in quo Tu unà cùm alijs, quas juxta cor meum, votumque tuum usque ab Infantiâ, elegero, mihi servias rebus humanis, quibusque penitus valere jussis. Noli timere; esto robusta, & ego ero tecum, & quod vires tuæ ferre non poterunt, ipsa supplebo.* Quibus dictis Archiducem nostram voluptate quidem singulari perfusam, sed simul attonitam relinquens in Cœlum Deipara se recepit. Interim Anna nostra tenuitatis suæ momenta ad tantum opus anxia expendens

B. Virgo illi apparens sanctimonialiũ Cœnobiũ Oeniponte ædificare imperat.

B animo secum ipsa reputabat, quonam pacto morem gerere B. Virgini posset; cùm verò imparem se operi tanto videret, animata tamen Deiparæ promisso, atque præsidio, tarda molimina non patiens, ipsum aggredi cœpit. His accedebat alius operis inchoandi stimulus, Apostolica nimirùm auctoritas, & comprobatio; scripserat enim ipsa ad summum Pontificem Paulum V., rem totam cum illo contulerat, & simul oraverat, ut cœptis, si digna viderentur, benè precaretur. Ad quæ Pontifex summis laudibus prosequens pijssimum Principis consilium ad opus suscipiendum vehementer hortatus, se, suamque operam omnem obtulit, nihil penitus omissurus, & omnia præstiturus, quæ splendorem eidem addere possent, ac firmitatem.

Paulus V. pro ædificando Cœnobio se, suamque operam omnem offert.

C Hoc Pontificis rescripto, tanquam Divinæ voluntatis interpretatione Archidux nostra commota, rem ipsam diuriùs differre noluit, quin etiam protinus Tabulam assumens Architecturæ penitus ignara Monasterij ideam delineare cœpit. Hic autem Divinitùs quiddam factum est, ex quo comperta maximè fuit Dei, ac Deiparæ in hoc ædificio voluntas. Cum enim Anna lineas duceret in Tabulâ, occulta quædam vis (utique B. Virginis, prout ex his, quæ sequuntur, apparet) manum ejus dirigere videbatur, & opus ipsum celeriter, atque feliciter Anna perfecit. Erat Archiduci Domesticus Pictor Italus dictus Joannes, cognomine *Spera in Deo*. Huic nocte quâdam secundùm quietem visum est vi-

Serenissima Architecturæ ignara Cœnobij ideam magnificè delineat.

D dere Serenissimam Archiducem unà cum Filiabus in quodam Conclavi ad subiectam Tabulam circinum in manu, quam præsens B. Virgo regebat, habentem, Cœnobij cujus dam formam lineamentis, ac proportionibus tàm affabrè exprimere, ut ex admiratione expergefactus Joannes, passus minimè fuerit, quin illicò in Tabulâ id omne exprimeret, quod viderat in quiete. Re brevi perfectâ, sed penitus dissimulatâ, Tabulam ipsam in Officinæ suæ angulo locat. Verùm paucis post diebus eò fortè ingressa Archidux, Tabellam ipsam in angulo oculis, ac manibus tanquam suam accepit, ac rem ipsam enixè admirata, quip-

Pictoris sui mirabilis visio.

quippe quæ probè norat nemini compertam fuisse ideam in Tabulâ à se nuper expressam. E Tum ex Pictore quæsivit, quo auctore, quo consilio, & unde illi ejus picturæ argumentum? rarus ille se somnium, non revelationem pinxisse, rem totam, prout contigerat, exposuit. His verò auditis Anna singulari gaudio affecta, quod sanè, & scribentis eloquentiam, ac Lectoris fidem excedat, quàm clarissimè vidit eximiam erga se, suumque Cœnobium Beatissimæ Virginis curam, quò proinde testimonio magis semper, ac magis confirmata rem ipsam statim aggressa, Pictorem, quia adhibitus à Virgine fuerat ad arcana sui cordis cognoscenda, operi deinceps moliendo Architectum præfecit, eique exhibita idea Cœnobij à se, vel potiùs à Deiparâ formatâ ipsum fateri coegit, non sine Dei numine ideam illam factam esse, sibique quiescenti obiectam adeò eandem esse cum illâ, ut non alia adeò sibi consona haberi possit. Ideam verò ab Archiduce formatam Sororibus nostris claustralibus dono datam fuisse legimus, & apud illas quamdiligentissimè ad æternam tam admirandæ rei memoriam conservari.

F

Hac ipsâ die ab ideis ad opus procedens Archidux præcepit Joanni, ut materiem novo ædificio necessariam convehi curaret, sibi enim certum esse ad imminentem proximè diem Visitationi Deiparæ sacrum anno 1607. angularem Templi, atque Cœnobij lapidem primarium in fundamenta jaciendum esse, quâ de re magnam statim viridarij sui partem pro ejusdem ædificij areâ destinavit. His ergo juxta votum Annæ completis accitus ad dedicandum opus Reverendissimus Episcopus suffraganeus Brixinensis ad prædictam diem adfuit, & præsentibus Serenissimis Archiducibus Maximiliano, Mariâ Christiernâ, & Elonorâ ejus Sorore, item Marchione Burgoviæ cum Uxore Principe Clivensi, & Archiducibus suis Filiabus, necnon plurimis alijs magnatibus, solemni ritu, ac pompâ lapidem posuit singulari omnium gaudio, quibus jucundissimum erat tantum in Fœminâ Divini obsequij ardorem mirari. Quorum etiam aliquibus cupido incessit tãtum exemplum imitandi. Præ cæteris hoc exemplo commotus Marchio Burgovius statim ac domum rediit, simile opus Patribus Capuccinis moliri cœpit, ac revera nullâ interpositâ morâ novum in suâ Civitate Glnzpurgensi Monasterium eorum usui construxit. Reverendissimus verò Dominus Brixinensis Episcopus heroicum hoc facinus summis laudibus prosequebatur ob insignem Dei gloriam, & animarum profectum exinde sperandum, quemadmodum reipsâ nostris hisce temporibus per integrum seculum comprobatum videmus.

Solemni ritu, ac pompâ primus lapis ponitur.

Intereà cùm adeò ferveret Archiducis nostræ opus, non minùs fervebat mali Dæmonis jurata in ejusdem Archiducis consilia invidentia, quippe qui & ab initio Creaturæ, & consequentibus annis officere Divinæ gloriæ, & animarum saluti jugiter studuit, quibus multifariam Anna nostra per hæc molimina consulebat. Verùm non ausus fortem armatam, & vigilem atrij sui Custodem palam aggredi, exiguo operæpretio Patronos adhibuit, per quos speciosis, larvatisque rationibus diù, multumque exagitavit Archiducis propositum, etsi non quidem id agerent isti pravo fine ducti, vel in Principem suam perfidiâ, sed quod aliter, tanquam Filij hujus seculi rem non intelligerent. Rem hanc utpotè maximi momenti perpendendam diutiùs, ac meliùs esse dicebant, ne quod temerè factum fuisset, sera nimis pœnitentia sequeretur. Quod hac ratione suis opibus exuta, Filiabus nondum collocatis, dotis fortassè defectu ipsas non ampliùs collocare potuisset. Tantos fore huic fabricæ sumptus, & adeò immanes, ut non solùm suffectura ipsi sint, & quod ipsa modò haberet, & Dotes ipsæ Filiarum, sed etiam oneratâ sui conscientiâ ære alieno ita esser gravanda, ut nec Deo, nec hominibus satisfacere posset, quin potius quo consilio sibi Deum devincire contenderet, indignationem ejus subiret. Hisce, & alijs quàmpluribus, speciosioribus verò rationibus, ministerio plurium, & magnę notæ virorum vaferrimus hostis pijssimæ Principis animum indesinenter exagitabat. Quod verò majorem illi curam iniecit, Confessarium quoque urgebant, ut ipsam ab opere suscepto deterrere non vereretur; quibus profectò, nisi tam exploratum Serenissimæ animum, Divinamque in hac re voluntatem perspectam G habuisset, importunis eorum reipsâ, sed specie tenus non contemnendis rationibus obsequens, fortè adhæsisset. Hęc verò nullo non die Serenissimę passim repetita anxiam ipsam, & maximè perplexam habebant, neque tamen prôpterea animum despondebat, sed fræta Deiparę promisso rerum difficultati, quę in Filiarum locatione pręcipuè versabatur, divinitùs remedium sperabat. Quadriennio integro tenuit Serenissimam hęc difficultas, obversantibus quotidie ejusdem oculis Filiabus innuptis, nuptiarum ejus cum Christo molestissimis æquè ac dilectissimis remorsis, maximè verò inde angebatur, quòd palàm illi crudelitas obijcebatur, & in Filias, quas adhuc superstites deserendo sepulcro H damnasset, inclementia, & immemor maternorum in eas viscerum animus, quę omnia illam sic affecere, ut nisi illi perpetuò Deus, ac Deipara adfuissent, utique animi dolori esset ipsi succumbendum; adeò hinc Filiarum, inde suarum nuptiarum curâ angebatur. Res igitur in morbum desijt, eumque penè lęthalem, qui tamen brevi, pręsente Dei, atque Deiparę ope, cum reliquis omnibus difficultatibus, depulsus est; Anna verò superior omnibus evasit, quadam enim die, postquam Sacrificio Missę, quod in suo Conclavi celebratum erat, interfuisset, plurimos Angelicos Spiritus argenteo amictu indutos eodem ingre-

In ædificando Cœnobio cõtradictiones.

ingredi vidit, qui ter per ordinem dispositi Conclave ipsum lustrantes, pulcherrimum æquè, ac Maiestate decorum secum deferentes Thronum, tertiâ tandem vice secus ægrotantis cubile ipsum imposuere, in quo residens Sanctissima Dei Mater, & integram illi sanitatem restituit, præcipiens, quòd statim surgeret, ex quo jam convaluerat, & animos illi addidit ad opus incœptum prosequendum, pollicita se illi nunquam defecturam, tum quoad ea, quæ ædificium, tum quoad ea, quæ Filias suas spectarent. Hinc Serenissima ineffabili perfusa gaudio, cùm inde se subduxisset Beatissima Angelorum Regina, universis, qui aderant, maximo stupore affectis illicò incolumis omninò è cubili surrexit, & operi incœpto maiori studio prosequendo animum adiecit. Ne quæ verò deinceps hujus generis ipsi obreperent larvatæ rationes, & inspirata cœlitùs consilia subruerentur, die quadam Dominicâ sacrâ Communione inflammata voto se obstrinxit ad Fabricam incœpti Cœnobij absolvendam, ut ita cuique aditum omnem intercluderet à cœptis deterrendi, sibi ab ijsdem resiliendi. Nec irritum planè id votum fuisse ex ijs, quæ proximè sequuta sunt, deprehendi facillimè potest, quemadmodum & Deo summoperè placuisse, qui proinde ad Annæ consilium comprobandum tot mirabilia præstitisse videtur, è quibus nonnulla in medium producam.

Architectus Joannes, cum lapicidis 14. subruendo scopulo ad saxeam materiem parandam urgebat, cùm repente scopulus ingenti mole, ac fragore subrutus procubuit, & lapicidis illapsus omnes sepelire debuerat; verum sine cujusque læsione, ac parentissimo Divæ Virginis Patrocinio, cujus tum nomen invocaverant, periculum omnes evasere. Unum tamen nomine Thomam Stadlhanser ita obruit scopulus, ut omnium opinione mortuus, & in frusta comminutus haberetur. Thomam deinde ex eo sepulcro eruere cætesi tentantes, ut in loco sanctiori reconderetur, nemini non obvio miraculo ipsum, & vivum, & integrum, & incolumem undequaque absque ullo, aut contusionis indicio, aut sanguinis madore reperere; quinimmo testantem accepere, quòd ubi scopulus adeò ingens ipsi incumbebat, non modò aliquid incommodi passus non fuerat, sed potius se placido sopore correptum, existimarat. Quod quidem assiduis potissimùm Serenissimæ precibus referebatur acceptum, quibus Deiparam indesinenter urgebat, ut ab operarijs suis adversos quoscunque casus, vitæque discrimina averteret, ipsamque Serenissimam exauditam fuisse, vel inde constat, quòd 14. annorum spatio in tot, ac tantis ædificijs, quæ à fundamentis excitavit, nihil unquam detrimenti quisquam subierit; quapropter, ut ipsi prodigium hoc innotuit, incredibili voluptate delibuta, Dei benignitatem humillimè

A adoravit, ac D. Virgini plurimas retulit gratias. Huic tamen accedunt, & alia, ex quibus non illustrantur minùs Divinæ curæ argumenta ad piæ Principis molimina, quàm hactenus dicta obscurentur. Publica tum Operariorum, tum cæterorum, qui aderant, jurata experientiâ ad miraculum usque perspecta, materies ædificio parata ad dimidium usque excrescebat, ita quidem, ut si decem plaustra eò venissent, aut lapidibus, aut calce, aut aliâ quacunque materie repleta, pares essent plaustris viginti; si quinquaginta, centum innumerato reperirentur in areâ stupentibus omnibus, & miraculum nimis obvium summâ veneratione prosequentibus. Prætereà ærarium ex perpetuis superius relatis largitionibus, alijsque expensis in opere B suscepto ædificandi necessarijs, adeò exhaustum erat, ut non inmeritò ab illis, quos opus impedire voluisse dicebam, timeritati daretur, & muliebri imprudentiæ opus hoc suscepisse. Verùm Fidelis Deus in verbis suis, Fidelis Deipara in promissis mirabili modo difficultatem hanc eliminarunt; quam ideò permisere, quia nemini nota non esset singularis cura, quam de Anna nostrâ, ejusque opere habebant. Quamvis enim ex ærario jugiter extraherentur pecuniæ, non ideò tamen imminutum unquam videbatur, quinetiam adauctum fuisse ipsa Aulæ Præfecta, quæ prædictum tractabat ærarium jurejurando affirmabat, necnon Serenissima ipsa contestabatur, quippe quæ sæpissimè expertæ C fuerint, quòd si centum, verbi gratiâ, vel plures aureos exinde eduxissent, nunquam destitutum magis, quàm antea appareret. Persæpè quoque in extremâ pecuniarum inopiâ, cùm sumptus in ædificium, aliove erogandi essent, æquè suppetebant pecuniæ, ac si restitutæ fuissent expensæ, quinimo non rarò ipsæ eò magis augerentur, quò magis erogatæ fuissent; quæ identidem expendens Serenissima, manifestâ Dei, ac Deiparæ liberalitate planè mirabili obrutam dicere sæpe solebat, se utique incredibili gaudio eorum in se beneficentiam, & fidelitatem in promissis experiri; sed hoc unum anxiam se habere, quòd cùm ipsi respondendo par non esset, tanquam D ingrata vivere, ac mori deberet. Hæc, & hujus generis alia, & mente concipiebat, & verbis passim exprimebat, dulce promissum jugiter secum reputans, quod sibi Deipara fecerat in Festo ejusdem Annunciationis, si mundo vale dixisset, seque Deo, ac Deiparæ consecrasset. Aliquid etiam exinde hauriebat solatij, quòd nonnisi junior Filia collocanda sibi esset, altera enim, nempè Maria, Matri convivere in Cœlibatu decreverat, adeòque ædificio Cœnobij confecto, seque, suaque omnia brevi Magnæ Dominæ tàm providæ, atque munificæ obsequio æternum dedicanda speraret.

Itaque Serenissima Archidux non ampliùs fluctuans, sed in proposito religiosæ vitæ capessen-

Serenissimæ precibus nullus adversus casus in ædificando Cœnobio succedit

Materies ædificio parata mirabiliter excrescit und cum ærario.

pessendæ consilio constans, seriò animadvertens sanctitatem ejusdem sibi, & alijs ineundam à sanctitate legum, atque prudentiâ secundùm Dei gratiam pendere, consilium, & quidem meritò, iuijt scribendarum legum, è quarum præscripto Deo, atque Deiparæ juxta eorum vota obsequium singulæ exhiberent. Rem igitur hanc, tanquam maximi momenti, prout pat etat, existimans, sibi de more nullatenus credens ad Orationem confugit, cui voluntaria jejunia, flagella, aliasque corporis afflictiones adjecit, sanctissimam Dominam humillimis, & summis precibus urgens, ut cæteris, & quidem innumeris, & maximis sibi hucusque collatis gratijs, hanc etiam adijceret, quâ longe magis indigere sibi videbatur, quòd scilicet ipsa sibi declararet, quænam leges sanctimonialibus hisce præscribendæ, quodve vivendi genus illi jucundius esset ipsis ineundum. Non defuit utique adeò acceptæ sibi hujus famulæ precibus Beatissima Mater Gratiarum, quæ cum Annâ suâ nunquam deesse consueverat; siquidem anno Christi 1607. 11. Kalendas Decembris (qui dies Præsentationi ejusdem Virginis in Templo dicatus est) dum Serenissima harum legum causâ Orationi vehementer incumbebat, vocem hanc interiùs accepit: *Scribe, quæ tibi suggerentur*. Ivit, & scripsit, Regulas nimirum illas, quæ usque hodie à Monialibus nostris Oeniponte servantur. Scriptas Romam misit ad Summum Pontificem Paulum V., qui per Apostolicum Breve datum die 12. Maij anno 1608. tertio Pontificatûs sui anno, illas miris laudibus prosequitur, deinde Bullâ aliâ plumbatâ confirmavit, exitu planè felici, tum quia tam facilè ratas habuit Summus Pontifex, tanquam Divinæ Mentis Interpres, tum quia, & absque ullâ difficultate exceptæ primùm fuere, nec sine singularis sanctimoniæ odore exactissimè semper viguerunt, & adhuc vigent; ex quo conijcere prudenter licet, & quidem potiori jure, eas à B. Virgine dictatas propriè esse, quòd Annæ maximè erat in votis, si eidem Virgini curæ fuit, ut dictum est, materialis Cœnobij specialem ideam formare. Quoniam verò hæ leges ab Archiduce conscriptæ fuere ipso præsentatæ Virginis die, propterea Cœnobij Templum sub ejus potissimùm Titulo dedicari placuit, & singulis ejusdem Cœnobij Virginibus Mariæ nomen imponi. Facilitas hęc Dei Matris in conferendis Annę gratijs, in re pręsertim adeò gravi, & necessariâ Serenissimam impensiùs accendit ad ædificium inceptum urgendum, & quàm citissimè absolvendum, ut in eo juratam Virgini servitutem posset saltem ordiri. Ad curam hanc accedebat aliqua quædam gravior; cùm enim habitâ ratione ætatis, ac valetudinis non diù sibi videretur in hac servitute superfutura, ac proinde totum opus maturabat, suo specialiter sepulcro consuluit, cujus marmori hæc jussit inscri-

Leges pro sāctimonialibus expēdit, & à Paulo V. cōfirmatas recipit.

bi: *Memento mei Domine, dum veneris in no-* E *vissimo die*. Ita verò inscriptum hoc marmor ad Aræ maximæ crepidinem locari voluit, ut et Presbyter sacrum faciens Annæ specialem haberet memoriam, dum illud identidem calcaret, & Oratorij sui fenestris ita objiceretur, ut sibi in orationibus, ac vigilijs tempus ibidem plerunque agenti ob oculos esset suæ vitæ finis, & janua ęternitatis.

In ædificandâ Ecclesiâ suo specialiter sepulcro consulit.

His ita constitutis, atque ędificio magis in dies ac magis ad fastigium accedente peculiari Annę voluptate, nondum secum ipsa convenerat, cuinam ex omnibus Religiosis Ecclesię familiis locum, & nomen suum daret, quem planè jamdudum decreverat B. Virgo Ordinis nostri Patrona, sed ipsi non revelarat. Intereà dum animo secum reputabat, F quodnam sibi in hac re amplectendum consilium, & hos animi sui sensûs publici juris faciebat, advenere ex Religiosis Familijs Sanctorum Dominici, Francisci, & Augustini, necnon Carmelitarum, qui apud Serenissimam, etiam Virorum Principum patrocinio suffulti pro virili agere, ut eorum Ordini sors ita contingeret. Cùm autem Anna nullum ex his Institutis sibi probandum duceret, & in singulis graves sentiret difficultates, aliunde verò ab illis urgeretur, & illa tamen in dies hęreret, quia Deus, ejusque Sanctissima Mater delectum hujusmodi ad se pertinere potissimùm voluerunt; de more ad Magnam Virginem supplex Anna confûgit humillimè, sed vehementer ipsam rogans, ut curam sui in G hac re pręsertim haberet, ne in operis coronide erraret, ac proinde sibi aperiret, quęnam ex Religiosis Ecclesię familiis esset ipsi antiquior, ac sibi proinde eligenda. Annuit Angelorum Regina, & interius ipsam alloquuta, hęc ait: *Si Tu Virgini Mariæ Cœnobium paras, & unà cum alijs Electis illi tubi vis servire, cur non ex re tuum, illarumque nomen sit Servarum Marię?* Eâ sententiâ negotium omne decisum est, ac proinde ad Serenissimam redeuntibus Religiosis pręfatis ambientibus uno tenore singulis, ipsa reponebat Cœnobium suum Coloniam esse Servarum Beatissimę Virginis, cui decretorię sententię lubentes, volentesque Religiosi Procuratores acquiescebant. Verùm alia adhuc adversus H Ordinem nostrum sublit difficultas; mirabantur enim eius Ordinis factam esse electionem, qui iampridem è Germaniâ exularat, pręsertim verò, quòd Serenissima ipsa Ordinis hujus ignara prorsus erat, Mantuâ enim, ubi Virorum, & Virginum duo sunt nostra Cœnobia, Adolescens discesserat. Hæc verò difficultas eò tantùm collimabat, ut universo Terrarum Orbi pateret, quòd B. Virgine tantùm auctore, & Archiduce Annâ Reparatrice Servorum suorum Ordo in Germaniam postliminio reduceretur. Cœterùm Anna promissi Virginis memor animum nunquam despondebat, sed curam omnem in ipsam totius operis secura refundebat. Hanc igitur sup-

Varij Religiosi pro suo Ordine Cœnobium expostulāt

Ex B. Virginis consulto ipsius Servis Cœnobium dare deliberat.

Serenissima Ordinis nostri ignara

supplex adiit enixè rogans, ut & modum ipsa doceret, quo Servas suas eò reducere posset, neque eam fiducia sua fefellit; nam præstò statim fuit utique divinitùs opportuna hæc Ordinis Servorum eò reducendi occasio.

Petrus Martyr Felinus de Cremonâ Oenipontem appellens præbet Serenissimæ Ordin. nostri notitiam.

Anno à Virgineo Partu 1610. quidam ex Ordinis nostri Patribus Doctrinâ, ac Pietate suâ notissimus, nomine Petrus Martyr Felinus de Cremonâ, ex Germaniâ repetebat Italiam, Oenipontē proinde appellens, Serenissimæ Archiducis Confessarium, qui tunc Capuccinus erat, adit, ac rogat, ut sibi liceat inspicere ædificium Cœnobij à Serenissimâ Archiduce constructum, audivisse enim se quà iter habuerat, plura, eáque perquàm honorifica de ejus magnificentiâ, ac propterea ipsum videndi percupidum esse. Ipse statim circumducto hospiti omnem fabricæ apparatum monstravit; hospes autem opus, quatenus erat jam penè absolutum, mirificè laudabat, non modò præ splendore structuræ, sed etiam præ Archiducis laudibus, quæ passim, & ubique tum opere isto, tum insigni ejus vitæ Sanctimoniâ, per omnium ora non mediocri admiratione versabatur. Roganti verò cuinam ex Religiosis Familijs addicta esset hæc Domus, Confessarius non Servitam ipsum esse arbitratus, sed ex vestium cultu, tum colore, tum alijs cum nostro conformi Præsulem quemdam Congregationis Cassinensis, qui Monasterium ideo oculis lustraret, quia spe teneretur ejusdem consequendi, ut eum de hujusmodi spe deijceret, Ordini Servorum B. Virginis addictum esse reposuit. Hic hospes stupore maximo simul, ac pari gaudio affectus, & in eum versus, *quid ais*, inquit, *Pater, Servarumne Deiparæ? O me felicem! Ego ego Ordinis hujus Servorum B. Virginis Alumnus sum, mihíque nomen Petrus Martyr Felinus originem ducens Cremonâ;* quibus dictis incredibili gaudio simul, neque minore admiratione utriusque ipsorum vicissim, habito de Divinâ in hoc opere providentiâ longo sermone, gratijs Confessario perhumaniter actis cum Fratribus suis gratulabundus susceptum in Italiam iter prosequebatur. Intereà Serenissima Princeps certior facta, quòd hospes præfatus, Confessario dirigente ædificium diligenter lustraverat, quodque se Professum dicebat Ordinis Servorum Deiparæ, protinus illa præ gaudio exiliens, & sui vix compos exactè Confessarium interrogavit, quinam Reilgiosus hospes is esset, qui Cœnobium suum secum obierat? quidnam apud ædificium secum contulisset? Cujus instituti foret? cujas esset? cur eò venisset! & alia hisce similia avidè petiit. Confessarius autem rem totam, prout contigerat, ordine referre cœpit; subinde unà cum Archiduce, non sine Deiparę consilio, hominem illum in eas oras esse delatum asseruit, revocandum propterea, nullâ interpositâ morâ, & unà secum agendum, quòd ipsa Deipara ad servitutem hanc suam auspicandam agendum manifestò præceperat. Itaque Archidux exaratis suâ manu Literis, & celerrimè ad Petrum Martyrem transmissis, ipsum ad se revocavit, sibi enim esse, quę cum eodem collata vellet, significabat. Perplexus rei novitate Felinius jam per tria milliaria Germanica procul Oeniponte profectus, ac veritus, ne Archiducem offendisset, quia novum Cœnobium ipsâ inconsultâ circumspexisset, Oenipontem repetens Confessarium statim convènit, anxiè illum interrogans, quid rei sit hoc! quid sibi velit hoc Principis imperium, neque enim ille Principem unquam noverat, neque aliquid sibi cum illâ agendum esse! tum Confessarius: *Macte animo, mi Pater, nequid sinistri verearis, nullius enim culpæ reus apud Serenissimam haberis ob inspectum Cœnobium; si quæ verò in hac re notanda foret, culpa mea potius esset, ac mea interesset Te vindicare. Non aliud verò Archiducis consilium esse, quàm Te in Habitu, cultúque Servorum Deiparæ spectare ob insitam erga eundem cultum reverentiam.* His confirmatum ad Archiducem deduxit.

Statim ac Felinius Serenissimæ præsentiam subijt, hæc non hominem sibi videre videbatur, prout Confessario sæpissimè narravit, sed quid homine augustius, vel Cœlo delapsum Angelum, vel ipsam Angelorum Dominam, vel denique quidpiam, cujus neque nomen, neque speciem exprimere, neque concipere posset. Ea illi ex Habitûs, & nominis illius contemplatione, reverentia, atque religio accessit; hinc modus ipsi non erat Habitum illum deosculandi, ac venerandi, cujus Archetypon cœlitùs Deipara primis olim Servis suis Patribus nostris dono dederat, & hospes ille ejus servus gerebat; hic verò adeò singularem admiratus tantæ Principis in Deiparam, & quidem suam Doloribus affectam, demissionem, ac dilectionem summâ perfusus lœtitiâ sinceris lachrymis probatâ in hæc erumpere coactus fuit: *O felicem, ac Beatam Familiam nostram Servorum, cui Deipara Domina serenitatem tuam hoc ævo beneficam, augustamque Propagatricem providit; quodque eâ, quam de servis suis gerit, curâ, serenitatem Archiducissa tuam Reparatricem Ordinis nostri in Germaniâ constituerit ad sempiternum nominis sui decus, & gloriam; nobis autem ad copiam celebrandi Dei clementiam, ac venerandi Deiparæ memoriam erga humilem nostram Familiam, quam proinde Serenitati tuæ etiam atque etiam commendo, ut singulari benevolentiâ complectaris, utique ob fidelem operam, quam Ordini Virginis Mariæ navaveris, æterna gloriâ coronanda.* His, alijsque similibus ultrò citròque habitis sermonibus de origine præsertim, & incremento Ordinis hujus Servorum ad rem ipsam propiùs accedens Archidux secretiori consultatione à Felinio petebat, quonam pacto educi ex Italiâ, & in Germaniam adduci Ordo Servorum posset. Quæ sanè consultatio tres horas tenuit. Inita deinde ratio est, Confessario tamen

Quomodo ex Italiâ in Germaniâ adduci possit Ordo noster inquiritur.

men non audiente, quonam modo è Seraphico Ordine Capuccinorum ad paulo mitiorem Servorum Deiparæ traduci Confessarius posset; quæ res nimis operosa visa illis fuit ob ætatem illius, annis, laboribus confectam, & valetudinem adversam. Hæc autem omnia opportunum duxit Archidux Felinio tractanda committere, quem proinde satis, superque de agendis instructum, ac reliquis rebus paratis ad expeditionem hanc facientibus omnibus benevolentiæ, & beneficentiæ significationibus ornatum ad Urbem direxit.

Ubi Romam pervenit Felinius, prout ab Archiduce in mandatis habebat, rem, favente maximè Deiparâ, cujus honori consulebatur, statim aggressus brevi feliciter perfecit. Quidquid enim apud Pontificem nomine suæ Principis petijt, assequi compendio potuit, Divino Spiritu, cujus Sacrarium est Deipara, ipsum Pontificem agente. Intereà cùm Felinius Oeniponte discessisset, hilarem confestim Archidux ita Confessarium alloquitur: *Scias velim Pater Felinium, nonnisi singulari D. Virginis consilio, huc pervenisse, qui Ordini suo in Germaniam restituendo aditum mihi monstravit, quem ipsa profectò tenuitatis meæ conscia nullâ ratione potuissem unquam invehere nisi vel ab illo, vel ab aliquâ sublimiori intelligentiâ edocta, & manuducta fuissem. Te igitur enixè rogo, quòd si consilium hoc meum ex Dei, ejusque Sanctissimæ Matris voluntate descendere perspexeris, mihi tantis inceptis impari adsis, neque proinde eidem sis impedimento, mutato quoque, si opus fuisset, Instituto Capuccinorum, cum Instituto Deiparæ Servorum.* Ad quæ Confessarius: si Dei voluntatem perspectam, & Summi Pontificis ad id consensum habeam, Provinciam hanc, & quemlibet in eâ expeditione laborem quàm libentissimè amplectar, quamvis me parem non esse cognoscam, quod planè responsum Serenissimæ Archiduci satisfecit paucis reponenti: *Videbimus, quid Romæ per Vicarium suum præstiterit Deus.* Paulò post ab Urbe Oeniponte habetur Summi Pontificis cùm Confessario dispensatio gradum faciendi ex Ordine Seraphico Capuccinorum ad Ordinem Servorum. Quæ statim ac illi innotuit, fusis ad Deum precibus: *illud unum contendebam*, inquit, *nequid vel minimum hac in re Divinæ voluntati adversum committerem.* Prætereà in consilium adhibuit Viros æquè pios, ac doctos non paucos, quorum communibus, atque concordibus sententijs illi Auctores fuere gradus hujus faciendi, quia magnum, ad quod vocabatur, surgebat opus, unde & Dei, & Deiparæ, & Ordinis ejusdem Servorum, jamdiù Germaniâ exulis, gloria erat illustranda; omnia verò hominum consilia à fine probanda, qui cùm in hoc transitu sit sacrosanctus, & à summo Pontifice Divinæ voluntatis Interprete probatus de placito Dei, atque Deiparæ in eodem faciendo nullus dubitandi suppeteret locus. His omnibus tamen non ita facilè adhæsisset, nisi exploratum ei esset, quod pijssimæ Principis consilia à Deo peculiariter agerentur.

Confessarius Serenissimæ ex Ord. Seraphico Capuc. ad Ord. nostrum Indulto Apostolico gradum facit.

Cùm hęc in Urbe, & Oeniponte non minùs feliciter, quàm celeriter geruntur Incredibili Archiducis gaudio, cui semper aderat Deipara, maturata res est, deducendi nimirum in opus religiosi ejus consilij; Serenissimâ nàque alia prorsus animo volvente adornata à Rege Bohemię Mathia Rudolphi Cęsaris Fratre Oenipontem venit Legatio, quâ à Serenissimâ Annâ Matre Serenissima Anna Filia Regię illi Majestati in Matrimonium petebatur. Id ad maturandas nuptias suas cum Christo Divinitùs accidisse existimans, nec Filię magis, quàm sibi gratulata; re cum Pontifice, Cęsare, cęterisque Principibus, quorum intererat, collatâ, vix eorundem consensu sibi comperto, Filiam statim despondit, easque nuptias ratashabuit, & fecit. Itaque fervebat ad utriusque nuptias apparatus, Serenissimâ Matre suos urgente, & necessaria quęque brevì compararentur; in primis autem, quę ad ornandum Cœnobium, ejusque supellectilem facere viderentur, ut celebratis Viennę Austrię nuptijs Filię, ipsa Domum redux in illud Cœnobium divertere, ibidem degere, & ad mortem usque, quod maximè diù in votis habuerat, asceticę vitę studium colere posset. Opportunè verò Filię Dotem Paternam, pluribus aureorum millibus auctam de suo, scilicet 80. millia in promptu habuit longè maturiùs, ac opinabantur, qui Matrem, & suam, & Filię Dotem dilapidasse fabricando, contracto insuper ære alieno gravissimo inaniter vulgò garriebant; quod nedum contigit, verùm è contra illibatis, & integris Dotibus ingentem vim ęris alieni adhuc veteris dissolvit, eâque ratione os loquentium iniqua obstruxit. Quòd autem omnia tam feliciter cessissent, atque in dies cederent feliciùs Deiparę acceptum referens Archidux, opus adhuc majus, majoremque primo ędificio fabricam in obsequium ejusdem Dominę, & grati animi monumentum moliri cœpit, Domum scilicet, quam regularem dici voluit, in quâ tum Viduę, tum Virgines ad arctiorem clausuram subeundam minùs dispositę, mundo tamen valere jusso, non minùs acceptum Deo famulatum pręstarent. Hujusmodi Regularium libertati, quâ vix, aut quàm rarissimè utuntur, addidit Serenissima Fundatrix spontaneum in claustrales obsequium, ut hę liberiori quiete fruentes, absque victûs, & negotiorum curâ Deo solùm vacarent, ipsisque proinde de necessarijs omninò à Regularibus prędictis consuleretur; adeòque unâ operâ unius Domûs in areâ duę Domus existerent, Marię nimirum, & Marthę, non obstante Regularium dignitati hujusmodi obsequio, neque Claustralibus ex alterius Domûs curâ re quapiam vel minimâ, quę tolerandę vitę conduceret, deficiente. Hoc igitur ędificium magno ardore susceptum

Nuptijs Filiæ celebratis ornando, & perficiendo Cœnobio ferventiori curâ se addicit.

ceptum Sereniſſima Princeps, in quâ de more tarda molimina Spiritûs Sancti gratia neſci- A vit, quàm celerrimè, ſed inſigni ſtabilitate, elegantiâ, & commodo ad umbilicum perductum fuit, præſertim verò quia cum Annâ Matre Filia Maria, ut diximus, ibidem convivere unà cum aliis eodem vocandis ſub nomine, & Regula Tertij Ordinis Servorum Deiparę decreverat. Intereà Capuccinorum Habitum exutus in Eccleſiâ VValdraſtenſi anno 1611. Habitum Servorum induit Confeſſarius, ita verò indutus Sereniſſimam Archiducem ſtatim adivit, quę non ſine gemitu in hęc verba ſanctę invidię indicia prorupit: *Age Pater, antevertiſti, verùm brevi ſubſequar*, quemadmodum præſtitit, interim Sacrum illud Scapulare venerationis ergo religioſis oſculis libabat, & oculis identidem uſurpabat.

Confeſſarius induit Habitũ Noſtrum

Viennam Auſtrię die 2. Novembris 1611. adierat Sereniſſima Archidux Sereniſſimam Filiam comitatura ſolemnibus Nuptiis cum Rege Mathiâ celebrandis, ut diximus, deſponſatam; ibi verò cum cæteris omnes elegantibus ſpectaculis, ac Majeſtate Regiâ dignis indulgerent, ipſa frequens erat ad Eccleſias, & Sanctimonialium Cœnobia viſitanda, aulâque dimiſsâ Unico Regum Regi vacabat. Die verò 2. Februarij anno proximè ſequenti 1612., poſtquam Viennâ redux Oeniponte ſummo omnium plauſu excepta fuerat, pauperibus maximè elatâ voce ipſam publicè tanquam ſui Matrem piiſſimam inclamantibus, in clauſtralium Cœnobium unà cum Sereniſſimâ Filiâ Mariâ, nonnullis aulę ſuę Matronis, quę ſe eidem inſequendę ſponte obtulerant, & quibuſdam Virginibus à Deiparâ electis, omnibus numero quindecim ſeſe recepit, donec Domus Regularis abſolveretur, in quâ ſpeciatim, ut diximus, Sereniſſima Princeps unà cum Filiâ, & aliis, vitę ſuę curſum ſanctiſsimè proſequi, & abſolvere decreverat. Itaque in prędictâ Domo Clauſtralium interea temporis ſinguię in ritibus regularis Diſciplinę, ac Divinarum rerum cœremoniis erudiri cœpere, & ab Archiduce collationibus, & exercitationibus aſceticis ad virtutes omnes excolendas his, vel aliis ſimilibus verbis excitabantur, quippe quę Mantuę ab adoleſcentiâ uſque hęc omnia didicerat, cùm ſanctimoniales illius Urbis frequentiſſimè conveniret. *Agite quod agitis, Filiæ, inquiebat, ſi Chriſto Domino, ejuſque Matri puriſſimæ nos omninò devovimus, ita enim imperturbabili, & jugi tranquillitate, quandiu quoque contagione corporis teneamur, utique fruemur, cœleſtemque Beatitudinem, quæ nos in futuro ſeculo manet, libare nobis fas erit. Memores ergo tàm beneficæ, ac beatificæ opportunitatis duremus animis, fretaque Deo ardua quoque, & aſpera ſuperantes rebus nos ſervemus ſecundis*. Quod ſanè argumentum fuſiùs, & peculiariùs à Principe noſtrâ deductum novas Chriſti nuptas mirum in modum

Statut Religionis.

Dum nuptiæ celebrãtur Eccleſias viſitat, & ſoli Deo vacat.

Viennâ redux omnium plauſu, ſed maximè Pauperũ excipitur, & in Clauſtralium Cœnobium ſe recipit unà cum Filiâ Mariâ, & aliis 15.

Sereniſſima ibidem exercitia, & ſalutis monita.

inflammabat, hodieque adhuc hujus cœleſtis incendij ab eâdem propagari, non modò favillę ſed illuſtres etiam flammæ, quocunque Divina iſthęc facundia ſeſe effudit, ſuperſunt, & æquè ardenter flagrant, ac dociles in eâ doctrinâ colendâ experimur Sorores.

His conſtitutis, quæ ad animum ſanctioribus virtutum ornamentis informandum pertinere videbantur, & quibus incumbere prę cęteris debebant, cum etiam advertiſset Sereniſſima Filias illas ſuas ſatis ſuperque profeciſse in obeundis Divinis officiis, & Eccleſiaſtico cantu proſequendo, hoc unum deeſse videbatur, ut iiſdem de idoneis, ejuſque Miniſterij peritis provideret, quę illis in eodem miniſterio decenter perpetrando præeſſent. Quamobrem opportunum duxit Sereniſſima B aliquot ſibi notas virtute, & peritiâ cantûs ex Auguſtiniano Cœnobio Suvazenſi Apoſtolicâ diſpenſatione ad ſuum illud traducere; quod ubi mirabili facilitate ſoli Deiparę tribuendâ à Summo Pontifice impetravit, tanta Princeps ex ſe Suvazium ſe contulit, indeque quatuor è ſacris illis Virginibus præelectas unà ſecum Oenipontem traduxit, ibi verò adductæ omnibus in Templum Regis, ac Reginę Cœlorum incredibile eſt quanto, & publicè, & privatim, gaudio appulerint omnes, eoſque primùm in Templo, deinde in Cœnobio exceptę fuerint ſolemni cantu hymni *Te Deum Laudamus*. A' quo tantâ ſe mutuò gratulatione, torque ſignificationibus eximię charitatis in eâ novitate conſalutave- C rint, ut ex illis prę gaudio nulla Lachrymas potuerit coercere. Illas verò magis ſemper, ac magis incendebat majoribus beata gaudiis Anna, quòd in ſuo, imò Deiparę ſuę Templo, & Cœnobio ſpectaret, & audiret Virginum illarum Chorum prodromum ferè illorum, quos Beatę mentes in Cœleſtibus formant, eaque gaudia haud mediocriter cumulabantur ex earundem diuturno contubernio, quod tandiù tenuit, quoad Domui regulari coronidem impoſuere.

Sorores ex Auguſtiniano Cœnobio Suvazẽſi Apoſtolicâ diſpenſatione ad ſuum traducit.

Intereà tota fuit Anna in adornando apparatu, ornatuque, ac ſupellectili Templi, Sacellorum, & Altarium, quò ſanè totum regium ſuum, ac Filię Mundum Muliebrem, gemmas, Margaritas, auream, argenteam- D que ſupellectilem vaſorum impendit, quorum omnium pretium ad quater centena millia aureorum, & ampliùs aſcendiſſe compertum habetur. Hunc verò theſaurum, ejuſque cuſtodiam, & curam, ut in eâ integritate, in eo ſplendore, in quo eundem ipſa moriens reliquiſſet, conſervaretur, Sororibus Tertij Ordinis noſtri in Domo regulari hæreditario ex Aſſe jure reliquit, ac demandavit. Quibus omnibus perfectis, conſtructo, inſtructoque undequaque ejuſdem Templo, nihil eius dedicationem morabatur, itaque auguſto huic operi pro Colophone accitus Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus ſuffraganeus Brixinenſis ad Diem Dominicę in Quin-

quagesimâ, quę fuit quarta Martij anni 1612. E solemni ritu, magnâque virorum Principum, aliorumque procerum frequentiâ Templum dedicavit, omnibus interim admiratione correptis, nec satis adhuc sibi suadentibus, undenam Archiduci amplissimis hisce ędificijs, & extruendis, & exornandis pecunia suppeteret, qui proinde id credere cogebantur, quod jam percrebuerat, piam scilicet Principem ab augustissimâ Dei Genitrice insignem illam auri copiam, quam adeò largiret, atque constanter profunderet, accepisse. Ne verò quidquam earum, & quorumlibet Christifidelium pietati desideraretur, plurimas à Summo Pontifice, qui ipsam speciali veneratione prosequebatur, ijs omnibus Indulgentias impetraverat Anna, qui solemnioribus, pręsertim Christi Domini, festis Templum hoc visitassent.

Templi solemnis dedicatio.

F Dum in hoc Virginum Contubernio mutuis hisce gaudijs sancta ducitur vita, & singulę ęmulatione virtutum ad invicem certarent, quasi facto sui periculo, statuit nostra Princeps Deiparę Dominę nigram ejus induens vestem se consecrare. Divino autem Spiritu de more ducta optimè consultum putavit id operis publicè, & in oculis omnium solemni pompâ pręstare ad majorem Dei gloriam promovendam, quia ob sui raritatem in illis regionibus plures alios ad ęmulationem provocare posse videbatur, idque eo potissimùm die, qui Visitationi Virginis sacer est, quòd in eodem quinque annis ante Domui regulari primus positus fuerat lapis. G Adhibetur autem huic operi rursus sępe jam laudatus Reverendissimus D. Suffraganeus Brixinensis, & Episcopus Bellinensis Simon Feurstain, eòque P. Æmilius Continius de Mantuâ ex Italiâ eò legatus, ut Generalis Ordinis nostri vices gerens huic raro operi, & oblationi de se Ordini nostro factę Serenissimę Annę Catharinę, aliarumque Sororum acceptator nomine ejusdem Ordinis assisteret, meritò, ac lubens dignitatis, & honoris ergo induendarum nostro Habitu Serenissimę Archiducis, ac cęterarum facultatem à Reverendissimo P. Generali sibi demandatam delegavit.

Habitû Tertij Ordinis cum Filiâ, & alijs proximè induturà varia ad majorem pompam paratur.

Jampridem jugi, ac ardentissimâ Oratione à Beatissimâ Virgine supplex petierat, ut speciem vestis sibi monstraret, quam Tertij Ordinis Sorores induere deberent, ut à Claustralibus differrent; quemadmodum verò eadem Deipara primis Ordinis Patribus in vertice Montis Senarij Christi Domini, ejusque Matris Dolorum contemplationi vacantibus speciem habitûs ostendit, quę ipsis in eorundem Dolorum memoriam esset deinceps adhibenda, Ita & Anna nostra nocte quadam secundùm quietem visa sibi videre fuit eandem Deiparam Habitu lugubri indutam, quo satis intellexit lugubrem quoque sibi exhibitę similem unà cum Socijs induendam esse vestem, cujusmodi ętate quoque nostrâ etiamnum Regulares induuntur. Pridie ergo Festi H Visitationis B. Virginis in Odęo claustralium à Reverendissimo pręfato Suffraganeo Sacro primùm celebrato Serenissima Archidux omnium prima non sine pręclarâ gestientis animi significatione, Filia deinde Maria, & ordine succedenter alię quinque, quarum una antiquissimę apud Svecos nobilitatis, Pręfecta olim aulę, Vidua erat, cęterę verò Virgines Habitu Tertij Ordinis nostri induuntur; illis deinde abscinduntur Comę, & gentilitia nomina amoventur, verè in Virum alterum mutatis, Serenissima enim Fundatrix Anna dici voluit, non Catharina, sed Juliana, appositè quidem nominis omine, quod comprobavit eventus; sicut enim Juliana Falconeria Tertii Ordinis nostri Monialium Institutum quatuor ferè seculis ante fundaverat, ejusque leges sanctissimas pręscribendo firmaverat, ita recens nostra Juliana Tertium simul, secundum, ac primum per Germaniam Ordinem reparavit. Archiduci verò Filiæ Catharinæ nomen, & alijs Virginibus aliarum Sanctarum nomen pari delectu factum, quâ quidem in re Serenissima Fundatrix legem hanc statuit, Evangelicam Annam Prophetissam Domui regulari ideò esse volens Tutelarem, quòd in Templo Hierosolymitano Magistra Virginum præfuerat, quas inter Virgo Virginum Domina nostra extiterat, quod Annæ nomen singulæ Domûs hujus Sorores tum Virgines, tum Viduæ peculiari earum nomini præponeretur, quemadmodum Claustrales Marias vocari præ nomine voluit, Ipsi deinde addito speciali cujusdam è sanctis nomine. His omnibus Kalendis Julij ordine digestis, postridie diluculò clam Populo Parocchialem Oenipontis Ecclesiam deductis Virginibus tàm Claustralibus, quàm Regularibus Initiandis supplicatio solemnis inde ad Ecclesiam Præsentationis Beatissimæ Virginis, Domumque Regularem, instituta fuit, quò cum pervenissent Virgines Christo consecrandæ, à Reverendissimo præfato Episcopo Ordinis nostri Habitu indutæ fuere. Hic sanè recensenda videretur celeberrima ea pompa, quâ solemnis hæc consecratio completa fuit. Verùm ad evitandam Lectoris nauseam ab hac narratione abstinendum hic arbitror, cum habita satis superque fuerit superiùs ad annum 1612. ad ulteriora interim meliori consilio procedens.

Habitû induit cum Filiâ, & cæteris.

Pro initiandis Virginibus solemnis supplicatio instituitur, & ab Episcopo deinde induuntur.

Hoc potius memorandum videtur, quòd cùm utraque Archidux, Mater scilicet, ac Filia, comitantibus Sororibus Regularibus, & Monialibus nuper Suvazio eductis, Domum petunt Claustralem, frequentissimo Populo spectante, musico Cantorum plausu, & clangore Tubarum personante Templo, nemo ferè vel unus ex ijs quàmplurimis, qui ad tantam celebritatem convenerant, Principes suas, & quidem tantas videntes adeò mirabili metamorphosi humili cultu indutas, eo præsertim tempore, quo secunda quæcunque in humanis polliceri sibi poterant, cum Impera-

Dũ Archiduces nuper indutæ Domum petunt claustralẽ nemo qui ad tantam celebritatẽ convẽnit lachrymas præ stupore cõtinere valuit.

perator, & Imperatrix arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo utrique adhærerent, stupore maximo affecti lachrymas, & quidem uberes, continere vix potuerunt. Statim verò ac Domum subiere Claustralem, sui juris facta Princeps nostra quoad vota jampridem concepta explenda, semoto rerum, & hominum quorumlibet exteriorum strepitu, cum Virginibus illis ita reclusa vivere cœpit, ut deinceps ne Legatos quidem Principum audire voluerit, quippe quæ & nomini, & Gentilitijs Insignibus, & Principatui, & his omnibus tandem, quæ Maiestatem redolere videbantur, vale dicere decreverat, solique Evangelicæ humilitati vacare. Quòd si paulò post Legatum admisit ab Imperatore Mathiâ Genero, qui Augusti nomine Filiam Annam inauguratam nunciavit, tanquam Domesticum potius Domûs communis Ministrum, quàm propriè Legatum in primis habendum censuit.

In Cœnobio reclusa humilitatẽ præcæteris virtutibus amplectitur.

Præterea verò grato licèt animo exceperit gratulationem sibi à Legato factam; hæc tamen eidem Legato respondit, quę heroicam Annæ Julianæ virtutem, suique despicientiam clarissimè ostendunt; inquit enim: *Gaudeat sanè Filia mea, sibique gratuletur tantum honorem aditum, quem à Deo Optimo Maximo faustum et, ac diuturnum precor; Ego quidem Religioso hoc velamine* (superpositâ eidem dexterâ) *quo me tanquam præclarissimo diademate Magna Dei Mater coronavit, longè cumulatiùs mihi placeo*;

In assũptione Filiæ ad Imperiũ mirabile dictum.

quibus eo stupore affecti sunt tum Legatus, tum cæteri Magnates, qui hęc accepere, & præ tantâ virtute, quam in augustâ Matre admirabantur, omnia ejusdem meritis, ac Sanctimoniâ Romano Imperio fausta, atque perpetua ominarentur, valdeque beatum dicerent Cæsarem, qui eam sibi in Sponsam elegisset, quæ ortum ex tantâ Matre ducebat.

Vitã Imperatricis Filiæ fuisse brevem vaticinatur.

Archidux autem contra dimissis omnibus, ac Legatione Mariam Filiam, aliosque Domesticos alloquens: *Heù*, inquit, *quàm vana sunt, ac momentanea vitæ hujus gaudia!* Quo sanè vaticinata videtur brevem in Filiâ tanti honoris usuram, quæ sex annos tantùm æquavit.

Interim Serenissima Princeps sacro Beatæ Virginis Habitu ornata, de quo sibi adeò gloriabatur, ne larvam potiùs, quàm veram Deiparæ servam agere videretur animadvertens, & seriò secum animo reputans, quod vestem illam servis suis proprijs ipsa manibus in Senario contulerat in acerbissimæ suæ, ac Filij sui Passionis memoriam, propterea sibi quoque communes aliquomodo fieri debere suaserat eorundem dolores, quapropter Cœlestem Sponsum suum vehementer rogabat, ut è gravissimis doloribus, quos ipse, ejusque Parens sanctissima adeò fortiter tulerant, aliquos etiam sibi in proprio corpore subire cõtingeret, ut exteriori vestium conditioni interior animi affectus ex æquo responderet, & inde doloris messem colligeret, unde sibi lætitiæ copia accedebat. Ejus autem votis benignissimè annuens Deus hoc præstitit, ut indicibili statim capitis gravedine, quæ stomachum nonnunquam vi suâ evertebat, ad extremum usque vitæ spiritum laboraret;

Particeps fit dolorum Christi, prout petierat

neque nunquam Medicos audivit, qui Dolorem hunc velaminibus, quibus gerendis minimè assueverat, tribuebant, ac proinde deponendos esse suadebant, quoties saltem quieti vellet indulgere, satis superque gnara undenam dolor iste prodiret, ac proinde sibi re quacunque grariorem esse debere, neque medium aliquod sibi adhibendum, ut illum amoveret, quinetiam optimè consultum existimavit unà cum capite reliqua quoque corporis membra, Deiparam meliùs imitata, sanguinum Sponso devovere; sororibus quoque Domûs regularis præcipiens, quòd in hujusmodi beneficij vicem quælibet ipsarum, cum Professionem emitteret, spineam coronam ipsorum capiti à Sacerdote superpositam totam illam diem gestarent. Itaque sicuti Beatissima Mater purissimum sanguinem suum pro æterni Filij Incarnatione Deo Patri obtulerat, sic ipsa abjectis amplissimis statûs sui, & honorum titulis, atque obsequijs, necnon Archiducali sigillo, cæteris Sororibus suis paulò ante ancillis parem se fecit solo nomine gaudens Servæ servarum, sicuti eadem B. Virgo æterno Dei Filio intima Viscera in Domicilium conservavit, cor suum absolutissimè subjecit, lactantia ubera obtulit, ita & Princeps nostra animam, cor, affectus, & opera quæcunque ipsi Deo dicabat, oculos quoque B. Virginis oculis, auribus aures, os ori accommodans ad prosequenda Sacratissima Christi mysteria, ita quidem, ut quæ ne Legatis quidem, nisi religiosis sibi loquendi copiam minimè faciebat, nonnisi Deum, vel de Deo loquentes excipere vellet, nec quidquam ullatenus dicere, quod in laudem non cederet Dei.

Deiparã imitari studet cultu Filij ejus JesuChristi.

Denique sicuti Beatissima Virgo tenerrimum Filium purissimis regendo manibus, fruendo Brachijs, & gremio, adutando genibus, huc & illuc concomitando pedibus summo studio deservierat; ita & Anna nostra, ubi per preces vacabat manus suas utilibus Ecclesiæ præsertim laboribus, brachia, gremiumque sanctis in Deum meditationibus, genua statis per diem horis in terram provolutionibus, pedes verò supplicationibus quibusdam Domi institutis solerter applicabat, enixè semper conata ad statum, quem profiteri ardebat, animum, & corpus, omnemque vitam suam accommodare. His igitur animi sensibus commota Serenissima Princeps spiritum vocationis tum in se, tum in reliquis sororibus fovere magis in dies satagens aptissima quædam, & religiosissima instituit Exercitia pro principalioribus anni solemnitatibus habenda, partim typis edita, partim verò manuscripta, quorum perpetuò adhuc viget in illis Cœnobijs consuetudo.

Cùm autem pijssima Princeps veræ virtuti summo studio ita incumberet, suoque profe-

ctui

ctui inhiaret, aliis quoque consulere non detrectabat. Hinc Summum Pontificem in primis, cui se maximè acceptam videbat, enixè rogavit, & ab eo quamplurimas impetravit Indulgentias plenarias Ecclesiæ suæ addictas in singulis Deiparæ Festivitatibus, aliasque quamplures pro Domesticorum Altarium stationibus, necnon plurium annorum Quadragenarum, atque dierum ijs omnibus quotidie concessas, qui D. Virginis Litanias, vel Antiphoram *Salve Regina*, quæ post Completorium à Sororibus Claustralibus dato signo singulis diebus decantantur, devotè audierint. Præterea privilegiatum impetravit Altare ad animarum in Purgatorio laborantium refrigerium, quarum levandarum incredibili studio tenebatur, quidquid enim boni, Deoque acceptum faciebat, commune cum ijsdem ejus operis meritum faciebat, dicere solita ad impetrandum à Deo in qualibet necessitate subsidium nihil expeditius esse, quàm pro hisce animabus sacra fieri curare, quod & à Serenissimâ Matre suâ, & à frequenti experimento edocta jam fuisset; quòcirca Missam de Requie, quibus omnibus diebus fas erat, celebrari volebat; cæteris verò quibus hoc licitum non erat, Sacrificium idem pro animabus Defunctorum anhuc perfici studebat, aliaque præstabat, quibus id compensaret, præter quotidianam Officij Defunctorum recitationem, quam si fortè per se obire non liceret ob adversam valetudinem, vel causam aliam quamcunque laudabilem, ne purgantes animæ eo destituerentur solatio, alteri ex Sororibus recitationem hanc demandabat. His accedebant Indulgentiarum suffragia, preces, aliaque quamplura, quæ peculiaris eam docebat amor, quo singulos in miserijs jacentes, ac penitus destitutos prosequebatur, quibus operibus gravitatem pœnarum singulis diebus minuere illis nitebatur. Insuper Principis hujus charitas verè non quærens quæ sua sunt, patiens, benigna, ad ipsos etiam Dei, & Religionis Catholicæ hostes, sectarios nimirùm, Turcas, Judæos, sese passim diffundebat, pro eorum æternâ salute Divinam exorabat clementiam, acerbissima quaque subitura, si eorum exitium hujusmodi pœnisavertere potuisset: cujus studij vices referre volens Deus duas illi Virgines Judæas, & ex inferiore Pannoniâ alteram Othomanicæ legi addictam donavit; illa verò Deiparæ consecravit duas illas Virgines in Domo Claustrali, hanc verò in Domo regulari sacro ejusdem Habitu induras.

Quamplurimas Indulgentias à Summo Pontif. impetrat.

Pro levandis Purgatorij pœnis incredibile studiū.

Charitas in Proximum.

Præter Indulgentias externorum quoque commodo, ut diximus, impetratas, sibi, suisque magis impensè consulens septem in utriusque Cœnobij Dormitorio erectis Altaribus Indulgentias obtinuit, quas consequuntur, qui septem Urbis Basilicas visitant, quapropter recurrentibus stationum diebus ea cum suis Monialibus Princeps nostra tanto animi fervore, ac religione adibat, ut omnibus ad-

Alias Indulgētias pro Sēptimo nialibus impetrat.

E miratiuni foret. Sanctorum verò Reliquias eâ veneratione colebat, ut eas, tanquam Insignes thesauros undecunque posset, corraderet, assequutas religiosissimè asservaret, non ignara quàm salutaris humano Generi hic, ubi tot mala succedentia sunt ex omni parte dolores afferentia, Sanctorum cultus, & veneratio, & eorum exindè præsidium contingat. Itaque Summi Pontificis Avunculi sui exploratâ jam sibi propitiâ voluntate, unà cum ipso insigni operâ egit, ut venerandas hujusmodi Reliquias sibi compararet; quod piæ Principis votum statim ac Sanctitati suæ innotuit, ill cò novem illi primæ notæ, ac nominis corpora Sanctorum, aliasque præcipuæ Religionis Reliquias (quod ex authentico, &
F Originario instrumento Romæ ritè confecto constat) amplissimo dono misit, re in ancipiti constitutâ, nom Annæ Julianæ majus fuerit pro his reliquijs assequendis desiderium, num Pauli V. liberalitas in ijsdem largiendis. Sanctorum nomina, quorum pignora Apostolica Sedes Serenissimæ concessit, hæc sunt: *Marcellus*, *Fortunatus*, *Salvatus Romanus*, *Basilius*, *Vitalis*, *Florentius*, *Seraphia*, & *Aurelia* singuli Martyrio illustres. Ubi verò Annæ Julianæ constitit sacra hæc pignora ex Urbe anno 1614. 14. Kalendas Junii haud procul Oeniponte advenisse, eidem Annæ placuit, ut in amplissimo Cœnobij Templo Ordinis Præmonstratensis VViltinensis Oeniponte siti quiescerent, quoad apparatus inferendis illis in Templum Præsentatæ Virginis fidem eo-
G rum perpetuam compararetur. Nonis Februarij omnia in promptu fuere; hoc igitur ordine habita fuit pompa. VViltinensis Cœnobij Præfectus Pōtificijs infulis ornatus Monachorum suorum stipatus Choro constitit in Templo sui Cœnobij. Adfuere universæ Urbis Sacri Ordines, Minores videlicet Franciscani de Observantiâ, Minores Capuccini, Presbyteri seculares, denique Servitæ, quibus etsi in eâ Urbe recentioribus, reliqui Sacri Ordines novissimum locum, qui in Sacris pompis, seù Processionibus, primus habetur, detulerunt, quòd Sanctorum corpora inferenda erant Templo Præsentationis Deiparæ Ordinis Servorum.

Paulus V. plura SS. Martyrū Corpora donomisit.

Solemnis Processio instituitur pro Sāctorum Corporū translatione.

H Præcedebant quatuor Tubicines solemniter insonantes, hos sequebantur Musici suavi concentu plaudentes; dein PP. Capuccini tædas accensas singuli præ manibus gestantes, quorum vestigia premebant quatuor ex eâdem Familiâ PP. Diaconorum ritu ornati, qui primam urnam gestabant aureo, conchiliatoque peristromate instratam impositâ ejus vertici Coronâ auro gemmisque illustri, duos victricium Palmarum ramos, victoriæ Martyrum Symbola, quibus Sanctorum nomina coloribus eleganter expressa inserta fuerant, circumplectente. Urnam hanc circumstetere octo eximiâ formâ adolescentes cœlestium geniorum speciem referentes, cultu insignes, aureis torquibus, gemmeis vestibus, & diadema-

Processionis Ordo.

dematе taro Margharitarum splendore renitente conspicui. Eodem cultu, ordine, & ornatu secundam urnam quatuor Patres Franciscani; tertiam totidem Presbyteri illius Urbis seculares; quartam quatuor Patres Præmonstratenses; quintam denique quatuor Servitæ. Pompam coronabat Reverendissimus VViltinensis Abbas D. Simon Cameriander amictu Pontificio, ut diximus, venerandus, pluribus ipsi adhærentibus, tum Sacerdotibus, tum alijs sacris Ecclesiæ Ministris; subinde verò insequentibus Virginibus Domûs nostræ Regularis, & frequentissimo nobilium, & ignobilium agmine. Pompam hanc per Primarium Oenipontis suburbium, ac deinceps per ipsam Urbem hoc ordine ductam apud Ecclesiam S. Crucis PP. Franciscanorũ præstoiata Serenissima Princeps cum Archiduce Filiâ, eandem inde non mediocriter auctam, suáque, ac se subsequentium præsentiâ ornatam ad sui Cœnobij Templum est prosequuta; ibi verò exceptæ, suavissimo primùm sacrarum ipsarum Virginum concentu venerandæ Sanctorum Reliquiæ fuere, deinde Vesperis solemniter decantatis Pontificem agente eodem Præmonstratense Abbate, completisque cœremonijs, Urnæ quæcunque Sacrorum Corporum ex Indico Ebeno, multóque auro distinctæ, necnon gemmis refertæ suis in locis constitutæ. Cæteras reliquias, & quidem plurimas thecis impositas argento, auro, gemmis, summâque arte pictis parergis decoras alia circum in Altaribus loca exceperunt. Pari postea celebritate, cui tamen id accessit singulare, quod Pontificis munus Ipse Brixinensium Suffraganeus obiret, anno vertente illata sunt urnis consimilibus in eodem Templo quatuor alia corpora. Accessit et Integra tibia B. Virginis Ordinis nostri Julianæ Falconeriæ, quam summo studio Serenissimæ Mariæ Magdalenæ Austriacæ Magnæ Ducissæ Etruriæ dono dedere Annæ Julianæ Cœnobij D. Annunciatæ de Florentiâ PP., capsulæ argenteæ deauratæ, pretiosisque adamantibus, & alijs gemmis intus, & foris ornatæ à C. S. exhibitæ, inclusa; quę capsula fuit quinque Florenorum millibus æstimata. Capsulam hanc, quia B. Juliana Sororum Tertij Ordinis B. Virginis Antesignana habetur, magnificentiùs reliquis sub aureo peristromate, in quâ Divę Adgeniculatę statua lilium pręferens Virginitatis suę symbolum spectabatur, quatuor è nostris Patribus octo adolescentibus stipati Angelorum specie indutis faces deferentibus gestabant. Magno planè hic sacrorum pignorum thesaurus Urbi Oenipontanę ornamento, magno plurium cœlestium gratiarum, & sanationum pręsidio ad hæc usque tempora fuit, quinimmo vel ab ipso statim ingressu experientiâ est comprobatum; cùm enim prędicta pompa duceretur, mulier quædam ejus Urbis Medici conjux in extremo vitę discrimine præ difficultate Partûs constituta, turbam prætereuntem secus domum advertens, quemadmodum Evangelicus cœcus turbam cum Jesu prætereuntem adverterat, propterea lucis usura donatus, & certior facta de sacrorum pignorum translatione tenuissimum spiritum, qui superstes adhuc erat, in unum colligens Divis illis sortem suam commendavit, illicò revixit, feliciter puellam enixa est, quam de nomine sanctæ Liberatricis Seraphiam vocavit.

Prodigiosa sanatio intercessione S. Seraphiæ sequuta.

Intereà cùm Serenissima summo animi ardore unà cum reliquis sororibus Tyrocinium in obsequium Dei, ac Deiparę prosequeretur, & Cœnobiorum simul, ac Ecclesię commodo, ornamento, decori quàmdiligentissimè consuleret, ijs omnibus, quę hactenus ad hoc fecerat, sibi non satis adhuc factum rata, quippe cui maximè in delicijs fuerant Musici concentûs, quamvis Aulicam paulatim dimisisset familiam, Cantorum tamen chorum integrum servavit, & annuis stipendijs munificè instructum, ut in Oratorio suo, suâque Ecclesiâ Deo, ac Deiparę laudes tum in Missis, tum in horis canonicis, vel alijs quibusque Religionis operibus, suavi modulamine celebrarentur. Pręterea Monialibus suis in hac arte canendi erudiendis animum adijciens, annuente Episcopo Coyrę in ditione Tyrolensi, tres Virgines Ordinis S. Dominici eidem Episcopo subiectas artis hujus canendi, & varia Organa pulsandi peritissimas ex proprio earum Monasterio eductas, & Oenipontem traductas in solemnijs Nativitatis Domini habitu Ordinis nostri Claustralium induendas curavit, quibus operi commisso impensè vacantibus Moniales nostrę eo artis hujusmodi brevì pervenere, ut anno nedum completo Monialium sibi ad hoc præfectarum operâ non amplius indiguerint.

Concentûs Musicor in suis Ecclesijs promovet.

Cùm Serenissima Anna Juliana Templum exterius Virgini in Templo Pręsentatę dicatum venerandis Sanctorum Reliquijs, ac Regâ sacrâ supellectili maximè pretiosum coram Domino reddiderit, longè majori sedulitate instruendum suscepit Templum sui cordis interius, quod in proximè sequenti regulari Professione, seculo prorsus abdicato, Deo, ac Deiparę consecrare statuerat. Itaque sicut hujusmodi consilio seculum procul dubio vicit, ita & illud diripere, ejusque spolia dividere cœpit. In primis verò Serenissimo Archiduci Maximiliano Ornatissimum sui Palatium dono dedit, Divitem ejus supellectilem usui Monastico non idoneam suis emeritis famulis prudenter divisit, communi Sororum suarum antea Famularum, vitę ineundę addicta Gentilitia, deinde plurium Imaginum insignia ad unicum scutum Austriacum purpurâ, & candore varium redegit. In sigillo autem suo, ac domûs Regularis ad pedes Deiparę Simeonis gladio pectus transfixę juxta Crucem sedentis scutum ipsum Austriacum subiecit, quod bifariam divisum, & Austriacę Gentis, & Ordinis nostri insignia complectitur, duos inter Caracteres M. F., quibus

Interiori profectui maximè studet.

Matię

Mariæ fletus denotatur, quod deinde Scuti Austriaci insigne Mathias, & Ferdinandus II. Augustissimi Imperatores ad significandum summum in Familiam nostrorum Servorum studium, Commune nobiscum in insignibus nostris penes tria Oenipontis Cœnobia esse voluerunt, datis amplissimis diplomatibus, quæ multis, magnisque alijs privilegijs Ordini nostro æquè utilibus, ac honorificis sunt referta. Post hæc ira se in Ordinem redegit, ut tametsi pleræque Monialium in Aulâ primùm Ancillas egissent, nonnisi tanquam æquales, quinetiam interiùs tanquam digniores habebat, quamobrem abdicatis omnium obsequijs, Sororis unius duntaxat Ministerium sustinebat, idque solummodò in ijs rebus, quibus ipsa ob valetudinem par sibi non esset, quàm etiam Sororem ex eo potissimùm etiam diligebat, atque fovebat, quòd sibi ab ipsâ quandoque patientiæ materies suppeteret. Sororibus etiam Sanctissimè invidebat, quas viliora Domûs obsequia obire videbat, vertere domum, ligna bajulare, lances, patinas, quadras, ollas lavare, & hisce similia præstare, quæ sibi præ corporis obæsitate facere vetitum erat, ut proinde id ægerrimè ferens tacita secum sæpissimè, & unà cum illis quandoque hæc dicere soleret: *Quos felices, Dilectæ sorores! Vobis Divinitùs contigit vilia hæc, & valida munera subire posse, & ita summum Vestrum obsequium Deo, ac Deiparæ exhibere, quod mihi præ peccatis indignæ posse negatum est.* Interim tamen ejus industriam non fugere constabat, persæpe eorum operum indaginem, quibus ipsa par esset, V. G. cibos coquere, nere, socculos Sororum, & alias vestes subulâ, & acu reficere. Hæc autem omnia singillatim expendens Confessarius, non sine ingenti admiratione, *hoc sanè*, dicebat, *Annalibus inferendum videtur, quòd Serenissima Ducis Filia, Archidux Austriæ, & Imperatricis Mater Cerdonis operi exercendo addicta sit*; ad quæ subridens ipsa pari prudentiâ, ac humilitate reposuit: *Utique, Pater Ducis Filia sum, Archidux Austriæ, & Imperatricis Mater, sed vilis adhuc sum, & contemnenda peccatrix.* Neque hic demissionis suæ modus, laceris plerunque vestibus pannosa incedere gaudebat, regulam nostram satis abundè edocta, quâ cavetur, ne vestibus placeamus, sed moribus, sibique tempus, & locum jam esse addens, non Mundo placendi, sed Deo. Salutationum ambages, Viris, fœminisque Principibus accumulari ambitiosè solitas ita eliminavit, ut nec unquam Imperatricis Matrem appellari se vellet, nec Titulum aliquem ex Gentilitijs honorificum secum adhiberi, nec ab illo, vel à Confessario ipso aliter se salutari passa fuerit, quàm sub hac formulâ: *Benedicam Dominum in omni tempore*; cui vicissim ipsa responderet: *semper laus ejus in ore meo*, eumque morem perpetuò, quoad vixit, servavit, & Sororibus suis ratam servandam voluit, & inconcussam.

Humilitatis præclara argumenta.

E Neque verò hæc formula nuda vox erat; siquidem antemeridiem, tum hyeme, tum æstate horâ quartâ Germanicâ Oratorij sui sacellum adibat, nec nisi post octavam abibat, à meridie verò horâ tertiâ redibat, & in Oratione Dei ad quintam usque fervebat. Quod reliquum erat temporis intermedium eâ religiositate partiebatur, ut non modò formulam prædictam, sed etiam præceptum Domini urgentis: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*: omnibus suis numeris impleret: idque institutum à novitiatu exorsa perpetuo tenore ad obitum usque, non solùm ipsa protraxit, sed etiam Sororibus tàm præsentibus, quam futuris Auctor fuit, ut in omne ævum perpetuò servaretur, quòd ita fideliter præstitere, ut præ ipsarum consuetudine, quâ F plures annos usus P. Joseph Maria Barchi fuerat, affirmare non vereretur, quòd primus spiritûs fervor progressu temporis nullatenus deferbuerit, imò semper indesinenti tenore increverit. Hujusmodi vivendi tenore nunquam sibi non constans Serenissima Tyrocinij sui jam ferè metam assequuta fuerat unà cum reliquis, & domui regulari, & claustrali addictis haud mediocri persusa voluptate earum omnium consuetudine utens quasi cœlestium Spirituum præ virtute innocentiâ, morumque sanctitate, præsertim verò cum hæc vivendi ratio Beatissimæ Virgini maximè accepta videretur, quemadmodum ex modò dicendis constabit. Inter alia pietatis officia, quæ Princeps nostra instituerat à Sororibus G claustralibus exercenda, illud etiam accessit, quòd qualibet primâ Mensis Dominicâ post Completorium supplicatione quadam per Monasterium obirent prædictæ Sorores, cui ipsa quoque cum Filiâ, & Sororibus Tertiarijs interesse solebat. Accidit autem aliquando, quod sibi utpote unà cum Priorissâ cæteras pone sequenti videretur, quòd alius quidam sui premeret vestigia, qua de re seipsam retrò convertens, nec aliquem deprehendens, curam ejus rei non egit; cùm autem idipsum pluries contigisset, Confessario quoque hoc illi suadente, ex eo quòd conijcere fas erat sanctissimam Dei Matrem, ideo sacræ pompæ interesse, ut ipsam redderet illustriorem; iterum advertens hunc quisquis ille foret po- H ne sequentem, quin etiam vocem quasi Angelicam accipiens, retrò statim conversa sibi videre visa est gloriosam Deiparam cultu Sororum indutam, eâ tamen temporis brevitate, ut ipsi minimè licuerit, quemadmodum Confessario postea significavit, sese ejusdem pedibus advolvere, quod maximè sibi erat in votis. Dum autem hæc agerentur, Domui regulari imposita tandem fermè fuerat coronis, ac propterea Domus ipsa Sororum habitationi accommodata videbatur. Quocirca pijssima Princeps eò se unà cum socijs recipere decrevit, quantumlibet verò claustrales, quæ ipsam singulari benevolentiâ, ac pari veneratione prosequebantur, eam enixè rogarent,

Varia promovet pietatis officia.

Supplicationi Sororû interesse creditur Deipara

tent, ne inde recederet, & nihil intentatum relinquerent, ut id consequerentur; earum A tamen votis cùm satisfacere non posset, gravissimum earundem mœrorem variis modis levare lluduit, ijs præsertim pollicita, quòd ipsis semper adesset, earum necessitatibus præstò foret, & quàm sæpissimè eas visitaret. Itaque cæteris sanctimonialibus, quas Merano ex D. Dominici, & Savazio ex D. Augustini Familiâ ab exordio usque eduxerat ad Monlales nostras, ut diximus, erudiendas, iterum ad primas Professionis ædes insigni gratiarum cumulo remissis, alterâ tantùm exceptâ, nimirùm Sorore Mariâ Annâ Suvazensi in Domûs Claostralis Priorissam electâ anno 1613. tertio nonas Novembris unà cum reliquis Tertio Ordini addictis, Domum regularem hilaris, & alacris subijt. Ibi verò B Anna Juliana novo semper incensa perfectionis studio claustralium Virginum sanctimoniam æmulari contendit cum suis regularibus, videlicet jure, quòd æquè omnes Christo Domino verè essent desponsatæ, ac proinde pari gradu omnes in odorem unguentorum sponsi currere deberent; ut autem hoc assequeretur à singulis, omnes ipsa præibat exemplo, satis abundè edocta, quòd per ipsum breve sit, & efficax ad virtutem iter, cui deinde salutaria monita addebat de virtutibus excolendis, & unioni, & fraternæ charitati ad invicem servandæ, perfectæque superioribus obedientiæ exhibendæ accommodata. Nequid verò pateretur moræ animorum ardor in assumptâ semel Religione conceptus, Oratorium & ipsis peculiare extruxit tribus Altaribus, atque Odæo perfectum, ut ibi non modò sacrâ reficerentur Eucharistiâ, sed etiam alia quæque religionis munia persolverent, potissimùm verò B. Virginis officium, ad cujus initium, & finem hæc adderent verba: *Passio Domini nostri Jesu Christi, & compassio Beatissimæ Virginis Mariæ sit in corde, & corpore nostro, Amen*; unà cum planctu Virginis *Stabat Mater Dolorosa*. Præterea statuit, quòd Regulares quoque singulis mensibus supplicationem eandem obirent, quam Claustrales obire dicebam, non primâ quidem, ut illæ, sed secundâ Dominicâ, cui planè sacro cultui plurimùm gratiæ contulit D Dominus, & luculenter ostendit, quàm sibi in ipso complaceat, & in sanctissimis Annæ Julianæ votis; divinitùs enim factum est, quòd ex Regularibus quoque Quadragenariæ quoque, & quinquagenariæ legendi prorsus ignaræ, quàmcitissimè, & quàmfacillimè legere didicissent, ut æquè ac aliæ recitando B. Virginis officio pares essent. Itaque hisce tam ferventibus exercitationibus, tum Anna Juliana, tum reliquæ, non jam amplius novitiæ, sed supplente temporis brevitatem animi ardore in Divini Regis Cellariâ introductæ, divinoque potæ liquore Magistras sapiebant, quapropter solemnibus cum Christo nuptijs maturas pijssima Princeps ad se vo-

In domo regulari promovet Officium B. V.

cavit Sorores, & singulis præcepit, ut rebus omnibus suis externis condito Testamento, in ordinem digestis ad Professionem emittendam se compararent in imminenti Præsentationis Deiparæ Festo, postquam eodem anno 1613., ipso Assumptæ Virginis die Sorores claustrales triplici voto solemniter emisso Deo se coosecrarant. Ut autem hoc ritè, atque ordine quàm exactissimo fieret, providæ Principi, & quantum opus ordirentur, seriò expendenti placuit septem dies eas nuptias antecedentes hac ratione collocari, ut scilicet primò die culpas omnes ab ingressu Ordinis usque commissas sacramentali Confessione expiarent; secundo, rigidè juxta morem vulgarem jejunium servarent; tertio, eodem more diù se cæderent, quarto, Sacrosanctam sumerent Eucharistiam, & ad septem Monasterij sui Altaria Stationes totidem obirent; quinto, pane, & frigidâ jejunium agerent; sexto, sine Habitu, qui Tunicæ superinduitur, & sine velaminibus capite solùm vittato in Tunicâ nigrâ sordidatæ supplices Professionis, habitûsque consecrati gratiam apud Ordinis Patrem, cujus erat cooferre, urgerent, ac septies eundem singulæ peterent per Dei amorem, ac Deiparæ dolores; septimo tandem panis, & frigidæ jejunio iterum instaurato veniam sibi vicissim deprecarentur eorum omnium, quæ in sui contubernio, vel offendissent consultò, vel oscitanter deliquissent.

Ad Professionē emittēdam variis 7. dierum exercitiis, se, suasque disponit, & præparat.

His ad regularis disciplinæ, & veræ virtu- C tis amussim quàm exactissimè actis octavâ die diluculo, ipso nimirùm Festo Præsentatæ Virginis in Templo, anno 1613. sacrâ Processione institutâ Virgines, & Viduę post Serenissimam Archiducem in Choro Claustralium primùm congregatę eo Ordine Regom Regi consecrandę offeruntur, & Professionem solemnem emittunt, quem ad annum 1613. cap. 15. descripsimus, & hic repetere supervacaneum videtur.

Professionem solemnē cum cæteris emittit.

Triplici votorum nexu Deo magis adhętens Anna Juliana, majori semper incensa studio ipsum prosequendi pro tot ac singularibus beneficijs sibi jugiter collatis vices quasdam rependendi, eique maximè placendi nova semper in dies heroicarum virtutum auspicabatur incrementa, ac seipsâ major majora quoque in Dei, ac Dominę suę obsequia animo agitabat. Prę cęteris pręcipuum fuit, quodque Ordini nostro immortale decus comparavit, quòd cùm die quadam postquam sanctis Meditationibus diù de more vacaverat insolito Divini Spiritûs igne inflammata, Confessarium fortè obvium conveniens, anxiè ab eo petijt, quidnam ipsa Divinę beneficentię ædeò recens oculis ipsis observanti in vicem reponere posset, alteram Filiarum ad Augustæ dignitatem provectam, alteram secum Regum Regi Sponsam, habitûs Religionis, & Professionis compotes, domum regularem, domum claustralem constructas,

& rebus omnibus instructas, divinitùs potiùs, quàm suâ operâ esse, se quoque tot E difficultatibus, obstaculis, tentationibus, mali Dæmonis artibus superiorem, nonnisi peculiari Dei, ac Deiparæ gratiâ fuisse, ac proinde se nunquam beatè victuram, nisi quid egregium præstet, quod summæ eorum erga se benignitati respondeat. Quapropter in eâ sententiâ se esse dixit, ut Cœnobium aliud Fratrum Ordinis usui conderet S. Josepho Mariæ Virginis Sponso, suíque Tutelari dicatum in æternum animi sui tot beneficiorum memoris argumentum consecrandum, & eidem Confessario subinde Provinciam demandavit situm explorandi, in quo Cœnobium hoc excitari commodè posset. Cæterùm sibi in votis maximè esse, ut ab omnium mortalium genere Deus Optimus Maximus, ejusque F Sanctissima Mater speciali cultu honorentur, à viris quidem in hoc D. Josephi Cœnobio, à Virginibus in domo claustrali, in regulari à Viduis; & ut status etiam Coniugalis eidem studio suum locum haberet, sodalitio nostri Habitûs dolorosi plurimis, & amplissimis Indulgentijs cumulato, idem Sancti Josephi Templum sedem destinavit. Confessarius ergo juxta mandatum omnes Urbis partes, atque suburbia lustravit reperiundo situi tum suâ, tum aliorum operâ intentus. Verùm re prorsus infectâ Serenissimam convènit, illa verò modestè subridens: *quid, mi Pater*, inquit, *si idem tecum, quod mecum in re simili agatur, & ipsa Deipara, & ejus Sponsus Josephus sibi ipsi prospicient de futuri Cœnobij situ; ut id fiat nostrum est, eorum implorare patrocinium quoad fiat*: sicuti verò nulla ad hoc opus complendum intercessit mora, ita, & ad id, quod optabant, assequendum, nulla interposita fuit mora. Nam paucis post diebus ex aulâ quidam pietate, & industriâ haud mediocriter Serenissimæ acceptus, eidem significat, non ita pridem in suburbio ædes quasdam, & contiguum viridarium venalia fuisse, quæ sanè, si adhuc libera forent, satis commodum construendo Cœnobio locum dedissent. Hilaris statim Archidux, spéque magnâ erecta animum operi adijciens, pari studio, ac liberalitate septem millibus, & aliquot aureis ipsâ die numeratis, ædium, & viridarij possessionem adijt; tum gratię plurimę Deo, Deiparę, & D. Sponso Josepho quàmlibentissimè actæ, quibus faventibus res ipsa feliciter æquè ac celeriter cesserat.

Tertium Cœnobium in honorem S. Joseph pro Fratribus ædificare meditatur.

Religionem, venerationemque huic loco adauxit, quod quidam jampridem nomine Joannes Atlmair, de quo supra cap. 8. antiquis moribus, piâque simplicitate præstans, cùm orationi solito ferventiùs incumberet, cujusdam vocis cœlitùs elapsum sonum accepit, quem elatis oculis insequutus vidit in Cœlestibus sacrarum Virginum Chorum confertissimâ radiorum gloriâ fulgentem, & hęc verba canentem: *Hoc eodem in loco, in quo oras, stabit quandoque suo cum Templo Cœnobium*, quod nobis, & alijs non sine admiratione, gaudio mistâ narrare sæpe consueverat, quod huic quasi vaticinio ipso rarum eventu factam aliquando fuisse fidem ipse quoque superstes vidit. Accessit & aliud æquè memorabile, quòd Operarius quidam Italici Generis, nomine Joannes Baptista bonâ fide referebat, se nimirùm cùm Domum illam unà cum reliquis operarijs ordiretur, accepisse, quòd prædictum Domino Domûs hæretico fuerit fore, ut palatium illud, quod moliebatur, in sacram ædem, & Religiosorum olim Asceterium verteretur; quod præsagium ille, quamvis irridens, excepisset, indignus, qui verum videret, Liberi tamen ejus, & Posteri viderunt; fortè enim aliquot ex illis Oeniponte iter habentes (siquidem F alibi ob hæresim domicilia fixisse probabile est) cùm ędificari Templum, atque Cœnobium suo cernerent in fundo, substiterunt, & interiùs subeuntes P. Vicario Generali, qui operi pręsidebat, bonâ fide referunt id, quod fiebat eorum Parenti, quamvis omen aversanti, ipsis testibus prędictum fuisse.

Situs pro Cœnobio construendo à Deo preparatur, & eligitur.

Hisce quidem ominibus longè verò magis interioribus Divini Spiritûs impulsibus excitata Princeps nostra summo studio indesinenter curabat, ut ædificium quamprimùm ad fastigium perduceretur, quapropter urgebat, ut eò conveherentur operi faciendo necessaria, novoque Templo primùm excitando; quod cùm diligentissimè perfectum fuisset, anno reparatæ salutis 1614. 17. Kalendas No- G vembris, prout ad illum annum innuimus, Reverendissimus persæpè laudatus Brixinensis Suffraganeus specialiter ad hoc vocatus, Serenissimis Matre, & Filiâ, necnon Archiducissis Halensibus præsentibus, frequentique hominum etiam Nobilium Coronâ, eâdem pompâ, quâ septem annis ante in Ecclesiâ Monialium idem præstiterat, primum posuit lapidem in Ecclesiâ nostrâ D. Josepho dicatâ: Tabellam autem æream ad perenne rei monumentum cælator his verbis incidit: *Soror Anna Juliana Tertij Ordinis Servorum Beatissimæ Virginis Anna Catharina in seculo cùm esset appellata, Archiducissa Austriæ, Ducissa Mantuæ, & Montis-Ferrati, quondam Serenissimi Ferdinandi Archiducis Austriæ &c.* H *Comitis Tyrolis &c. Coniux, Ecclesiæ, & Monasterij hujus Fundatrix fundamenti primum lapidem in Dei, Deique Matris, & Sancti Josephi honorem poni fecit anno Dom. MDCXIV. decimâ sextâ die Octobris.* Adeò verò Serenissimâ urgente, quin potius impellente Deiparâ fervebat opus, ut vertente biennio absoluta censeretur Ecclesia, & munifico sacræ supellectilis apparatu instructa, ac reliquis ararum, Ministrorumque ornamentis, præsertim verò duorum Sanctorum, nempe Marcellini, & Cœlestini Martyrum, Corporibus ex Urbe advectis, deinde verò Dominicâ in Albis ejusdem anni 1616. in dictam Ecclesiam solemni totius Cleri processione translatis,

Ponitur solemniter primus lapis in Ecclesiâ D. Josepho dicata.

Consecratur solemni ritu prefata Eccles.

tis, solemni ritu Deo, ac D. Josepho fuerit initiata pridie Kalendas Februarij anno 1616. Dominicâ in septuagesimâ plurium Principum, & Optimatum accessu, statim ac Serenissima Mater Pragâ Bohemiæ Metropoli, quò gravissimis, & pluribus fatigata precibus ad Imperatorem Mathiam, ac Filiam concesserat, Oenipontem redijt. Itaque Templum Divinis obsequijs obeundis, undequaque accommodatum erat, & perampla Domus à pluribus Viris Religiosis satis commodè habitanda videbatur.

Dum hæc agerentur, Anna Juliana universi terrarum Orbis Conditorem ferè æmulata, postquam terrestrem hunc Paradisum condiderat, de integerrimis incolis ipsi prospicere volens, ad Reverendissimum Priorem Ordinis Generalem Balthassarem Bolognetti literas dedit, quibus enixè petebat, ut Religiosos ejus indolis ad se mitteret, qui Familiæ Servorum Deiparæ recens per Germaniam institutæ præessent, & quorum operâ bene cœpta perseverare, & meliora promoveri semper possent, quippe quæ in id maximè incumbebat, ut in hoc recenti D. Josephi Cœnobio ad majorem Dei, ac Deiparæ gloriam probatissima regularis disciplinæ norma vigeret, qualem in utrâque Sororum Domo incredibili animi sui voluptate constantem semper fuerat experta. Literis hisce commotus P. Generalis, ut par erat, & ipsis reverenter exceptis, tres illicò ex Eremo Montis Senarij Patres eò transmisit, scilicet Antonium Mariam Medices Florentinum, qui primus fuit in prædicto Cœnobio reducis in Germaniam Ordinis Prior; Archangelum Benivenium pariter Florentinum, Novitijs educandis designatum, & Josephum Mariam Suarez oriundum ex Hispanijs, sed Florentiæ natum, quibus accessit F. Joachimus Maria Conversus, de quibus ad illum annum supra. Hos autem alij exceperunt, & alij, & cum è Germanis plures paulatim Ordini nostro nomen dederint, cæteris ex Italiâ petitis Patribus ad Servorum Ordinem recens in Germaniam reducem fovendum, augendum, promovendum. Italiam iterum repetentibus, solus ex hisce quatuor Primis per annos plures continuos ad obitum usque perseveravit in illis regionibus, educandis Novitijs modò præfectus, modò verò, juxta votum quoque Germanorum, Ordinis ejusdem per Germaniam Vicarius Generalis P. Archangelus Benivenius, Annæ Julianæ præ singulari vitæ integritate, rerum gerendarum peritiâ, regularis Disciplinæ zelo, ejusdem promovendæ solertiâ, cæterisque virtutibus haud mediocriter acceptus, de quibus omnibus singillatim per hos Annales suis præcisè diebus fusiùs actum est, & agetur.

Ædificato Cœnobio Anna Juliana petit à Generali Ordinis Religiosos.

Recensentur Patres, qui à Generali in Germaniam missi fuere.

Hisce ferè temporibus Anna Juliana quinquagesimum ætatis annum agens, sive quartum ab emissâ Professione, novo percita fervore summum religiosæ sapientiæ culmen petendi dictitare solebat, se horâ dumtaxat undecimâ, sive novissimâ, in vineam Domini venisse, reliquis autem horis in seculi foro otiosam stetisse, suumque propterea esse operam sedulò dare, ut parem illis, qui primâ horâ operari cœperant, mercedem reciperet. Hoc autem ita seriò agebat, ut eorum omnium, quæ superioribus annis summâ quidem laude præstiterat, penitus oblita, apta verè Regno Dei, juxta Christi Domini monitum, ad longè majora summo studio contenderet, & spirituales, quas ipse prætendebat, repararet jacturas. Hinc aliud ferè Tyrocinium auspicata, studium mortificationis, subigendaque naturæ instrumenta, ac documenta repetere cœpit, nemini in eâ contentione Sororum quantumlibet juniorum, & robustarum cedere, immò antecellere: *quid enim*, inquiens, *cùm ego Ducem hìc agam, nihil hìc præstem!* Itaque quemadmodum, quò brevius sibi vitæ tempus superesse putabat, eò pretiosius habebat, ita singulis horis, diebus, hebdomadis, mensibus, ardentissimas, & compendiarias ineundæ cum Deo unionis formulas, sive jaculatorias orationes, sibi, Sororibusque quàmmaximè utiles ex abundantiâ sui cordis excogitavit; quæ partim typis editæ, partim in Sororum manuscriptis diligenter conservatæ ad spiritualem plurium profectum plurimùm conducũt. Votorum autem, & Orationum hujusmodi summa hæc erat, nonnisi Deo, ac Deiparæ placere, ut proinde jugiter hoc mente reputans, veluti amoris jaculo transfixa sæpe gemeret, & in hæc verba prorumperet: *O Jesu, ò Sponse, ò Sponsi summa parens! Unde hoc mihi, ut hoc servitutis vestræ insigne hunc habitum Passionis Dei Filii, & compassionis ejusdem Matris omnibus Mundi thesauris pretiosius circumferam monumentum, & nunquam cessem hæc meditari, hæc imitari! non faciam quoad vita deficiet.* Ac reverâ nunquam cessavit, neque unquam ab harum rerum contemplatione, & imitatione spiritum relaxavit. Quapropter in se furtim multâ inediâ, & corporis afflictatione gravissimâ sic sæviebat, ut is ardor ab eo Confessario coercendus fuerit, cùm enim jam quinquaginta tres annos ageret, & ob austeritatis in semet jugiter adhibitæ assiduitate attritæ flaccescerent vires, languesceret in subobæso natura quidem, non curâ, corpore ventriculus, moderatio quædam ipsi fuit adhibenda, & asperi præsertim cilicij usus interdicendus.

Novo percita fervore ad summũ Perfectionis culmen contendit.

Vulnerata charitate jugiter languet.

Quid autem ad hæc Ingeniosus in Annâ Julianâ erga Deum amor, & odium sui? armillæ, non jam ex auro, gemmisque, sed ferro introrsum acutissimè dentato excogitantur, brachijs circumligantur, & adeò mordicùs, ut multus difflueret sanguis, dolere quidem aliquantulum per jocum dicebat, non tamen nocere, prout de cilicio ferebatur, ac proinde has illi merito sustinendas; usus autem illarum præcipuus fuit feriâ quali-

Novus se cruciandi modus.

bet 6., quem ad mortem usque prosequuta est. Præterea circa lumbos nodoso fune constringebatur, quo veluti perseverantiæ, constantiæque symbolo arctius Christo adhæreret, mitigandis verò jejunijs non æquè facilis enixè petebat, ut sibi fas esset jejunia quæcunque, sive præcepta, sive spontanea feriâ præsertim 6., & Sabbatho quolibet per annum, sive Domi foret, sive in itinere ageret, sivè alibi commoraretur severissimè servare, & hæc, aliaque hujusmodi complura privatim exercebat. Modò verò recolendæ succedunt piæ quædam exercitationes sibi cum reliquis sororibus communes, ut Christo morienti, ejusque Matri commorienti condolerent, quod Annæ Julianæ potissimùm in votis erat, quæ Christi Domini præclaras virtutes, gesta admiranda, intolerabiles dolores, necnon acerbissimã B. Virginis Passionem jugiter mente versabat, pro viribus imitari studebat, nullâ penitus id exactè præstandi occasione omissâ, quem profectò sensum instillare Sororibus passim nitebatur, utpotè Ordinis nostri Instituto, præcipuæque vocationi maximè consentaneum. Has autem exercitationes, utpotè supremas longè majori animi sui gaudio obibat, tanquam cœlestis olor, qui proximè moriturus, longè suaviùs canere fertur, socia deinceps æternum brevî futura consolationis, quæ tandiù fuerat socia Passionum.

Tres piæ exercitationes ab ipsâ compositæ expĕduntur.

Exercitationum istarum altera quædam fuit supplicatio in utroque Monialium Cœnobio instituta, in quas singulæ Sorores gravissimam humeris Crucem onustæ, horridam præ spinis, capite coronam, & pendulum è collo, ipsique circumligatum nodosum funem gestantes, nudisque pedibus, longâ quidem serie per Monasterii vias incedentes Psalmum *Miserere mei Deus*, aliasque pias ad Christi mortem, ejusque Matris Dolores aptissimas preces, ab ipâ Dominicâ Palmarum ad feriam 6. usque in Parasceve quotidie concinebant. Eo in opere, ac pondere, cùm Anna Juliana viribus impar reliquas Sorores assequi non posset, quantumlibet conaretur, conandoque graviter prolapsa non vulgarem Sororibus metum incussisset, ac infirmitatis suæ repulsa mirum in modum afflicta, ingenioso Divini, quo flagrabat, amoris genio, reperit inspirante Deiparâ, ad quam de more supplex confugerat, quo defectum illum compensaret, magni nimirùm ponderis catenam collo, lacertis, totique corpori circumdabat; nuda verò pedes reliquarum ad instar à robustâ Sorore valido fune post lugubrem illam pompam pertrahebatur tanto spiritûs fervore, pœnam hanc subiens, ut nemo sine lachrymis illam spectare potuerit, quæ sanè præ cæteris videbatur vivum Christi Domini huc, & illuc per Hierosolymam ab uno ad aliud Tribunal inhumaniter tracti simulacrum. Sed & illud specialiter memorandum est, quòd catenæ hujus pondus pondere Crucis superius erat, & tamen illud ab eâ nullo penè negotio gestari potuerat, quę Cruci succubuerat leviori. Quod sicuti diligentiùs expendi Annę Julianę humilitas vetuit, ita nil vetat, imò plura suadent in eâ nos esse sententiâ, quod Catenâ illâ Ignoti mortalibus ponderis unita magis Deo foret, ac proinde nonnisi divinitùs ponderi illi ferendo par esset, quę cęteroqui de hac re Confessarium ipsum consulens stupebat, prę magno sui contemptu vires suas altiùs rimari prohibita. Altera verò exercitatio haud imparis efficacię ad imprimendam, & exprimendam eorum omnium, quæ in Christi Domini Passione contigerant, atrocitatem, hæc erat. Ipsâ die Feriæ 6. in Parasceve primâ exercitatione completâ supplicationem aliam obeunt vesperi eædem Sorores, in quâ iterum nudi pedes, & tormentorum Christi Domini arma deferentes, ubi dolentem Dei Matrem in Statuâ quadam pullo habitu indutâ vividè expressam in peramplo cubili repositam trinæ, & trinæ adiere, postquam in Templo celebrata more Catholico sunt Christi patientis mysteria, magnâ ibidem illam Religione venerantur, Serenissimæ Fundatricis exemplo sese humi fundentes, spineam Statuæ capiti coronam imponentes, hoc doloris insigne uberrima lachrymarum vi prosequutæ.

Deinceps verò statis temporibus trinæ semper alternatim advenientes ratione mox expresâ Dominam suam in Filij morte dolentem venerabundæ prosequuntur; hoc autem ordine ad eam usque horam procedunt, qua redivivi Christi triumphus solemni, lætâque alleluia decantatione promulgatur. Tum verò rursus longo ordine ad eandem Statuam instituitur Sororum omnium Processio, quæ Matri Virgini gratulatæ post ignominias, & calamitates Filij infinitam gloriam, aditosque divinos honores, plausum illum concinunt ab Angelis excogitatum: *Regina Cœli lætare*, *&c.* Cæterùm quantopere Deiparam delectaret hæc repræsentatio, quam hodieque quot annis obeunt Sorores, inde clarissimè patet, quòd ipsum cubile tantâ semel luce ardere visum est, ut Cœlum ipsum Beatorum videri potuerit, quinimmo Deipara ipsa supplicantium Sororum vestigia premere visa fuit à Serenissimâ Principe nostrâ, eo prorsus pacto, quò in supplicatione primæ Dominicæ cujuslibet Mensis contigisse superiùs dictum est. Itaque Religiosissimam hanc consuetudinem Deo, ac Deiparæ adeò acceptam Sororibus passim Serenissima Mater commendabat, publicè proinde, ac privatim, quoad vixit in terris, monere non cessans unumquemque Filiorum, & Filiarum suarum officij sui. Quippe quæ regularem Disciplinam invariato tenore in ipsis perpetuò conservandam, quin potiùs adaugendam maximoperè affectabat; quod proinde ipsis passim insinuans dicere non verebatur, se pro virili Deum, ac Deiparam urgere paratam esse, ut pœnas de Filijs, ac Filiabus illis per

seipsam

seipsam quoque severissimè sumerent, quoties ex illis alter à regulari disciplinâ deficeret, spe maxima conceptâ, quòd ejus votis adessent; hæc verò præsertim monita eorum mentibus arctissimè adhærere contendebat. Primò, ut quàm exactissimè cultui Divino cooperarentur, & in eo ritè adornando summam studiorum suorum sitam esse procul dubio ipsi sibi suaderent; secundò, ne ab inceœpto vitæ rigore, & Religiosæ Disciplinæ integritate quibuscunque vel illicijs, vel violentijs lacessiti recederent, neve in ijs nisi justo Majorum imperio jota unum, vel apicem præterirent; tertiò, ut Dei præsentis, & omnia intuentis memoriam, ac Deiparæ, & Angeli Tutelaris ipsis semper incumbentium oculos vigilantissimè ita colerent, ut nihil unquam sibi licere, sive clam, sive palam, existimarent, quod tantæ Majestatis oculos, vel minimùm offenderet; quartò, Antistites suos non tanquam meros homines colerent, sed augustiùs tanquam ipsum Dominum, vel Dominam ipsam Mariam haberent, vererentur, observarent; quintò, ne unquam Proximorum dicta, vel facta in disquisitionem, censuramque vocarent, vel sinistrâ interpretatione eadem exciperent, multominus leves eorum errores mutui sermonis argumentum facerent, longè verò minùs eosdem Proximos, sive absentes, sive præsentes, ac si ipsimet essent, aculeatis verbis perstringerent; sextò, ne clandestina colloquia, neve alia contra præscriptum obedientiæ, remotis arbitris instituere auderent, quin ejus publicè ubi opus, & usus fuerit, ipsimet delatores sui essent, qui fuissent transgressores. Denique ut memores ad quid venerint quotidianis virtutum incrementis intenti satagerent, ut per bona opera certam sui facerent vocationem, & electionem.

Ejus pia monita pro Fratribus, & Sororibus.

Itaque eò perfectionis profecta erat Annæ Julianæ virtus coronis, & præmijs ferè omninò matura, quapropter cum Deo maximè accepta foret pijssima Mater, necesse fuit, ut eam tentatio probaret, quod quidem invido humani generis hosti haud mediocriter erat in votis, satis jam assequuto Divinum cultum nostræ Principis operâ mirum in modum fore semper augendum, hinc adversus eandem æquè ac olim adversus celebrem Jobum copiam à Deo impetrasse videtur illam, tàm carne, quàm spiritu varijs, dirisque modis excruciandi, & à perfectione virtutis deturbandi. Primùm ergo inmaturâ, nec ullatenus prævisâ Consanguineorum decedentium jacturâ impetita Juliana Eleonoræ Medices inprimis Fratris Mantuæ Ducis Uxoris, quàm Sororis ad instar diligebat, quæ ideo potissimùm Principi nostræ acerbissima fuit, quòd Serenissimum Fratrem in statu viduitatis in gravi periculo versaturum prævidebat. Jacturæ huic non diù post Nuncius accedit certiorem ipsam faciens de Vincentij Fratris Ducis Mantuæ morte, qui graviter ipsam commovit, quòd eam minimè lateret, quidnam
A
discriminis adhuc impuberes Filij exinde subirent. Vix funeris hujus lachrymas detersera Juliana, cùm Francisci Nepotis in Mantuæ, & Montisferrati Ducem paulò ante inaugurati, ejusque Filioli Infantis, qui ipsi præiverat, repentinus obitus nunciatur, ex quò Principi nostræ gravior inde quoque dolor accessit, quòd paulò post Sabaudiæ Dux atrox bellum indixit alteri Nepoti Ferdinando in Ducatu Mantuę successori, in quo diuturno, ac turbulento motu adeò longè à partium studijs stetit, ut divinas offensas potiùs occasione belli frequentiores, quàm labantis Domûs suę pericula deploraret, ac solùm jugiter Dei clementiam exoraret, ut pacem rebus daret, quod revera brevi impetra-
B
vit. Verùm vix obductis superioribus vulnerum cicatricibus alterum inflictum est vulnus, morte nimirùm Margaritæ Sororis Ducissæ Ferrariæ, quę utpote non sanguine magis, quàm similitudine morum, ac vitę sanctitate coniunctissima, ipsam eò vehementiori dolore affecit, quò evidentiùs norat, quodnam Serenissimę Domûs Gonzagę columen in Margaritâ cecidisset, quę dum viveret, eximiâ prudentiâ suâ, & pietatis apud Deum auctoritate illam validissimè fulciebat. Sequitur deinde inopina mors, & immatura Annę Filię Imperatricis, quę cùm primùm innotuit, Confessarius, & Domûs regularis Sorores, cùm vererentur, nec immeritò, ne maternum aliquid passa Anna Juliana, ac naturę succumbens, magnum aliquod deliquium, vitęque
C
discrimen adiret, statuerunt unà simul omnes ipsam convenire, remque illi significare, ut collatâ operâ, prout opus foret, illi erigendę adessent. Confessarius verbis aptè dispositis Annę Julianę annunciat Filiam Imperatricem Annam benè valere, ac vivere, sed apud Deum in Cœlis, cęterùm è terris decessisse. Divinus amor in Principe nostrâ hoc accepto Nuncio naturalem dolorem, fœmineam imbecillitatè heroicum Jobi exemplum antevertit; assequuta proinde Divinæ mentis consilium, sui constantiam, tanquam aurum igne probantis, humi se placidè primùm fundens, deinde surgens, erectis in Cœlum ore, & oculis, sed genuflexa Filiam Deo sponte in holocaustum consecravit, nisi veriùs dixe-
D
rim, amorem in Filiam Divini amoris igne absumptum, Deo ipsi consecravit, hęc dicens: *Deus, ac Domine omnipotens, cuius nutu omnia reguntur, Filiam tu mihi dedisti, Tu mihi abstulisti, quod tuum erat accepisti, Providentiæ tuæ visum hoc est expediens, facta est, & fiat semper adoranda voluntas tua, Dominus dedit, hoc passim repetere libet, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*: Hęc illa tam alto, atque erecto animo undequaque inmota, ut Confessarium, sororesque, qui prestò futuri, ut ipsam solarentur, advenerant, in stuporem tantę virtutis, & simul in dolorem tantę ja-

Mira in tentationibus perferēdis fortitudo.

ctuię,

ﬆure, & lachrymas acti . opus fuerit, ut ipsos Anna Juliana erigeret, ac solaretur, ex quò facile cuivis erit æstimare, quantâ animi æquabilitate reliquorum Domesticorum tulerit jacturam.

Graves utique hactenus inflictæ nostræ Principis cordi fuur plagæ, verùm longè adhuc graviores ipsas excepere, ut & insatiabilis mali Dœmonis rabies, & invicta Annæ Julianæ toleranti . præclara simul sui specimina exhiberent. Ille quidem invidiæ, & doloris œstro percitus, quòd se ubique fractum, ac profligatum à Fœminâ videret, novo præliandi genere eam rursus impetere à Deo, quasi irridens, quod olim contra Jobum poposcit: *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro animâ suâ*. His planè nunc memoratis calamitatibus vix exactis, illicò corpus ipsius varijs morbis invasit, qui ipsum undequaque occupantes diù miserrimè habuerunt, quin etiam de summis gradibus ipsam ita debilitatam mali Dœmones aliàs per scalas in præceps agebant, ut cutis in cruribus omnino fuerit abrasa, quo tamen vulnere divinitùs potiùs sanata majori spiritûs fervore inde vegetior surrexerit; aliàs ex alijs locis eâ violentiâ, ac totius corporis conquassatione protrudebant, ut diu nusquam se commovere posset, & semianimis jaceret; instaurato tamen spiritu malis Dœmonibus eorum imbecillitatem exprobrabat, D. Antonij exemplo ipsis objectâ Christi, Christiparæ, & Tutelaris Angeli virtute, idque spiritu, ac fortitudine æquè eximiâ præstabat, ac eximiâ patientiâ. Ea demum magis semper, ac magis actus in rabiem persequitur nequissimus Dæmon, quæ Annæ Julianæ in delicijs erant; Cœnobium nostrum in primis, & Ecclesiam S. Josephi, quod rebus omnibus instructum, ac non modò absolutum, sed etiam ornatum suis partibus, ac supellectile surrexerat, ac steterat anno 1620. pridie idus Aprilis sexaginta aureorum millibus insumptis, cum parata essent omnia, & in Templo postridie Serenissimi Fundatrix, & Archidux Leopoldus rei Divinæ interessent, & in Triclinio ad dedicandum novum Cœnobium celebri prandio præessent, cùm de repente octavâ circiter noctis horâ Dominicam Palmarum præcedentis in contiguâ nobis Domo excitatus primò ignis, sive hominum incuriâ, sive Dæmonum invidentiâ, incompertum, flammam illicò diffudit, quæ penè momento Templum nostrum depasta Cœnobio incubuit, ac per utriusque penetralia aliquandiu grassata, ac deinceps erumpens per viciniam, cum suburbij, vel Urbis ipsius præsentissimo discrimine, sese quoquoversum propagare, & supremi excidij vastitatem minari cœpit, brevique Cœnobium, Templum, aliquot Palatia, Domosque vicinas, remotasque solo æquavit, spectante ipsâ Fundatrice è Domûs regularis fastigio, idemque discrimen reliquis duobus suis Cœnobijs imminere verita, quòd flammæ incredibili furore per aerem sese spargentes,

E vix per tercentum passus ab ijsdem distarent, stragem eandem procul dubio illaturæ, nisi Deiparæ tutela, ac patrocinium, quò Serenissima, & Sanctimoniales ardentibus precibus confugerant, imminens incendium avertisset. Itaque Cœnobio, & Ecclesia ita in cinerem redactis Familiam tum nostram carpentis advectam suis, quòd omnes Urbis Vici, & plateæ derivatione aquarum adversus publicum incendium essent inundatæ, Serenissima Fundatrix ad se accersivit, ut copiam illi quiescendi suppeditaret. Ad hoc miserabile spectaculum indoluit quidem nonnihil pijssima Princeps suæ, suorumque sorti, quæ illos ab eo discrimine vindicandi se minimè parem fuisse cognoverat; Oratione tamen summo studio præmissâ spe generosâ conce-

F ptâ nunquam sibi non constans Heroina nostra Servitis ob hanc rem in altissimo mœrore jacentibus magno fuit solatio ijsdem pollicita, se nimirum, si à Deo sibi vita suppetat, Templum, atque Cœnobium priore longè augustius ad Majorem Dei Gloriam, majoremque Dæmonis confusionem condituram; Dei morem esse subdens præ suâ omnipotentiâ bona ex malis elicere, sibique, non verò nobis, Cœnobium à cineribus ipsis longè magnificentius excitandum incumbere. Interim statuit, ut ruri agamus, prout reverà egimus, in amænissimo ejus Palatio Grieneggio dicto, quoad novi Templi, Cœnobijque moles extructa resurgeret, quod vertente anno effe-

G ctum est; ita quidem ut seu facienda in Templo Sacra, seù nostri ex Grieneggio in Cœnobium reducendi forent, satis ampla ad utrunque commoditas suppeteret, nullis opibus, aut industrijs parcente Conditrice, quæ interim redivivo Cœnobio paulatim assurgente nos illinc extorres Filios suos invisere frequenter, ac solari dignabatur. Intereà quoque non destitit humani generis hostis adhuc alia moliri Annæ Julianæ vehementer torquendæ aptissima, quique è superiori incendio nil adversus ipsam profecisse cognoverat, iterum aliud excogitavit. Eodem anno 1620. Soror quædam nomine Maria de gradu Oblatarum (dicebantur Oblatæ Sorores hujusmodi, quòd primum Deo, ac Dei-

H paræ Oblatæ sese offerant domesticis Tertij Ordinis Sororum obsequiis) in valetudinario decumbens adeò viribus destituta erat, & invalida, ut non modò nusquam incedere, sed ne commovere se quidem satis posset. Huic ergo penè semianimi vox hæc imperiosa auribus innnuit: *Maria è lecto surge, Domesticum adi Sacellum*. Illa anceps animi, an deliraret, vel semisopitæ quis illuderet, nihil respondit. Cùm verò iterum, & quidem expressiùs eadem vox intonuisset: *Quæso Te*, inquit, *Maria, quomodo possum viribus fracta!* sed tertiò vox: *Properè sacellum adi, prout tibi datum fuerit*: Tum Soror imperium cœlestem non ausa pluribus detrectare, ad sacel-

lum

Eximia ejus patientia intolerandis infirmitatibus.

Cœnobiũ S. Joseph incendio consumitur.

Cœnobiũ & Eccl. magnificentius reædificantur.

Iguis domesticum Sacellū cōsumens miro modo extinguitur, nullo incendij relicto vestigio.

lum repit, cùm incedere non posset, quò cum ægerrimè pervenisset, è tribus inibi positis Aris summo sui honore mediam, eamque majorem luculenter vidit ardere; illud incendiū planè seipsâ fortior omni conatu reprimere studuit, clarissimâ Dei virtute, qui Sororem hanc operi illi feliciter præstando, utique imparem adhibens, infirma mundi eligere, ad fortia quæque confundenda sibi solemne esse ostendit. Cessavit ergo incendium, non cessarunt tamen eò statim accurrentes Anna Juliana, & reliquæ Sorores plurimas Deo, ac Deiparæ gratias referre, quòd incendium adeò mirabiliter averterint non tantùm à præfato sacello, verùm etiam ab utroque Cœnobio, & à totâ quoque Oenipontanâ Civitate; quemadmodum verò compertissimum cuique fuit nonnisi divinitùs in hoc discrimine evadendo accessisse præsidium, ita nonnisi Dæmonis operâ excitatum incendium fuisse deprehendere Sorores, & miraculi, & periculi evidentiâ attonitæ, singula diligentissimè rimatæ nullum vestigium repererunt originis ejusdem incendij. Quę quidem omnia cùm sedulò meditaretur Anna Juliana, tantamque in Filios suos, & Filias Dei, ac Deiparæ curam obviam haberet, mirâ perfundebatur voluptate eximiam concipiens fiduciam, quòd nunquam adversis quibusque obruendi sint, vel subsidijs destituendi sibi suoque statui necessarijs, si tamen ij, eæque fuerint, qui, quæque in excolendis virtutibus esse debeant, & in eo tenore perseverarint, etiamsi nonnisi meris miraculis sint protegendi. Cujus promissi certa fides stetit, siquidem ejusmodi incendia, vel fortuitò excitata, vel graviùs neglecta ulteriùs serpere, & vim suam exerere è Cœlo prohibita deinceps etiam fuere, sæpius enim à morte optimę Fundatricis ea Cœlitum cura magno omnium stupore eluxit. In primis enim Sorore quadam obdormiscente ardens Cerei glomus inter lecti spondam, & ligneum parietem prolapsus, cùm pluribus in locis materiam proximam accendisset, flammâ tandem ubique nonnisi divinitùs deletâ, glomus ille albâ, eâque integrâ, contectus sindone fuit humi inventus. Præterea cùm Sacrarium novæ Ecclesię adiacens sacrâ supellectile pro dedicatione instruendum foret, Soror Æditua accensę illic candelę oblita penitus fuit. Postridie verò eò repetens Sacrarium fumo obsitum vidit, fumi verò causâ propiùs inspectâ, candelam jampridem extinctam, sed eo usque absumptam reperit, ut & illam cadere, & omnia concremare necessarium foret, pręclaro utique servatę Domûs prodigio, & Deiparę protegentis argumento, cui æquè debetur depulsum à Sacris nostris ædibus ingens illud incendium, quo totum Arcbiducale Palatium Ruelustianum. Octodecim, ut ajunt, pulveris nitrati centenarijs ignem concipientibus, & quaquaversum dispertientibus conflagravit, tametsi utriusque Cœnobij ędificium Palatio proxi-

Alia incendia divinitùs extincta.

mè inhereret; ex quo eximia profectò Dei,
A atque Deiparę super has Ædes protectio, luculenter colligi non sine admiratione debet.

Præfata ergo Divinæ beneficentiæ, specialisque erga se, & suos curæ argumenta Serenissima Fundatrix expendens, ingentes quidem unà cum suis Deo, ejusque Matri Sanctissimæ gratias referebat. His tamen nondum satis contenta alia adhuc longè majora meditabatur molimina, ut gratos animi sui consensus palam omnibus contestaretur, ita quidem, ut Divina Beneficia sibi, suisque collata Divini amoris ignem jampridem interius conceptum foverent, augerent, & ad altiora capessenda proveherent. Itaque tametsi ægritudinum, quas anteà subierat, reliquiæ, & rerum Divinarum patientia, prout loqui-
B tur Dionysius Areopagita, quæ non mediocriter humanam subruit naturam, vires ejus ita prostravissent, ut se macerare, atque cruciare juxta morem ab ineunte ætate receptum non posset, quia præsertim utebatur, ut alibi diximus, indignum olim rata sub illâ veste, quæ sibi gerenda erat, sicut & reliquis Sororibus in memoriam suppliciorum Christi Domini, ejusque Matris Filio condolentis, sine dolore, ac pœnâ vivere, cùm aliquando oratiunculam illam officio D. Virginis apponendam: *Passio Domini nostri, &c.*, prout superiùs est dictum, recitaret, animum jugiter Dei subibat, Christum Jesum, ejusque Matrem Virginem suppliciter iterum orare, ut ex quo facere fortia nequeat, pati saltem permittant,
C imitarique materiem aliquam dolendi, quâ utrisque obsequi saltem liceat, si dolorum socia esse non possit. Hoc autem eo animi ardore petebat, ut voti compos magis adhuc evaserit. Itaque cui jampridem capite nudo ad pedes usque satis illi, vel abundè fecit Christus, caput enim jampridem dolore affecerat acutissimo, qui eam diù, noctuque inclementer habebat, ut alibi dictum est; illa verò dolorem hunc, non in suo, quamvis aliàs suo, sed in capite suo Christo spinis coronato, sentiebat, eumque compatiendo magis, quàm patiendo, ferebat. Modò verò reliquum corpus, ea morbi vis invasit, ut ei succumbere necesse fuisset, si infirmitas illa ad mortem, non ad gloriam Dei cessisset,
D quam planè mirum in modum promovit, quia magno, fortique animo incommoda subiens præclara Divinæ gratię argumenta exhibebat; accessit autem ad Julianam ab hac infirmitate vindicandam jugis Fratrum, Sororumque suarum apud Deum oratio, quibus Julianæ jactura nimis gravis videbatur. Etsi verò discrimen hoc evaserit Anna, ipsa tamen longè fortior, hoc etiam à Deo assequuta fuit, ut ægritudinis vice tantus ejus dorso successerit dolor, ut præ sui acerbitate, & vi facultas omnis sese movendi ei adimeretur, hærendumque semper immobiliter fuerit sub exquisitis omnium, ac singulorum artuum, doloribus. Ipsa verò semper eadem dolores

Petit iterum fieri sociā Dolorum Christi, ac ejus Virginis Matris, & exauditur.

istos

istos non in suo, sed in Christi sui corpore sentiebat, & deplorabat. Cùm enim dorsum E dissiliret, mentem ejus subibat unà cum Christo flagella ad columnam subire; successit etiam intercalaribus punctionibus cordis angor, quibus veluti jaculis identidem fodicabatur, & quidem molestissimè; cùm autem maximè torqueretur, sui oblita, sed Christi sui memor, triumque sagittarum, quibus Divinum ejus cor, dum nobiscum in terris ageret, configebatur; quarum primam suisse meditabatur, aspectum tot hominum læsæ Majestatis apud Patrem suum reorum; alteram fuisse memoriam acerbissimæ mortis, sibique imminentium suppliciorum perpetuò vigentem; tertiam denique prævisam humani generis ingratitudinem, animi vitium, quo inæstimabile sui sanguinis pretium paucis tantùm redemptioni futurum erat. Ad hanc rem formulam quandam, quam in ejus Commentariolis invenere domestici, adhibebat, quâ Christi cor ita confixum salutare consueverat: *Salve purissimum cor Domini mei Jesu Christi pro me tribus sagittis vulneratum, vulnera hanc animam meam jaculo tui Divini amoris, ut dicat sibi: jaculo tui amoris vulnerata sum:* Pari prorsus modo gravissimo laterum dolori medebatur, memoria videlicet transfixi in Cruce lateris Christi, dolorisque, quem Sanctissima ejus Mater ad illud spectaculum subiit. Dolores etiam pectoris contemplatione doloris levabat, quem ipsa Dei Mater apud Jesu Crucem stans passa fuerat; pedes etiam sic affecto corpori adeò congruentes erant, ut G species cujusque mali ipsis incumbere videretur; hæc autem, & alia quæcunque totius corporis incommoda hilari semper animo patiebatur, se longè beatiorem fore prædicans, si Christo Cruci confixa mortem in Cruce potuisset obire, de hoc semper tantùm solicita, quod nihil esset quodcunque sui corporis incommodum incommodis Christi collatum. Hinc jucundo semper aspectu omnia, quæ viribus integrè præstabant, & ipsa præstabat, dissimulato dolore, quæ tamen adeò flocci faciebat, ut quereretur subinde unà cum Confessario, & alijs, se tanquam pondus inutile humi jacere aliarum Sororum in orationis, & mortificationis studium ardenter incumbentium obsequij abuti, omnibus gravem esse, quòd si Sorores ipsius misererentur, singulari earum charitati tribuendum; cæterùm propter inertiam suam, quâ malo ijsdem præibat exemplo, nonnisi gravem revera esse.

In doloribus perferēdis patientia, & humilitas eximia.

Hæc querelarum ejus summa, quippe quæ arbitrabatur se inertem indignè cessare, tum cùm vel maximè eò fortiùs operaretur spiritu præfatos passa præ Dei amore juxta votum dolores, quò in dies evadebat corpore infirmior. Ejus rei præclarum extitit specimen, quòd cum usu fraudata fuisset oculorum, qui à deciduâ distillatione sic erant affecti, ut nec lucis, nec actis motum sustinere valeret; ac proinde legendo par non esset, Rosaria, aliasque corollas in usum rudium ab Ecclesiâ Catholica legendis precum libris substituta, excogitavit, & quidem varia quæque multis deinceps, tum legere nescientibus, tum etiam scientibus prosunt, vitæ, ac passionis Christi Domini, Sanctissimæ ejus Matris, aliorumque Sanctorum Tutelarium mysterijs, & gestis distincta, quæ sicuti granis constabant majusculis, medijs, ac minusculis, ijsque versicoloribus eorum usui, qui quoquomodo viderent, ita vicem libri subibant, spectatim verò in honorem privilegiorum excellentium Beatæ Virginis unum, alterum verò D. Josephi, adhuc alterum Angeli Tutelaris, ac denique alterum pro Defunctis. Itaque postquam reliqua cum Jobo æquanimiter tulerat, F cæcitatem quoque quamlibentissimè tulit more suo dictitans, se jam oculis velatam unà cum Sponso suo Judæorum sannis, & contumelijs subijciendam; adeò verum est nihil ipsi unquam adversi, vel gravis evenire posse, quin statim eo similem se Christo patienti gloriaretur, amoris eximij, quò in Deum ardebat, urgente vi, ejusque dolores mitigante.

Oculorū lumine destituta varias pias preces excogitat.

Amorem hunc in Deum pari gradu comitabatur planè ingeniosa in Proximos quæcunque charitas; nam propter ea, quæ superius relata sunt, compertum quoque nobis est ex eorum juratâ fide, qui ad secretiora animi penetralia ab ipsâ tanquam arbitri admissi fuere, quod nunquam distulerit veniam iniurijs etiam gravibus sibi illatis, quòd nunquam pariter ulli obloquuta fuerit, quin etiam si fortè obloquentes audiret, ipsa incunctanter eorum, quibus obloquebantur, Patronam ageret, quantumlibet mala videretur causa, nisi tam impia foret, ut illæsâ justitiâ minimè posset defendi, ac ne tum quidem invehi contra ipsos pateretur, quàm, ut diceret, Deum orandum pro eorum emendatione, & eò majori studio id faciendum esse addebat; quò propensiùs ipsi vergerent in malum, Deo morem gerendo, qui diuturnâ, & omninò Divinâ conniventiâ nos ad pœnitendum moratur. Prætereà opera quæcunque sua apud Deum meritoria, jejuniorum, orationum, flagellationum, aliorumque hisce similium, H trifariam dividebat, itaut partem unam illorum propriæ saluti, saluti proximorum viventium alteram; tertiam denique laborantibus in Purgatorio addiceret. Ejus autem charitas eò adhuc urgebat, ut non modò per se, verùm etiam per suas Filias, has, & hisce similes industrias levandis Proximi peccatis adhibendas esse curaret, quas inter memoranda planè est consuetudo illa apud Sorores instituta, quòd scilicet quotannis Bacchanalium triduo, quo sibi jucundum, & laudabile homines ducunt omni licentiæ genere insanire, per singulas horas trium illorum dierum trinæ ex Sororibus vicissim orationi vacarent ad avertendam Divinam in ejus temporis scelera

Charitas in Proximum.

Exercitia pro Bacchanalium tempore instituta

scelera indignationem, quarum una nudis innixa genibus ter Coronam annorum Deiparæ A recitare, juxta tres Christi Domini familiares labores, nempe, jeiunij, peregrinationum ultrò, citròque, & passim concionandi, salutariter quidem, sed gravibus inimicorum infectationibus, triplicem veluti murum iræ Dei opponeret; altera centies orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem recitaret deosculatâ ad singulas humo, & orationem Christi in Monte olivarum, ejusque agonem in horto Getsemani, & sanguineum sudorem ad eandem iram arcendam, simul meditaretur. Tertia denique horrido cooperta cilicio triginta Psalmos Davidicos ad Passionem Christi Domini proximè spectantes recitaret, & ejusdem lachrymarum, sanguinisque virtute aliquod adesset remedium illi- B citis ejus temporis voluptatibus. Intenta semper Juliana è medio tollendis quibuslibet io Deum offensis præ ardentissimo, quo in eum flagrabat, amore, præter hactenus relata, Sororibus suis animadvertendum quotidie serlò proponebat, quàm expediret internam colere munditiem, & conscientiæ discussionem singulis horis districtè inire, ut eâ ratione faciliùs, seu Confessario, seu Matri spirituali pro cujuslibet erroris conditione rationem reddere possent, seque deinceps emendare; hinc granula quædam filo connexa gestare secum solebat, è quorum collectione numerus defectuum sibi constaret, quam consuetudinem revera utilissimam indesinenter ad mortem usque ab ipsâ servatam fuisse C Confessarius ipse restabatur per decem, & octo annos, quibus sacras ejus confessiones excepit; expendendam etiam proponebat Angeli Tutelaris præsentiam quolibet nostra opera diligenter advertentis, ut si meritoria fuerint, lo extremo judicio cumulatè rependerentur.

Alia pro Sororib. pia monita.

Hæc, & alia molieri forti propria facientem Annam Julianam debitus in Cœlo expectabat triumphus; ipsa quoque dissolvi cupiens, & esse cum Christo, mortem appetebat, eamque Deus miris nonnullis eventibus ipsi portendere visus est, ut quæ de suâ spe, & operatione secura erat proximum sine mortis imminere tempus prospiciens, de gloriâ retributionis hilaresceret. Sanctimonialis D quædam in Domo Claustrali nomine *Maria Humilitas*, cui res ipsa ex æquo respondebat, ob eximiam virtutum omnium, præsertim verò obedientiæ præstantiam, cùm animam ageret, quòd loquendi facultate destituta tunc foret, fixis immobiliter in Annam Julianam oculis, longè meliùs, quàm vocibus, significabat, se absque benedictione benè precantis ipsius Julianæ obire non velle; satisfecit illa, ac dum à Sororibus cum Fundatrice recitabatur Planctus Virginis; *Stabat Mater dolorosa*; & ad ejus versiculum devenerant, *quando corpus morietur, fac ut animæ donetur Paradisi gloria*; quasi placidè obdormiscens immutato totius oris colore ad hilaritatem composito purissimam Deo reddidit animam. Cùm autem ejus cadaver in domesticum Sacellum delatum, ac per triduum expositum fuisset (ubi miram odoris suavitatem exhalavit, donec sepulcrum instrueretur) binis per vices Sororibus ad id pervigilantibus, accidit, ut tintinnabulum, quo signum ad elevationem in Missâ dari solet, in aræ crepidine positum, sponte & elevaretur in sublime, & sonum ederet valde sensibilem; quod præsentes Sorores ad Priorissam detulere, illa verò ad Annam Julianam, ab istâ verò vocatus Confessarius, ac quid rei significaret ostentum illud interrogatus, vero proximum esse respondit à defunctâ Sorore è superstitibus alteram ad Cœlum eodem anno invitari. *An ego illa!* inquit Juliana, *sim sanè, si ita Deo libeat*. Tum Confessarius: *Atqui nondum sexagesimus tertius agitur annus*, hoc inde subinferebat, quòd Deipara in VValdrast Julianæ promiserat ante sexagesimum tertium non morituram, ac si de annis ætatis Julianæ intelligi voluisset. *Maximè incertum*, ad hæc Juliana, *mihi videtur, numerum illum ad vitæ meæ annos pertinere*, quemadmodum revera non pertinuit, sed ad numerum spiritualium Fillorum, quos ipsa Deo fuerat paritura, quorum de facto ipsâ obeunte sexaginta tres Filij partim, partim Filiæ extitere, scilicet viginti septem sorores in Domo regulari, in Domo Claustrali 21., & 15. Fratres in Conventu Sancti Josephi. Denique Confessarius: *Me prius*, inquit, *seniorem decedere convenit*; rursus autem Juliana, & quidem asseveranter, *nequid ulterius adijcias*, inquit, *tanquam ratum habeto, me utique præcessuram, teque mihi suprema obiturum officia*, eaque coniectura vicinam Julianæ mortem præsagivit. Haud paulò obscuriùs imminentem Principis nostræ mortem portendisse videtur, quod eodem anno 1621. contigit in Dormitorio Domûs Regularis. Mortis effigiem pingendam curaverat Anna Juliana, & in loco maximè conspicuo, quâ sibi semper transeundum erat, ibidem statuerat, illac verò aliquando Julianam comitatos Confessarius, eam effigiem sibi malum omen portendere videri dicebat, cui illa: *Putasne Pater me brevi morituram? sine Deum agere, satis, superque vixi*. Accessit ad ingruentis eius decessûs evidentiam, quòd aliquot mensibus ante ejus mortem Confessarium illius conclave ingressum gravis quidam veluti Cadaveris plures dies expositi afflaverit odor, quâ de re Sororem primùm, quæ Annæ Julianæ ab obsequiis erat, interrogavit, quid sibi id odoris vellet, cùm nullum inibi appareret cadaver, ad quæ cùm Soror reponeret, se nihil odoris hujus percipere, ratus ille naribus suis auram illusisse, ulteriorem omisit indagationem, sed cùm secundò, ac tertiò eundem sentiret odorem, Fundatricem ipsam de eodem interrogavit, quæ pariter quidquam hujusmodi subolere nega-

Proximæ mortis varia præsagia.

negavit. Cæterùm si Confessario secus videatur, & pluries idem fuerit expertus, procuidubio non casu id fieri, sed imminens suum funus præsagire, quam sanè ejus sententiam confirmabant labantes sensim vires, & frequentiùs habita de morte sermocinatio. Prætereà Religioso cuidam Sanctitatis opinione celebri in contemplatione rerum Divinarum versanti 8. Kalendas Aprilis 1621., qui dies Annunciationi Virginis Matris sacer est, revelata fuit Annæ Julianæ mors juxta Dei decretum eodem anno futura, qui rem hanc Confessario deinde communicavit. Denique præ cæteris privilegijs Templo illi concessis, quod in honorem Deiparæ Serenissima extruxerat, hoc unum erat, aliquot etiam experimentis, Virginibus præsertim claustralibus, & ipsi Confessario compertum, quòd scilicet, quoties aliquis ex Austriacâ Domo è vivis abiturus erat, tumultuarius fragor, veluti ruentis cujusdam aræ, vel paris machinæ nocturno tempore exaudiretur, quod sanè suis temporibus advertére ante decessum Augusti Mathiæ, & Augustæ Coniugis Annæ, aliorum'que ex eadem Augustâ Familiâ utriusque sexûs Principum. Qui fragor cùm & hoc anno 1621. adeò increbuisset, ut non modò Sorores, sed etiam Confessarius ipse, qui in Domo contiguâ Templo degebat, cum horrore perceperint, visum est Confessario fragorem hunc, & vaticinium quoddam mox recensitum, Julianæ ipsi indicare, quod cùm præstitisset, illa nedum territa non fuit, quin potiùs cum annoso Simeone Christum gerente, mirificè sibi gratulata exultavit, dixit'que se præsto esse, ubi suus Christus venisset, ideo'que ad Confessarium versa: *Age Pater*, inquit, *reliquum est, ut nos in occursum Sponsi, ejus'que sanctissimæ Matris comparemus, ex quo tam evidenter invitamur: cæterùm quæ se parum instructam cerneret meritis, & ornamentis sponsarum, de benignitate Divinâ, supplementa quæcunque sibi pollicebatur.*

Itaque cùm hæc ita se haberent, 26. die Julij, quæ D. Annæ sacra est, & Fundatrici nostræ solemnis semper fuit, sacrâ Eucharistiâ unà cum suis Filiabus magno spiritûs ardore, pro instituto refecta, in privatum sacelium de more cum Christo, cum Virgine Matre, cum Annâ sui cordis affectus collatura sese recepit. Annâ Julianâ duas horas ea tenuit negotiatio, quibus elapsis quidam languor sopori similis omnes ejus artus insedit, quem illa sequuturi morbi indicium haud dubiè esse intelligens, vocato ad se Confessario, *Invitor*, ait, *Pater à D. Annâ ad communem ipsi beatitudinem*, nec multò post ingravescenti morbo succumbens lecto decubuit; proximè sequenti die graviori affecta fuit febri, quæ omnem prorsus somni, cibi'que appetentiam ademit, quæ planè haud obscura nuncia mortis evasit, neque hoc latuit Reparatricem ipsam, quæ asseveranter dixerat, statim ac decubuerat, vivam se exinde non ampliùs evasuram; cui aliquomodo levandæ inter alia Confessarius E subinferebat, ipsam à D. suâ Annâ invitatam, die proximè futuro Assumptæ in Cœlum Deiparæ fortasse pariter assumendam, ad quod illa: *Minimè verò, Pater, vilitatem meam nimis excederet is honor*; intermiscebat potius idem Confessarius quædam de rebus cœlestibus colloquia, quippe qui probè norat nihil antiquius Julianæ accidere posse, quę tunc maximè cœlestia potiùs sapiebat.

Itaque cùm se videret non diù superstituram, de protrahendâ ulterius vitâ non ampliùs sollicita ad statuenda quędam, quæ supremæ voluntati supererant, se contulit. Primùm verò per aliud codicillum eidem Confessario mandavit sibi curæ esse, quòd ad Sancti Josephi Cœnobium, vel educarentur Novitij, F vel severioribus literis, sanctis'que virtutibus instruerentur Adolescentes, ut singuli ex Patribus præ sanctitate, ac doctrinâ ejusdem Ordinis Sororibus, & cæteris hominibus emolumento esse possent, quæ ad hanc rem annuis bis mille, & quingentis Florenis pro fundatione definitis, adhuc quingentos in studiosorum alimoniam superaddidit. Prætereà sancivit, quòd Domus Regularis ex asse hæres, Templum, atque Sacrarium ejusdem S. Josephi consummaret, & sacra supellectile instrueret. Tum P. Josepho Mariæ Barchi eo temporis Ordinis nostri per Germaniam Vicario Generali, & Confessario suo Rosarium, quod ab Imperatrice Filiâ receperat, sibi ab ejus morte transmissum, legavit unà cum au- G reâ quadam thecâ Sanctorum Reliquijs insigni, quæ pariter donum fuerat sibi à sui Sorore Ducissâ Ferrariæ collatum. Priorissæ Domûs Claustralis coronam dono dedit è ligno baculi S. Francisci, qui in ingentem arborem crevit, Patris Brindesi Capuccini manibus compositam sibi valdè acceptam, tum ob ejus prodigiosam originem, tum quia illam à præfato notæ sanctitatis Patre dono acceperat. Priorissæ verò Domus Regularis dono pariter dedit effigiem è Cruce pendentis Christi è communi ligno quidem, & penè rudem, cęterùm ad pietatem maximè compositam, quam pariter Anna Juliana maximi semper fecerat, tum quòd, ut diximus, ad pietatem excitabat, tum quòd illam à Vir- H gine quadam spectatæ sanctimonię habuerat. Tria verò hæc tribus hisce Superioribus hac conditione legavit, ut penes eos, eorum'que in regimine successores singularis monimenti gratiâ per manus singulorum tradita pertinerent, & perpetuò conservarentur. Item emeritis, & fidis famulis liberalem pecuniæ commeatum, & per annum à morte suâ consuetum stipendium designavit. Insuper mandavit, quòd unicuique exactè solveretur quidquid ratione sui debitum ipsis foret, antequam ejus corpus vitâ functum sepulcro traderetur. Pauperibus etiam consuluit, præcipiens largam ipsis eleemosynam quatuor vicibus erogandam, die nimirum sui obitûs,

Novum conficit codicillum, & varia pia legata relinquit.

septi-

septimo, trigesimo, & Anniversario. Mantuam quoque quingentos Florenos ad Episcopum illius Urbis transmittendos decrevit, quorum subsidio curæ illi esset mille Missarum celebratio in Ecclesijs quibusdam ab ipsâ nominatis habenda. Ecclesiam quoque suam pullo ornandam amictu per integrum Mensem mandavit. Præcepit etiam quòd per singulas hebdomadas obitûs sui die in annum vigiliç, & Missa decantarentur pro ejus animâ. Confessario suo iterum mandavit, quòd per se, vel per alium qualibet die non impeditâ Missam de requie in annum celebraret ad Altare privilegiatum, quod proinde per id temporis, scilicet per integrum annum pullo pariter ornatum esset amictu. Denique statuit, quòd Serenissimis suis Nepotibus quçdam è sibi magis acceptis, majorisque pretij rebus ad religionem spectantibus singulis in sui memoriam traderentur.

His, & alijs rebus omnibus, prout par erat, compositis, curis rerum humanarum soluta, in Deum unicè, quo brevi æternum fruitura erat, totius animi viribus ferebatur, & ad çterna solùm, quçque ad transitum in çternitatem pro commeatu ministrare solet Ecclesia, animum penitus adiecit. Cçterùm ubi de ejus discrimine vulgò innotuit, explicari vix potest, quantùm eventus hic omnium animos commoverit, prçsertim verò Serenissimum Archiducem Leopoldum, qui Annam Julianam loco Matris habitam summâ veneratione prosequebatur, qui proinde publicum indicens justitium curavit, ut per omnia Civitatis Templa pro ejus incolumitate vota, precesque, tum privatim, tum publicè effunderentur, & supplicationes obirentur. Ad hçc ab eodem Lepoldo exquisitissima, & pretiosissima artis Medicç remedia quçcunque tentata, nequid assequendç ejus sanitati, quç omnium erat salus, opportunum omitteretur. Verùm neque omnes hç industriç, neque vota, neque afflictationes variç apud tria nostra Cœnobia propagandç ejus vitç suscepta, nec sacrificia apud nostras Ecclesias oblata, Dei optimi maximi decretum de Annâ Julianâ ad çternitatem glorię transferendâ immutando paria esse potuere, licèt non defuerit, qui propriam vitam cum ejus vitâ, vices pro illâ mortis subeundo, commutaret; quod cùm illa, seu prçsagijs quibusdam assequuta fuisset, sive divinitùs, prout ex pluribus conijcere prudenter licet, cognovisset, die 2. Augusti Confessario dixit: *Pater, cras migrandum est, proinde maturemus, quæ ad transitum hunc præstanda nobis supersunt.*

Divulgata proximæ mortis fama omnium animos commovet, & pro ejus salute plures, & publicæ effunduntur preces.

Itaque generalem peccatorum omnium, quç per totum vitç suç cursum patraverat, confessionem emisit tanto animi dolore, tantâque lachrymarum copiâ, çquè ac si deterrima omnium peccatrix fuisset, qualem se revera dicebat, quamvis interposito jurejurando tum voce, tum scripto asseruerit ejus Confessarius, se nullum in eâ per duodeviginti annos, quibus ipsi à Confessionibus fuerat, crimen lethale deprehendere potuisse. Confessione hujusmodi peractâ unicuique in exemplum proponendâ, Filios, Filiasque suas ex omnibus Cœnobijs convocari ad se jussit, quibus, ubi prçstò fuere, quatenus licuit, pro temporis, morbique angustijs mirum in modum commendavit Religionem, cultumque Divinum, mutuam ad invicem, atque intemeratam charitatem, in rebus adversis fortitudinem, modestiam in secundis, in reliquis omnibus virtutibus, & benè cœptis perseverantiam inconcussam; prçtereà quòd memores semper forent quantç Dominç servi, servçque essent, & fidelem operam darent, ne quid unquam hoc regio nomine indignum molirentur, ita enim Deiparç tutela nunquàm ipsis esset defutura. Denique omnibus mandavit, ut Patri Vicario Generali, cçterisque eorum Prçfectis, quàm exactissimè obtemperarent, & obsequerentur. Quibus summo animi ardore, etsi tenuissimâ voce prolatis, & Serenissimç Filiç, cçterisque Filijs, Filiabusque suis commendatis, eâdemque vicissim ipsis commendatâ; cùm etiam agonem suum proximè imminentem eorum Sacrificijs, & precibus concredidisset, supremum omnibus vale dixit, eosque dimisit, solo Confessario, & paucis quibusdam Sororibus secum retentis; quç sane verba utpote suprema, & summâ gravitate prolata, nonnisi amarissimis lachrymis, altisque gemitibus excepta ab omnibus fuere, prout quisque sibi suadere potest, qui probè noverit, quanam charitate, ac dilectione Serenissima Mater, & omnes ejus Filij, ac Filię se invicem prosequebantur. Contrà verò mirabile sui spectaculum Julianç virtus exhibebat, eximia prçsertim, & planè rara charitas, & exinde profecta humanitas, comitas, suavitas, benevolentia, amabilitas, & ex harum, aliarumque virtutum omnium cœlesti quadam harmoniâ Imago quçdam erumpens sanctimoniç omnibus numeris absolutç, quç tantam vim omnium ejus Filiorum, Filiarumque animis afferebat, ut nemo vel unus foret, qui maximâ affectus tristitiâ Annç Julianç vitam, ut diximus, suâ redemptam non vellet. Ubi verò reliqui discessere, sola cum pauculis, ut diximus, Reverendissima Soror nostra tota ferè in Deum transformata oculos statim, & animum in effigiem paulò ante laudatam Christi è cruce pendentis adeò immota fixit, ut in Deum rapta per extasim videretur; cùm verò sensim se collegisset rebus humanis quibusque ex animo prorsus dimissis, nonnisi cœlestia sapiens, in imperturbabili quiete liberationem è corpore mortis expectans, de cœlestibus tantùm colloquia miscebat, neque alia admittebat.

Filios, & Filias suas ex omnibus Cœnobijs ad se convocari jussit, quibus varia commendat.

Interim utpote, ferè dixerim, à sensibus ipsis avulsa vim febris cçteroqui ardentissimç vix sentire videbatur, quç tamen revera paulò post aliquantulum remissa aliquam vitç diutur-

diuturnioris spem fecerat, ac proinde gaudium ubique in omnibus incredibile excitaverat. Verùm hujusmodi spes, & gaudium brevi evanuere, cùm tantis subinde ex utroque latere per dimidium totius corporis obruta est doloribus, ut præ eorum intensione preces astantium enixè flagitaret ad eos æquo animo superandos, quos intolerabiles sibi futuros verebatur, etsi enixè pariter à Deo, atque Deiparâ aliquando petierit, uti alibi diximus, partem aliquam dolorum sibi fieri communem, quos ipsi subiere. Nullâ interpositâ quiete, aut remissione integras 24. horas eam tenuit id supplicium, quin & interius à Deo, & exterius ab astantibus accesserit levamen, & planè visus est Deus votis ejusdem prioribus satisfacere voluisse, Unigeniti sui in cruce morientis sortem ipsi communicando, ubi se derelictum à Deo querebatur. Cæterùm Confessarius, prout illi datum erat, suavitate verborum lenire dolores studebat, illíque in memoriam revocabat se vehementer jampridem à Purgatorij flammis abhorruisse, earumque vices in hac vitâ libentiùs subituram, ac propterea macte animo esset hortabatur, sibíque plurimas Deo referens gratias gratularetur Christi Domini Sponsi sui in cruce morientis consortium.

24. horarum spatio gravissimis obruitur laterum doloribus.

Quibus haud mediocriter confirmata Soror nostra Reverendissima: *Fiat ergo*, inquit, *voluntas Dei, ejusque sanctissimæ Matris. Ab his omnia ex animo accipiam, modò ab ipsis non deserar; ea enim est dolorum intensio, ut in hominem quemcunque cadere posse majorem suadere mihi vix liceat. Id igitur unicè Omnipotentem, & Clementissimum Deum rogo, ne doloribus hisce affectam animam agere me sinat, vix enim aliàs mihi præsens ero, quando Divinæ Majestati me præsentissimam fore decebit.* Votis illicò annuit Deus; dolor enim statim prorsus evanuit, ipsaque veluti purgantes flammas egressa, summam Dei clementiam adorare, ipsíque gratias agere cœpit nunquam destitura, quod Purgatorij pœnas prævenisset, maximè planè formidandas. Hoc itaque defuncta supplicio, tanquam aurum igne probatum, longè pretiosior oculis sponsi proximè se eidem offerendam sentiebat, quò magis viribus corporis destituebatur; quapropter Confessarium urgebat, ut Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis ipsi quantocyùs præsto adesset, interim mandans, ut vitâ functum corpus suum absque ullâ pompa per triduum expositum humi, à Fratribus deinde, Sororibusque rectâ, non contiguas obeundo vias, in Templum deferretur, inferreturque sepulcro ad Aræ majoris crepidinem, ut alibi diximus, effosso.

A doloribus liberata sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis se munit; & Corpus suũ absque pompâ in Eccl. deferri jubet.

Tum deinde & Fratres, qui tunc Oeniponte degebant, & utriusque Cœnobij Sorores iterum convocavit, ut suo interessent decessui, tum ut eorum precibus securior, eorumque aspectu lætior migraret. Præterea quæ paulò ante per Sacramentalem Cõfessionem, & solemnibus Indulgentijs, tum in formâ Jubilæi, tum pro Ordinis nostri Privilegio, tum pro speciali Summi Pontificis oraculo, culpis omnibus expiata, secundâ die Augusti ad horam quartam pomeridianam sacrosancto Eucharistiæ Sacramento primùm refecta, deinde ad quintam sacrosancto Extremæ Unctionis Sacramento roborata fuit. Utrumque verò tanto spiritûs ardore obivit, ut astantes omnes in lachrymas solvi viderentur; quinetiam ad singulas formulas Litaniarum, quas pro morientibus recitare solet Ecclesia, ipsa in Christi Crucifixi laudatam effigiem, quam semper manu gerebat, oculis defixa usque ad ultimum vitæ actum exactè respondit, qui cùm imminere visus esset astantibus, rogata num sitiret, tenui, sed suavissimâ voce respondit: *Sitio equidem, sed aquam fontis in vitam æternam salientis.* Intereà omnibus humi prostratis, ipsisque benè precantibus Serenissima Soror acceptâ primùm à P. Confessario, quam humiliter petierat, supremâ benedictione, ipsa quoque, omnibus illis petentibus, elatâ aliquantulum dexterâ, maternis quidem obtutibus singulos diligentissimè perspiciens religiosam contulit benedictionem, hæc proferens verba italicè, quæ apud omnes fuere novissima: *Padri, Figliuoli, e Figliuole carissime a rivederci in Paradiso*; quinimmo Matri Vicariæ petenti, nonnulla adhuc illi dicere seorsim ab alijs: *Etiam chara Soror*, inquit, *sed quàm citissimè, quamprimum enim adveniet Dominus.* His dictis voce deficiens Reverendissima Soror, inter Ecclesiæ solemnia pro morientibus vota, sub omnium Filiorum, & Filiarum ingementium simul, & comprecantium oculis, præsertim verò Confessarij sui eidem indesinenter intenti, jampridem maturam Servatori suo summâ tranquillitate reddidit animam horâ noctis circiter nonâ tertio nonas Augusti, tantâ in ipso exanimati corporis vultu serenitate, ac cœlesti majestate quadam renidente, ut in extasim potiùs rapta videretur, quàm extincta; ex quò luculenter apparuit, quòd Annæ Julianæ spiritus Beatarum mentium cœtui associatus jam erat in Cœlis laudibus æternùm Domino celebrandis, quod adeò fideliter præstiterat, dum adhuc viveret in terris. Itaque obijt anno Domini 1621. ætatis suæ 55. Mense 6. die 17. Serenissima, & Reverendissima Anna Juliana trium Cœnobiorum Ordinis nostri Oeniponte Fundatrix, ejusdemque Ordinis per Germaniam amantissima Reparatrix. Vixerat in statu Virginitatis annos quindecim, menses tres, dies 21. In Coniugio annos quatuordecim, menses octo, dies decem; in statu viduitatis annos 16., menses 5. dies 5. Sanctimonialis denique annos 9, mensem unum, dies 21. In singulis statibus virtutum omnium exemplar, ac Prototypon singulare. Ubi mors Annæ Julianæ vulgò innotuit ingentibus ubique tum Filiorum, Filiarumque spiritualium, tum pauperum, tum denique omnium condolentium affecti-

Fratres, & Sorores iterũ, & ultimò cõvocat.

bus

bus excepta fuit, nemine omninò non lugente tam sanctam, & adeò utilem Principem humanis rebus subductam.

Funus ex Testamenti præscripto parabatur, Templi parietes, & Altaria pullo obducebantur amictu; interim ubi per triduum Inhumatum expositum jacebat corpus, interdiu Fratres, noctu verò Sorores, Ipsi aderant preces, & psalmos jugiter opportunè recitantes. Tribus ab ejus obitu exactis diebus in arcâ repositum corpus, juxta supremam ejus voluntatem Fratrum, Sororumque Ministerio delatum fuit ad Ecclesiam comitantibus solùm Serenissimâ Filiâ, 56. Pauperibus fœminis, ac totâ ejus externâ Familiâ, prout infra, ibidemque absque pompâ collocatum, nonnisi humili sandapilâ humi nigro panno coopertâ, eidem pro coronâ, & sceptro, quemadmodum in funere Principum fieri mos est, superimpositâ calvariâ, spineâ coronâ, & ligneâ Cruce. Insignia verò per Templum appensa non alia fuerunt, quàm quæ Domui Regulari ab Imperatore Mathiâ Genero suo ipsamet, ut diximus, impetrarat; & proprium ipsius Insigne, scilicet *Beata Virgo juxta Crucem gladio pectus transfixa tribus hisce literis appositis. A. J. F. idest Anna Juliana Fundatrix.* Exequiis solemnibus interfuere, juxta pariter Testamenti præscriptum, pullis omnes indutæ cereos accensos præ manibus gerentes, quinquaginta sex pauperes fœminæ prædictæ juxta numerum annorum, quos Anna Juliana agebat; pari quoque cultu reliqua interfuit Familia, cui pariter, ut diximus, eadem Princeps peculiaria contulerat suæ liberalitatis argumenta, quos omnes cæteroquì pietas in suam Principem ad exequias coegerat. Interfuere quoque non modò Primarij Urbis Proceres, verùm etiam, tum ex eâdem Civitate, tum ex suburbijs frequentissimi Populi, non aliâ pompâ magis, quàm lachrymarum uberi copiâ funus ipsum prosequentes, nisi veriùs dixerium, singulari memoriâ, quam finguli de Annæ Julianæ virtutibus, ac sanctitate habebant. Absolutis Ecclesiæ Catholicæ ritu exequiis die 6. Augusti ad Vesperam adhuc inhumatum remansit usque ad proximè sequentem diem Reverendissimæ Sororis Corpus, cui noctu vigilantes iterum adfuere Sorores; mane verò ipso præsente ab ortu Solis ad meridiem usque Missæ plures de Requie jugiter pro ejus animâ celebratæ fuere, opportuno autem tempore solemnia habita fuere pariter de Requie officia, quibus peractis circumductum per Ecclesiam duntaxat à Fratribus nostris in eâdem Arcâ repositum ipsum corpus fuit, comitantibus Serenissimâ Filiâ, Domûs Regularis Sororibus, 56. Illis Fœminis, suâque prædictâ Familiâ, certantibus interim, etiam ex Primoribus Urbis, ut è floribus illis aliquot assequi possent, quibus Arca prædicta fuerat ornata, in perenne tantæ Famulæ Dei, eorumque Dominæ monumentum. Denique consuetis ritibus expletis

Humilis apparatus.

sepulcro jampridem disposito fuit illatum. A Hic verò Posteritati commendandum omninò est, quòd cùm ex tabe quadam per Serenissimæ Sororis caput defluâ haud vulgaris processerit fœtor, quem ideo fortè immisit Deus, ut Annæ Julianæ genio de altiori evertendâ opinione indulgeret; nihilominus opinionem hanc longè majorem comparavit suavis quidam odor violis proprius ab ejus sepulcro per dies omnino quadraginta jugiter emanans. Tum quæ ab eâdem piè legata fuere, plurima quidem, ac liberalia, prout patet ex ejus testamento, & codicillis, exequutioni fideliter mandata fuere, de quibus indicem texere supervacaneum videtur, cùm exinde patere omnibus possint, præsertim verò, quia longè gloriosa nos manent, quæ ab obitu Reverendissimæ Principis contigere. B

Corpus emittēs primò fœtorē, suavem deinde efflat odorem.

Pretiosam Annæ Julianæ mortem quamplura quidem statim, & consequentibus temporibus excepere, quę sicuti veram, & summam indicant gloriam, quâ cum Deo, ac Deiparâ beata ejus mens coronata regnat in Cœlis; ita Ordini nostro gloriosa quicunque nostrûm ea noverit, nonnisi eximiâ animi sui voluptate proculdubio excipiat. Itaque ne Lectorem benevolum plus, quàm par fuerit, affligam, longè melius consultum existimo ea non ulteriùs differre, sed statim ab obitu recensere, quæcunque nedùm hoc anno, sed etiam deinceps ad hæc tempora usque, in quibus illa referuntur, mihi contigerit novisse ad rem ipsam spectantia, quod non injucundum fore ipsi arbitror, qui ea omnia C assequendi percupidus, quæ ad Reverendissimam Sororem nostram pertinere non dubitamus, longè faciliùs vota sua videbit expleta, cùm omnia simul, & unico ferè dixerim obtutu, percipienda proponantur.

De ijs, quæ post mortem Annæ Julianæ accidērunt.

Tres horas ab obitu cum reliquæ Sorores omnes in adornandis exequijs ferverent, Anna Juliana alteri è Sororibus Regularibus, quæ in Cellulâ suâ summo affecta mœrore precibus vacabat, & lachrymis confertissimâ radiorum segete circumdata, multâque gloriâ coruscans sese videndam exhibuit, festivè, amanterque illam sic affata: *Parce gemitibus, Dilecta Filia, imo gratulare potiùs mihi, gratulentur & reliquæ, quòd seculo defuncta fuerim; nam tres duntaxat horas Purgatorij flam-* D *mis detenta* (ideò fortè, quòd gravissimos illos dolores non æquo penitus animo tulerit, sed ab ipsis liberari cupierit, quibus paulò ante obitum 24. integras horas vehementer affectam fuisse dicebam) *ad æterna modo Beatorum gaudia ascendo.* Ac ipsam reverà Soror illa, quoad licuit, abeuntem oculis prosequuta, ubi cernere ampliùs non potuit, reliquis illicò Sororibus communicavit, quod viderat; quæ sanè res examini deinde Patrum Josephi Mariæ Confessarij, aliorumque primæ notæ Theologorum subiecta, unanimi omnium consensu habita fuit tanquam cœlestis ejus gloriæ argumentum, quâ Deus Optimus

mus Maximus inquirentibus se remunerator Annæ Julianæ spiritum coronarat, quam veritatem haud mediocriter confirmant, quæ E deinceps consequuta fuere. In primis enim Soror Anna Francisca Funkiana vidua in Domo Regulari proxima ab ipsa Fundatrice Vicaria, cujus insigni, & prudenti operâ in extruendis Cœnobijs suis, alijsque negocijs perutiliter usa fuerat Anna Juliana, dum exequijs præfatis, & sepulturæ necessaria quæcunque summo studio curabat, locum quendam asperum, & præ saxis inæqualem perransiens prolapsa fuit, & plerosque artus quassavit, ita quidem, ut cùm ipsius corpori præ senectute gravi regendo, & loco movendo sustentaculum quodcunque par non esset, in tantâ negotiorum copiâ decumbere necessariò debuerit. Hoc sanè perincommodum F accidit Annæ Franciscæ, quæ longè magis angebatur, quòd rebus præsentibus præsto esse non posset; quæque proindè non æquè feliciter cedebant, quàm acutissimo, quo tenebatur dolore. Quamobrem è lecto, quoad potuit, evadens, eò accessit, ubi cæteræ Sorores ad insepultum Annæ Julianæ corpus pervigilabant, ibique prostrata, ac veluti cum eâdem, dum viveret, agens, in medium productis veteris servitutis suæ, ejusque meritorum apud Deum titulis, necnon operæ suæ, adeoque sanitatis in præsens necessitare, non ut sibi bene esset, sed ut omnia rite possent compleri pro supremis funeris officijs, suppliciter Patrocinium ejus imploravit pro sanitate integrâ recuperandâ. Vix autem G precibus hisce absolutis, summo Confessarij, atque Sororum omnium stupore Anna Francisca se protinus in pedes erexit, nullo debilitatis, vel doloris superstite vestigio, potuitque singulari agilitate singulis ejus temporis opportunis necessitatibus die, noctuque adesse. Annæ Franciscæ exemplo, & adeò manifesto prodigio commota vehementer Soror quædam oblata, nomine Ursula, quæ plures annos usu brachij destituta sic fuerat, ut nihil omninò facere posset, frustra adhibitis medicorum ingenio, operâ, & arte, ad sepulcrum accessit venerandæ Sororis, ibique ad ipsum admoto malè affecto brachio summis precibus Annam Julianam rogabat, ut in- H tegram sibi sanitatem impetraret, ideò potissimùm, ut Domesticis obeundis obsequijs satis esset. Ubi fusis in multam noctem lachrymis, & precibus cubitum concessir, postridie surgens multò meliùs se habere omnibus obstupescentibus nuncians, altero insequenti die sanum totum, atque robustum brachium exhibuit, quo deinceps summâ agilitate, atque habilitate usa ad labores fuit.

Soror Anna Fräcisca propter lapsum in membris malè affecta Annæ Julianæ se commendans recipit illicò sanitatem.

Soror oblata usu Brachij destituta integrā impetrat sanitatē.

Non obscuriore miraculo eidem Ursulæ paucis post diebus in longè graviori discrimine eadem præstò fuit Juliana. Intumuerat Ursulæ tota interiùs bucca, tumor autem in ingens desijt ulcus, quod deinde disruptum os, atque gingivas contagione suâ ita exulceravit, accedente ad cumulum malorum dirissimo dentium cruciatu, ut neque cibi, ne- E que potûs quidquam admittere, quinetiam nec ullatenus verba proferre, sed gemere solùm præ doloris acerbitate posset. Eò deducta res erat Medicis, eorumque artibus nihil omninò proficientibus, ut illi proculdubio communi omnium etiam Medicorum opinione moriendum videretur, quòd cùm & illa deficiens sensisset, mentem ejus subijt nuperrimum beneficium ex restitutione emortui brachii; quapropter summâ fiduciâ conceptâ iterum Annæ Julianæ sese commendavit, & quoniam adire sepulcrum non poterat, fasciolam, quæ in usu fuerat Annæ Julianæ viventis, ori admovit, atque obligavit, tum quieti, ac somno, quod antea ipsi minimè licue- F rat, indulgens, postridie evigilans, seque meliùs habere sentiens, longè majori in Julianam erecta spe ipsi jugiter se commendabat, quo factum est, ut tertio die voti compos incolumis Ursula muneris sui ministerijs liberè incubuerit, solo ulceris quodam vestigio, quod pariter post tertiam hebdomadam evanuit. Huic ostento fidem adstruxit, quod paucis ab obitu Julianæ diebus Oenipontem allatum fuerat Literis cujusdam Sanctimonialis Cœnobij Riedlingensis in Sueviâ. Hæc enim cuidam è nostris Sororibus Familiari suæ scribens, & de tantæ Matris jacturâ consolari eam studens, ita Epistolam concludit: *Credere mihi potes, Amica Soror, quòd nono hujus mensis die, priusquâm de Serenissimæ Archiducissæ vestræ decessu quidquam vobis innotesceret,* G *circa 12. noctis horam objecta mibi secundùm quietem ejusdem Serenissimæ species fuit sub infantis candidâ veste amictæ formâ: quo in somnio conterrita, cùm evigilassem, & me ad orandum contulissem, iterum se mibi Archiducissa insigni splendore conspicuam, sed in staturâ provectæ propriâ, & consuetis in Ordine vestibus, eo solùm discrimine, quòd candidissimæ essent, non autem nigræ præbuit videndam. Cùm autem postridie hæc referrem Sororibus, Oeniponte adfuit nostram repetens Urbem, qui nobis Archiducissæ vestræ mortem significavit*: In quâ sane visione tum asseri videtur Annæ Julianæ gloria, tum ejus Purgatorij modus adumbrari. Dum enim primùm sub Infantis H formâ in candidâ veste cernitur, insinuari videtur, quòd Anna Juliana per tres illas horas pœnam solummodò subierit Pueris sine baptismate decedentibus decretam, sive hæc sola sit visionis beatificæ carentia, sive pœna adhuc sensûs, non modò interni, verùm etiã externi, de quo disserere curæ fuerit Theologis; cùm verò in candida veste, & sui propriâ staturâ à Virgine prædictâ vigilante, ipsaque proprijs oculis vidente, gloriosa in Cœlum abijsse dicitur, æterna proculdubio ejus gloria indicatur. Eadem Ursula adhuc tertiò ad Annam Julianam confugiens sui Patrocinium experta est; cùm enim digitum ictu quodam contritum, & vehementer inde

Eadem Soror varijs, & gravibus in ore cruciata doloribus sanatur.

Annæ Julianæ apparitio.

tume-

Eadem Soror Oblata tertiò Annæ Julianæ se commendàs tertiam obtinet gratiam.

tumefactum atrociter doleret, prædictam fasciolam digito involvit, Julianæ femet ex animo commendat, illicò autem ex fasciolæ contactu totus evanuit tumor duobus meatibus aperto digito, per quos magna fœdissimi puris copia effusa Dei potentiam ob Annæ Julianæ merita monstravit. Quæ verò prodigia in minutulis partibus Archiducissa nostra præstitit, præstitit quoque in toto corpore, quod quidem evenisse miramur in Puellâ quadam miserabiliter affectâ, de quâ ipsa ejus Genitrix hisce verbis testatur.

Ego Birgitta Baronissa de Schandenbergh, oriunda ex Baronibus de Merspergh, Marito meo Generoso D. Joanni Baroni de Schandenbergh, Filiam peperi de meo nomine in salutari Lavacro vocatam Birgittam. Dum hæc ubera sugeret Nutricis, scopulus ingens à proximo monte divulsus in ædes nostras prolapsurus, haud dubiè, nisi Deus ruinam avertisset, summo impetu illapsu suo eas solo æquasset; immodicè consternata ad hoc spectaculum Nutrix, quæ tum Filiolam nostram lactabat, vitiatum illi proinde præbuit lac, ex quo attonitâ primùm hæsit Filiola, deinde humore noxio teneros omnes artus pervadente semper magis, ac magis attonita, manuum, pedumque, & capitis monstrosâ agitatione, quam diris exasperabat stridoribus, miserabili nobis, & quotidiano per annos 14. spectaculo fuit, nullâ vi medicâ, nullâ humanâ ope quidquam juvante. Denique Mense Novembri anno 1621. noctu quadam somnum inter, atque vigiliam, vocem audire mihi visa sum jubentis, ut aliquo ex indumentis Puellam involverem, quo mortua nuper Oeniponte Anna Juliana fuerat amicta, ita enim incolumem fore Puellam. Conquisivi, & impetravi à Domo Regulari interiorem sanctæ Principis Tunicam, Filiam involvi, extemplo quoque evolvi, eandemque sanam habui, hilarem, quietam, omnibus obstupescentibus, tantumque Miraculum, & adeò evidens celebrantibus. Prodigium hoc sanctæ Archiducissæ vestræ meritis in Filiolâ meâ tàm perspicuè spectatum, Tibi Reverenda Domina Suppriorissa significare meum esse duxi, ut intelligas quantâ utilitate, & gloriâ vestræ Fundatricis Tunicam illam poposcerim, impetrarim, applicarim, atque miraculum hoc Serenissimæ Archiducissæ Filiæ, & reliquis Sororibus tuis cum plurimis gratiarum actionibus pro Tunicæ ad me transmissæ beneficio gratulari possitis. Hactenus Birgitta Mater.

Puella per annos 14. malè affecta pristinã illicò obtinet sanitatẽ.

Confess. à gravi casu liberatur.

Opportunum ab Annâ Julianâ præsidium expertus quoque fuit, qui ejusdem conscientiæ arbiter fuerat, P. Joseph Maria Barchi Ordinis nostri tunc per Germaniam Vicarius Generalis. Is fortè Brixinam Tyrolis profectus, deinde proximam Urbem Bulsanum concesserat, indeque propria repetebat. Primo ab eâ Urbe lapide sternax equus, quo vehebatur, corruit, resurgere verò, prout fieri solet, contendens corpore gravem, & annis Patrem Josephum sibi subactum toto corporis pondere suffocabat, neque aliquis præstò aderat, qui opem ei ferre posset, quod & ejus A socius procul ipsum sequeretur; itaque inops consilij, & supremo discrimini proximus Julianæ suæ præsidium suppliciter inclamavit, quo vix habito, Equus, qui varijs conatibus, ut se erigeret, ipsum gravissimo exponebat periculo, evestigio quievit, eidemque ita levis evasit, ut & nullum penitus sibi sentire videretur pondus, ac demum Equo subductus fuit modo mirabili, quem nec ipse quidem advertit. Eidem P. Confessario in eodem itinere Brixinâ Oenipontem venienti in angustâ inter montes, & profundâ viâ, è quâ recedere datum non erat, obvia processit series Equorum doliolis utrinque onustorum, quorum unus pervadere nimis properè contendens gestatorio doliolo tantâ vi B in equitantis Patris genu impegit, ut confractum, vel certè luxatum crediderit; compresso tamen, & quâ licuit, superato dolore ferri in proximum Oppidum Sterzingam sustinuit, quò ubi pervénit, & Equo descendit, utprimùm affecto pede terrã attigit, quia nullum figere potuit vestigium, humi jacuit, unde magno sui elatus dolore, lectoque impositus, hospitio à 4. bajulis illatus fuit, ac totam illam noctem in acerbissimis cruciatibus pervigilavit, dolorem verò augebat, quòd inibi accepta non erat cura, siquidem Chirurgi augendo potiùs, quàm leniendo malo pares esse habebantur: quamobrem in ancipiti positus Confessarius, iterum Julianam suam invocavit, spe maximâ fretus se iterum, quod C paulò ante tam feliciter verterat, ejus præsidium experturum; memor autem nihil unquam negare solitam Julianam, quod nomine, & amore Matris Virginis peteretur, interposito hujus nomine obtestatus Julianam fuit, ut sibi suppetias ferret, quibus Oenipontem saltem concedere posset. Ubi tantisper acquievit cœpit tentare, num vestigium figere posset, & num tractabile malum foret; cùm de repente & figere gradum, & incedere, & ita robusto genu uti cœpit, ut deletâ quoque ipsius mali memoriâ pene per somnium totâ sibi nocte videretur doluisse, Equum deinde conscendit, Oenipontem pervénit, quin alia illi cura subesset, quàm Deum, ac Deiparam in suâ Julianâ collaudandi. Pari D celeritate, sed longè graviori discrimine, quia supremo, Soror quædam Oblata in domo Regulari, nomine Maria Annæ Julianæ meritis mortem evasit; ardentissimæ febri, quâ jampridem laborabat, ita succubuerat Maria, ut unà cum cæteris Medici quoque ipsi conclamaverint, quod illa intelligens reminiscitur sibi chordulam quandam diffractam esse, cui aliquando insertæ erant precatoriæ sphærulæ Rosarij, quo utebatur Juliana, ejusque animum pariter subijt se mortem evasuram, si chordulâ illâ sibi collum alligasset. Itaque, prout licuit, è partibus diffractæ chordulæ invicem colligatis, quasi torquem sibi fecit, colloque circumdedit, & imploratâ san-

Idẽ Cõfessarius in alio gravi discrimine præsidiũ experitur.

Alia Soror oblata Annæ Julianæ meritis mortem evadit.

sanctæ Principis ope è lecto protinus hilaris, incolumis omninò surrexit, quam paulò post invisens Medicus, non ut opem ullam eidem ferret, in quâ curandâ operam perdiderat, sed ut num adhuc viveret, cognosceret, cùm illam incolumem, & præ gaudio exilientem sibi obviam procedere vidit, rei miraculo in stuporem actus quærebat Maria ne foret, an Mariæ umbra? Cujus intellectâ serie hoc reverà exclamavit, quid admirandum, & merum miraculum habendum, quod chirographo suo juratus testatus est, quodque in Domo Regulari inter memorabilia reconditum posteritati servatur.

Mulier morti proxima sanatur.

Helena clarissimi Medici Hippolyti Guarinonij Coniux lectissimâ in Urbe Oenipontanæ proximâ Halâ animam agebat anno 1622. Mense Octobri, omnibus frustra adhibitis remedijs, quæ peritissimus, & amantissimus Coniux artis Medicæ ope paraverat, necnon plurium Sanctorum invocatione incassum petitâ, Deus enim infirmitatem hanc, non ad Helenæ mortem voluit, sed ad gloriam duntaxat Reverendissimæ nostræ Sororis. Itaque quo se verteret nescius Hippolytus in tantæ suæ Coniugis periculo, reputare subinde secum cœpit Sanctimoniam vitæ in Annâ Julianâ, & prodigiosas sanationes ejus apud Deum meritis proximè insequentes: memoriam ad hæc subijt quanam benevolentiâ, imo familiaritate ipsum Anna Juliana, cùm degeret in terris, complectebatur, ipsamque Coniugem periclitantem ex ejus Gynæceo olim ipsi traditam in matrimonium, hinc sibi facilè suasit, ab eâ in Cœlestibus degente, ac proindè longè puriori charitatis igne flagrante, longè pariter meliùs tum sui, tum Coniugis rationem habendam, quapropter enixè, ac seriò se, suamque Coniugem commendavit, gratiam insigni ad eius sepulcrum anathemate testaturus, si incolumem recepisset uxorem. Formulam voti vix nuncupavit Hippolytus, cùm illicò Helena meliùs se habere, ac deinde brevî integerrimè valere cœpit. Eodem anno, eodemque mense, quò prædicta Matrona convaluit, Sanctimonialis quædam Virgo in Domo Regulari in eodē constituta discrimine, eandem quoque Annæ Julianæ experta est opem; gravi siquidem morbo, ac diris toto corpore cruciatibus affecta morti proxima habebatur, dolori verò insignis ex eo fiebat accessio, quòd adeò à pharmacis abhorrebat Virgo, ut neque ea sumere, neque nominari, nisi indignante stomacho, pateretur. Huic opportunè consulere volens Domûs Regularis Præfecta ad sanctam Fundatricem, sese convertit, periclitanti Filiæ præsidium imploravit, & largiùs quàm petebat impetravit; cùm enim ipsi medicinæ sumendæ patientiam peteret, & ad hanc gratiam assequendam decem sacrificia pro animabus in Purgatorio laborantibus offerenda spopondisset (quæ quàm accepta forent Annæ Julianæ jam noverat) si hujus Filiæ animæ in mor-

Sanctimonialis in Domo Regul. diris affecta cruciatibus liberatur.

tali adhuc corpore penè illis paria patienti E opem tulisset; prodeunti ex Sacello Præfectæ statim occurrit, quæ valetudinario præerat, Soror, & modò ægram Sororem sic convaluisse nunciavit, ut nullis ampliùs remedijs opus esse constaret; quo nuncio mirum in modum exhilarata Præfecta Sacellum iterum repetens cumulatissimas Deo, ejus Sanctissimæ Matri, & Annæ Julianæ gratias egit. Cùm verò varijs distenta negocijs per aliquot dies sponsioni satis non faceret pro levandis in Purgatorio animabus jam habitæ, quia memoriâ exciderat, aliquando fortè dum locum quendam dormitorij pertransiret, ubi Annæ Julianæ effigies justæ staturæ par exposita manebat, eamque de more veneraretur, vox illi ad præcordia illapsa ab effigie gemebundâ conquesta est petens: *Ubinam pro meis animabus in Purgatorio laborantibus sacrificia?* F quâ voce admonita Præfecta promissi sui, & negligentiæ veniam deprecata, nedum sponsioni quantocyùs satisfecit, sed etiam addidit à singulis Sororibus Deiparæ Coronam in vicem negligentiæ pro singulis Sacrificijs recitandam. Hactenus dicta ex testimonio constant ejusdem Præfectæ, cæterarumque Sororum juratarum in commentarios illos redacto, qui de his eventibus manuscripti habentur.

Anna Juliana cuiusdā Sanctimonialis negligentiam reprehendit.

Annam Julianam vidimus huc usque corporibus opem ferentem, videamus modò, quanam ratione curæ ipsi fuerit eorum animas fovere, qui se ipsi commendarint. Sanctimo- G nialis quędam Virgo in Domo Regulari mali Dæmonis opere amarulentos identidem adversus ejusdem Domûs, suique Præfectam impetûs in animo concipiebat, ut nonnisi vim sibi maximam faciens, ipsi obtemperare, & obsequi, quinetiam alloqui, & audire vix posset, quidquid verò illa vel diceret, vel gereret, vel decerneret perperam semper interpretari cogeretur. Noverat quidem pia Virgo nequissimi Dæmonis artem, quâ Religiosam dirimere studebat concordiam, ipsamque cupiebat eludere; sed quomodo hoc assequi posset, ignorabat, denique post varias in hac re consultationes ad Annam Julianam confugere meliori consilio statuit, animi sui angorem in eo discrimine humillimè sanan- H dum proposuit, ipsi maximè confisa, cui adeò in votis erat hujusmodi charitas, quamproinde proximè moritura Sororibus omnibus ad invicem perpetuò servandam tanto animi ardore commendarat. Neque verò piam Virginem fefellit spes, excussâ enim caligine absque ullâ difficultate Præfectę suę deinceps obtemperavit, cùm eâdem suaviter, amanterque non modò miscebat colloquia, sed hilari animo etiam necessitudinem ejus, & consuetudinem ambiebat. Accensendum his omnino videtur, quòd epileptico Puerulo contigisse ipsius Parens sequentem in modum testatur.

Alteri sanctimoniali in obediendo Præfectæ suæ facilitatē impertitur.

Ego Paulus Hanneber Oenipontanus Pictor fidem

fidem facio, atque testificor hoc scripto, quod cum hoc anno, qui reparatę salutis est 1623., A *Uxor mea proxima partui ita viribus destituta esset, ut Puerperij dolorem, laboremque se diffideret superaturam, indeque certam sibi mortem imminere præsensisset, erga Deiparam conversa suam & prolis incolumitatem, præsentisque discriminis remedium enixè petit, haud mediocre spe freta fore ut summæ ejus dignitatis ratione, necnon magnæ illius Famulæ Annæ Julianæ meritis illam Altissimus ingruenti eriperet exitio; neque revera voto suo fraudata Puerum eodem die feliciter enixa est. Verum Infans de nomine meo nuncupatus Paulus post dimidium mensis epilepsiæ morbo correptus semel, & iterum pro mortuo habitus animam agebat; cum ergo amicis morem gerens S. Viti præsidium (cujus in viciniâ nostrâ celebris ædes multâ religione fre-* B *quentatur) nuncupato voto, ubi Infans convaluisset, implorare spopondi; interim verò nil intentatum reliqui, quod humanitùs fieri posset Infanti levando opportunum, sed incassum omnia, & malum hoc à vigesimo die Mensis Maij ultra sequentis Junij Kalendas graviter tenuit. Quoad Infans à Nutrice fortè gestatus ante Imaginem constitit Serenissimæ Annæ Julianæ, quam recens pinxeram, quamque ille immotis oculis intuens illicò præ gaudio gestire, aliquantulum fremere, mox etiam, tanquam omninò incolumis, jucundius plaudere cœpit, me valde admirabundo, mihique simul suadente, quòd Infantulo aliquid in illâ effigie præ suâ Innocentiâ deprehendere concessum fuerit, quod mihi non licuerit, qui totus in peccatis eram; id tamen exin-* C *de consequutus sum, quod maximâ erga Annam Julianam conceptâ fiduciâ Infantem ipsi commendavi, eodemque animo illius Imagini eum sæpius sistere non dubitavi, qui ijsdem semper affectibus eidem Imagini festivè applaudens, & in dies melius jugiter se habens brevi penitus convaluit, & mirum in modum succedente tempore est roboratus, Hactenus Paulus.*

Puer epilepsiæ morbo correptus convalescit.

Annam Julianam, ubi proximè moritura Filijs, & Filiabus suis, si boni æmulatores forent, Deum nunquam defuturum spopondit, vaticinatam esse mox recensenda demonstrant. Anno salutis 1622. præ annonæ caritate memorabili Sorores Claustrales ad incitas, & pauculos frumenti modios in ip- D sâ Junij messe redactæ fidelitatem Annæ Julianæ expertæ fuere. Quæ pistrino præerat Soror duplicari sibi præ manibus frumenta, alendæque familiæ duplo diutiùs, quàm consueverant, sufficere animadvertens; Præfectam, & reliquas Sorores de hac re certiores fecit; quibus rei veritatem deprehendentibus, præ gaudio, & admiratione in lachrymas solutis, nihil aliud agendum supererat, quàm pleno ore fateri, quod pleno corde conceperant, & summis laudibus palam circumferre summam Annæ Julianæ benignitatem, & quam de ipsis curam agere juxta promissa, fidelis & ipsa in verbis suis adeò luculenter ostendit. Interim verò quasi Anna Ju-

Sororib. Claustr. in maximâ annonę caritate miro modo succurrit.

liana, ejusque Sorores mutuò certarent, illa A quidem benignitatem in istas exercendo, istæ verò in gratijs illi referendis. Præfatum miraculum brevi postea geminatum deprehendere Sorores; cùm enim numerus is panum per vices pararetur, qui in unam tantùm satis esset hebdomadam, ac dies adfuisset, quo in alteram parandus erat; supersedendum hoc opere fuit, quòd tot panes, & integri reperti sint, qui per aliquot ulteriùs dies toti familiæ sufficerent. Hæc ipsa Altissimi providentia, & materna de suis Annæ Julianæ cura, æquè obvia fuit in Domo regulari; cùm enim & hujus Domûs Sorores æquè ac Claustrales eodem anno summâ laborarent inopiâ, tum præ annonæ caritate, tum præ novo pretio monetis tributo, duæ Viduæ, & una Virgo B fortunæ bonis affluentes ad earum necessitates levandas, omnesque difficultates magno pretiosæ pecuniæ pondere superandas missæ sunt, quæ & sua, & se Deiparæ servitio in earum consortium offerebant, deindè susceptæ obtulerunt. Neque minùs Conventui nostro S. Josephi eadem cura defuit, eademque Sareptana; cùm enim ijsdem cum Sororibus premerentur calamitatibus & Fratres nostri, Matrona quædam nobilis, & opibus valde affluens Vidua, eorundem Fratrum miserata liberalissimâ stipe eorum levavit inopiam, quæ eò devenerat, ut nisi subsidium hoc præstò fuisset, ipsiusque Domûs Regularis, stationem illam deserere coacti penè fuissent.

Sororib. Regularibus pari beneficentiâ in simili discrimine succurrit, sicut & Patrib. S. Josephi.

Hæc igitur fuere, quæ quibusdam alijs C omissis, utpotè paulò obscurioribus, sed majoris notæ admirandis, singularem in omnium Ordinum, atque ætatum animis de Annæ Julianæ heroicâ sanctitate opinionem excitarunt; quæ sanè præ cæteris in omnibus tribus illis nostris Cœnobijs ab ipsâ magnificè fundatis, & sanctissimè institutis, adeò excrevit illis quoque temporibus, ut æquè ac si solemni ritu Sanctarum fastis adscripta foret, tanquam *Beata* haberetur, coleretur, & invocaretur; necnon ejusdem monita, ac documenta privata, tanquam ratæ leges haberentur, satisque esset ad cujuslibet errantis emendationem addere, quòd factum illud, vel dictum Anna Juliana, si viveret, maximè pro- D basset. Nominis ejus mentionem, Imaginis aspectum eo prosequebantur honore, quem *Beatis* præstare solerent. Anniversarium autem ejus felicis ad Cœlum transitûs diem Virgines Claustrales summâ alacritate, festivoque gaudio, musicis modulis exequias de more quidem habendo cohonestabant, quam cœlesti gloriâ cumulatam ex animo sentientes, nisi debita Sanctę Sedi Apostolicæ reverentia obstitisset, solemni pompâ, quæ decet *Beatas*, decorassent. Huic nostrûm opinioni adstipulabantur etiam externi Ecclesiastici, tum seculares, tum Regulares, qui ad Anniversarium prædictum Sacra facturi accedentes, si integrum ipsis fuisset, pro Annâ Julianâ, non tanquam pro mortuâ ex more, sed

Annæ Julianę Sanctitatis opinio.

tanquam glorificatâ fecissent. Præterea plures alij Ecclesiastici, vel etiam Regularium Ordinum Proceres tum proximi, tum exteri peregrè Oenipontem venientes fateri communiter solebant, mirificum quendam venerationis, & religionis sensum sibi oboriri statim ac Templum ingrederentur Monialium nostrarum, in quo Annæ Iulianæ corpus quiescit; quod cùm expertos solùm fuisse constet, ipsique dictitare cœperint ab ejusdem Julianæ morte, vero proximum est, insignem vim religionis è reliquijs ejusdem Corporis ei Templo accessisse; quòd præ cæteris evenisse P. Nicolao Zucchio è Societate Jesu compertum est, ac proindè Posterorum memoriæ commendandum, quòd hic Pater integritate vitæ plurimum præstaret. Is ergo Confessarij, ac Theologi nomine Româ Viennam ad Cæsarem proficiscentem Cardinalem Ursinum comitabatur. Dum verò hic Oeniponte transiens ad Serenissimum Archiducem Leopoldum, qui tum in Tyroli rerum potiebatur, salutandum divertit, & Officijs inter se de more perfunctis, ambo simul Domum adiere Regularem; unà verò cum illis Zucchius prædictus pariter accessit, peractisque de more in Ecclesiâ precibus, inspectisque singulari veneratione Sanctorum Reliquijs, & reliquâ Ecclesiæ, profectò regiâ supellectile, cum & Sanctimoniâ, & magnificentiâ apparatûs summopere omnes delectati abirent, Nicolaus præfatus ad quendam è nostris conversus:

E *Non possum*, inquit, *Reverende Pater, mihi temperare, quin Deo gloriam tribuam, Tibique fatear, me in Sacræ hujus Ædis ingressu cœlestis cujusdam horroris afflatu delibutum fuisse, quem planè non alibi expertus eram, nisi sacram Ædem Lauretanam aliquando, Templumque nostrum Romæ, ubi S. Patris Ignatij corpus quiescit, subiens, ex quo mihi licet in-*

F *ferre, quòd in hoc pariter Templo, præter Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum aliquid extiflat Deo maximè acceptum*. Quod religiosissimi Viri, & Sanctimoniæ opinione celebris testimonium pro Sanctitate Archiducissæ nostræ maximi quidem faciendum, pro cæteris quibusque in re propositâ ferendis in

G præsenti satis esse videtur, nec ullum superesse locum dubirandi de hac re videmus, potissimùm verò ob ea, quæ consequentibus annis de ejusdem corporis incorruptione, cæterisque mirandis recensenda nobis erunt.

H

ANNOTATIONES IN HISTORIAM ANNÆ JULIANÆ.

QUÆ *de Annâ Julianâ hîc referuntur ex ijs collecta sunt, quæ scripsere P. Joseph Maria Barchi Confessarius; Augustinus Romer in opere* Servitus Mariana; *Cherubinus Maria Odale in ejusdem Sororis vitâ, & P.M. Joseph Maria Cignardi in Epilogo ejusdem vitæ Italico idiomate Typis edito Mediolani anno* 1652. *& iterum Florentiæ anno* 1718.

FINIS.



CENTURIÆ QUARTÆ
SACRORUM ANNALIUM
ORDINIS SERVORUM
B. MARIÆ VIRGINIS,

AUCTORE

FRATRE ALOYSIO MARIA GARBIO

Ejusdem Instituti M. Theologo.

Liber Nonus,

CONTINENS AB ANNO MDCXXII. USQUE AD MDCXXXII.



De recentioribus Miraculis, varijsque Indulgentijs, & Mysterijs quibusdam contemplandis Sanctissimæ Imaginis D. Annunciatæ de Florentia.

CAPUT PRIMUM.



Miracula D. Annun. de Flor.

Uoniam Beatissima Virgo ab Angelo salutata, cujus Imaginem Florentiæ per quatuor ferè secula miraculorum, & oblationum affluentiâ conspicuam, hisce quoque temporibus indeficienti tenore, & Florentini Cives, & Exteræ Gentes summâ prosequuti sunt veneratione, sibi semper constans plurima, eáque admiranda, Fidelibus contulit beneficia, ipsíque conformis Altissimus in varietate temporum idem permanens Sanctissimam Genitricem suam, & specialem hanc ejusdem Imaginem ab exordio usque nonnisi Divinitùs habito varijs identidem miraculis illustrare consuevit; propterea minimè mirum, si dum Ordinis nostri prosequor Annales, varia identidem mihi suppetant miracula in ijsdem Annalibus inserenda, quod eò libentiùs exequor, quò pluribus titulis ad hoc prestandnm allicior; hoc enim à me speciatim exposuit nedum veneratio, quam ipsi unà cum omnibus Christifidelibus debeo, nedum Sacri Habitûs conditio, quem in ejusdem Servorum Ordine jampridem suscepi, verùm etiam, & quidem potiori jure, meum hoc exigit obsequium, debitum illud peculiare, quo omnes Florentissimæ illius Patriæ A Cives haud mediocriter tenentur, qui Patriam suam Cœlorum Reginæ acceptissimam, & præ pluribus alijs Urbibus in delicijs esse experiuntur, cum & ipse communia cum illis cunabula fuerim sortitus, ne ullâ, vel minimâ ingrati animi maculâ notatus unquam redarguar. Primum ergo in obsidione Civitatis B Astensis Antonius Rosanus de Neapoli Miles falsò accusatus, quòd Vexilliferum quendam clam occidisset, & ob id ad suspendium damnatus, super patibulum constitutus innocentiam suam D. Annunciatę de Florentiâ profusis lachrymis commendavit; hinc factum est, quòd ubi Carnifex laqueo damnati C jugulum premit, laqueo disrupto incolumis remansit Antonius, & super terram in pedes erectus; cùm verò validiorem alium laqueum pararet Carnifex, nunquam (mirabile dictu) ad miserum damnatum, quantumlibet niteretur, accedere potuit. Quo prodigio commotus universus, isque frequentissimus D Populus, qui eò confluxerat, exclamare cœpit: *Salvetur insons, salvetur innocens*. Quapropter liberè dimissus Antonius laqueum eundem secum deferens Florentiam ad vota solvenda perrexit, seipsum coram Altari D. Annunciatę cum ipso laqueo, quem collo superpositum gerebat devotum exhibuit, & laque-

Miles falsò accusatus liberatur à patibulo.

laqueum ipsum ibidem in perpetuum rei Te- E stimonium appendit, quem hominem vidisse, necnon appensam Tabulam, quæ singillatim ista demonstrat, & laqueum proprijs manibus conrrectare Archangelus Gianius in supplemento Annalium testatur die 2. Decembris 1615.

Cæmētarij præcipiti casu servatur incolumis.

Joannes Dominici, dum ædificando percelebri, ac pretiosissimo illi Sacello, quod Ecclesiæ S. Laurentij Ferdinandus Primus Magnus Dux Etruriæ Tertius Regiâ munificentiâ jusserat olim adhiberi, operam cum alijs Cæmentarijs narrat, ab altitudine plusquam quadraginta Ulnarum super terram collidendus cadit. Verùm D. Annunciatæ nomine invocato, integer penitus, & incolumis ex hoc discrimine evadit anno Domini 1616.

Incurabili morbo affecta pristinam recuperat sanitatem.

F Integrum quinquennium decubuerat Eleonora Donati de Artifrastis incurabili morbo affecta, cùmque se omni Medicorum consilio, & humano quocumque remedio destitutam prospiceret, ad Virginis Annunciatæ præsidium humillimè confugiens, pristinam brevi recuperavit sanitatem.

Naufragium subeuntes miro modo salvantur.

In Mari Tyrrheno, quod Magni Ducis Etruriæ Triremes à Piratis perpetuò custodiunt, oneraria quædam navis, quæ classem sequebatur, & ejus annonam vectabat, anno 1617. inter scopulos Montis Christi rempestate obortâ naufragium subijt, & funditùs disrupta, submersa fuit. Quicunque verò ibi aderant ad veram Maris Stellam Mariam Virginem Annunciatam de Florentiâ conversi, nemine prorsus pereunte, ripam salvi appule- G runt.

Plures ab excidio cujusdam Palatij liberātur

Joannes de Galenis ab Oppido Fossentium à magno vetusti cujusdam Palatij excidio apud Vicum Buggianum, admirabili D. Annunciatæ auxilio unà cum Uxore, & Filijs liberatur anno 1619.

In puteū præcipitata incolumis educitur.

Die 13. Decembris ejusdem anni Camillam Jacobi de Bonagnis à Vico Uzzani in Etruriâ in altissimum puteum cadentem, municipes longè distantes audierunt elatâ voce nomen Jesûs invocare, sequè Virgini Annunciatæ de Florentiâ commendare, propterea eò convenientes, incolumem omninò ex aquis eduxere.

Falsò accusatus, & compedibus detentus liberatur.

Anno deinde 1620. die 7. Augusti Joannes Baptista Filius Ambrosij Piani Genuensis im- H meritò coram Judicibus Florentiæ imputatus, crudeliter de more tortus, quibus detinebatur compedibus, quia innocens erat, D. Annunciatæ sese commendans liberatur.

Vidia, vulgò *Guida* Filia Francisci Joannis Fantuccij à S. Lorino de Rincine Uxor Alexandri annorum 20. à muto Dæmone obsessa, qui varijs exorcismis adiuratus nunquam se prodere voluit, sed graviter potiùs, & varijs modis ipsam vexabat, illamque præsertim aliquando, Mense videlicet Majo anno Domini 1621. penè mortuam reliquit, adeòut extrema ipsi adhibita fuerit unctio, & animæ commendatio, ejusque Parentes de eâ sepeliendâ agebant. Cum verò Plebanus quidam S. . . . . illam inviseret, & ejus corpus sacris quibusdam Reliquijs tangeret, & exorcizare cœpisset, tunc aliquantisper convalescere cœpit *Guida*, & à Dæmone vexari, comprehensa primùm fuit; inde quinque Mensium spatio malus Dæmon super ipsam insiliens impedimento erat, ne præter S. Eucharistiam cibum alium sumeret; quâ de re illam paulatim consumi, & fame perire cogebat. Itaque ejus Pater, & socrus vota cœperunt emittere, & illam ad Templum D. Annunciatæ Florentiam deduxerunt, in itinere verò Vidia equo imposita persæpe deficiebat, quin etiam equus ipse bis graviter cecidit. Verùm, his non obstantibus, ad Ecclesiam pervenit, ubi S. Communione refecta, cùm Sacro interfuisset, quod in Sacello D. Annunciatæ habebatur, illicò se liberam à Dæmone præsensit.

A muto Dæmone obsessa liberatur.

Sub curru liber evadit.

Aurelius Silvestri Rannuccij sub quodam curru confringendus à Rotis, D. Annunciatæ meritis, cui se in eo discrimine commendaverat, liber evasit die 22. Septembris 1621.

Sclopuli ictu impetitus servatur illæsus.

Valerius Fabronius de Marradio à Hyacintho Pescettio furtim à tergo impetitus ignei sclopuli ictu cecidisse necessariò debuetat; verum sclopuli strepitum audiens Virginis Annunciatæ patrocinio se credidit, quo circa glans plumbea toto corpori terebrando idonea fractis solummodò vestibus super nudam carnem constitit, æquè ac si ferreum corpus percussisset; propterea Valerius voti compos effectus in perpetuum tanti prodigij monumentum, non Tabulam solum depictam, verum etiam vestes illas confractas eidem B. Virgini in ejus Templo appendit.

Per phrenesim in puteum se projiciēs servatur incolumis.

Ginevera Uxor Perri, qui minister erat Cellæ vinariæ Magni Ducis Etruriæ, febribus usque adeò premebatur, ut & phrenesim passa quàm sæpissimè deliraret, quocirca Mēse Junio hujus anni in altum puteum sese projecit. Hoc animadvertens Magdalena Uxor cujusdam Bartholomæi, quæ eidem famulabatur, eo casu maximè commota, & expers consilij, dum vicinos convocat, ut extrahendæ de puteo Ginerveræ præstò sint, varijs precibus, ac votis Sanctissimæ Annunciatæ fœminam submersam commendavit, quam subinde non modò superstitem, sed quæ nihil incommodi ex eo casu, & ex aquarum immersione subierat, deprehendit, prout ex Libro peculiari colligitur, quo D. Annunciatæ miracula recensentur.

Puerpera morti proxima pristinā recuperat sanitatem.

In agro Casciano Paræciæ S. Salvatoris Juliana Uxor Jacobi Vesani in puerperijs constituta, antequam Filium pareret, & postqam pepererat, toto corpore tumefacta, præsertim verò gutture, facie, & linguâ in summo vitæ discrimine habita, extremâ proinde illi adhibitâ unctione, facultate loquendi destituta agebat animam; cùm autem ex adstantibus Mulier quædam, nomine Sancta, moribundam Julianam hortata fuerit, ut se Virgini Annunciatæ devoveret, illa statim

annu-

annuens, voto emiſſo, poſt biduum incolumis ab eo graviſſimo morbo die 7. Julij hujus anni evaſit, & quod ſpopondetat votum implevit.

In Paræcia S. Chriſtinæ apud Balnea Vallis Elſæ Puer quidam undecim annorum nomine Andteas, Coſmi Lotti Filius, à ſummo domûs ſolario per altitudinem viginti ulnarum præceps in terram rult, qui proinde mortuus credebatur, quippe qui duas integras hotas abſque ullo ſensûs, vel motûs indicio jacuerat; nihilominus piæ quædam Mulieres Puerum Sanctiſſimæ Virgini Annunciatæ commendarunt, nec ſanè incaſſum, revixit enim Puer, & ex eo caſu, & colliſione membrorum illicò convaluit, quem Laura Pauli Lotti die 30. Auguſti hujus anni tanquam verè ſuum B. Virgini obtulit, ſe, & ipſum coram ejuſdem Altari ſiſtens, & vota perſolvens.

Puer per præcipitem caſũ pene mortuus revivi ſcit, & convaleſcit.

Hæc, & alia hujuſmodi numeto quocunque ferè dixerim ſuperiora mitacula, & gratiæ, quæ nullo non die hiſce temporibus contigiſſe videmus, quorum perpetua ſunt Teſtimonia Tabellæ votivæ ſacris Eccleſiæ parietibus appēſæ, ex quibus potiſſimum hucuſque relata colliguntut, eò quòd vel ſub obſcutis vetbis exprimuntut, vel quòd abſque ullâ in ſcriptis relatione nnmina, & tempora non indicant, ſed Imaginem tantùm exhibent, idcirco prætermittenda duxi, tum quia nemini non obvia Tabellas illas luſtranti ſatis ſuperque mitaculorum affluentiam demonſtrant; tum quia tot, ac tanta prodigia, quibus Annales hujuſmodi hactenus ſcatent, quæque in plerum referenda ſuperſunt, omnibus [C] indiſcriminatim fidem faciunt, quam admirabile indeſinenti tenore ſemper fuerit per annos fermè quadringentos ſimulacrum Illud Sacratiſſimum Glorioſæ Dei Genitricis ab Angelo ſalutatæ, quanquam aliundè venerandum maximè fuerit juxta oraculum Gabrielis Archangeli ipſam gratiâ plenam pronunciantis, quòdque ipſa gratiam apud Deum inveniſſet; neque enim modò de ſpeciali illâ Maternitatis gratiâ, verùm etiam de pluribus alijs honoribus ejuſdem Imaginibus ab Altiſſimo collatis hoc innuiſſe videtur.

Quæ cùm ita ſint, minimè mirum quòd vel ab ipſo Imaginis hujus Divinitùs nobis conceſſæ exordio, univetſi Chriſtifideles Regiâ quoque, Imperiali, & Pontificiâ dignita- [D] te fulgentes varijs muneribus, pretioſis Donatijs, ſtatuis, alijſque oblationibus jugiter fuerint proſequuti ad hæc uſque tempora; compettum enim omnibus erat, quænam eſſet hujus theſauri conditio, quodque Divinæ beneficentiæ erga homines pignus habèretut.

Pluriũ Principum munera.

Hinc Summi Pontifices, in primis Alexander IV., Clemens pariter IV pro erigendo in ejus honorem delubto ptimas Indulgentias conceſſere; plures etiam Apoſtolici Legati Cardinales ptimo Illo ſeculo gratioſa alia Indulra contulere; Innocentius autem VI. in quadam Indulgentiarum Bullâ ſub datum anno 1361. hanc D. Annunciatæ Imaginem ci- [A] tra omnem ambiguitatem diuturnis miraculis, & gratijs admirandam, venerandamque declarat.

Summorũ Pontificum Indulgentiæ.

Hujus Sanctiſſimæ Imaginis celebtitate, & miraculotum copiâ commotus Florentinus Senatus, cùm antea decreviſſet diem Feſtum Annunciationis in Eccleſiâ Cathedrali ob memotiam ſolemnis ejus conſecrationis ſolemni pompâ celebtandam quotannis eſſe, & eò convenire cum oblationibus totius Reipublicæ Magiſtratûs, anno Domini 1416. decretum illud in aliam diem, ſcilicet Purificationis B. Mariæ Virginis eo conſilio transferendum cenſuit, ut in poſterum dies Annunciationis ſolemni pompâ celebrandus Eccleſiæ noſtræ D. Annunciatæ perpetuò teſervaretur, quemadmodum indicant publicæ [B] Tabulæ in pergameno Ser Artnnij Mariæ Franciſci Florentini Reipublicæ Notarij, cujus exemplar in Archivo D. Annunciatæ num. 116. adhuc videri poteſt. Hoc autem anno Populus Florentinus die 8. Octobris Coronam auream Margaritis, & gemmis pretioſis diſtinctam S. Imaginis D. Annunciatæ capiti imponendam obtulit P. Vincentij de Sarchiano Minoris Obſervantis in Eccleſiâ Cathedrali Concionatotis ſtudio, & eleemoſynis Auditorum collectam. Quemadmodum pari ſaltem devotionis ſenſu Nicolaus quondam Vincentij è clariſſimâ Familiâ Giugni Bajulivus Sacræ Religionis Militaris D. Stephani Papæ, & Martyris die 8. Septembris ejuſdem Anni Pallium argenteum obtulerat Sacræ duntaxat B.V. Imagini operiendæ aptarum [C] mirâ gemmarum varietate, & ſingulari pretio inſtructum, necnon varijs figuris venetanda ſeptem B. V. myſteria exprimentibus pari pretio eximiâ arte fabrefactis ornatum, gentilitio ejus ſtemmati ſuperpoſitâ ibidem in medio coronâ argenteâ deauratâ gemmis æquè ptetioſis diſtinctâ. Pallium autem hoc anno 1687. inſtauratum dicemus à Sereniſſimo Coſmo III. Magno Etruriæ Duce, cùm Chriſtallinam Cuſtodiam totæ Tabulæ aptandam cutavit, tunc enim pretioſiſſimis gemmis à Nicolao prædicto eidem pallio inſertis, uti dicebam, Lilium, Civitatis nimirum Florentinæ ſtemma poſuit, gentilitijs ſex Orbubus coronatum, Columbâ Spititum Sanctum exprimente, deſupet incumbente, in- [D] feriùs autem his verbis appoſitis: *Ecce Ancilla Domini*; quæ quidem omnia è gemmis minimè vulgaribus, elegantiſſimo artificio elaborata videmus; Sereniſſima verò Magna Duciſſa M. Magdalena Archiduciſſa Auſtriæ die 24. Decembris Lampadem argenteam pondo librarum 65. obtulit è medio laqueari illius Sacelli pendentem. Pari devotionis affectu poſt Concilium Conſtantienſe Martinus V., dum Florentiæ ageret, ad aram illam D. Annunciatæ Sacra ſæpè faciebat, & pretioſâ ſupellectili tanto Pontifice dignâ exornavit; quam deinde ſucceſſor Eugenius IV. proprijs manibus conſecrate voluit, & plurimis Indul-

Martinus V. ad Aram D. Anũciatæ Sacra facit, et dona offert.

Eugenius IV. ipsâ consecrat, & pluribus Indulgentijs ditat.

dulgentijs pro 13. Januarij die, quâ scilicet solemni pompâ consectaverat, ditavit, necnon ad aliud B. Virginis Delubrum in augustiorem formam restituendum, Rempublicam, Cives, Fratres, ac totam Urbem Florentiam excitavit, cui planè majores nostri, sicut conspicimus, morem gerere non detrectarunt; de quo satis Cent. 2. l. 5. c. 2., & Cent. 3. lib. 1. cap. 12. scripserat Gianius.

Leo X. in die Nativ. B.M.V. Jubilæũ perpetuum concedit, & varias Indulg. pro Sabbathis, & alijs diebus cujuslibet anni.

Leo deinde X. ex amplissimâ Medices Familiâ Florentiæ originem ducens, ipsique Patrię condecorandę quàmmaximè addictus, Christifideles omnes Aram illam D. Annunciatæ in die Nativitatis B.M. Virginis visitantes Jubilęo perpetuo donavit; alias etiam speciales Indulgentias pro singulis Sabbathis, necnon alijs cujuslibet anni diebus, facultatem concessit dispensandi in votis cum Peregrinantibus ad ipsam, alijsque tandem argumentis exhibitis summæ venerationis, quâ Sanctissimam hanc Imaginem prosequebatur, eandem præ miraculis, & gratijs tum numero, tum conditione conspicuis universo Orbi magno semper in pretio fuisse declaravit; de quo pariter Gianius scribit Cent. 3. lib. 5. cap. 17. ad annum 1513. & c. 19. ad annum 1514.

Gregor. XIII. in solemnitatibus B.M.V. Plenarias Indulgentias perpetuas concedit.

Prætereà Gregorius XIII. ob ipsius reverentiam, & honorem, ac Populi Florentini salutem Plenarias Indulgentias in diebus solemnibus Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis B. Virginis publicas, & perpetuas concessit; de quibus ad annum 1578. quę quidem Apostolicæ Sedis beneficentiâ consequentibus annis, prout in historię decursu videbimus, mirabile semper magis, ac magis incrementum suscepit; quamobrem hisce quoque diebus tot Summorum Pontificum Statuę, & Imagines cum eorum signis, & nominibus ibidem expositę pręsaros animi sensus omnibus luculenter ostendunt, adeò quidem ut eidem Sacratissimę Imagini jure optimo competat, quod coram ipsâ provoluti quotidie canunt Patres, & Fratres nostri; *Consolatrix Afflictorum*, *Auxilium Christianorum*, si enim præter gratias corpori collatas, quas hactenus retuli, adhuc referre liceret, quas Fidelium cordibus contulit Deipara, intimas videlicet animorum conversiones ad Deum, & aversiones à peccatis, unde celebrari quoque meritò potest, *Refugium Peccatorum*, in immensum excresceret hoc Annalium opus.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

Omnia, & singula in hoc cap. contenta patent ex Tabellis votivis, & ex monum. ejusdem Conventûs D. Annunc. de Flor.



E *Confirmatur dispensatione Apostolicâ Senarij Rector. Illustrium quorundam Virorum Gesta, & obitus recensentur. Non celebrantur Capitula Provincialia, sed Dietæ, & Generalis Ordinem visitat per Vicarios.*

CAP. II.

P. Amadeus de Florent. Montis Senarij Rector confirmatur Indulto Apostolico in regimine ad aliud bienniũ.

1 CUM P. Amadeus de Florentiâ Senarij Montis Eremum insigni solertiâ, vigilantiâ, & Eremiticæ vitæ instaurandæ studio per biennium administrasset, nedum Fratribus ipsis Eremitis, verùm etiam & Ordinis nostri Superioribus, & Serenissimis Etruriæ Principibus acceptissimum fuit, quòd in eo munere non obstantibus Constitutionibus perseveraret, qui pro-
F inde coniunctim validis adhibitis officijs, præsertim Serenissimi Magni Ducis à Summo Pontifice impetrarunt, ut Patri Generali nostro facultatem concederet super Constitutionibus prædictis dispensando, Amadeum præfatum in eâ administratione confirmandi, prout constat ex Literis Patentibus ab ipso Generali expeditis proximi sequentis tenoris. .1.

F. Balthassar Bolognettus de Bononiâ, Publicus S. Theologiæ Professor, totius Religionis Servorum Prior Generalis, Protonotarius Apostolicus, Sacri Apostolici Archihospitalis Sancti Spiritûs in Saxiâ de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis S. Spiritûs Generalis Minister.

G

Dilecto Nobis in Christo P.F. Amadeo Rectori Eremitarum S. Montis Senarij Ordinis Servorum salutem in Domino.

INsignis Pietas, quæ in Serenissimâ, & Invictissimâ Medices Familiâ, quæ erga nostram B.M. semper Virginis Servorum Religionem, & præcipuè Sacram Montis Senarij Eremum semper enituit, Serenissimum Magnum Etruriæ Ducem eò compulit, ut quieti, ac paci illius Sacri Eremitarum Cœtûs consulens à Sanctissimo D.N.D. Gregorio XV. Pontifice Maximo expostulaverit id gratiæ apponi sibi, ut R. P.F. Amadeus in præsentiarum ejusdem Eremi Cultor, ac Rector in eodem gradu, & dignita-
H *te persistere, eodemque munere fungi licitè valeret; cui cùm benignè annuerit idem SS. D. N. (dummodò tamen noster adsit consensus) Nos tanti Principis justæ, & piæ petitioni obsequi volentes, cùm præsertim nos non lateat, quanta in illo Cœnobio moderando tua fulgeat vitæ, morumque probitas, & emicet prudentia, tenore præsentium, auctoritate super hoc ab eodem SS. D. N. Gregorio XV. nobis specialiter concessâ; Te R. P.F. Amadeum in Montis Senarij Rectorem, peracto priùs præsentis Rectoratûs Tui biennio, per aliud subsequens biennium confirmamus, & confirmatum esse volumus; ita ut Rectoris dignitate polleas, idemque nomen, ac munus retineas, ac si juxta Eremitarum Con-*

stitu-

stitutiones canonicè electus fueris. Præcipientes in virtute Sanctæ obedientiæ quibuscunque, ac singulis Fratribus in eâdem Eremo degentibus, ut Tibi per omnia pareant, ac tanquam Præsuli in omnibus obsequium præbeant; non obstantibus Statutis, Decretis, Constitutionibus, ac quibuscunque alijs in contrarium facientibus. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Palatio nostro Sancti Spiritûs die 25. Januarij 1622.

F. Balthassar Generalis Servorum, & Præceptor S. Spiritûs de Urbe.

Non congregantur hoc anno Capitula Provincialia, sed tantùm Dietæ.

Hanc verò confirmationem cæteroqui fortè laudabilem ægrè tulisse videntur D. Annunciatæ Fratres, non ex eo quòd P. Amadeum in eo munere administrando reprobarent, sed ex eo quòd P. Generalis ipsis inconsultis ad hanc confirmationem processisset, cùm ipsis à jure competat Eremi illius Rectoris præelectio, & confirmatio. Hoc anno congregata minimè fuere, prout decebat, Capitula Provincialia, sed quædam solummodò habitæ fuerunt Dietæ cum Patribus Provinciali, Socio, Definitore Generali, & Vicario Generali, ad declinandas expensas, quibus subeundis ob annonæ penuriam Cœnobia non erant. Pater verò Generalis cùm totum Ordinem visitare vellet, prout sui Muneris ratio expostulabat, neque per se posset, hoc præstitit in singulis Provincijs per suos quosdam Vicarios; quamobrem ad visitandam Etruriæ Provinciam P. Magistrum Dionysium Bustotti de Florentiâ in eo nostro Cœnobio studij Regentem designavit. Ad Genuensem P. Magistrum Philippum Ferrarium Alexandrinum; Ad Romanam P. Magistrum Aurelium Piccionium à S. Florentio Perusij. Ad Provinciam Romandiolæ P.M. Theophilum de Bononiâ. Ad Provinciam Lombardiæ P.M. Constantium Parmensem. Ad Provincias Marchiæ Tarvisinæ, & Venetam PP. Provinciales earundem respectivè. Ad Provinciam Mantuanam P. M. Joan. Hieronymum de Ferrariâ.

Generalis per suos Vicarios visitat singulas Ordinis Provincias.

Quatuor interim Eremiticæ vitæ cultores è Senarij Montis Instituto, ad cœlestia in Montibus sanctis conscendere creduntur, cùm placidam oppetunt mortem, scilicet P. Gabriel de Cortonâ, P. Petrus Fancifcus de Florentiâ, P. Angelus Maria, & F. Mansuetus ambo Florentini, quorum gesta paucis saltem æquum est recensere, quippe qui non absque sanctitatis opinione decessere. P. Gabriel in primis cognomine Boni verè bonus Cortonensis, & jampridem in Ordine Servorum Cortonensis Cœnobij Professus gradum fecit ad Eremum die 8. Augusti anno Domini 1595., & Eremiticum Habitum induit die 24. ejusdem Mensis, & anni, ætatis suæ 50. solemnem verò Professionem unà cum alijs decem, prout ex Eremi monumentis apparet, die 25. Januarij 1607. emisit. Septennis Habitum in Ordine Servorum induit, in quo quadraginta tres annos laudabiliter vixit, & A plura administravit Cœnobia, utpote à superioribus Ordinis, præsertim verò à Generali Montursio magno habitus in pretio, qui proinde anno 1597. Cœnobio S. Marcelli de Urbe ipsum præfecerat; quam tamen Præfecturam ipse constantissimè renuit, tanquam adversâ utens valetudine, & Venerabilem Cæciliam de Bernabeis concivem suam dirigendam suscepit; sacras item pluries habuit conciones, & nonnulla reliquit Quadragesimalia. In Domo Lauretanâ generalem suorum Criminum Confessionem apud alterum ex illis Pænitentiarijs habens ad severioris vitæ genus excitatus, & pluribus à Deo gratijs ditatus ad Eremum Senarij se conferre decrevit. Ibi verò Reverendissimo Angelo Maria B Montursio dirigente, cujus monitis, & apud Deum precibus, cùm adhuc vitam degeret Florentiæ solitariam, ad sanctioris vitæ genus amplectendum vocatus jampridem fuerat, à quo proinde plures receperat Divino spiritu refertas Epistolas, seriò Eremiticæ vitæ operam dabat, séque in consummatâ perfectione Religionis informando; B. Virgini, & pluribus alijs Sanctis addictissimus, quorum celebrabat sæpè memoriam, jejunium speciale in eorum pervigilijs servabat; longè ante præscriptam noctis horam surgebat, ut Divinis laudibus persolvendis majori studio vacaret; nemini proinde secundus Choro intererat, ubi eâ corporis modestiâ, eâ mentis attentione aderat, ut ferè sensibus destitutus C videretur; sacrum insigni religione faciebat, necunquam in operibus bonis exercendis satis sibi factum existimans, alia semper & alia adhuc exercenda excogitabat, & cæteros ad idem præstandum vehementer excitabat. Eremum bis administravit summâ prudentiâ, & charitate, Regularis disciplinæ magis semper ac magis ibidem promovendæ studiosissimus, Adolescentibus Eremitis hujusmodi sensus instillare nitebatur. Plures annos vitam duxit reclusus, donec anno 1614. corruente præ incendio, in quâ degebat, cellulâ B. Alessio dicatâ feriâ 3. Majoris Hebdomadæ, Eremiticam cum cęteris repetit vitam. Ejus operâ apud Patres Discretos D. Annunciatæ id assequutus est, quòd Eremi Superior, qui D prius dicebatur Vicarius, Rectoris nomine distingueretur. Summæ existimationis erat apud Primarios Florentiæ Proceres, Elisabetham videlicet Bonsi Caponi sanctitate celebrem, prout ex ejus gestis in lucem editis constat, quacum spirituali tum per epistolas, tum colloquijs quoties Florentiam adibat, cœlestique consuetudine utebatur. Prætereà Bajulivum Cioli, quem præ singulari benevolentiâ suum Nepotem vocabat, Tobiam Matthæi nobilem Anglum pro defensione fidei Catholicę jampridem in Angliâ captivum, qui Mandrisio usque 70. scuta ad ipsum transmisit fabricę S. Martini apud Senarium eroganda; Laurentium Usimbardi Serenissimi Magni

P. Gabrielis de Cortonâ Eremitæ Mõtis Senarij obitus, & laudes.

Ducis

Ducis primum secretarium; Apud Ducem Verlich, ac denique, quod maximi habendum est, apud Serenissimos Ferdinandum Magnum Ducem, Christinam ejus Conjugem, eorumque Filios, necnon alios, tum Ecclesiasticos, tum Laicos primi subsellij Magnates. Ex quo copia non mediocris illi suppetebat pauperibus opem ferendi in causis non modò civilibus, verùm etiam criminalibus, & celebris Eremo accessit Cisterna Serenissimi prædicti Magni Ducis munificentiâ extructa, prout constat ex Epistolâ quadam ejusdem Serenissimi sub datum die 28. Septembris anno 1607., quâ Patribus Eremitis de gratijs Altissimo agendis mandat pro expugnatione Bonnæ in Africâ, quæ Epistola in libro Monumentorum Eremi apparet; siquidem ex eâ colligitur, quòd Gabrieli nostro potissimùm munificentia prædicta referenda sit accepta; quæ nonnisi duodecim millium, & bis centum aureorum impendio completa fuit. Hæc autem cisterna desuper imminens habet amplissimum atrium stratum undequaque lapidibus scalpri manu aptatis; infra verò per dimidium ferè ejusdem atrij cavitatem quandam sortitur aquæ pluviæ per totum anni circulum excipiendæ accommodatam, indigentiæ Eremi, & hortorum adaquationi satis appositam, sed veriùs dixerim necessariam, ex quo in eâ Montis summitate puteos excavare non licet; ista verò cavitas complecti dicitur decem, & octo millia circiter cadorum, cui ex æquo respondent in lapide vivo canales, et sinus, quos pertransiens aqua ad vas designatum defertur limpida prorsus, ac munda. Novitijs in Dei servitio, in studio virtutum, in oratione prosequendâ, in resistendo tentationibus, confortandis, & ad pietatem vehementer excitandis solo sui aspectu quoque maximè accommodatus evadebat. Componendis discordijs natus plurimos ad invicem conciliavit singulari præditus ad hoc animi dispositione; interior quies, solitudo erant ipsi in delicijs, & adeò in Deum rapi videbatur, ut simplicitati Puerorum ferè dixerim restitutus, hilaris semper, semper jucundus, Deum semper in ore, semper in manibus, sive in opere habebat, quem semper in corde gerebat. Paupertatis rigidissimus Custos, nedum superflua respuebat, verùm etiam penuriam affectabat in necessarijs, vestes plerunque mundas quidem, sed resarcinatas gestabat, seque ab omnibus, vel etiam à minimo quoque rerum amore, verè spiritu pauper, alienum omninò servabat; cæterùm alijs cujuscunque generis fuerint, non habito Personarum respectu, indiscriminatim omnibus adiuvandis, prout eorum necessitas perebat, præstò semper fuerat. In adversis idem semper ac in secundis Jobi patientiam æmulabatur. Silentio, laboribus tum in hortis, tum intra domum, tum alibi haud mediocriter vacabat; Libellum prætereà adhibebat, in quo eorum nomina describebat, qui se ejus orationibus commendarant, ut eorum necessitatibus longè faciliùs satisfaceret, & Beatam sortem sibi contigisse unusquisque putabat, cujus nomen descriptum ibi foret. In extremâ sui infirmitate, quâ laboravit in Infirmariâ D. Annunciatæ de Florentiâ; longè plura venerationis argumenta obvia fuere, quâ Proceres prædicti ipsum prosequebantur, ipsum enim quàm frequentissimè visitabant, eique humili quidem specie ministrabant, sed hoc sibi tanquam honori maximo ducentes. Denique Sacris omnibus munitus die 17. Junij anno Domini 1622. ætatis suæ 77. in eadem Infirmariâ in osculo Domini obijt; cujus deinde corpus à Confratribus Societatis Biviliani juxta eorum consuetudinem delatum in Eremo de more tumulatum fuit; plura quidem præstitit tum exemplo, tum verbis, quæ ipsum immortalitati consecrari posse videntur; hoc unum præ cæteris mihi modò subit nullatenus prætereundum, quod idem Gabriel dictitare passim solebat, Adolescentibus præsertim erudiendis. Quantumlibet interius, quisquam, ajebat, diabolicas colluctationes, & indolis propriæ vitiatæ contrarios stimulos experiatur, quoties ostium circumstantiæ labijs suis imposuerit, ad examen vesperi seipsum citando coram æterno Judice nihil omnino, vel vix aliquid minimum, in quo redarguere se possit, deprehendet. Dein de P. Petrus Franciscus in seculo vocatus Flaminius Laurentij Bonsij Patritij Florentini Filius Habitu Eremitico suscepto die 6. Aprilis anno Domini 1614., anno sequenti 1615. die 11. ejusdem Mensis Professionem solemnem emisit, unà cum P. Antonio Mariâ, & Fr. Joachimo Oeniponten ad recens Cœnobium D. Josephi profectus est, & pro modulo suo operam dedit sanctiori vitæ generi, quod loci, personarum, ac temporum in illis Regionibus patiebatur conditio, summo studio instituendo, ibique primum celebravit Sacrum. Unà verò cum P. Angelo Mariâ procedente tempore ad recentem Eremum Montis Virginij in Ducatu Brachiani perrexit, ubi postquam religiosam duxerat vitam, qui virtutes omnes invariato tenore ubique coluerat, gaudium animi ridenti facie exhibens, de gloriâ retributionis hilarescens die 18. Junij hujus anni in Domino decessit, & secus murum Ædiculæ tunc temporis extructæ tumulatus. F. Mansuetus autem in seculo nomine Petrus Joannis Perinelli Filius die 22. Maij anno Domini 1594. Habitu Oblati indutus, deinde Fratris Conversi die 26. Decembris anno 1598., professionem solemnem emisit, die 16. Martij anno Domini 1607., ætatis verò suæ 27. Eremiticæ vitæ sedulò vacabat, ac propterea constitutionum Observantiæ, & publicis pœnitentijs eo sui contemptu, ut cæteros ad pietatem inflammaret. Infirmorum curæ præpositus quamdiligentissimè iisdem aderat, & pro eorum opportunâ custodiâ laboribus quibusque superior operam omnem impen-

P. Petri Frācisci Bonsij Eremitæ obitus, & laudes.

F. Mansueti Eremitæ obitus, & laudes.

impendebat. Indole naturæ fervidus profe-
ctò erat, sed studio virtutis eidem, prout par
erat, teprimendæ non minùs addictus. Ora-
tionis pariter studiosissimus, quâ præeunte
virtutes omnes excolendas esse jam probè no-
verat, eâ temporis diuturnitate genibus pro-
volutus terræ adhærebat, ut in altero ex illis
præ insigni tumore superveniente laborave-
rit. Obijt tandem in infirmariâ apud S. Mar-
tinum prope Eremum die 16. Julij hujus anni,
& à cæteris omnibus Eremitis processionali-
ter ad eandem tumulandus delatus. Postre-

Angeli Mariæ Eremitæ Montis Senarij felix obitus, et laudes.

mò P. Angelus Maria nemini fortè secundus
in seculo vocatus Alexander Alexandri Me-
dices Patritij Florentini Filius die 25. Martij
anno Domini 1601. ætatis suæ 30. Habitum
Eremiticum induit, die verò 31. Maij anno
1602. Professionem solemnem emisit, die pa-
riter 25. Martij 1607. primò Sacrum fecit.
Quinque annos reclusus sanctissimam vitam
instituit, quæ sanè non mediocri ædificationi
omnibus jugiter fuit, Serenissimo præsertim
Ferdinando, qui eum invisere voluit, non
autem alloqui, ne à Sanctis ejus Meditationi-
bus distraheret, apud quem, sicut & apud
omnes Florentiæ Magnates summo habeba-
tur in pretio. Ejus operâ Aloysius illius Ger-
manus quatuor Cellas ædificari in Eremo
mandavit. Philippus verò Salviati Cellam
in hortis, quæ vulgò nomine Salviati circum-
fertur. Eremo quoque Montis Virginij, quam
unà cum cæteris ad Eremiticam vitam primò
instituendam eò missis coluerat, maximè con-
suluit, quippe qui à pluribus Romæ Proceri-
bus non pauca tum Ecclesiæ, tum Domui ne-
cessaria comparavit. Obedientiæ addictissi-
mus, suique contemptor non vulgaris, unà
cum P. Macario per suburbia Florentiæ om-
nibus notissimus, & ejusdem virtutem maxi-
mâ sui admiratione commendantibus, vi-
ctum ostiatim emendicare non erubuerat.
Denique 52. agens annum Romæ, quò se con-
tulerat pro Senarij Montis negocijs, in Cœ-
nobio Sancti Marcelli hoc anno sanctissimè
obijt, in eâ Ecclesiâ deinde tumulatus. Hoc

Irenæi Caccassini de Placentiâ, & Petri Francisci Barbieri pariter de Placentiâ obitus, & gesta.

pariter anno è vivis excessere mense Octobri
P. M. Ireneus .2. Caccassinus de Placentiâ
Provinciæ Mantuanæ Præfectus magnæ in eâ
Urbe existimationis, & Pœnitentiarius Syno-
dalis, cui in hoc munere antecessit P. M. Pe-
trus Franciscus Barbieri Cœnobij D. Annæ
in eâdem Civitate Professus, qui pariter Cō-
sultor fuerat Sancti Officij Theologus, Con-
cionator, & Canonista laude dignus, seculo
jampridem defunctus. Florentiæ verò 18.
die Novembris Thomas ille de Rimbottis

Thomæ de Rimbottis Presbyt. Florent. obitus, et gesta.

Presbyter Florentinus Protonotarius Apo-
stolicus, ideò nostris Annalibus inserendus,
quia B. Philippo Benitio dictante tres hym-
nos in ejus laudem composuit, de quibus ad
annum præcedentem dictum est; lætus au-
tem, & hilaris mortem expectabat proximè
futuram, quia, prout ipse testatus est, tri-
ginta continuos annos Beatam Virginem quo-
tidie rogaverat, quòd hanc ipsi gratiam à Do-
A mino impetraret, ut hilaris, & gratiâ Dei
prædıtus obiret; hinc voti compos effectus
est. Prætereà Pisis F. Bonaventura Martinius

Bonaventuræ Martinij à Monte Politiano Clerici Professi obitus, & gesta.

à Monte-Politiano adhuc Clericus, sed im-
mortalitatem emeritus, quia adhuc adole-
scens Literis addictissimus, maximè verò Poe-
si, in dicendo præclarus, quique plura metro
scripserat in honorem B. P. Philippi, ac pro-
inde summæ apud Patres erat expectationis.
Denique non sine ingenti lachrymarum co-
piâ, quia non sine ingenti Ordinis nostri ja-
cturâ, recolendus occurrit obitus P. M. Ar-
changeli Ballottini Bononiensis, utpote huc-
usque relatis superioris, cui proinde, prout

Archangeli Ballottini Bononiensis obitus, & gesta.

par est, obsequi cupiens, præclara ejus gesta
prosequi laudibus decrevi. Vir iste Ordini
B nostro illustrando addictissimus, nedum cele-
berrimo Bononiæ Cœnobio, tum in amplissi-
mâ structurâ, tum in annuis proventibus am-
plificando, quod bis administrarat; verùm
etiam cæteris Cœnobijs, speciatim verò
Rhegiensi, quod pariter bis administraverat,
& ipsum administrans, gloriosè obijt, quin-
immò toti Provinciæ Romandiolæ, cui
Præfectus antea fuerat, haud mediocriter
consuluit. Hinc à Serenissimo Alphonso
Estensi novissimo Ferrariæ Duce, quem sua-
vissimis moribus, & rarâ eloquentiâ sibi val-
de devinxerat, absolutam possessionem pro
eodem Ordine assequutus fuit celeberrimæ
B. Virginis Imaginis, quam Universus Orbis
in Ecclesiâ nostrâ apud Rhegium Lepidi ve-
C neratur. Summo quoque studio cultum pro-
pagare contendit Deiparæ Dolorum, & So-
cietatem Habitûs ejusdem ubique gentium
dilatare, quod sanè præstitit nedum sacris
Concionibus, sed etiam varia opera in lucem
edendo ad hanc rem accommodatissima, sci-
licet, *De Origine, Progressibus, & Privilegijs
Ordinis Servorum*. Insuper alia quædam Ita-
lico idiomate, quorum primum inscribitur
Fons saluberrimus Jesus, & Maria; ubi Ange-
lus animam edocet Jesu Christi Passionis me-
ditandi normam, unà cum suis soliloquijs;
secundum inscribitur: *Pij compassionis affectus
erga septem Beatæ Virginis Dolores in Filij sui
Passione, ejusque planctus in morte illius*; Ter-
tium inscribitur: *Decem discursus super San-
D ctissimum Mariæ nomen*; Quartum inscribitur:
*Anima compatiens recordatur Deiparæ acerbis-
simam Filij sui passionem 7. majores dolores ex-
pendens*; Quintum inscribitur: *Devotio sacra
pro expectatione partûs B. Virginis Mariæ*,
quæ in Ecclesijs Ordinis Servorum celebra-
tur; Sextum inscribitur: *Praxis Coronæ sep-
tem Dolorum B. Virginis recitandæ*; Septimum
inscribitur: *Discursus super Coronam 7 Dolo-
rum B. Virginis Mariæ, in gratiam eorum, qui
ejusdem Habitum gestant*; Octavum inscribi-
tur: *Mariæ pulchritudo in Canticis à Salomone
descripta per 20. Discursus ejus virtutes expli-
cantes*; Nonum inscribitur: *Purgatorium ani-
mæ* in tres partes divisum, in quarum primâ

agit de veritate Purgatorij, in secundâ de Purgatorij pœnis, in tertiâ denique de animabus ipsis per suffragia juvandis; Decimum inscribitur: *De vitâ, actionibus, & morte Antichristi*, duabus explicata figuris, altera quidem ex veteri Testamento apud Danielem; ex novo altera apud Joannem in Apocalypsi; Undecimum inscribitur: *Tractatus de Custodiâ Angelicâ*; Postremum inscribitur: *De Indulgentijs Ordini nostro concessis*; quod opus ex mandato Capituli Generalis anni 1618. perficiendum aggressus varias diligentias adhibuit Archangelus, præ ceteris verò plura ex Archivo nostro D. Annunciatæ de Florentiâ unà cum P. Gregorio Alasiâ transcripsit ad rem propositam accommodata. Quorum operum plura quidem Typis impressa omnibus prostant; aliqua verò, licèt F absoluta, in lucem tamen non edita sunt, quia morte præventus Archangelus ipsa Typis mandare non potuit; ex quibus compertum videtur quonam affectu B. Virginem prosequeretur insignis hic Vir, qui, quamvis eloquentissimus Orator in plurimis Italiæ Urbibus, Romæ verò præsertim Verbum Dei gloriosè promulgaverit, incredibili plausu ubique exceptus, & à Magnis Viris, summisque Principibus in summo pretio habitus, licèt insignis Theologus, & Bononiensium Doctorum Collegio anno 1586. die primâ Aprilis cooptatus, in disputationibus honorifice se gesserit, & magnum sibi nomen comparaverit, ac proinde Theologica in lucem edendo, vel sacras Conciones, vel alia quæcun- G que opera genuinos ingenij sui fœtus politioris literaturæ, & profundioris Doctrinæ nomen apud eruditos quosque ex posteris vindicare sibi potuerit; nec sibi, nec inani hujusmodi consulens gloriæ, eò solùm animum adjecit, ut debitum B. Virgini exhiberet obsequium, & ad idem præstandum cæteros foveret, potissimùm verò quod spectat ad amarissimam ejus Passionem, à quâ profectò nonnisi æternam sperare potuit consolationem. Hoc in Archangelo erga Deiparam studium ipsum etiam impulit, ut à Summo Pontifice Clemente VIII., cùm Romæ Quadragesimales Conciones haberet, nervis omnibus imperrare contenderet facultatem authenticam solemniter coronandi in sero Sabbathi Sancti H per singulas Ordinis Ecclesias Beatæ Virginis Patronæ nostræ imaginem, & privilegia quædam pro Societate Habitûs. Itaque Archangelus post tot præclarè gesta, post tot exantlatos labores hoc anno die 29. Augusti apud Rhegium Lepidi moritur, nunquam sanè moriturus, quem immortalitate donant præter edita ejusdem opera, Gianius in suis Annalibus pluribus in locis adhuc superstitem, Gregorius Alasia in Catalogo Virorum illustrium Bononiensis Cœnobij; Alidosius in lib. Doctorum Theologorum Bononiensium; Crescentius in Præsidio Romano; Michael Angelus Salvi in Catalogo scriptorum; Dominicus Terseni in Coronâ Gemmarum; E Masini primâ parte Bononiæ perlustratæ cap. 54. Liber memorabilium Bononiensis Conventûs pag. 57. qui unanimi consensu Archangelum nostrum summis laudibus exornant. Insuper Lucæ in Etruriâ P. M. Bartholomæus Lucensis celeberrimus Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Professor, qui primarios illius Reipublicæ Proceres in his facultatibus erudivit, præsertim verò Lælium Altogradi J. U. Doctorem primi nominis, prout ejus opera in lucem edita testantur, qui Patribus illius nostri Cœnobij dictitare passim solebat se plurimum ex ijs, quæ jam didicerat, vel omnia potius à P. M. Bartholomæo accepisse. Virum denique istum Scriptores etiam dignis encomijs prosequuntur.

Bartholomæi Lucensis obitus, & gesta.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

1 *Ex monum. Senarij, & è notulis Gianij ad hunc annum.*

2 *E' supplem. Annalium, & alijs m. s. ejusdem Gianij.*

Breve Apostolicum pro Eremo Montis Virginij. Festum B. Philippi celebratur solemnius. Deputantur Procuratores pro causâ Beatificationis B. Francisci Patritij, & enarrantur miracula. Societas Habitûs dilatatur, & enarrantur ejusdem Habitûs Miracula. Adrianus Mannozzi Prior Bonifacij. Balthasar Generalis Thesaurarius, & Depositarius Pontificius.

CAP. III.

Ea tunc erat ab ipso usque exordio Eremi nostræ in Monte Virginio recens erectæ opinio, ut humillimis P. Bernardini de Ricciolinis de Florentiâ Eremitæ, & illius Eremi Fabricæ Præfecti supplicationibus faciliè permotus Summus Pontifex Gregorius XV. eidem Eremo faveret, ad ejusdem Eremitas sustentandos, dum quinquaginta aureorum summam, quam PP. D. Annunciatæ de Florentiâ Senarij Montis Eremo solvere quotannis solebant, Eremo illi solvendam decernit, prout ex ijs, quæ sequuntur, apparet.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Bernardinus à Florentiâ Eremita expressè Professus Eremi Montis Senarij, Florentinæ Diœcesis, Ordinis Fratrum Servorum B.M.V. quòd Eremo prædicta 50. Plastra annua, & ampli-

amplius Monetæ Florentinæ à dilectis Filijs Priore, & Fratribus Domûs Annunciationis B. M. V. Flor. ejusdem Ordinis ex fructibus quorundam Bonorum dictæ Domui intuitu Personæ dicti Bernardini ad hoc, ut suis religiosis necessitatibus subvenire valeat, aequisitorum annuatim persolvuntur. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, Bernardinus prædictus nonnullis abhinc annis ad novam ejusdem Ordinis Eremum propè terram Horioli, & in loco olim Monte Sastuno, nunc autem Monte Virginio nuncupato, & fundandum, & erigendam à Superioribus suis Romam missus fuerit; nova verò Eremus hujusmodi, in quâ ipse Bernardinus una cum alijs octo Eremitis ejusdem Ordinis Dilectis Filijs ad præsens commoratur, redditûs pro illius Fabricâ, ac Eremitarum ibi degentium prædictorum sustentatione necessarios minimè habeat, cupiatque propterea idem Bernardinus, cùm Eremus Montis Senarij prædicta sufficientibus redditibus aliunde, quam ex summâ prædicti, dotata reperiatur, per nos, ut infra, opportunè provideri. Nos novæ Eremi hujusmodi necessitatibus quantùm cum Domino possumus, prospicere, dictumque Bernardinum specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & Pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; quòd de cætero summa quinquaginta plastrarum hujusmodi per Priores, & Fratres prædictos dictæ Eremo Montis Senarij solvi solita, ut præfertur, novæ Eremo prædictæ per eundem Priorem., & Fratres solvi debeat, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium decernimus, & declaramus; non obstantibus quatenus opus sit, felicis recordationis Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Domûs, & Ordinis prædictorum, & juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romę apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 26. Augusti 1622. Pontificatûs anno secundo.

S. Card. S. Susannæ.

Festum B. Phil. solemniori pompâ in Urbe celebratur.

Hoc anno Ordinis nostri Patres potissimùm in Urbe B. Philippi Benitij solemnia longè honorificentiùs, & longè maiori pompâ, quàm antea præstitissent, celebrare cæperunt. Cùm enim eo temporis maximè ferveret opus de solemni ejusdem Canonizatione, quemadmodum è superiùs dictis innotescit, animum seriò adiecere ad excitandam magis semper ac magis in omnibus Christifidelibus erga eundem Beatum Religionem. Intereà A Senis percrebrescente famâ sanctitatis B. Francisci Patritij, cujus meritis nonnulla patraverat Altissimus miracula mox recensenda, Civitatis illius Proceres causam ritè agere Beatificationis ejusdem meditabantur. Quamobrem 15. die Julij hujus anni per supremum Ballæ Magistratum plausibili suffragiorum omnium consensu ad id muneris Actores, & Procuratores electi fuerunt DD. Fridericus Fortiguerra, & Octavius Salvestrius J. U. Doctor, necnon Virgilius Vecchius Secretarius Legum. Deinde à Patribus nostri Cœnobij Senarum ad idem munus designati fuere P. Philippus Monteboni, & P. Joannes Maria Savini Ordinis nostri Senenses. Hic autem è renatâ recensenda paucis existimo admiranda B quædam B. Francisci intercessione ab Altissimo perpetrata, ex processu desumpta, quem Senis hoc anno 1622. ab Archiepiscopo illius Urbis confectum legimus in Archivo Conventûs Florentiæ pro formali ejusdem Beatificatione.

Eligũtur à supremo Balìæ Magistratu Senarũ Procuratores pro Beatificatione B. Francisci Patritij

Qui pariter eligũtur à Patribus Cœnobij.

1 Cosmus quondam Angeli de Canatellis Senensis Machæropeus die 15. Januarij testatur, se 12. ab inde annis lapillis, & calculis graviter laborantem, quin ulla evadendi spes ei humanitùs suppeteret, B. Francisci ope imploratâ, lapidem feliciter emisisse, sicut & alios lapillulos post biduum, nec ulteriùs morbo hoc laborasse.

Calculis laborãs sanatur.

2 Minor quidam Conventualis membris attractus intelligens anno 1619., quòd B. C Francisci corpus solemni pompâ per Urbem circumferretur, opem ejus ex animo invocavit, statimque liber evadens, Ecclesiam ipsam veneraturus adijt, ibique Tabellam votivam, & lignea fulcra appendit.

Mẽbris attractus sanatur.

3 Laurentius præ Lapide gravissimè laborans hoc anno ineunte, subuculâ quadam B. Francisci corpus tangendum curavit, eam verò indutus lapidem statim emisit, nec unquam ulterius vices hujusmodi subijt.

Calculis laborãs curatur.

4 Bartholomæa Joannis Dominici Panducci Filia sexennis, anno 1619. unà cum Genitrice è domo exire contendens sacras B. Francisci Reliquias veneratura in præceps per scalam ruit; sed Beati Francisci meritis, cujus opem in eo temporis momento imploD raverat Genitrix, illæsa prorsus, & integra permansit.

In præceps ruens integra permanet.

5 Eodem anno Monialis quædam in Monasterio Sancti Nicolai ex illustri Patritiorum Familiâ progenita, postquam diu ægrotaverat, B. Franciscum invocans, cùm ejus Corpus solemniter per Urbem traducebatur, illicò convaluit.

Diutino morbo affecta statim convalescit.

6 Sanitatem pariter hoc anno 1622. Mense Augusto recepit Francisca Tertij Ordinis S. Francisci, quæ malignâ febri, & excessivâ cephalgiâ laborans ad B. Franciscum Patritium confugerat.

Gravissimâ infirmitate laborãs illicò sanatur

7 Eodem anno Christophorus Guasti Aromatarius exanthematibus undequaque refe-

Pestifero morbo affectus convaluit.

ctus, & pestifero morbo affectus, morti proximius à Medico habebatur, ipse verò B. Francisci opem implorans convaluit.

E

Plura alia hujus generis beneficia judicantur.

8 Plura quoque beneficia se accepisse B. Francisci intercessione per literas ad avunculum suum P.M. Franciscum Borghesium Politianensem eodem anno datas testatur Soror Maria Hieronyma Pacini pariter Politianensis, eumque proinde summâ se prosequi veneratione; quibus accedit, quòd P. Camillus de Baldis Senensis Ordinis nostri Baccalaureus, & Philosophiæ Lector in hoc Processu re-stis juratus asserit die 7. Februarij, pluries Missam votivam de B. Francisco à Christifidelibus in Ecclesiâ nostrâ de Senis petitam fuisse ob varia beneficia ipsis collata.

Mēbris attracta, & doloribus affecta omnino soluta remanet.

9 Qui subinde testatur Catharinam Cosmi Machæropei membris attractam, & doloribus vehementer affectam Rosarum contactu, quæ B. Francisci corpori appositæ fuerant, solutam omninò fuisse.

F

10 Insuper eamdem Rosarũ contactu, sicut alios innumeros, ita & Virum quendam ex Familiâ de Beccasumis dolorem dentium, quo graviter laborabat, evasisse. Testatur adhuc quòd Bartholomææ Cardavelli magnę sanctitatis Fœminæ B. Franciscus, quem ipsa eximio venerabatur affectu, noctu quadam videndum se obtulerat, ac pollicitus Familiæ concordiam fuerat; Hanc refert Alasia in Alphabeto historico.

Dolore dentium laborans liber evadit.

Solemnis Processio instituitur Massiliæ.

Massiliæ verò Summi Pontificis diplomate, quod in Archivo eius Conventûs servatur, instituta solemniter fuit celeberrima Congregatio Habitûs Ordinis Servorum ex utriusque sexûs Christifidelibus conflata, pluribus confirmata decretis ad majorem Populi pietatem fovendam, & ad cultum Deiparæ Virgini augendum. Hic autem opportunum existimo illud in primis recensere, quod P. M. Angelus Maria Berardi de Perusio ad Archāgelum Gianium scripserat anno 1619. sub datum Tuderti die 28. Junij, quòd scilicet in eâ Civitate Tudertinâ Societas quædam nuncupata *de Misericordiâ* ipso Berardio dirigente, & mirum in modum fovente, consuetudinem exceperat recitandi singulis diebus festis Coronam quinque Psalmorum in honorem B. M. Virginis à Majoribus nostris divinitùs institutam anno 1241., de quâ ipse Gianius ad dictum annum, septies verò Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam in memoriam ejusdem Virginis Dolorum; quâ planè in societate plura sibi suadebat Berardius fieri posse, quæ ad majus B. Virginis, & Ordinis nostri decus vergerent, si nostrum non defuisset opus. Interim verò Societatem Habitûs etiam scripserat inibi non mediocre incrementum suscipere, & longè majus sperandum nobis esse, cùm annorum vix duorum spatio plusquam mille recensuerit, qui se eidem fuerant adscripti, potissimùm verò ex illius Urbis Primariis. Deinde mirabilia quędam referre decet, quę Divinitùs contigerant pręcedentibus annis, ut exinde innotescat, quàm accepta sit Fidelium devotio erga Deiparam, & Habitum septem ejus dolorum. Matthæus quidam de Franciscis Civis Vincentinus, mense Julio anno Domini 1620. epidimiæ morbo, & vehementi febre affectus, cùm sibi mortem imminere prospiceret, Sororis suæ Prudentiæ exhortatione excitatus, votum emisit de suscipiendo prædicto Habitu; vix autem emisso voto incolumis evasit. Elisabeth Neptis præfatæ Prudentiæ de Franciscis Pustulis laborans, toto ferè corpore tumefacta, præsertim verò facie deformis in summo oculorum discrimine pluribus incassum adhibitis remedijs miserrimè languebat. Itaque Prudentia ad B. Virginem confugiens Habitu, quem gerebat, neptem consignavit, vovens se eandem prædicto Habitu induturam, si convalesceret, quo præstito, Elisabeth illicò absque ullâ vultûs, & oculorum læsione convaluit.

Perusij augetur cultus 7. Dol. B.M.V.

Mirabilia Habitûs Dolor. B.V.M.

Ecclesiam, cujus primum lapidem anno proximè superiori Regiâ pietate, quam ibi descripsi, jecerat Serenissimus Leopoldus Archidux Austriæ in VValdrast, & acerrimo bello, quod in Thelinâ Valle à Grisonibus ipsum urgebat, & gravissimo morbo, quo premebatur, omninò superior hoc anno aliquomodo perfecerat, quippe qui Mariæ Virginis cultus non minùs ipsi curæ erat, quàm cætera quæcunque verè ardua negocia, quâ de re frequentibus literis, quasi continuis stimulis ad hoc ædificium complendum incitare eos non detrectaverat, quos eidem præfecerat; ex quâ verè laudabili solicitudine illud planè consequutus fuit, ut & integram valetudinem recuperaret, bellum feliciter confecerit, duplici beneficio Deum, atque Deiparam sibi propitios expertus. Etsi verò hæc ita se haberent, non adhuc sibi satisfactum ratus curam omnem adiecit, ut ibi Divina pro rei dignitate peragerentur B. Virginis decori, & Populorum utilitati consuleretur; quamobrem novellis Ordinis nostri Religiosis, quibus jam destinaverat prædictam Ecclesiam regendam, licentiam ab Ordinario Brixinensi Ecclesiastica ibidem munia peragendi impetravit, quæ est tenoris sequentis, *Antonius Crosinus Sacræ Theologiæ &c.*, quam fusè retulimus ad annum 1621. cap. 8.

Perficitur Eccl. VValdrastensis.

G

H

Hoc anno instauratur magnopere in Conventu D. Annunciatæ de Florentiâ Bibliotheca ex Redditibus Reverendissimo Lælio Balleonio ex Theologicâ Lectione per annos 13. Pisis habitâ obvenientibus, quemadmodum erecta fuerat anno Domini 1615. in Conventu S. Mariæ Novæ de Perusio à Feliciano *della Penna* egregia Bibliotheca pluribus adhuc deinceps Libris instructa à PP. MM. Adriani, Aurelio, & alijs. Pisis pariter à Reverendissimo Jacobo Tavanthio seculo proximè superiore, Romæ in Conventu S. Marcelli, in Conventu Servorum Bononiæ, Biturgij, Patavij, Brixiæ, Placentiæ, & alibi alijs temporibus. Hisce pariter diebus D. Urania de

Checco.

Senis erigitur Eremitorium Sororum Tertij Ordinis Nostri

Checconis unà cum alijs Mulieribus Religiosissimis, & sancto Habitu nostro indutis Eremitorium quoddam erigere in eo loco meditabantur, in quo vitam olim ducebant nonnuliæ B. Francisci Parritij Alumnæ, ibidem sanctiotis vitæ genus suscepturæ sub Regulâ, & Habitu Sotorum Ordinis nostri excalceatarum, cui perficiendo consilio varia excogitabant media, præsertim verò diuturnas, & ardentissimas ad Deum, ac B. Virginem Orationes producebant, séque aliorum orationibus commendabant. Interim verò ædiculam quandam construere cogitabant B. Joachimo Ordinis nostri dicandam. Eodem anno Kalendis Martij in Conventu nostro S. Antonij Saxari diem supremum obijt P. Lucas Solines à Bonannaro ejusdem Conventûs Alumnus, Vir minimè prætereundus, quippe qui ab omnibus maximo habebatur in pretio, tum à Proceribus, tum à Populo ob insignem Sanctimoniæ famam, & puritatis Candorem; quamobrem plurima commoda eidem Conventui obveniebant, ita quidem ut aliquando unâ eâdenque die plures Panum undique congestorum saccos certatim deferrent, qui eundem Lucam singulari prosequebantur veneratione. Ejus cadaver expositum de more in Ecclesiâ tumulandum quàmcitissimè fuit, nam ter, & quater expoliarum à confluentibus Populis singulari erga ipsum Devotione commotis detinendum ibi amplius non erat, è quo maximam scatere fragrantiam universi sensere; hinc minimè mirum quod Regionis illius incolæ aliquid secum deferre certatim studuerint, quod usui eidem fuisset, sive Habitum, sive Breviarium, sive Calceos, & hujus generis alia; in loco denique peculiari ejusdem corpus reconditum jacet.

Obitus, & laudes P. Lucæ Solines Tunstani.

Florentiæ die 10. Septembris hujus anni P. M. Adrianus Mannoctius Florentinus à Serenissimo Magno Etruriæ Duce, cui acceptissimus erat, Prior eligitur Hospitalis Bonifacij; die verò 14. ejusdem Mensis incredibili omnium plausu Officij possessionem recepit. Romæ verò mense Octobri Balthasar Generalis electus fuit à Summo Pontifice Gregorio XV. Depositarius, necnon Thesaurarius secretus assignatis illi & quatuor Famulis pro annuo commeatu quadringentis scutis. Insuper electus ab eodem Summo Pontifice fuerat S. R. universalis Inquisitionis Consultor eo prorsus modo, quo jampridem fuerat Stephanus Bonucci de Aretio, antequam ad Cardinalatum promotus fuisset.

Adrianus Mânoctius Flor. eligitur Prior Hospitalis Bonifacij.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur è supplem. Annal., & ex alijs m. s. Giaulj; è monum. Senarij, & Conv. Senarum, necnon ex Alasiâ in Collect.

Enarrantur miracula quædam B. Philippi, & B. Joachimi. Completur Senis Processus B. Francisci Patritij, & Romam defertur, ibique procuratur Beatificatio, & Officij de eodem celebratio, necnon Senis fit festum solemne. Referuntur duo Brevia Apostolica pro Ecclesijs Senarij, & Rhegij. Adrianus Mannozzi varijs honoribus afficitur.

CAP. IV.

CUM afflante Deo muneri suo non desint, qui solemnem B. Philippi Canonizationem procurandam suscepere, nec Deus ipse ullatenus deest magno eidem operi promovendo, qui debitam fervis suis Fidelibus gloriam desiderari non patitur, quamobrem non pauca his quoque temporibus B. Philippi meritis ab Altissimo Perusij patrata miracula modò recensenda comperimus. .1.

B. Phil. miracula.

Ludovicus de Fantolinis mense Majo anno 1621. gravi febre correptus demens evasit; cum verò Medici de prosperâ ejus valetudine desperarent, Jacobam sororem ejus, ut eum Sacramentis muniri curaret adhortati fuere; quia verò Ludovicus, utpote mentecaptus, peccata sua sacramentaliter confiteri non posset, imploratâ ab astantibus B. Philippi ope, illicò mentis compos, suíque juris factus, peccata sua confessus, pristinæ restitutus est sanitati; quam rem Margarita de Mellinis Uxor, prædicta ejus Soror, & Ansidonia Famula testabantur.

Gravi morbo, & demêtiâ correptus sanatur

Mense Julio ejusdem anni Constantia Fantolinia præfati Ludovici Filia triennis, cùm frumenti spicam præ manibus haberet, ejúsque aristam oculis casu admoveret, hæc alterum ex oculis penetrans præacutâ, & vehementi punctione maximum in oculo excitavit dolorem. Quâ de re ad Puellam illachrymantem, & ejulantem nullâ interjectâ morâ, & Mater, & Amita accurrentes, ut opem ei ferrent, nil intentatum relinquere, ut aristam è Puellæ oculo extraherent, sed eò deteriùs estuat oculus, & eò tenaciùs hæret arista. Quapropter oculo undequaque inflammato, sanguine perfuso, atque non mediocriter tumente Jacoba Infantulæ Amita obortis lachrymis humi procumbens ad B. Philippum confugiens ait: *Succurre nobis B. Pater Philippe*: tunc Puella: *Amita*, inquit, *surge*, *jam sana facta sum*, & ejus oculum penitus illæsum evasisse deprehenderunt Margarita Mater, Amita Jacoba, alijque Familiares, qui rem hanc testabantur.

Puella triennis in oculo læsa pristinæ restituitur sanitati.

Faustina Salvatoris Bracteatij prope portam S. Donati circiter septennis mense Octobri anno 1622. eâ fuit infirmitate correpta, ut stare nullatenus posset, sed ultrò citróque cadens fulcimentis egeret; cùm verò Medici infirmitatis conditionem non agnoscerent, ipsam omninò dereliquerunt. Verum Faustina B. Patris Philippi Cappam ad se delatam humi-

se regere per debilitatem non valens sanitati restituitur.

humiliter, & magnâ pietate exosculata, convalescere protinus cœpit, & brevi nedum sanitati restituta fuit, quinetiam longè validior, quàm antea fuerat, evasit. Quare per integrum annum in honorem B. Philippi Habitum integrum nostrum detulit, hanc rem testantibus Angelâ Faustinæ Matre, Catharinâ Stephani Campanarij, & alijs non paucis.

Dolorib. colicis malè affecta evadit incolumis.

Veronica de Berardis anno 1623., Mense Julio, in die Sabbathi Doloribus colicis de repente affecta, & acerbissimè vexata, adeò ut spem omnem vivendi amisisset, supradictam B. Philippi Cappam ad se deferri humillimè petens, eamque reverenter adorans evasit incolumis, æquè ac si nil mali unquam passa fuisset. Testibus Biasio de Gentilibus ejus Privigno, necnon ejus Famulâ Franciscâ.

Strigiū contactu fascinatus convalescit.

Camillus è Pennâ anno ætatis suæ quarto eodem anno derelictus fuerat à Medicis, eo quòd strigium contactu fascinatus haberetur. Soror Ursulina Societatis Habitûs æditua votum emisit B. Philippo se curaturam, ut Camillus per sex Menses integro Servorum B. Virginis Habitu indutus procederet, & illicò convalescere cœpit, integram brevi sanitatem recipiens. Testibus Adrianâ de Ansideis dicti Pueri Matre, Olimpiâ de Anastasijs dictæ Adrianæ Parente, P. M. Dionysio è Pennâ Ordinis nostri, & ejusdem Pueri avunculo, necnon Ursulinâ prædictâ; quæ omnia literis commendavit P. Magister Angelus Maria Berardi de Perusio.

Puella pessimè affecta recipit sanitatē.

Constantia Cantucci de Perusio Trima jam habebatur defuncta, eò quòd & ipsa Strigium contactu fascinata fuisset, mense Augusto ejusdem Anni; cùm verò Amica quædam ejusdem Patri diceret, quòd Filiam B. Philippo commendaret, vel pro ipsâ votum emitteret. Cui Pater: *nonne eam vitâ functam videtis?* Repetitis tamen Amicæ monitis morem gerens Pater votum emisit, & Filia illicò convaluit. Testibus ocularis, & auritis Josepho Cantuccio Constantiæ Patre, Hieronymâ de Bontempis Matre, Zelantâ de Benedictis, quæ eos ad votum emittendum hortata fuerat.

Recensētur miracula B.V.Dol. à Deodato de Laurentijs relata p. 2. de Origine Ordin.Ser. & Societat.Hab.

Memoratis hactenus B. Philippi prodigijs, nonnulla recensere nunc libet Sancti Habitûs Dolorum B. Virginis intercessione patrata. Plura sanè exactè referunt Typis etiam impressa Ordinis nostri scriptores, quæ proinde cum omnibus obvia esse possint ab ijs recensendis singillatim abstinendum existimavi. Nonnulla solùm hîc paucis recensere decrevi .2. quæ Deodatus de Laurentijs ex nostro Ordine, ubi de ejusdem Ordinis, & Societatis Habitùs Dolorum Origine, Neapoli Typis impressa in medium olim protulit, & iterum ibidem impressa fuere anno 1664. quia Opusculum hoc in Bibliothecâ D. Annunciatæ de Florentiâ, & in alijs quibusdam Ordinis nostri Locis vix reperitur, neque proinde obvia cuique sunt, prout decet, & libet, mirabilia prædicta cultui Fidelium erga B. Virginis Dolores, quod mihi maximè in votis est, & unicuique nostrûm esse debet, fovendo accommodata. Primùm sanè in memoriam revocat, quòd Pelbartus lib., cui tit. Stellarium B. Virginis l. 3. p. 3. art. 3. refert, se nimirum didicisse ex revelationibus S. Elisabeth, quòd Joannes Apostolus aliquando in extasim raptus, B. Virginem, quod maximè optaverat, cum Jesu colloquentem in Cœlis aspexit de gravissimis doloribus, quos uterque subierat pro Generis humani redemptione; idque præ cæteris animadvertit Joannes, quòd B. Virgo humillimè supplex ab amantissimo Filio perijt, & impetravit pro Fidelibus, qui utriusque dolores peculiari pietate prosequuti fuissent, sequentia privilegia: primò, quòd antequam decederent, debitam de peccatis suis pœnitentiam egissent; secundò, quòd tum Jesum, tum B. Virginem singularem erga ipsos semper, præsertim verò in extremo Mortis discrimine, protectionem apud Deum exercuissent: tertiò, quòd Passionis suæ memoriam eorum cordibus impressisset, ijsque præmium in Cœlis parasset. Quartò demum, sanctissimæ eidem suæ Genitrici liberum forè promisit in eorundem Fidelium beneficium operari quidquid ipsi libuisset; quæ cùm ita sint, minimè mirum, quòd Christifideles ejusdem Virginis Dolores colentes eandem sibi propitiam experti deinceps fuerint, sive quoad animæ, sive quoad corporis necessitates. Recolendum in primis videtur, quod in Instruct. Exercit. de piâ Morte p. 1. §.6. refert Joannes Baptista Manni Societatis Jesu ex revelationibus S.Birgittæ l.6. cap. 96. acceptum, quòd scilicet Vir quidam æquè potens, Dives, nobilis, ac plurium criminum reus, cùm annos 60. Deo semper invisus egisset, in extremo agone constitutus, absque ullo pœnitentiæ sensu decederet, Birgittâ enixè & instanter orante, Dominus eidem præcepit, ut Confessarium suum ad prædictum Infirmum mitteret, qui eum ad legitimam suorum criminum Cōfessionem hortaretur. Hic planè Domino audiens semel, & iterum Infirmum adijt, sed frustra; cùm autem adhuc tertiò adiisset Domino ipso iterum, ac tertiò præcipiente, Infirmus ex animo resipuit, & verè contritus decessit; quod cùm Birgittæ Dominus ipse revelasset, eandem pariter docuit, quòd Viri hujus adeò mirabilis conversio tribuenda cultui peculiari erat, quo B. Virginis Dolores prosequi semper consueverat. Hujus generis alia non pauca contigisse nostri referunt passim Scriptores. Referre modò placet, quæ pro salute corporis eadem Deipara impetravit.

Privilegia à Christo Domino Deiparæ promissa pro Fidelibus ejus dolores foventibus.

Gravissimus Peccator in agone mortis constitutus mirabiliter resipiscens æternam salutem acquirit.

B. Jacob. Philip. de Faventiâ à morbo Comitiali liberatur.

1 Miserinus Bertoni de Faventiâ emisso voto Filium suum Andream biennem in Ordine Servorum consecrandi, statim ac ætatem congruam attigisset, si idem Filius à morbo comitiali, quo laborabat, sanatus fuisset, hic statim incolumis surrexit, & novennis

ejusdem

ejusdem Ordinis Habitum induit, qui sanè fuit B. Jacobus Philippus, de quo plura ad annum 1483.

Agnes de Montopoli Vesaniâ laborās sanatur.

2 Agnes Filia Raphaelis de Montopoli in Etruriâ Vesaniâ diù, & quidem vehementer, laboraverat, itaut vinculis aliquando obliganda foret. Cùm sui compos identidem esset, B. Virginem ab Angelo salutatam Florentiæ ex animo invocabat, quo sanè factum est, ut cùm Sorores quædam Ordinis Servorum B. Virginis eidem aliquando apparuissent, Beatæ nimirum quædam in Cœlo regnantes, eamque excitassent, ut votum emitteret prædictam sacram Imaginem adeundi, ibique sacrum ejusdem Servorum Habitum induendi, sanitatem ita penitus recuperatura. Agnes subinde sororibus iisdem audiens flexis genibus, & elevatis in Cœlum manibus votum prædictum emisit, ac brevi penitus incolumis Florentiam adijt, à Sororibus Tertij Ordinis ibidem perbenignè excepta, quas professò, & earundem Habitum hactenus omninò ignoraverat, die 28. Martij 1580. feriâ 2. majoris Hebdomadæ à P. M. Basilio Olivi earundem Sororum Correcture, sacro Tertij Ordinis Habitu singulari pietate induta fuit.

Laurētij Vongeschi de Cutiliano Filij è gravi discrimine liberantur.

3 Laurentius Vongeschus de Cutiliano in Etruriâ à perdito quodam homine gravissimo sui hoste Domi impetitus, unà cum 60. ejusdem iniquissimi consilij socijs, qui ter ejusdem Laurentij Filiolos è fenestris proximè in terram proijciendos acceperat, quorum natu major quinquennis erat, votum emittit eosdem Filiolos in Ordine Servorum B. Virgini dedicandi, si discrimen illud evasissent, statimque mirabiliter evaserunt, è quibus alter fuit nomine Sebastianus in his Annalibus alibi memoratus.

F. Vincētius de Mōte Politiano in agone constitutus illicò plenè sanatur.

4 Eodem voto à sui Genitrice emisso adolescens quidam in extremo vitæ constitutus illicò reviviscit, è lecto surgit mirantibus omnibus, & paulò post Ordinem nostrum ingressus F. Vincentius dicitur de Monte Politiano.

Cæca & Mutus sanantur

5.6 Marsilia de Eugubio oculorum usû destituta eundem recipit statim ac votum emittit Societati Habitûs Servorum sese aggregandi. Item facultatem loquendi eâdem ratione recipit, quâ destitutus hactenus fuerat Joannes Simon de Campolotio in Corsicâ.

Soror Margarita de Tuderto illicò sanatur.

7 Soror Margarita Auruccia de Tuderto Ordinis nostri gravissimè ægrotans Habitum B. Virginis peculiari devotione benedictum vix induta sanatur.

Mancus illicò sanatur.

8 Anno 1599. Bononiæ incolumis omninò evasit Constantius Falconi graviter mancus statim ac Habitum Beatæ Virginis induendi votum emisit.

9 Adolescens quidam nobilis Mantuanus in Aulâ degens Cosmi I. Magni Ducis Etruriæ à nefario quodam spiritu vexatus, exorcismos pluries expertus fuerat, sed frustra. Verùm in Cœnobio D. Annunciatæ de Florentiâ B. Virginis opem implorantem, vix PP. Donatus, & Adrianus ejusdem Cœnobij ejus curam gerentes adhibito S. Virginis Habitu ipsum veluti flagellare cœperunt, & preces quasdam fundere, cùm nefarius Spiritus hujus rei impatiens inde recessit, nec ipsum ampliùs vexavit.

A nefario Spiritu vexatus liberatur.

Proijciens Habitū per contemptum in ignem à Dæmone vexatur

10 Adolescens vulgò dictus *Trivolino* Soraneæ anno 1600., quò P.M. Seraphinus Lupi de Florentiâ sacras per Quadragesimam habens Conciones, Societatem Habitûs ibidem erexerat, eundem Habitum induerat, ut inde sibi aditum faceret ad Ordinem Servorum. Cùm autem id assequi non potuisset, Patribus illius Conventûs renuentibus, vehementer iratus, Habitum, quem è collo pendulum gerebat, in ignem per contemptum iniecit; statim verò à Dæmone ita vexari cœpit, ut ipsum in aquas proijceret; hyeme quoque rigente, nudum humi cubare totam noctem aliquando cogeret, & pluribus alijs modis graviter affligeret, quamobrem prædictus Seraphinus fer. 6. in Parasceve adhibitis exorcismis ipsum liberare studuit, sed frustra, ut ita Posteri docerentur quanam veneratione Christifideles Habitum hunc B. Virginis, & res quascunque sacras prosequi debeant.

Morbo Comitiali laborans liberatur.

11 Senis in Thusciâ Marius Malaspina morbo comitiali laborans Habitum Servorum nudis carnibus adhærentem gerēs statim incolumis evadit, proindeque Ecclesiam Servorum ibidem quàmsæpissimè invisere consuevit.

Magdalena de Pisis in flumen demersa inde mirabiliter educitur.

12 Magdalena in seculo, deinde Angela in Monasterio Conversarum de Pisis, anno 1604. die 5. Decembris vas quoddam, quod in flumen prolapsum fuerat, ut inde extraheret sese inclinans, in idem flumen cecidit, quod tunc maximè intumuerat, ad ima descenderat, & iterum ad superiora rediens, B. Virgine, cujus Servorum Habitum gestabat, invocatâ, junctis manibus super aquas elata ad ripam aquis ipsis impellentibus appulit, ibique statim è flumine educta, grave illud discrimen evasit.

Ob nimium terrorem affecti sanātur

13.14 Britius de Montorio in Oppido Ischiæ Diœcesis de Castro, cùm Lupum repètè vidisset, eo terrore correptus fuit, ut tremere semper coactus, stare non posset, & vix loqui. Cùm autem P. Rochus Joenelli Ordinis Servorum in Ecclesiâ nostrâ, quò Britius confugerat Virginis opem imploraturus, Habitum ritè benedictum humeris ejusdem imposuisset, incolumis statim Britius evasit. Quod sanè pariter expertus fuit ibidem Polimantes Merchangeli, aliâ quadam ratione ita deterritus apud Terentium Saltamacchia, ut facultate loquendi, & audiendi destitutus, clausis oculis, veluti mortuus remansisset; imposito enim ipsi super humeros Habitu B. Virginis oculos statim aperuit, ac brevi omnino sanus evasit.

Petrus à nativitate gibbus, nec incedere, vel stare potens san.

15 Catharina Uxor Joannis Alexandri de Florentiâ emisso voto induendi duos annos Habi-

Habitû B. Virginis Pettum Filium suum quinquennem, assequuta statim fuit, ut ille omni- E nò liber ab infirmitare dimissus fuisset, quâ in lucem editus fuerat, gibbositate videlicet, & eâ crurium debilitate, ut nunquam incedere, vel stare potuisset.

Pleuritide graviter laborans emisso voto parentum sanatur.

16 Joannes Baptista Mazzini de Genuâ quinquennis, fluxu, febri, ac pleuritide laborans summo vitæ discrimine, convalescit statim ac ejus Parentes Cyprianus, & Marietta votum emisere ipsum induendi B. Virginis Habitu anno 1609., quem profectò detulit septem citciter annos.

Infantulus ab equâ abreptus dentibus & in terram projectus nullum patitur incõmodũ

17 Monialis quædam Ordinis Servorum in Monasterio Paupercularum de Perusio cùm vidisset abteptum dentibus ab equâ è sinu Nutticis infantulum quendam, & in terram gravi impetu projectum, Deiparæ opem e- F misso voto pro Infantuli salute imploravit, réque ipsâ obtinuit, infantulus enim illæsus omninò remansit.

A malignis spiritibus vexatus liberat.

18 Jacobus Filius Petti Joannis Nerij de Florentiâ octennis quatuor menses continuos à malignis spiritibus gravissimè vexatus, quin nullum ab exorcismis adhibitis commodi reciperet, ad Ecclesiam denique D. Annunciatæ à Parentibus ductus, & Habitu Virginis indutus juxta votum ipsorum vindicatus illicò anno 1614. ab ijsdem spiritibus fuit, qui exorcismorum vi fateri coacti fuerant, quòd Puer vindicari ab illâ vexatione nunquam potuisset, nisi eodem Habitu indutus.

Morbo Comitiali laborãs liber.

19 Raphæl Potenti de Pisis octennis à morbo Comitiali, quò gravissimè diù labo- G ravetat, incolumis penitus evadit vix emisso voto à Parentibus Habitu Servorum ipsum induendi.

Maleficijs affecta sanatur.

20 Ejusdem Habitûs præsidio infirmitatis cujusdam molestiam evasit anno 1614., quâ veneficijs affecta habebatut Lucretia Pedroca Uxor Fridetici Trivoli de Mantuâ.

In flumẽ prolupsus naufragium evadit.

21 Joannes Terlingus de Gradiscâ cùm equn, cui insidebat, in flumen *Lisonzo* prolapsus anno 1615. naufragium utique aliàs non evitandum, evasit, quòd Beatam Virgioem, cujus Habitum gerebat, enixè rogasset.

Puerpera gravissimè laborãs liberat.

22 Margarita Filia Gabrielis Galanti de Florentiâ io Puetperio à Medicis conclamata, emisso voto Habitum Setvorum induendi, sanitatem illicò cbtinuit die 7. Aptilis H 1617.

Elisab. Cecchi à fulmine deterrita nihil patitur incõmodi

23 Elisabeth Cecchi Florentina ob nimiã fulgurum, tonitruum, & fulminum copiã maximè perterrita, præsertim verò, quòd Fulmen quoddam sibi ad pedes vehementi impetu incidit, Beatâ Virgine, cujus Habitum gerebat, invocatâ, ab omni prorsus incommodo se liberam sensit.

Dominic. Cugia cõclamatus à Medicis illicò cõvalesc.

24 Summum vitæ discrimen, in quo ob gravissimam infirmitatem jacebat, Dominicus Cugia de Saxari in Sardiniâ felicitet evadit, statim ae votum emittit Habitum Setvorum induendi.

25 Anno 1617. Mense Majo in Oppido quodam, quod dicitut *Santa Croce di Vipao* in Territorio Goritiæ excitatum ingens incendium in stabulo fuit duabus Domibus è ligno conflatis ptoximo, & impetu venti flammæ super Domus illas ittuebant, quibus extinguendis cùm se impates ob aquæ penuriam omnes cognoscerent, irreparabile sibi augurabantur excidium. Quoniam verò Joannes Terlingus illius Loci Gubernator singulari fiduciâ munitus, Habitum B. Vitginis, quem getebat, coram plurimis in ignem jecisset, mirabile dictu, flammæ statim hinc inde ab eodem sancto Habitu videntibus omnibus recessere, ac fermè venerabundæ ipsum ad instar coronæ circumdare visæ fuete, quæ tandem absque ullius incommodo penitus extinctæ cessarunt; cui sanè prodigio illud accessit verè mirabile, quòd quindecim diebus ab hoc incendio exactis Habitus ille repertus integet omninò fuit, quem proinde Joannes iterum acceptum summâ veneratione servavit.

Habitus in magnũ incendiũ iniectus illud statim extinguit, & integer omnino servatur.

26 Tiphetni in Umbriâ anno 1618. in pervigilio S. Bartbolomæi Apostoli Tronum de Tronis Militem, è Militibus alter repentè aggressus, stricto gladio eo impetu percussit, ut ipsum in terras cadere coegerit, acies tamen gladij Ttoni vestes eò usque discidit, ubi Sacrum B. Virginis Habitum Troous gerebat, cui tanquam validissimo clypeo superando, acies prædicta gladij impar remansit.

Tronus gladio impetitus liber evadit.

27 Apud Credarum oppidum in Regione Betgomensi anno 1618. idem omninò mirabi- G le contigit in quodam incendio, quod contigisse io tetritorio Goritiæ anno 1617. superiùs retulimus, nam hic etiam Habitus in ignem iniectus a F. Jacobo Ordinis nostri Laico flammas extinxit, & illæsus remansit.

Habitus in incẽdiũ iniectus ipsum statim extinguit, & integer permanet.

28 Anno 1618. apud Cavezzale Diœcesis Vincentinæ Oppidum mense Junio lignum quoddam gravis ponderis è manibus Margaritæ cujusdam elapsum in caput Filioli quadriennis inferiùs positi incidens, ipsum gtaviter adeò percussit, ut vix intelligere posset Margatita vivus ne foret, an mottuus. Verùm emisso voto Habitu Vitginis ipsum induendi, & Domum rediens postquam oppottuna foris temedia quæsierat, Filiolum invẽnit hilatem, séque incolumem prorsus di- H centem, quem subinde Margarita diligeoter ibi tequirens, ubi percussus fuerat, nullam etiam vulneris cicatricem invẽnit.

Carolus Cortesini in extremo cõstitutus, statim omnino cõvalescit

29 Carolus Filius Leonardi Cortesini de Tuderto septennis febri adeò gravitet laborans, ut à Medicis cunclamatum ipsi fuerit, eodem momento prorsus sanatut, labente Majo 1620., quo ejus Genittix Hortensia votum emisit Habitu Servorum ipsum induendi.

Joannes Falardi de Bergomo capitale supplicium evadit.

30 Die 14. Martij 1622. Joannes Falatdi de Bergomo Capitis damoatus, antequam capitale supplicium subitet, Maotuæ Habitum B. Virginis petijt à Patribus Otdinis nostri Autelio Boninsegna, & Celidooio Arlini de Maotuâ eidem ad mortem confortando

depu-

députatis, spe fretus ob hujusmodi cultum non mediocrē fructum animæ sibi, & corpori accessurum, teque ipsâ frustratus minimè fuit, vix enim Carnifex ipsius collo capistrum de more circumduxerat, & à Patibulo jugulandum projecerat, cum capistro in frusta dissoluto mortem evasit, & Serenissimi Principis indulgentiâ omninò absolutus dimissus liberè fuit.

Catharina Bartoletti in Puteum prolapsa mirabiliter educitur.

31 Catharina Bartoletti Florentina ætatis annorum 18. anno 1622. die 2. Maij in puteum quadraginta ulnas altum ceciderat, sed imploratâ D. Annuociatæ, cujus sanctum Habitum gerebat, ope, ab imo aquarum semel, & iterum super ipsas exiliens funem situlæ sibi obvium opportunè habuit, quo exindè educta indumenta quæcunque sui corporis madefacta omninò reperit præter Habitum B. Virginis eisdem indumentis insertum.

Puerpera gravissimos patiens dolores feliciter parturit.

32 Paulina Matthæi de Franciscis Uxor in Civitate Vincentiæ difficiles plurium Filiorum partûs enixa, graves, atque intolerabiles subibat semper dolores, itaut se morti proximam sæpe sæpiùs præsentiret; anno denique 1622. dolores hujusmodi in puerperio patiens Habitum 7. Dolorum B.M.V., quem à Filiâ Elisabeth petierat, vix sibi superposuit, cùm cessantibus omninò cruciatuum angustiis partum feliciter edidit, & ab omni hujus generis molestiâ se liberam deinceps agnovit. Ita jurejurando testatus fuit P.F. Valerius de Vincentiâ per suas literas ibidem datas die 6. Jannarij anno 1623.

Frãcisca Peretti extremũ vitæ discrimen evadit.

33 Anno 1624. die 6. Martij Incurabili morbo laborans, & in extremo vitæ discrimine constituta Francisca Uxor Petri Peretti de Bononiâ vix Habitum B. Virginis, quem Petrus a P. Thomâ Rosâ Ordinis nostri Viro conspicuo acceptum induit, & osculari cœpit, cùm statim convalescere deprehensa fuit, & post biduum incolumis surgens Ecclesiam Servorum adijt plurimas B. Virgini gratias actura.

Morbo Comitiali laborans Marius Cucco, & Anna Maria Triennis in agone constituta illicò prorsus sanantur.

34. 35 Eâdem ope à Morbo Comitiali eximitur, quo maximè affligebatur, Marius Cucco Bononiensis, propitiam pariter expetitur Deiparam. Romæ Hippolyta Marcelli anno 1614., quæ Parvulam Triennem sui Nepotem nomine Annam Mariam in Ecclesiâ S. Marcelli ad Aram S.Phillppi provoluta enixè commendaverat, quæ triduum integrum in agone jacuerat ab omni prorsus tum cibi, rum potûs alimento abstinens, voto emisso Parvulam, si convalesceret, eò deferendi, ejus vestes in anathêma ibidem consecrandi, & Habitu S.Mariæ Servorum ipsam induendi. Subinde Domum repetens parvulam reperit ad hilaritatem mirum in modum compositam, & alimenta liberè sumentem. Quapropter eandem brevi prorsus incolumem die 15. Augusti ad Ecclesiam detulit, & voto se solvit.

36 In loco quodam, qui dicitur *Celdo* Tyrolim inter, & Salsburgh Vit quidam nomine Vitus Phrenesi maximè laborans ita quidem, ut proximus videretur se vel in præceps agendo, vel aliâ ratione interficiendo, quin ullum ab arte medicâ levamen assecutus fuisset, quæ plura remedia ad hoc adhibuerat, operâ P. Joachimi Mariæ Scovemburgh Ordinis nostri ibidem Verbum Dei annunciantis, quique ad eundem ab hujusmodi molestiâ exiuiendum exorcismis etiam usus fuerat, sed frustra; imploratâ B. Virginis ope, ejusdemque Habitu indutus, à Phrenesi statim liber evasit, qui proinde eundem Habitum enixè petitum assecutus, admirabilem Deiparæ Beneficentiam omnibus prædicare non cessabat.

Phrenesi laborans liberatur.

Summo eorum studio, qui anno proximè superiori electi Senis fuere .3. ad procurandam Beatificationem solemnem B. Francisci Patrizzi, hoc anno mense Februarij completum habemus Processum in eâdem Civitate confiatum; ne verò quid intentatum relinquerent ad finem optatissimum consequendum, ipsis graviter instãtibus, supremus Baliæ Magistratus in totâ Dirione Senensi supplicationem exhibere Sanctitati suæ pollicitus est, ut celebrari permittat hujus Beati officium per universum Magni Ducis Etruriæ Dominium, & ad hoc quatuor Patritios Senenses designarunt, nempe Mutium Sergardi, Octavium Tancredi, Raynaldum Boninsegni, & . . . . . qui cum D. . . . . ejusdem Urbis Gubernatore convenirent ad rem hanc dirigendam, quo planè eorum consilium haud mediocriter commendante, & supplicationem prædictam Summo Pontifici exhibendam suadente, necnon operam suam spondente, ut Serenissimi Principes apud Sanctitatem Suam valdis ipsam officijs prosequerentur, nullâ interpositâ morâ supplicationem exactè dispositam ad ipsum detulerunt; quâ quidem in re plurimùm quidem debemus Scipioni Chisio præclarissimo Senarum Patritio, qui tanquam unus è prædicto Magistratu causam hanc viriliter promovit. Subinde verò Romam delatus fuit Processus, & Serenissimus Magnus Dux Magistratûs præfati precibus commotus suo apud Apostolicam Sedem Oratori peculiari studio mandavit, ut curam omnem adhiberet ad impetrandum à Sanctitate Suâ in re propositâ favorabile rescriptum. Cùm autem ita ferveret opus, die 27. Maij præsentis anni, Archiepiscopus Senensis Ecclesiam nostram Invisens Habitu Pontificali Indutus sanctum Beati Francisci Corpus in medio Ecclesiæ de more super Altare quoddam portabile publicæ venerationi expositum, postquam humillimè adoraverat, illius etiam Ipsi adolevit. Die verò proximè sequenti, 28. nimirùm ejusdem Mensis celebrata honorificentissimè fuere maximâ Populi affluentiâ B. Francisci solemnia, cujus laudes post Vesperas P. Philippus Monteboni è nostris Senensis huic Beato addictissimus egregiâ oratione est prosequutus.

Cõpleto Senis Processu pro Beatificat. B. Frãcisci Patrizzi, mittitur Romam Deputati cum supplicatione ad Sum. Pontif. pro obtinendo ejus Officio.

Miracula B. Joachimi de Senis

Etsi verò tanta esset Senensium erga B. Franciscum Religio, non ideò minorē experti sumus hisce quoque diebus erga B. Joachimum ejusdē Ordin., cujus pariter Corpus in eâdem Eccl. honorificè colitur, & cujus è costis altera speciatim ad infirmos quotidie circumfertur; qui proindè pari beneficentiâ respondens nonnulla eorum utilitati præstitit admiranda, ex quibus tria nunc recensere decrevi. Sanctimonialis quædam in Monasterio nuncupato *dell' Abbaudonate*, Ordinis Sancti Dominici Senis nomine Soror Judith Pini, Salvatoris Pini Filia, Mense Septembri per quindecim dies morbo Comitiali quotidie affecta, præ cæteris verò die 20. ejusdem Mensis plusquam quinquagies vices hujusmodi passa, in adeò gravi discrimine B. Joachimo sese commendans, incolumis illicò evasit, nec ulterius deinceps morbi hujus incommoda subijt. Prætereà Filia quædam Cosmi Gulielmi prædicto morbo vexata adeò vehementer fuerat superioribus annis, ut ferè de ipsâ conclamatum esset; ejus autem Patre B. Joachimum invocante, confestim pristinæ restituta fuit sanitati. Denique Scipio de Ghineliis eâ vehementiâ morbo Comitiali quotidie premebatur anno 1620. ut ejus Domestici morti proximum haberent; Patruus autem ejus Jacobus Boccius B. Joachimo confisus languentem Nepotem voto quodam emisso eidem ex animo commendavit, nec quidem frustra, statim enim ac B. Joachimi Costa Scipionis capiti superposita fuit, Scipio convaluit.

Summus Pont. Greg. XV. Eremitarū Senarij Montis pietati fovendæ Indulgentias hoc anno ijsdem impartitur, quas consequuntur, qui septem Romæ Ecclesias visitant, quoties juxta formam Ecclesiæ consuetam sacra illius Ecclesiæ Altaria visitaverint, quemadmodum constat ex Diplomate Apostolico, quod sequitur. 4.

GREGORIUS PP. XV.

Indulg. pro Eremitis Montis Senarij.

DIlectis Filijs Fratribus Eremitis Servorum B. Mariæ Sacræ Eremi Montis Senarij Florentinæ Diœcesis, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Aliàs ad augendam vestram devotionem, & Animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti, Vobis omnibus, & singulis, qui Altaria in Ecclesiâ vestræ Eremi hujusmodi existentia devotè visitavissetis, & pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissetis, quoties id egissetis, ut omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes consequuti essetis, si septem Almæ Urbis nostræ intra, & extra illius muros Ecclesias personaliter visitavissetis, misericorditer in Domino concessimus. Ac insuper omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui prædictam Ecclesiam die Festo S. Matthæi à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujusmodi singulis annis devotè visitavissent, &, ut prædicitur, oravissent, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino similiter concessimus, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis literis, quas ad septennium tantùm valere volumus, pleniùs continetur; nunc autem Ecclesiam Eremi hujusmodi ampliori dono illustrare cupientes, & dictarum Literarum tenorem præsentibus pro expresso habentes concessionem prædictam, ac desuper confectas literas hujusmodi, ipsumque septennium servatâ aliàs in omnibus, & per omnia prædictarum literarum formâ, tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die primâ Februarij 1623. Pontificatûs nostri anno secundo.

Cujus Privilegij perenne monumentum in eâdem Ecclesiâ publicè expositum fuit marmore impressum, prout sequitur.

Jesus Christus Redemptor.

Gregorius XV. Pont. Max. ad augendam Eremitarum Montis Senarij pietatem, quoties ad Sacra hujus Ædis Altaria supplices pro Christianorum necessitatibus preces effundunt, omnes, & singulas Indulgentias impertivit, quas visitantes septem Romæ Ecclesias. A.C. S. 1623.

Ecclesiam quoque reverâ conspicuam B. Virgini apud Rhegium Lepidi consecratam, & in eâ Altare Sanctissimi Crucifixi idem Summus Pontifex insigni Privilegio decoravit ad instar Ecclesiæ S. Gregorij Romæ, quo Sacerdos quicunque quotidie celebrans animabus Purgatorij suffragium possit conferre, prout pleniùs continetur in sequenti Diplomate. 5.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Altare Privil. in Eccl. S.M. de Rhegio.

OMnium saluti Paternâ Charitate intentè sacra interdum Loca Spiritualibus Indulgentiarū muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defūct. Animæ Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorij pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Rhegiensis, simili ad præsens privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, dummodò in eâ duodecim ad minus Sacerdotes existant, & in eâ situm Altare Sanctissimi Crucifixi hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apost. ejus auctoritate confisi, ut quādocunque Sacerdos aliquis sive secularis, sive cujusvis Ordinis Regularis Missam Defunctorum singulis diebus, non tamen impeditis, pro animâ cujuscunque Fidelis, quæ

Deo

Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, anima A *ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur, itaut ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis, sibi suffragantibus, à Purgatorij pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.*

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. *Februarij* 1623. *Pontificatûs nostri anno secundo.*

Conv. S. M. in quatuor Oppidis, & Conv. S. M. de Galignano.

Hisce pariter diebus P. M. Antonius à S. Bernardo Provinciæ Lombardiæ Præfectus nomine Ordinis, & Provinciæ recipit Conventum quendam, cui titulus Sanctæ Mariæ Servorum in quatuor Oppidis operâ, & studio P. Alexandri de Rhegio comparatur. B Item in Vico Galignani prope S. Ædem Lauretanam Conventum alium, cui idem titulus, nomine Ordinis recipit P. Petrus de Forolivio, quem largitus ei fuerat D. Ascanius de Tomasis .6.

Adrianus Mannozzi præficitur Hospitali Innoc. Flor., & Indulto Apost. utitur Privilegijs PP. D. Ann. de Flor.

Denique cum Serenissimi Etruriæ Principes Adrianum Mannozzi, quem anno præcedente Xenodochio Bonifacij Florentiæ præfecerant, hoc anno .7. die 3. Julij Xenodochio quoque Innocentium administrando designant, servatisque de more servandis, in hujus muneris possessionem immittunt, idem Sanctissimus Dominus noster Gregorius XV. Ordini nostro fovendo semper intentus Breve C quodam speciali sub datum Romæ apud S. Mariam Majorem mense Die eidem Adriano concesserat, uti, potiri, & frui omnibus, & quibuscunque facultatibus, jurisdictionibus, privilegijs, &c. quibus utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, qui in Conventu D. Annunciatæ de Florentiâ permanent.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

1 *E' m. s. Gianij.*
2 *Ex Opusc. præd. Deodati de Laurentijs.*
3 *E' monum. Conv. de Senis.*
4 *E' monum. Montis Senarij.*
5 *E' monum. Conv. de Rhegio.*
6 *E m. s. Gianij.*
7 *E' monum. D. Annunc. de Flor.*

Illustrium quorundam Virorum Gesta, & Obitus enarrantur. Indicuntur Comitia Generalia. CAP. V.

Greg. XV. obitus, & in Ordinē Beneficentia.

HIC annus reverâ lachrymis prosequendus, quia decedentibus pluribus, & quidem illustribus Viris, non vulgaris accessit Ordini nostro jactura. Prior omnibus, sicuti Majestate dignitatis, ita & ordine contemplandus, occurrit Summus Pontifex Gregorius XV., qui die 8. Julij

sæculo præsenti defunctus .1. peculiaria à nobis exposcit encomia pro modulo nostro immortalitati apud Posteros consecrãdus, quam cæteroqui apud Deum sibi cum Christo comparavit; constat enim ex hactenus dictis quanam animi benevolentiâ Balthassarem Generalem, & universum nostrum Ordinem complexus fuerit, Gratiæ enim, & Privilegia eidem benignè concessa hoc luculenter ostendunt. Ipsi verò in Apostolicâ Sede proximè successit Maphæus Cardinalis Barberinus die 6. Augusti in Summum Pontificem electus, nuncupatus Urbanus VIII., die tamen 29. Septembris S. Michaeli Archangelo dicatâ possessionem de more solemniter suscepit, cujus pariter præclara erga Ordinem merita suo loco mihi erunt prosequenda.

Urbanus VIII. successor

Interim recolendum videtur, quod Familiæ suæ Pontificiæ Confessarium ex Ordine nostro, speciatim verò P. M. Melchior Bonuccium de Aretio .2. præelegit, quem deinde ad hæc nostra usque tempora alij ex eodem Ordine successivè insecuti sunt Confessarij.

Confessarius Palatij Apost. ex Ord. nostro eligitur

Moritur etiam hoc anno Romæ apud S. Marcellum, & in ejus Ecclesiâ deinde tumulatus, P. Bernardinus Ricciolini de Florentiâ sexagesimo circiter tertio ætatis suæ anno, alter nimirum ex ijs, qui Eremiticam vitam in Monte Senario instaurandam primò suscepere, quin etiam illi instituendæ primò fuerat Præfectus, de quo scripserat Gianius Cent. 4. lib. 5. cap. 9. & 10. de Congregatione Eremitarum nostri Ordinis optimè meritus. Hic Pater .3. solitariæ vitæ ab ineunte quoque ætate percupidus ad Eremum Camalduli in Etruriâ celeberrimam se contulit, ut ibi se consecraret, licèt jampridem in Ordine nostro professus fuisset; verùm ex Eremo prædictâ recedens, cui planè nomen non dederat, altissimo Divinæ Providentiæ consilio, ad Senarium accitus fuit ab Ordinis nostri Superioribus, quippe qui Eremiticam vitam apud Camaldulenses per aliquot menses expertus, Eremiticam pariter vitam in Senario Monte instituendam dirigere facillimè posset, cujus proinde Eremi, Superioribus ijsdem præcipientibus, administrationem suscepit. Dispensatione quoque Apostolicâ Clementis VIII. D Cœnobium D. Annunciatæ de Florentiâ, licèt invitus, & pluries reluctans moderari coactus fuit Reverendissimo Montursio Generali jubente, Disciplinæ regulari ibidem instaurandæ. Biennio autem de more completo ad Eremum Senarij iterum se recepit, sed progressu temporis, anno videlicet 1614. Eremum in Monte Virginio recèns fundavit; Principibus ex Ursinâ Familiâ, potissimùm verò Paulo Duci Bracchiani maximè acceptus, & pro Patribus ibidem degentibus, eorumque necessitatibus hospitium quoddam Romæ in Monte Quirinali suscepit, de quibus ad annum 1617. dictum est, etsi duo hæc loca, deficiente P. Bernardino, absolutè defecerint, cùm Eremitæ ex Monte Virginio, &

P. Bernardini Ricciolini Eremitæ obitus, & laudes.

è prædicto Hospitio mense Decembri hujus anni recesserint, & consequentibus annis eidem Eremo renunciaverint, cùm enim decem fermè annorum spatio curam omnem adhibuissent, ut Eremum hanc stabilem redderent, & ingenti pecuniæ vi Fabricam, aliaque ad hoc opus complendum necessaria promovere summo studio contendissent, P. Bernardino avulso eidem operi ad umbilicum perducendo sese impares cognovere, propterea quod subsidia ad id opportuna, & annuos redditûs alendis PP. necessarios comparare se posse desperarent; intolerabilem etiam experti aeris inclementiam, quæ planè in causâ potissimùm fuit, cur locum hunc deseruerint, cæteroqui aspectui delectabilem, ac solitariæ vitæ aptissimum.

Eremitæ Montis Senarij renunciant EremoMotis Virginij

E

Romæ pariter die ultimâ obijt die 24 Dec. anno præd. ætatis verò suæ 60. in eâdem Eccl. S Marcelli sepulturâ donatus F. Bonfilius EremitaLaicus non omninò prætereundus. Hic vocatus F. Paulus Bozzolini de Fesulis in Etruriâ, cùm degeret in Congregatione S. Joannis de Deo, cui primùm se dedicaverat, die 19. Maij anno Domini 1595. ætatis suæ 32. dispensatione Apostolicâ Eremiticum in Monte Senario Habitum induit, & unà cum alijs die 25. Januarij anno 1601. solemnem Professionem emisit; cui profectò summo studio respondit, orationi maximè addictus, qui proinde præter alia, dum Patres nocturno tempore Matutinas horas persolvebant in Choro, ipse quoque à cæteris secretus Horas easdem recitabat, & solitudini non mediocriter deditus, consuetas etiam animi, & corporis recreationes Eremitis à jure permissas vix, aut ne vix quidem, nisi præcepto coactus, admittebat; obedientiæ, humilitatis, patientiæ, modestiæ, aliarumque virtutum studiosissimus, munia quæque à Superioribus sibi assignata quàmdiligentissimè obibat, præsertim verò cùm Janitoris munus expleret non vulgari exteris eò accedentibus erat exemplo, afflictis solatio, maximè si graviori egestate laborarent, quos affectu verè paterno fovebat; seipsum contemptui habens, cùm ab alijs ludibrio habitus erat hilari facie gaudium animo conceptum ostendebat, neque ipsum pudebat, quinimmo perantiquum illi erat, & Cellulam angustiorem, quæ vix ipsum caperet, habere, & vestes præ cæteris longè tenuiores, ac propterea pluries resarcinatas induere, quarum virtutum ornamentis sese Domino præstitit valde pretiosum. Laicus alter etsi non Eremita nomine Joachimus de Senis, .4. ibidem moriens hoc anno Fratrem Bonfilium proximè sequitur, quem commemorare non pudeat, quippe qui ingenio solertissimus in operibus Fabrilibus, potissimùm verò in excogitandis, & ad opus reducendis varijs, iisque elegantissimis, lusibus aquarum in fontibus, in viridarijs summâ venustate disponendis, & alijs hujusmodi inventis, quæ præ sui raritate voluptatem conciliantia acceptissimum reddiderant non modò Serenissimis Etruriæ Principibus, & Purpuratis quibusdam Patribus intra fines Italiæ, verùm etiam extra ejus limites Serenissimo, & Reverendissimo Archiepiscopo Salisburgensi in Germaniâ, apud quem novis id genus operibus jugiter intentus, magis semper ac magis ipsi in delicijs diù perseveravit.

Obitus F. Bonfilij Eremitæ.

F

G

H

F. Joachimi de Senis obitus, et Laudes.

E

Oeniponte quoque eodem anno, Mense Majo moritur P. Joachimus Maria Aurus Patriâ Halensis, ideò non omninò silentio involvendus, quia prior ex ijs, qui è Germanis nostrum induerint Habitum post reparationem Ordinis in illis regionibus, Sacerdotio Initiatus fuit, & vix altero post Sacerdotium elapso anno, Serenissimæ, & Reverendissimæ Sororis Annæ Julianæ, quæ è vivis excesserat, in laudem tres funebres habuit Orationes, unam Germanico idiomate, alteram latino, Italico tertiam, scilicet in die depositionis, in die septimâ, & in die trigesimâ. Adolescens propterea singulari habitus in pretio, utpotè non vulgaris expectationis.

P. Joachimi Oenipôtans obitus, & laudes.

F

Quinque alij modò, qui hoc anno obierant, adhuc commemorandi supersunt, in primis P.M. Annibal Canuti de Fulgineo, Vir summæ existimationis etiam apud Viros Principes, præsertim verò apud Cardinalem Senesium Episcopum Urbisveteris, in cujus Ecclesiâ Cathedrali plures annos ipso Cardinali mandante Theologicas habuit lectiones.

Annibalis Canuti de Fulgineo.

Præterea Patavij Mense Julio obijt P.M. Honorius Gemellus genere quidem Ferrariensis, sed Patavinus dictus, quia Patavij Habitum Ordinis induit, Vir eloquens, & in declamando nemini secundus, quippe qui propter elegantiæ formam, dicendique gravitatem, cum venustate coniunctam, Auditores, quòcunque vellet, arte dicendi moveret, unde etiam ab Episcopo Clodiensi . . . . . Invitatus plures annos ejus vices, & concionando, & administrando Diœcesim illam egregiè se gessit.

Honorii Gemelli Patavini.

G

Item hisce pariter diebus obijt Arimini, ubi Cœnobium administrabat, septuagenario major P.M. Adrianus Janinius de Bononiâ, cujus si placidos mores spectemus, si literariam solertiam, si eximiam in extremâ senectute animi compositionem ad patientiam, Virum hunc minimè prætereundum fatebimur, maximè cùm plures in Ordine direxerit Academias, & plures Præfecturas in eodem prudenter exercuerit.

Adriani Janinii Bonon. obitus, & laudes.

H

Postremò commemorandus occurrit, quem nemini secundum existimo, & quem præcæteris maximè veneror, P.M. Archangelus Giani de Florentiâ de toto Ordine optimè meritus, & Patriæ decus immortale, cujus laudes, & gesta descripsimus ab initio Tomi primi horum Annalium. Die tandem 24. Mense Novembri per literas patentes .5. Romæ datas indicta fuit à Balthassare Generali Comitia Generalia anno sequenti 1624. in vigiliâ Pentecostes, die nimirùm 25. Maij in Cœnobio S. Marcelli de Urbe habenda ad eligendum

Indicuntur Comitia Gen; quę postea per Apostolic. Diploma dilata fuere ad annũ 1625.

dum Priorem totius Ordinis Generalem, aliáque omnia præstanda, quæ in hujusmodi Comitijs à Constitutionibus nostris præscribebantur, quæ tamen ad annum usque 1625. per Apostolicum Diploma dilata fuere, ut & longè commodiùs, & longè libentiùs eò convenirent Patres, quòd eo temporis solemne Jubilæum agebatur. Inscriptio verò literarum tanquam specialis, & honorifica erat hujusmodi; et ideò non omittenda.

Inscriptio Literarum Balthassaris Bolognetti.

F. Balthassar Bolognettus de Bononiâ Publicus Sacræ Theologiæ Professor, totius Religionis Servorum B.M. semper Virginis Prior Generalis, Protonotarius Apostolicus, S. Apostolici Archihospitalis sancti Spiritûs in Saxiâ de Urbe Præceptor, ac totius Ordinis ejusdem Sancti Spiritûs Generalis Minister.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

1 EX *Alphonso Ciaconio in Vitis summorum Pontif.*
2 *E monum. Conv. S. Marcelli de Urbe.*
3 *Ex Monum. Montis Senarij.*
4 *Ex monum. eorundem respectivè Convent., & supplem. Michaelis Angeli Salvij.*
5 *Ex Reg. Gen. Bolognetti.*

Balthassar Generalis creatur Episcopus Neocastrensis, & Philippus Ferrari Vicarius Generalis Apostolicus. Comitia Generalia Summus Pontifex prorogat usque ad annum 1625. & ad eundem annum Superiores omnes confirmat. D. Annunciatæ de Florentiâ concedit quatuor Pœnitentiarios, & P. Mascagno facultatem permanendi extra Ordinem. Philippi Mariæ Eremitæ virtutes, & obitus laudantur.

CAP. VI.

Balthassar creatur Episcopus Neocastrensis.

INtereà Balthassar Generalis prædictus ab Urbano VIII. Summo Pontifice creatur Episcopus Neocastrensis in Calabriâ, & in die Annunciationis B.M.V. hujus anni consecratur, cui in Ordine administrando sufficitur ab eodem Summo Pontifice Vicarius Generalis P. M. Philippus Ferrari ab Alexandriâ, prout constat ex sequentibus Literis sub datum Romæ apud S. Petrum die 24. Januarij anno 1624. .1.

Sufficitur in Ord. administrando Vic. Gen. P. M. Phil. Ferrari Alexandrinus.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecto Filio Philippo ab Alexandriâ Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Professori.

DIlecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cùm Nos Ecclesiæ Neocastrensi certò ad præsens, quem præsentibus pro expresso haberi volumus, modò Pastoris solatio, de Virtute, de Personâ Dilecti Filij Balthassaris Bolognetti, cui aliàs tunc Priori Generali Ordinis Servorum B. M. existenti, fel. Recor. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster Præceptoriam Hospitalis nostri S. Spiritûs in Saxiâ de Urbe tunc vacantem contulit, illique ut etiam A *Præceptor dicti Hospitalis existens ipsum Generalatûs Officium retinere, prosequi, exercere, administrare, & continuare posset, indulsit, providere, ipsumque Balthassarem eidem Ecclesiæ in Episcopum præficere, & Pastorem intendamus; ac propter provisionem, ac præfectionem prædictas Officium Generalatûs hujusmodi vacaturum sit. Nos pro nostri Pastoralis Officij munere dicti Ordinis, ne propterea aliqua in spiritualibus, & temporalibus detrimenta patiatur, felici regimini providere volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate, & religionis zelo plurimùm in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione nostris, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, te ex nunc, prout postquam eidem* B *Ecclesiæ Neocastrensi, de personâ dicti Balthassaris provisum fuerit, ut præfertur, in Vicarium Apostolicum Generalem dicti Ordinis usque ad novam electionem Prioris Generalis in Capitulo Generali juxta statuta, & Ordinationes prædicti Ordinis Apostolicâ auctoritate confirmata faciendam, cum potestate dictum Ordinem regendi, moderandi, & gubernandi, ac omnibus, & singulis alijs facultatibus, privilegijs, honoribus, oneribus, præeminentijs, & prærogativis, quibus alij, qui pro tempore fuerunt ejusdem Ordinis Vicarij Generales Apostolici, uti, frui, potiri, & gaudere consueverunt, tenore præsentium creamus, facimus, constituimus, & deputamus. Mandantes in virtute obedientiæ, ac sub arbitrij nostri pœnis omnibus, & singulis Provincialibus, & alijs* C *quocunque nomine nuncupatis dicti Ordinis Officialibus, Superioribus, & Fratribus, alijsque illius personis quibuscunque, ut Tibi in omnibus, quæ eis ordinanda, mandanda, ac per eos exequenda duxeris, humiliter pareant, & obediant, tuáque jussa, monita, & mandata suscipiant reverenter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam ritè tuleris, seù statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs* D *quibuscunque.*

Datum Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Januarij M.DC.XXIV. Pontificatûs nostri anno primo.

V. Theatinus.

Insuper, cùm habita non fuerint hoc anno Comitia Provincialia, Sanctitas Sua Literis Apostolicis sub datum Romæ die 6. Martij Superiores Ordinis omnes majores ad annum confirmat, & Capitulum Generale ad annum sequentem prorogat, prout constat ex literis Apostolicis, quæ sequuntur.

UR.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Summus Pontif. prorogat Cap.Gen. ad annū 1625. & confirmat omnes Ordinis Superiores.

CUM, *ficut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Servorum B. M. V. juxta ipfius Ordinis Conftitutiones, & Statuta Apoftolicâ auctoritate confirmata de Triennio in Triennium celebrandum fit; In primo autem futuro Fefto Pentecoftes tempus celebrationis Capituli hujufmodi adveniat. Nos qui pro noftri Officij Paftoralis debito cunctorum Religioforum ftatui, & felici gubernio, directioni, & indemnitati confulere tenemur, juftis de caufis animum noftrum moventibus, motu proprio, & ex certâ fcientiâ, ac maturâ deliberatione noftris, deque Apoftolicæ poteftatis plenitudine, futuri Capituli Generalis dicti Ordinis celebrationem ad alium annum, fcilicet ad feftivitatem Pentecoftes anni 1625. tenore præfentium prorogamus, ac differri volumus, & mandamus; necnon dilectos Filios Vicarium Apoftolicum Generalem à nobis nuper fub certis modo, & formâ tunc expreffis Apoftolicâ auctoritate deputatum, necnon Priores, Provinciales, aliofque Superiores ejufdem Ordinis quocunque nomine nuncupatos in eorum Officijs hujufmodi ad annum, ut præfertur, prorogatum cum omnibus, & fingulis facultatibus, privilegijs, gratijs, & Indultis, quibus hactenus ratione dictorum Officiorum ufi funt, ac uti potuerunt, confirmamus, non obftantibus conftitutionibus &c.*

Datum Romæ die 6. Martij 1624.

Henr. Anton. Burgus vifitat Collegia.

Hifpanos latet cōfirmatio Pontificia Provincialiū, & electus ab ipfis confirm.

P. Anfenius Mafcag. Picturis exornat Eccl. Salifpurg.

Philippus fubinde Totius Ordinis Vicarius Generalis Apoftolicus, utpote Difciplinæ Regularis, & Literarum culturæ ftudiofiffimus, curam ftatim omnem adhibuit eidem Ordini reformando, & literarum ftudijs pro virili promovendis unâ cum Lactantio Firmiano lib. 3. de Divinâ inftitutione cap. 26. & Clemente Alexandrino p. 3. de Officio Sacerdotum fatis fuperque edoctus, quòd ab Ignorantiâ malum omne procedit, P.M. Henricum Antonium Burgum à Caftronovo Scripiæ Vifitatorem, & examinatorem Generalem ftudiorum Ordinis inftituit, qui ab Univerfitate Pifanâ, ubi facram Theologiam profitebatur, difcedens, ftudia prædicta vifitanda fufcepit, & ad examen vocatos adolefcentes omnes ab invicem difcrevit, & quid de ipfis fingillatim fenferit, Philippo oftendit, quod fanè publico Ordinis bono haud mediocriter contuliffe non dubitandum eft. Cùm autem in Hifpanijs Patres noftros lateret, quòd Sanctitas Sua Provinciales Ordinis omnes ad annum ufque 1625. confirmaffet, habitis juxta præfcriptum legum noftrarum Comitijs Provinciæ, novum Provincialem elegere, qui Romam deinde accedens, & ad quaslibet difficultates eludendas fua jura deducens, confirmatus, & approbatus à Summo Pontifice fuit. Deinde P. Arfenio Mafcagni de Florentiâ Ordinis noftri Sacerdoti pingendi arte exculto fummus idem Pontifex per literas patentes Romæ datas die 2. Aprilis facultatem impertitur permanendi extra Religionem adhuc per annum apud Archiepifcopum Salspurgenfem, cujus Ecclefiam Metropolitanam fingulari laude varijs picturis exornavit. Infuper ad humillimas Sereniffimi Magni Ducis Etruriæ Ferdinandi II. preces Urbanus idem VIII. per Breve quoddam fpeciale fub datum Romæ die 25. Octobris 1624. Ecclefiæ D. Annunciatæ de Florentiâ quatuor Pœnitentiarios concedit per Priorem illius Conventûs pro tempore eligendos, qui eâdem potiantur auctoritate, quâ potiuntur Pœnitentiarij Sacræ Lauretanæ Domûs, quemadmodum conftat ex ijs, quæ fequuntur, necnon ex monumento, quod in marmore imprimendum ijdem Patres anno 1626. curarunt, de quo ad eundem annum.

Summus Pontif. concedit 4. Pœnitent. Eccl. D. Annun. de Flor.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

EX *incumbenti Nobis Apoftolicæ fervitutis officio, pia Catholicorum Principum vota, Ecclefiarum decorem, & ornamentum, Divinique cultûs in eis augmentum, ac Chrifti Fidelium animarum falutem concernentia, ad exauditionis gratiam, libenter admittimus, favoribufque, & gratijs profequimur opportunis, prout confpicimus in Domino falubriter expedire. Cùm itaque, ficut Dilectus Filius Nobilis Adolefcens Ferdinandus Etruriæ fibi fubjectæ Magnus Dux nuper Nobis exponi fecit, ipfe tam pro fingulari, quem erga Ecclefiam Domûs Annunciationis B. Mariæ Floren. Ordinis Fratrū Servorum ejufdem B.M. & in eâ fitam Capellam fimiliter Annunciationis B. Mariæ gerit, devotionis affectu, quàm etiam pro fpirituali Chriftifidelium ad Ecclefiam, & Capellam hujufmodi devotionis causâ undique confluentium confolatione, in eâdem Ecclefiâ nonnullos Pœnitentiarios ad eorundem Chriftifidelium Confeffiones audiendas eligi, & deputari poffe fummoperè defideret. Nos ejufdem Ferdinandi Magni Ducis defiderijs hujufmodi, quantùm cum Domino poffumus, annuere, illumque fpecialibus favoribus, & gratijs profequi volentes, & à quibufvis excommunicationis, fufpenfionis, & Interdicti, alijfque Ecclefiafticis fententiis, cenfuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occafione, vel causâ latis, fi quibus quomodolibet innodatus exiftit, ad effectum præfentium duntaxat confequendum harum ferie abfolventes, & abfolutum fore cenfentes, fupplicationibus eius nomine Nobis fuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Dilecto Filio Moderno, & pro tempore exiftenti dictæ Domûs Priori, ut quatuor eiufdem Domûs Fratres, quos ad id idoneos, vitâque, & moribus confpicuos cognoverit, in dictæ Ecclefiæ Pœnitentiarios conftituere, & deputare, dummodò ab Ordinario examinati, & probati fuerint: ipfis verò Pœnitentiariis fic conftitutis, & deputatis, ut omnibus, & fingulis facultatibus, non tamen à cafibus in lite-*

literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, neque à Censuris contra Duellantes, aut sanctimonialium Monasteriorum clausuram, aut libertatem, & immunitatem, sive Jurisdictionem Ecclesiasticam violantes, fulminatis, absolvendi, quibus Pœnitentiarij Sacræ Domûs Lauretanæ utuntur, potiuntur, & gaudent, similiter uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè respectivè possint, & valeant, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, facultatem tribuimus, & impartimur, ac concedimus, & indulgemus, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 25. Octobris 1624. Pontificatûs nostri anno secundo.
V. Theatinus.

Obitus, & laudes P. Phil. Mariæ Rucellai Eremitæ

Moritur hoc anno Florentiæ in Cœnobio D. Annunciatæ, ubi fortè aderat, die 22. Novembris P. Philippus Maria Senarij Montis Eremita in seculo vocatus Philippus Petri de Rucellais Patritij Florentini Filius, cujus virtutes paucis saltem perstringere opportunum videtur. Philippus ab ineunte ætate arctissimum Ordinis Capuccinorum institutum aggressus, ob non satis firmam corporis valetudinem in eodem perseverare non potuit; quia verò religiosæ vitæ severiori adhuc erat addictus ætatis suæ anno circiter 23. reparatæ verò salutis 1597. die 8. Septembris Eremiticum Habitum in Monte Senario suscepit, & unà cum alijs anno 1601. die 25. Januarij solemnem Professionem ibidem emisit. Humanioribus literis excultus linguam etiam Græcam à Petro Parente suo didicerat, cæterùm acumen ingenij, quo præstabat, orationi prorsus, & rerum cœlestium contemplationi jugiter impendebat, ubicunque fuisset, solitudinis proinde amantissimus, illud sæpè usurpans: *Solitudo est Mater, & silentium est Pater devotionis*; unde postquam in Eremum istam se recepit, vix ter Florentiam fertur adiisse. Divinum Officium adeò exactè recitare ipsi curæ erat, ut sibi nunquam credens Choro cum alijs ad idem persolvendum interesse summo studio contenderet, quamvis aliquando adversâ valetudine uteretur, nec inde nisi præcepto coactus abesse audebat, ibique fixis ad terram indesinenter oculis permanebat, ac plurimùm operæ, ut sacrum diligenter faceret, adhibebat. Jejunium quoque singulis Sabbathis in obsequium B. Virginis quàmlibentissimè servabat. Mansuetus autem maximè erat, comis, simplicitate columbæ præditus, & in quibuslibet adversis invictus. A Eremitis in Senario, licèt invitus, per biennium Præfectus, eorum pietatem, & in Eremiticâ disciplinâ studium fovere quàmmaximè studebat, tum exemplo, tum verbo, collationes quasdam cum ipsis identidem instituens, in quibus plura Sanctorum Patrum testimonia, eaque ad rem ipsam accommodata eo Ordine inserebat, ut Auditoribus admirationi esset, & ædificationi, quinimmo Sanctorum Patrum operibus adeò impensè studuerat, ut aliqua ex ipsis excerpta testimonia sibi magis in delicijs memoriâ tenaciter retinens, colloquijs etiam familiaribus ad rem plerunque intermisceret; quòd sanè inutilibus verbis declinandis haud mediocriter conducebat. Paupertatis studiosissimus, necnon obedientiæ, & castitatis, quâ de re jocos quoscunque, qui modestiam undequaque non redolerent, exhorrebat; vilia quæcunque in Eremo obibat etiam hilaris officia, sibique, B fuisque necessitatibus vix consulebat, conservandæ, & augendæ Eremiticæ observantiæ percupidus, in Cellulâ, quæ dicitur de Salviatis, reclusus diù permansit legibus reclusorum maximè addictus. Itaque cùm hanc vitæ rationem virtutes excolendo jugiter tenuisset, anno ætatis suæ 50. plenus dierum obdormivit in Domino. Ejus autem corpus Societatis Biviliani Confratres ad Eremum de more transtulerunt. Ipso autem sui transitûs articulo Fratri Sosteneo apud Senarium in Cellâ oranti aspectu jucundus apparuit Philippus, dicens: *Frater Sostenee modò è vivis excessi, & unâ tantum horâ spiritus meus Purgatorij pœnis detinebitur, ad æterna gaudia* C *subindè transiturus*. Quæ quidem F. Sosteneus pluribus, & pluries testabatur, speciatim verò Patri Bernardo tunc ibidem Rectori, vix habitâ prædictâ apparitione, liberâ, & elatâ voce dicebat: *P. Bernarde P. Philippus Maria in Cœnobio D. Annunciatæ de Florentiâ obijt*; quòd cum omnes omninò ibidem lateret, die proximè sequenti de Beato Philippi obitu per Nuncium quendam Florentiâ missum certiores facti fuere Eremi Patres. Quibus omnibus excitatus P. Gabriel Eremita valdè cupiebat, ut idem Philippus sibi quoque se videndum præberet, ut ab eodem de sublimiori perfectione edoceretur, quæ Deo magis D glorificando maximè ipsi erat in votis. Philippus quidem paulò post Gabrieli apparuit nocturno tempore; Verùm ipsi subindicans desiderium hoc Gabrielis sibi non omninò probatum fuisse, utpotè inani cuidam curiositati permixtum.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

1 EX *Reg. Gen. Ferrari, & Thuscia.*
2 *Ex monum. D. Annunc. de Flor.*
3 *Ex monum. Montis Senarij.*

P. Ar-

Ecclesia VValdrastensis Ordini conceditur. P. Archangelus novus per Germaniam Vicarius Generalis. Nova Fratrum Familia apud VValdrast, & nonnulla Miracula. Fundantur nova Cœnobia. Nobiles Viri Habitum suscipiunt. Veralli Protectoris, & Illustrium Virorum gesta, & obitus enarrantur. Indultum Pontificium pro suffragijs Fratrum Defunctorum, & celebratione Capituli Provincialis de triennio in triennium.

CAP. VII.

Post inexplicabilis operis molestiam pertinaci connisu superatam perfectum hoc anno stabat Cœnobium VValdrastense, necnon valdè instaurata Ecclesia novo fornice undequaque adiecto, cui fustrum pariter fuerat Odæum *Archiducis Leopoldi beneficientia.* st. Cùm Serenissimus Conditor Leopoldus Brixinensi Præsule Hieronymo Agricolâ Archiducis Caroli successore operi feliciter annuente totum illud Ecclesiæ VValdrastensis Territorium Ordini nostro liberè donavit jure quocunque illi deinceps possidendum; quinetiam sustentandis, & alendis Fratribus quidquid certis, incertisque censibus inde haberi non poterat, illud apud suum Archiducale ærarium liberaliter omninò assignavit; ne verò hoc perfunctoriè fieret, suas in re propositâ partes præ- *Assignatur Ord. nostri PP. pro Cœnobio VValdrastensi.* nobilibus Dominis Joanni Marguardo Schiller Cameræ Aulicæ Præsidi, & Consiliario intimo, Maximiliano Grebuer de VVolfthurn, Guilielmo Schrench, Joanni Kyening Cameralibus Consiliarijs, & pluribus alijs injunxit, qui de augmento VValdrastensi perquàm optimè merentes, prout tempus, & ratio ferebant, fidelem successivè operam pro Fratrum exigentiâ navabant. Quibus ad nutum Principis electis nascentis ibidem Ordinis rem familiarem, hac sedulitate curantibus, Religiosi Divino, & Mariæ cultui ibidem propagando decreti, quamvis paucissimi, pluribus tamen præ studio pares quibuscunque eò peregrinantibus præstò semper erant, sive ad elucidanda Christianæ fidei mysteria, sive ad eorum Confessiones audiendas, sive ad Sacram Eucharistiam ministrandam, sive ad Divina quæque celebranda pro eorum indigentiâ, & devotione. Hinc Fidelium eò accedentium crescente numero, crevit etiam Fratrum, ut hisce sufficerent muneribus, Familia, cui de Mense Septembri hujus anni præesse jussus est P. Lælius de Mediolano ad instantiam Serenissimi Conditoris, cui maximè fuit acceptus, unà cum P. Daivd Laudensi, necnon tribus, & aliquando quatuor alijs ex Germaniâ petitis Patribus, quibus Divino operi summo studio incumbentibus, adeò pietas hominum mentibus ad B. Virginem VValdrastensem instillari cœpit, ut brevi solemnioribus nonnunquam Festis ad duo millia eò confluxisse constans fuerit fama, quorum eò confluentium, sanctamque Virginem colentium maxima, & prima pars fuit cultus

E hujus augendi Auctor Serenissimus Leopoldus præfatus, cui planè nil antiquius fuit, quàm in rebus arduis oraculum hoc eximiâ semper veneratione prosecutum religiosè consulere, quod fusiùs explicat Augustinus Romer in Historiâ Ordinis nostri, quæ inscribitur *Servitus Mariana* lib. 4. per totum.

Inteteà cùm hæc ita se haberent, & apud VValdrast. Eccl. Ordinis incrementû, & decus pro virili, quemadmodum nuper dicebâ, Patres prædicti promoverent, hujus tritici in medio superseminate non destitit Zizania Inimicus homo, nam Oeniponte gravia fervebant jurgia inter Domum Regularem, nec non plures ex S. Josephi Cœnobio ex unâ parte, & P. Josephum Mariam eo temporis Vicarium Generalem per Germaniam ex al- *Componuntur Oenipôte Differentiæ inter Domum Regularem, & P. Vicarium Gener.*
F terâ, quem fortè nimio zelo disciplinæ recèns natæ promovendæ incumbentem habebant, neque proinde Cœnobijs illis regendis idoneum, quia nimis fortè severum. His autem omnibus componendis, quia nunquam Deipara Patrona defuit, Serenissimus Leopoldus, cui Serenissima Reparatrix Ordinem vigore quoque Testamenti anno 1613., & Codicilli anno 1618. ex animo commendaverat, fetiò intentus, adhibitis quinque Commissarijs Religiosissimis Viris P. Egolf Societ. Jesu Presbytero, P. Henrico Seltfridt S. Francisci de Observantiâ Guardiano, P. Guardiano pariter Capuccinorum Oenipontte, Joanne Lindsvet Archicancellario aulico, & Georgio Dietrich S. Theologiæ Doctore,
G reipsâ funditùs compertâ partibus omnibus auditis optimè consultum existimavit, P. F. *Josephum* Mariam gratissimis Literis monere, ut deinceps pro majori suæ, & aliorum conscientiæ tranquillitate curam omnem, quam hactenus in Sorores Domûs Regularis Oeniponte exercuerat, suspenderet, ijs nihil mandaret, sed in omnibus, & per omnia, quoad de aptioribus medijs à suâ Serenitate provideatur, se contineat, non defuturam suam Serenitatem, sed primâ quaque occasione, tam Pontifici, quàm Reverendissimo Generali media suggesturam, per quæ major deinceps sperari possit fructus, & sublatis scandalis, ac dissensionibus uberior in spiritu profectus. Reverendissimus autem Philippus Maria Fer-
H rarius totius Ordinis tunc Vicarius Generalis Apostolicus Serenissimo Leopoldo conformis rem totam edoctus Archangelum Beniveninm Montis Senarij Eremitam per Germaniam satis perspectum, & unicè dilectum Vicarium sui Generalem per illam Provinciam constituit, quò proindè repetere debuit ex Eremo Senarij, ad quam unà cum cæteris Eremitis ex Germaniâ sese receperat, cùm Serenissima Reparatrix Cœlestia petiit, unà cum P. Vincentio Mellini eiusdem Eremi Professo, postquam ab anno 1615., quo primùm eò venerat, ad prædictum tempus usque ibidem permanserat, Oenipontem verò tenuit 6. Kalendas Novembris hujus anni, eâ tamen lege, ut ad preces

preces Serenissimi Leopoldi à Romano Pontifice, quoad usum carnium Eremitis ipsis interdictum indultum fuerit, prout ex infrascriptis Literis constat, nam gravis admodum Antecessoribus hæc accidit abstinentia in Regione illâ, quæ adeò Piscium expers est, toleranda. Ibidem ergo Archangelus auctoritatem Vicarij Generalis, necnon Prioris Oenipontani tandiù sustinuit, quoad negotijs illum aliò avocantibus, ut alibi dicetur *; in eo perseverare non potuit, ipsi in regimine successivè suffectis P. Antonio Medices, & P. Vincentio Mellini pariter Eremitis. Itaque recedente P. Josepho Mariâ, & ipsi succedente Archangelo facta est tranquillitas magna, Serenissimus Leopoldus longè majori studio Ordinem fovere cœpit, Ordo ipse incrementum suscipere, disciplinæ regularis aptioribus medijs promoveri, & Domuum nostrarum Cultores, sive Sorores, sive Fratres apud omnes optimè audire cœperunt. Tenor autem Indulti prædicti hic est.

** Cent. V. lib. 1. cap. XXI.*

URBANUS PAPA VIII.
Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indultũ pro comestione carnium Eremitis Montis Senarij in Germaniâ degentibus.

CUM, sicut Dilectus Filius Leopoldus ex Archiducibus Austriæ Ecclesiarum Argentin., & Passavien. Administrator Apostolicâ auctoritate deputatus, Nobis nuper exponi fecit, ipse pro Regularis observantiæ in nonnullis tui Ordinis Domibus Regularibus Comitatûs Tyrolis conservatione, & in quibus collapsa est, restitutione, plurimùm cupiat nonnullos Fratres Eremitas in Montis Senarij Florentinæ Diœcesis, seu alijs ejusdem Ordinis Eremitorijs commorantes ad Domos prædictas transferri. Nos pijs dicti Leopoldi votis, quantùm cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Tibi quoscunque tàm dicti Montis Senarij, quàm aliorum ejusdem Ordinis Eremitoriorum hujusmodi Eremitas, quos ad hujusmodi munus idoneos esse duxeris, è prædictis Eremitorijs ad Domûs Regulares ejusdem Ordinis Comitatûs Tyrolensis prædicti ad effectum hujusmodi transferendi, illisque sic translatis, in Domibus prædictis ad tempus sibi benevisum permanendi, ac quandiù inibi permanserint carnibus adinstar aliorum dicti Ordinis Professorum vescendi, licentiam concedendi, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Eremitoriorum, & Ordinis hujusmodi, & juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, ac alijs quibusvis Personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, &

sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo
A *robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæteris contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud S.M. Majorem sub annulo Piscatoris die 6. Septembris 1624. Pontificatûs nostri anno secundo.

V. Theatinus.

Miracula Virginis VValdrast.

Patrona nostra VValdrastensis beneficentię jugiter addicta, præter ea, quæ ad annum 1621. fusiùs referebam, plura fidelibus contulit semper beneficia, quorum duo, quæ hoc anno contigerunt, modò placet recensere; primum verò die 19. Junij hoc est: Barbara Privigna Joannis Piebls artis Textrinæ Professoris apud Motteram quinque circiter an-
B norum, incidit in fluvium, qui Motteram abluit, & secus Torrentem abrepta fuit ad jactum usque Sclopeti. Parentes, & proximi eò accurrentes, eam habitam semianimem inde eduxerunt; superveniens autem huic deplorando spectaculo nobilis quidam Vir de Murano Tyrolensi Civitate nomine Gaspar Graff Oenipontem versus iter habens de re ipsâ certior factus, licèt & ipse mortuam crederet Puellam, pluries tamen parentes ejus hortatus est, ut B. Virgini VValdrastensi ipsam devoverent; ac denique idem Gaspar spe plenus Puellam semianimem equo suo super posuit, & iterà se Oenipontem versus suscepta ptum detrectans Montem VValdrast ascendit, priùs verò quàm ad Ecclesiam pervenis-
C set, Puella, quæ perierat, revixit, adhuc etiam ab omni prorsus malo libera æquè ac si nil mali subiisset. Alterum verò die 6. Julij hoc est: Paulus Ingenuinus Cæmentarius apud Motteram, cùm à Balneis, quæ extant super Montem Prever, Domum suam repetens, cùm propè ad Ecclesiam accessisset in eodem Monte sitam, horribili quodam turbine abreptus è monte ipso præcipitem ruere vidit adeò vehementem, & uberem aquarum torrentem, ut unà secum arbores, & saxa in præceps traheret; ipse verò præ loci angustiâ supremum sibi imminere animadvertens excidium, maximo timore correptus, seu B. Virgini VValdrastensi maximè fretus, cùm se eidem etiam atque etiam commendat,
D impetus aquarum subsistit duobus ferè passibus procul ab illo, donec ipsi copia suppeteret discrimen hoc evadendi.

Puella, quæ credebatur naufragium subiisse, revivisci.

Gravissimo expositus periculo liberatur.

Fundantur nova Cœnobia in Villâ S. Petri in Corte & in Monte Alto Diœcesis Camerini.

Dum hæc per Germaniam Ordini nostro honorifica contingunt, alijs etiam .2. Gentibus B. Virgo favere non dedignatur, Servorum suorum Ordinem apud illas promovendo. In primis enim die 7. Julij hujus anni operâ P. Christophori Perotti de Cremonâ Ordinis amplificandi studiosissimi servatis de jure servandis eidem Ordini accessit Oratorium quoddam S. Petro dicatum in Villâ quadam, vulgò dictâ *S. Pedretto, o S. Pietro in Corte* ab anno usque 1617. à Domino Capitaneo Joanne Francisco Faetni in Diœcesi Ju-

lienſi Ditionis Parmenſis, cui Oratorio progreſſu temporis, & Oratorium aliud S. Carolo nuncupatum, & Cœnobium iterum acceſſit. Prætereà D. Lucius de Amicis J.U. D. de Campo Rotundo Archipresbyter in Monte Alto Diœceſis Camerini, ex cujus agnatione P. Lucius de Amicis Ordinis noſtri Sacerdos deſcendit, qui Clementis Papæ IX., & Familiæ Pontificiæ Confeſſarius fuit, Conventum, & Eccleſiam S. Carolo pariter nuncupatam Ordini noſtro conceſſit, ibi primùm in Superiorem electo P. Victorio à S. Angelo in Vado integritate vitæ præclaro, eâ tamen lege, ut ſi quando Conventus hic ab Ordine noſtro deficeret, jure Patronatûs ejus Familiæ reſtituendus eſſet, & ad eam libera collatio ſpectaret, quòd anno 1652. eveniſſe videbimus. Vir profectò non omninò prætereundus, plura enim Poſteris imitanda monumenta pietatis reliquit, etenim Virgines quampiures congruâ dote donavit, aliam adhuc Eccleſiam, quam à fundamentis excitaverat, D. Mariæ Magdalenæ dicavit; ex proprio Patrimonio Pietatis Montem inſtituit, Pauperibus adjuvandis, dotandiſque Puellis. Præthereà Venerabilis Sororis Adrianæ Roſſi Venetæ, de quâ ad annum 1648. inſigni virtute Monaſterium S. Mariæ Gratiarum de Burano egregiè inſtauratum fuit, & Menſe Novembri hoc anno ab Ordinario Loci pro Sanctimonialibus clauſura eidem fuit indicta. Denique in Regno Valentiæ P.M. Franciſcus dictus de Charitate Conventum ad honorem B. M. Virginis ſub invocatione 7. Dolorum Ordini noſtro comparavit, ejusque incremento maximoperè ſtuduit; de quibus omnibus Cœnobijs hæc indicaſſe ſit ſatis. Cùm PP. noſtrorum Conventui S. Rochi extra Terram Luciniani in Etruriâ ab ann. uſque 1548., annuente D. Vito q. Nicolai de Petruccis Senenſi Patrono Cappellaniæ cujuſdam S. Antonij ſitæ in Eccleſiâ S. Angeli Archipresbyteratûs intra Lucinianum Bernardettus de Minerbettis Epiſcopus Aretinus univiſſet Oratorium ſimplex S. Martini de Fabricâ, & Capellaniam prædictam, in quâ Eccleſiâ PP. proinde tenebantur ſingulis hebdomadis Miſſam celebrare, cùm dicta S. Angeli Eccleſia, ac proinde Altare S. Antonij in eâ ſitum corruiſſent. Patribus enixè rogantibus, ut ſibi liceret hujuſmodi obligationi in Eccleſiâ propriâ præſenti ſatisfacere, Summus Pontifex Urbanus VIII. benignè annuens, Epiſcopo Aretino mandavit, literis patentibus ad hoc ſpecialiter datis, ut auctoritate Apoſtolicâ eorum petitioni indulgeret, quemadmodum conſtat ex actis in Curiâ Epiſcopali Aretinâ hoc anno, quorum hic tenor eſt. .2.

Erigitur Monaſt. S. Mariæ Gratiarū de Burano, & Sanctimoniales ſub. ejcitūtur clauſura

In Regno Valentię fundantur Cœnobium.

Indultū Patrib. de Luciniano pro quadam obligatione Miſſarum.

Joannes Baptiſta Cioſius J.U.D. Presbyter Aſſiſienſis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Antonij de Riccis Patritij Florentini Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopi Aret., Vicarius in ſpiritualibus, & temporalibus Generalis, Judex Delegatus, & Commiſſarius Apoſtolicus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N. Urbani Divinâ Provid. Papæ VIII. E

Dilectis Nobis in Chriſto RR. Priori, & Fratribus Domûs Regularis Loci Luciniani Ordinis B. M. Servorum Aret. Diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam. Noverint Univerſi, & ſinguli, ad quos præſentes noſtræ Literæ pervenerint, qualiter nuper pro parte ipſorum RR. Prioris, & Fratrum Literæ Apoſtolicæ, ſub plumbo, ut moris eſt, expeditæ ſub datum Romæ apud S. M. Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1623. 5. idus Septembris, Pontificatûs ſui anno primo, ſanæ ſiquidem, & illæſæ, ac omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentes nobis directæ, exhibitæ, & præſentatæ fuerunt, mandati derogationis, circumſcriptionis, & commutationis ultimæ voluntatis circa F *onus ipſis Priori, & Fratribus tunc, & pro tempore exiſtentibus incumbens celebrandi qualibet hebdomadâ in olim Parochiali, ſeu aliâ Eccleſiâ, vel Capellâ ad præſens dirutâ S. Antonij dicti Loci ex dictæ Eccleſiæ, ſeu Capellæ fundatione, dotatione, vel Legato pio obten. ab eodem Sanctiſſimo D.N. Papâ Miſſam hebdomadalem prædictam celebrandi in Eccleſiâ præfata eorum Domûs pro commodiori oneris hujuſmodi adimplemento tenoris, prout in dictis Literis, ad quas in omnibus, & per omnia condigna habeatur relatio, & à Nobis debitâ cum inſtantiâ petitur, quatenus ſibi licentiam, & facultatem dictam Miſſam hebdomadalem in dictâ eorum* G *Eccleſiâ celebrandi Apoſtolicâ Nobis commiſſâ concedere dignaremur. Nos igitur volentes tanquam obedientiæ Filius dictis Literis, ut decet, obtemperare, & ad illarum executionem procedere, viſis videndis, & conſideratis conſiderandis Dei omnipotentis nomine invocato in executionem Literarum Apoſtolicarum prædictarum Nobis directarum, dilectis Priori, & Fratribus ſupradictis, nunc, & pro tempore exiſten. in dictâ Domo, & Conventu dicti Loci, ut Miſſam hebdomadalem præfatam deinceps futuris perpetuis temporibus in Eccleſiâ prædictâ eorum Domûs, circumſcriptâ quoad hoc, qualiter opus ſit, ipſius Eccleſiæ, ſive Capellæ Fundatoris voluntate, celebrare liberè, & licitè poſſint, & valeant, auctoritate* H *Apoſtolicâ Nobis, ut ſupra, commiſſâ harum ſerie licentiam damus, & facultatem in Domino impartimur, ipſoſque RR. Priorem, & Fratres nunc, & pro tempore exiſten. nullo unquam tempore ad Miſſam hujuſmodi alibi, quàm in Eccleſiâ dictæ Domûs deinceps perpetuis futuris temporibus celebrandam nullatenus teneri, & obligatos eſſe, nec ad id à quocunque quovis prætextu, occaſione, vel causâ cogi, & compelli poſſe, ſicque, & non aliàs per quoſvis Judices Ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Sac. Palatij Apoſtolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Vicelegatos, ac S. Sedis Apoſtolicæ Nuncios judicari, & definiri debere eâdem Apoſtolicâ auctoritate decimus,*

mus, & declaramus irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernentes. Non obstantibus ijs, quæ SS. N. Papa in dictis suis Literis non obstantib. decrevit, & statuit. In quorum omnium, & singulorum fidem has præsentes nostras Literas manu nostrâ munitas per Cancellarium nostrum infrascriptũ scribi, & subscribi, sigillique, quò in talibus utimur, jussimus, & fecimus impressione muniri.

Datum Aretij ex Episcopali Palatio anno ab ejusdem D.N.J. Christi Nativitate millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septimâ, die verò 19. Mensis Martij Urbano VIII. Pontifice maximo sedente, & Serenissimo D.D. Ferdinando Medices Magno Etruriæ Duce Domin., præsentibus D. Francisco de Angelinis Clerico Cortonensi, & Joanne de Verruccis Aretino Testibus ad præfata habitis, vocatis specialiter, atque rogatis.

Jo. Baptista Ciofius Vic. Generalis, & Judex Delegatus, & Executor Apostolicus.

Loco ✠ *Sigilli.*

Laurentius Morarfinus Civis Aret., Not. pub. Flor. Curiæ Episc. Aret. Canc. Reg. in fidem &c.

Moritur Fabritius Card. Verallus Ordinis Protect.

Intereà die 27. Novembris anno 1624., ætatis suæ 54. obijt Fabritius Card. Verallus Rom..3. Ordinis nostri Protector, sicuti vitâ pariter functus est ijsdem ferè diebus P. M. Valerius Seta Veronensis Episcopus Aliphanus Vir sanè doctissimus, & optimus,.4. qualem reverâ se præstitit, cùm varijs Ordinis nostri Academijs præesset; pulcherrimam de Familiâ Bevilacquâ conscripsit historiam, propterea acceptissimus ejusdem Familiæ Cardinali; plura heroico metro cecinit, & alia pro Summo Pontifice Paulo V. edidit. Verallo Protectore vitâ functo Summus Pontifex Urbanus VIII. nullum è Purpuratis Patribus Ordini nostro protegendo statim suffecit, sed tum illius, tum aliorum Ordinum protectore carentium opportunitatibus consulens quatuor Prælatos elegit, nempe Mancini, Ulpio, Diez, & Sarega, qui Ordinum hujusmodi Fratres ad ipsos confugientes summâ benignitate exciperent, & insigni prudentiâ eorum necessitatibus adessent. Florentiæ moritur Mense Januario P.M. Adrianus Mannozzi Florentinus de Cœnobio illo Divæ Annunciatæ optimè meritus; is primùm Hospitali Bonifacij, deinde Sanctorum Innocentium Xenodochio Præfectus à Serenissimis Etruriæ Principibus, quibus fuerat maximè acceptus, haud mediocre prudentiæ in hujusmodi administratione specimen dedit, necnon modestiæ, atque pietatis. Dum verò eidem Cœnobio, ac deinde toti Provinciæ Etruriæ præfuit, bono publico semper consulens duodecim, & amplius scutorum Florentinorum millia, quæ varijs, & honorificis titulis ratione sui Ordini nostro obvenerant impendenda curavit partim ad augendos pro Fratrum su-

Valerij Setæ Veronensis Episcop. Aliphani obitus, & Gesta; & Adriani Mannozzi Florent.

A stentatione proventûs, partim ad celeberrimæ Illius Ecclesiæ D. Annunciatæ ornamentum. Die 17. Maij Barchinone moritur P. M. Onuphrius Salt de Valentiâ, qui plures elucubrationes reliquit, non modò Ordinis nostri historiam concernentes, sed etiam sacras Conciones, & Magorum peregrinationem ad Christum Dominum, necnon gesta præclara B. Peregrini nostri Foroliviensis; sermones quoque de vitâ B. Julianæ Falconeriæ, item historiam vitæ, & miraculorum S. Onuphrij idiomate hispanico, quorum operum omnium plura sunt Typis impressa. Denique fundationem promovit Conventuum S. Marrialis in Cataloniâ, & Sanctorum Michaelis, & Annæ de Castro Monton in Regno Valentiæ. Die 22. Julij B. Mariæ Magdalenæ dicatâ su- B premum diem obijt in Civitate Senarum Soror Magdalena Tertij Ordinis nostri Professa, cujus rara Sanctitas tanti apud omnes fiebat, ut certatim omnes ad celebrandas ejus exequias concurrerint, non modò gregarij, verùm etiam egregij, & primatij ejusdem Urbis Magnates; Venerandum ejus Corpus tumulatum decenter fuit, juxta supremam ejus dispositionem, in Ecclesiâ S. Georgij Presbyterorum Beati Thei, qui socius fuerat S. Philippi Nerij de Florentiâ, ex quibus alter, qui Sororis hujus à Confessionibus fuerat, vitæ ejus historiam luculenter conscripsit. Faventiæ moritur mense Septembri P. M. Franciscus Fattorini Faventinus S. Officij Consultor ob insignem sui peritiam in causis agendis C apud sacrum illud Tribunal vulgò dictus honoris gratiâ, *la Balla d' Oro*. Declamator quoque fuerat è sacris suggestibus maximo plausu exceptus, domesticas etiam, easque primarias, Ordinis Accademias moderatus fuerat, necnon pluribus in locis Theologiam publicè interpretatus. Denique Provinciæ Romandiolæ Præfectus laudabile prudentiæ suæ, & integritatis specimen præbuerat, & de Faventino potissimùm nostro Cœnobio emeritus, adhuc in posterorum memoriâ vivit. Exequiis illius honorificè celebratis Vir quidam ex Ordine Prædicatorum eleganti oratione laudes ejus complexus est. In die verò Natalis Domini nostri Jesu Christi Mutinæ moritur P. M. Archangelus Ghiratdinus D Mutinensis, licèt è Senis oriundus, ætatis annorum 66. In rebus Theologicis summæ existimationis Vir, cujus proinde operâ in gravissimis negocijs usus plerunque fuerat Alexander Cardinalis Estensis. In Provinciâ Romandiolæ primarijs Magistratibus Præfectus summâ laude se dignum exhibuerat. Denique præmissâ funebri, eâque præclarâ, Oratione, quam de ejus meritis habuit Orator quidam ex Ordine Prædicatorum, honorificè fuit tumulatus. Obijt pariter hoc anno 1624. plenus dierum in Conventu Sancti Antonij de Saxari in Sardiniâ P. Joannes Catta, cui tribuendum esse hujus Conventûs incrementum diximus ad annum 1540. Denique singulari pro-

Obitus, & Gesta P. Onuphrij de alt.

Sororis Magdalenæ felix obitus, & laudes.

Obitus, & Gesta Francisci Fattorini Faventini.

Archangeli Ghirardini Mutinẽsis, & Joannis Cattæ Mutin.

Cardinal. Gozadini Bonon.

sequendus obsequio nobis occurrit Marcus Antonius Cardinalis Gozadinus Bononiensis hoc anno decedens, utpotè de Ecclesiâ nostrâ S. Mariæ Servorum de Bononiâ optimè meritus, qui testamentariâ dispositione eodem anno sacrâ suâ, eâque pretiosissimâ, supellectili eandem illustravit. Cùm ubique Gentium societas Habitûs 7. Dolorum B. Virginis jugiter incrementum suscipiat, & Christifideles Dolores præfatos longè semper majori veneratione prosequantur, apud Oenipontem in primis plures leguntur nobilitate præstantissimi utriusque sexûs, necnon apud Viennam ad hæc usque tempora Habitum prædictum parvum suscepisse, quorum insignis Elenchus Oeniponte sub datum die 21. Septembris hujus anni à P. David Laudensi Ordinis nostri Sacerdote tunc ibi de familiâ degente ad P. Gregorium Alasiam transmissus in hujus Collectaneâ pag. 318. habetur. Deinde apud Gradiscam nobilis Matrona Vidua nomine Catharina sancto eodem Habitu solemniter induitur die 22. Julij, quæ nomine mutato Soror Maria Baptistina fuit appellata, eo laudabili consilio, ut procedente tempore Monasterium ibidem pro Monialibus Ordinis nostri Claustralibus ædificaret. Quibus omnibus pro Coronide capitis, & anni consentaneum arbitror posterorum memoriæ commendare, quòd anno proximè præcedente apud Savonam Franciscus Siri in summo vitæ discrimine constitutus ob gravissimam infirmitatem, de quo actum esse pronunciaverant, cùm à P.M. Philippo Garrassini Ordinis nostri Sacerdote, & Societatis Habitûs Correctore instantibus ejus Filiabus reverenter excepisset, progressu verò temporis, quasi ex altissimo somno excitatus gemebundus petebat Habitum parvum Dolorum; reponentibus autem astantibus, quòd ipsum pendentem è collo adhuc habebat, iterum tamen Habitum illum enixè petebat, quem Pater ille Ordinis Servorum ipsi nuper donaverat, quandoquidem in hoc Habitu, quem è collo pendentem gerebat, expressa non erat B. Virginis Doloribus transfixæ Imago, & secundùm quietem, vel aliâ quacunque ratione Imaginis hujus species menti ejus obversata fuerat. Intereà sanitatem extemplò recepit feriâ quadam 6. prędicti anni, & in hujus beneficij anathema solemni Missâ cantatâ ad B. Virginis aram lampadem argenteam appendit. Præthereà Maria Gulielmi . . . . cùm sanctum B. Virginis dolorosæ Habitum induisset, maximam animo concipiens fiduciam, quòd B. Virgo sibi futura esset propitia, & ab oculorum lippitudine se vindicatura, illicò experta fuit beneficium; nullo enim adhibito remedio altera è duabus veluti nubeculis statim prorsus evanuit, altera verò paulatim imminuta liberam oculo videndi facultatem permisit, cùm antea videre nullatenus posset. Itidem Philippus Vicarius Generalis à SS. D. N. die 12. Julij facultatem obtinuit, cùm ad ejus pedum oscula in monte Quirinali accessit, quòd reductionem 5. onerum Missarum in Capitulo Generali anno 1604. factam confirmaret, quatenus Concilium Tridentinum id superioribus concedat de illis tantùm oneribus, quæ ante illud acceptata fuere. Insuper obtinuit, quòd in Visitationibus ea omnia fieri possent, quæ in Capitulis Provincialibus fieri solebant, v.g. acceptare ad Habitum Juvenes excedentes annos sexdecim &c. Item die 14. Septembris obtinuit facultatem absolvendi Fratres omnes, qui in excommunicationem incidissent ob recursum ad Forum seculare; Sanctitati Suæ deinde dono dedit opus Topographiæ Poeticæ à se non sine ingenti plausu elaboratum, quod Sãctitas Sua quàm humanissimè excepit, petens adhuc, ut sibi liceret Sanctitati Suæ nuncupatum edere Catalogum Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non continentur. item suffragijs consulere volens pro animabus Fratrum Ordinis nostri Defunctorum, & aliarum Missarum onerum satisfactioni, Sanctissimo Urbano Pap. VIII. humillimè supplicavit pro moderatione, quam pariter consecutus fuit, prout ex Literis Apostolicis constat, quarum tenor hic est, qui sequitur.

Incremẽtum Societatis S. Habitûs apud German.

Apud Gradiscã Nob. Matrona Vidua Tertij Ordinis Habitu solemniter induitur.

Insignis gratia S. Habitûs Savonæ collata in periculo mortis constituto.

Mulier oculorũ lippitudine laborans gratiam lucis pristinæ recipit.

Philipp. Vicar. Gen. Indulta quædam obtinet à Summ. Pontif. eique donat nõnulla sua opera.

Indultũ Pontif. pro suffragijs Fratrũ Defũct.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Philippus Ferrarius Vicarius Generalis Apostolicus Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ, quòd Regularibus dicti Ordinis statutis Apostolicâ auctoritate confirmatis, inter alia cavetur expressè, ut, in cujuslibet dicti Ordinis Professoris, seu Monialis, aut alterius cujuscunque Personæ privilegiorum, gratiarum, & Indultorum ejusdem Ordinis participis obitu pro cujuslibet illorum animæ refrigerio officium, & Missa Defunctorum recitari, & celebrari debeat, ac quilibet ejusdem Ordinis Sacerdos tres Missas similiter Defunctorum celebret, ultra alia Officia, & suffragia pro Superioribus, & Benefactoribus celebrari, & fieri solita. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, propter præmissa, ac etiam ut alijs ejusdem Ordinis oneribus satisfiat, Missæ de Defunctis continuò contra Rubricas Missalis Romani celebrandæ sint. Nobis propterea pro parte dicti Philippi fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Philippi votis, quantum cum Domino possumus, benignè annuere, ipsumque specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat, consequen. harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus incli-

inclinati, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus cujuslibet dicti Ordinis Fratres ad Missarum, & Officiorum hujusmodi celebrationem, & recitationem pro animabus Fratrum suæ duntaxat, non autem alterius, Provinciæ obligati sint, & esse censeantur, Apostolicâ auctoritate Tenore præsentium statuimus, & ordinamus, decernentes præsentes Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quorumlibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenoribus præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 15. Septemb. MDCXXIV. Pontificatûs nostri anno secundo.

V. Theatinus.

Comitia Provinc. de Triennio in Triennium celebrāda. Præterea Summus idem Pontifex Urbanus VIII. ad enixas preces ejusdem Reverendissimi Ferrarij Vicarij Generalis Apostolici decernit, nonnisi quolibet triennio celebranda deinceps in singulis Provinciis Comitia Provincialia, prout constat ex Apostolicis literis, quæ sequuntur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Philippus Ferrarius Vicarius Generalis Apostolicus Ordinis Servorum B. Mariæ, quòd Regularibus dicti Ordinis statutis Apostolicâ auctoritate confirmatis inter alia cavetur expressè, ut in qualibet ejusdem Ordinis Provinciâ Capitulum Provinciale ad effectum Priores, & alios Officiales eligendi, sive deputandi, necnon causas, quæ sæpesæpius ob temporis brevitatem Prioris Provinciali terminandæ remittuntur, decidendi, singulis annis celebrari debet. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, annua Capituli Provincialis celebratio hujusmodi Regularibus dicti Ordinis Domibus non mediocriter dispendiosa sit, Nobis propterea pro parte dicti Philippi fuit humiliter supplicatum, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur dicti Philippi votis, quantùm cum Domino possumus, benignè annuere, ipsumque specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, Interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, & pœnis à jure, vel ab homine quavis auctoritate,

A *vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Capituli Provincialis hujusmodi celebratio nonnisi quolibet triennio, quando Prior Provincialis eligitur, celebrari debeat, ac Priores, cæterique Officiales hujusmodi, non ampliùs annuales, sed triennales existant, dictoque triennio hujusmodi durante munus suum exercere, & continuare. Prioribus verò Provincialibus, & Socijs, ut in annuis Visitationibus juvenes 16., non autem 18. annorum majores ad Habitum dicti Ordinis, formâ tamen Constitutionis fel. rec. Sixti Papæ V. prædecessoris no-*

B *stri desuper editæ, & alijs juxta prædicta servari debitis servatis, recipere, & admittere liberè, et licitè possint, et valeant, dictâ auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes præsentes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suósque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac irritum, et inane, si secùs super his à quopiam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædictâ Sixti prædecessoris, alijsque quibusvis constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon prædictis, et quibuscunque alijs dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque*

C *indultis, et Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Septemb. MDCXXIV. Pontificatûs nostri anno secundo.

V. Theatinus.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

D 1 *AUgust. Romer Serv. Mar. lib. 4. cap. 5. 6., et Reg. Gen. Ferrarij.*
2 *Ex monum. illorum Conventuum.*
3 *Alphonsus Ciacon. in Vitis Summ. Pontificum, & Cardin.*
4 *Ex monum. illorum Conventuum.*
5 *Ex Reg. Gen. Ferrarij.*



In

In Comitiis Generalibus eligitur Prior Generalis Henricus Antonius Burgo, et Procurator Generalis Nicolaus Cæ. Proponitur vera effigies Angeli Mariæ Monturfii. Eligitur Rector Provincialis in Lombardiâ. Præscribitur forma Professionis. Mittuntur Literæ prælimiuares ad Visitationem. Participes fiunt Bonorum Ordinis Viri primarij.

C A P. VIII.

PER hujus anni seriem, de quo mihi modò dicendum, quæque in eo ad Ordinem nostrum spectantia juxtà muneris mei rationem referenda superfunt, utique ex omnibus Orbis Christiani partibus plurimi Romam convenere spiritualium thesaurorum studiosissimi, quos Generalis Jubilæi tempore Apostolica Sedes summâ de more liberalitate unicuique ritè disposito communicare consuevit. Inter cæteros verò, de quibus aliorum intereft scribere, meum est commemorare, quòd ex omnibus Ordinis nostri Primarijs plures, iſque primi nominis Patres eò pariter confluxere nactâ Comitiorum Generalium opportunitate, quæ, ut alibi dictum est, ad annum hunc usque celebranda indicta jampridem fuere. Antequam verò ad Urbem contenderent in singulis Provincijs earundem Comitia Provincialia habita fuere, in quibus electi de more fuere Socij Provinciales, & Definitores Generales, necnon ad Generalatûs, & Procuratoratûs Ordinis .r. munera præsentandi, quàquidem in re notandum omninò est, quòd nedum in propriâ Genuensi provinciâ, sed etiam in cæteris omnibus ad Gradum Generalatûs præsentatus fuit Reverendissimus Philippus Ferrari Alexandrinus eo temporis, uti superiùs dictum est, totius Ordinis Vicarius Generalis Apostolicus, ex quo liceat posteris colligere quonam in pretio universim habitus fuerit Vir hic præstantissimus, quanam benevolentiâ, immò veneratione prosequuti fuerint omnes Virum hunc reverà tum eruditione, ac doctrinâ, tum pietate, & integritate vitæ apud omnes celeberrimum. Comitia verò provincialia Etruriæ Romæ habita fuere in Conventu S. Mariæ in Viâ die 16. Maij. His omnibus absolutis convenientes Romam Vocales die 17. Mensis Maij pervigilio Pentecostes juxta Literas Indictionis in Cœnobio S. Marcelli in unum capitulariter coacti, præsidente Illustrissimo Domino Mancinio Florentino, altero nimirum ex quatuor illis Prælatis, quos Summus Pontifex anno proximè superiori loco Cardinalis Protectoris Ordinibus Regularibus protegendis præfecerat, habito scrutinio in Generalem elegere P.M. Henricum .2. Antonium Burgo à Castronovo Scripiæ in Universitate Pisarum Theologum, die verò 20. in Procuratorem Ordinis in Romanâ Curiâ unanimi pariter consensu elegere P.M. Nicolaum Cæ de Cremonâ ambos magno plausu excep-

Ante Capitulum Generale in singulis Provinciis celebrantur Comitia Provincialia, & eligitur idonei ad Generalatûs & Procuratoratûs Ordinis dignitatẽ confequẽdam.

Comitia provinc. Etruriæ celebrã tur Romæ.

Eligitur Gen. Ordin. Henric. Ant. Burgo à Castro novo Scripiæ Provinc. Gennen. & proc. Gener. Ordin. Nicolai Cæ de Cremona

ptos, utpote doctrinâ, & tatis alijs dotibus
E conspicuos, quorum laudes alibi* mihi erunt celebrandæ. Inter hæc Comitia tum ante, tum post Superiorum electionem, modò è Sacro suggestu, modò ex Cathedrâ plures ad id designati Patres sapientiæ suæ præclarum specimen dedere, ex quo non mediocre Ordini decus accessit, ex quibus aliquot nominare lubet, quotquot scilicet notitiam nostram subiere. Ex Cathedrâ quidem in Theologicis Concertationibus honorificè sese gesserunt PP. Magistri Henricus Antonius Burgo prædictus, Dionysius Bussotti de Florentiâ, Hippolytus Fortini de Lucâ, Ludovicus Beretta de Mediolano, Hyacinthus Arrigoni de Mantuâ, Paulus Franciscus Ferrari Dertonensis, Hieronymus Scarpari de Ferrariâ, Joseph de
F Viglevano, & alij non pauci. P. Magister Michael Angelus Rosi Romanus eleganti Oratione ad Patres Vocales habitâ de electione Superiorum, P.M. Carolus Casini Florentinus præclaram habuit Orationem de Laudibus Urbis. Sacras verò Conciones habuere P. M. Eliseus Mazzoni de Florentiâ, cæterique omnes, qui Theologica Theoremata propugnarant, præter alios non paucos. Die autem 19. præfati Mensis, secundâ nimirùm Pentecostes Fratres omnes bini, & bini per ordinem dispositi, quicunque Romæ aderant, Vaticanum petiere ad sacra pedum Summi Pontificis oscula, qui perbenignè singulos excipiens Indulgentiis singulis pariter de more largitus est, necnon illas, quas Prædecessor Gre
G gorius XV. numismatibus quinque Sanctorũ concesserat, Sanctorum fastis ab ipso adscriptorum; hoc tamen ordine servato, triginta scilicet quibuscunque Fratribus, quinquaginta Patribus Magistris, centum Superioribus. His pariter Comitijs 44. ad Magisterium in sacrâ Theologiâ præsentati fuere. Post hæc coram Patribus incredibili omnium voluptate exhibita fuit, quæ jampridem, die nimirùm 18. Aprilis hujus anni per Fratrem Deodatum Mandum Laicum Florentinum anno 1620. memoratum in lucem prodierat, vera effigies P.M. Angeli Mariæ Monturfij pariter Florentini totius Ordinis olim Prioris Generalis, quæ ita se habet. Flex's ad terram genibus, demissis oculis Jesum Crucifixum præ mani-
H bus tenet Angelus Maria, cui alterâ ex genis, nempe sinistrâ summâ pietate adhæret. Ad quatuor Imaginis angulos quatuor Insignia se facilè præbent conspicienda; in angulo superiori dextro cervus adest solitariè discurrens intra circulum spinis obsitum hac epigraphe circumscriptâ; *Amor, gli sdegni, il pianto, la flagione*. In Sinistro verò adest cor è suprema parte flammas emittens, hac circumscriptione: *Et quid volo?* In parte inferiori ad lævam cernes spineas coronas, alteram alterâ minorem, eidemque connexam, hisce verbis circumscriptis, *legitimè certanti*; ad dexteram autem Insigne Religionis Interposito Lilio, verbis his circumscriptis, *Floreat semper*.

Præ-

*Cent. 4. lib. 9. cap. 17. & Cent. 5. lib. 2. cap. 3.

Recensentur qui in Theologicis Concertationibus honorificè se gesserunt.

PP. Capitular. excipiuntur ad Sacra pedum Summi Pontif. oscula.

Proponitur, & describitur vera effigies Ven. Angeli Mariæ Mõturfij.

Præterea Imaginem circumdant 26. Aureolæ cum figuris, & inſcriptionibus, quibus Angeli Mariæ ortûs, vitæ, & obitûs mirabilia deſcribuntur. Primò, quòd ſterilibus natus fuerit Parentibus, qui precibus, & lachrymis illum à Deo impetrarunt; ſecundò, quòd per jocum Habitu Dolorum B. Virginis induitur, quem poſtea ſeriò nunquam dimittere voluit; tertiò, quòd adhuc Novitius apud Cognatos ex rationabili causâ divertens Puellam nimis blandam arcet; quartò, quòd in Novitiatu quartâ qualibet feriâ ſuperiorum permiſſu pane ſolùm, & aquâ jejunium colere cœpit, & ad mortem uſque legem hanc ſervavit; quintò, quòd facultatem à Superioribus obtinuerit ſolitariæ vitæ agendæ intra Cellæ anguſtias aſſiduis ibi vigilijs, & orationibus jugiter intentus mirabili ſpiritûs ſui incremento, & ibidem perpetuò, ſi datum illi fuiſſet, perſeveraturus; ſextò, quòd inibi degens curat ad ſe vocari duodecim Egenos, quibus & pedes abluit, & alimenta proprijs manibus miniſtrat; ſeptimò, quòd jejunio, & cilicio ſua domans membra ſuper nudas paleas cubat; octavò, quòd ibi pluries impetitus à Dœmone eum fugat orationis præſidio, vigilijs, corporis macerationibus, necnon ſacrarum Literarum ſtudio; quare ſuper utrunque Teſtamentum, & ſuper quatuor ſententiarum Libros luculentiſſimè ſcribit. Nonò, ita deditus Orationi, & ſacræ Scripturæ ſtudio erat, ut qualibet ingruente causâ, etiam ægritudinis, ea non omninò dimitteret. Decimò, quòd Jeſus Chriſtus ei apparuit, quaſi cum ipſo lachrymas effundens. Undecimò, quòd Religioſo cuidam navigationem inituro naufragium prædixit, cujus prædictionis veritatem rei comprobavit eventus. Duodecimò, quòd eo Sacrum faciente in Sacello D. Annunciatæ de Florentiâ, illuc turmatim confluit ſanctitatis ejus famâ commotus Populus Florentinus. Decimotertiò, quòd permultis, & crebrò, Angelorum apparitionibus in ſolitudine fruebatur. Decimoquartò, quòd ei videndum ſe præbuit, eumque plura docuit S. Hieronymus. Quintodecimò, quòd mulier quædam diuturno, graviſſimoque capitis dolore laborans, ſtatim ac illius Habitum deoſculata eſt, ab ipſo quoque eſt liberata. Decimoſextò, quòd Angelus Tutelaris ipſi ſæpè apparens plura tradidit documenta. Decimo ſeptimò, quòd pluries flexis genibus per totam 40. horarum orationem Euchariſticum panem jugiter adoravit, à cibo, potu, & ſomno omninò abſtinens. Decimo octavò, quòd Clemens Papa VIII. ſanctitatem ejus, cujus rumor ad ſe quoque pervenerat, veneratus è ſolitudine, nonniſi urgente præcepto Ordini adminiſtrando exemit. Decimo nono, quòd Sanctitas Sua eundem licèt invitum ejuſdem Ordinis Priorem Generalem conſtituit. Vigeſimò, quòd cùm ſuo munere fungi non poſſe ſibi videretur, tanquam (dicebat ipſe) Charitate deſtitutus, Ordinis Præfecturam eidem Summo Pontifici renunciavit. Vi- A geſimoprimò, quòd ea erat ſuæ ſanctitatis fama, ut adhuc ſuperſtes ab omnibus *Beatus* diceretur, & *Sanctus*, qualis etiam poſt mortem nuncupatus fuit; Vigeſimoſecundò, quòd anno Jubilæi 1600. ſacras Urbis Baſilicas pedetentim inviſit, & quantumlibet gravi febre affectus, non ideò tamen utpote Indulgentiarum percupidus à S. Peregrinatione ceſſavit. Vigeſimo tertiò, quòd ſibi mortem proximè imminere prædixit, ad quam proinde longè ferventiori ſtudio ſeſe diſpoſuit. Vigeſimo quartò, quòd ſuâ infirmitate durante quotidie ſummâ animi pietate, & uberrimas ſolutus in lachrymas, ſanctiſſimâ Euchariſtiâ refici voluit. Vigeſimoquintò, quòd ſigno crucis ſe muniens, manu deinde ad dexteram B genam appoſitâ ſpiritum Deo reddidit. Vigeſimoſextò, quòd pluribus poſt mortem apparuit, hilarem ſeſe oſtendens, & cœleſti gloriâ perfruentem. Hæc ſingillatim non ſine ingenti animi gaudio cum cæteris Patribus ſeriò expendebat vix Præfecturam auſpicatus, pietati addictiſſimus Generalis Henricus Antonius; cùm verò ſecum ipſe de Ordinis incremento plura animo revolveret, Literarum ſtudijs, & moribus reformandis animum adiecit. Quapropter ex præclariſſimo Patrum Cœtu, qui præ oculis ipſi & præſtò erant, melioris notæ Viros ad Academias noſtras regendas, & Cœnobia adminiſtranda, prudentiâ comite, charitate duce, nec ullo carnis, aut ſanguinis, vel neceſſitudinis habito reſpectu, ſed virtute tantùm inſpectâ præ- C elegit. Deinde verò ſub datum die 26. Julij P. Generalis Provincialibus omnibus literas dedit ſequentis tenoris, quibus præſcribitur forma Profeſſionis Regularis Italico Idiomate.

Henrici Antonij Gen. ſtudium in reformandis Fratrū moribus

Molto Rev. Padre Provinciale nel Signore come Fratello.

DEſiderando noi per debito dell' affetto noſtro di dar miglior forma di Vita Religioſa a chi profeſſa di ſervir à Dio, e alla B. Vergine nell Ordine noſtro de' Servi, conoſcendo per particolariſſima radice di molti mali la proprietà, e ſapendo, che da molti è ricoperta con queſta ſcuſa, che non ebbero penſiero nella Profeſſio- D *ne d' obbligarſi à Povertà più rigoroſa di quella, che in quel tempo communemente ſi oſſervaſſe: Col qual fondamento ſi fanno lecito il tener denari anco ſenza ſaputa del Superiore. Per ovviare a tanto diſordine determiniamo, e comandiamo in virtù di ſalutare obbidienza à V. P., che non permetta per l' avvenire, che qualſiſia Novizio nella ſua Provincia faccia la Profeſſione, ſe non con la dichiarazione infraſcritta, la quale gli ſi dovrà prima per alcuni giorni far conſiderare attentamente, e renderlo ben capace, e poi dovrà di mano propria il Profeſſo ſubito ſottoſcrivere la detta dichiarazione, e V.P. la manderà à noi; e chiunque farà altri-*

mente

menti senza replica sarà privo d' Abito, e rimandato a casa sua.

Di V.P.M.R.

Divotissimo come Fratello
F. Enrico Antonio Generale.

Giuramento da farsi da chi farà Professione nella Religione de' Servi.

Forma Juramẽti in Professione præscripta.

IO F. N.N. *facendo nella Professione voto di Povertà, mi dichiaro, che intendo di voler vivere senza cosa alcuna di proprio, nè denari, nè vestimenti, nè libri, nè altro, in maniera che sij sempre in libertà de' Superiori di privarmi di tutto quello, che io avrò con qualsivoglia titolo. Nè quando a mia contemplazione, o per elemosine, o per altro qualche cosa di più avesse la Religione acquistato, che a contemplazione d'altri, voglio mai, che questo possa suffragarmi, sicchè abbia da parteciparne più io, che gl' altri, se non quanto parrà a' Superiori, nè voglio, che mi vaglia mai per scusa il dire, che intesi di promettere la Povertà in quel modo, che da altri s'osservava nel tempo, che io presi l'abito; ma mi obligo à povertà più stretta ad arbitrio de Superiori, da' quali mi contento d' esser gastigato, quando avvenisse già mai, che io contrafacessi a questo voto col privarmi subito di quello, che io avessi come proprio, e con altre penitenze ad arbitrio suo, e così prometto, e giuro con certa scienza.*

Jo suddetto F. N.N., così Iddio m' ajuti, e questi santi Vangeli.

Die verò 6. Augusti literas alias PP. Provincialibus dedit Italico idiomate ad visitationem habendam præparatorias tenoris sequentis.

Molto Rev. Padre.

A*Vvicinandosi il tempo della Visita, m'occorre avvisar V. P. d' alcuni capi degni di considerazione, e sono gl' infrascritti.*

Literæ preliminares Gener. Burgo ad Visitationem Ordinis

V.P. sia molto ben avvertita nel ricever Novizj, che abbino tutti i requisiti della Costituzione, e principalmente, che siano ben nati, non deformi, non infermi, non viziosi, e di letteratura tale, che quando verrò io stesso in visita non abbia à rimandargli a casa con vergogna loro, e poca riputazione di chi gl' avrà introdotti.

Si è ordinato più volte, che in ogni Provincia sia un Archivio, nel quale si mettano tutte le scritture publiche, sentenze, processi &c. non s'è posto mai in esecuzione, osservi, visitando, qual Convento possa essere più à proposito, ed in tutti i modi operi, che si faccia, che poi con quel modo, che parrà più convenevole, anco con censure vedremo di porvi dentro le scritture, che adesso stanno preparate per valersene contro qualcheduno, cosa, che gli tiene, per mio credere, in continuo peccato mortale.

Il deposito non s' osserva, ed è cosa pericolosa per l' anime. Non priviamo alcuno di quello, che perviene alla Religione a contemplazion sua (se bene per vivere esattamente da' Religiosi dovrebbe farsi, e piacendo à Dio, a poco a poco s' introdurrà almeno per quelli, che faranno la professione a mio tempo) ma consegni ognuno tutto al Superiore, e questi con discrezione li dia licenza di spendere, e provedere alle necessità occorrenti.

Vorrei sapere dov'è Noviziato, ò Professato, che i Giovani s' esercitassero in Refettorio, sicchè almeno una volta il Mese recitassero qualche orazione latina, ò sermone volgare, o in lode di qualche Santo, o di qualche virtù Religiosa.

Se ha qualche Novizio atto a sentir Logica, vorrei, che lo mandasse nel Noviziato di Fiorenza, dove ho fatto provisione di Lettore.

D' ordine di Nostro Signore vado disponendo alcuni Monasterij, ne' quali si viva in commune compitamente, faccialo sapere a tutti, se qualcheduno vorrà essere in questo numero, n' avvisi me, che sarà provisto con sua sodisfazione; e questi vuole poi Nostro Signore, siano i primi ad aver dignità, & onori.

Se ha qualche Sacerdote, che entrasse alla Religione per Converso, il quale per conseguenza, secondo le Costituzioni, è sospeso, e poi irregolare, l' assolva dalla sospensione, lo dispensi sopra l' irregolarità a nome mio, che di ciò ho avuto facoltà da nostro Signore.

Avvisi prima d'andare in visita, che le spese siano leggiere.

Faccia sapere in tutti i Conventi, che non scrivano al Generale di quei negozj, che spettano al Provinciale, che non averanno risposta con sodisfazione; quando poi dal Provinciale fossero aggravati, potranno scrivere.

Non facciano cerimonie di dar Buone Feste, ma in vece di quella preghino Dio per me, e quando scrivono per necessità basta un mezzo foglio.

Præcipitur studiũ peregrinarum linguarum.

Hoc anno die 11. Aprilis Sacra Congregatio de propagandâ Fide præcepit Generalibus omnibus, & Superioribus quibusque Ordinum Regularium, ut .3. animum seriò adijciant peregrinarum linguarum studijs, & ad hoc methodum quandam ipsis præscribit, ut inde faciliùs Regularibus liceat Evangelij Doctrinam Gentibus quibuscunque explicare, quemadmodum aliàs à Sacro Viennensi Concilio, & à Paulo Papâ V. præscriptum fuerat.

Eligitur Provincialis Lõbardiæ Sũmi Pont. oraculo.

Eodem anno cùm è vivis excessisset P. Provincialis Lombardiæ Summum Pontificem consuluerunt Patres quanam ratione eligendus esset successor, ex quo Comitia Provincialia ad Triennium à Sanctitate Suâ prorogata fuere; quibus Sanctissimus Dominus noster respondit sub datum die 2. Novembris hujus anni, quòd Generalis unà cum Definitorio illius Provinciæ de Rectore Provinciali provideret, qui jam incœptum Triennium compleret. Per Germaniam sub datum die 7. Septembris 1625. per literas honorificas patentes admissi fuere à P. Generali ad participationem .4. bonorum Ordinis spiritualium

plures

Lit.pat. pro particip. Bonorū Ordinis

plutes Viri conſpicui, ac dignitate præclariſſimi; præ cæteris verò nominanda videtur S. M. C., quemadmodum anno proximè ſequenti admiſſi pariter ſuere Sereniſſimi Leopoldus Archldux Auſtriæ, & ejus Uxor Claudia Medices.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

1 *EX Regeſto Gen. Ferrarij; Ex Reg. Thuſciæ fol.79.; Ex lib.memorab.Conv. D. Annunc. de Florent.*

2 *Ex Reg. Gen. Henr. Ant. Burgo.*

3 *Ex monum. Conv. D. Annunc. de Flor.*

4 *Ex eodem Reg. Burgo.*

Miracula B. Virginis de Parmâ enarrantur. Ferd. II. Imperator promovet Canonizationem B.Philippi, & ejus Officium cum Lectionibus proprijs obtinet pro Statu ſuo veteri Magnus Dux Etruriæ. Summus Pontifex probibet omnino Mulieribus ingreſſum in Eremum Senarij. Moritur Eliſeus Caſtellani Provincialis Marchiæ bonorif. de Conv. Bon.. Leopoldus Archidux Auſtriæ Romam proficiſcitur.

C A P. IX.

1 CUM Beatiſſima Virgo Ordinis noſtri Patrona, & Fundatrix pluribus ſemper favoribus ipſum proſequi voluerit, ſuámque apud eundem venerationem .r. majorem promovere, plures quoque ſub varijs invocationibus ſui Imagines induſſit, quas identidem Altiſſimus Miraculorum gloriâ illuſtravit. Quæ nobis hôc anno veneranda præ cæteris occurrit Imago, illa eſt, quæ in Civitate Parmenſi ſub invocatione *del Soccorſo* in Eccleſiâ noſtrâ magnâ populorum

Miracula B. V. de Parmâ.

confluentiâ ſummâ pietate colitur; ad quam humillimè confugientes Fideles plurima experti ſunt beneficia, prout luculenter oſtendunt plurimæ Tabellæ votivæ, & alia hujuſmodi monumenta ante ipſam reverenter appenſa, veluti glorioſa Reginæ Cœlorum trophæa. Beneficijs hujuſmodi, quæ ſuperioribus annis Fidelibus contulit Deipara, tria hoc anno verè admiranda mihl recenſenda

Pituitâ acerrimâ affectus evadit incolumis.

contingunt. Die 25. Januarij, quæ fuit Sabbathum, Paulus Camillus de Baribantis Communitatis Parmenſis tibicen per totum corpus undequaque Pituitâ acerrimâ affectus, adeò ut immobilis prorſus in lecto decumbens, nec tantillum quidem loco moveri poſſet, cùm nullum ex adhibitis remedijs ſibi prodeſſe advertiſſet, emiſſo voto B. Virgini præſatæ *del Soccorſo*, incolumis protinus, & longè validior factus eſt, quàm fuiſſet, antequam

Mulier in fracturâ cruris vix implorata ope ſanatur.

infirmaretur, qui proinde B. Virginem ſtatim inviſit, & P. Deodato Mediolanenſi ibidem Sacriſtæ hæc fusè narravit. Præterea hac ipsâ die Molier quædam nomine Clara de Bianchis ex viciniâ S. Cæciliæ, cùm ex alto muro cecidiſſet, ad ſaxum alliſit, fracto altero ex cruribus; vix autem B. Virginis prædictæ emiſſo voto imploravit opem, cùm liberè incedens Crus ſanatum eſſe præſenſit, quod pariter ipſa eidem P. Sacriſtæ jurejurando affirmavit. Denique 10. die Menſis Martij Magdalena Faglianeria ex Viciniâ S. Baſilij, cùm ad ſylvam, ut ligna cæderet, contendiſſet, relicto propè ignem Filiolo unius anni in lecto, fortè accidit, ut inde maior Deiparæ Virgini

Puerulus ab incēdio liberat.

accederet gloria, ut ignis ſcintillæ quædam ſtrato adhærentes, & incendium excitantes, torum illud comburerent; quod cùm advertiſſent ex inſolito ſumo prodeunte ex proximis nonnulli, Matrem de reipsâ præmonuere, quæ Domum illicò quàmcitiſſimè repetens, & incendium reſpiciens, ſeipsâ ſuperior in idem procidit, & Filiolum ibidem jacentem, quem igne putaverat abſumptum, B. Virginis ope imploratâ, lecto undequaque combuſto, illæſum, & incolumem prorſus eduxit, aliquantulum duntaxat ambuſtâ apud lævam veſte, quod & ipſa eidem P. Deodato narravit.

Cùm univerſos noſter Ordo ſummo ſemper ſtudio ſolemni B. P. Philippi canonizationi inhiaret, eamque totis viribus aſſequi contenderet, acceſſit hoc anno inſigne Auguſtiſſimæ Auſtriacæ Domûs erga eandem.2. cauſam ſtudium, quo reverâ ſemper Ordinem noſtrum ab ipſo uſque exordio, & ad hæc uſque tempora, pro rei opportunitare, non deſtitit ſovere.

Ferdin. II.Rom. Imper. canonizationē B. Phil. prævalidis officijs promovet.

Invictiſſimus enim, & æquè Religioſiſſimus Romanorum Imperator Ferdinandus hujus nominis II. pro eâdem canonizatione iteratis vicibus non perſunctoriè quidem, ſed prævalidis officijs apud Summum Pontificem egit, quæ tamen etiamſi Concivi ſuo maximè faveret Summus Pontifex, contrarijs quampluribus obſtantibus fuit ulterius dilata, quâ de re Ferdinandus, utpote Habitum Dolorum B. Virginis, quem induebat, & Fidelem ejus ſervum Philippum religioſiſſimè colens, maximè ſolicitus, & anxius ſemper fuit. Ad inſtantiam alterius Ferdinandi pariter II., ſcilicet Magni Ducis Etruriæ, necnon Archiepiſcopi Florentini, & Nicolai Cæ Procuratoris Generalis totius Ordinis noſtri nomine

Urban. VIII.cōcedit Officium B. Phil. cū lect. 2. noct. proprijs pro univerſâ Magni Ducis Ditione in Statu veteri.

ſupplicantium Summos Pontif. Urbanus VIII. conceſſit per Breve ſpeciale ſub Datum Romæ die 6. Auguſti 1625. officium B. Philippi Benitij cum lectionibus ſecundi nocturni proprijs, quæ deinde anno 1626. Florentiæ Typis impreſſæ videbuntur ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur pro univerſâ ejuſdē Magni Ducis ditione, quæ nomine Statûs veteris continetur, recitari poſſe. Idem Summus Pontifex per aliud Breve ſpeciale interdicit Fœminis quibuſcunque Eccleſiam, & Eremum intra certos limites Montis Senarij ingredi, quamobrem ejuſdem Eremi Patres capitulariter congregati Breve prædictum expendentes poſt varias diſcuſsiones, terminos clauſuræ, quos mulieres præterire non poſſent, deſignarunt, ſcilicet uſque ad Eccle-

ſiam S. Martini incluſivè ex unâ parte, ex aliâ verò ad locum illum uſque, qui Mugellana reſpicit campeſtria. Quod cùm P. Generali ſignificaſſent, & ipſe approbaſſet eorum conſilium, muros circumquaque à fundamentis excitarunt, qui limites Clauſuræ indicarent, quâ verò excitari non potuere propter devia Montium, & præerupta, ligneas quaſdam Cruces ad idem ſignificandum erexere. Diploma autem Pontificium tenoris eſt ſequentis. .3.

Prohibetur Mulieribus ingreſſus in clauſuram Eremi Montis Senarij.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ſicut Dilecti Filij Rector, & Eremitæ Montis Senarij Florentinæ Diœceſis, Nobis nuper exponi fecerunt, Mulieres ſeculares bis, aut pluries in anno occaſione quarundam Feſtivitatum Eccleſias Eremitarum hujuſmodi, quæ intra clauſtra eorum Monaſterij exiſtunt, ingredi ſoleant, cupiant tamen iidem Eremitæ pro majori eorum quiete ſibi per Nos deſuper opportunè provideri. Nos cupientes pro noſtro Paſtoralis Officij debito, ut Eremitæ prædicti in Regularis Diſciplinæ obſervantiâ, majori, quâ poſſunt, animi quiete, juxta regularia eorum inſtituta, felicioribus in dies proficiant incrementis, ſingulareſque illorum perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſâ latis, ſi quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quævis mulier ſecularis cujuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, & conditionis exiſtat, exceptis tamen dilectis in Chriſto Filiabus nobilibus Mulieribus Etruriæ ſibi ſubiectæ Magnis Duciſſis, & Principiſſis, earumque Familiaribus, quibus à Sede Apoſtolicâ id Indultum reperitur, Eccleſias dictorum Eremitarum, quovis prætextu, & ex quacunque cauſâ, & occaſione, tam prædictarum, quàm aliarum quarumcunque feſtivitatum ingredi audeat, ſeu præſumat ſub Excommunicationis pœnâ Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eremi etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegijs quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentis prohibitionis copia in valvis earundem Eccleſiarum, aut aliquo alio loco perſpicuo, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Martij 1625. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

V. Theatinus.

Hoc pariter anno die 20. Januarij Patavij obijt P.M. Eliſeus Caſtellani de Tarviſio Marchiæ Tarviſinæ Provincialis, Vir morum ſuavitate ſingularis, Poeta tum Italico, tum Latino metro excellens, Orator diſertiſſimus, egregius Theologus, linguæ Græcæ, necnon Hebraicæ peritiſſimus, qui Domeſticas noſtras Academias Peruſij, Patavij, & alibi honorificè rexerat. Præterea vitæ integritate, & Diſciplinæ regularis ſtudio ſummâ commendatione digniſſimus. Huic pro adminiſtrandâ Provinciâ juxta legum noſtrarum præſcriptum ſuffectus fuit P. Joannes Maria de Tarviſio ejus Socius uſque ad Capitulum proximè futurum.

Eliſei Caſtellani de Tarviſio obitus, & Geſta.

Die 20. Novembris hujus anni ejuſdem Eremi Patres in unum pariter cõgregati Epiſtolam legêre, quam Româ dederat Pater eorum Rector eo temporis ibi degens, qua ipſis ſignificabatur propoſitam illis in Urbe fuiſſe Eccleſiam B. Virginis, quæ dicitur *della Liberazione*, ut apud ipſam fundare poſſent locum quendam ſibi deinceps incolendum. Poſt varias in re propoſitâ animadverſiones unanimi conſenſu decrevere oblationem prędictam acceptari nullatenus poſſe, cùm adhuc præ numero novis fundationibus ſe pares non eſſe ſentirent.

PP. Eremitæ Montis Senarij non acceptant Eremum S. M. della Liberazione.

Sedem illam, quam ſub titulo antea S. Auguſtini, ſub titulo deinceps S. Mariæ Servorum incolere cœperunt Ordinis noſtri Patres Bononiæ anno 1345., prout innuimus ad dictum annum Cent. 2. lib. 1. cap. 12., ita quidem tenuere.3., ut veterẽ Eccleſiam S. Petronij ad annum uſque 1390. tenuerint Divina quotidie ibidem peragentes Myſteria; cùm æquanda ſolo tunc fuiſſet vetus illa Eccleſia, prima Ordinis noſtri ſedes in ampliſſimâ illâ Civitate, propterea quòd à fundamentis excitari tunc cœperit in publico foro celeberrima, & auguſtiſſima, quam modò conſpicimus, Sancti Petronij Eccleſia. Interim Fratres longè ampliorem Fabricam, tum pro Eccleſiâ, tum pro Cœnobio promovere meditabantur, & vulgò dici cœpere Fratres Servorum B. M. Virginis, nec ampliùs Sancti Petronij, cujuſmodi antea dicebantur, cùm Andreas de Faventiâ Generalis anno 1383. ſumptuoſum illud ædificium Eccleſiæ, atque Cœnobij erigere cœpit, quod & Porticu perampla, & duplici periſtylio cum Dormitorio, & alijs Officinis (eodem ſemper exemplari ſervato) anno 1585. promotum maximè fuit, ejuſdem Cœnobij Patrum ſtudio, potiſſimùm verò Aurelij Menochij de Bononiâ Ordinis noſtri Generalis, de quo ad annum 1615., & Balthaſſaris de Bolognettis pariter de Bononiâ ejuſdem Ordinis Vicarij Generalis Apoſtolici, deinde Prioris Generalis, de quo ad annum

Plura referuntur ſpectantia ad Conventum S. Mariæ Servorũ de Bononiâ.

annum 1629., qui tam auguftum Opus eâ magnificentiâ promovit, quæ non mediocrem omnibus ingerit, tum Civibus, rum exteris admirationem, five ordinem Architecturæ fpectemus, five F. Joannis Angeli Montursil è noftris de Florentiâ, aliorumque primi nominis fculptorum opera marmorea, five picturas, tum in Ecclesiâ, tum fpeciatim in porticu ipfam ambiente, ubi B. P. N. Philippi Hiftoria Caroli Cignani, necnon aliorum eximiæ celebritatis Pictorum arte mirabili coloribus ad vivum expreffa confpicitur. His autem progreffu temporis acceffere in Ecclefiâ præfertim alia non mediocris pretij ornamenta, Altaria nimirum in auguftiorem formam redacta, facra in univerfum fupellex tum argentea, tum ferica plurimi facienda, alter in choro pro Fratribus fedium ordo primis illis fedibus additus, quas ab anno ufque 1453. pofuerat Cardinalis Beffario Nicænus eo temporis Bononiæ Legatus, & Ordini noftro addictiffimus, ideò hic minimè prætereundus. Cœnobio autem acceffit Bibliotheca hoc anno magnificè extructa, acceffit & annuus plurium millium aureorum proventus, quem plurimis Fratribus commodè alendis, & Ecclefiæ decori, promovendo parem effe videmus. Huic Cœnobio Ecclefiæ quædam, earumque Bona, tanquam membra adnexa fuere, de quibus ad annos 1289. 1293., 1300. & 1318. Cœnobium hoc clariffimum pro Literarum ftudijs gymnafium, vel ab ipfo fui exordio coluiffe, idque femper deinceps floruifse, & ex eo Viros quamplures prodijfse tum fanctitate, tum dignitate Ecclefiafticâ, tum Literis præftantiffimos, fatis fuperque patet ex ijs, quæ per hos Annales juxta feriem annorum difperfa leguntur.

Huc ufque dictis adijcere necefse eft ad uberiorem rei intelligentiam, quòd Sacrâ Ædicula Sancto Patri noftro Philippo dicata, de quâ Cent. 1. lib. 5. cap. 2. ad annum 1285., noftris hifce temporibus inftaurata utique fuit Patrum noftrorum Bononienfium induftriâ, quod ibi pariter dictum eft. Verùm à Fundamentis excitata ab ijs primò fuerat, fed rudi quodam modo, qui miraculum illud de Fulmine, qui Blafphemos abfumpfit, advertunt, quod ibi fusè retulimus, quam deinde DD. de Checchis ejufdem Ædiculæ Patroni inftaurarunt, ijsque fubfidium, ut diximus, contulere Ordinis noftri Patres Bononienfes.

Leopoldi Archid. Romam proficifcentis Gefta præclara narrantur.

Coronet .4. hoc Caput, & ann. Regia Pietas Serenifs. Leopoldi Archiducis Auftriæ Ordin. noftri Pattoni amantiffimi, quem nunquã fatis laudatum pluries laudibus profequi decet. Religiofiffimus hic Princeps Romã hoc anno Jubilæi facras Bafilicas vifitaturus, & Indulgentias affequuturus adire decreverat. Ut autem felici omine iter hoc adornaret (quod magis ad rem noftram pertinet) à VValdraftenfi Virgine ipfum aufpicatus eft, quemadmodum confequenti tempore apud eandem abfolvit, utroque enim tempore facra Exomologefi ibidem expiatus Divinæ Menfæ accubuit, non

A mediocri fui cordis voluptate, & imitando Pofteris exemplo. Principis hujus virtutes in hac peregrinatione heroicas celebrare jucundiffimum effet, nifi & ingenij mei tenuitas, & nimia ab opere fufcepto digreffio ab hoc munere deterreret. Illud autem de tantis Herois hujus virturibus præterire non poffum, quod publicus rumor quaquaverfum diffudit, ipfum nimirum tum apud fanctifs. Domũ Lauretanã quatriduum commoratum, tum in confpicuis Urbis Ecclefijs Divinis myfterijs quotidie adfuiffe, ac plura animi fanctè fe defpicientis fpecimina dediffe, præfertim verò, cùm defignatas Bafilicas Indulgentijs affequendis S. Mariæ Majoris, & S. Joannis in Laterano humili, & peregrino cultu indutus

B invifit, Panem cœleftem è manu Summi Pontificis accepit, ac denique ad primariũ quoddam Urbis Zenodochium fe tranftulit, ibique ibi latitans fub vili vefte, & à dignitate Principis longè alienâ, quam faccum pœnitentiæ vocant, Tredecim Pauperibus tantâ mentis, corporifque dejectione pedes abluit, ut lachrymas ab omnibus indifcriminatim exegerit, quos Viri Maieftas, & Familiæ amplitudo minimè latebat, liberali fubinde in varios egenos fupra mille Coronatos profusâ ftipe. Quæ quidem omnia imminentibus nuptijs cum Sereniffimâ Claudiâ Medices feliciter proluferunt, quibus utique non defuit copiofa prolium benedictio.

C

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

1 *Ex monum. Conv. de Parmâ, & Lit. P. Deodati in Collect. P. Alafia pag. 291.*
2 *Ex Reg. Gen. Burgo.*
3 *Ex monum. Montis Senarij, Tarvifij, de Flor., & Serv. Bononiæ.*
4 *Romer. Serv. Mar. lib. 4. cap. 7.*

Enarratur miraculum Habitûs 7. Dolorum. Ponitur primus lapis Forolivij pro Sacello B. Peregrini. Transferuntur folemniter Reliquiæ Sanctorum apud Civitatem Plebis. Confecratur Ecclefia Oeniponte. Sabloneta

D *recipitur poffeffio Bonorum Ducis Vefpafiani. Tranfmittuntur ex Italiâ Patres ad Imperatorem Viennam pro Ordine propagando; Summus Pontifex ad hanc rem fcribit ad Imperatorem, & Imperator ad Gubernatorem Pragenfem. B. Philippi Feftum Florentiæ celebratur folemniùs. CAP. X.*

EOrum omnium, quæ hoc anno ad Ordinem noftrum fpectantia contigere, .1. narratio ab ijs aufpicetur exordium, quæ ad illuftrandum Habitum feptem Dolorum, fuique venerationem augendam utilitati Fidelium Beatiffima Virgo legitur præftitiffe. Apud Guaftallam, cujus dominio fru-

Ictu sclopeti in pectore impetitus S. Habitus 7. Dolor. præsidio servatur illæsus.

fruuntur Duces de clarissimâ Familiâ Gonzagâ. Nicolaus quidam Corelli ibidem degens ab hostibus impetitus fuit ictu sclopeti in pectore die 10. Octobris huius anni, quin autem vulnere affectus ipse fuerit ambusta solummodò fuit vestis, duæ verò pilæ, & plures globuli impressi substiterunt in Habitu Dolorum B. Virginis, quem ipse summâ pietate è collo pendentem jugiter gerebat. Seriò animadvertentes Ordinis nostri Patres Foroliviensses, quòd venerandum B. Peregrini de Latiosis Corpus ad lævam Ecclesiæ nostræ positum apud Altare quoddam B. Virgini nuncupatum, quæ vulgò dicebatur *dell' Incoronata*, non eâ prorsus honorificentiâ Fabricæ, quæ ipsum, & singularem Populorum erga Beatum venerationem decebat, colebatur, unanimi consensu jampridem decreverant lapidem omnem movere ad hoc, ut Sacellum, & Altare recens excitaretur longè augustius, & honorificentius ipsi Beato consecrandum. Cùm autem eo temporis adesset Forolivij Vir quidam nomine Cæsar Pritelli B. Peregrino addictissimus, & Ecclesiæ nostræ illustrandæ studiosissimus illius Cœnobij Patribus persuasit, quòd Ædituos designarent, quorum unus fuit Livius Solumbrini J. U. D., alter verò Petrus Paulus Chelini; tertius denique D. Grati Physicus Medicus, ejusdem Beati Cognatus, quibus & ipse Cæsar accessit. Quatuor hi Religiosissimi Viri, cùm varias hinc inde comparassent eleemosynas, Sacellum amplissimum ad Ecclesiæ dexteram à fundamentis excitare statuerunt, cui augusto operi plurimùm contulere Ordinis nostri Fratres, præsertim verò P.M. Joannes Maria Zazzeri de Senogalliâ, tunc Provinciæ Mantuanæ Præfectus, qui Provinciæ suæ Cœnobia pro munere suo invisens opportunam identidem ex iisdem collectam pecuniæ, summam Ædituis prædictis tradebat, ut ædificium jampridem mente conceptum exordium tandem aliquando auspicaretur. Quod faustissimis ominibus auspicatum fuit hoc anno, ingenti pecuniæ copiâ hisce diebus in unum coactâ. Ne verò quidquam amplitudini Fabricæ, Ecclesiæ decori, venerationi Fidelium erga B. Peregrinum desideraretur, eximiâ pompâ, quæ modò describitur, jacta fuere fundamenta. Die 15. Junij hujus anni præcedente per ordinem universo Civitatis Clero, ac Dominis Canonicis, Reverendissimus Cæsar Bartorelli Foroliviensis Episcopus, & magni nominis Præsul Habitu Pontificali Indutus ex Ecclesiâ Cathedrali institutâ supplicatione recedens ad Ecclesiam nostram pervenit, ibi verò Missâ de Spiritu Sancto eo assistente solemniter cantatâ, ac prævijs nonnullis precibus eâdem pompâ ad Locum processit Episcopus construendo sacello designatum, ibique primum lapidem ritu solemni consecratum posuit; deinde verò cum Ipso Pontifice recedentibus cæteris, Cæmentarij ad hoc electi operi statim manum admoverunt, quod absolutum

Eximiâ pompâ ponitur Forolivij primus lapis pro extruendo augustiori Sacello B. Peregrini.

tandem anno 1639. comperiemus, quò nimirum debitâ solemnitate translatum fuit Venerandum Beati Corpus. Interim juxta præclaram Guidoreni ideam Bononiæ . . . . Pisarini, dictus Canriuini Tabulam adornabat, in quâ B. Peregrini exprimeretur Imago, cùm Dominus extendens è cruce manum, crus ulcere affectum illi sanavit. Præterea apud Civitatem Plebis die 9. Aprilis recognitæ cum suis Literis authenticis de jure fuere à Reverendissimo Domino Joanne Baptistâ Rinoceini Archiepiscopo Firmij, & à Domino Gaspare de Judicis Civitatis Plebis Archidiacono Sanctorum Reliquiæ, quæ P.M. Joanni Baptistæ Guerrini illius nostri Cœnobij Alumni operâ, & studio Româ transmissæ in eâ nostrâ Ecclesiâ non mediocri honorificentiâ servantur. Insigni verò solemnitate institutâ supplicatione, cui interfuere D. Episcopus illius Civitaris, Vexillifer, & ejusdem Civitatis Magnates, DD. Canonici, universus Clerus tum secularis, tum regularis, & Laicorum Confraternitates magno catervatim confluente Populo, die 10. Maij ejusdem anni ad Ecclesiam nostram delatæ, & in loco Ipsis designato ritu solemni, depositæ fuere. Quæ deinceps quorannis Populo exhibentur venerandæ, quo tempore celebratur supplicatio Generalis Habitûs 7. Dolorum B. Virginis. Reliquiæ verò in Urnis, & Thecis honorificis repositæ, hæ sunt; S.Marcelli Martyris, S. Hieronymi M., S.Januarij M., S. Agapiti M., S. Lucij Papæ, & M., S. Calepodij M., S. Bonifacij M., S. Saturnini M., S. Pontiani M., S. Julij M., S. Hiacynthi M., S.Margaritæ V. & M., S. Daphrosæ M., S. Dariæ V. & M., S. Perpetuæ V & M., S. Christinæ V. & M., S. Secundæ V. & M., S. Concordiæ M., S. Victoriæ V. & M., S. Romulæ V., & una ex costis B. Jacobi ex illâ Civitate Ordinis nostri, cujus sacrum Corpus in Ecclesiâ, quæ dicitur B. Jacobi, summâ venerarione colitur. Hoc pariter anno 2. Pentecostes die à D. Episcopo Brixinensi Antonio Crosino præsentibus Serenissimis Archiducibus Leopoldo, & Claudiâ, & universâ etiamnum à Dominorum suorum Nuptijs ad hilaritatem composita Aulâ, qui sanè specta tores insigni præsentiâ suâ religioni, & Operi huic momentum gravissimum attulere, sacris ritibus D. Josepho nuncupata fuit Oeniponte Ordinis nostri Ecclesia recèns à Serenissimâ Reparatrice, & longè augustiùs ab Incendio anni 1620. ædificata. Cùm anno 1591. die 23. Februarij Illustrissimus Dux Sablonetæ Vespasianus testamentariâ dispositione Cœnobio, quod ibidem insigni munificentiâ à fundamentis excitatum Ordini nostro, quem semper speciali benevolentiâ complexus fuerat, concesserat, quippe qui antiquum illud cum Ecclesiâ titulo S. Blasij à suis majoribus ædificatum anno 1478. solo æquaverat, quod ipsi impedimento foret Sablonetæ Muris vallandæ, & ad conditionem arcis, qualis nunc

Apud Civitatē Pleb. transferūtur solemniter Sanctorum Reliquiæ.

Oeniponte consecratur solemni ritu nova Eccl. S. Jos.

PP. Sablonetæ mittūtur in possessionem quorūdā Bonorū Ducis Vespasiani

nunc visitur, redigendæ, possessionem quandam, quæ dicitur *del Tagliata*, unà cum suâ Bibliothecâ Fratribus ibidem alendis legasser, nonnisi hoc anno P. M. Philippi Vitali summâ sedulitate Bonorum istorum Fratres nostri in possessionem Inmissi fuere. Ordinis nostri rebus faustis jugiter auspicijs per Germaniam sese habentibus præ sanctimoniæ, & disciplinæ regularis.2.famâ, qua in suis repetitis cunabulis magis in dies vigebat, quæ verè juxta Evangelium promissum bonorum quorumlibet temporalium est radix, Summus Pontifex ejusdem Ordinis incremento addictus proximè sequens Breve ad Ferdinandum II. Romanorum Imperatorem hisce temporibus dedit, quo M. S. C. hortatur, ut Ordini nostro Cœnobia per suum Imperium restituenda curet, quæ ipsa tum Hæretici, tum Barbari jampridem eripuerant.

Breve Urbani VIII. ad Ferdin. II. Rom. Imperat. quo ipsi hortatur, ut Ord. nostro Cœnobia per suum Imperiū restituenda curet.

URBANUS PAPA VIII.

Charissime in Christo Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religiosa Servitarum Familia usque adeò conciliasse dicitur amorem Germaniæ admirandâ Beati Philippi Benitij Sanctimoniâ, & eloquentiâ, ut ea Provincia existimaus se ita patefacere. . . . Religioni, & Domicilia virtutibus, triginta septem Monasteria ejus Ordini Sacerdotibus extruxerit. Sed Ecclesiasticos Possessores jampridem de Domo Domini illinc deturbavit hæresis, & bellum. Nunc autem perfrui illi cupiunt beneficio clementiæ Omnipotentis, & Cæsareæ victoriæ fructu. Triumphavit per Majestatem tuam Religio de impietate; & divitias, quas devoravit, cogitur hæresis evomere. Digna cura est Majestate Religiosissimi Victoris dare operam, ut ad vetera Cœnobia expulsi Sacerdotes Servitæ reducantur. Testari autem voluimus gratissima Nobis fore omnia officia, quibus piam eorum voluntatem Cæsarea auctoritas armabit. Illi autem illuc Viros ablegabunt, quorum doctrinâ, & sanctimoniâ habeatur lumen Populorum, & solatium sit Majestati Tuæ, cui Apostolicam benedictionem amantissimè impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 14. Februarij anno D. 1626. Pontificatûs III.

Summo Pontifici morem gerere cupiens Ferdinandus, & longè potiori jure veneratione ductus, quam erga Deiparam, & Habitum nostrum profitebatur, Ordinis incremento fovendo animum seriò adiecit, ac proinde ad Gubernatorem Civitatis Pragensis sequentes literas dedit idiomate Germanico, quæ latino idiomate ita sonant.

Literæ Ferd. II. Imperat. ad Gubernatorem Civitatis Pragēsis

Quod nobis per Literas tuas die 18. Maij præteriti de Ecclesiâ in novâ Civitate Pragensi in Valle mediâ inter Vischerade, & Cœnobium de Carslabeff ad torrentem Potisch sitâ, & spectante ad sacrum Ordinem Servorum B.M.V. obedienter indicasti, idipsum nobis fideliter cum omnibus circumstantijs relatum, & A propositum fuit. Cùm itaque nos rebus ita constitutis dictam Ecclesiam dicto Sacro Ordini semel donatam, & ad ipsum spectantem non videamus ab ullo ullâ ratione, titulo, aut jure posse, aut debere alienari, aut ipsis repetentibus denegari. Interim tamen illibenter intelleximus, quòd Abbas Carlocuriensis laborans defectu mediorum ad substentationem Religiosorum suorum, itaut ob id cessare deberet in suo Monasterio cultus Divinus, utrique clementer consulere volentes ordinamus dilectioni tuæ, ut quamprimū post hanc ordinationem receptam Patri M. Sosteneo ab Alexādriâ, & P. Joanni de Sermeto dicti Ordinis dictam suam Ecclesiam restitui cures cum omnibus suis appendicijs, & pertinentijs, & bonis, quæcunque ad illam ab omni antiB quitate spectasse reperiuntur; & nihilominus suggerat nobis media alia, quibus possemus compensare dictum Abbatem assignando ei alibi tantum in proventibus, quantum ex dictâ Ecclesiâ annuatim percepit, ut cultus Divinus in suo Monasterio meliùs possit continuari: facietque in hoc devotio tua, prout de eâdem clementer confidimus, omne bonum officium, & clementissimum nostrum beneplacitum, & expressam voluntatem, cui vicissim gratiam nostram Imperialem, & Regiam impartimur.

Datum Viennæ die 7. Junij 1626.

Intereà dilatandi Ordinis per Germaniam magis in dies studiosis PP., & in primariâ Urbe Viennæ Cœnobiū.3. excitare cupientibus, C ad causam hanc urgendam missi eò fuere ex Italiâ Patres, qui Viennensis Cœnobij fundamenta vel aperirent, vel ut hæc tandem aliquando aperiri possent cum assensu Cæsaris Ferdinandi hujus nominis II., clementissimè primùm impetrando diligenter investigarent, & bonâ eorum, quibus de jure competeret, veniâ pro Domicilio locum compararent. Qui primò tentaret opus fuit P.M. Sosteneus Odonius Alexandrinus, cui pro hoc negotio non mediocriter arduo gravissimum addidit momentum Serenissimus Leopoldus Archidux Austriæ, Tyroleos Dominus, & Cæsaris Frater Germanus benignissimis Sosteneum roborans literis datis 6. Idus Aprilis hoc anno ad Augustum Fratrem suum Ferdinandum D perferendis, quarum is erat tenor, se nimirum eò minùs voluisse officio suo Servis Deiparæ hoc rogantibus deesse, quò ampliori religionis affectu in eum Ordinem se ferri animadverterat, qui B. Virginis Servorum nomen sibi, ac professionem habeat, ejusque cultum sublimiori quodam modo amplectatur. Paucul is verò interpositis subdit, varias quidem fuisse in hoc Ordine difficultates, eas tamen Prioris Generalis solertiâ, ac zelo, immo ipsius Summi Pontificis auctoritate ita esse compositas, ut quoad ejus profectum nil dubitandum supersit. Sosteneum proximè sequutus P. Josephus Maria Suarez ex Eremo Montis Senarij unà cum F. Cosmo Clerico Dia-

P.M. Sosteneus Odonius Alexādrinus Viennā Austriæ mittitur pro excitando ibi Cœnobio cū literis commendatitiis Leopoldi Archiducis

Diacono, & F.Laurentio Romano Laico Professo Viennam contendens idem Ordinis negotium promoturus dependenter à prædicto P. Softeneo, tanquam rerum gerendarum peritiâ, atque folertiâ longè magis prædito, alias ab eodem Archiduce Literas ejufdem tenoris impetravit, quibus omnibus in Literis potiffimùm hoc erat fcribendi motivum, quòd fcilicet Oenipontè, æquè ac in aliis nonnullis Italiæ Locis perfectior quædam vivendi Regula Ordinem Servorum commendet, quæ illum fanctiori fenfu, quàm hactenus vulgò credebatur, fecularibus acceptum reddat, è quorum numero ipfe quoque fit, ac propterea fpe maximâ fretus fe Viennæ, æquè ac Oenipontè Religiofis fuæ legis tenaciffimis Cœnobium curaffe. Præfatis Literis nixus prænominatus P. Softeneus, accedentibus etiam Annæ Magdalenæ Magnæ Duciffæ Etruriæ prævalidis precibus, pluribus egit apud S.C.M. pacta quædam proponendo æquitati fanè confentanea, ut Forum, quod Viennenfibus dicitur *D. Petri Cœmeterium* Ordini noftro vindicaret; quinimmo ipfemet Imperator inftante etiamnum P. Softeneo affenferat, ut ad Ecclefiam in dicto Foro fitam, & Juri Patronatûs inclytæ Domûs Auftriacæ fubiectam Cœnobium ædificaretur, interpofitâ propriâ fuâ auctoritate, quatenus Imperatoris, quatenus etiam Principis, Domusque fuæ Auftriacæ Senioris, dummodo Ecclefiaftici Ordinarij indemnitati, ejusque in Locum illum juribus conceffione illâ confuleretur. Istamen affenfus, & facra illa Majeftas Ordini aliàs perquam optimè affecta, affequi non potuit, quin Cœnobij Viennenfis negotium per Decennium integrum moram pateretur, & ad annum Chrifti 1636. dilatum anno folùm 1639. abfolveretur, de quo ad eundem annum iterum erit dicendum. Interim Florentiæ 20. Cellæ pro Novitijs ædificantur, 4. & in Ecclefiâ noftrâ D. Annunciatæ die 23. Augufti non vulgari pompâ celebrantur B. Philippi folemnia, Archiepifcopo Alexandro Strozzâ Pontificalia exercente, necnon in Societate ejufdem Beati fuper plateam D. Annunciatæ fitâ longè majori, quàm antea confueverint, folemnitate, idem Feftum celebrarunt ejufdem Societatis Confratres fpecialibus etiam Indulgentijs ibidem conceffis. Savonæ quoque in Provinciâ Genuenfi Societas 7. Dolorum præcipuo ftudio P. M. Philippi hoc anno erecta eft, quæ deinceps incrementum non mediocre fufcepit, quod fufiùs dicemus ad annum 1677.

Celebratur Florentiæ folemni pompâ feftû B. Phil.

Savonæ erigitur Societ. 7. Dolor.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

1 Ex *monum. eorundem Conventuum*.
2 *Auguft. Romer. fervitus Mariana lib.* 5. *cap.* 5.
3 *Ex eodem lib.* 9. *cap.* 1. & 2.
4 *Ex monum. D. Annunc. de Florentia, & Savona*.

E *Illuftrium quorundam Virorum Gefta, & Obitus enarrantur.*

CAP. XI.

Quatuor ex Ordine noftro decedunt hoc anno immortalitatem emeriti Patres, quam, prout nobis fas eft, laudibus ipfos profequendo aliquomodo comparare apud Pofteros conabimur, quàvis quibufcunque tacentibus præclara fatis fuperque prædicent Doctrinę, & Sanctitatis eorum monumenta. Præcæteris occurrit qui cæteros Doctrinæ præftantiâ antecellit P. M. 1. Philippus Ferrari Alexandrinus de Ovilio, quod ipfemet fatetur apud fuum Epitomen Geographicum, omni laude fu- F perior, in ipfo enim cum excellentiâ Doctrinæ, & ingenii fublimitate rara vitæ integritas mirabili eo vinculo conjuncta jugiter fuit, quod Reipublicæ cuicunque mirabili efse folet emolumento. Quin verò Lectorem morer in exprimendâ, & exhibendâ præ oculis virtutum illarum ferie, quæ præcelfo huic capiti coronam auream formarunt, fatis omninò eft Philippum ipfum indicare in celeberrimâ Papiæ Univerfitate annos 48. frequentiffimo Auditorum concurfu, & magnâ nominis apud Eruditos omnes Totius Orbis celebritate Aftronomica, & Mathematica quæcunque explicantem, queque ex hoc munere, & ex hac celebritate Ordini noftri per ipfum, præfertim verò Cœnobiis Papienfi, Alexandri- G no, & de Ovilijs plurima commoda obvenere. Satis infuper eft P.M. Joannem Baptiftam Drufiani pariter Alexandrinum indicare tanquam germanum Philippi Alumnum, è cujus in Mathematicis præftantiâ, de quâ alibi * dicendum erit, quæque maximè celebrem apud Hifpaniæ Reges, & Proceres præftitit; cuique, fi fapias, fas erit colligere Philippi Magiftri excellentiam. Satis denique eft pręclara ejus opera in lucem edita, & ab eruditis omnibus ubique Gentium fummo ftudio collecta evolvere, fcilicet Epitomen Geographicum in 4. lib. divifum; novam Geographiam in Martyrologium Romanum, Catalogum Sanctorum Italiæ, Catalogum Generalem Sanctorum, qui in Martyrologio Roma- H no non funt; additiones ad Ambrofij Calepini Dictionarium; item additiones ad Vocabularium, Topographiam Poeticam, Lexicon Geographicum; Emporia Academiæ; de annulo pronubo Deiparæ Virginis. & Officium B. Virginis in Sabbatho cum fuis Lectionibus in Monte Senario difpofitium. Quod verò fpectat ad vitæ integritatem fatis pariter eft Philippum indicare in Comitijs Generalibus Romæ habitis anno 1604 in Priorem Generalem Ordinis prę 22. confpicuis Patribus eidem muneri obeundo paribus pręelectum, & iterum Apoftolicâ difpenfatione anno 1606. in eodem Magiftratu adhuc ad Trienniim confirmatum; denique à Summo Pon-

Obitus, & Gefta P. M. Philip. Ferrari Alexandrini.

* *Cent.* 5. *l.* 3. *cap.* 5.

Pontifice Urbano VIII. anno 1624. Vicarium Generalem ejusdem Ordinis electum, & à sin- A gulis Provinciis anno 1625. iterum ad Generalatûs gradum præter consuetudinem præsentatum. Satis item est non pauca indicare, quæ ab Apostolicâ Sede difficillimis illis temporibus Paulo V. sedente Ordini nostro valdè honorifica impetravit, omissis videlicet alijs minoris fortè momenti, Officium in primis B.M. Virginis in Sabbatho unà cum Lectionibus B. P. Philippi proprijs restitutum. Prætereà Ptivilegia, & Indulgentias Ordini, & Societati Habitûs per varia diplomata concessa; denique Bullam Beatificationis, unà cum Lectionibus proprijs BB. Joachimi Senensis, & Peregrini Foroliviensis per varia pariter diplomara expeditam. Satis quoque est Catechesin Novitiorum indicare ab eodem B Philippo unà cum Archangelo Gianio in Mõte Senario compositam, statim ac Decreta- Clementis VIII. compilaverant circa recipiendos, & educandos Ordinis nostri Novitios. Satis denique est summum illud studium indicare, quò Angeli Mariæ Montursij sanctissimis vestigijs inhærens jacta ab eo reformationis semina, prout poterat, excolere non cessavit, unde quæ prius Angelus scripto solummodò observanda mandaverat, ipse Philippus quò communiora fierent, per DD. Reformatores, annuente Summo Pontifice anno 1604. imprimi, evulgari, & executioni mandari curavit, nunquam à labore abstinens, cui se natum esse à Sanctissimo Jobo cap. 5. 7. cognoverat, sicut avis ad volatum, C singula Ordinis loca lustrando, debitis pœnis reos animadvertendo, qui bene se gererent præmijs decorando, Literarum studia, & morum integritatem promovendo, sibi nunquam parcens, bono suo privato non studens, sed publico duntaxat consulens, dilectus proinde Deo, & Hominibus, cujus memoria in Benedictione sit, ex quo Posteris extremum sui desiderium relinquens Mediolani 5. nonas Septembris, anno Domini 1626., ætatis verò suæ 75. in æternitate victurus seculo Defunctus est. Præstantissimi autem hujus Viri Corpus Papiam statim translatum singulari quidem honorificentiâ celebratis exequijs, quibus interfuere Universitatis illius Professores, pluresque alij præsertim Primarij, & aliorum D Ordinum Fratres, qui sanè lachrymis illum prosequentes, quin ipsi encomia contexerent, summam existimationem, quâ apud ipsos Philippus habitus semper fuerat, luculenter ostendebant. Quam longè magis expressere Patres Ticinenses, cùm longè meliori consilio anno 1628. Philippi Imaginem in Ecclesiâ in pariete omnibus conspicuo delineandam exactè curarunt, apposito sequenti Elogio.

P. F. M.
Patri Magistro
Philippo Ferrario Alexandrino
Doctissimo æquè ac integerrimo Viro
Cujus singularis Pietas, vitæ rigor, morum
A *probitas omni genere Doctrinæ admirabilis*
Græcæ, Latinæque Linguæ peritia
non solùm
Religioni Servorum B.M.V.
Summam cujus Præfecturam maxima omnium
Patrum utilitate
Semel, atque iterum administravit;
Verùm etiam
Clem. VIII., Paulo V., & Urbano VIII. SS. Pont.
spectata diu
Admirationi fuit.
Qui postquã in Pub. Ticinensi Academiâ 48. ann.
Mathem. interpretat. est, Geograph, & Histor.
Disciplinas illustr.
Mediolani felix obijt
Ann. salut. MDCXXVI. quinto nonas Septemb.
B *ætatis verò suæ LXXV.*
Patres Ticinenses, quibus post innum.
Benef. Extr.
Munus sui Corporis reliquit,
Beneficentiæ memores
Tanto Viro, ac Parenti
P P.
Anno Domini MDCXXVIII.

Quod minimè cuique mirandum, si Elogium illud seriò perpenderit, quod ijdem Patres Ticinenses adhuc superstiti Philippo in Cœnobij Papiensis Claustro publicè incidendum curarunt.

D. O. M.
C F. Philippo Ferrario Alexandrino
XXVI. Annis in Ticinensi Gymnasio publico Interpreti, postea totius Ordinis Servorum Generali, de tota Religione optimè merito, qui mores in administrando, Conventus, & studia quantùm in ipso fuit, reformavit, novit, restituit: Religionem novis Privilegijs, & facultatibus ab Apostolica Sede impetratis ornavit, & au- D xit. Monasterium hoc ædificandum, instaurandum, ac redditibus augendum curavit. Fratres Ticinenses uti Benefactori, grati animi ergo P.
An. sal. 1607. Mense Novemb.

Minimè quoque mirandum, quòd in Bibliothecâ Ambrosianâ Mediolani celeberrimâ Philippi Imago, tanquam Viri præstantissimi, ac de re literariâ optimè meriti inter Imagines aliorum Virorum illustrium posita fuerit. Qui-

Quibus pro Coronide præclarissimâ accedat, quòd in editione Londinensi 1657. Lexici sui Geographici apud Rogerium Danielem in Præfatione ad Lectorem habemus.

Quorum, post Stephanum *Byzantium Princeps, & Coryphæus* Abrahamus Ortelius *eminebat; quem excepit hoc nostro seculo* Philippus Ferrarius *Alexandrinus, scientiarum Mathematicarum in Academiâ* Ticinensi *Professor Regius, Vir in hoc genere laudatissimus, & ad hæc studia promovenda totus à naturâ factus, & comparatus. Is anno salutis 1605. Ticini edidit* Epitomen *suam* Geographicam *in libros quatuor dispertitam; quorum primus Urbium nomina (longitudine, ac latitudine earundem Margini adscriptis) exhibebat; secundus Fluviorum; Tertius Montium; Ultimus Lacuum, & Paludum. Deinde verò post annos quatuor Venetijs in lucem data est ejus* Topographia in Martyrologium Romanum *in quarto ibidem. Tum verò anno 1618. prodijt* Ticini *ejusdem* Topographia Poerica *minore volumine è Poetarum præcipuè scriptis concinnata, verùm non minus cæteris humaniorum Literarum studiosis profutura; sed nondum quiescere potuit ejus tam mirifica diligentia, quin pergeret* Lexicon Geographicum *adornare, opus longè absolutissimum, in quo, cum priora rectiùs figeret, tum verò etiam alia innumera à superioribus prætermissa complecteretur. Quod quidem anno 1627. (defuncto jam tum authore) Mediolani prælum Typographicum Jacobi Comi enixum est: & quamvis non eâ, quâ debuit curâ fuerat vel descriptum, vel certè impressum, communi tamen omnium Literatorum plausu excipiebatur, & quantum quidem ex illo tempore ætatis ei tantundem accessit & pretij*. Ferrarium proximè sequitur P. Gregorius Alasia de Summaripâ hoc pariter anno viam universæ carnis ingressus, dignis verè laudibus apud Posteros immortalitati consecrandus. In primis enim in Philosophicis, & Theologicis haud mediocriter versatus ad ea potissimùm assequenda pro virili incubuit, quæ Ordinis nostri, quem ipse singulari dilectione complectebatur, historiam concernebant, cujus rei veritatem satis abundè omnibus comprobant, quia omnibus prostant, præclara sui ingenij monumenta; Alphabetus nempe Historicus, navis Religionis Servorum egregiè delineata, nonnulla alia hujus generis opuscula, præsertim verò eximia in prosequendis cum Archangelo Gianio Aunalibus Ordinis cura, quæ tum omnibus Annales prædictos evolventibus comperta est, tum maximè ijs, qui Literas ad Glanium, & alios datas, necnon alia quamplurima manuscripta diligenter versaverint, quæ in Archivo nostro Florentino servantur, quibus omnibus accessit libellus inscriptus: *De Capitaneis Summaripæ*. Prætereà, & quidem maximè, quia maxima omnium res est, Christianis virtutibus, & vitæ sanctissimè instituendę indesinenter studuit, præ cæteris autem humilitati, quam veluti cæterarum basim probè

P. Gregorij Alasiæ de Summaripâ.

noverat, quâ ductus promoveri nunquam voluit ad honorificos Ordinis gradus, nec magistralia decora comparare, licèt non vulgaris ejus scientia, & eruditio ijsdem assequendis parem ipsum præstitissent; si quando verò fuit totius Ordinis Secretarius, quod munus honorificentiam exhibet, hoc nonnisi jussus coactus fuerat subire. Hujusmodi virtutum apparatu exornatus, sicuti coram Domino pretiosus semper apparuit, ita & apud homines in Curiâ potissimùm Romanâ, eosque Primarios, & Principes Viros summam sibi venerationem conciliarat. Prætereà in Eremo Montis Senarij, sive in Infirmariâ, quæ dicitur S. Martini, hoc eodem anno die 7. Martij obijt in Domino P. Antonius Maria Filius Laurentij Medices Patritij Florentini in seculo vocatus Antonius Franciscus, cujus virtutes præterire silentio non decet. Eremiticum Habitum indutus die 25. Martij anno Domini 1602. ætatis verò suæ 24. virtutibus omnibus excolendis sedulam operam jugiter dederat, quippe qui probè noverat, quòd qui delinquit in uno factus est omnium reus, quod nihil jure dicitur bonum, nisi sit undequaque bonum, & nihil pariter vel minimum coinquinatum in illam Beatam Civitatem intrabit, ac reipsâ præclara quædam pro rei opportunitate singularum specimina præbuerat, verùm in studio Eremiticæ Disciplinæ adamussim colendæ, & in perferendis adversis patientia præ cæteris enituit. Quin verò ad veritatem hanc comprobandam singula, quæ præstitit, in medio producam, satis erit pro Eremiticæ observantiæ studio illud unum referre, quòd, licèt infirmus, nisi gravissimâ detentus ægritudine, vel obedientiæ pręcepto coactus a communibus operibus, sive in Choro, sive alibi, nunquam cessabat, quinimmò crure ipsi ulcere quodam affecto, cui proindè nonnisi ægerrimè innitebatur, diu, noctúque plures menses Divinis mysteriis in choro indesinenter interfuit æquè ac cæteri, semper stans alteri tantùm ex cruribus innixus, crus aliud malè affectum proximæ Sedi adhærens tenere coactus. In eximiæ verò patientiæ argumentum satis pariter erit Posterorum memoriæ commendare, quod sex annos continuos suum obitum proximè præcedentes plures subire cœpit infirmitates, easque maximè molestas, & insanabiles, integram in primis alteram ex partibus Corporis motu, ac sensu destitutam, & stupore prorsus affectam habens; prætereà facultate videndi orbatus æquo animo, quin potius hilari Divinæ voluntati conformis perpetuò tulit, tum medicaminum nauseam, tum diuturnitatem infirmitatis, tum acerbitatem dolorum adeò quidem, ut cùm ipse optimæ valetudinis cupidus, cùm Florentiam adire postulasset, Medicum quendam egregium ibidem super hisce infirmitatibus consulturus, Superiori non omninò annuenti morem protinus gerens memorandum hoc dederit responsum, se nimirum

P. Antonij Mariæ Medices Floren. Eremitę Montis Senarij

id

id postulasse, ut naturæ genio obsequeretur, quæ sui semper appetit conservationem; cæterum se quàmlibentissimè Divino Conditori mortalis hujus usuræ dies consecrare, quos adhibitâ illâ potiori diligentiâ, quam animo conceperat, consequutus fuisset. Apud Eremum ergo in infirmariâ præfatâ decumbens plura semper incommoda in dies subire gaudens non destitit, ex diuturno enim decubitu ulceribus undequaque affectus, speciatim verò in lateribus, & in partibus Corporis posterioribus corruptionem pati incipiens, & puræ fœtido scatens ultroneam se Deo in ejus Crucis Altari hostiam immolandam jucundissimo animo offerebat, quamobrem summè misericors Deus, ut Antonio Mariæ, & reliquis ostenderet, quantùm sibi in ipso complacuerat, & quànam benevolentiâ ipsum complecteretur, biduo antequam mortem oppeteret, desiderium illi excitavit Sacram Eucharistiam pro æternitatis viatico postulandi, quà longè faciliùs, quàm consueverat, exceptâ, eò infirmitatis devenit, ut pane illo cœlesti refici amplius non potuisset. Itaque Eucharistico cibo feriâ 6. Dominicæ Passionis speciatim sacrâ, quæ fuit 5. dies Martij, refectus, proximè sequenti Dominico die affluente non mediocriter ante meridiem plurimâ se proximè moriturum præsentiens sacram extremam unctionem integer sensibus, & mente elatus in Deum excepit, ac demum circa 2. noctis horam sæculo defunctus cœlestia creditur petijsse, ubi prætereundum non est, quod Antonius Maria, urpote qui Jesu, Mariæ, Joseph maximè semper addictus fuerat ijsdem in Cœlis adhæsit è vivis excedens, cùm Festum celebraretur Desponsationis B. Virginis, quod festum tribus prædictis maximè competere videtur; ejus autem corpus in Ecclesiâ Montis Senarij tumulatum deinde fuit. Recolenda denique est mors P. M. Julij Lazzaroni de Rohado, Provinciæ Venetæ Præfecti, non modò quia honorifico hoc Magistratu præstaret, verùm etiam, & quidem maximè, quia ob egregias sui virtutes, & morum integritatem cæteris antecelleret; ipsi verò suffectus fuit ad Provinciæ regimen usque ad Capitulum proximè futurum P. Amans de Bonvicinis.

P. M. Julij Lazzaroni de Rohado.

Dubia pro 4. Pœnitētiarijs in Eccl. D. Ann. de Flor.

Hoc pariter anno excitata Florentiæ fuere dubia nonnulla quoad Breve pro Pœnitentiariis à Summo Pontifice Urbano VIII. D. Annunciatæ concessis expeditum die 25. Octobris 1624. quibus idem Summus Pontifex occurrit per aliud Breve hoc anno expeditum die 19. Junij tenoris sequentis.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Alias à Nobis emanarunt Literæ tenoris, videlicet. Ad perpetuam rei memoriam. Ex incumbenti nobis &c., prout ad ann. 1624. Nuper verò Venerabilis Frater Archiepiscopus Florentinus Nobis exponi fecit, quòd ortis super litteris præsentibus infrascriptis dubiis, videlicet: Primò, an Prior prædictæ Domûs possit seipsum deputare in Pœnitentiarium, itaut sit unus ex dictis quatuor: Secundò, an Fratres, ut supra, deputandi per Priorem, si fuerint aliàs examinati, & approbati per Ordinarium ad Confessiones, debeant rursus examinari, & approbari ab Ordinario pro dicto Officio Pœnitentiarij: Tertiò, an sub dictâ facultate absolvendi includatur facultas absolvendi à casibus reservatis per Archiepiscopum Florentinum, & per alios ordinarios Locorum: Quartò, an facultas hujusmodi sit localis, itaut non possit exerceri per dictos Pœnitentiarios extra dictam Ecclesiam, cujus contemplatione concessa est, sed solùm in dictâ Ecclesiâ: Quinto, an dicta facultas capiat etiam commutationem Votorum, & dispensationes super irregularitatibus occultis: Habitoque super dubijs prædictis ad Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacr. Concilij Tridentini Interpretes recursu Cardinales hujusmodi. Ad primam dictorum dubiorum; non posse; ad secundum sufficere, ut ante deputationem fuerint examinati, & approbati ab Episcopo. Ad Tertiam, minimè includi facultatem absolvendi à Casibus Archiepiscopo, vel Ordinarijs Locorum reservatis; ad quartum, non licere Pœnitentiarijs eam facultatem exercere extra Ecclesiam præfatam: Ad quintam, in eadem facultate commutationes votorum, ac dispensationes hujusmodi non comprehendi responderunt, prout in Decreto desuper emanato pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus responsum, seu Decretum hujusmodi pro firmiori illius valetudine, & subsistentiâ Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri plurimùm desideret; nos illum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum, seu responsam prædictum Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; & omnes, ac singulos tàm juris, quàm facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, decernentes illud, præsentesque Literas semper valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quæ in dictis præinsertis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 19. Junij 1626., Pontificatûs nostri anno III.

Ex quo Summus Pontifex speciali quodam Indulto prædictos 4. Pœnitentiarios anno 1624. Ecclesiæ D. Annunciatæ de Florentiâ perbenignè concesserat, prout ad eundem annum diximus, illius Cœnobij Patres tanti Privilegij monumentum perenne in marmore honorificè impressum in loco satis conspicuo post varias cum clarissimâ Familiâ de Puccijs contentiones Posteris commendandum reliquere, quod hîc modò subijcio.

Monum. pro 4. Pœnitentiarijs D. Ann. de Flor.

URBANUS VIII. P. O. M.
Ad laxandas animas, & natalitiæ Civitatis pietatem alendam
Hanc Magnæ Matris Ædem, quatuor adauctis Pœnitentiarijs,
Piaculari facultate, ut in Lauretanâ Domo, fulgentibus,
Scripto edito, & in Cœnobio asservato, voluit honestare.
Quod præclaræ munificentiæ pignus Ferdinandus II. Magnus Dux Etruriæ
Carolo Cardinale ejus Patruo Sacri Orbis Præsidem id rogante
Religionis voto insignis exoravit.
Ad seculorum exitum erga Virgineum Deiparæ Numen
Summi Barberini Antistitis.
Et Mediceorum Principum cōmendetur obsequiū
Dum Servitarum Familia utrique obnoxia Celsitudini
Xystali piogrammate decorat
Quod supernæ pensationi rependēdum relinquit.
A. D. MDCXXVI.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta habentur ex monum. illorum Conv.

Assignatur Pragæ Ordini Locus. Prope Bonnam à Serenissimo Electore Coloniensium nova erigitur Ecclesia. Archangelus Vicarius Generalis primò Visitat Domum Regularem Oeniponte. Diœcesani Brixinenses litigant cum Servitis pro Domo Regulari.

C A P. XII.

CUM res nostræ apud Viennam non adhuc feliciter sese haberent, uti superiùs notatum est, feliciter se habuerant Pragæ, de quibus hoc anno aliquid erit modò dicendum. Ter Pragam admissus Ordo noster varias ab origine, quæ fuit anno 1360., prout Cent. 2. lib. 2. cap. 11., vices subierat. Primâ siquidem vice post exactos 60. annos, scilicet anno 1420. gravissimâ clade ab Hæreticis Hussitis affectus in cineres subsedit, superstite exiguâ, sed quæ ad E Posteros transmissa non iniucunda erit, memoriâ, quam sine invidiâ nobis communicat Augustinus Romer in historiâ nostrâ lib. 5. cap. 14. & seqq., ipse verò ad annum præfatum 1420. pluribus rationibus ductus teipsâ protuli. Iterum verò Sigismundo Imperatore, qui anno 1411. contra F. VVenceslaum Imperator acclamatus fuerat, anno 1436. reparatus, prout constat ex attestatione quadam Senis habitâ eodem anno, quam affert idem Romer lib. eodem cap. 18., & ipse ad dictum annum 1420. retuli, centum & decem octo annos ibidem reductus Ordo, scilicet usque ad annum 1554. ibidem superfuit, prout idem Romer cap. 19. ibidem; ita tamen hac secundâ vice est intermortuus, ut ad tertiam usque revocationem vix inter Pragenses innotuerit. F Incidit autem suprema hæc, & Deo dante stabilis perpetuò futura restitutio in Christi annum 1627., ac septimum ab illo, quem memorabilis illa rebellium Bohemorum, confœderatorumque Hæreticorum in Monte Albo 6. Idus Novembris, quæ tunc erat Dominica 22. post Pentecosten, f. stacædes à Maximiliano Duce Bavariæ, & insignis de ijs parta Victoria nobilitavit. Postquam enim Augustissimus, & Religiosissimus Imperator Ferdinandus II. legitimus Bohemiæ Rex ab Hæreticis præsertim Calvini Sectarijs in Urbe Pragensi malè affectus fuerat, qui sacris ibidem profana miscuerat, Religiosos Ordines ab Ecclesijs, & Cœnobijs barbarè ejecerant, & ipsam orthodoxam fidem vehementer labefactaverant, G ac penè proscripserant, tragicos hosce, & hujus generis alios eventûs ab Hussismo prodeuntes optimus Imperator seriâ æstimatione cordi habens animum illicò adiecit, ut pro virili antiquas Religiosorum familias suis ædibus, fortunisque restitueret, & eruditos Viros à Romano Pontifice impetraret ad reintegranda Religionis Christianæ dogmata, quod utrunque gravissimum sanè negotium haud perfunctoriè exequutioni mandatum fuit. Habitâ igitur à Cæsare hac redeundi in eas regiones copiâ, Servitæ quoque, quippe qui Pragam, & alias etiam primarias Germaniæ Urbes incoluerant, ex Italiâ prodeuntes apud Majestatem Suam intercessere, ut Ordini quoque suo H desertas sedes postliminio repetere liceret. In hujus rei expeditionem, prout superiùs dicebam, à Reverendissimo Generali Burgo delectus P.M. Sosteneus Odonius cum 4. Socijs Fratribus, ut his in Terris suas vices obiret, Literis Serenissimi Leopoldi Archiducis ad Fratrem Ferdinandum II. datis, quas pariter indicabam, felix auspicaturus exordium, aditum sibi exindè in Aulam Cæsaream stravit, ubi Clementissimum Imperatoris assensum pro Ordinis reditu impetravit, ac reditum ipsum paulatim obtinuit, prout ex historiæ decursu compertum omnibus erit. Interim in Urbem Pragensem præmisso Cæsareo consensu, præmissis Cæsareis Literis ad ejus

Qua Pragæ varijs temporibus contigerit Ordini nostro describuntur.

Impetratur à Cæsare assensus pro reditu Ord. in Germaniam.

ejus Urbis Gubernatorem, de quibus pariter superiùs cap. 10. ingressum tentat Softeneus, verùm non levis inde oriebatur difficultas, quis nimirum Locus, seu quænam Ecclesia Nobis destinari deberet. Quamvis enim apud D. Annunciatam pone Visschoradum Ordinem olim habitasse Carolo IV. Imperatore anno 1360. Cœnobium Regiâ pietate à fundamentis excitante nemini compertum non esset, immò nonnulli etiamnum in eadem Urbe viverent, qui nominis, & Cœnobij Servorum B. Virginis antiquitùs ibidem stantis ab Avis, Atavisque edocti, meminissent; nullæ tamen, vel exiguæ nimis loco illi superfuerant fortunæ, quibus Servitæ vitam tolerare possent, utique cuique proximè occupanti opportunum id temporis spolium factæ. Proptereà Cæsarea Majestas Ordini quàmoptimè consultura, consentientibus etiam Ecclesiasticis, habito inter pias ædes delectu S. Michaelis Ecclesiam, & Paræciam in Urbe veteri cum aliquot Pagorum latifundis, subditisque eò spectantibus perpetuò Servitis, donavit, rem ipsam approbante Eminentissimo Ernesto Adalberto Archiepiscopo Pragensi ab Harrach, dato proinde sequenti Diplomate, cujus exemplar quoddam in Pergameno habetur in Archivo D. Annunciatæ de Florentiâ.

Ferd. II. approbante Archiepisc. Pragensi, donat Ordini Eccl. S. Michaelis.

Nos Ferdinandus secundus Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Lucemburgensis, & Sylesiæ Dux, Lusatiæque Marchio. Ad perpetuam rei memoriam notum facimus tenore præsentium universis, & singulis. Cùm Imperatores, Reges, & Principes muneris sui ratione teneantur, non tantùm subditorum saluti, Consilio, & Armis prospicere, eaque, quæ ad statum Reipublicæ, pacisque, & tranquillitatis conservationem pertinent, curare: Verùm etiam, quæ ad propagandam, & tuendam Divini nominis gloriam, & augmentum veræ, sanctæque Religionis nostræ Catholicæ Apostolicæ Romanæ spectant indefesso studio promovere, eorumque qui sub vitâ regulari degentes postpositis mundi voluptatibus ad famulandum Deo sese obtulerunt, & per Divini Verbi prædicationem, aliaque Ecclesiastica sacra munia omnium saluti sese impendunt, commodis prospicere, eorundemque pios conatus studiosè promovere. Et verò accedens Nostræ Majestatis præsentiam Honorabilis, devotus, sincerè Nobis Dilectus P. M. Softeneus Odonus Alexandrinus Ordinis Servorum Beatissimæ Virginis Mariæ Vicarius Generalis, humillimè supplicans, ut de benignitate nostrâ Cæsareâ, Regiâque dicto Ordini Servorum Templum Parochiale in antiquâ Urbe nostrâ Pragensi penes Forum situatum, & apud S. Michaelem Archangelum dictum in suum spiritualem usum, und cum omnibus ad id spectantibus pertinentijs dare, atque concedere clementer dignaremur. Nos

A itaque, qui augmentum, & propagationem Sanctæ Religionis Catholicæ, piorumque Locorum exaltationem intensis affectamus desiderijs, votis supplicantis hac in parte benignè duximus annuendum. Quapropter ex certâ nostrâ scientiâ, non per errorem, aut improvidè, sed animo deliberato, sano, & maturo Procerum, aliorumque Fidelium nostrorum accedente consilio, authoritate Regiâ tanquam Rex Bohemiæ memoratum Templum, ad S. Michaelem und cum omnibus, & singulis ad idem spectantibus pertinentijs præfato Ordini Servorum dedimus, concessimus, atque assignavimus, prout vigore præsentium damus, concedimus, & assignamus, itant inibi ejusdem Ordinis Fratres juxta Sacrosanctos Canones, & ipsius ritum, atque Institutum Deo sine cujusvis perturbatione, & molestatione

B perpetuò famulari, necnon piis eorum obsequijs, & exercitijs publicis, & privatis Concionibus, & spectata virtutis exemplis populum docere, atque idem Templum cum omnibus Juribus, & quibuscunque pertinentijs mobilibus, & immobilibus, quæque à Nobis cedi possunt, liberè, quietè, plenè, & integrè in posterum, ac perpetuis temporibus possidere, iisdemque omnibus absque ullâ exceptione pacificè uti, fruique possint, ac valeant. Et propterea mandamus Universis, & singulis Superioribus, & Inferioribus Officialibus, cæterisque Subditis nostris per Regnum nostrum Bohemiæ ubilibet constitutis, cujuscunque status, gradûs, seu præeminentiæ extiterint. In primis verò Judicibus nostris Regijs, Consulibus, Senatibus, & Reliquis Incolis Trinrbis Pragensis præsentibus, & Futuris, ne supranominatos Fratres Servorum in possessione sæpe di-

C cti Templi ad Sanctum Michaelem, & altarium ad id spectantium pertinentiarum, sive in personis, sive in rebus molestent, nec à quoquam alio super his omnibus turbari, aut quocunque modo molestari permittant; sed potiùs illos juxta hanc nostram Donationem, & Confirmationem nostro nomine efficaciter tueantur, & conservent. Secus sub animadversione, & pœnâ nostrâ gravissimâ nequaquam facturi. In quorum fidem Diploma hoc manu nostrâ subscriptum, sigilli nostri Cæsarei, Regijque appensione communiri jussimus.

Datum in Civitate nostrâ Viennæ vigesimâ octavâ die Mensis Maij, Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, Regnorum

D *nostrorum Romani octavo, Hungarici nono, Bohemici verò Decimo.*

Ferdinandus. *Sdeneo Prin. delobcovien.*
Loco ✠ *Sigilli*
S. R. Bohemiæ Cancellarius.

Cumulavit Augustum hoc donum Imperator Ecclesiæ illi contiguâ Domo formando Cœnobio non incommodâ, cui progressu Temporis alia adhuc, & quidem opportunissima Domus pretio comparata beneficio Cæsaris accessit. Ecclesia autem illa D. Michaelis Archangeli inter cæteras Urbis Paræcias dignitate vix non præcipua ab orthodoxis olim

olim Angelorum Principi nuncupata, ab Hussitis verò per fas, & nefas occupata; haud parum exinde ad impios eorum ritus, & sacrilega contra veram fidem, & legitimum Regem conventicula diutissimè ijsdem conducebat. Hujus enim Ecclesiæ Parocho, nomine Jacobello, cæteroqui Literarum peritiâ, & morum præstantiâ summo apud omnes in pretio operâ Petri Misnensis Hussiticæ sectæ fautoris, suíque Popularis callidè seducto pravâ eorum intelligeariâ, quæ Joannis 6. leguntur: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & ad Communionem sub utráque specie omnibus indiscriminatim ministrandam pertracto, nullo fermè negotio pestifera hæc lues à primariâ D. Michaelis Ecclesiâ procedeos per alias omnes sese in posterum effudit, ac tandiu eas miserè detinuit, quandiù Ecclesiam præfatam D. Michaelis B. Virginis Servi subintrarunt. Intereà Ferdinandus Ordini fovendo, confirmando, amplificando jugiter intentus egregiâ magnificentiâ præfato D. Michaelis Templo veterem addidit apud D. Annunciatam Religionis Sedem, quam à Carolo IV. receperat, cum omnibus juribus, & attinentijs antiquitûs eò spectantibus, quæ ætate illâ cognitione assequi potuerant penes clivum, & arcem Visschtadi. P. verò Softeneo apud Cęsarem agente, ipsúmque pro Servitis inclinante ipsis decernebatur nova Fabrica in Montealbo Civitatis ejusdem Pragensis, quę Victorię monimentum foret inibi adeptę contra rebellium Principem Electorem Fridericum Heidlbergicum, eâ tamen lege, ut Majestati suę non omninò incumberet onus condendi ibidem Cœnobij cum Ecclesiâ, sed ut insigni ex se collato subsidio Principes, & Magnates alij auxiliaribus manibus pręstò forent ad opus egregiè cœptum ad fastigium usque absolvendum. Obtulerat quidem Augustissimus idem Cęsar primitùs unà cum ędificio jam inchoato etiam fundationem Patribus Carmelitis Discalceatis sub tit. S. Marię de Victoriâ voto ad hoc obstrictus, verùm Locum illum non acceptantibus eo se exolvit fundatione in locum, ubi modò dicti Patres Pragę degunt, brevi post pugnam tempore translatâ. Ut autem Montialbo tantę victorię vestigia pius Imperator imprimeret, illi quoque Cœnobio, ac Templo prospectuius territorium proximum, vel saltem bona quędam alia haud paulò longiùs remota eum in finem comparanda in dotem assignare decrevit. Interim non modicè surgebat ędificium Montis albi Magnificum prorsus futurum, prout prima pręseferebant rudimenta, nec Regia Pragensis Camera desuit seduiam operi curam impendens Patre Softeneo pati vigore nervum Fabricę promovente, etiamnum extante Principum illorum albo largam in hoc ædificium stipem præbentium. Verùm ingruentibus perpetim bellis sanctę cogitationes disjectę

Idē Imperator D. Michaelis Templo veterem addit apud D. Annun. Religionis Sedē.

fuerunt, & opus fabricę imperfectum hominum, & Cœli iniurijs expositum deserere coacti fuerunt Servitę, ad Cœnobium D. Michaelis se recipientes, quibus tandem concessum fuit anno 1631., Cœnobium quoque D. Annunciatę in novâ Urbe Pragensi adire, quod fusiùs dicemus ad dictum annum. Hoc autem anno primùm Archangelus Beniveoius per Germaniam Vicarius Generalis visitationem juridicè instituit Oeniponte in Domo Regulari sibi, & Ordini subiectâ. Hujus autem visitationis occasione certa quędam decreta condiderat Archangelus, ut fundationi, & jurium domûs imminentibus jacturis consuleretur, quę statim ac publici juris facta fuere: Suppriorissę tamen invisa semper fuerunt amittendæ libertatis formidine, alijsque de causis, tametsi velut in ipsis sibi maximè complacens simulatę scenę speciem pręseferre non ignoraret. Quod ut meliùs reipsa intelligatur operę pretium arbitror Lectorem pręmonere, quod Suppriorissa ab anno usque 1621., sive tribus à morte Serenissimę Sororis Annę Julianę mensibus re cum aliquot Sororibus collatâ consilium agitare cœpit ab Ordine penitus sese eximendi, ipsi Episcopo Domum Regularem subijciendi, prout reipsâ Reverendissimum Hieronymum Othonem Agricolam Serenissimi Caroli Archiducis, & Episcopi Brixinensis in Spiritualibus Vicarium Generalem, ac deinceps in Episcopatu successorem datis ad eum Literis convénit ipsum rogando, quòd Serenissimi Caroli Archiducis, & Episcopi Brixinensis sui Principis nomine regularem Domum in fidem, & protectionem suam recipere vellet, alienum enim fovebat animum ab Ordinis nostri Fratribus, quinimmò gravi indignatione côcussâ eo etiam tempore, propterea quod, ut ad annum 1624. dictum est, P. Josephus Vicarius Generalis nonnulla à Sororibus illis, ultraquàm par esset, exigere, paulò austeriùs eas habere, & Suppriorissę, quę prima Domum post elatam Serenissimam Suppriorissę nomine regebat, potestatem quoad noxias expensas restringere pararet, accedente potissimùm Ministri cujusdam ipsius Domûs sibi, suóque commodo consulentis incitamento. Laudatissimus verò Otho mentis Religiosissimę Fundatricis non immemor, redditis ad Sorores, & Suppriorissam responsis, quę publicè in domo coram omnibus regularibus perlectę fuere, ingenuè fassus est non sibi, sed Ordini Servorum B.V. deberi, nisi Summi Pontificis contrarius accederet assensus, optimè innuens maximum illas Ordini dedecus temerariâ hujusmodi metamorphosi inusturas: spe suâ hoc modo frustratâ cum Asseclis Suppriorissâ, prędictus Minister studio afferendę Brixinensibus jurisdictionis eò deinde profectus est, cùm certè Brixinensibus talis jurisdictionis usurpandę cupiditas nunquam antea subijsset, ut importunis modis, & sinistris informationibus ab eodem Hieronymo Othone Vicario Lite-

P. Archang. Benivenius Vic. Gener. visitat Oenipōte Domū Regularē.

Suppriorissæ Domus Regul. ab Ord. se eximere, & Episcop. Domum Regularē subijcere curat.

Literas extorserit, quibus Suppriorissę significabatur, Episcopum molestè ferre Sororum in Domo Regulari dissensiones, de quibus certior factus fuerat, quę cùm Episcopalem concernant jurisdictionem, suo muneri deesse non velle pro iisdem componendis. Verùm Literarum hujusmodi ambitu nil prorsus effectum est, quin etiam toto sui tum Vicariatûs, tum Episcopatûs tempore Hieronymus nec minimum jurisdictionis actum in Domo Regulari attentare pręsumpsit, eam ipsam planè ob causam, quam nuper referebam, & quòd re, prout oportet, expensâ attentatam jurisdictionem ratione prorsus destitutam esse satis perspiceret, quod sępissimè cùm in Episcopum evasit suomet Oraculo comprobavit. Recedente verò P. Josepho, & in Italiam abeunte P. Archangelum Beniveniom Regimini suffectum videns Suppriorissa, quę scilicet communibus votis gratulabundę exceperant Sorores, illos statim Ordinis nostri PP. ab eodem, tum pro Confessionibus audiendis, tum pro Concionibus habendis flagitavit; anno demum sequente nimirùm 1625. congregatis capitulariter omnibus Sororibus talia edixisse fertur: Meditatam se quidem fuisse, & animo secum statuisse aliquando, Domum Regularem Episcopo subdere, sed cum negotium hoc Romę prius ventilandum magnis indigeat sumptibus in eâ se esse sententiâ, quòd opportunius omnibus erit, si sub Ordinis jurisdictione perseverent. Propositioni huic ęquissimę omnes penitus Sorores quamlibentissimè annuerunt adhuc etiam illę, quę parti adhęserant adversę; quę sanè omnium sententia luculentis deinceps se prodidit argumentis cum ipsę turbarum pręcedentium motrices, tanquam legitimum suum exindè recognoscentes Ordinis nostri Superiorem cum reliquis, quę ipsi semper adhęserant, in pacis fœdera ultrò coierint, & subjectionem cum Diœcesano inrenipetitivè attentatam aversarentur; quamobrem sibi quisque facillimè suadebat, nec ullum ulteriùs in hac re tumultum excitandum, & omnes Sorores animo undequaque composito sub Ordinis jurisdictione perpetuò perseveraturas. Verùm quia tumultuum hujusmodi semina sopita quidem erant, non autem extincta, ideò prędictâ visitatione accedente vulnus iterum recruduit, & veteres tumultûs iterum emersere. Nam Suppriorissa graviter, uti dicebam, commota propter prędicta Decreta, quatuot ferè mensibus à visitatione adhuc ipsis obtemperare detrectabat, quin potiùs prodiga nimis facultates, vel maximè in Ministrum prędictum effundebat. Quod ipse advertens, & ideò eam graviter offensam cognoscens, opportunitatem adesse ratus veteres prosequendi adversus Ordinem molitiones nil intentatum reliquit quoad fraudulentis subornationibus, & iniquis querelis excitatus Reverendissimus Daniel Hieronymi in Episcopatu Successor Joannem Mayr Oenipontanum Parochum, ac Decanum ad Sorores interrogandas decrevit, cuinam illæ subjectas se dictitarent, & crederent, ejus enim esse tanquam Episcopi sibi concreditas oves exactè cugnoscere. Verùm nil exinde consequutus est neque Daniel, neque Minister; Joannes enim à duobus nostris Fratribus de hac re certioribus factis seriò præmonitus fuit, ne quid tentaret, quod turbis excitandis accommodatum esset, quo in suum sibi caput gravia incommoda pararet. Eo igitur negotium hoc intermittente, non ideò cessarunt consequentibus annis hujusmodi turbarum auctores plura, eáque indigna, moliri, quæ tum Sorores, tum Fratres summâ animi molestiâ affectus diutissimè vexarunt, de quibus singillatim, & juxta temporum seriem consultius arbitror differere ad annum 1646., quo controversia penitus omnis post varias & Ordini maximè incommodas vicissitudines cessavit. Cùm hæc Oeniponte agerentur Ordini nostro perquàm molesta, quia turbarum hujusmodi in causâ non erant, Deiparæ Servi ibidem degentes, qui potiùs ad eas componendas pro libertate Ordinis asserendâ viriliter incumbebant, Deipara ipsa singularis verè Patrona ipsis minimè deerat, sed sicuti in re propositâ feliciter aliquando consummanda præstò jugiter erat, ita & alibi Ordini verè suo illustrando, & amplificando animum adijciebat, tum maximè cùm aliqui humanis tantummodò freti rationibus imminuendum fore ob turbas præfatas vererentur, nam in Coloniensi Ditione prope Bonnam in Monte S. Crucis prodigij celeberrimæ paulatim ab ipsâ per Serenissimum, ac Reverendissimum Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem, & Electorem adornatur Ordini nostro Ecclesia, & amplissimum Cœnobium, quod licèt nonnisi anno 1636. traditum eidem fuerit, nihil ominus de hac Ecclesiâ modò agendum est, quia hoc anno primus ejusdem ponitur lapis. Itaque actionem hanc ponendi primum lapidem pro dignitate explicaturus, præmittenda omnino arbitror, quæ Serenissimum Electorem ad hanc Fabricam excitandam incitarint. Sciendum igitur est, quòd ab Urbe Bonnâ, quæ est Archiepiscoporum Coloniensium sedes, quatuor Leucis Coloniâ distans, dicta primitùs Verona, circa quam olim ab Ubiis cultam Romanæ Legiones castra posuere, quam alluit Rhenus, quæque Drusum Conditorem jactat, qui eam ærate suâ cum alterâ Rheni Ripâ medio Ponte coniunxit, in peramœno loco sita, & quaquaversum Vineis, Pratis, Agris, & rivulis irrigationi valde opportunis abundante. Ab Urbe, inquam, Bonnâ meridiem versus mediâ ferè horulâ mons exurgit minimè præruptus, sed accilvis, ad cujus calcem tres se offerunt Pagi spectabiles, ad Orientem Pagus Popelsdorff Montem ex Urbe conscensuris transeundus; Ad Aquilonem Pagus Endenich Coloniensibus eodem evasuris objectus; ad Occidentem denique Pagus

Sorores Domûs Regul. sub Ord. jurisdictione perseverare decernunt.

Suppriorissa resistentia in hac Sororum determinatione.

Prope Bonnam à Serenissimo Electore Coloniensium excitatur Eccl. & quæ ipsius animum ad hanc erigêdâ incitaverint, describuntur.

Montis S. Crucis descriptio.

Pagus Lengsdorff. Montis autem apex planitiem habet latitudine suâ ad centum circiter passus excurrentem, longitudo ad proximum usque nemus meridiem versus mediâ horâ protenditur. Discernitur hic Mons à cęteris, qui solem respiciunt, vel Orientem, vel Occidentem, quibusdam fœcundis ęquè ac amœnis, & rivulorum pisces fovenrium copiâ divitibus Vallibus, qui Pratis irrigandis, & alijs necessitatibus opportunè deservìunt. Altitudo prętereà loci ea est, ut ex illo ad complura milliaria pareat prospectus; quę sanè omnia tantam Monti amœnitatem conferunt, ac prǽsertim quòd non satis arduo adeatur gressu, ut facili operâ sibi circumfusas gentes ad se pelliciat. Hic Mons ad Dominum Prępositum Bonnensem spectat, qui dum Ordini nostro locus iste accessit, erat Illustrissimus Princeps Franciscus Gulielmus Osnabrugensis, Mindensis, & Verdensis Episcopus, Comes de VVartemberg heroico Boiorum Ducum sanguine oriundus. Locum hunc nihil prosectò ęquè commendat, quàm Statua quędam è lapide ad Montis crepidinem prope Pagum Endenich eodem planè loco posita, quo olim celeberrimi Martyres Cassius, & Florentius pro fide catholicâ proprio sanguine contestatâ, impiorum manibus cecidere, seduli deinceps apud Deum adiectę Ditionis futuri Patroni, maximè verò commendat S. Ædes pervetusta ab immemorabili tempore Sanctę Cruci in ipsâ Montis planitie, quâ respicit meridiem olim constructa. Conditor certus hujus Ædis non proditur; adhuc tamen quorundam Senatorum Bonnensium visuntur Insignia, ex quibus conijcere licet pio horum, & aliorum ęre conditam fuisse. Quaquaversum rumor semper percrebuit Ædem hanc magnâ olim religione cultam, & populorum concursu celeberrimam fuisse, quod comprobant, que etiamnum adsunt varię per viam pilę lapidez, quę Bonnâ huc euntibus Christiana mysteria pulcherrimo ordine dispofita objiciunt, anno deinde 1618. reparatę. Utique pietate hac in Dei, suęque Crucis cultum paulatim depereunte, & hominum è contra invalescente malitiâ Loci quoque Religio deperijt, quo factum est, ut non solùm frequentior intermitteretur accessus, verùm etiam vix tot fierent oblationes, quot conservandę fabricę satis essent, injuriâ quoque temporum eas non mediocriter pręscribente, ideóque Sacrarium illud longâ annorum serie maximâ semper veneratione cultum subtractis facultatum necessariarum medijs primò rimas agere, deindè apertam minitrari ruinam, ac demum, prout motis est, omninò negligi cœpit. Interim Svecorum Rex Gustavus torius Romanorum Orthodoxi Imperij flagellum Protestantium Principum sollicitationibus in spem prędę Imperialis allectus omnia sursdeque vertere, Sacris profana miscere, ignibus tumulare Urbes, & exectandâ tyrannide in Imperium desęvire ag-

S. Crucis in hoc Mõte Religio.

Huius S. Crucis cultus negligitur

Gustavi Svecorũ Regis immanitas.

E gressus est, quod suum ubique scelus Deo permittente propemodum impune circumferret. In hoc fatali rerum Imperialium tumultu, & ruinâ vix non supremâ exulans ubique ab hoc Crucis Sacratio Avita Religio, genium tamen suum, quem in pectore Serenissimi Coloniensis sibi semper constanris tanquam in Sede validissimâ semel recepta fixit, semper deinceps exeruit, & prodidit. Religiosissimus enim Ferdinandus, utpote honori numinis, ac Deiparę sub Cruce Doloribus transfixę addictissimus, impendentium hujusmodi malorum mole haud temerè perterritus nil magis in votis habuit, quàm collapsam versus triumphale Sanctę Crucis Signum pietatem in suis subditis postliminio restituere, &
F hoc verè terribili signo triumphum de hostibus agere, optimè ita facturum se ratus, si humanis auxilijs adeò infirmis Divina longè firmiora coniungeret. Igitur ad Sacratissimam Crucem anhelans, eam hostibus, tanquam murum firmissimum validè, & opportunè obiecit spe suâ nunquam deinceps frustratus. Quare prędictum S. Crucis Sacellum innovare pariter, & instaurare decrevit, ut inde restaurata S. Crucis memoria novos in subditis pietatis ardores excitaret. Quoniam verò eò angustię cesserat Sacellum hoc, quia propter Injuriam temporum magnâ sui parte dilectum, ut vix centum caperet homines, ad saniora consilia post varias animadversiones deveniens, novum omninò in ejusdem salutiferę Crucis honorem è solo excitare de-
G crevit, quo non solùm optatissimę Peregrinantium frequentię, quam veteris angustia excluserat, optimè consuleretur, verùm etiam hac ipsâ novitate pristinę Religioni tedùcendę aptissimâ plures eò allicerentur. Consilium hoc unanimi consensu approbantibus prǽfato Bonnensi Pręposito, & Fundi Domino, cujus virtuti Serenissimus Elector plurimùm semper fidebat, & pręcęteris deferebat; necnon cęteris Aulicis, ac denique reliquis omnibus, quibus innotuit statim ac in vulgus emanavit, quinimmò pre gaudio exilientibus, & Serenissimo Electori faustissima precantibus, operi nullâ interpositâ morâ Serenissimus prǽfatus manum admovit. Quam-
H obrem de loco statuendo, in quo construendum esset Sacellum, consilio inito antiquum diruere, & annosam Crucis memoriam evertere minimè probabat. Verùm nec adeò facilè erat locum alium ibidem commodum adinvenire. Itaque relictâ in monumentum rei primâ S. Crucis Æde, novam in mediâ, & supremâ Montis planitie ipsi placuerat ordiri; quâ de re fabricę fit protinus designatio, quę Crucis formam teneret, tribus Altaribus ad frontem, & bina brachia destinatis, necnon Sacrę supellectilis conditorio; effoditur terra, effossa in tumulum componitur, tumulóque Crux sequuturę fabricę, principisque Aię signum desigitur, unde nil aliud decernendum superetat, quàm certa dies, quâ pri-

ma

Serenissimus Elector cultum S. Cruci restituere meditatur.

Designatur nova Ecclesia

ma jacienda essent fundamenta. Egestâ igitur terrâ, Serenissimus ædificio felix auspicaturus initium cum magno, & illustri comitatu Montem conscendebat; Interim verò aliqui diversum quid à primo consilio suadentes mutandæ mentis Serenissimo auctores fuere, quos inter primas tenebat prædictus Illustrissimus Princeps Osnaburgensis, cui, uti dictum est, plurimum deferebat Serenissimus Elector. Itaque morem illis gerere consultum arbitratus Serenissimus loco illo, quem prius animo conceperat, posthabito, ad alium se contulit, quem alij proposuere, ubi amœnioris prospectus, cæterarumque commoditatum perspectâ copiâ, & ipse lubens acquievit, mirabili subinde eventu in hac sententiâ confirmatus, quod scilicet Sonipes, quo ab uno loco ad alterum vehebatur Elector, in hoc posteriori rectâ pertinaciter subsistens, ubi nunc surgit Ara maxima, terram anterioribus pedibus effodere, tandiu satageret, quoad factâ ad palmum altâ foveâ ejus ungula subiret. Mirari hoc universi cœpere, vel ipse Princeps pertinacem Sonipedis laborem, qui nullâ vi propelli poterat, ingenuè fassus id nunquam aliàs antea sibi accidisse; itaque omine hoc perculsus, & confirmatus operarios illuc pro fodiendis fundamentis advocari præcepit. Accessit & aliud prodigium, quo sua magis est afferta Religio; cùm enim ab Electore formam præscribere pro ædificio æqualis cum priore Sacello amplitudinis futuram juberetur iterum Architectus, idque pro Imperantis auctoritate sedulò attenderet Architectus, mirabiliter tamen evénit, ut post tertiam quoque per omnia primæ conformem designationem, nihilominus propositâ, & descripta Sacelli capacitas haud parum, & verè ad justam Templi proportionem excresceret præter, seu potiùs contra designantis ipsius intentionem, ut ipse Serenissimus in Architectum sæpius inveheretur eum de nimiâ loci amplitudine obiurgando, quòd scilicet non Templum, sed Sacellum duntaxat moliri secum statuisset: Cui architectus demississimè se excusans sanctam prætendebat ignorantiam, neque sibi constare undenam incrementum illud iteratis vicibus supervenisset, id procul dubio altioris indaginis esse. Quapropter Serenissimus rem tacitâ, & seriâ æstimatione perpendens, & ipse nil aliud voluit, quàm quod Divinitùs hisce prodigijs edocebatur, ac proinde decrevit priori consilio prudenter immutato Ecclesiam ibidem ædificandam esse in eâ prorsus capacitate, quâ primitùs descripta fuerat, & etiamnum visitur, remanente solummodò pristino situ in Crucis modum formato, quæ omnia Serenissimus Elector magno animi sui sensu semel & iterum nostris Patribus enarravit, sicuti nec Architecto integrum fuit apud eosdem prodigium hoc subticere. Dum igitur jussa Principis in opus deducuntur, & fundamenta in Ecclesiæ fabricam aperiuntur, præstitutâ

Mirabile eventu Ecclesiæ fundamenta fodiuntur

Prodigium in Ecclesiæ designatione.

Sacratissimæ Crucis inventæ die, tertiâ videA licet Maij, Serenissimus Elector maximâ Aulicorum, & Procerum coronâ primum lapidem positurus Bonnâ Montem conscendit, quem ingens hominum multitudo tum Principis jussu, tum exemplo incitata insequebatur, qui omnes unanimi consensu sacras preces uno ore cantantes, Deum, ejusque Virginem Matrem exorabant utrumque in vota vocantes, prout & propria quemvis urgens necessitas monebat, & Principis, & Patriæ Salus, & Imperij incolumitas postulare videbatur. Gratissimum profectò auribus, & oculis spectaculum tot sacras videre legiones suis sacris signis distinctas monti imminentes, quæ, sicut castrorum acies ordinata, subiectam percurrebant planitiem, ac tantæ circumiacentis B Populi lætitiæ ipsum favebat Cœlum mirâ clementiâ aeris arridens. Insignis verò Religiosi hujus tripudij, & potissima pars, imo solemnitatis hujus caput erat Serenissimus ipse Elector, qui postquam Sacerdotes ad aram sub dio erectam sacrificium absolverunt; mox primo lapide sacris ritibus initiato, & in fundamentum à se posito Ecclesiam S. Cruci designari fecit. Quod nobile exemplum imitati, prout par erat, Illustrissimus Princeps Osnaburgensis, & Magnates alij manum operi admoverunt, & beneficentiam suam aliquot millium Florenorum collatâ stipe alacriter ostenderunt, seque in posterum facultatibus suis ampliùs adfuturos liberaliter spoponderunt; quibus ex sententiâ peractis ad aulam C regressus est Elector. Sciendum denique est, quòd cùm titulus à Serenissimo Ecclesiæ præscriptus sacratissima esset Servatoris nostri Crux, Aræ principi proinde affixa, congruum fuit, quòd mæstissima Domini Mater lachrymis obortis eidem Cruci assideret, saluberrimum exinde toti mundo fructum in gremio colligens, & lachrymis uberrimè humectans, quam sanè ibidem exhibet in hanc rem aptissima Imago. Reliquæ Aræ Sanctis speciatim nuncupatæ fuere, qui in quotidianis Regionis illius necessitatibus invocandi præ cæteris videbantur; una quidem ad dextrum Ecclesiæ latus DD. Sebastiano, & Rocho; altera è regione sinistri lateris DD. Carolo Borromæo S.R.E. Cardinali Mediolanensium D Archiepiscopo, & Bennoni Hermundurorum Episcopo; cùm enim olim quoque atrox pestilentia per diversi status, ordinisque capita sæpius grassaretur, paucis urique Pagis intermissis, imo nec Electorali sede præteritâ, quam graviter infestabat, è re visum Serenissimo fuit, non tam amovendo in præsentiarum, quàm etiam deinceps arcendo tam grandi malo certos post Mariam Virginem è Sanctis Cœlitibus illos præeligere, quorum invocatio, Deo sic inspirante, simili peste afflatis, vel ejus formidine pressis medelam ferret, aut securitatem. Neque verò spe suâ cecidit optimus Elector, ex quo à tempore illo deinceps per plurimos annos saltem contagiosa

Serenissimus Elector solemni pompâ primum propriis manibus ponit lapidẽ.

Describuntur Altaria, & dedicantur Sanctis Patronis, qui in pestiferâ lue medelã, aut securitatẽ afferre solent.

Horum Sancto rum munificum Patrocinium.

giosa lues, quæ antea Bonnam fubiens, ferenissimum ipsum cum totâ Aulâ non femel inde expulit, vel nullatenus Urbem fubijt, vel tantummodò libavit, quod fanè acceptum refertur Sanctis hifce Patronis, quorum curæ Provincia hæc à Sereniffimo Archiepifcopo Aris ad S.Crucem pofitis piè eft demandata. Idem teftantur beneficium fibi exinde datum ufque hodie alii, & quidem innumeri, qui fupplicantium ritu fingulis annis redeuntes tum de proximo, tum è remotioribus locis fæpefæpiùs teferunt peftem à fe vel exulafse, vel brevi depulfam efse; quod cùm Sanctis prædictis tribuendum certiffimè credant, liberali pro offerentium ftatu collatâ ftipe ipfi S. Crucis Ecclefiæ luculentiffimè demonftrant. Quæ veluti præfentiens Sereniffimus Elector, priorum etiam prodigiorum Religione plurimùm incitatus ampliffimum Ecclefiæ opus adeò curavit, ut per fingulas hebdomadas pluries eò contenderet largâ quoque manu, ut Operarios magis in dies, ac magis excitaret, ac reverà plura licèt obftacula, vel ex inferis per mulierculas quafdam malefeciatas, confuetudinem cum Dœmonibus habentes, turbines modò excitando, quibus abfterriti Operarij recedere ab opere non raro cogebantur, & Aquilonaris partis faftigium lapideâ Cruce jam infignitum unâ cum ponte fublicio, per quem deferebantur onera, vento enormiter ex increbefcente in proximam fylvulam dejectum fuit, impunè quidem, & fine ullius hominis noxâ, vel graviori ftructuræ detrimento, quin etiam æris campani clava centum libras gravis integro retinaculi corio, integris quoque utriufque Campanæ fcilicet, & clavæ anfis profiliens, & ante Electoris pedes ftupendo cafu procumbens, Deo proculdubio Serenifsimum fervante opus hoc deturbare tentarent; nibilominus fabrica feliciter furgebat, & unius anni fpatio ad faftigium perducta fuit, 5. Nonas Maij anno fequenti 1618. folemni ritu proindè confecrata. Minimè verò mirum, quod Dœmones tot, ac tanta molirentur, quæ Templo huic excitando impedimento forent, fui enim excidium exinde futurum verebantur, quemadmodum ftryges torturis fubactæ veritatem eandem de fubruendâ fabricâ fæpiùs conteftatæ funt plus utique aufuræ, nifi Cœlum obftitiffet. Ipfi quoque Operarij in vulgus jugiter jactabant, quòd cùm non procul ab Ecclefiâ Tugurium opere tumultuario ex afseribus compofitum incolerent, ut operi proximiores efsent, & expeditiores, & à pluvio Cœlo noctu per quietem defenderentur fæpè numero primâ noctis vigiliâ, priufquam in fomnum dilaberentur, varios malleorum ictus, & per tabulata furfdeque gradientium fonitus acceperant, adeòut tumoris hujus caufam indagaturi non femel procurrerint, fed neminem unquam deprehenderint; ex quo Dœmones efse turbarum hujufmodi auctores fibi fuadebant, operi impediendo intentos; verùm fibi

Poft varia Dœmonum obftacula perficitur Ecclefia, & folemniter cõfetratur.

E malè confuluere Dœmones, actum enim ipfi egerunt, præfertim verò cum Operarij ipfi teftati fuerint deprehenfum poft hujufmodi Dœmonum molimina longè majus altero die, quàm pridie reliquerant, fabricæ incrementum; quod fanè nonnifi tutelaribus Angelis tribuendum putabant, qui fefe Dœmonibus opponentes fanctum illud ædificium Divinitùs promovebant. Dedicationem Ecclefiæ, & cætera ad Ecclefiam hanc fpectantia confequentibus annis præftita, alibi oppottuniùs arbitror referre.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

F *Omnia, & fingula in hoc Cap. contenta narrat Auguft. Romer lib. Servitus Mariana lib. 5. cap. 11. lib. 7. cap. 3. 4., & 5. & alibi.*

S. Georgij Eremus in Diæcefi Lunenfi Sacra Montis Senarij Eremo unitur. CAP. XIII.

De Unione Patrum Eremitarum S. Georgij in Diæcefi Lunenfi Sarzanen. degentium cum Patribus Eremum Montis Senarij colentibus, quæ hoc anno completa fuit, pro rei dignitate acturus, repetendam altiùs duxi ejufdem Eremi originem, & fundationem. Sciendum itaque eft, quòd Matthæus Philippus Caldani nobilis Veronenfis ab anno ufque 1604. vitam ducG te ex animo cupiens Eremiticam, Oratorium quoddam deprehendit D. Georgio Martyri dicatum fuper altifsimo, & fermè inaccesfibili jugo in præfata Diæcefi locatum, fuo confilio maximè accommodatum. Eò fe recipiendi defiderium Afcanio cuidam de Profperis de Monzono Notatio amicifsimo fuo per literas Veronæ datas fignificavit, & ad hoc affequendum opem ejus imploravit, fub inde Patriam repetens. Itaque Afcanij hujus operâ, & ftudio Lunenfis Sarzanenfis Epifcopus Joannes Baptifta Salvagus interiùs quoque fpiritu Divino excitatus quàmlibentifsimè Oratorium prædictum eidem concefsit, fuamque in omnibus operam promifit, quæ ad ejus animi propofitum compiendum opportuna viderentur, collatâ ipfi folemni fuâ Benedictione. Certior factus de hujufmodi affenfu, Matthæus Philippus Veronâ protinus recedens Habitu quodam Eremitico more confueto coloris cærulei afpero, hirfuto ex panno Dalmatino, Lignanum fe contulit in finibus Veronæ, ubi per facram exomologefin à peccatis abfolutus, & Sanctifsimâ Euchariftiâ refectus, habitum præfatum ab illius Oppidi Parocho folemni ritu benedictum hilari animo induit, & brevi itinere completo die 20. Augufti ejufdem anni 1604. ad Oratorium S. Georgij prædictum pervenit. Statim verò Reverendiffimum præfatum Epifcopum per Literas certiorem fecit de fuo adventu

Eremus S.Georgij unitur Eremo Mõtis Senarij.

ventu, gratias insupet ipsi agens, quòd Oratorium illud dono ei dederit, eidemque obedientiam vovens, ac stabiliratem; ad quem Reverendissimus Episcopus Epistolam, quæ sequitur, misit.

Magnifico nostro Carissimo.

NOn senza molta ragione devo sentir piacere della santa risoluzione vostra di star costì nel luogo di S.Giorgio, e non solo resto contentissimo d'avervelo consentito, ma avrò molto caro, che perseveriate a starvi lungamente, perchè essendovi allontanato dalle vanità di questo Mondo, e applicatovi al Servizio di Dio, posso sperare, che per bontà vostra, e per acquistar maggior merito a voi stesso, oltre i prieghi, che farete in genere per tutti i Fedeli Cristiani, dovrate anco à me, che particolarmente vi amo, communicare in particolare qualche parte delle vostre Orazioni. In questa maniera vi prego ad avermi in memoria; che io all'incontro pregherò Dio benedetto, che vi benedica sempre, e vi presti forze da poter seguitare la buona vocazione, alla quale S D.M. v' hà chiamato, e di cuore mi vi raccomando.

Episc. Sarzanen. concedit Eremū S. Georgij Matthæo Philippo Caldani

Di Sarzana li 27. Agosto 1604.

Per farvi piacere
Il Vescovo di Sarzana.

Hac Epistolâ acceptâ longè vehementiùs inflammatus Matthæus Philippus, qui Eremitico indutus habitu Joannes Maria nominari cœpit, ibi statim insignem opem ferentibus finitimis Populis pagum *Ajola* dictum incolentibus, necnon aliis Deo maximè acceptis hominibus restaurandum assumpsit Oratorium, & Altare, ut Divinis Officiis celebrandis accommodata forent, quippe quæ antea diruta forent, ac juxta subinde cellulam, quam Ipse coleret, ædificandam. Quæ cùm completentur, speciatim verò vetus Altare, utpote ineptum, demoliretur, Reliquias quasdam inibi reperit Joannes Maria; quæ cùm adhuc compertum non esset, cujus essent, jussu ejusdem Episcopi quem consuluerat per Literas sub datum die 24. Decembris anni præfati 1604. expresso, in vase quodam decentet repositæ fuere, quatenus verosimillimum unà cum Episcopo cæteri ducerent, quòd Reliquiæ essent Sanctorum. His omnibus absolutis Joannes Maria ab eodem Episcopo, cui maximè acceptus erat, veluti Filius, prout ex Literis constat ad ipsum Joannem datis Sarzanæ die 27. Augusti anni præfati 1604. copiam in scriptis authenticam habuit die 22. Novembris expeditam Sacerdotes eò convocandi, qui in Oratorio prædicto Sacrum pro libito operarentur.

Indultū pro Sacerdote admittendo ad celebrādā Miss.

GIovanni Battista Salvago Vescovo di Luni, e Sarzana, e Conte, concediamo licenza all' Eremita Giovanni Maria Veronese, abitante nel luogo di S. Giorgio sopra Aiola nostra Diocesi, che possa far celebrar Messa, quando li

A *piacerà nella Chiesa di detto Luogo di S. Giorgio, e che si possa valere dell' Altare portatile per picciolezza proibito alla Chiesa d' Aiola insin a tanto, che se ne possa avere un maggiore. Dando, e concedendo di più licenza, e facoltà al Rettore d' Aiola, che possa benedire l' Ancona fatta di nuovo per detta Chiesa di S. Giorgio.*

Di Sarzana nel nostro Palazzo Vescovale questo dì 22. Novembre 1604.

Gio: Battista Vescovo, e Conte.

Anno proximè sequenti 1605. Mense Martio Crux lignea super monte quodam, qui dicitur *Bastia*, imposita fuit tanquam Eremi index, specialisque Character. Quoniam verò
B tribus aliis Cellulis pro usu Eremitarum constructis finitimi Populi eleemosynas, atque subsidia, quæ jugiter ipsi erogabant, in utilitatem, & decus Ecclesiæ cedere animadvertebant, majori semper veneratione ducti longè liberaliùs erga eandem sese gerebant; hinc factum est, quòd Ecclesiæ Ajolæ Rector contendere cœpit, ut ad ipsum pertinerent eleemosynæ, & oblationes Ecclesiæ S. Georgij exhibitæ, quippe quæ intra Parochiæ limites contineretur, sed contentionem hanc brevi compescuit Episcopus, qui de rei veritate certior factus Vicario suo Generali mandavit, ut literas terminatorias, quæ proximè sequuntur, ad P. Joannem Mariam expediret.

C *Reverendo Padre.*

INformato Monsignor nostro Reverendissimo delle sue buone qualità, e restauramento fatto da Lei nella Chiesa, o Oratorio campestre di S. Giorgio sopra Aiola, che s' hà eletto per sua stanza con licenza del predetto Monsignor Reverendissimo, e della diligenza, che di continuo usa in bonificare esso luogo con molta edificazione di quei Popoli circonvicini; e acciò possi condurre ad effetto tal suo proponimento si contenta S. S. Reverendissima, e in vigore delle presenti le concede licenza, che dell' offerte, ed elemosine esposte da' Fedeli à quel luogo, possa dispensarle, e distribuirle Lei istessa in quel modo, che le parrà in utile di detto luogo, e in onor del culto Divino, proibendo a chi si sia di
D *non doversi impedire in cosa alcuna per conto di detto luogo, nè delle oblazioni, che son fatte in esso. Che il Signore sij con Lei.*

Episc. licentiā concedit recipiēdi eleemosynas

Di Sarzana il dì 14. Aprile 1605.

Come Fratello
Aurelio Vicario Generale.

Reverendissimus D. Episcopus Eremi huius incremento, Divinoque cultui fovendo magis semper, ac magis addictus, animadvertens Eremum ipsam Sacerdote destitutam adhuc esse, Deodatum quendam Sacerdotem Eremitam è Diœcesi Lemovicensis Provinciæ Tolosanæ in Galliis ad se cum Literis testi-

Deodatū Presbyterū ad Eccl. S. Georgij trāsmittit.

monialibus de Presbyteratu, & Eremiticâ Professione accedentem, illuc transmisit ad Patrem Joannem Mariam, ut ipsum sibi in consortium admitteret, si mutuò in eodem vivendi genere convenirent, & copiam haberet Missę quotidie inibi celebrandæ, prout constat ex his Literis ad eundem Ioannem Mariam ab Episcopo præfato humanissimè datis Sarzanæ 17. Septembris 1606.

Eremita nostro carissimo

IL presente Latore F. Deodato della Diocesi di Lemovico della Provincia di Tolosa nel Regno di Francia, e per quanto aviamo potuto conoscere dalle Lettere testimoniali, che porta seco, Eremita, e Sacerdote, e ci è paruto molto à proposito per cotesto vostro luogo, dove avete bisogno di Sacerdote, che celebri Messa; mentre possiate aiutarvi insieme. Però potrete trattar con lui, e vedere quello, che si può fare, che tutto sia a gloria del Signore, da cui vi prego la benedizione, e la sua Santissima grazia.

Di Sarzana li 17. Settembre 1606.

Il Vescovo di Sarzana.

Quem sanè Deodatum Joannes Maria quàm libentissimè amplexus est, & unà cum eo varias Sanctorum Reliquias Deodato ipsi à Clemente VIII. Pontifice maximo collatas, quod ex Bullâ autenthicâ constabat Deodato concessâ, quam Joannes idem Maria proprijs oculis conspexit. Prætereà idem Reverendissimus Dominus Grati in Germaniam proximè transmigraturus ibidem Nuncius Apostolicus designatus, priusquam è Diœcesi recederet, Joanni Mariæ Eremi Rectori, cæterisque Eremitis succedente temporum serie ibi futuris Locum illum liberè donavit, ipsumque, & ipsos in possessionem perpetuò immisit, prout fusè constat ex Bullâ ipsâ Resignationis, quæ proximè sequitur.

Joannes Baptista Salvagni Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Lunensis, Sarzanensis Episcopus, & Comes.

Dilecto Nobis Eremitæ Joanni Mariæ de Caldanis Veronensi salutem.

QUoniam à nonnullis fide dignis recepimus testimonium de moribus, & integritate tuis, & à temetipso etiam audivimus velle perpetuò Deo famulari, & vitam Eremitariam, prout jam cœpisti, ducere, & propterea te recepisse longè à conversatione hominum ad quandam Ecclesiolam campestrem sub titulo S. Georgij Jurisdictionis Ajolæ, Capitaneatûs Fivizani dictæ nostræ Diœcesis, ibique multa pia opera facere cum satisfactione convicinorum, & omnium de te notitiam habentium, ut alacriori animo in dictâ tuâ deliberatione, & proposito continuare valeas in augmentum Fidei Catholicæ, & Populi devotionem Tibi antedicto Eremitæ Joanni Mariæ Caldano nuper à Nobis ad Ordinem Subdiaconatûs ad titulum paupertatis pro-

Locum prædictum P. Joanni Mariæ donat.

moto, tenore præsentium concedimus, &
E *assignamus dictum Locum S. Georgij in Ecclesiolâ prædictâ, in quo, & super quo volumus à nemine, præterquam à Nobis, & successoribus nostris, in eventum inobedientiæ, & incorrectionis quavis de causâ, molestari posse, aut debere, cum facultate ibidem standi, permanendi, in dictum locum ex eleemosynis piorum proven., & recolligend. ob amorem Dei fabricandi, & reducendi ad usum, & habitationem Eremitarum. Et apud te, & in domo prædictâ recipiendi, & retinendi usque ad alios quatuor, qui sint bonæ conditionis, & famæ, & cupiant eamdemmet vitam ducere, & servare, à Nobis tamen approbandos; & volumus dictum locum Tibi, ut supra, assignatum perpetuò remanere pro usu, & habitatione Tui, & successorum Tuorum, recepto à*
F *te juramento, tactis &c., ac ab Eremitâ Deodato à S. Georgio Lemovicensis Diœcesis Sacerdote, uno ex quatuor à Te eligendis, electo in Manibus nostris fidelitatis, & obedientiæ solito &c. Quod etiam præstare debebunt alij eligendi, ut supra. In fidem &c.*

Datum Sarzanæ in Episcopali Palatio die 25. Septembris 1606. præsentibus Reverendo Presbytero Cosmo Testâ de , & D. Francisco da Verzelli Testibus.

Ioannes Baptista Episcopus, & Comes.

Petrus Antonius Cortile Cam.

Denique leges quædam hoc anno 1606. conditæ fuere pro laudabili Eremitarum,
G Eremi, & Ecclesiæ regimine, ac die 23. Decembris à Reverendissimo Domino Episcopo confirmatæ.

Cum à Reverendissimo D. Episcopo amplissimam præfatam investituram recepisset P. Joannes Maria anno proximè sequęti 1607. in actualem Loci S. Georgij possessionem immissum fuisse constat è sequentibus Literis.

Aurelius de Federicis J. U. D. Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Lunensis, Sarzanensis Vicarius Generalis.

UNiversis, & singulis Rectoribus, Plebanis, & alijs Presbyteris Lunensis, Sarzanensis Diœcesis tenore præsentium committi-
H *mus, & mandamus, quatenus quotiescunque fueritis requisiti à Reverendo Joanne Mariâ de Caldanis Veronense Eremitâ, ipsum Reverendum Joannem Mariam imponatis, & inducatis in actualem, & corporalem possessionem Ecclesiolæ campestris sub titulo S. Georgij Jurisdictionis Aiolæ, Capitaneatûs Fivizani dictæ nostrę Lunensis, Sarzanensis Diœcesis cum loco prope, & contiguo dictæ Ecclesiolæ alias usque de anno 1606. assignato per præfatum Illustrissimum, & Reverendissimum D. Episcopum dicto Eremitæ Joanni Mariæ, prout apparet per literas patentes prædictis Illustrissimi, & Reverendissimi D. Episcopi, & inductum manu teneatis, amoto exinde quolibet detentore, &c.*

Immittitur in possessionē prædicti Loci P. Joannes Mariæ.

Datum

Datum Sarzanæ ex Episcopali Palatio die 27. Febrarij 1607.
Aurelius Federicus Vicarius.
Hieronymus Imanas Notarius.

Post hæc Capitanei Partis in Civitate Florentinâ facultatem, & ipsi impartiuntur prædicto Joanni Mariæ, ejusque Procuratori locum præfatum S. Georgij recipiendi, quemadmodum apparet ex literis ab eodem Magistratu expeditis, quæ sunt tenoris sequentis.

Capitanei Partis Flor. fitum donant.

DAssi licenza al R. P. F. Giovanni Maria Caldani Veronese, Eremita, o a suo Procuratore di pigliare il possesso della Chiesa di S. Giorgio, Giurisdizione d'Aiola, Capitanatu di Fivizano, e Diocesi di Sarzana, in virtù di Lettere patenti della concessione fattagliene ad effetto di ridurre detto luogo à uso, e abitazione d'Eremiti, dall'Illustrissimo, e Reverendissimo Monsignor Vescovo di Luni, e Sarzana, come largamente in dette Lettere si contiene. E questo, caso che detta Chiesa non sia Patronato di Laici, e in quella non pretenda, o abbia interesse il Publico, o Commune; nella cui giurisdizione, e Territorio è posta, e salva sempre, e riservata detta Giurisdizione. E la presente abbia effetto ogni volta, e quando sarà sottoscritta dallo Scrivano de' Censi, de Capitani di Parte.

Dato in Firenze il dì 12. Marzo 1606.
Paolo Vinta primo Auditore, e Segretario di S. A.
Donzzo Lippi Scrivano de' Censi, e Rogatore de' Signori Capitani di Parte della Città di Firenze di mano propria sottoscrisse detto dì alla parte.
Giuseppe Barni Cancelliere de Mandato.

His habitis prædictus P. Joannes Maria in actualem possessionem immissus fuit, prout liquet ex proximè sequenti contractu.

In Dei nomine Amen, anno ejusdem 1607. Indictione quintâ, die verò 30. Martij Paulo V. Summo Pontifice, & Serenissimo Ferdinando Medices Etruriæ Magno Duce.

PAteat qualiter constitutus Personaliter coram me Notario, & Testibus infrascriptis R. Presbyter Joannes Maria de Caldanis Veronensis Eremita in Monte Sancti Georgij Diœcesis Lunensis Sarzanensis, cui nuper de præsenti fuit provisum, & qui fuit investitus de Ecclesiâ S. Georgij prædicti Jurisdictionis Ajolæ Capitaneatûs Fivizani, uti de provisione, & Investiturâ prædictis apparent Bullæ, & Literæ Reverendissimi Domini Episcopi Lunensis, Sarzanensis, vel ejus Generalis Vicarij datæ sub die 25. Septembris, & 27. Febrarij proximè præteritorum, quas Bullas, & Literas Episcopales teneat prædictus R. D. Joannes Maria in manibus suis requisivit me Notarium infra-

scriptum, ut cum vigore dictæ provisionis, & investituræ, & licentiæ à Serenissimo Magno Etruriæ Duce habitæ, & subscriptæ per clarissimum D. Paulum Vintam, & ejus Cancellarium, necnon subscriptæ per scribanum DD. Capitaneorum Partis Civitatis Florentiæ sub die duodecimâ præsentis Mensis Martij immittere debeam in Realem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ, bonorum, Jurium, & Pertinentiarum ejus. Cujus petitioni, & requisitioni volens justæ annuens Ego Petrus q. E. D. Ascanij de Prosperis de Monzono Notarius publicus Florentinus, Imperiali'que, Apostolicâ, ac Ducali auctoritatibus Judex ordinarius, & Notarius publicus, ipsum R. D. Joannem Mariam Eremitam supradictum sic provisum, manu dexterâ apprehensum, ad Altare majus dictæ Ecclesiæ deduceas, Crucem ab eo deosculari faciens, candelabra, & alia dicti Altaris in ejus manibus ponens, & deinde extra dictam Ecclesiam in Domum presbyteralem illius secum ingrediens, & in eâ, & per eam ambulans, ostia illius ab eo aperiri, & claudi faciens: Glebas bonorum dictæ Ecclesiæ, & Ramos Arborum in dictis Bonis radicatos in ejus gremium ponens, & ex dictis Bonis in dictam Ecclesiam regrediens Campanam pulsando, Te Deum laudamus canendo, & alia faciendo in præmissis necessaria, requisita, & opportuna. Ipsum R.D. Joannem Mariam, & investitum vigore earundem Literarum, & licentiæ, ut supra habitarum ejus nomine, & successorum ejus in corporalem, realem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ, Bonorum, Jurium, & Pertinentiarum ejus posui, & immisi nemine contradicente. Qui quidem R.D. Joannes Maria ejusdem possessionem accepit, & protestatus est, se non solùm vigore, sed etiam animo possidere. Super quibus &c. rogavit me Notarium &c. Actum in dictâ Ecclesiâ S. Georgij præsentibus Andreâ q. Joannis Andreæ, & Joanne q. Andreæ de Moriceno, & Joanne Dominico q. Gasparis de Ajolâ testibus. Ego Petrus q. Egregij D. Ascanij, olim D. Petri de Prosperis de Monzono Notarius publicus, ut supra de prædictis omnibus rogatus in fidem subscripsi, & solito meo signo signavi.

Instrum. concessionis hujus Loci.

Hujus autem rei extat monumentum in marmore ad Aræ majoris lævam hisce verbis expressum.

D. Georgio hoc Templum dicatum ab Eremitis ibi habitantibus in hac forma redactum licentia, & assensu Episcopi Lunensis, Sarzanẽsis, & Etruriæ Magni Ducis, ut ex eorundem Literis constat mense Decembri 1606.

Anno 1609. cùm adhuc prosequeretur Ecclesiæ instauratio, præsertim verò Sacelluni Assumptioni B. V. dicatum completum foret, ad

ad augendam Fidelium devotionem, eorundemque concursum ad hanc novam Ecclesiam fovendum, plures Indulgentias pro die Festo S. Georgij Martyris ejusdem Ecclesiæ Titularis à Summo Pontifice Patres impetrarunt, prout ex Breve sequenti apparet.

PAULUS PAPA V.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulg. pro Eccl. S. Geor. gij.

AD augendam Fidelium Religionem, & Animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui Ecclesiam S. Georgij loci Ajolæ Lunensis, Sarzanensis Diœcesis die festo ejusdem S. Georgij à primis Vesperis usque ad occasum Solis Festi hujus diei singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, pro primo, & ultimo anno plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: pro alijs verò quinque annis intermedijs septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus, præsentibus ad septemnium tantùm valituris. Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam visitandam aliquam aliam Indulgentiam perpetuam, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 29. Julij 1609. Pontificatûs nostri anno quinto.

Gratis pro Deo, & Scripturâ

S. Cobellutius

Publicetur, & admittatur in omnibus, ut supra.

Datum Sarzanæ in Episcopali Palatio die 18. Augusti 1609.

Aurelius Federicus Vicarius.

Anno tandem 1611. absoluta fuit, quæ cœpta fuerat anno 1609. Ecclesiæ instauratio, potissimùm verò Cameris, seu fornicibus ductis ad impetum ventorum ibi vehementissimè strepentium, & Divina officia impedientium retundendum, singulari finitimarum Gentium liberalitate opus istud promovente, quæ maximâ veneratione Eremitam Joannem Mariam prosequentes eò frequentissimæ confluebant, varia identidem munera ad usum Ecclesiæ potissimùm deferentes, utpotè varijs asperitatum generibus, corporisque macerationibus addictissimum, & consuetudine vitæ irreprehensibilem, quinimo longè commendabilem; hinc brevi aliæ adhuc cellulæ pro Eremitarum usu, & habitatione constructæ fuere, & in Ecclesiâ duæ Capellæ à dextris una Altaris majoris, altera verò è regione à sinistris.

E Anno 1613. constructa fuit Capella in honorem S. Barbaræ V., & M. Illustrissimi, ac Reverendissimi Sarzanensis Episcopi præfati expensis, prout ex epitaphio constat, quod in eadem infixum omnibus patet ad gratiam rependendam, quam hujus S. Virginis intercessione speciali receperat, cùm in Germaniam profectus tanquam S. Sedis Apostolicæ Nuncius, uti diximus superiùs, anno scilicet 1606. ab hæreticis carceri mancipatus, & pessimè affectus è sacrilegis eorum manibus divinitus evasit, ac patriam suam feliciter repetijt. *Instauratur Eccles. præd., & consecratur*

F Anno deinde 1616. die 14. Maij Reverendissimus D. Episcopus Joannes Baptista Salvagus Ecclesiam hanc solemni pompâ consecravit Indulgentiâ 40 dierum ipsam visitantibus quotannis concessâ, cujus rei monumentum extat marmoreum in ejusdem Ecclesiæ pariete à cornu Evangelij Aræ Majoris. Subinde verò Locum, & Eremitas visitavit, prout constat ex sequentibus sub die præfatâ in Annalibus Eremi hujus relatione à Patre Joanne Mariâ præfato descriptâ, è quâ ea omnia collegimus, quæ hactenus de hac Eremo scripsimus, & quæ in posterum scripturi sumus.

ILlustrissimus, & Reverendissimus D. D. Joannes Baptista Salvagus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Lunensis, Sarzanensis Episcopus, & Comes, & visitavit Summo manè auditâ Missâ præfatus Illustrissimus D. Ecclesiam,
G *in honorem S. Georgij, consecravit, & Missam celebravit, sacro Confirmationis Sacramento administrato, ad Eremitarum se recepit visitationem post prandium perficiendam.*

Dictâ die visitavit Ecclesiam S. Georgij manè consecratam, noviter erectam operâ R. P. Joannis Mariæ Caldani Prioris Eremitarum ex Collectis à pijs Viris eleemosynis, in quâ quotidie conservatur sanctissima Eucharistiæ Sacramentum ardente continuè lampade, quod renovatur per quoslibet 15. dies, mandavit Dominus Episcopus in futurum qualibet quintâ feriâ confici. Tabernaculum pro paupertate Eremitarum tolerabile est, quòd tamen interius vestiri mandavit panno rubro serico, & portam pariter de aliquâ clave ex auricalcho deauratâ pro-
H *videri, chordulâ, & flosculo juxta Constitutionet ei appensis.* *Acta Visit. Episcop.*

In Visitatione Altaris majoris mandavit Tabellam secretorum cornicibus ex nuce simplici circumcingi. In visitatione Reliquiarum mandavit Armarium ad formam Constitutionum extructum deceuter vestiri interiùs panno serico, vel saltem laneo, ac parietem de Reliquiario ligneo deaurato provideri.

Oleum infirmorum conservetur in alio armario parieti ad formam Constitutionum instructo in vasculo argenteo decenter.

Extant hinc inde duo Altaria ex devotione, alterum Illustrissimi D. Episcopi Lunensis Sarzanensis sub titulo S. Barbaræ; alterum verò D. Emi-

D. Emilij Cavalcani Equitis sub titulo S.Caroli, quæ cùm fuerint receater extructa, adhac non sunt perfectè ornata, sed quantocyùs omnibus necessarijs providebuutur. Extat etiam aliud Altare sub invocatione B. Virginis ex devotione Eremitarum erectum. Verùm quia audivit D. Episcopus ñ Priore ipsorum Capellam esse augeadam, & dilataudam ad alıud tempus, ordinationes distulit. Visitavit Chorum retrò Altare majas, qas etiam ad usum Sacristiæ deservit, iu qao mandavit D. Episcopus construi Labellum cum suâ situlâ ad conservandam aquum pro mauibas abluendis, appenso prope ipsum manutergio, ac etiam circumcirca Chorum sedes ligneas ad usum Eremitis in Choro ad officia Diviaa persolvenda.

Circa paramenta mandavit D. Episcopus de tribas paramentis rubro, violaceo, & viridi provideri.

Materiale Ecclesiæ iu suis ædificijs benè cohæret, & satis deceuter constructum est.

Deinde se contulit ad visitationem Eremi, in quâ invenit adesse qninqae mansiones, sive, ut dicunt, Cellas parvæ lougitndinis, & latitudinis pro habitatioae Eremitarum, qui modò sunt numero quinque, videlicet R.P. Joannes Maria de Caldanis primus Eremita, & Fundator dictæ Eremi, R.P. Nicolaus; ambo Sacerdotes, & Professi. F. Joannes Fraucifcus de Monzono Clericus in anno probationis, F. Paulus de Vincâ, F. Michael Augelas de Cassiano Petroso ambo Professi; viventes ex eleemosyuis, quæ in dies colliguntur á pijs Personis sub guberaio, & regimine dicti Patris Joannis Mariæ Fundatoris, & Prioris dictæ Eremi. In Visitatione, cujus Eremi ordiuavit fabricari duas alias mansiones, quarum ana deserviat pro refectorio ipsorum Eremitarum, altera verò fabricanda prope ipsam refectorium ad usum coquinæ, quibus addidit etiam tertiam stantiam pro pane, & vulgò dispensa, *& qaatenus augeatur uumerus Eremitarum, super mausiones, seu cellas modò existentes fabricari alias mansiones consimiles, in quibus possint dormire, & habitare Eremitæ, qui dicto nnmero in futnrum accedent.*

Insuper decrevit quamprimùm fabricari aliam stantiam in loco separato á dictis Cellis pro recipiendis, & hospitandis hospitibus, alijsque Personis, quæ ad dictam Eremum pro dicto tempore confluent ex causâ devotionis.

Quibus peractis mandavit vocari, & interrogari supradictos Eremitas, & quemlibet eorum separatim audiri supra modo vivendi, & observantiâ Regulæ.

Quibus auditis, diligenter examinatis, habito cum ipsis colloqnio spirituali ad inflammandum eos in Dei servitio, & amore, & in dies magis disponendnm eos ad observantiam Regularum suarum. Cùm invenerit omnia satis benè disposita, dimisit eos in pace cum Dei Benedictione, & suâ.

Unio cū Patrib. Eremitis Montis Coronæ

Anno 1617. hujus Eremi cultores unionem inierunt cum Patribus Eremitis Montis Coronæ, pro quâ confirmandâ expeditum est Apostolicum Breve, quod sequitur.

A

PAULUS PAPA V.
Ad futuram rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem ex munere sibi injuncto Religiosos, qui spretis vanitatibus Jugum Religionis, ut Altissimo liberiùs inserviant, suscipere intendunt, præcipuâ Pastorali benignitate complecti, & paternâ prosequi benignitate. Exposuit siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Joannes Maria Caldanus Presbyter Veronensis, quòd ipse Altissimo proprium exhibere famulatum desiderans, quandam Eremum in Territorio, seu districtu Loci Fivizani Lunensis, Sarzanensis Diœcesis cum Ecclesiâ, Campanili, Campanis, Sacristiâ, B Choro, Refectorio, Cellis, alijsque membris, & officinis necessarijs, & opportunis fundavit, illamque tam sacrâ, quàm profanâ supellectile, ex piorum eleemosynis instruxit, & sibi nonnullos socios, etiam in Sacris, & Presbyteratûs Ordinibus constitutos, qui unà cum ipso in prædictâ Eremo in commuui vivunt, adscivit. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, prædictus Joannes Maria unà cum dictis Socijs in præfatâ Eremo sub Regulâ Eremitarum Congregationis Montis Coronæ Ordinis Camaldulen. de cætero vivere posse summoperè desideret. Nos pium, & laudabile dicti Joannis Mariæ desiderium plurimum in Domino commendantes, eumque specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & á quibusvis excommunicationis, C suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis á jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotijs Regularium Præpositorum consilio, eidem Joanni Mariæ, ut assumpta prius per eum, & ejus Socios præfatos dictorum Eremitarum Regula, ac si, & postquam eorum Congregationi aniti, & de eorum consensu in omnibus, & per omnia incorporati erunt, & in prædictâ Eremo unà cum ejus Socijs præfatis sub obedientiâ Su- D periorum dictæ Congregationis, necnon Regularibus ejusdem Congregationis institutis Apostolicâ auctoritate confirmatis, sicut alij Eremitæ præfati vivere liberè, & licitè possint, & valeant Apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro expressis

presiis babentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 8. Julij 1617. Pontificatûs nostri anno 13.

S. Card. S. Susannæ.

PP. Mõtis Coronæ Eremum hãc adeunt, sed brevi inde recedunt

Quo habito prædictæ Congregationis Mõtis Coronæ Patres ad Eremum istam S. Georgij anno 1623. se contulere, sed cùm per decem Menses ibidem commotati non ea omnia consequi potuerint, quæ eorum institutis opportuna videbantur, inde recessere, & iterum ipsos S. Georgij Eremitas sub Ordinatij Diœcesani obedientiâ dimisere, cùm longè prius Eremi Campanam consecrasset P. Abbas Camaldulensis Benedictus Bruno, ut constat ex monumento in eâdem Campanâ hisce verbis expressum. *Campana hujus Eremi S. Georgij consecrata fuit à R. D.D. Benedicto Bruno Camaldulensium Abbate sub die 4. Novembris* 1623. Non ideo tamen Eremitæ nostri animo se desponderunt, sed Fabricæ opus jampridem incœptum alacriter prosequentes, & Oratorium B. Virgini dicatum, & Refectorium juxta Visitationis decreta compleverunt, pijs exercitationibus indesinenter addicti.

Interim die 16. Novembris 1618. ab Ajolæ Communitate situs quidam haud mediocriter amplus Eremitis de novo concessus fuit, ad Eremi competentem clausuram perficiendam, prout è sequenti contractu luculenter apparet.

A di 16. Novembre 1618.

Commu. nitas Ajolæ situm donat pro Clausurâ.

Congregati più di due terzi della Communità di Ajola, Podestaria di Codiponte, e Capitanato di Castiglione del Terziero, nella Piazza di d. Luogo loro solita adunanza, come per scrittura fatta di mano di Ser Giovanni Landini Podestà di Codiponte il dì detto, e per Lettera scritta a me Cancelliere infrascritto da Innocenzo di Bartolomeo, e Giacomo di Giovanni Consoli, e Rappresentanti in d. Communità dì 21. detto, e osservate le cose da osservarsi, per loro partito vinto di voti favorevoli numero 21. per il sì, non ostante tre in contrario, e sei assenti, fecero l' infrascritta deliberazione, e partito, salva sempre l' approvazione dell' Illustre Magistrato de Signori Nove, e bisognando di S.A.S., cioè

Avendo considerato, che il Padre D. Giovanni Maria Caldani Eremita, e Priore dell' Eremo di S. Giorgio posto sopra Ajola, Giurisdizione di d. luogo per spazio di 15. anni abbia riedificato, o per dir meglio edificato il d. Eremo in tal maniera, che per una Chiesa, e un Oratorio della Madonna contiguo a detta Chiesa, si può paragonare non solo à qualsivoglia Fabbrica di Luoghi alpestri, e deserti, come è questa, ma anco di Domestici, e civili, e mobigliata la detta Chiesa di molti vasi sagri, e di tutti i mobili, che son necessarj al culto Divino, lasciando da parte la fabbrica, e mobili appartenenti a detti Eremiti, perchè in questo particolare il detto Padre ha voluto mostrare Povertà, e devozione. Per esser adunque il detto Padre tanto benemerito, e perchè abbia più commodità d' acquistare, e accommodare il sopradetto Eremo per servizio di Dio, e anco per la commodità, e utile, che le persone suddette, e Commune d' Aiola ne cavano per benefiзio dell' anime loro, e acciò maggiormente essi RR. PP. nelle loro Orazioni, e Divini Officij si ricordino di pregare la Maestà Divina per l' anime loro, e de' loro passati, e perciò tutti insieme ad una voce per il presente partito, concessero, e donorno alli suddetti RR. PP., e a nome di tutti al suddetto Padre Fra Giovanni Maria Priore di detto Eremo presente ec. Salvo, come sopra in principio, mezzo, e fine l' approvazione del prefato Illustre Magistrato de Signori Nove, e bisognando di S. A. S., e non altrimenti, un sito contigno al detto Eremo verso mezzo giorno, e verso Levante, quale dissero valere circa venticinque scudi, che la Communità non ne cava cosa alcuna, per essere Luogo alpestre, terminato per Giovanni d' Andrea, Andrea di Raffaelle, Giovanni Domenico di Gaspare, e Giovanni Andrea di Pellegrino tutti d' Ajola, come dissero gli suddetti Consoli, e questo, perchè li detti Padri possino fare un muro per chiudere il detto Eremo da quella parte, perchè li Bestiami, e altri non vadano in detto Eremo, poichè dall' altra parte intorno intorno è chiuso dalla natura, e tutto in ogn' altro miglior modo ec. Salvo ec.

Io Filippo Spiciani Cancelliere scrissi, e sottoscrissi di Commissione ec.

Deliberationem hanc approbavit Magistratus Dominorum Novem Consiliariorum, &c., prout ex sequentibus liquet.

A dì 19. Gennaro 1618.

Magĕstratus novem approbat hãc donationem.

Li Magnifici Signori nove Consiglieri della Giurisdizione, e Dominio Fiorentino in virtù di benigno rescritto di S. A. S. nostro Signore del dì 16. Gennaro stante, essi, e Ott. approvarono, e approvano il sopradetto partito per fare, come in esso si dice, in ogni miglior modo. Mand.

Ottavio Amoni Coadiutore.

Approbationis hujus vigore, necnon Magistratûs ejusdem præcepto Consules Communitatis Ajolæ P. Joannem Mariam Caldani antedictum, ejusque successores prædicto situ juridicè donarunt, eidemque suos terminos præfixerunt, quod è scripturis quæ sequuntur apparet.

A dì Febbraro 1618. stylo Flor.

Fede per me Giovanni Landini da Bagnone Notaro publico Fiorentino, e al presente Potestà di Codiponte, e luoghi annessi di S. A.S., qualmente

mente al Libro de' Partiti del Commune d' Ajola a c. 90. appare quanto appresso, cioè. A

A dì 21. Febbraro 1619.

Comparvero personalmente avanti ec.

Innocenzo di Bartolommeo d' Ajola, e Giovanni Giacomo di Giovanni Consoli, e Rappresentanti della Communità d' Ajola, e per esecuzione dell' ordine dato dall' Illustre Magistrato de' Signori nove per Loro Lettera de 26. Gennaro passato, per il benigno rescritto di S. A. S. del 16. detto dell' approvazione del partito altre volte fatto dalla Communità, e Uomini d' Ajola del dì 16. Novembre 1618. del Donativo fatto alli Padri Eremiti di S. Giorgio del terminamento contiguo al loro Eremo di longhezza di passi 25., e larghezza numero 50. per fare la clausura al detto Eremo, e come in detto ordine ec. Onde gli prefati Rappresentanti a nome della loro Communità, e per esecuzione di detto ordine diedero, e concessero al P. R. D. Giovanni Maria Caldani Priore di esso, presente, e accettante a nome suo, e a nome, e a voce degl'altri Padri il prefato terminamento per fare la detta Clausura, stante il prefato benigno rescritto. Ringraziando a detto nome la detta Communità, offerendosi sempre nelle sue Orazioni pregare l' Altissimo Iddio per S. A.S., che felicemente la conservi, e per l' anime de' Defonti d' Ajola, che di mano in mano anderanno a miglior vita, e tutto ec.

Assignatur terminus Clausurae.

Idem Joannes Landinus Notarius, & Potestas propriâ manu in fide &c.

A dì 10. Febbraro 1619.

INnocenzo di Bartolommeo, e Giovanni Giacomo di Giovanni Consoli della Communità d' Ajola con Giovanni d' Andrea di Raffaelle, Giovanni Domenico di Gaspari, e Giovanni Andrea di Pellegrino tutti insieme terminassimo l' Eremo di S. Giorgio, e lo consegnassimo al Padre Giovanni Maria Eremita, e Priore di detto Eremo, e questo l' abbiamo fatto in vigore della Lettera scritta dalli Signori Nove al Signor Podestà di Codiponte sotto il dì 26. Gennaro 1618. al Fiorentino. I termini sono otto Croci fatte in sasso vivo, tre verso il Levante, tre verso il ponente, una in mezzo giorno, e una verso Tramontana. Questo Luogo, e sito la Communità l' ha voluto donare al detto Padre Giovanni Maria, e a suoi successori a fine, e effetto, che possi chiudere detto Eremo, e anco perchè preghino tutti i PP. di detto Luogo per la felicità continua della Serenissima Casa de' Medici, per il felicissimo suo stato, che Nostro Signore lo mantenghi, e prosperi, e per la detta nostra Communità d' Ajola ec. E in fede di tutto questo aviamo fatto fare la presente scrittura sotto il dì 10. Febbraro sopranominato, e anno 1619.

Innocenzio di Bartolommeo] Consoli d' Giovanni Giacomo di Giovanni] Ajola.

Io Gio: d' Andrea d' Ajola soprascritto affermo quanto di sopra.

Io Gio. di Giovanni Domenico di Gaspari a nome di mio Padre per non sapere scrivere di mano propria, affermo quanto di sopra si contiene. A

Io Andrea di Raffaelle d' Ajola soprascritto affermo quanto di sopra si contiene.

Io Gio: Andrea di Pellegrino d' Ajola ho sottoscritto a preghiere del suddetto Andrea per non sapere lui scrivere.

Io Gio. Andrea di Pellegrino suddetto affermo quanto sopra si contiene.

H's ita firmatis, muros excitarunt Patres juxta terminos præfinitos pro clausurâ stabiliendâ, simul'que tres portas constituerunt, quæ æternum perseverant.

B Intereà magis in dies, ac magis in charitate proficientes, & bonum Christi odorem sanctissimâ vivendi consuetudine longè, latè'que diffundentes huius Eremi cultores Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Ferdinandi secundi animum commove unt, qui Serenissimi Avi Ferdinandi Primi summam pietatem æmulatus, qui Auctor fuit, & adhortatione, & jugi munificentiâ, ut in Senario Monte sacra instauraretur Eremus, & Eremiticæ specialis qualis adhuc integra viget, institueretur Professio, ita Ferdinandus hic secundus alius & idem, nec illi secundus eodem pietatis sensu, eâdem'que veneratione ductus erga sanctitatis cultores, quòd Serenissimæ hujus Familiæ maximè proprium fuit semper Insigne, Patribus hisce Sancti Georgij sese Patronum exhibuit, specialem'que Protectorem, quemadmodum è sequentibus constat. C

Ferdinando Secondo Gran Duca di Toscana.

AVendo noi il medesimo desiderio, e la medesima volontà che hanno avuta sempre i nostri Antenati, di proteggere, e beneficare in tutto quello, che possiamo le Chiese, e Luoghi pii di questi nostri Stati; e sapendo, che li nostri Avolo, e Padre di gloriosa memoria concessero un sito capace, per fabbricare, e ridurre in Clausura l' Eremo di S. Giorgio posto nel Territorio d' Ajola del Capitanato di Fivizano, all' Eremita Gio. Maria Caldani Sacerdote, il quale oggi con alcuni Compagni, precedente l' autorità dell' Ordinario Ecclesiastico, l' ha ridotto in commoda, e bella forma, con avervi fabbricato un ampia, e adorna Chiesa, e un grande, e ben inteso Monastero, ed Eremo, sicchè il sito d' alpestre, e inaccessibile, che era, s' è ridotto facile, e coltivato, e chiuso intorno con molta spesa, industria, e fatica, come per relazione fattacene da persone Fedeli, e dalla pianta, e disegno del Luogo, che noi istessi abbiamo veduto, restiamo pienamente informati, come anco del servizio, che fanno a Dio gl' Eremiti, che quivi dimorano, e dell' ajuto, e profitto grande, che con l' esempio loro, e con l' opere, e esortazioni ricevono i Popoli non solamente vicini, e sudditi nostri, ma ancora i Forastieri, e i lontani. Per il desiderio adunque, D

Ferd. II. M. Dux Etruriæ protectionem Eremi suscipit.

che

che abbiamo della conservazione, e aumento di questo Luogo pio a gloria, e onore di S. D. M., a benefizio de Popoli, e per nostro suffragio, e maggior partecipazione dell'Orazioni, e meriti de' detti Eremiti, Dichiariamo, e facciamo noto à ciascuno con questa nostra Lettera Patente, come Noi con pio, e devoto affetto, e per quanto la ragione, e il nostro giusto potere ce lo permette, abbiamo, e teughiamo sotto la nostra Protezzione, e difesa il detto Eremo di S.Giorgio, e le Persone degl' Eremiti, che vi abitano, e ogni loro avere, e interesse, e di nuovo l' accettiamo, e pigliamo per noi, e nostri successori; e in segno di questa nostra protezione, e patrocinio ci contentiamo, che nell' Altar maggiore di detta Chiesa, il quale è stato da Loro riservato per Noi, e per la nostra Casa, e in ogni altro luogo di quell' Eremo, dove piacerà a detti Eremiti, si mettino l' Armi, e Insegne nostre; e siccome Noi siamo pronti a favorire, e beneficare, e giovare con ogni opportuno modo il detto Eremo, e gli suoi Eremiti, così ci sarà grato, che da ciascuna Persona siino soccorsi, e beneficati, e così comandiamo a nostri Ministri, e Offiziali, e esortiamo tutti a rispettarli, e favorirli, e prestar loro ogni aiuto nelle loro occorrenze, perchè oltre al merito, che ciascuno n'avrà dal Signore Iddio, mostreremo ancor Noi particolare gratitudine d' animo a tutti gl'amorevoli Benefattori, e divoti del detto Eremo, ed Eremiti; siccome all' incontro ci sdegneremo contro tutti quelli, che tentassero di danneggiarli, e offenderli, e di perturbare la loro quiete. E in fede di questa nostra volontà aviamo sottoscritto la presente di propria mano, sigillata col nostro solito sigillo, e contrasegnata dall' infrascritto nostro Segretario primo di Stato.

Data in Fiorenza 1. Luglio 1624.

Il Gran Duca di Toscana.

Il luogo del Sigillo.

Literarum hujusmodi patentium vigore mandante D. Alexandro Lanfreducci Nobili Pisano, et apud Fivizanum, eique adnexa pro S. C. S. Commissario ad instantiam A. R. P. Joannis Mariæ Caldani hujus Eremi Prioris, præsentibus Augustino Joannis Brinati de Piseiâ Notario publico Fiorentino, & in Capitaneatu illo dicti Commissarij Cancellario, qui de his actis publicis rogatus fuit, prout ex ejusdem Commissarij Cancellariâ in Regestis apparet, præsentibus pariter, ac testibus Joanne Andreâ Peregrini, Joannis Andreæ de Sartesehis de Ajolâ, & Dominico Antonij Juliani de Petrâ Sanctâ circa Eremi clausuram quatuor in Locis C. S. S. Stemma Gentilitium in candido marmore expressum positum fuit, cum hac inscriptione: *Ferdinandus II. Magnus Dux Etruriæ V.*; Primò videlicet ad Septemtrionem versus jugum vulgò dictum *Pizzo d' Uccello*, Orientem versus aptatum, Secundò Monsonem versus ad Occidentem. Tertiò Pontem Monzonis versus pariter in Occidentem. Quartò denique Ajolam versus; ubique verò super lapide quodam, in quo sculpta conspicitur Crux; qui sanè lapides cum Cruce prædictâ à P. Joanne Mariâ Caldani absolutè feruntur jampridem inibi positi ab Ajolæ deputatis, tanquam clausuræ Eremi termini juxta benignum Cosmi II. præscriptum, de quo fusiùs superiùs ad annum 1618. stylo Florentino.

In pluribus Eremi Locis ponitur Stemma M. Ducis Etruriæ.

E Anno 1626. idem Joannes Maria curavit, ut construeretur Oratorium S. Crucis infra Eremum meridiem versus, necnon sterneretur ante ipsum semita, per quam ad Eremum conscenditur, secto ad hoc in transversum jugo, opus profectò non mediocris impendij.

Anno 1627. excitari cœpit eoram Ecclesiâ Porticus, ut speciosior evaderet ejusdem prospectus.

F Anno tandem eodem 1627. 14. Kalendas Augusti S. Georgij Eremitæ fœdus sanxerunt, perpetuamque concordiam cum Patribus Montis Senarij Eremitis, quod luculentiùs fit ex Apostolico Diplomate, quod proximè sequitur.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Bulla Unionis Eremi S.Georgij cum Eremo Montis Senarij.

G *Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris nostri Episcopi Lunensis Sarzanensis in spiritualibus generali salutem, & Apostolicam benedictionem. Alto Divinæ providentiæ consilio Summi Sacerdotis curam, meritis, licèt inferioribus, gerentes in terris, pio, & sincero tenemur desiderio, ut Religiosa Loca quæcunque, in quibus præsertim Eremitica ducitur vita, nostræ operationis diligentiâ, & superioris favoris suffragante auxilio salubriter dirigantur, & in eis Regularis Disciplinæ norma servetur, Cultus Divinus augeatur, Charitas vigeat, humilitas adhibeatur, & omnis benevolentiæ institutio, cum æterna vita præmio feliciter adimpleatur. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Joannis Mariæ Caldanij Presbyteri Veronensis, & Nicolas de Cremonâ moderni Procuratoris Generalis Ordinis B. Mariæ Servorum nuncupatorum Florentinæ Diœcesis petitio continebat. Quòd alias dictus Joannes Maria cupiens æternorum intuitu id seminare in Terris, quòd Deo reddente cum multiplicato fructu valeat colligere in Cœlis; bisque adductus rationibus ad*

H *Majoris Dei Omnipotentis laudem, & S. Georgij honorem, & gloriam ab annis viginti duobus circiter in Provinciâ Lunigiana sub Diœcesi Lunensi Sarzanensi, & temporali Dominio Dilecti Filij Nobilis Viri Ferdinandi Magni Etruriæ Ducis in Loco aspero, & deserto, quoddam à fundamentis cœpit ædificium in honorem ejusdem S. Georgij, quod ad præsens ad usum Eremi, & commodam Eremitarum habitationem, cum Ecclesiâ, Sacristiâ, Choro, Campanili, Campanis, & aliis, tam ad Divinum cultum, quàm Eremiticam vitam peragendam necessarijs, sufficienter munitis redactum existit, & in quod ipse Joannes Maria cum nonnullis aliis spiri-*

spiritualibus exercitiis cum laude, & fructu vacando se recepit. Ut igitur ipsi magis ac magis in viâ Domini proficere valeant, perfectioris vitæ studio ducti, sub pro tempore existentis Generalis Servorum hujusmodi dictæ Florentinæ Diœcesis obedientiâ vivere, morique volentes, sese, & eorum habitationem, sive Eremum S. Georgij cum Ecclesiâ hujusmodi ejusdem Generalis pro tempore superioritati, potestati, correctioni, & visitationi perpetuò subiecerunt, sub pactis, capitulationibus, & conventionibus infrascriptis, videlicet. Quòd Eremus S. Georgij hujusmodi membrum præfatæ Eremo Montis Senarij subjectum, illique perpetuò unitum esset, ac nunc, & pro tempore existentes illius Eremitæ vitam juxta constitutiones, & Ordinationes Eremi Montis Senarij per duos ex illius Eremitis ad hoc transmittendos, & specialiter deputandos docendi, ducere Eremiticum. Et, quòd electio Rectoris Eremi S. Georgij hujusmodi à Vocalibus ejusdem, & in unicam Personam de gremio illius Eremitarum tantùm fieri, eâque factâ ad Eremitas Montis Senarij, qui eandem de consensu majoris partis capitulariter confirmandi potestatem habeant, transmitti; postea verò sic confirmata, und cum obedientiâ pro electo Eremo S. Georgij remitti debeant, itaut electi officium ad biennium, & non ultra duret, qui tamen possit per duas alias vices eligi, & de biennio in biennium confirmari. Postea autem ipse Electus quatuor annos vacantes habeat, & idem servetur in eventum mortis, privationis, vel suspensionis Electi. Præterea, quòd Novitij ab Eremo S. Georgii, & illius Capitulo recipiendi Novitiatum in Eremo Montis Senarij peragere debeant, quo finito Eremitæ Montis Senarij hujusmodi cum fide attestationis de vitâ, moribus, & liberâ voluntate Novitij subscriptâ manu Rectoris, & Præceptoris ipsius Novitij, ac duorum Conservatorum referre debeant, juxtàque relata Eremitæ S. Georgij ipsos Novitios admittere, vel excludere possunt, qui Capitulo admissi, & recepti professionem pro Eremo S. Georgij in manibus Rectoris Montis Senarij emittant, sicque postea Professi ad eam Eremum S. Georgij mitti possint. Ac quòd Eremitæ præsentes S. Georgij post probationis annum expletum eorum emittant Professionem, & ab eis probatio in eâdem Eremo S. Georgij sub dictis duobus Patribus, qui pro eorum institutione, & instructione à Monte Senario, ut præfertur, mittentur, fieri valeat; cujus probationis annus cuique satis sit, ad agnoscendum, an sibi illa vivendi ratio expediat, necne. Insuper, quòd ab unâ ad aliam Eremum faciendæ mutationes à Rectoribus Locorum de mutuo eorundem Rectorum consensu, & Conservatorum consilio, & non ab aliis, exceptis Generalibus, semper præ oculis coniunctum Dei servitium, & animarum quietem concernentia, & ne gravamen ultra fas Eremitis inferatur, habentibus fieri debeant: & quòd Generalis visitando Eremitas, ut constitutiones observentur, mandandi, ac pro earundem constitutionum, & veterum Regularum observatione, quæ sibi necessaria videbuntur,

A *Decreta faciendi, non tamen novas condendi Constitutiones, & Regulas, plenam habeat auctoritatem. Denique, quòd Eremus S. Georgij semper vocetur Sacra Eremus, & omnibus privilegiis, gratiis, & Indulgentiis, quibus illa Montis Senarij gaudet, & gaudere poterit quomodolibet in futurum, dummodo illa sint in usu, nec revocata, nec sub aliquâ revocatione comprehensa, nec Sacris Canonibus, neque Concilij Tridentini Decretis, Regularibusque Institutis dicti Ordinis contraria; pariformiter, & æquè principaliter, ac absque ullâ prorsus differentiâ in omnibus, & per omnia gaudeat, adeòut in hoc, pro uno, eodemque corpore reputentur, & sint. In reliquis verò Eremus S.Georgii sit membrum*

B *Eremi Montis Senarij, illique, & illius Generali tantùm, & non aliis Superioribus subiecta existat; itaquòd nec Monasterium Sanctissimæ Annunciatæ, quamvis sit Eremi caput, nec alia quævis, præterquam ipsa Eremus Montis Senarij aliquam unquam desuper, directè, vel indirectè habeat rationem, vel actionem, ac ultiùs prout in scripturis desuper confectis pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, sicut eadem petitio subiungebat, si unio, pacta, capitulationes, & conventiones hujusmodi per nos, & Sedem Apostolicam perpetuò approbarentur, & confirmarentur, ex hoc profectò Eremus S. Georgij hujusmodi cultu, & devotione celebrior redderetur, ac Regularis Disciplina fructuosiùs, & utiliùs, quàm antea, in illâ exerceretur, Di-*

C *vinúsque cultus ibidem adaugeretur, eorundémque Eremitarum profectui non modicùm consuleretur. Quare pro parte Joannis Mariæ, & Nicolai præfatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus unionem, pacta, capitulationes, & conventiones hujusmodi confirmare, & approbare, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur Officium vigilis Pastoris in Dominicum Gregem Curæ nostræ creditum exercere cupientes, ipsósque Joannem Mariam, & Nicolaum, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati*

D *existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati ex voto Congregationis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Regularium Præpositorum, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus unionem, necnon pacta, capitulationes, & conventiones, scripturasque desuper confectas hujusmodi, omniáque, ac singula in eis contenta, licita tamen, & honesta, ac Sacris Canonibus, maximè verò ejusdem Concilij Decretis, Apostolicisque Constitutionibus minimè contraria, & inde legitimè sequuta, & sequenda quæcunque sine alicujus præjudicio, auctoritate* Ffff *nostrâ*

nostrâ perpetuò approbes, & confirmes, illisque per præsens, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcias, E *illáque perpetuò valida, firma, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectare poterit, quomodolibet in futurum firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec à præmissis ullo unquam tempore quovis prætextu, causâ, vel occasione recedi, vel resilire posse; sicque, & non aliter ab omnibus, & singulis, & causarum Palatij Apostolici, ac Curiæ, Cameræ Apostolicæ Generalis Auditoribus, ac ejusdem S. R. E. Cardinalibus etiam de latere Legatis, Vicelegatis, & dictæ Sedis Nuncijs, seù quibusvis alijs judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid secus super his, à quibusvis quavis* F *auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, eâdem auctoritate decernas. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac utriusque Eremi, & Ordinis hujusmodi juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & Consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1627. 14. Kalendas Augusti, Pontificatûs nostri anno quarto.

PP. Mõtis Senarij hanc Eremum adeunt, & novos Eremitas induunt, & instruẽdos suscipiunt.

Statim verò ac Eremitis Montis Senarij Breve prædictum innotuit, die 3. Octobris ejusdem anni congregatis in unum ijsdem Patribus, qui eorum regimini præerat duos ex G ipsis transmittendos proposuit ad Eremum S. Georgij, ut P. Joannem Mariam, ejusque Socios Habitu Eremitico nostro induerent, & Eremiticum Institutum ipsos edocerent, ut exinde opportuno tempore ad Professionem ritè admitterentur. Quatuor subinde ex Patribus proposuit Ignatium videlicet, Joannem Baptistam, Bernardum, & Alexium, ex quibus per secreta suffragia præelectus fuit P. Ignatius, qui in Eremo prædictâ S. Georgij Superioris vices obiret; eidem verò per secreta pariter suffragia tanquam Socius adscitus fuit P. Bernardus. Opportunum insuper duxere Patres, quòd idem P. Montis Senarij Rector unà cum duobus præfatis Eremum adiret S. Georgij, ut pompâ longè majori H novelli Eremitæ Habitu nostro per ipsum induerentur, & ipse primæ huic institutioni, & unioni complendæ interesset, ac per ipsum, utpote principalis Eremi Præfectum hæc omnia perficerentur; res enim ipsa si hac ratione peragatur, commendationem apud omnes maximam sibi compararet, & recenti ipsi Eremo majus exinde accederet ornamentum.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

OMnia, & singula in hoc Cap. contenta habentur ex monum. ejusdem Eremi S. Georgij.

E *De Gestis, & Obitu Sororis Felicis del Zano Ordinis nostri Tertiariæ, necnon Sororis Monicæ Beltrami.*

CAP. XIV.

PAuca quidem de Sorore Felice del Zano Ordinis nostri Tertiariâ ad nos usque descendére, raro illo, & admirabili Sanctitatis, ni fallor, artificio, quæ quò majora coram Deo operatur, eò magis studet coram hominibus nesciri. Ea tamen de hac Sorore assequi contigit, quæ nec ipsam ullatenus prætereundam silentio monent, quæque summis laudibus prosequendam ostendunt. Felix in Oppido, seù castro S. Petri in Territorio Bononiensi nata, sexaginta F integros annos Tertij Ordinis nostri Habitum summâ veneratione gestavit, super nudam verò carnem vestem rigentem, & hispidam more Capuccinarum deferebat, quinetiam geminato semper, & aspero cilicio præcincta corpus in servitutem redigere indesinenter contendens. Trigintatres annos peregrinationem quotannis obire consuevit, ad sacratissimam Domum Lauretanam, ad venerandum Assisij S. Francisci corpus, aliaque ejusdem Seraphici Patris monumenta, quandoque verò sacras Urbis Basilicas, & cætera Loca ibidem præ sanctitate præclara; iter verò semper nudis pedibus agebat, & victum passim verecundiâ quacunque superior emendicans. Hoc sanctissimæ vitæ genus, ex quo liG cet nobis conijcere quonam studio Felix virtutibus omnibus studeret, & humani generis hostis insanas artes eluderet, adeò exhorruit Diabolus, & adeò Felici insensus erat, ut pluries graviter ipsam percusserit, eâ planè vehementiâ, ut quàmsæpissimè, tanquam semianimis deprehensa fuerit, quoties ictuum strepitûs proximis advertere licebat. Fistulas aliquot per annos 35. continuos ad mortem usque, non æquo solùm animo, sed adeò hilari tulit in mammis, ut opus nullum artis medicæ adhibere voluerit ijsdem curandis, ita sibi in ipsis complacens, ut veluti florentes rosas dono sibi à Domino datas jactabunda prædicaret. Denique die 15. Junij currentis anni non vulgari sanctitatis famâ plena H dierum obdormivit in Domino, quæque vulgò vel ab ipso Confessario suo nomine Sanctæ Sororis circumferebatur. Ejus autem Corpus in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Servorum Bononiæ, apud Altare S. Josepho dicatum conditum fuit. Tanta verò apud omnes erat de Sanctitate hujus Sororis opinio, ut infirmi certatim ad ipsam accurrentes post ejus obitum solo contactu cinguli, quem vivens ipsa gestaverat, ejus meritis sanitati pristinæ restituerentur. Alia modò soror prædicanda nobis occurrit, quæ Ordinis nostri quidem Soror Professa non est, sed quæ dum viveret Ordini nostro semper addicta, ejusdem se dicebat Alumnam, qualis reipsâ erat; post obitum

Sororis Felicis del Zano obitus, & gesta.

que.

Sororis Monicæ Beltrami felix obitus, & laudes.

quoque Ordini nostro tanquam pretiosissima merces operâ nostrâ illustris accensenda videtur. Soror hæc, de quâ modò dicere institui, Monica dicitur Beltrami, quæ anno Domini 1549. die 14. Octobris nata, & salutari regenerata lavacro dicta fuerit Margarita, adhuc seprennis Divinam quandam vocem accepit ter ipsam compellentem, ipsique dicentem: *Margarita vale dic Mundo, ac Deo famulatum præsta*. Margarita morem gerens vocanti, sed adhuc quid ipsi speciatim faciendum esset, non assequuta, suopte ingenio venerari cœpit, prout congruum hoc esse sibi suadebat, medijs orationibus, necnon luminibus, & floribus Imagines Christi, B. Virginis, atque Sanctorum exornare, ac præthereà singulis ferè diebus à cibo abstinere, quem pauperibus distribuens sibi subtrahebat. Decimum septimum cùm ageret annum, scilicet anno Domini 1566. Gabriel Cardinalis Paleottus eo temporis Ecclesiæ Bononiensis Antistes perspectâ Margaritæ indole, ipsam, veluti Filiam, instituendam suscepit, dirigens eandem in lectione quoque spiritualium Librorum, & in excolendis virtutibus, nec sine magno, imò mirabili profectu, cùm in ætate adhuc tenellâ pari facilitate, & sedulitate, ac si adulta jamdiù foret, & monita salutis intelligeret, & opere compleret. Habitum primò induit vulgarem Tertij Ordinis S. Francisci, deinde verò rigidiorem vestem Capuccinorum Monicæ nomen assumens. Quotidie Divinæ Mensæ accumbebat profusis ubertim lachrymis, ac singulari pietatis sensu; vix autem cœlesti cibo refecta, quasi in eum, cujus corpori communicaverat, transformata, plusquam horæ dimidium in extasim rapta Cœlestium rerum contemplatione fruebatur: à carne semper abstinuit, cibos semper quadragesimales, eosque maximè vulgares, assumens, frequentibus flagellis, & asperrimis cilicijs sibi corpus affligebat; quod vitæ genus ætate septem annorum institutum ad mortem usque invariatum fervavit. Quater in anno, scilicet, ante Festum Nativitatis Domini, ante Festum Assumptionis B. Virginis, ante feriam 4. Cinerum, & infra Hebdomadam majorem 40. continuas horas cibo quocunque abstinebat. Paupertatem adeò coluit, ut neque tenuerit, neque cognoverit unquam cujuscunque, vel minimi pretij monetam. Nudis pedibus perpetuò incessit rigentem tunicam induta, & simili chordâ præcincta, quem Habitum nunquam exuit, etiam quieti indulgens; singulis noctibus, ut sedulam orationi operam daret, duas, aut vix tres horas somno vacabat, vel super paleas, vel super nudos asseres. Feriâ qualibet sextâ ab Ecclesiâ domum reversa in penetrale quoddam secedebat, ubi panno nigro super solum extenso Christi Crucifixi Imaginem quinque luminibus adhibitis superponens, & præ manibus Calvariam capitis habens, meditabunda penitus, & gemebunda in ejusdem Domini

A morte hærebat, quinque continuas horas pijs hujusmodi affectibus insumens. Monicæ quoque insidias moliri non destitit Diabolus, ipsamque graviter pluries adhibitis etiam quandoque lapidibus percussit, quæ tamen omnia Dæmone, & ejus artibus superior, Monica semper seipsâ fortior soperavit. Dominus enim nunquam ipsi non præsens à varijs periculis ipsam vindicavit, præsertim verò cùm Assisium, & ad Sacram Domum Lauretanam peregrinaretur. Florentiæ verò plausum hominum declinans, qui Monicam sanctitate celebrem venerabundi honoribus prosequi cupiebāt, hospitium excepit in Cœnobio Puellarum, quarum regimini Patres Ordinis Prædicatorum præerant; Magna verò

B Ducissa secretò ipsam invisens ad Ecclesiam D. Annunciatæ clam pariter unà secum duxit, ubi diu contemplationi addicta permansit. Præthereà plures annos ante obitum circa primam cujuslibet Mensis Dominicam duas noctes continuas ante Sanctissimam Eucharistiam provoluta, orationi jugiter incumbebat, ut animas Fidelium juvaret. Non longè ante eundem Obitum B. Virginem veneratura, quam singulari devotionis affectu prosequebatur, Rhegium Lepidi petijt, ibique coram celeberrimâ illâ ejusdem Virginis Imagine, neque cibo, neque somno unquam indulgens, sed orationi semper addicta à feriâ 6. usque ad Solis occasum Dominicæ diei proximè sequentis immota permansit. Decem pariter dies continuos in extremâ sui ægritu-

C dine ab alimento quocunque prorsus abstinuit, ac denique anno Domini 1627. ætatis verò suæ 78. die 14. Octobris, quæ fuit feriā 5. horâ 16., quæ à decimoctavo usque ejusdem suæ ætatis 60. annos habitum Capuccinorum induta processerat, pretiosa coram Domino obijt. Ejus autem Corpus juxta supremam ejus dispositionem in Ecclesiâ nostrâ S. Georgij Bononiæ ante Aram principem conditum fuit, die proximè sequenti horâ 22.. Patres autem illius Cœnobij, quibus, præsertim verò P.M. Cornelio Podij, plurimos annos usque ad obitum quoad spiritualis vitæ profectum se dirigendam tradiderat, & quibus proinde plurimùm se debere in quibusdam suis manuscriptis authenticis, quæ cum alijs rebus ad

D ipsam spectantibus in eodem Cœnobio quàmdiligentissimè servantur, lucuientissimè fatetur, summâ ducti veneratione, quâ Monicæ sanctitatem prosequebantur, expensis ejusdem Cœnobij magnâ Populi affluentiâ, honorificas ipsi celebrarunt exequias, cujus præclara gesta P.M. Nicolaus Briganti Provinciæ Mantuanæ tunc Præfectus funebri oratione complexus est, & marmoreum lapidem amplissimum Sororis ejusdem sepulcro superposuere proximè sequenti epitaphio ipsum lapidem, ac totum opus coronantes.

Hic jacent Ossa Sororis Monicæ Beltramæ, quæ in Habitu Capuccino ann. ferè LX. Jejun. Vigil. Orat. vacans mira simpl. humil. Devot. ac exemplo, Deo, & Homini chara LXXVIII. annum attigit, Prior, & Patres amoris pignus

P. C.

Obijt anno D. MDCXXVII.
XIIII. Octob

De Sorore Monicâ memoranda quædam post obitum.

Quoad hanc Sororem prætereundum silentio non est, quòd cùm ipse anno 1712. sedulam navarem operam iis omnibus explorandis, quæ ad Sororem prædictam spectarent, ut illud tandem assequerer, quonam jure adeò honorificum ipsi, quæ Tertiaria nostra non erat, sepulcrum adornaverint Patres à me diligenter perspectum; cùm historiæ nostræ conscribendæ addictus Bononiæ, & alibi Archiva, & monumenta quæcunque lustrabam, præfati Cœnobij Patres meo huic operi pro suâ erga Ordinem, ac meipsum benevolentiâ pro virili conferre satagentes intra Arcam servandis pretiosis rebus depositis decretam, arculam reperere, in quâ nonnulla ad eandem Sororem pertinentia ab anno usque 1627. reposita fuere, varijs exteriùs coloribus distinctam. Notandum autem in primis est, quòd vix arculam hanc aperuere Patres, cùm singuli nemine illorum prorsus ad hoc excitante, speciali quodam modo ad pietatem, & amorem erga Deum commotos interius se esse senserunt, quæ sanè commotio argumentum illis fuit sanctitatis, quam in Monicâ venerabantur, cùm ejus reliquias eo studio requirerent. Memorandum prætereà est tanquam aliquid mirabile, & ejusdem Sanctitatis apertissimum indicium, quòd vestes hujus Sororis intra arculam prædictam ab annis 85. repositæ à tineis ne minimum quidem depastæ fuere, quibus addere juvat constantem esse Bononiæ famam, quòd etiam venerandum Monicæ cadaver incorruptum adhuc servetur, cujus tamen rei veritatem oculis ipsis comprobare non opportunum existimavi. Prætereà intra prædictam Capsulam iidem Patres reposuere ferreum cilicium non mediocris magnitudinis, subuculam è setis contextam, Tunicam ex panno valde aspero, Cingulum Ordinis S. Francisci, alium adhuc cingulum coriaceum, subuculam pariter ex panno valde aspero, quæ Sororis Monicæ usui fuerant, & in arculâ quadam reperere in sacrario positâ clavi quadam obseratâ, quam in Arcâ prædictâ depositi deprehenderant. Insuper, præter alia monumenta, tùm expensarum funeris prædicti, tum sepulturæ, tum inscriptionis sepulcralis intra eandem arculam reposita scriptura quædam servatur, quâ Soror ipsa authenticè sibi in Ecclesiâ præfatâ E S. Georgij sepulturam elegit, quam non importunum arbitror hucusque dictis confirmandis hîc, prout jacet, apponere.

Al Nome di Dio, della B. V. Maria, del mio S. Angelo Custode, e di S. Giorgio, S. Antonio, e S. Francesco miei Protettori.
Adì 12. Maggio 1625.

PER *la presente, quale voglio abbi forza di publico Instrumento, o altra scrittura autentica, dichiaro io infrascritta Suor Monica Beltrami Terziaria dell' Ordine de' Capuccini di S. Francesco in mano del M.R.P.M. Cornelio Podij Priore, e Curato di S. Giorgio di Bolo-* F *gna, e mio Padre spirituale, ed alla presenza degl' infrascritti testimonj, qualmente essendo io stata governata spiritualmente per molti, e molti anni dalla carità delli Molto RR. PP. di S. Giorgio, ed in particolare dal sopradetto M.R.P.M. Cornelio del Sacramento della Penitenza, ed avendo ricevuto in detta Chiesa il preziosissimo Latte del Santissimo Sacramento dell' Eucaristia, e confidando molto nell orazioni de sopradetti M. RR.PP., perciò desidero, che quando al mio dolcissimo Gesù piacerà di levarmi da questa misera vita, e condurmi per sua misericordia infinita all' altra felicissima del Paradiso, che il mio Corpo sia sepolto nella detta Chiesa di S. Giorgio in luogo, dove più piacerà a' detti M. RR. PP., ed in particolare* G *al detto M. R. P. M. Cornelio mio Padre spirituale. E questa dico essere la mia vera, e real intenzione, e la mia ultima volontà, e determinazione per le ragioni, e causa sopradette; e così voglio, ed intendo, che sia osservato, ed eseguito, revocando, e rinonziando ad ogn' altra, che per il passato io abbi avuta, o determinata, ed in particolare ad un consenso da me dato già molti anni sono all' Illustrissima Signora Isabetta Peppoli di buona memoria, ed alle Molto RR. Suore del Monastero del Santissimo Corpo di Cristo, che il detto mio corpo dopo la mia morte fosse sepolto nella Chiesa, e Monastero di dette M. RR. Suore.*

In fede di che la presente farà da me affermata con una Croce per non saper scrivere, alla H *presenza degl' infrascritti testimonj il giorno, mese, ed anno sopradetto.*

Di Cro✠ce Suor Monica Capuccina suddetta per non saper scrivere, quale afferma quanto di sopra.

Io Fra Cornelio Podij Priore, e Curato di S. Giorgio di Bologna, e Padre spirituale della sopradetta Suor Monica fui presente, e vidi fare la sopradetta Croce, e per autenticazione ho sigillato la presente col sigillo de' Signori Lodovisi.

Io F. Niccolò Buratti fui presente a quanto di sopra in Casa del Signor Lodovisi nella cella della suddetta Suor Monica Capuccina, e vidi fare la suddetta Croce, e Sigillo.

Io

Io F. Gioachino Landi ec. ut supra.
Io F. Giovanni Molini ec.
Io Niccolò Lodovisi fui presente, e vidi fa-re la Croce.

Luogo ✠ del Sigillo.

Præterea alia quoque servatur inibi scriptura, quâ anno 1627. die 3. Octobris in extremâ sui infirmitate coram quinque Testibus eadem Soror Monica ratam haber, & confirmat prædictam scripturam, & semper Patres S. Georgij nominat suos Patres spirituales, quin etiam exindè deducitur, quòd ejus infirmitas ex pituitâ quadam procedebat, quâ Brachium, & Crus ad dexteram Corporis affecta erant.

Puerpera parere non valens sese cōmendans Sorori Monicæ feliciter parit.

Insuper pagina quædam servatur, in quâ hæc leguntur.

A dì 14. Aprile 1652.

Maddalena Lodovica di Barba moglie di Messer Cristoforo Lardarolo della Parrocchia di S. Lorenzo Porta Stieri, essendo per partorire, e non potendo, si raccomandò all' Anima della Madre Suor Monica Cappuccina, e subito prese un breve sonno, poi si svegliò, e partorì felicemente.

Ex quo Sororem hanc beatæ memoriæ instituere Patres nostri apud S. Georgium de Bononiâ, æquum videtur, & consentaneum nonnullos ex ejusdem Conventûs illustrioribus recensere, qui præsertim eâdem ætate cum Sorore Monicâ floruere. Primùm verò recolendus est P. Joannes Flori, de quò fusius cap. 17. ad annum 1630., quo in osculo Domini obijt. Recolendus pariter videtur F. quidam Conversus, nomine Bartholomæus ob insignem animi simplicitatem, vitæque Sanctimoniam, quâ tantum apud Bononienses valebat, ut ostiatim emendicando necessitatibus Patrum illius nostri Cœnobij S. Georgij satis abundè consuleret, vultu semper ad hilaritatem composito, qui tandem nonagenarius pijssimè ibidem obijt anno 1608. Minimè quoque prætereundum existimo præ alijs ejusdem Loci Viris illustribus P. M. Anselmum Levi, morum integritate, & Doctrinæ præstantiâ adeò spectabilem, ut nedum Gregarij quicunque eximiâ veneratione ipsum prosequerentur, & ab eodem ubicunque obvium ipsum haberent flexis genibus humillimè benedictionem postularent, verùm etiam amplissimæ illius Urbis Proceres, ac præ cæteris Cardinalis Paleottus Archiepiscopus ab ejus ore, tanquam ab oraculo penderent, adeòut nullum omninò decretum Inconsulto Anselmo in Lucem ederetur. Obijt autem anno 1590. Summo totius Ordinis nostri, & Bononiensium quorumlibet mœrore.

Viri illustres Conv. S. Georgij de Bononiâ.

ANNOTATIONES IN CAP. XIV.

Omnia, & singula in hoc Cap. contenta colliguntur ex monum. utriusque Conv.

A

P. Archangelus constituitur Vicarius Generalis etiam per Bohemiam, inde recedente P. Sosteneo. Conventum D. Michaelis Pragæ juxta Reparatricis statuta disponit. Recens S. Crucis Ecclesia propè Bonnam consecratur. Admittuntur ad participationem Ordinis plures Germaniæ Principes. Indultum Pontificum pro erectione Confraternitatum Habitûs septem Dolorum.

C A P. XV.

Archangelus Benivenius à Reverendissimo Generali Ferrario, constitutus per Austriam jampridem ad vices suas obeundas, hoc anno à Re-
B verendissimo Generali Burgo in eodem munere confirmatus. 2. Immò in locum P. Sostenei Italiam tunc repetentis die 16. Augusti etiam per Bohemiam suffectus, Pragam ad nostros expeditionem Oeniponte movit, quo simul ac Mense Octobri pervenit, absolutis ex animi sententiâ Viennæ apud Cæsarem Ordinis negocijs filiali observantiâ exceptus ea omnia præstitit, quæ Conventui, & Ordini conducere videbantur; præsertim verò in id incubuit, ut ad mentem Serenissimæ Ordinis Servorum Reparatricis Sororis Annæ Julianæ disciplinam Religiosam ibidem quoque formaret, tum ratus stabilem futuram, cum Religiosorum mores ad prædictæ Serenissimæ Sororis leges fecisset etiam Cœ-
C lo probarentur; Inde verò discedens primum ex Germanicæ Familiæ gremio Pragensium Priorem pro sequenti anno destinavit P. Cherubinum Dalcum ex Iberniâ oriundum inter primos Germaniæ Fratres præclarissimum. Intereà cum prope Bonnam 3. in Monte S. Crucis, de quo ad annum proximè præcedentem, maximè ferveret fabricæ opus Serenissimo Electore, ut dictum est, summo studio incitante, Sacra demum Ædes ad culmen perducta sacris Ritibus erat hoc anno initianda. Dedicationem hanc 5. nonas Maij hujus anni faciendam longè latèque enunciaverat fama, & ingentem unà catervatim advenrantium multitudinem acciverat Reverendissimus Otho Gereon Coloniensis Ar-
D chiepiscopi Suffaganeus Coloniâ vocatus ad sacros Ritus obeundos, & alia quæcunque ad hanc dedicationem complendam necessaria præstò erant. Denique Serenissimus Elector magnâ Aulicorum frequentiâ actionis hujus fere dixerim impatiens matuè comparuit. Mox maximâ, quâ poterant, solemnitate, ac pompâ consecrata fuit Ecclesia, quibus ritè absolutis ad meritas Deo gratias habendas, encœnia hæc hymnus *Te Deum laudamus* solemniter cantatus coronavit. Ex hujusmodi verè spectabili Populorum ad Ædem hanc religione, ac votivorum donorum cumulo Serenissimus Princeps eo senserat se gaudio affectum, ut Aulam reversus illud ibi com-

Consecratur solemni ritu Ecclesia S. Crucis prope Bonnam

commune fecerit; adeò in ipso increbuit ad asylum hoc religio, ut quàmsæpissimè nimirum bis, vel ter per subsequentes hebdomadas eò se conferret, ibique magno animi ardore, & magnâ corporis dejectione supra nudam humum Aræ devolveretur intentissimis precibus pro suâ, Romaniíque Imperij incolumitate apud Deum, ejusque Parentem doloribus transfixam uberes in lachrymas solutus. Ad tanti Principis exemplum compositæ Gentes incredibili frequentiâ ad S. Crucis Ædem votiva offerentes donaria accedebant, ita quidem, ut vix Oppidum ullum, Pagum ullum, cui Sanctitas Loci constaret, reperire fas esset, qui supplicationem illuc quotannis cum aliquo munere non destinaret. Adeò quoque erga B. Virginis Dolores, & sanctum ejus Habitum hisce temporibus per Germaniam excrevit Religio, ut Reverendissimus P. Generalis die 15. Octobris hujus anni Literas patentes participationum .4. nostri Ordinis, easque, prout par erat, honorificas nonnullis Regionum illarum Principibus dederit. Quin etiam incrementum illud cultus iste S. Habitûs Dolorum ubique Gentium suscepit, ut P.M. Nicolaus Cæ de Cremonâ Procurator Ordinis in Curiâ zelo propagandæ Religionis, & cultûs hujusmodi ductus, cum sibi satis factum non crederet ob Indulgentias deferentibus Habitum concessas à Paulo Papâ V. felicis recordationis per literas patentes die 14. Februarij 1607., & ob facultatem Generali Ordinis pro tempore existenti ab eodem Summo Pontifice collatam erigendi ubique Gentium Confraternitates Habitûs prædicti per Literas patentes sub datum die 28. Julij 1607., prout in hac Centuriâ lib. 6. cap. 14. & juxta Edit. 2. c. 13. supplices Libellos hoc anno humillimè porrexerit Summo Pontifici Urbano VIII. pro erigendis ejusdem Habitûs Societatibus, nedum in Ecclesijs Ordinis nostri, verùm etiam in secularibus, quibus benignè Sanctitas Sua annuit servatis tamen servandis, prout ex sequentibus constat .5.

Serenist. Electoris Colon. devotionis fervor.

In Germaniâ Religionis incrementum erga B. Virginis Dolores.

Facultas erigendi Confraternitates Habitûs 7. Dol. in Ecclesijs Secularium.

URBANUS PAPA VIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoris æterni, qui pro gregis salute mori dignatus est, vices, licèt immeriti, gerentes in terris, ex injuncti muneris debito de commissarum Nobis ovium salute, assiduè cogitantes, illa libenter concedimus, per quæ Christifidelium in fructuosis, ac pijs operibus exercendis Religio, & devotio majora in dies suscipere valeant incrementa. Aliàs siquidem fel. rec. Paulus Papa V. Prædecessor noster per suas in simili formâ Brevis sub die 14. Februarij 1607. expeditas Literas certas, tunc expressas, Indulgentias, & gratias spirituales omnibus, & singulis utriusque sexûs Christifidelibus, qui Habitum solitum B. M. Virginis Servorum suscipientes, Confraternitatem ejusdem B. M. H

Servorum ingressi fuissent, & tam illis, quàm E *alijs in dictâ Confraternitate descriptis, qui certa pia opera etiam nunc expressa peregissent, concessit; necnon tunc, & pro tempore existenti Priori Generali Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ, ut hujusmodi Confraternitates Laicorum utriusque sexûs in Ecclesijs ejusdem Ordinis, de Ordinariorum Locorum Licentiâ, & consensu erigere, & instituere, illisque omnes, & singulas Indulgentias, & gratias spirituales, servatâ tamen formâ præscriptâ in Constitutione felicis memoriæ Clementis Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri, super dictarum Confraternitatum aggregationibus editâ communicare posset, & valeret, facultatem Apostolicâ auctoritate impartitus fuit, prout in dictis Literis, quarum tenores præsentibus pro plenè, &* F *sufficienter expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem Nos Confraternitatum hujusmodi propagationi, ad Omnipotentis Dei, ac Gloriosissimæ ejus Genitricis Mariæ Virginis laudem, & gloriam, animarumque salutem, perampliùs consulere volentes, supplicationibus Dilecti Filij Nicolai Cæ de Cremonâ prædicti Ordinis Procuratoris Generalis Nobis humiliter porrectis inclinati, Dilecto Filio moderno, & pro tempore existenti ejusdem Ordinis Priori Generali, ut Confraternitates hujusmodi etiam in Ecclesijs secularibus, de expresso tamen Ordinariorum Locorum, ac Rectoris Ecclesiæ hujusmodi consensu, & servatâ in reliquis Literarum prædictarum formâ erigere, & instituere, illasque Indulgentias prædictas communica-* G *re liberè, & licitè possit, & valeat, dictâ auctoritate, tenore præsentium, facultatem concedimus, & impartimur. Necnon Confratribus, & Consororibus Confraternitatum vigore præsentium erigendarum, & instituendarum hujusmodi pro tempore existentibus, quòd septem Altaria per dictum Priorem Generalem, in Ecclesijs secularibus prædictis semel tantùm designan., devotè visitando, aliaque pro Indulgentijs, & gratijs prædictis consequen., præscripta adimplen. easdem omnes Indulgentias, & gratias consequi possint, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. In contrarium non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & Sigillo Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides, in judicio, & extra, adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 18. Septembris 1628., Pontificatûs nostri anno sexto.

Eodem pietatis sensu erga Dolores B. Virginis, & sacrum ejusdem Servorum Habitum .6. ductus Mathias Filius Nicolai de Lucâ in Etruriâ testamentariâ dispositione legaverat die 20. Aprilis 1625. Sororibus Tertij Ordinis nostri in amplissimâ, & Regiâ Civitate Vene-

Venetiarum Domum quandam ſuam ſitam in regione S. Hermagoræ. A Sorores autem, quæ quidem in præſatâ Civitate ab immemorabili fermè tempore erant, ſed ſeparatim ab invicem vivebant; hoc anno 1628. die 17. Novembris Domûs hujus poſſeſſionem corporalem adiere, ibíque unà ſimul vitam ducentes longè perfectiùs Deo, ac Deiparæ obſequium exhibere cæperunt, & adhuc biſce temporibus, quibus hæc ſcribimus, exbibent; quas etiam anno 1715. Menſe Septembri ſummâ animi voluptate inviſere mihi licuit, & ab ijſdem monumentum hoc accepi, quæ ipſummet teſtamentum Mathiæ mihi videndum præbuere. Hic autem nequa Poſteros ſubeat de his Monialibus æquivocatio, animadvertere juvat, quòd eædem omninò ſunt, quæ vel antiquitùs Venetijs fuere, B quamvis antiquitùs Moniales iſtæ Defunctorum cadavera induere ſolerent, quod pluribus ab hinc annis non præſtant, propterea quòd ab hoc Charitatis genere cæteroqui abſolutè laudabili, attentis quibuſdam circumſtantijs abſtinere longè meliùs conſultum duxerunt.

Julius Cardin. Sacchetus Flor. eligitur Protect. Ordinis

Quatuor exactis annis, ex quo Servorum B. Virginis Ordo uno ex Purpuratis Patribus, qui ampliſſimo ſuo Patrocinio ipſum foveret, illuſtraret, promoveret, deſtitutus erat, tandem aliquando Summus Pontiſex hoc anno in ejuſdem Ordinis Protectorem ſuffecit Julium .7. Cardinalem Sacchettum de Florentiâ, quem anno 1626. Sacrâ Purpurâ decoraverat, ac eo temporis Legatum de Latere apud Ferrariam conſtituerat, C pro quâ electione univerſus Ordo ſibi maximè gratulatus eſt, quippe qui tum ex ijs, quæ pro S. Sede Apoſtolicâ, & in Hiſpanijs, & alibi ſummâ laude geſſerat, tum ex illuſtri virtutum apparatu, quo ſe conſpicuum omnibus exhibebat, colligere prudenter poterat, quodnam ex ejus patrocinio acceſſurum ſibi foret ornamentum, & decus, quemadmodum præſagium hoc rei comprobavit eventus.

Reliquia B. Peregrini Laziosi apud PP. Fori Põpilij.

Hoc eodem anno annuentibus Civitatis Foroliviensis Optimatibus illius noſtri Cœnobij Fratres pollicem dexteræ manûs B. Peregrini Lazioſi dono dedere Patribus ejuſdem Ordinis noſtri apud Forum Pompilij degentibus, Communitate illâ id plurimùm expetente, ac per D Oratores poſtulante, quem in argenteâ Thecâ manûs ſpeciem præſerente honorificè clauſum quotannis in ejus ſolemnijs magnâ Populi affluentiâ ſolemni Proceſſione inſtitutâ honorificè circumſerunt ijdem Patres. Cùm præcæteris omnibus Ordinis noſtri Eccleſijs primas jure teneat Eccleſias D. Annunciatæ de Florentiâ præ multitudine, ac raritate Miraculorum toti Orbi notiſſima, & præ votivis donarijs pretioſiſſimis, tabelliſque votivis innumeris, maximè decere arbitror hiſce Annalibus inſerere, quòd die 14. Octobris hujus anni Eminentiſſimus Ludovicus Card. Ludoviſius Archiepiſcopus Bononienſis in Pontificalibus conſtitutus argenteum Altare in Sacello D. Annunciatæ poſitum, ſive totam Altaris menſam ex Alabaſtrite veteri Orientali conflatam præſentibus Sereniſſimis Etruriæ Principibus, unà cum Sereniſſimo Parmenſium Duce, qui Florentiæ tunc aderat pro Nuptijs cum Sereniſſimâ Margaritâ Medices celebrandis, ſolemni ritu conſecravit, appoſitis ſequentibus Sanctorum Reliquijs, ſcilicet Sanctorum Apoſtolorum Andreæ, Thomæ, Simonis, & Thaddæi, & Sanctorum Quatuor Coronatorum, & Indulgentiâ unius anni pro hac die, & centum dierum ipſum viſitantibus die prædictâ quotannis conceſſâ, ibíque ſtatim Miſſam celebravit.

Tota Menſa Altaris D. Annunciatæ de Flor. ſolemni ritu cõſecratur

P. Joan. Baptiſt. Stefaneſchi Senenſ. Montis Eremitæ in pingẽdo excellẽtia.

Quibus peractis Emin. eidem Cardinali dono ſtatim dedere illius Cœnobij Patres D. Annunciatæ Imaginem ab excellentiſſimo Pictore P. Joanne Baptiſtâ Stefaneſchi Senarij Mõtis Eremitâ egregiè delineatam; hic enim Pater plures ex hiſce Imaginibus, & quidem arte mirabili delineaverat, utpotè B. Virgini addictiſſimus, & ideò in arte hujuſmodi excellens, ut imagines hujusmodi pretio ferè dixerim quocunque Superiores ubique habitæ, ubique requirantur, & Summus idem Pontiſex Urbanus VIII. Romam ipſum juſſerit acciri, ut præclara aliqua ibi quoque Poſteris relinqueret ſuæ artis monimenta.

Inſigniũ Virorũ Statuæ votivæ, ac Tabellæ parietibus D. Annun. de Flor. appenſæ.

Duo adhuc ad hanc Eccleſiam ſpectantia paucis recenſenda ſuperſunt; primò videlicet, quòd circa veſtibulum hujus Eccleſiæ eleganti ordine diſpoſitæ fuere plures Inſignium Virorum, adhuc etiam Principum, Regum, Imperatorum, & Summorum Pontificum Votivæ Statuæ, & parietibus appenſæ tabellæ plurimæ pariter votivæ, quæ gratum exhibent eò peregrinantibus ſpectaculum ijſdem ad pietatem, & venerationem erga D. Annunciatam vehementer commovendis accommodatum.

Sanctimoniales Carmelitæ de Flor. ſupplicatione inſtitutâ venerantur Eccleſ. D. Ann.

Deinde ſciendum eſt, quòd die 7. Decembris ejuſdem anni, cùm Sanctimoniales Carmelitæ è Monaſterio S. Mariæ Angelorum, quod hactenus incoluerant in Vico S. Frigdiani Apoſtolicâ diſpenſatione transferendæ ad Monaſterium, quod pariter hactenus coluerant Monachi Ciſtercienſes in Vico, qui vulgò *in Pinti*, Monachis ipſis ſedem à Monialibus relictam adeuntibus, ſupplicatione inſtitutâ prædictam Eccleſiam D. Annunciatæ venerari voluere, antequam Monaſterium recens deſignatum ſubirent. Cùm verò Eccleſiam ipſam ingreſſæ fuere ſtatim hac clauſâ, præſente ſolùm honoris ergo Sereniſſimâ Chriſtinâ, quæ ſingulare aliquod exiſtimationis argumentum ipſis exhibere ſtudebat, & rem ipſam promovente, Sacratiſſimam D. Annunciatæ Imaginem ſolius P. Hyppoliti Cioni Sacriſtæ operâ raro exemplo detectam Sanctimoniales præfatæ ipſam perquàm optimè conſpicientes pietati ſuæ ſatis abundè fecere .8.

In Comitijs Provincialibus Etruriæ habitis hoc eodem anno decrevere Patres quòd in Principio Miſſæ ſinguli prius dicerent verba illa:

Revocatur consuetudo dicendi Ave Maria *in Missâ post illa verba:* In nomine Patris &c.

illâ: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen*, deinde verò *Ave Maria gratiâ plena*, usque ad *Jesus* inclusivè; quæ tamen consuetudo revocata deinceps fuit, prout constat ex Constitutionibus, quas Urbanus Papa VIII. confirmavit sub datum Romæ die 23. Februarij 1639. decrevere quoque, quòd in fine ejusdem Missæ dicatur semper *Salve Regina*: Summus verò Pontifex Indulgentiam Plenariam concessit in celebratione hujus Capituli, quemadmodum constat ex sequentibus Literis.

URBANUS PAPA VIII.

Indulg. Plen. pro Capitulo Provinciæ Thuscia.

UNiversis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut accepimus, Capitulum Provinciale Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ Servorum Provinciæ Thusciarum in Domo Regulari Ecclesiæ Annunciationis B. M. Virginis ejusdem Ordinis Florent. benedicente Domino die 15. Mensis Maij celebrandum sit. Nos, ut tam Opus pium majori cum fructu fiat, ac ad augendam Fidelium Religionem, & animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris piâ charitate intenti; omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacrâ Communione refectis, qui ejusdem Annunciationis Beatæ Mariæ, & Montis Senarij dicti Ordinis Ecclesias singulis diebus actualis celebrationis præfati Capituli devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus post celebrationem dicti Capituli minimè valituris. Volumus autem, quòd si pro præsentatione, admissione, seù publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut spontè oblatum recipiatur, ipsæ præsentes nullæ sint eo ipso.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Februarij MDCXXVIII. Pontificatûs nostri anno quinto.

Gratis pro Deo, & Scriptura

M. A. Maraldus.

Archangelus Benivenius . . . . 2.

Hoc pariter anno die 3. Novembris Senarij Montis .8. Eremi Patres per secreta suffragia ad solemnem Professionem emittendam admisere P. Joannem Mariam Eremi S. Georgij Fundatorem, & quatuor alios in eadem Eremo S. Georgij Eremiticam vitam ducentes, qui Novitiatu per annum completo ad Professionem admitti humillimè postulabant.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

1 *REg. Gen. Burgo pag. 5. Reg. Thusciæ in Arch. D. Annunc. de Florentiâ.*

2 *Aug. Romer. Serv. Mariana l. 5. c. 7., & 21.*

3 *Idem ibidem l. 8. c. 8.*

4 *Reg. Gen. Henr. Ant. Burgo pag. 221.*

5 *Bullæ Hujus habentur exemplaria passim in Conv. Ordinis.*

6 *Testamentum vidi apud easdem Moniales.*

7 *Ex monum. S. Marcelli de Urbe, & aliorum respectivè Conventuum.*

8 *Ex monum. Senarij.*

De Obitu Balthassaris Bolognetti, Amadei de Monte Senario, & Joannis Angeli Lottini de Florentiâ. D. Annunciatæ oblatio facta à Principe Laurentio Medices, qui admittitur ad participationem Ordinis. Clauditur in Monasterio fons B. Philippi. Decernitur Missa solemnis annua pro D. Annunciatâ, & numerus Religiosorum.

CAP. XVI.

Balthassaris Bolognetti obitus, & laudes.

REcensendus in primis occurrit hoc anno Reverendissimi Balthassaris Bolognetti de Bononiâ Episcopi Neocæstrensis obitus, neque enim egregiæ ejus dotes, & præclarissima opera ullatenus patiuntur, quòd tantus Vir, etsi communi fato subiectus, communi quoque lege veluti gregarius prætereatur, sed id petunt omninò, quòd sicuti doctrinâ, & ingenij præstantiâ singularis, cùm viveret, semper est habitus, ita cùm è vivis excesserit, singulari laudum genere exornetur. Ab ineunte ætate Balthassar ea Ingenij sui Literarum studijs exculti Bononiæ specimina præbuit, ut omniũ benevolentiam sibi conciliaverit, præsertim verò Dominis de Bolognettis, Patritijs, Bononiensibus acceptissimus fuerit, qui proinde illum familiæ suæ adoptarint, proprium enim ipsi cognomen erat *de Surghi*, bonarum artium in ipso fovere, & varijs dotibus tum naturâ, tum arte comparatis perquàm optimè instructum ipsum ad subliniora promovere nunquam destiterint. Servorum B. Virginis Habitu indutus nobilioribus scientijs, præ cæteris verò Theologicâ facultate, quàmmaximè ornatus, sacris Concionibus habendis animum seriò adiecit (quòd sanè Oratoris præsertim sacri munus sine omnigenâ eruditione exerceri laudabiliter non posse, nemo si sapiat non videt) hinc brevî reliquos ejus ætatis Sacros Oratores ubique Gentium antecelluit, tum excellentiâ Doctrinæ, tum elegantiâ Orationis, tum suavitate dicendi, tum vehementi ardore, quo et virtutum Auditoribus amorem instillaret, & vitiorum execrationem. Quamobrem ab omnibus ubique expetitus in pluribus, ijsque primarijs Italiæ Urbibus incredibili semper exceptus plausu sacrum hoc ministerium obivit. Cremonæ in primis, ut aliquas præcæteris recenseam, in Ecclesiâ Cathedrali Quadragesimales aliquando Conciones habens fre-

frequentissimâ, eâque spectatissimâ Auditorum Coronâ omnium animos in sui amorem rapuit, potissimùm verò Nicolai Card. Sfondrati eo temporis ejus Urbis Episcopi, qui Coronam illam præsentiâ suâ illustrabat; cum enim eâ necessitudine sibi devinxit, ut cùm Nicolaus anno Domini 1590. electus fuisset in Summum Pontificem, qui Gregorius XIV. dictus est, singularem hujus Summi Pontificis benevolentiam erga Balthassarem, & summam existimationem, quam de ejus Doctrinâ conceperat, compertissimam habentes Ordinis nostri Patres in Comitijs Generalibus anno proximè sequenti 1591. Parmæ habitis ipsum Procuratorem Ordinis in Romanâ Curiâ unanimi consensu elegerint, eâ maximè ducti fiduciâ, quod è S. Sede, cui acceptissimum cognoscebant Balthassarem, plurimùm commodi, decoris, & gratiæ Ordini nostro accessuturum exinde foret, quod & Archangelus Gianius animadvertit ad d. annum 1591. Cent. 4. l. 5. c. 5. & juxta Edit. 2. c. 6. Bononiæ verò anno 1598. è celeberrimo S. Petronij suggestu declamans Quadragesimæ tempore adeò frequentem sibi audiendo Populum habuit, ut adhibere necesse fuerit Card. Legati cohortem, tum evitandis tumultibus, tum ut Balthassari ipsi suppeteret aditus ad ipsum suggestum; quinetiam opus aliquando fuerit, ut antequam Sacra haberetur Concio, D. Camillus Burghesius tunc Bononiæ Vicelegatus, qui deinceps Summus Pontifex fuit Paulus V., ibidem præsens impedite contendens, quæ ex magnâ Populi, qui eò convenerat, affluentiâ imminere prævidebat incommoda Tubæ sonitu prævio Edictum ex eodem suggestu publicari fecerit, quo rationem præscribebat audiendæ proximè Concioni unicuique ineundam. Camillus deindè eo in pretio Balthassarem habuit, ut præter pretiosa munera, quibus illum munificâ manu ornaverat, à clarissimis Urbis illius Senatoribus Cathedram S. Theologiæ in eâ Universitate impetraverit, qui & unanimes, & libentissimo animo eandem illi contulere. Præterea Romæ in Ecclesiâ S. Marcelli tum anno 1600., tum anno 1614. Sacrum Oratore agente singulari afficiebantur omnes voluptate cujusque generis Auditores, sive è grege, sive primarij, & Purpurati Sedis Apostolicæ Proceres eâ sanè frequentiâ, cui parem nunquam fuisse communis omnium circumferebatur opinio, quod è largis eleemosynis conijcere fas erat, quas Auditores ipsi erogabant. Præ cæteris autem, qui Balthassari dicenti frequentissimè aderant, Card. Millinus summo ipsum habebat in pretio, quamobrem designatus à Summo Pontifice Paulo V. Legatus Apostolicus per Germaniam apud Cæsarem, Balthassarem, quem Bononiæ convenit, sibi in Theologum, & Concionatorem adscivit; Balthassar verò utrique muneri par in utroque egregiè se gerens in lucem edidit datâ opportunitate dogmata quædam Catholicæ fidei, prout cum Hæreticis illius temporis per Germaniam, vel dissetendo, vel declamando explicaverat, quæque deinde Urbem repetens Paulo V. Summo Pontifici nuncupata humillimè exhibuit, cui se jampridem acceptum esse cognoverat. Ob hæc, & alia, quæ in ejus commendationem ab eodem Card. Millino Summus Pontifex acceperat, honoribus ipsum prosequi cupiens, Reverendissimo Deodato Ducci Ordinis nostri Priori Generali anno 1614. vitâ functo Apostolicâ auctoritate in legibus dispensans ipsum Ordini eidem administrando suffecit, donec Triennium Prædecessoris ad annum usque 1615. proximè sequentem compleret, quinimò eodem anno 1615. absque Comitiis Generalibus cæteroqui eo temporis habendis Apostolico diplomate Priorem Generalem Ordinis per integrum Triennium de more usque ad annum 1618. confirmavit. Electores autem eodem anno congregati in Comitijs Generalibus habitis in Cœnobio S. Joseph, secus Bononiam Summo Pontifici quasi obsequentes Priorem iterum Generalem Ordinis elegere; licèt autem singularibus hisce honoribus Balthassarem omnes prosequerentur, non hic tamen fuit ijsdem modus; nam Alexander Card. Ludovisius, qui cùm Ecclesiæ Bononiensi præesset haud mediocri cum ipso consuetudine, & familiaritate utebatur, haud mediocri illâ ductus existimatione, quam de eodem colebat, in Summum deinde Pontificem electus nomine Gregorij XV., ad quem Bononiensium Theologorum Collegium suo nomine legaverat pro assumptione ad Summum Pontificatum gratulabundum, incredibili comitate, & plurimis benevolentiæ argumentis excepit, deinde in supremâ Ordinis Præfecturâ confirmavit, præterea Thesaurarium suum secretum liberali addito stipendio, sacræ universalis Inquisitionis Consultorem, & Archihospitalis S. Spiritûs in Saxiâ Commendatorem elegit, prout alibi dictum est, quæ sanè honorifica munera ad longè sublimiora videbantur præludia, quæ ipsi accessura esse vero proximum erat, nisi mors immatura prædicti Summi Pontificis longè varias ipsum subite vices coegisset; Urbanus enim VIII. Gregorio sublectus Neocastrensem Episcopum creavit, ac propterea præfatis omnibus muneribus imparem reddidit, qui sibi fortè non satis in eâ dignitate complacens non diù superstes in suâ Cathedrali decessit, quem tamen invitâ adhuc morte æternitate donant singulares ejus dotes, in administrandis muneribus prudentia, rerum gerendarum peritia, generosa animi indoles, summa ejus in omnes munificentia, gratissimus erga Ordinem animus in amplissimâ Bononiensis Cœnobij Fabricâ, cui maximè promovendæ sex & mille aureos impendit, adeò luculenter expressus. Æternitate pariter donant præclara doctrinæ suæ monumenta, eloquentia, & reliquæ mox celebratæ vir-

virtutes. Æternitate donant Gentilitia ejus E insignia publicè exposira in Cœnobijs Fori Pompilij, Fori Cornelij, & S. Joseph de Bononiâ præ foribus, suppositis in lapide his verbis: *Grati animi ergo;* quamvis anno 1658. inde amota, quia hominum ingenuorum maximè animis perpetuò impressa, in Cœnobio verò Bononiensi pluribus pateat in Incis. Prætereà celebres Scriptores, qui plurimùm Balthassarem commendant, Crescentius *nel presidio Romano*; Ferrerius *nella Corona di gioie*; Salvius *nell' Hiadi*; Gregorius Alasia *nel Catalogo di Bologna*; Malitia *Bologna perlustrata 2. parte*; Alidosius *ne' Vescovi Bolognesi, e Dottori di Teologia*; Ughellus *Ital. Sac. tom. 9. pag.* 570. Hoc verò præ cæteris præstat insigne elogium, quod illi à Viro F laudatissimo accessit. De illo enim cùm Neapoli concionaretur eximio omnium plausu, cecinit tertiâ parte suavissimæ suæ lyræ celeberrimus Poeta Eques Joannes Baptista Marinus.

Manto di Corvo, e Spirto hai di Colomba.

P. Amadæi Eremitæ Montis Senarij obitus, et laudes.

Supremum pariter hoc anno die 22. Januarij diem obijt in Eremo Montis Senarij P. Amadeus in seculo vocatus Franciscus Maria Gasparis *del Giocondo*, cujus virtutes paucis saltem perstringere importunum non erit. Optimè perspectâ fallaci Honorum seculi conditione, cùm probè pariter nosset bonum viro esse jugum ab adolescentiâ suâ portare, anno ætatis suæ 21. die 18. Augusti 1596. Fremiticum in Monte Senario Habitum suscepit, quod pluribus ejusdem indolis ad idem G Institutum capessendum incitamento fuit. Simplicitate, & prudentiâ præstantissimus, non sibi tantùm consuluit, sed etiam alijs, præsertim ijsdem regendis Præfectus, quo in munere summâ suâ diligentiâ, & in rebus gerendis peritiâ, & animi sinceritate Deo simul, & hominibus amabilem se reddidit. Denique cùm Eremum illam annos 31. cum dimidio optimo exemplo, consuetudine valde laudabili, tenacissimus perpetuò Legis Eremiticæ Custos coluisset, utpote maximè acceptus Deo, tanquam aurum igne gravissimis doloribus colicis probatus fuit, quibus per 21. dies vehementer affectus, & in extremo constitutus discrimine, mansuetudinis, & veræ humilitatis, quas à Christo Domino edo- H ctus diù fuerat, præclara dederat specimina; hinc morti proximus Sacro Viatico roborandus, humillimè peritâ ab omnibus tum præsentibus, tum absentibus veniâ inhæsitanter dixit: *Etsi tempore conversationis meæ me aliquem læsisse contigerit, non ex industriâ tamen, quatenus saltem subit mihi memoria, sed quin ipsum adverterem, circumstantes omnes rogo, ut in summo discrimine, quod mihi imminet, orationum suarum præsidio adiumento mihi esse non dedignentur, mutuam vicem spondens singulos, & locum hunc Deo etiam atque etiam commendaturus.* Quibus omnibus, & alijs hujusmodi virtutum actibus, tanquam bono Christi odore Domum illam repletam, extre- E mâ unctione munitus, sicque cum circumstantibus Domino commendans, & Christi Domini Passionem, quæ legebatur, summâ animi demissione, ac pietate audiens, ad ea verba: *Et inclinato capite tradidit spiritum*, vitam hanc miseram cum immortali commutavit.

Jo. Angeli Lottini Florent. obitus, & gesta

Florentiæ quoque eodem anno vitâ functus est Joannes Angelus Lottini Florentinus utique non prætereundus ob insignem pietatem, quam erga D. Virginem Annunciatam potissimùm fovebat unà cum singulari eruditione conjunctam, de nostro Ordine, præsertim verò de Cœnobio, & Ecclesiâ ejusdem D. Annunciatæ optimè meritus, quemadmodum luculenter ostendit quàm diligentissima miraculorum maximi pretij collectio Postero- F rum memoriæ Typis, & Graphicis imaginibus egregiè delineatis commendata.

Missa solemnis in Eccl. D. Ann. de Flor. die 10. Decemb. cujuslibet anni

Florentiæ pariter illius Cœnobij Patres D. Virgini magis in dies ac magis venerandæ indesinenter addicti unanimes hoc anno decrevere, quòd die 10. Decembris Missa quotannis celebraretur solemniter ob insigne prodigium Sacræ Domûs Nazareth in agrum Lauretanum hac die translatæ.

Serenifs. Princ. Laurentius Medices insignis Benefactor admittitur ad participat. Ordin.

Eidem Virgini Annunciatæ Regiæ suæ pietatis exhibuit argumenta Serenissimus Princeps Laurentius Medices longè pretiosa ipsi offerendo donaria, Pallium scilicet argenteum D. Annunc. Tabulæ operiendæ appositum. Quâ de re die 18. Aprilis ejusdem anni ad participationem Ordinis admissus fuit, & meritò quidem, G quippe qui plurima eidem Ordini contulerat beneficia.

Fons B. Philip. in Môte Senario clausurâ vallatur.

Aliud quoque veræ pietatis specimen apud Senatium exhibuit Reverendissimus Generalis Henricus Antonius Burgo, sicuti in lapide æternitati impressum, ita eidem æternitati Annalibus hisce inserendum. Cùm enim Religiosissimus Generalis certior factus fuisset, quòd B. Philippi fons, prodigijs non minùs affluens, quàm aquis, de quo Gianius Cent. 1. l. 2. cap. 18. & juxta Edit. 2. c. 19., cuique nimis obvius minùs decenter quandoque ab accedentibus pecudibus haberetur ob oscitantiam Pastorum, ipsum singulari devotione veneratus, decrevit fontem claustro quodam lapideo circumquaque vallari; quod ut longè citiùs executioni manda- H retur centum aureos impendit prædicto operi Sanctissimo pares, & reipsâ mandatum fuit quàm citissimè, & elegantissimè, circumpositâ eidem Claustro ad perenne tanti beneficij, tantæque pietatis monumentum proximè sequenti inscriptione: *Siti ne pereant Fratres, B. Philippus fontem aperit 1254., situ ne pereat fons, F. Henricus Antonius Generalis operit 1629.* Hic autem obiter ad rem arbitror attexere, quod ad hæc usque tempora, quibus mihi scribere datur post quinque ferè secula, fons iste, licèt ex arido potius pumice scatens, nunquam destitit ab aquis jugiter emittendis, etiamsi plures menses æstivo tempore sudo Cœlo pluviæ nunquam descenderint, ac proinde

inde

inde cæteri fontes exaruerint, quæ sanè jugis aquarum affluentia Divinæ beneficentiæ meritis B. Philippi accepta tribuenda non dubitatur; & ea verè est Christifidelium erga Fontem hunc, & hujus aquam religio, ut quàm frequentissimè undique petita, & infirmis adhibita sanitatem illis non fine admiratione contulerit. Denique hoc anno S. Congregatio numerum eorum designavit, qui de Familiâ degere in posterum deberent in quibusdam Cœnobijs Ordinis nostri, scilicet Perusij, Fulginei, & S. Matini.

S. Congregat. numerũ designat Fratrũ in Cœnobijs.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

E *Monum. Conv. D. Annunc. de Florent., & aliorum respectivè.*

Occasione Pestis enarrantur preces, opera, & prodigia Cultus 7. Dolorum augetur. De obitu Illustrium Virorum.

CAP. XVII.

Lues pestifera, quæ per hujus anni seriem plurima Italiæ Loca indiscriminatim pervaserat, quæque proindè plurimis morti miserrimè damnatis gravissima ubique gentium intulit incommoda non pauca, sanè excitavit Posterorum memoriæ commendanda, quorum aliqua lachrymis, aliqua verò veneratione summâ sunt prosequenda. Primùm ergo in Ecclesiâ nostrâ apud Castellionem Ditionis Venetæ S. Petro nuncupatâ præter veneranda plurium Sanctorum, eaque Literis authenticis recognita Lipsana Imago quædam Christi Domini Cruci affixi, quam Incolæ Montis Clari jampridem Româ detulerant, quò peregrinati erant, summâ veneratione.r. colitur multiplici miraculorum genere conspicua. Hoc autem anno percrebrescente Christifidelium pietate plures ipsis contulit gratias Dominus ad augendam hujus Imaginis venerationem, quod beneficentiæ genus ad hæc usque tempora prosequutum jugiter fuisse non interruptâ Populorum traditione docemur; hinc nullo non die venerabundæ Gentes sanctam illam Imaginem adeunt, præsertim verò qualibet feriâ 6. cultum quendam maximè laudabilem ab ejus Cœnobij Patribus excogitatum prosequuturi. Veronæ tamen quid longè mirabilius occurrit; hoc enim anno die 2. Aprilis à meridie feriæ 3. post Dominicam Resurrectionis Divinitùs videndam se præbuit duobus Presbyteris, quorum unus Ordinis erat Servorum, alter verò secularis, Imago quædam B. Virginis Puerum Jesum inter ulnas detinentis. Vix Prodigium hoc in vulgus erupit, quòd turmatim Populus ante ipsam provolutus vota sua humillimis precibus offerebat, ut ab horribili illâ peste, quâ vehementer undequaque vexabatur, ejus intercessione eximeretur. Verùm eorum preces irritas abire passa non est Deipara, nam brevì pestifera lues ab eâ Urbe exulavit. Deinceps verò plura jugiter in dies mirabilia illarum gentium utilitati Beatissima Virgo præstabat. Illæ autem summâ ipsam veneratione, & frequentissimâ affluentiâ prosequi vicissim nitebantur, ut ab eâdem alias semper & alias sibi gratias emererentur; quod profectò unumquenque apertissimè docent diversi generis vota, votivæque Tabellæ ejusdem Ecclesiæ parietibus appensa numero quocunque ferè dixerim superiora; quâ de re appellata semper in posterum fuit Mater Gratiarum. Ecclesia quoque nostra de Casali majore Imaginem B. Virginis exhibet hoc anno Gratiarum multitudine conspicuam; hæc utique jampridem, anno videlicet, quo ex muro quodam translata fuit super Altare decenter proinde exornatum, ad cujus crepidinem fons quidam erumpit, qua de re titulo *B. Virginis de Fonte* circumfertur, præ miraculis ab Altissimo ibidem patratis, celeberrima semper fuit, & summâ apud Populos veneratione; hoc autem anno longè magis in Christifidelibus excrevit erga ipsam religio; certatim à remotissimis etiam Regionibus eò peregrinantibus, & quidem frequentissimis, quia longè majorem hoc anno beneficentiam Virginis experti fuerant, dum infirmitate quacunque detenti solo aquæ ex eo fonte prodeuntis contactu, pristinæ saluti restituebantur, & consequentibus annis incrementum semper suscepere tum religio Fidelium, tum Virginis beneficentia; quin etiam hoc anno Mediolanensis ipse Senatus coram præfatâ Imagine ad B. Virginem confugit, ut à peste subduceretur, quemadmodum innuimus ad annum 1511., & constat ex ijs, quæ sequuntur, & in eâdem Ecclesiâ publicè exposita cernere licet.

Apud Castellionem Imago Christi Domini Crucifixi multiplici miraculorũ genere cõspicua.

Veronæ B. Virgo apparens hanc Urbem à Peste liberat.

Imago B. Virg. de Casali majore gratiarũ multitudine percelebris.

Idem fons pestilentiæ medetur.
Anno MDCXXX.
Sævit atrox iterum pestis, sed funeris ampli
Extinxit subitò Virginis unda faces.
Quamvis fons modicus mortem tamen obruit illi
Fecit in exiguo gurgite naufragium.
Jo. Sigismundus Araldus.
Gratia.

Præterea Bononiæ Ordinis nostri Fratrum singularis pietas enituit; cùm enim prædicta lues amplissimam etiam illam Urbem invasisset, & è medio ejusdem miserrimè tulisset vigintiquinque millia, & ferè septingentos, sexdecim verò millia per ejusdem Urbis Territorium; Fratres nostri æquè ac aliorum Ordinum Fratres erga tot miseros Infirmos, quos vel à proprijs Pastoribus de propriâ salute minùs solicitis destitutos videbant, vehementer commoti, præstò infirmis etiam ultrò in varijs nosocomijs fuere, ut eorum necessitatibus tum corporalibus, tum spiritualibus opportunè consulerent. Qui verò genus hoc verè heroicum charitatis exercuere sunt P. Jo-

PP. Bononiens. pietas tempore pestis.

P. Joannes Jacobus Zecchi, P. Joannes Vincentius Calvoli, P. Melchior Zopij, P. Antonius Maria Cavalleri, qui solus ibidem obijt, & hi omnes in Cœnobio S. Mariæ Servorum degebant. His autem accessit è Cœnobio S. Joseph P. Horatius Bolognini. Interim cùm quisque propriæ saluti consuleret in tanto rerum discrimine singuli de Paræciâ S. Catharinæ de Stratâ maiori voto se obstrinxere B Virgini Doloribus transfixæ, quòd si eos, & Paræciam à gravissimâ illâ vexatione vindicasset, solemni processione institutâ proprijs sumptibus ejusdem B. Virginis imaginem per ipsam Paræciam quaquaversum detulissent, Sacrâ Exomologesi se expiassent; Sabbatho Processionem eandem præcedente jejunium servassent; ipsâ verò die, quâ habetur Processio, Sanctissimam Eucharistiam recepissent, Missam celebrandam solemniter curassent, musicis quoque Cantoribus adhibitis, pro gratiarum actione ad ejusdem B. Virginis Doloribus transfixæ, Altare, cui singuli de Paræciâ interessent, & donatium illud obtulissent, quod à Parocho, & Officialibus Paræciæ designatum fuisset. Donec verò votis responderet Deus, singulis diebus septies devotè recitassent ad honorem septem Dolorum B. Virginis Orationem Dominicalem, & salutationem Angelicam. Vix autem institutâ Processione contagiosa lues quin se per Paræciam ulteriùs effunderet, exinde penitus exulavit; hinc anno sequente 1631. mense Februario prævio eorum vexillo Ecclesiam nostram adiere, & singulari Spiritûs profectu, & animi voluptate promissis omnibus stetere. Itidem Cœnobij nostri S. Mariæ Servorum Fratres, è quibus novem peste affecti obiere, partim Sacerdotes, partim Clerici, partim Conversi die 9. Augusti hujus anni, cæteros omnes Concives æmulati varijs pietatis operibus addictos votum Deo vovere; primò, quòd septem annos continuos, qualibet feriâ 6. non impeditâ Missam de Passione ad prædictum B. Virginis Altare solemniter cantassent, additis etiam nonnullis alijs precibus, & orationibus. Præterea, quòd jejunium exactè servassent in pervigilio S. Sebastiani in perpetuum, quo voto se jampridem obstrinxerat universus Ordo noster, anno videlicet 1487; eâdem necessitate commotus, Reverendissimo Generali Alabanti de Bononiâ legem hanc præscribente, sicuti spirituales quasdam preces ad implorandum ejusdem Sancti præsidium idem Alabantus Generalis instituit, prout Gianius Cent. 3. lib. 4. cap. 6. Quo voto emisso gravis ille morbus exinde prorsus abscessit, ipsi verò diligentissimè vota solverunt.

Bononiæ Paræcia S. Catharinæ de Stratâ maiori ad B. V. Dolorib. trãsfixæ confugiens à peste liberatur.

Ferrariæ peculiare Nosocomiũ Regularib. commodo peste laborantiũ in Cœnobio nostro construitur.

Item Ferrariæ die 16. septembris congregatis in unum coram D. Cardinali Magalotto ejus Urbis Episcopo singulorum Ordinum Regularium Prioribus occasione grassantis ubique contagij, post varias consultationes unanimiter omnes decrevere, quòd

E Nosocomium peculiare designaretur, & construeretur Regularium illorum commodo, quibus ipsum construendi pro Regularibus proprijs copia minimè suppeteret; propterea Fratres nostri construendum hoc statuere in loco pro Novitijs designato, & universa ibidem ad hanc rem necessaria singulari diligentiâ adornarunt. Cùm pestifera lues limitis impatiens quaquaversum effusa singula indiscriminatim pervasisset Italiæ loca, minimè vereor, quòd nedum in Cœnobijs, & Urbibus modò memoratis aliquid contigerit Annalibus hisce inserendum, verùm etiam & in pluribus alijs, par enim ubique necessitas parem in omnibus curam exigebat, neque verendum ullatenus est, quòd pari quoque affectu singuli ubique, & votis, & precibus Deum, B. Virginem, & alios Sanctos invocare

F jugiter studuerint. Verùm quia nos adhuc latet, quid speciatim perenni dignum memoriâ præstiterint, ideò de alijs locis nil mihi suppetit referendum; rem autem ipsam, quod pertinet ad gravissimam hanc pestem, ea quidem absolvant, quæ Florentiæ penes Ecclesiam præsertim D. Annunciatæ ejusdem Urbis Proceres universo Populo magno studio insequente præstitere. Primùm ergo publica ad Altare D. Annunciatæ instituta fuit Oratio; deinde ad idem Altare sacrum fecit Archiepiscopus. Præterea maximè solemnis per Urbem habita fuit supplicatio die 5. Decembris, quâ ab Ecclesiâ D. Marci Ordinis Prædicatorum ad Metropolitanam, ubi Divina Myste-

Preces in Eccl. D. Ann. de Flor. tempore pestis institutæ, & recitatæ

G ria ab Archiepiscopo solemniter peracta fuere, & iterum hisce peractis ad Ecclesiam S. Marci honorificentissimè delatum fuit S. Antonini Corpus, Patribus ejusdem Ecclesiæ humeros venerandæ sarcinæ supponentibus, Baldachinum verò deferentibus Serenissimis Magno Duce Ferd. II., duobus ejus Fratribus, & Laurentio Medices Patruo; Archiepiscopo tandem, & quatuor Episcopis in Habitu Pontificali associantibus, cum universo Clero, ac Magistratibus. Votum quoddam insuper unus è nostris Fratribus Serenissimo Magno Duci ab omnibus emittendum proposuit, communibus illis calamitatibus propulsandis opportunum; hac datâ oppurtunitate typis iterum impressum in lucem edidere illi-

H us nostri Cœnobij Fratres italico idiomate P. M. Dionysij Buffotti studio, quòd lampridem latino idiomate scripserat, Antidotarium contra pestem P. M. Jacobus Soldius de Florentiâ, opus quidem singulari plausu semper exceptum. Hisce quidem temporibus magis in dies increverat Dolorum B. Virginis Cultus: Notandum autem modò occurrit, quòd Perusii potissimùm P. M. Joannes Angelus Schiavetti Perusinus, & Cœnobii S. Mariæ Novæ Alumnus integritate vitæ conspicuus, B. Virgini addictissimus, & promovendi ejus cultûs studiosissimus acerbissimam ejusdem Passionem speciatim Christifidelibus, ferið contemplandam proponens, hoc

Cultus Dolorũ B. Virg. apud Perusiũ.

anno

anno ritum specialem ejusdem colendæ Perusii instituit, & proinde Imaginem B. Virginis delineandam curavit septem gladiis ejus pectori appositis septem graviores ejus Dolores præseferentibus. Hanc verò in Tabulâ quadam ampliâ expressam Sacello eidem Virgini nuncupato in parte superiori exteriùs superposuit. Hoc pariter anno deplorandus Nobis est obitus illustrium quotundam Ordinis nostri Virorum, præceteris verò Henrici Antonii Burgo Generalis; neque .2. enim tantum Virum præterire decet, nec lubet; siquidem in utroque Cæsar, eximius fuit Orator, & in Sacris Concionibus Auditorum animos Divinâ dicendi arte ad meliorem frugem convertens, non mediocrem Deo gloriam conferebat, sibique plausum comparabat. Præterea Cathedraticus fuit insignis, pluribus quidem in Locis, præsertim verò in Universitate primùm Ticinensi, deinde verò in Universitate Pisanâ, Serenissimis Etruriæ Principibus maximè acceptus, speciatim verò Serenissimæ Christinæ de Lotharingiâ Ferdinandi I. quondam Magni Ducis Etruriæ Uxori, quæ Ditioni Mediceæ regendæ Præfecta Henricum Antonium in Generalem Ordinis, uti modò dicendum, electum, ideoque ab Universitate Pisanâ se abdicare volentem, ubi Sacram Theologiam summâ laude profitebatur, audire renuit, illud potius adiciens Universitati illi longè meliùs consultum se credere, si vel unam tantùmmodò quotannis Lectionem Theologicam ibidem habuerit Henricus Antonius, dummodo illa tanto Viro fraudata dici non possit. Item ab eruditis omnibus etiam maximo habitus in pretio, in Theologicis versatissimus, speciatim verò in Henrici Magistri nostri solemnis Doctrinâ, cujus veritatis argumentum non vulgare est Opusculum illud Typis impressum de Paradoxis super ejusdem Henrici Doctrinâ. Quamobrem Doctrinæ præstantiâ celeberrimus in Comitiis Generalibus Romæ habitis anno 1625. pluribus aliis, & quidem magnæ nutæ Viris inhæsitanter prælatus, uti ad eundem annum dictum est, in Priorem Ordinis Generalem fuit electus, in quo Magistratu Ordinis decori consulens, & incremento haud perfunctoriè, sed summâ vigilantiâ Literarum studia, morum reformationem, Disciplinæ Regularis splendorem, & alia quæcunque ad id assequendum opportuna viriliter promovebat; verùm invida mors Henricum Antonium immatura nobis eripuit Pisis die 21. Februarii, si tamen dicere liceat, absolutè nobis ereptum, cùm egregiæ eius dotes, præclara eius opera invitâ quoque morte nobis restiturum immortalitati consecrarint. Interim celebratæ ipsi fuerunt exequiæ longè maiori, quàm fieri poterat, honorificentiâ, frequentissimo, & spectatissimo Populi concursu, buius verò laudes ibidem Paganinus Gaudentius in almâ illâ Universitate Literarum humaniorum Professor funebri oratione,

Obitus, & gesta Henr. Antonij Burgo à Castro Novo Scriptae

A eâque elegantissimâ, typis deinde impressâ, Bononiæ anno 1633., cui titulus: *Luctus Academicus, sive Oratio*, prosequutus est: quibus absolutis, eius Corpus in Ecclesiâ Sancti Antonii tumulatum fuit: Romæ quoque, & alibi parentatum pariter fuit, editâ præsertim in lucem funebri quadam oratione, cui titulus *Epitaphium* P. Joannis Aloysii Cerchiarii Vicentini Clerici Regularis Congregationis Somaschæ in Collegio Clementino eloquentiæ Professoris. Ipsi verò in Ordine administrando iuxta legis præscriptum suffectus est P.M. Eliseus Mazzoni de Florentiâ, utpote Definitor .2. Generalis Provinciæ Etruriæ, in quâ Generalis obierat. Præterea apud Cœnobium Fontanæ Diœcesis Imolensis, cui Præfectus erat, obiit hoc anno P. Joannes Flori Cœnobii S. Georgii de Bononiâ

In Magistratu succedit Eliseus Mazzonus.

B Alumnus præ vitæ Sanctimoniâ haud mediocriter celebrandus. Jura quæcunque tum Divina, tum humana adamussim servavit, corpus in servitutem redigere jugiter satagebat, flagellis adhibitis, ciliciis, & vigiliis nocturnis, singulis jejuniorum diebus tum ab Ecclesiâ præceptis, tum à regularibus institutis, tum singulis feriis sextis in Quadragesimâ, & à Dominicâ Quinquagesimæ usque ad feriam quartam Cinerum exclusivè pane solùm, & aquâ se nutriens; quoties autem non servaret jejunium, singularem tamen præsefere bat semper abstinentiam, quippe qui alimenti sibi traditam portionem egenis plerunque distribuebat; noctes frequenter insomnes du-

P. Joan. Flori de Bonon. obitus, & laudes.

C cebat, orationi maximè addictus, si quando verò lassitudine afficeretur super nudam humum cubabat; maximâ utebatur familiaritate, & consuetudine cum Sorore Monicâ Beltrami, de quâ ad annum 1627, cui acceptissimus erat, quæque dicere passim solebat, quòd cùm à Dœmone, qui sæpissimè terribili, & in minas compositâ specie se videndum illi præbebat, vexaretur, quoties 40. continuas horas à cibo, potu, & somno penitus abstinês, singulis mensibus orationi indulgebat coram Sanctissimâ Eucharistiâ in Sacello B. Virginis expositâ, si unà secum orantem haberet, quemadmodum habere eupiebat præfatum Joannem horis præsertim nocturnis, ad ipsam accedere Dœmon verebatur, ipsique molestiam inferre. Faventiæ,

D quò se receperat ad contagiosæ luis incommoda declinanda. P.M. Hippolytus Fortini Lucensis, .1. Bononiæ eo temporis studiorum Regens, hoc pariter anno moritur, cuius erga se, & universum Ordinem nostrum, merita Bononiensis Cœnobii Patres seriò perpendentes honorificè parentarunt, funebri quoque oratione, quam de eius laudibus habuit typis anno sequenti Bononiæ impressam, P. Felix de Gabrielibus Asculanus minor Conventualis, sui Ordinis deinceps minister Generalis, ac denique Episcopus Nucerinus, Palmare quidem celebritatis eius nominis argumentum; Hippolytus enim non mediocri laude

P. M. Hippolyti Fortini obitus, & gesta.

laude per omnium ora versabatur præ singulari doctrinæ suæ præstantiâ tum in explicandis Sacræ Theologiæ mysteriis, tùm in declamando denique Verbum publicè annunciando, quibus profectò in ipso iuventutis flore in pluribus Italiæ Urbibus præstitis longè maiora augurabatur, nisi adhuc iuvenis immaturâ morte præventus fuisset, ætatis enim 39. annum agebat, maximè verò quòd in Literarum studiis virtutum omnium moralium, & Disciplinæ Regularis studium mirabili arte copularat; quamobrem Bononiæ potissimùm omnibus etiam claritate generis conspicuis acceptissimus, dignus quidem habitus fuit ab eiusdem Urbis Proceribus, qui sacram Theologiam in celebri illâ Universitate interpretaretur; contra verò eius modestia passa minimè fuit, quòd tantum honorem exciperet. Barchinone .1. quoque non sine famâ sanctitatis hoc anno sexagenarius obiit F. Petrus Boleda Conversus Barchinonensis humilitate, & simplicitate celebris, & eleemosynis ostiatim quæritandis, non sine gravi incommodo, nec sine raro spectatoribus mansuetudinis exemplo, pro sustentandis Fratribus addictus. Obiit etiam Barchinone, cùm fabricæ Cœnobii illius nostri præesset, in præceps actus P. Joannes Castara de Catalonià excellentissimus Architectus. Summarì pæ denique obiit septuagenarius P. M. Joannes Maria Dova illius Cœnobii Alumnus, præ singulari in docendo eloquentiâ, & in Theologicis præstantiâ memorandus, qui varias etiam, easque supremas, Ordinis administraverat Præfecturas.

Joannis Cartaræ, Petri Boledæ Coversi Barchin. & Joann. Mariæ Dova de Summaritâ, obitus, et laudes.

Insigne aliud argumentum occurrit hoc anno 1630. eximiæ pietatis, ac venerationis erga Dolores B. Virginis, & sacrum eiusdem Servorum Habitum in Castro Medicinæ, prope Oppidum Butrii in Territorio Bononiensi. Agricola .t. quidam nomine Baro de Baronis valdè religiosus, morti proximus quatuor suas Filias adhuc adolescentulas, ac nubiles D. Comiti Cæsari Bianchetti Domino suo verè spectabili, & amantissimo protegendas commendarat. Hic proinde charitate non modò, verùm etiam naturali munificentiæ genio ductus, Demum quandam in Castro Medicinæ ære proprio coemit, eamque sponte, ac liberè resignavit tribus è præfatis Puellis colendam, ex quo altera in Argentâ propè Ferrariam in Matrimonium copulata fuerat. De hac re certior facta D. Comitissa Clementia de Herculanis Bononiensis, quæ Habitum Dolorum B. M. Virginis singulari veneratione profequebatur, quem semper gerebat, prædictas puellas unà secum curru è paternâ ad præfatam domum perduxit, ipsisque Auctor fuit, ut Sacrum eundem Habitum maximè colerent, indeque Tertii Ordinis nostri Sorores evaderent, quarum prima Soror Maria Magdalena appellata fuit, Soror Anna Maria secunda, Tertia demum Soror Maria Catharina. Tum verò eleemosynas

Domus erigitur in Castro Medicinæ pro Sororibus Tertij Ordin. Servor. B.M.V.

ostiatim quæritando vitam transigere cœperunt; sed procedente tempore ob eximiam E vitæ Sanctimoniam eò celebritatis devenere, ut Archipresbytero Loci D. Joanne Saraffo Imolensi Religiosissimo Viro opem ferente, & opportuna illis subsidia quàmmaximè curante, proventus annuos uberes sibi compararint, nec ampliùs opus illis fuerit stipe alienâ quærendâ. Quo factum est, ut et aliæ earum consortio aggregatæ fuerint, & P. Julii Cæsaris Zaniboni Butriensis operâ, ac studio exactam vitæ communis rationem anno 1646. servandam omnes susceperint, & alia non pauca valde laudabilia, & Ordini nostro honorifica decreta fuerint, quæ fusiùs referenda nobis erunt ad annum 1660.

Habenda erant juxta Ordinis nostri statuta ann. 1631. Comitia Generalia; quoniam verò F maximè arduum videbatur vocales omnes in unum convenire posse præ bellorum, & contagii incommodis, Urbanus Papa VIII. eadem Comitia ad annum prorogari induxit, & ad dictum usque tempus superiores omnes Ordinis confirmavit, prout constat ex sequentibus Literis Apostolicis .3.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

CUM, sicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ juxta ipsius Ordinis Constitutiones Apostolicâ auctoritate confirmatas in Domo Regulari Annunciationis B.M.V. Floren. ejusdem Ordinis G *anno proximè futuro 1631. celebrandum sit. Nos attendentes Vocales in Capitulo huiusmodi congregandos ob præsentium bellorum, & contagij impedimenta, & incommoda ad ipsum Capitulum accedere non posse; Idcirco supplicationibus Dilecti Filij Elisei Mazzonij Vicarij Generalis ejusdem Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Capituli Generalis totius Ordinis proximè futuri celebrationem, ut petitur, ad annum, à die verò, quo Capitulum hujusmodi celebrandum esset, incipiendum, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium prorogamus, ac præfatum Eliseum Vicarium, aliosque Superiores, & Officiales quocumque nomine nuncupatos in eodem Capitulo eligi consuetos,* H *in eorum Officijs ad annum, ut petitur, prorogamus cum omnibus, & singulis facultatibus, Privilegijs, & Indultis, quibus hactenus ratione Officiorum suorum usi sunt, ac uti potuerunt, confirmamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè dero-*

Prorogatio Capitulî Gen. & confirmatio superiorum.

derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum in Arce Gandulphi Alban. Diœcef. sub annulo Piscatoris die 10.Octob.MDCXXX. Pontificatûs nostri anno octavo.

M. A. Maraldus.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

1 EX *monum. illorum respectivè Conv.*
2 *Ex Reg. Gen.*
3 *Ex Reg. Thusciæ pag. 97., & 98., & L. Mem. D. Conv. de Flor. pag. 306.*

Viget Controversia inter Diœcesanum Brixinensem, & Domum Regularem Oenipontanam. CAP. XVIII.

POstquam incassum abijsse viderunt Diœcesani Brixinenses, quæ pro usurpandâ jurisdictione in Domum Regularem nostram Oenipontanam annis proximè præcedentibus moliebantur, uti dictum est ad annum 1617. cap. 12., æquus quis rerum æstimator prudenter sibi suasisset, quòd à re hujusmodi ulterius tentandâ desistere deberent. Verùm non ita se habuisse Diœcesanos rei comprobavit eventus. Nam anno 1628. Reverendissimus Ordinarius iterum rei prædictæ periculum facturus Reverendissimo Abbati VVilthinensi, cujus Monasterium non longè est à Domo Regulari, & Joanni Baptistæ de Thono Collegiatæ Brixinensis Ecclesiæ Canonico id oneris imposuit; argumentis autem valde idoneis instructi ambo simul ad Domum Regularem accessere, tanquam interrogaturi de quibusdam, Moniales ipsas spectantibus. Datâ ergo, & acceptâ Moniales inter & ipsos utrinque sponsione, nullum se Domi præjudicium illaturos, specie tantùm clariùs cognoscendi fundationem, & ædificium claustralium ad Diœcesanum cæteroqui pertinentium, introducti id unicè egére, ut Subpriorissa & Consiliarijs Sororibus convocatis literas quasdam ab Ordinario profectas obtruderent, quas illæ statim respuentes, sed in medium Conclavis à porrigentibus projectas, post eorum recessum sustulere quidem Sorores, sed P. Vicario Ordinis nostri quamprimùm transmisere. Hic verò, ut Literas idibus Januarij Brixinâ datas aperuit, advertitque quibus terroribus, ac minis Sorores impugnarentur, mox Delegatos Episcopales conveniens actui attentato in facie ipsorum solemniter contradixit, & rursus eos monuit, quòd maturè perpenderent, quàm graves incursuri forent Censuras, si quid in præjudicium privilegiorum Ordinis molliri ulteriùs ausi fuissent. Ipsi quoque, quos Sereníssimus Leopoldus ab intimis consilijs habebat, dictarum Literarum acrimoniam edocti, id ægerrimè tulerunt, ac non modò

Cotrov. de Jurif. dict. in Domo Regular. Oenip.

A Ordinarium ab ejusmodi molitionibus dehortati sunt, sed missis seriam originalibus ad Leopoldum id temporis in Alsatiâ commorantem rei statum explicarunt, qui pariter super ijs haud mediocriter offensus eas Auctori suo restitui jussit. Hic autem nondum acquiescens, & à nonnullis è suis jugiter eum vellicantibus incitatus, de intentandâ Servitis lite propter Domûs Regularis jurisdictionem meditari tandem cœpit. Comperrum autem aliquando fuit, postquam compilata in hunc finem, & maturè perpensa fuere diversa scripturarum documenta. Præsulem vehementer indignatum fuisse, quòd causam, quam optimè fundatam crediderat, adeò infirmis rationibus innixam videret.

B Itaque cùm in Domo Regulari Sororibus quibusdam cum Subpriorissâ, & ab memorato Ministro tumultuum hujusmodi non obscuro Auctore ad Episcopalem partem inclinantibus quotidie crescerent diffidia, eâque de re ad Serenissimum deferrentur querelæ: hic tanquam Advocatus, ac Domûs prædictæ Protector auctoritate suâ interpositâ pro cōponendâ amicabiliter Domo providere decrevit, donec de summâ rei apud Sedem Apostolicam ageretur, & ab eâ controversiâ dirimeretur. Hinc D. Episcopo significatum fuit Archiducis consilium in componendis Regularibus ad hoc, ut & ipse ad ejusdem compositionis tractatum Legatos destinaret. Postquam ergo Archiducales, & Episcopales Arbitri statum Domûs sibi satis exploratum cre-

C didere, ex Archiducalibus, quidam certas quasdam Ordinationes contexuit, extenus valituras, quoad firmiùs quid indè, ubi jam vertendus erat cardo negotij, in rem decideretur. Subscripsit Leopoldus Archidux Oeniponte 6. Kalendas Julij, & Daniel Episcopus Brixinæ 12. Kalendas Augusti apposito non solùm suo nomine, sed etiam pauculis quibusdam Verbis superadditis, quæ latinè ita redduntur: *Quandoquidem spiritualis hujus negotij dispositio nobis, ut Ordinario debetur, ita volumus quoque pro servandâ pacificè animorum concordiâ, alijsque Sororum emolumentis in Regulari Domo, hæc auctoritate nostrâ statuta esse.* Ne verò hæc verba auctoritatem Archiducis Tractatu illo interpositam exte-

D nuantia evulgarentur, libellus ille ad instar Epistolæ complicatus sigilli Episcopalis cerâ obductus fuit, ut Oeniponte postea Archiducali quoque muniretur. Serenissimus ergo additamenti Episcopalis inscius bonâ fide suum etiam sigillum apponi jussit. Illæ igitur compositionis Tabulæ 16. Kalendas Septembris intra limites Domûs irrepentes non modò non acceptatæ, sed neque vulgatæ fuerunt, quinimmò non defuit, qui easdem introductas perpetuis tenebris è vestigio damnavit, qui sanè memoratus Minister fuisse credebatur, quatenus ijsdem Tabulis ex annuo sexcentorum Florenorum stipendio in ipsâ Domo Regulari quadringenti demebantur, alter

tet enim neque Ordinis majores, neque Sorores ipsæ adversus ea, quæ ibi in præjudicium Ordinis decernebantur, reclamare, ubi opus fuisset, distulissent.

Devolvitur ad S.Cong. Conc.

Paulò post res tota ad S. Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum Romam delata fuit. Scripserant in hanc causam Serenissima Anna Catharina Fundatricis Filia Summo Pontifici Urbano VIII. rei statum explicando, tam ex parte repugnantis Subpriorissæ, quàm Brixinensis Episcopi indebitam exinòe Jurisdictionem sibi tribuere tentantis, Sanctitatem Suam exorans, quòd si viâ juris præter expectationem pro suis Patribus Servitis jurisdictionem servare non posser, sibi saltem fas esset Filiali affectu, & salvâ omni reverentiâ eam à Sanctitate Suâ viâ gratiæ impetrare, hoc ipso simul rogans se, suasque Sorores Regularis Domûs à sui Ordinis Patribus tantùm, utpotè quibus obedientiam interposito juramento devoverant, & quorum studio se hactenus in Regulari observantiâ promotas noverant, deinceps gubernari; & si fortè ab Episcopo exemptæ non forent, sicuti exemptas semper se crediderant, in posterum pro exemptis declarari. Se verò confidere quàmmaximè, quòd Serenissima sua Mater apud Sedem Apostolicam ejusmodi beneficium proculdubio promeruerat &c. Has Literas Annæ Catharinæ Sanctissimo obtulit Ordinis nostri Procurator Generalis in Romanâ Curiâ eximius Vir P.M. Nicolaus Cæ de Cremonâ 15. Kalendas Octobris ejusdem anni 1628. qui pariter alias ejusdem tenoris Literas ab eâdem Archiduce scriptas Cardinali Ubaldino porrexit, quibus tandem effectum est, ur post 4. dies, idest 11. Kalendas Octobris à prædicto Cardinali ad D. Episcopum Brixinensem Româ sequens emanavit Decretum:

Cùm Recursum habuerit ad Sanctissimum D. N. Soror Anna Catharina Austriaca nomine Religiosarum Mulierum Domûs Regularis B.M.V. de Oeniponte, exposueritque quòd Amplitudo tua ingerere se prætendat in illarum Regimine contra exemptionem aliàs in erectione à fel. rec. Papâ Paulo V. obtentam, Sanctitas Sua negotium hujusmodi ad S. Congregationem examinandam remisit, atque ideo amplitudo tua suæ Ecclesiæ jura coram eâdem S. Congregatione, quàmprimùm deducere non omittat, atque interim nihil innovari permittat. Datum Romæ &c. ut supra.

Summus Pontif. ejus examen com mittit Nuncio Apost. Viennæ.

Hæ Literæ per Virum Nobilem Udalricum à VVinchlhofen de Englos Antonio Crosino Brixinensis Capituli Decano traditæ, ac 13. Kalendas Novembris in Capitulo sunt publicatæ. Intereà Beatissimus Pater rem ipsam suo apud Cæsaream Majestatem Nuncio Joanni Baptistæ Pallotto Archiepiscopo, postea Cardinali, commisit, qui 5. Kalendas Aprilis hujus anni 1629. maturioris indaginis ergo auctoritate Apostolicâ juxta Literas Commissionis D. Thomam celeberrimi Stambsensis Asceterij in Tyroli Ordinis Cisterciensis Abbatem æquè loco vicinum, ac operi idoneum substituit, Leopoldo ipso 3. nonas Aprilis ejusdem anni Literas Commissoriales dicto Thomæ exhibente. Thomas ergo suam à Nuncio Apostolico sibi demandatam, ac per Serenissimum Archiducem oblatam aditurus Provinciam, post festa Paschalia hujus anni 14. Kalendas Maij negotium aggressus est, adscitis in Collegas, P. Paulo Gay Theologo Priore Stambsensi, & Leopoldo VVanner S. Theologiæ Doctore, quibuscum navatam aliquandiù operam in ædibus Claustralium, & Regularium nuncio probaturus 11. Kalendas Junij, ita de hac re ad ipsum Viennam scripsit, ut celebrato quidem Claustralium Cœnobio, quod aliquibus congruis de causis lustraverat, totus in eo fuerit, ut egregiè stylum in Regulares, ac varias in ijs animadversas dissensiones verteret, haud pauca perperam intellecta, perperam proponendo; notabatur autem in primis earum Confessarius; demum pro suæ informationis epilogo supra Domum Regularem veluti Nuncij postulatis morem gesturus varia ad rem proponit remedia, potissimùm verò perpetuam reclusionem. Interim Subpriorissa nō distulit, quas ad conservandam jurisdictionem suam Servitæ producerent rationes datis 5. nonas Maij ad Abbatem Visitatorem Literis parum æquitati consonis convellere, & contrarijs argumentis causam justam in limine obruere, idem etiam ausa apud Nuncium Pallottū ab eodem audacter nimis exigendo, quòd Servitas termino arctaret, quem intra prætensæ suæ jurisdictionis fundamenta edere cogerentur, velut alias jam in simili certarum dierum limite à Brixinense Præsule fixo id præstare impotes, utpote rationibus destituti. Cùm igitur apud Pallottum, suumque successorem Archiepiscopum Patraconensem Servitarum negocium contra Episcopales à Subpriorissâ, & ejus Asseclis adjutos servet, ac pro definitivâ sententiâ pronunciandâ Episcopus 11. kalendas Martij anni currentis 1631. Viennam citatur, ut siquid etiamnum pro se proponendum haberet intra mensem produceret; derepente sententia prodijt in Romanâ Cardinalium Congregatione nonis Aprilis ejusdem anni his verbis formata:

Decisio S.Cong. Ordini Servor. adversa

S. Congregatio DD. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Domum Regularem Servarum B.V. Oeniponte esse subjectam Reverendissimo D. Episcopo Brixinensi, & Fratres Servitas posse ea tantùm, quæ sunt expressa in Constitutionibus.

Huic sententiæ subscripsere Cardinales sexdecim, videlicet Pius, Baldinus, Martius, Bentivolius, Roma, Torres, Gispius, Pamphilius, Merospius, Albornesius, Brissin, Ginettus, Virilis, Cæsatius, Antonius Barberinus, Columna.

Verùm quia sententia illa ex sinistris adversæ partis argumentis tota composita fuerat,

rat, ideò brevi supervenientibus illustrioribus de rerum statu documentis facillimè elusa, suspensa, & nunquam publicata fuit, DD. siquidem Cardinales rem ipsam meliùs edocti fuere. Plurimùm in hac re contulit eximius P. Angelus Maria Fieger, eo temporis in Pragensi nostro Cœnobio Vicarius Prior, cujus proinde maturâ solertiâ apud Comitem ab Althain, & apud Cardinalem Pallottum de improvisâ illâ decisione non inutiliter conquerentis secus accidit, ac definitum erat; compertum enim habemus dictum Comitem ad Pallottum, postquam literis significavit ei factam ab Episcopo dilatè acceptarum à se ad Tribunal Nuncij Citatoriarum cautionis ergo damnosam remoram ob favorabilem decisionem, ideò pro D. Episcopo emanantem, hæc inter alia subjunxisse, videri nimirum sibi creditu difficilè, quod Sanctitas Sua causam jamdiu delegatione suâ in Germaniâ agitatam, ideóque non ampiius integram ad se à Delegatis retrahere, & partibus etiam non conscijs, motu proprio decidere voluerit; quapropter suspicari se sinistram alicujus informationem, vel dolum intervenisse, quem utique in gravissimum Ordinis sibi commendati præjudicium, cùm nollit Auctori suo Patrocinari, ideò Eminentiam Suam rogare, quòd velit apud S. Congregationem per suos indagari curare, si quæ præterito Aprili contra Parres Servitas sententia, an ad partis instantiam, vel motu proprio, & ex certâ Suæ Sanctitatis scientiâ lata fuerit. Hæc, & alia quamplura optimus Religionis Patronus ad Pallottum pro Servitis perorabat cùm interim D. Episcopus Danielis successor Guilielmus prædictæ citationi jamdudum, 11. nimirum Kalendas Martij ab Apostolico Nuncio expeditæ, sibíque 13. Kalendas Junij primùm exhibitæ post 4. dies responderet, asserens nihil sibi de hac causæ introductione apud Nuncij Tribunal constare, multominùs de litis pendentiâ, seù contestatione quidquam sibi legitimè insinuatum, imò controversiam ipsam olim coram Sacrâ Congregatione Cardinalium notam, discussam, necnon pro se contra Servitas declaratam, atque decisam, cujus tamen revisionem ijdem Servitæ à Sanctissimo Domino obtinuerint; ex quibus profectò constat Epistolam prædicti Comitis ad Pallottum, & hujus apud Pontificem interpositionem irritas minimè fuisse. Nova igitur deinceps, ut videbimus ad annum 1634. commissio Paridi Suvaviensi Metropolitæ ad Instituendum Processum informativum commissa fuit; ac tandem post varias ambages, sæpius mutata Judicum Tribunalia, & interveniente obitu Brixinensium Episcoporum unanimi partium consensu res tota ad Rotam Romanam, ut ibi solidiùs verteretur, delata fuit, in quâ maximo Partium studio, summâque ingeniorum concitatione diutiùs agitata, absoluta denique, atque perfecta in lucem prodiit.

Ordo Servor. protegitur in hac causâ, & prædicta Decisio non publicatur.

Servitæ obtinent revisionem Causæ.

Annal. Tom. II.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

AUgust. Romer Servitus Mar. l. 7. cap. 5. 6. 7. 8. 9. hæc omnia exactè refert.

Gratiarum actiones pro imminutione Luis. Processio Generalis Septem Dolorum B. Virginis Bononiæ; approbatur Processus B. Philippi. Diploma quoad Professiones. Primus Lapis pro Conventu Boniportûs. Instauratur Cremonæ Cœnobium. Hospitium Corneti. Patres Lucenses Palatio deserviunt. Antonij Lozæ obitus. Ferdinandi Imperatoris Diploma pro Conventu Pragensi. Patres Italiæ Italiam repetunt. Patavij Imago B. V. miraculis illustris in Ecclesiâ nostrâ exponitur.

CAP. XIX.

CUM Bononiæ ab anno usque 1615. instituta Societas Habitûs incrementum .1. semper in dies assequuta fuisset, hoc anno in solemni Processione de more habitâ, primò circumfertur Statua B. Virginis septem gladijs ipsi appositis, cùm hactenus circumferre consueverint Fratres Imaginem B. Virginis de Rhegio. Florentiæ verò cessante paulatim lue plurima undique lætitiæ festiva signa exhibita fuere; sed & plurima pietatis argumenta pro gratiarum actione, supplicationes nimirùm Magistratûs Sanitatis, Societatis Misericordiæ, & aliorum ad Ecclesiam potissimùm D. Annunciatæ, & alia hujus generis non pauca. Hinc Novitij illius nostri Cœnobij, qui à die primâ Novembris 1630. proximè superioris, usque ad diem 20. Aprilis anni currentis seorsim à cæteris omnibus vixerant, ipsâ die 20. Aprilis, quæ fuit Dominica Resurrectionis ad aliorum consortium in Refectorio admitti cœpere. Ut autem ab hujusmodi lue penitus vindicarentur Florentini, ex quo imminutionem prædictam D. Annunciatæ patrocinio acceptam referrent ob votum jejunii servandi semel in hebdomadâ, non quidem à singulis, sed ab altero tantùm pro qualibet Domo per annum integrum die 15. Augusti 1630. emissum coram SS. D. Annunciatæ Imagine, quò post Vesperas se contulerant processionaliter Clerus, & Populus, exclusis mulieribus, & parvulis; voto adhuc se obstrinxere hoc anno jejunium ipsum à die 18. Augusti semel pariter in hebdomadâ ad 25. usque Martij proximè sequentis servandi. Hinc ipsâ die 18. Clero præeunte cum Archiepiscopo, & quatuor Episcopis, subindéque sequentibus Serenissimis Principibus Magno Duce Ferd. II., Carolo Cardinali Patruo, ejus Fratribus, & Magistratibus omnibus, singulis cereos accensos præ manibus gestantibus, universus Populus, exceptis pariter Mulieribus, & parvulis, ab Ecclesiâ Cathedrali ad Ecclesiâ D. Annunciatæ potentissimum ejus Patroci-

Bononiæ Processio Gener. B. Virg. 7. Dol.

Flor., & Perusij gratiarum actiones, & vota pro lue avertendâ.

Novitij D. Ann. de Flor. admittuntur ad consortium.

Preces, & vota pro avertendâ lue.

nium imploraturi pocessionaliter se conferre, indeque ad Cathedralem redierc. Eò quoque hisce diebus (quod obiter dictum sit, ex quo de hac insigni Ecclesiâ scribimus) tertiâ nimirum Septembris se contulerat celeberrimam illam Imaginem veneraturus, eique gratias plurimas acturus ob ingentia beneficia, quæ illi accepta in pluribus præliorum, & hostium discriminibus terrâ, marique referebat Serenissimus Ghisæ Dux in Provinciâ Prorex, & M. S. Christianissimæ Militiæ Præfectus, omni laude superior ob innumera fortiter, & egregiè gesta. Opportunum etiam censuerant die 20. Januarij ejusdem Ecclesiæ Patres votivas Statuas Imagines, & alia hujusmodi D. Annunciatæ Trophæa, sive lignea, sive argentea, sive alterius cujusque materiæ, circumquaque per hujus Ecclesiæ parietes tumultuariè appensa longè meliori ordine disponere, ut exinde magis ejusdem Templi decori, & Fidelium pietati consuleretur.

Donaria, & vota D. Annun. de Flor. oblata.

Item Civitas Perusij intercessione S. Florentij, cujus corpus in Ecclesiâ nostrâ quiescit, & summâ veneratione colitur, vix sensit incommoda pestis; quæ per varias ipsi quoque finitimas Italiæ Urbes longè, lateque diffusa ingenti earundem desolatione, eò quoque pervaserat, nam Perusinis ad ejus Parrocinium humillimè supplicibus, pestis omninò statim cessavit, quæ paucos è medio tulerat, & Civitas ipsa cum suo Comitatu illæsa perseveravit. Hinc sibi valdè gratulabatur, quòd anno 1630. proximè superiori publico, & generali consilio die 29. Ianuarij Ipsum sibi in specialem Patronum elegisset, non sine magnâ totius Populi lætitiâ, & incredibili plausu, qui per tres dies continuos in ejusdem Sancti commemorationem solemnia celebravit, & Magistratus cum magno Populi comitatu ad Illius Corpus venerandum accessit, & ad illius miranda gesta in nostrâ Ecclesiâ publicè annunciata per Oratores advenit. .1.

Perusij S. Florentius pro sue Patron. eligitur.

Romæ approbatur Processus B. Philippi anno 1619. institutus, & consequentibus annis completus. Apostolicum quoque Diploma hoc anno emanavit super Professionibus emissis à Fratribus in locis non designatis pro Novitiatu tenoris proximè sequentis .2.

Processus B. P. Philip. approbatur.

URBANUS PAPA VIII.
Ad futuram rei memoriam.

Diploma super Professionibus emissis in locis non designatis pro novitiatu.

RElegiosos Viros, qui spretis hujus seculi vanitatibus Divini Numinis obsequiis sub suavi Religionis jugo sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur, utque in vocatione, quâ vocavit eos Dominus, permaneant, juxta creditum Nobis Apostolicæ servitutis munus sedulò intendimus, ac desuper ejusdem muneris partes propensis studijs intendimus, prout ad Dei laudem, Catholicæque Ecclesiæ decus, & exultationem conspicimus, in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & In- E *stitutorum Regularium Professores ad Habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasterijs, seu Domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostolicâ Sede approbatis minimè fecerint, proindeque juxta Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri desuper editam, professio per eos subindè emissa invalida existat. Nos Religiosos prædictos, ex hujus Sanctæ Sedis benignitate specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, eorumque singulares Personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dun-* F *taxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris venerabilibus Fratribus, nostro Scipioni Episcopo Sabin. Cardinali Burghesio nuncupato majori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis cæterisque Ordinarijs Locorum, in quibus eorundem Religiosorum Monasteria, Domûs, seù Conventûs, aliave Regularia Loca consistunt, sive ipsorum Religiosorum Præfectis, vel Superioribus Generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos Religiosos prædictos, qui ad Habitum Regularem aliàs canonicè recepti annum probationis in Monasterijs, seu Domibus Regularibus ad id designatis minimè* G *fecerunt, subindeque Professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuò, servatis aliàs servandis, emittendam, quæ sic emissa illis, & eorum cuilibet tam in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat, absque novo probationis anno ex speciali hujus Sanctæ Sedis benignitate, auctoritate nostrâ Apostolicâ recipiant, & admittant; eosdemque postquam Professionem denuò, ut præfertur, emiserint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eâdem auctoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent, itaut habeant eundem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si priores Professiones validæ fuissent, & nondum* H *promoti, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratûs Ordines, servatis aliàs servandis, promoveri; & tam ipsi, quàm alij ad eosdem Ordines jam ritè promoti in susceptis Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè, & licitè valeant, necnon omnes actûs, sive contractûs, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum Laicis, vel cum alijs Monasterijs, seù alterius Religionis Veris, si nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solùm, quia initi, aut contracti sunt invalidè ab ijs, qui contra dictam Constitutionem, in Domibus non designatis, sive ab eadem Sede non approbatis, professi sunt, auctoritate nostrâ prædictâ confirment, & approbent,*

probent, ac validos omninò declarent, super quibus omnibus, & singulis plenam, & amplam facultatem dictâ auctoritate tenore præsentium tribuimus, & impartimur. Decernentes præsentes Literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in præmissis facienda, & exequenda quæcunque valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac omnibus, & singulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, eosque præmissorum occasione, vel prætextu quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, nec debere, sicque, & non aliter ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S.R.E. Causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, in quavis causâ, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac præfatâ Clementis Prædecessoris, alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi, & quibusvis alijs etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & Personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, alijsque decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, & aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Cæterùm similibus in posterum consultum esse volentes, Dilectis Filiis Ordinum, Congregationum, & Institutorum hujusmodi Superioribus Generalibus quocunque nomine censeantur, ac Procuratoribus etiam Generalibus per præsentes districtè præcipimus, ac mandamus, quatenus statim visis præsentibus Loca, Monasteria, vel Conventûs, in quibus Novitii Probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens Prædecessor super hac re observari jussit, observentur, designari, sive confirmari omninò curent, & faciant. Ut autem præsentium notitia ad omnes faciliùs perveniat, volumus, ut illarum exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 2. Aprilis 1631. Pontificatûs nostri anno octavo.

M. A. Maraldus.

Cùm ab anno 1609., prout ad eundem annum diximus, quo primus positus fuerat lapis pro Ecclesiâ recens ædificandâ apud Boniportum, cujus Loci Dominium exercent Illustrissimi, & Excellentissimi DD. Marchiones de Rangonis in Diœcesi, & Ditione Mutinensi Ordini nostro decretâ, quæque semper in dies incrementum susceperat, Cœnobij Fabricâ destituti Patres in varijs privatis Domibus commorati fuissent, ædificandæ Ecclesiæ sedulam operam navantes, & Christifidelium pietati opportunè consulentes, hoc anno tandem aliquando apud eandem Ecclesiam jampridem ad umbilicum perductam primum lapidem die 20. Octobris pro Cœnobio ædificando jecere, quod brevi perfectum, singulari vigilantiâ, & industriâ P. Francisci Pappotti de hoc Cœnobio benemeriti, qui eo temporis ejusdem præerat administrationi, anno videlicet 1633., quò pariter ipsum incolere cœperunt Patres. Cremonæ verò Cœnobium nostrum S. Victoris trium millium aureorum impendio iterum à fundamentis hoc anno instauratur. Prætereà intra Civitatem Corneti Ditionis Ecclesiasticæ Hospitium quoddam unà cum Sacrâ Ædiculâ hoc anno expensis nostris ædificatur nonnullis privatis Domibus ad hoc pretio comparatis, ut eò se reciperent Fratres, quoties ipsis pro varijs opportunitatibus adeunda Civitas esset, ex quò Cœnobium nostrum centum circiter passus ab eâdem distat. Lucæ in Etruriâ Serenissimæ illius Reipublicæ decreto Ordinis nostri Fratres confirmati hoc anno fuere in munere Divina quotidie peragendi mysteria in publico Palatio coram Excellentissimis Vexillifero, & Antianis, quod illis collatum anno 1541. primò fuerat.

Ponitur primus lapis pro Cœnobio Boniportûs

Instauratur Cremonæ Cœnobiū à fundamentis.

Fundatur Corneti Hospitium.

PP. Lucenses confirm. in munere divina peragēdi in Publico Palatio Serenis. Reipub.

Item Patavij in Ecclesiâ Servorum eodem anno 1631. novum erigitur Altare B. V. M. Imagini ob miraculorum raritatem, & copiam celeberrimæ dicandum, quorum exordium repetere jucundissimum erit. In angulo domûs cujusdam Ecclesiæ prædictæ proximæ Imago erat B. V. pulvere adeò obsita, ut nemini ipsam videre liceret. Interim Deipara Puellæ cuidam sextumdecimum ætatis annum agenti, quæ cæcitare penitus laborabat; incolæ domûs illius Filiæ videndam se præbuit, eique præcepit, quòd proximè sequenti die partem illam muri, in quâ erat Imago præ-

Patavii in Eccl. Servor. exponitur Imago B. V. miraculis insignis.

præfata, purgandum curaret, donec Imago illa omnium oculis obvia esset; sibi enim ita facultatem videndi restituendam esse, quod reipsâ factum est. Cùm enim Puella morem gerens Deiparæ Imaginem omnibus obviam fecisset, visum illicò recepit. Quamobrem lapidea primùm aptata Imagini fuere ornamenta, & venerabundus eò confluere cœpit Populus, eóque vota offerre. Verùm in dies crescente pietate, Populíque concursu, Sacra hæc Imago in prædictam Ecclesiam translata solemniter fuit, & in Altari ad hoc recens erecto collocata Conventûs hujus Patrum operâ, & studio, qui rem ipsam deinde verè memorandam exactè descriptam in Libro quodam veteri deliberationum, qui in ejusdem Conventûs Archivo servatur, è quo illam accepimus, Posterorum memoriæ commendarunt.

Antonii Loza Lusitani obitus, & gesta.

E' vivis excessit hoc anno in Provinciâ Hispanicâ P. Antonius Loza nonagenario major Lusitanus minimè prætereundus, quippe qui alter ex ijs fuit, qui summo studio Ordinem Servorum B. Virginis per Hispanias dilatavérunt. Cùm in Civitate Pragensi in Ædem S. Michaelis Fratres omnes nostri se recepissent, prout ad annum 1627. dictum est, ab insigni Cœnobio, quod Augustissimus Imperator Ferdinandus II. in Monte Albo Imperiali munificentiâ ædificandum susceperat, & Ordini nostro tribuerat, ob iniurias hominum, & Cœli inclemenriam deserere coacti fuerant nondum perfectum recedentes, Itali Patres, quibus præstabat alibi memoratus P. Softeneus Odonius Alexandrinus, postquam singulari studio Ordini per Germaniam restituendo incubuerant, quemadmodum constat ex hactenus dictis, Italiam repetere, & Germaniæ vale dicere hoc anno opportunum duxere, cùm prudentissimus idem Imperator solos inibi Germanos commorari optimè consultum putasset, eâ forte ratione ductus, quòd præ varietate Nationum, variæ quoque plerumque sunt hominum indoles, ac proinde minus facilè fit, quòd tot homines ex varijs nationibus coeuntes in eodem Cœnobio eadem amplectantur instituta, ijsdem adhæreant consiliis, & in sanctâ animorum concordiâ, & summâ tranquillitate, quemadmodum Religiosos maximè decet, perseverare diutiùs possent; hinc 16. Kalendas Maij hujus anni Diploma sequens clementissimè indulsit.

Itali PP. restituto per Germaniam Ordine Italiam repetunt.

Nos Ferdinandus II. Divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Rex &c.
Ad perpetuam rei memoriam.

NOtum facimus tenore præsentium, & nostro, Heredumque nostrorum successorum Regum Bohemiæ nomine Universis, & singulis, ad quos hæ Literæ nostræ pervenerint, præsentibus, & futuris memoriæ mandamus. Quòd cùm Imperatores, Reges, & Principes muneris
E *sui ratione teneantur non tantùm subditorum saluti, consilio, & armis prospicere, eáque, quæ ad statum Reipublicæ, pacisque, & tranquillitatis conservationem pertineat, curare; verùm etiam quæ ad propagandam, & tuendam Numinis gloriam, & augmentum veræ, Sanctæque Religionis nostræ Catholicæ Apostolicæ Romanæ spectant, indefesso studio promovere, eorumque, qui sub vitâ Regulari degentes postpositis Mundi voluptatibus ad famulandum Deo sese obtulerant, & per Divini Verbi prædicationem, aliáque Ecclesiastica sacra munia omnium saluti sese impendunt, commodis prospicere. Ac nos ejusdem Officij nostri memores Prædecessorum nostrorum Imperatorum, ac Regum Bohemiæ, ac nominatim Rudolphi I., & Mathiæ Abavi,*
F *& Patruelis nostri colendissimi Augustæ memoriæ vestigijs inhærentes, necnon piæ ipsorum intentioni suffragantes, pro eo, quo in Deum Optimum Maximum, ejusque Sanctos, ac præcipuè in benedictam ejusdem Matrem Virginem devotionis studio ferimur, Fratres Religiosos Ordinis Servorum Reformatorum S. Mariæ, cùm ob laudabilis vitæ, & morum exemplum, quo Ecclesiam Dei illustrare perhibetur nobis sunt, tum habitâ quoque ratione intercessionum à Serenissimo Leopoldo, necnon Serenissimâ Annâ Catharinâ Fratre, & Consobrinâ nostrâ charissimâ apud nos pro ijsdem interpositionum, quippe quorum Habitum dicta Serenissima Consobrina nostra gerat, & vitæ Regulam profiteatur in Regnum nostrum Bohemiæ evocandos*
G *censuerimus ex certâ nostrâ scientiâ, non per errorem, aut improvidè, sed animo deliberato, sano, & maturo, Procerum, aliorumque Fidelium nostrorum accedente consilio, auctoritate Regiâ, tanquam Rex Bohemiæ, ijsdem Fratribus Religiosis dicti Ordinis Servorum Reformatorum S. Mariæ ad cultûs Divini, & Religiosæ pietatis exercitium juxta Instituti sui Regulam, non minùs Templum apud S. Michaelem in veteri, quàm Monasterium D. Annunciatæ in novâ nostræ Urbis Pragensis parte situm and cum omnibus ad eadem spectantibus pertinentijs dederimus, concesserimus, & assignaverimus, prout vigore præsentium damus, concedimus, & assignamus; sicut ibi ejusdem Ordinis Fratres Reformati, uti nunc sunt Oenisponti, & in Mon-*
H *te Senario propè Florentiam, soli, omnibus alijs, qui non sunt hujus Reformati Instituti, exclusis, non obstantibus quibuscunque etiam in contrarium facientibus, & qualitercunque roboratis (prout ea, siquæ sunt, tenore præsentium justis causis animum nostrum moventibus cassamus, & irritamus) habitare, & juxta Sacrosanctos Canones, & ipsorum Ritum, & Institutum Domino Deo perpetuò sine cujusvis perturbatione, aut molestatione alacriter, & fructuosè famulari, necnon pijs eorum obsequijs, & exercitijs publicis, & privatis, Concionibus, & spectatæ virtutis exemplis Populum docere, atque eadem Monasteria cum omnibus suis juribus, & quibuscunque pertinentijs, mobi-*

Ferd.II. Imper. Diplom. pro Ord. Servor. Pragæ.

mobilibus, & immobilibus, quæque à nobis cedi possunt, liberè, quietè, plenè in posterum, & A perpetuis temporibus, & absque ullâ exceptione pacificè uti, & frui possint, ac valeant, & propterea requirimus Serenissimos, & charissimos Filios hæredes, & successores nostros Reges Bohemiæ, eis Paternè, & gratiosè committentes, ut donationem hanc nostram fideliter, & diligenter manuteneant, observent, & seriò curent, ut hæc omnia desideratum à nobis effectum, & executionem, atque etiam Protectionem semper habeant, & consequantur. Mandamus pariter universis, & singulis superioribus, & inferioribus Officialibus, cæterisque subditis, ac fidelibus nostris per Regnum nostrum Bohemiæ ubilibet constitutis, in primis verò Judicibus, Consulibus, Senatibus, & aliis incolis Trium B urbis Pragensis præsentibus, & futuris, ne sæpè dictos Fratres in possessione memoratorum Monasteriorum, & aliorum ad eosdem spectantium pertinentiarum, sive in Personis, sive in rebus molestent, nec à quopiam alio super his omnibus turbari, aut quoquomodo molestari permittant. Verùm juxta hanc nostram donationem, & confirmationem nostro nomine efficaciter tueantur, & conservent; secus sub animadversione, & pœnâ nostrâ gravissimâ nequaquam facturi. In quorum omnium plenum, & inviolabile robur, & testimonium perpetuò valiturum Diploma hoc nostrum manu nostrâ subscriptum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitam super his omnibus fieri, & prædictis Fratribus assignari jussimus.

C *Datum in Civitate nostrâ Archiducali Viennæ 16. Kalendas Maij, anno MDCXXXI.*

Tertiodecimo autem Kalendas ejusdem Mensis, & Anni aliud item Diploma, ac Privilegium insigne sequentis tenoris indulsit.

NOs Ferdinandus Secundus Dei gratiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, Silesiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, VVirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Marchio Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi, D & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperij supra Onasum, & Burgoviæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis, & Salinarum.

Notum facimus per præsentes Literas omnibus, & singulis, quòd cùm ex speciali devotione, & amore erga Deum Omnipotentem, & summè laudatam Cœlorum Reginam, & Dei Genitricem Mariam, utì etiam ad augmentum, & promotionem omnis piæ, & Sanctæ Conversationis, ac religiosæ vitæ, Ordini Reformatorum Servorum Beatissimæ Mariæ Virginis, Ecclesiam Parochialem ad S. Michaelem in antiquâ, utì etiam Monasterium D. Annuntiatæ in novâ Urbe Pragensi situatum, quòd ad prænominatum Ordinem antiquitùs spectasse dignoscitur, Te- A nore nostræ desuper Clementissimæ indultæ donationis, & confirmationis, and cum omnibus eorundem appertinentijs, & proventibus de novo donaverimus, & extradiderimus: nunc considerantes hoc Deo gratum, & acceptum opus, sanctumque famulatum, quem præfatæ Religiosæ Personæ in supradictis Monasterijs, & Ecclesijs pro utilitate, salute, & prosperitate totius Christianitatis, diù, noctùque devotè Deo exhibeant animo pervolventes; his alisque pluribus justis de causis permoti fuerimus ad prædictas duas Ecclesias Sancti Michaelis, & D. Annuntiatæ Ordinis Reformatorum Servorum Beatissimæ Mariæ Virginis amplioribus adhuc nostris Cæsareis, Regijsque gratijs, donis, & Privilegijs muniendas, & munerandas. Ea- B propter deliberato animo, maturo præhabito consilio, ex certâ scientiâ, & motu proprio, prænominatis duabus Ecclesijs Sancti Michaelis, & D. Annuntiatæ, utì etiam earum Conventibus, eorumque successoribus, in perpetuum clementissimè indulsimus, & concessimus hìc descriptum, & in medio præsentium Cæsarearum, Regiarumque Literarum nostrarum depictum, atque coloribus suis accuratiùs expressum stemmatis, seù Insignis Cimelium, videlicet ovatum flavum, radijsque aureis per totam illustratum, aurei etiam coloris limbo circumcinctum campum, in cujus inferiori parte, Viridem super Cespitem, alis expansis, aperto rictu, projectâ rubicante linguâ, capite retorto, vibratâ in altum caudâ, antrorsum versus viridis cubet C Draco, quem ante se jacentem denudato infra femur dextro pede calcet Archangelus Michael, insubria Gentilium ad pectus excisâ togâ apparens, albâ retrorsum sparsis extremitatibus fasciâ præcinctus, rubrâ Archiducali mitrâ tectus, parvâ cruce aureâ in apicis eius medio apparente, suffultaræque candidæ marginibus inversis, albis ornatus alis, dexterâ flammigeram, capulari Cruce, & pila aureis insignem vibrans machæram, sinistrâ clypeum tenens, auratâ peripheriâ, per diametrum æqualiter divisum, cujus anterior pars pyropi colore rubeat, per mediam candidâ, latâque areâ intersectâ, posterior cærulei coloris sit, auream in imo literam M cum implexâ nigrâ Literâ S, ac desuper Cæsaream Coronam repræsentans, D ex quâ tria candida Lilia viridi in Thyrso promicent, Indulgemus, & concedimus præmemoratis Ecclesijs S. Michaelis, & D. Annuntiatæ, utì etiam ambarum Conventibus, & successoribus hoc totum ex plenitudine nostræ Romanæ Cæsareæ Potestatis, motu proprio, atque ex certâ scientiâ in virtute harum Literarum Nostrarum, & volumus, statuimus, ac ordinamus, ut in posterum hæc duo Monasteria, seu Ecclesiæ S. Michaelis, & D. Annuntiatæ, eorumque Conventus, & successores in perpetuum futuris temporibus hoc descriptum Insigne, & Cimelium habeant, præferant, illoque in omnibus, & singulis Contractibus, & negotijs, sigillis, annulis, memorijs, sepulturis, picturis, & quibus-

vis

vis aliis, seu Ecclesiasticis, seu secularibus causis pro suo honore, indigentiâ, voluntate, & beneplacito utantur, eumque in finem omnibus, & singulis gratiis, honoribus, dignitatibus, Privilegiis, prærogativis, juribus, & probatis consuetudinibus fruantur, eorumque omnium participes, digni, & capaces esse possint, & debeant, prout aliæ Religiosæ Domus, & Monasteria, quæ similibus gratiis, & privilegiis munitæ sunt, præfatis omnibus, seu de jure, seu de consuetudine gaudent, utuntur, & fruuntur, nec à quopiam super his omnibus turbentur, aut quocunque modo molestentur. Et propterea mandamus omnibus, & singulis Sacri Romani Imperii Electoribus, Principibus Ecclesiasticis, & secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Equitibus, Ministris, Toparchis, Provinciarum Præsidibus, Satrapis, Capitaneis, Vicariis, Præfectis, Procuratoribus, Administratoribus, Officialibus, Prætoribus, Consulibus, Judicibus, Consiliariis, Heraldicam profitentibus Cæremoniarum Magistris, Civibus, Communitatibus, cæterisque omnibus nostris, & Sacri Romani Imperii, etiam nostrorum Hæreditariorum, Regnorum, Principatuum, & Provinciarum fidelibus subditis, cujuscunque Dignitatis, Statûs, Officii, aut qualitatis sint, seriò, & efficaciter per præsentes Literas nostras; & volumus, ut præfatas ambas Ecclesias, earumque Conventûs, & successores in perpetuum futuris temporibus in præscripti Insignis, & Cimelii, aliarumque gratiarum, Privilegiorum, Prærogativarum, & Jurium usu, quibus ipsos muneravimus, non turbent, atque molestent; sed illos, ut præfertur, iisdem pacificè uti, frui, & plenè gaudere sinant, non contraveniant, nec à quopiam contraveniri ullo modo, aut pacto permittant. Quòd si secus à quocunque quidpiam attentatum fuerit, indignationem nostram, gravissimamque animadversionem, ac insuper mulctam sexaginta Marcarum auri probati, toties quoties se noverit incurrisse, cujus dimidiam partem Regiæ nostræ Bohemicæ Cameræ, alterum verò dimidium sæpius memoratis Ecclesiis, earumque Conventibus, & successoribus irremissibiliter deponere debeat. In harum Literarum plenam, & inviolabilem fidem, eas nostri Cæsarei, Regiique sigilli fecimus appensione muniri.

Datum in Civitate nostrâ Viennensi decimâ nonâ die Mensis Aprilis, anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo, nostrorum Regnorum, Romani duodecimo, Hungarici decimo tertio, & Bohemici decimo quarto.

Ferdinandus
Gulielmus Comes Slavata
Regni Bohemiæ supremus Cancellarius.

Ad mandatum Sacræ
Cæsareæ Majestatis proprium
Raphael Mnissovius.

E *ANNOTATIONES IN CAP. XIX.*

1 *EX monum. eorundem respectivè Conv.*
2 *Bullæ hujus exemplar habetur in Arch. D. Annunc. de Florentiâ, & in aliis Ordin. nostri Conv.*
3 *Ang. Romer. Serv. Mariana lib. 5. cap. 19. & utriusque Diplomatis Transumptum habetur in Arch. D. Annunc. de Florentiâ à PP. nostris Germaniæ acceptum.*

B. Virgo apud Forum Cornelii propitia tempore pestis. Ejusdem Imago Cesenæ Divinitùs apparet. Exponitur Florentię Effigies Angelę F *Marię Montarsit. Elisęi Mazzonii obitus. Dionysius Bussottis Vicarius Generalis. Indicuntur Comitia Generalia pro anno 1633. Corradini obitus. Capitula Provincialia ad pręscriptum Constitutionum. Benvenutus Vicarius Generalis per Germaniam. Leopoldi Archiducis Austrię obitus, ejusque, & aliorum Archiducum in Ecclesiâ VValdrastensi beneficentia.*

CAP. XX.

PRosequebatur adhuc contagiosa lues per Italiam serpere, & quamvis non paucis in locis B. Virginis, Sanctorumque Tutelarium præsidio penitus G cessasset, uti ad annum proximè præcedentem referebam, nihilominus non ex omnibus Italiæ partibus exulaverat; prosequebatur autem Beatissima Mater Gratiarum miseris ad ipsam confugientibus sese beneficam exhibere, quod potissimùm contigit hoc anno apud Forum Cornelii nostris hisce Annalibus jure optimo inserendum. Anno quidem proximè superiori 1631. Urbis hujus Cives prædictâ lue gravissimè affecti humillimè provoluti ante venerandam Imaginem Beatissimæ Virginis sitam in Ecclesiâ Sancti Francisci Minorum Observantium, enixè Deiparam rogaverant, ut Civitatem, ac universam Regionem illam prædicto morbo subduceret, & solemnem ad ipsam habuere supplicationem, H emisso insuper voto, se quotannis in perpetuum eandem adituros, non ideò tamen pestis recessit. Quamobrem hoc anno, die 27. Junij, Reverendissimo Ferdinando Millino ibidem Antistite vehementer promovente solemnem pariter omnes supplicationem instituére ejusdem B. Virginis Imagine sitâ in Ecclesiâ Servorum, cujus opem ardentissimis votis implorarunt, singularem ejus beneficentiam pluries in hujusmodi necessitatibus experti, incredibili Populi frequentiâ per Urbem circumlatâ. Vix autem completa fuit supplicatio, cùm pestifera lues, & alia quæcunque infirmitas, exinde penitus recessere, quæ attento naturæ ordine juxta Medicorum sen-

sententiam increscere potiùs magis semper ac magis debebat, & tres annos continuos Regionem illam haud mediocriter afflixerat. Itaque ad pares habendas Virgini gratias, pro modulo saltem nostro, sacra ejusdem Imago in Ecclesiâ Cathedrali per triduum publicæ venerationi exposita ab omnibus indiscriminatim summo pietatis affectu, varijs orationum ritibus, & pluribus grati animi argumentis colebatur; ac deinceps consequentibus annis, prout ex historiæ decursu patebit, prodigiosæ hujus liberationis famâ quaquaversum percrebescente, nedum proximæ gentes, sed etiam remotiores per universam Æmiliam longè semper majori studio ad sacram hanc Imaginem venerabundæ preces simul, & munera, non mediocri liberalitate offerentes, certatim accurrebant. Interim ad perenne grati animi monumentum ad Aram principem illius nostræ Ecclesiæ in parte supremâ exterius titulus hic B. Virgini inscriptus fuit: *Salus Infirmorum*; qui planè titulus prædictæ ejusdem B. Virginis Imagini jampridem fuerat inscriptus. Hujus autem liberationis descriptio ad perpetuam rei memoriam habetur in ejusdem Ecclesiæ porticu, ubi pariter delineata in pariete omnibus obvia est præfata solemnis supplicatio, sequenti inscriptione appositâ .1.

Forum Cornelij B. Virginis ope à peste liberatur.

Ridotta la Città col Territorio d' Imola a pessimo stato per la strage, che senza giovamento d' umani rimedj facevano in ogni parte, e luogo la morte, ed il Contagio, sospirata credesi da' suoi Santi Protettori, ricorre con universale, e devotissima Processione, (come ad ancora sacra) a questa Santissima Imagine della Beatissima Vergine de' P P. Servitì, per intercessione della quale fu placata subito l' ira del Signore, arrestato il contagio, e miracolosamente restitutta la salute a tutti gl' infermi; e questo seguì l' anno 1632. li 27. Giugno.

Cæsenæ quoque .1. hoc anno de repente in Ecclesiæ nostræ pariete nunquam antea visa conspiciendam se præbuit Imago B.Virginis septem Doloribus transfixæ, statim verò ac hujus prodigij rumor in vulgus emanavit, certatim omnes, & catervatim eò convenere insigni pietatis sensu commoti. Summâ dein de, quâ par erat diligentiâ, & singulari arte divisus fuit Murus, in quo Imago prædicta apparuit, & in locum decentiorem translatus, ubi nimirùm adhuc ætate nostrâ servatur, & speciali adhuc colitur veneratione; operâ verò P. Joseph Baconi de Cæsenâ eo temporis ibidem Prioris ex piorum eleemosynis erectum ante ipsam Imaginem fuit valde conspicuum Altare. Hæc sanè Ecclesia, de cujus origine satis ad annum 1260. Cent. 1. l. 3. c. 6. ab anno usque 1480. primùm unà cum Cœnobio amplificari cœperat, & magnificè instaurari, donec paulatim pijs quibusdam Viris unà cum illius Civitatis Senatu opem ferentibus Ecclesiæ fabrica satis elegans, cum testudine completa fuit anno 1520. Quæ pariter consequentibus annis non mediocriter exornata identidem fuit, uti mox diximus, & iterum dicemus ad annum 1676.; quo de aliâ B. Virginis Imagine erit nobis agendum. Interim sciendum est, quòd anno 1607. erecta ibidem in primis fuit eximiâ Populi pietate, & frequentiâ Societas Habitûs Septem Dolorum B. M. Virginis 7. Kalendas Maij juxta Pauli Papæ V. Indultum, cujus rei monumentum lapidi impressum in eadem Ecclesiâ apparet, quod & in pluribus alijs Ordinis .1. nostri Ecclesijs conspicere licet, operâ, ac studio Philippi Ferrarij Prioris Generalis. Consecrata deinde, procurante P. M. Cyrillo Galeffio Cæsenatensi eo temporis ibidem Priore, solemniter fuit recens hæc Ecclesia die 18. Octobris eodem anno 1607. (quo enim tempore, & à quo Episcopo vetus illa prior consecrata fuisset, compertum adhuc non est) à D. F. Francisco Benni de Butrio ex Ordine nostro Episcopo Ravellen. & Scalen. sub titulo Nativitatis Gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, cui antea titulus erat S. Stephani Protomartyris, reconditis in Arâ Principe reliquijs SS. Apostolorum Andreæ, & Jacobi, necnon S. Alexij Confessoris, consuetis quoque annuis indulgentijs perpetuò concessis, prout constat ex Epitaphio ibidem impresso, cui superposita cernuntur stemmata Ordinis Servorum à dextris, & Episcopi consecrantis à sinistris, sequentis tenoris.

Cæsenæ B. Virginis 7. Dolorum apparitio.

Ecclesia Cæsenæ instauratur.

Consecr. solemniter, ibique erigitur Societas Habitûs

D. O. M.

Ad perpetuam rei memoriam.

Noverint omnes, quatenus die 18. Octobris anni 1607. Indictione 5. Ecclesia hæc consecrata fuit per Reverendum in Christo Patrem D. F. Franciscum Bennium Butriensem, Episcopum Ravellen. & Scalen. sub titulo Nativitatis Gloriosæ Virginis, & in Altare majori condidit Sacras Reliquias Sanctorum Apostolorum Andreæ, & Jacobi, necnon & S. Alexij Confessoris, qui etiam concessit perpetuis temporibus in die anniversario hujus dedicationis omnibus Ecclesiam hanc visitantibus dies 40. de verâ Indulgentiâ in formâ Ecclesiæ consuetâ.

Cœnobium etiam in augustiorem formam, quæ nunc conspicitur, redactum paulatim fuit, & amplioribus proventibus instructum, Patrum ejusdem solertiâ, quorum charitate, rectéque vivendi formâ commoti Cæsenatenses quidam Primatij jus honorificum præsentandi ad simplex quoddam beneficium in Ecclesiâ S. Mariæ *delle Moratte*, & alia non pauca eidem Ecclesiæ nostræ legarunt; & quamvis identidem terræmotibus quassatum vehementer fuerit, iidem Patres semper imperterriti ipsum longè meliùs, quàm fieri posset, instaurandum suscepere. Plures enim habuit hoc Cœnobium Alumnos in horum Annalium serie

ferie memorandos ; B. Bartholomæum , de quo Cent. 1. l. 7. c. 13. P.M. Hieronymum in declamando ejus eloquentiæ, ac virruris, ut Ecclesiæ plerunque Auditoribus capiendis minimè sufficerent , ideóque per Plateas Verbum Domini annunciare aliquando teneretur, anno præsertim 1565. P.M. Nicolaum ex Illustri familiâ Schiavinorum , qui tum Provinciæ Romandiolæ præfuit , tum ob doctrinæ , & artis dicendi præstantiam anno 1535. Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ constitutus fuit , de quo ad annum 1537. Cent. 4. l. 1. c. 4. Andream etiam de Angelinis, è cujus opulento patrimonio plurimum emolumenti huic Cœnobio accessit.

Exponitur Flor. Imago Ven. Angeli M. Montursij.

Florentiæ , ubi potissimùm jugiter in dies crescebat de sanctitate Angeli Mariæ Montursij communis opinio, ad æternæ venerationis argumentum, veram ejus effigiem , hoc anno egregiè delineatam in sacello , seu Capitulo de Macinghis publicè exposuere , è quo deinde Beatis PP. Fundatoribus singulari pompâ , & elegantissimo opere consecrato anno 1720. translata fuit ad Aulam eidem Capitulo proximam. Arimini .2. moritur hoc anno Reverendissimus Elisæus Mazzoni Vicarius Generalis totius Ordinis, qui præ vitæ Sanctitate non mediocri , & insigni literaturâ celeberrimus extremum Posteris sui desiderium reliquit, qui planè in Comitijs Generalibus proximè habendis iterum sibi in Generalem præficiendum unanimi sensu cupiebant ; quod enim per duos annos in Ordine administrando suæ prudentiæ , integritatis , aliarumque virtutum undique præbuerat specimen, omnium verè sapientum animos in eius amorem conciliaverat , qui eximiam de Ipso, ejusque doribus existimationem fovebant. Elisæo suffectus minimè fuit ad proximum usque Capitulum Generale, Definitor Generalis Provinciæ Romandiolæ , In quâ Elisæus prædictus obierat , quatenus hic Vicarius duntaxat ex vi legis habebatur, cui sanè Constitutiones nostræ successorem nullatenus designant in casu quocunque, sive obitûs, sive inhabilitatis, sed hujusmodi defectui Apostolica Sedes consuluit ; Sacra enim Congregatio Cardinalium super hac re interpellata decrevit, quòd obeuntibus Vicarijs Generalibus à jure, cujusmodi erat Elisæus , minimè succederent in Magistratu Definitores Generales Provinciarum, in quibus Ipsi Vicarij obijssent, sicuti ex vi legis succedunt Prioribus Generalibus electis, seù Vicarijs Generalibus Apostolicis. Itaque Summus Pontifex Urbanus Vicarium Generalem usque ad Comitia Generalia proximè futura P.M. Dionysium Bussotti de Florentiâ elegit , Breve Apostolicum ad Ipsum transmittens sub datum Romæ die 17. Novembris hujus anni sequentis tenoris .2.

Elisæi Mazzonij Vic. Gener. obitus, & gesta.

Dionysius Bussotti de Flor. indulto Apostolico eligitur Vic. Gen. Ordin.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili salutem , & Apostolicam benedictionem.

CUM per obitum quondam Elisæi Mazzonij istius Ordinis Fratrum Servorum B. M., dum vixit , Vicarij Generalis nuper Defuncti , Ordo prædictus Vicario Generali destitutus remanserit. Nos pro nostri Pastoralis Officij debito dicti Ordinis , ne aliquod propterea in spiritualibus , & temporalibus detrimentum patiatur , felici regimini , & gubernio providere volentes , ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate, zelóque Religionis plurimùm in Domino confisi, Te Vicarium Apostolicum Generalem Universi Ordinis hujusmodi , usque ad novam electionem Prioris Generalis in Capitulo Generali proximè futuro juxta statuta , & ordinationes prædicti Ordinis Apostolicâ auctoritate confirmatas faciendam , cum potestate universum Ordinem hujusmodi regendi , moderandi , & gubernandi, alijsque facultatibus, necnon omnibus , & singulis privilegijs , honoribus , oneribus , præeminentijs , ac prærogativis , quibus alij , qui pro tempore fuerunt ejusdem Ordinis Vicarij Apostolici Generales , uti , frui , & gaudere consueverunt , Apostolicâ auctoritate tenore præsentium creamus , constituimus, & deputamus. Mãdantes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ , & alijs arbitrio nostro imponendis pœnis , omnibus , & singulis Provincialibus, & alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus , necnon Fratribus , & personis quibuscunque dicti Ordinis , ut tibi in omnibus , quæ eis ordinanda , mandanda , & per eos exequenda jusseris , humiliter pareant, & obediant, tuáque jussa , monita , & mandata reverenter suscipiant , & efficaciter adimplere procurent : alioquin sententiam , sive pœnam , quam ritè tuleris , seù statueris in rebelles , ratam habebimus, & faciemus , Auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam , inviolabiliter observari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis , ac dicti Ordinis etiam juramento , confirmatione Apostolicâ , vel quavis firmitate aliâ roboratis , statutis , & consuetudinibus , privilegijs quoque , indultis , & Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis , confirmatis , & innovatis. Quibus omnibus , & singulis eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes , illis aliâs in suo robore permansuris , hac vice duntaxat specialiter , & expressè derogamus , cæterísque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Novembris 1632., Pontificatûs nostri anno decimo.

A tergo; *Dilecto Filio Dionysio Bussotto Ordinis Fratrum Servorum Professori.*

M. A. Maraldus.

Dionysius ergo certiór factus de hac sui in Vicarium Generalem electione Romam versus

fus iter susceperat, sed ratione contagii contumaciam purgare debuit Cortonæ, priusquam Ecclesiasticum Dominium penetraret. Interim annuente, & ex animo probante D. Laurentio Robbiâ ejusdem Urbis Episcopo, idem Vicarius Generalis Dionysius die 21. Decembris, persolutis Musicorum .3. concentu soleinniter in Ecclesiâ nostrâ S. Antonij Vesperis, & habitâ à P. M. Lælio de Cortonâ è nostris ad excitandam Populi devotionem Concione Veneranda Lypsana Capillorum B. M. Virginis, quæ in eadem Ecclesiâ, uti diximus ad annum 1483. & 1533. summâ reverentiâ, ac diligentiâ asservantur, institutâ solemni per Urbem supplicatione propriis manibus detulit, præcedentibus Patribus tum nostri Ordinis, qui è finitimis Locis eò ad hoc convenerant, tum aliorum Ordinum Mendicantium singulis cereos accensos præ manibus gestantibus, & universo Populo insequente. Post hæc decrevit Dionysius, quòd sacra hæc Reliquia quotannis processionaliter per Urbem deferretur Dominicâ infra octavam Nativitatis ejusdem B.M. Virginis, totamque diem in eâdem Ecclesiâ publicæ venerationi exposita honorificè permaneret; quæ nostris hisce temporibus defertur processionaliter unà cum Imagine B. Virginis Dolorosæ Dominicâ 3. Septembris. Item decrevit, quòd Patres singulis diebus, postquam antiphonam *Salve Regina* de more cantaverint, Locum illum simul adirent, quo eadem S. Reliquia servatur, nonnulli s precibus ad hoc ritè statutis ipsam veneraturi, quod modò Dominicis diebus tantummodo præstant. Insuper decrevit, quòd singulis diebus Festis post Antiphonam præfatam *Salve Regina*, de more cantatam, septies ibi recitarent Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam in memoriam septem Dolorum ejusdem B.V. Mariæ. Modò verò tota persolvitur Cortona Dominicis tantùm diebus. Singula demum hæc fieri præcepit Rituali quodam peculiari à P. Correctore Monialium Tertij Ordinis nostri, quæ tunc etiam aderant Cortonæ. Purgatâ verò contumaciâ unà cum P.M. Jacobo Mariâ Antonelli pariter de Florentiâ sibi in Secretarium electo, & unà cum Fratre Cõverso ad Urbem accessit. Antequam verò Cortonâ discederet die 22. Decembris hujus anni Literas accepit à Cardinali S. Onuphrij sub datum die 10. ejusdem Mensis, qui nomine S.Congregationis ipsi Dionysio mandabat, ut celebrationem Capituli Generalis totius Ordinis suspenderet, donec Romam advenisset, quò cùm pervenisset, S. eâdem Congregatione annuente indictum fuit pro die 14. Mensis Maij anni 1633. in pervigilio Pentecostes apud S. Marcellum de Urbe, & statim per singulas Ordinis Povincias transmissæ fuere Literæ indictionis. Extremum hoc anno die 16. Septembris diem .4. obijt apud Scandianum in Ditione Murinensi P. M. Laurentius Corradino de Chiozâ propter integri-

Cortonæ solemni pompâ circum feruntur processionaliter Capilli B.M.V.

Dionysij decreta pro eorundem cultu.

Tertiariæ adsunt Cortonæ.

Indicũtur Comitia Generalia pro anno sequenti.

Obitus, & gesta P. M. Laurentii Corradini de Chiozâ.

A tatem vitæ, Literarum præstantiam, & in rebus gerendis peritiam, quàm potissimùm ostendit in pluribus Ordinis nostri Præfecturis, quas singulari laude obierat, omnibus, tum in Ordine nostro, tum in Loco prædicto acceptissimus; quin etiam Viris Principibus, & Ecclesiæ Proceribus, speciatim verò Serenissimo Cæsari Mutinæ Duci, & Reverendissimo Rangoni Episcopo Rhegij, qui sibi Suffraganeum Duce ipso annuente in suâ Diœcesi designarat, sed intempestiva mors ipsi, & Ordini nostro hoc decus invidit.

Apud Eremũ Montis Senarij Serenissim. Ferd. II. Magn. Etr. Dux Majorum suorum vestigiis inhærens præclara munificentiæ suæ exhibuit specimina, cùm hoc anno ædificium ibid. excitare cœpit à solo, quod in posterum Novi-B tijs, & Infirmis usui erat futurum, & trium millium, necnon quingentorum aureorum impendio eò progressa fuit fabrica, prout nostris etiam hisce temporibus videre licet, non enim ipsam ad umbilicum perduxit; quã tamen perducendam sperare licet *Donati dell' Antella* Patritij Florentini exim à liberalitate, qui duodecim millia aureorum Eremi Illius, & Ecclesiæ ornamento consequentibus annis legavit. In Comitijs Provincialibus hoc anno .5. habitis in Provincijs Lumbardiæ, & Marchiæ Tarvisinæ unanimi consensu PP. Vocales decrevere petendum enixè esse à Reverendissimo P. Vicario Generali Apostolico, & à P. Procuratore Generali, quòd Comitia Provincialia ad præscriptum Constitutionum C servarentur. Die 30. Decembris P. Archangelus Benivieni jampridem electus Vicarius Generalis per Germaniam, confirmatus .6. hoc anno fuit in eodem Magistratu Literis patentibus ad hoc datis, & ad ipsum Patrem transmissis speciali additâ commissione, quòd Ordinis nostri Fratres in iis Regionibus non alias Constitutiones, quàm Ordinis nostri ullatenus servarent, nec alio titulo, vel nomine appellarentur, & haberẽtur, quàm Fratres Ordinis Servorum B.M.V. sub Regulâ S. Augustini, & Constitutionibus ejusdem Ordinis. Ex quo per Germaniam nostra modò progressa est narratio, apud Ecclesiam VValdrastensem digredi tantisper .7. decet, ibi enim plura se offerunt Religiosissimæ pietatis Serenissi-D morum Archiducum veneranda simul, & admiranda argumenta. In primis enim Leopoldus, sicuti exinde fortunatum sponsalibus suis exordium auspicatus fuerat, ita et in ipsam D. Virginem quæcunque commoda referebat. Ipsi verò tum in reliquis, tum in hoc potissimum Leopoldo maximè conformis Serenissima Coniux Claudia pari cum illo in eandem Virginem ferebatur affectu, cui explicando nuptialem vestem eximiam profectò, & per longa volumina diffusam dono dedit Ecclesiæ; ea verò est tota Attalica filis argenteis rigens, & aureis frondibus, & floribus decorè intertextis valde conspicua, quæ in Sacerdotis, Ministrorumque solemni ritu ad

Capit. Provincialia ad præscriptũ Constitutionũ servanda.

P. Archangelus Benivieni confirm. Vic. Gen. per Germaniam cum speciali cõmissione.

Serenissimorum Archid. Austriæ varia insignis pietatis argumenta in Virg. VValdrastensem.

ad aram facientium sacras vestes abiit. Præterea eidem Ecclesiæ Serenissimi Archiduces E æs campanum donarunt eorum munificentiæ respondens, ac Tabernaculum ejusdem Virginis aræ imposuerunt insigni opere, nec minori pretio elaboratum. Opus reverà egregium, & duobus Imperialium millibus æstimatum, quatuor cubitorum, & amplius altitudine, in quo nil aliud conspicere licet, præter Ebenum, & Ebur auro, argentoque ubivis affabrè convestitum. Præter alia in hoc tabernaculo liberalitatis, & artis prodigia advertere maximè licet, quòd Leopoldus ipse, prout communis invaluit traditio, in hujus Tabernaculi fabricam D. Virgini sacram manu propriâ operam locavit. Interea dum Leopoldus, & Claudia Ecclesiam hanc pretiosis muneribus illustrare jugiter nituntur, & PP. Servitæ rem Divinam promovere satagunt, de F re familiari ex Principis ærario satis abundè instructi, Leopoldus in id maximè incumbebat, quòd Cœnobium undequaque perfectum stabili quoque, & sufficienti reddituum possessione dotaret, & ita meliùs confirmaret. Cùm verò variæ, & graves, quibus identidem premebatur, sollicitudines, & curæ ipsum ab hoc consilio consummando diù distraxissent, hoc tandem anno intempestivâ morte præventus Leopoldus opus ipsum complere non potuit; verùm testamentariâ dispositione Serenissimam Coniugem, cui proinde decus hoc Ordinis nostri ibidem confirmati reservaverat Deus, ad id operis obligavit, quæ planè Serenissimo Coniugi, immo D. G Virgini Fidelis, eorundem votis exactissimè respondit. Interim .8. Tipherni Proceres B. Virgini Matri Gratiarum in Ecclesiâ illâ nostrâ celeberrimæ nomine Civitatis Mense Junio hoc anno voto se obstrinxere, Missam solemnem quotannis per tres annos continuos, primo cujusque Mensis Sabbatho solemniter cantandi pro gratiarum actione, quòd B. Virginis præsidio Urbs illa à contagiosâ lue, quæ graviter Italiam vexaverat, evasisset immunis.

Obitus Serenissimi Leopoldi Archiducis Austriæ insignis Benefactoris.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

1 EX *monum. eorundem respectivè Conv.*
2 *Reg. Gen. Bussotti pag.* 11., *&* 13.
3 *Ex monum. Conv. Cortonæ, & ex Reg. Gen. præd. pag.* 13., *&c.* . . . . . .
4 *Ex monum. Scandiani, & Senarij.*
5 *Ex Reg. Gen. præd. pag.* 68. *&* 86.
6 *Ex eodem Reg. pag.* 222.
7 *Aug. Romer. Serv. Mar. l.* 4. *c.* 8.
8 *Ex monum. Conv. Tipherni.*



Habentur Romæ Comitia Generalia.
CAP. XXI.

PRæclaram huic Libro, & Centuriæ IV. Coronidem imponant Generalia Ordinis nostri Comitia. Dionysius Bussotti ex Indulto Summi Pontificis Urbani VIII. electus, ut diximus, Vicarius Generalis Ordinis ab obitu Elisæi Mazzonij Vicarij pariter Generalis, ex quo Comitia Generalia cæteroqui proximè ab eodem obitu habenda nec celebrare, nec indicere potuit à S. Congregatione prohibitus, uti pariter diximus, postquam sex menses Ordinem administraverat; Romæ tandem apud S. Marcellum hoc anno, Mense Majo die 14. in pervigilio Pentecostes eadem habuit Comitia, quæ antea, scilicet die 19. Februarij juxta ejusdem S. Congregationis mandata singulis Ordinis Provinciis indixerat. Hisce Comitijs de mandato Summi Pontificis præsedit Reverendissimus D.D. Franciscus Paulucci S. Congregationis Concilij Secretarius, prout constat ex Breve Suæ Sanctitatis sequentis tenoris.

De mandato summi Pontif. præsidet Rever. DD. Paluccius Congr. Concilij Secret.

Dilecto Filio Magistro Francisco Paulutio in utraque signaturâ nostrâ Referendario, Familiari nostro

URBANUS PAPA VIII.

DIlecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Servorum S. Mariæ in Domo S. Marcelli de Urbe ejusdem Ordinis in proximo Festo Pentecostes præsentis anni, benedicente Domino, celebrandum sit; Nos cupientes, ut Capitulum hujusmodi rectè, & fideliter ad Dei laudem, ac ejusdem Ordinis utilitatem celebretur, Te, de cujus pietate, fide, prudentiâ, integritate, ac Religionis zelo plurimùm in Domino confidimus, in præfato Capitulo Generali, nostro, & Apostolicæ Sedis nomine Præsidentem, cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, præeminentijs, honoribusque, & oneribus similibus Præsidentibus competentibus, ac alids solitis, ac consuetis, ac cum facultate, quando Tu actibus Capitulari- H *bus interesse non poteris, aliquam Personam Tibi bene visam in Tui locum ad hujusmodi Præsidentis munus obeundum substituendi: Et insuper ordinandi, quòd de illis suffragia non ferantur, qui cesserint juri suo, quòdque Dilectus Filius Modernus dicti Ordinis Vicarius Apostolicus Generalis, qui etiam, ut accepimus, Definitor Provinciæ Thusciæ ejusdem Ordinis prius erat, sedeat, stet, & suffragium ferat in loco debito Definitori ejusdem Provinciæ, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium facimus, constituimus, & deputamus, Teque in Domino hortamur, & monemus, ut Capitulum hujusmodi feliciter regere, ac in illo omnia, quæ ad prosperum totius Ordinis hujusmodi regimen, & gubernium pertinent,*

tineant, decerni, statui, & ordinari cures, & facias. Mandantes propterea Dilectis Filijs dicti Ordinis Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cęterisque Fratribus, & specialiter Vocalibus in Capitulo hujusmodi congregandis, ut in ejusdem Capituli nostro, & dictę Sedis nomine Pręsidentem juxta tenorem pręsentium recipiant, & admittant, Tibique, ac per Te substituendę Personę hujusmodi in omnibus ad Pręsidentis munus hujusmodi spectantibus promptè pareant, & obediant, tuaque, & ejusmodi Personę salubria monita, & jussa humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores pręsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romę apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Maij 1633. Pontificatûs nostri anno decimo.

M. A. Maraldus.

Itaque die 14. Maij hujus anni in pervigilio Pentecostes celebratâ Missâ de Spiritu Sancto in aurorâ, cui Illustrissimus D. Præsidens unà cum omnibus Vocalibus interfuit, ad locum capituli iidem vocales comitantes Illustrissimum Præsulem se contulerunt, peractisque omnibus de jure, & consuetudine peragendis lectæ fuerunt Literæ Apostolicæ Præsidentiæ præfatæ, quibus perlectis Vocales omnes Illustrissimo Præsidenti per manûs osculum obedientiam, & obsequium humillimè præstiterunt.

In his autem Literis Apostolicis animadvertere primum oportet hæc verba: *Insuper ordinandi, quòd de illis suffragia non ferantur, qui cesserint juri suo*: Hæc enim ideo apposita fuere, quod in Constitutionibus Ordinis cap. de Capitulo Generali statutum legatur, quòd Præsentati à singulis Provincijs ad Gradum Generalatûs, & Procuratoris Generalis singuli proponantur, ac de singulis ferantur suffragia etiam absentibus; voluit autem Sanctitas Sua præsentatorum libertati consulere, qui cesserint juri suo de suffragijs istis habendis, quapropter Reverendissimus idem Dominus auctoritate prædictâ decrevit, quòd præsentati absentes proponendi non essent, quia nec personaliter recusare poterant, nec alicui speciale mandatum fecerant ad recusandum. Secundò adhuc hæc verba: *Quodque Dilectus Filius Modernus dicti Ordinis Vicarius Apostolicus Generalis, qui etiam, ut accepimus, Definitor Provinciæ Thusciæ ejusdem Ordinis prius erat, sedeat, stet, & suffragium ferat in loco debito Definitori ejusdem Provinciæ.*

Animadvertuntur quędam in hoc Breve expressa.

A Hinc Dionysius Buffotti postquam renunciavit Officium, & Insignia Vicarij Generalis in manibus Definitoris Provinciæ Romanæ Thusciam proximè consequentis, qui erat P. M. Angelus Maria Berardi de Perusio, sedit in Capitulo, tanquam Definitor Generalis Provinciæ Thusciæ. Verùm, cæteris omnibus ad gradum Generalatûs præsentatis, Dionysius idem prælatus unanimi Patrum consensu in Priorem Generalem electus, & confirmatus fuit die prædictâ 14. Maij in pervigilio Pentecostes. Die verò 20. ejusdem Mensis præsidente eodem Reverendissimo Paulucci electus in Procuratorem Ordinis fuit præfatus P. Magist. Angelus Maria Berardi.

Decreta spectātia ad Patres nostros Tyroleos, atque Bohemię

In his Comitijs plura decreta fuere ad B Ordinis nostri tranquillitatem, atque decorem spectantia. In primis instantibus Patribus Tyroleos, atque Bohemiæ jus honorificum Provinciæ iisdem detulere Definitores, nimirum vocalem unum mittendi ad Comitia Generalia, eligendum tamen à Prioribus, atque Discretis Conventuum in illis Regionibus tunc existentium ab eorum Vicario Generali ad hoc congregatis, præditum requisitis à lege. Hæc tamen electio eo ordine fieret, ut modò ex Provinciâ Tyroleos, modò ex Provinciâ Bohemiæ eligeretur. Prætereà cùm Archangelus Benivenius per Germaniam Vicarius Generalis sacram illam nostram Familiam Oenlponte juxta communes, & privatas Ordinis leges aliàs ritè antea formatam Serenissimæ Fundatrici morem gerere studens C ita composuerit, ut quòd hactenus in sanctos, & laudabiles usus deductum erat, ratum, & inconcussum, non solùm deinceps haberetur, verùm etiam stabiliendum pro Germaniæ Provinciâ Majorum decreto sanciretur; proptereà ejusdem opere, & industriâ ad Generalia ista Comitia Fratres Germani sequentia puncta transmisere, ut à Patribus Definitoribus firmum illis adderetur momentum. Primò, quòd qualibet feriâ 4., nisi per Hebdomadam alia dies id exigat, item per Adventum Domini, & ab ejusdem Ascensione usque ad Dominicam Pentecostes singulis diebus jejunium servetur Quadragesimale, severiùs autem adhibeatur in Vigilijs B. Virginis Mariæ, & B. Patris nostri Philippi, necnon qua- D libet 6. feriâ Mensis Martij, & feriâ 6. Parasceves, quibus nonnisi jusculum, & unicum ferculum pro obsonio apponatur: secundò, quòd Fratres per Hebdomadam majorem ter, bis verò in reliquis hebdomadis disciplinâ se plectant: Bis quoque singulis diebus per unicum horæ quadrantem animi sui sinus religioso examine discutiant: Tertiò, eorum Habitus ab Eremitico Montis Senarij haud longè abludat. Quartò, saccos stramentitios panno laneo obductos dormituri Fratres adhibeant, pransuri verò, vel cœnaturi, nisi vespertinæ occurrant abstinentiæ, tria fercula duntaxat. Quintò, honorum gradus, eisque an-

nexa privilegia ab ipsis penitus exulent, quæ cæteroqui ijs debentur juxta communia Ordinis statuta, qui severioribus studijs operam dederint, non ideò tamen ad omnia munera assumi non valeant, quæ cæteris Fratribus Baccalaureatu, vel Magistratu insignitis deferuntur. Sextò, ad fovendam sui despicientiam singuli prorsus, præterquam Superiores, mensæ ministrent, & ad eandem demore legant. Denique pro mensæ Coronide gratijs Deo de more peractis antiphonam *Salve Regina* simul omnes genibus flexis recitent, quo sanè ritu semper se gerant, quoties illam publicè recitare contingat. Itaque singula hæc juxta Sanctissimæ Fundatricis voluntatem proposita Patres Definitores unanimi consensu committenda censuere Visitatori à P. Generali deputando, qui subinde deputatus muneri suo satisfaciens retulit PP. Generali, & Definitoribus, qui eadem approbarunt, illud unum indecisum tantisper specie tenus saltem relinquentes, quod ratione graduum afferebatur, quia reipsâ Fratres eosdem Germanos à Capitulis, Dietisque Generalibus aliquis propterea arcere minimè tentavit, quinimmo, ut diximus, in hisce Comitijs Tyroli, atque Bohemiæ Vocales suos ad Generalia Capitula mittendi, & Priores eligendi totum Provinciæ jus concessere. Hæc autem decreta promulgata fuere Oeniponte in Comitijs Provincialibus anno sequenti.

Provincia Cataloniæ admittitur inter Religionis Provincias absque præjudicio Narbonensis

Enixè petente Ord. nostri per Hispanias Provinc. in ijsdem Comitijs inter insigniores Provincias cooptata fuit Provincia Cataloniæ, absque præjudicio Provinciæ Narbonensis. Erigendum quoque proposuit Dionysius Generalis speciale quoddam studentium Collegium apud S. Marcellum de Urbe, quod sanè suffragiis omnibus favorabilibus die 16. ejusdem Mensis Maij approbatum fuit; die verò proximè sequenti post varias Consultationes idem Generalis unà cum Patribus Definitoribus præfati Collegij erectioni, & conservationi consulere volens unanimiter decrevit, se nomine totius Ordinis à Sanctissimo Domino nostro facultatem petere debere exigendi à singulis Provincijs pecuniam ad id necessariam etiam dispensando, si opus fuisset, super Constitutionibus, eâ tamen conditione, quòd pecunia è septem Italiæ Provincijs collecta, scilicet Etruriâ, Romanâ, Romandiolæ, Lombardiæ, Mantuæ, Genuæ, & Neapolis, publicis montibus committeretur, ut ex ejus annuo proventu copia suppeteret Collegiales alendi. Reliquæ verò duæ Provinciæ, scilicet, Marchia Tarvisina, & Veneta, eò mittere singulatim teneantur è suis Adolescentibus aliquem, & quotannis eam pecuniæ summam, quæ Adolescentibus illis alendis satis esse posset. Insuper si quando Provincia quædam nullum habuerit ex Adolescentibus mittendum in sortem principalem redigatur ea pecuniæ portio, quæ ex eadem Provinciâ superfuerit, ex quâ pecuniâ procedente tempo-

Decretum pro Collegio studentium apud S. Marcellum de Urbe.

E re jugiter excrescente locus alius in dictis Montibus erigi valeat pluribus adhuc Adolescentibus ibidem alendis opportunus, adhibitâ tamen protestatione, quòd nec Priori Generali, nec Definitorio pariter Generali liceat unquam prædictam pecuniam ad alios usus convertere. Singula hæc approbata fuere à Patribus Definitoribus etiam per secreta suffragia, uno duntaxat discrepante quoad pecuniam eò transmittendam, eo tamen pacto, quòd Patrum omnium vocalium totius Capituli Generalis ad hæc confirmanda consensus accederet per secreta pariter suffragia exhibendus. In idem quoque convenere Provinciales Ordinis per Galliam, atque Hispaniam ibidem præsentes, sponsione factâ nomine suæ Provinciæ pecuniam pro alimentis

F Studentium juxta normam propositam transmissuros, vel Loca Montium pretio comparaturos, prout ipsis expedire visum fuisset. Consensit quoque eodem penitus modo P. Joseph Maria Suarez Eremita Montis Senarii, & per Provincias Bohemiæ, atque Tyroleos Modernus Vicarius Generalis, ab eodem Generali modò electus.

Electores in his Comitijs fuere P. Magister Dionysius Bussotti præfatus Vicarius Apostolicus Generalis, & Provinciæ Thusciæ Definitor pariter Generalis. P. M. Nicolaus Cæ Cremonensis Procurator Ordinis in Romanâ Curiâ. Definitores verò P.M. Angelus Maria Berardius Perusinus in Provinciâ Romanâ. P. M. Balthassar Turrigiani Bononiensis in

G Provinc. Romandiolæ. P.M. Lælius à Cavacurtâ in Provinciâ Lombardiæ. P.M. Joannes Contirinius in Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ. P.M. Joannes Lazzarinus Venetus in Provinciâ Venetâ. P. Magister Joannes Maria Zazzara Senogoliensis in Provinciâ Mantuanâ. P.M. Valerius Genuensis in Provinciâ Genuæ, & P.M. Deodatus de Laurentijs in Provinciâ Neapolitanâ. Provinciales deinde fuere P.M. Christophorus de Tempestis à S. Sepulcro in Provinciâ Romanâ. P. M. Paulus Antonius Zanius Bononiensis in Provinciâ Romandiolæ. P.M. Ludovicus Berretta Mediolanensis in Universitate Ticinensi primarius Philosophiæ Professor in Provinciâ Lombardiæ. P. M. Paulus Tarvisinus in Provinciâ

H Marchiæ Tarvisinæ. P.M. Laurentius Venetus in Provinciâ Venetâ. P.M. Julius de Guastallâ in Provinciâ Mantuanâ. P.M. Joannes Baptista Alexandrinus publicus Mathematicarum Interpres in Universitate Ticinensi in Provinciâ Genuæ. P.M. Joannes Baptista in Provinciâ Neapolitanâ. P. M. Archangelus David in Provinciâ Narbonensi; & P. M. Hieronymus Oriol in Provinciâ Hispaniæ. Denique Socij Provinciales fuere P. M. Mauritius Monulina Lucensis in Provinciâ Thusciæ, è quâ nullus alius ad hæc Comitia accessit, sive ad ferenda suffragia, sive ad Literarias exercitationes obeundas, sive ad aliud quidpiam præstandum, eò quòd ob pestiferam

feram luem, quæ in Etruriâ vigebat, inde egredi prohiberentur. P.M. Bernardus Boccius Perusinus in Provinciâ Romanâ. P.M. Joannes Antonius Templonius Faventinus in Provinciâ Romandiolæ. P.M. Victorius de Cavacuriâ in Provinciâ Lombardiæ. P. Constantinus Lavorius in Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ. P. Hieronymus à Valvasorâ in Provinciâ Venetâ. P. M. Franciscus Pisaurensis in Provinciâ Mantuanâ. P. Angelus Maria Genuensis in Provinciâ Genuensi; & P. Franciscus Rocco de Capuâ in Provinciâ Neapolitanâ. Postremo loco accessit nomine Provinciæ Narbonensis, cum Actis Capituli ejusdem Provinciæ P. Petrus Bonellus, qui suffragium tulit tanquam Vocalis illius Provinciæ; nam P.M. Archangelus Provincialis suffragium tulit tanquam Provincialis, cui ex officio hoc jus competere videbatur cæteris omnibus Patribus approbantibus, etsi inter utrunque suborta fuisset controversia, propterea quòd Constitutiones Ordinis non prohibent expresse, quòd ex illâ Provinciâ, & alijs hujusmodi minùs insignibus duo mittantur vocales ad Generalia Comitia, sed tantummodò decernant satis esse, si unus vocalis mittatur nomine totius Provinciæ. Decrevere tamen Patres in hisce Comitijs congregati, quòd in posterum unus tantùm Vocalis ex hujusmodi Provinciis accederet, donec sufficientem numerum, & qualitatem Patrum haberent ad eligendos Definitores Generales, & Socios eodem jure, quo eligunt Provinciæ insigniores. E Provinciâ Sardiniæ, cui hoc anno jus competebat ferendi suffragia per suum Vicarium Generalem, hic non accessit, quia adversâ valetudine utebatur, scilicet P. M. Prosper Merlius. Itaque vocales fuere omnes hucusque enumerati.

Plurimæ in hisce Comitijs habitæ fuere Literariæ exercitationes pluribus ad id vocatis è singulis Provincijs, præterquam ex Provinciâ Thusciæ, cui tunc Præfectus erat P.Magister Titus Saltinius Florentinus ob allatam rationem de pestiferâ lue, licèt ad hæc parati essent raræ quoque expectationis Patres. Ad disputationes Theologicas deputati fuere ex Provinciâ Romanâ P. Magister Anselmus de Gentilis Perusinus in Conventu Sanctæ Mariæ Novæ de Perusio studiorum Regens, & P.M. Michael Angelus Gosius Romanus. Ex Provinciâ Romandiolæ P. M. Urbanus Bonebellus Romanus, & in Conventu Cæsenæ studiorum Regens. Ex Provinciâ Lombardiæ P.M. Angelus Maria à Mediolano in Conventu S. Mariæ Servorum ejusdem Civitatis studiorum Regens. A Ex Provinciâ Marchiæ Tarvisinæ P.M. Hieronymus Scarparius Ferrariensis in Conventu S. Mariæ Servorum de Ferrariâ studiorum Regens. Ex Provinciâ Mantuanâ P.M. Joseph de Viglevano in Conventu S. Mariæ Gratiarum de Placentiâ studiorum Regens. Ex Provinciâ Genuæ P.M. Antonius Franciscus Ferrarius olim studiorum Regens, & ejusdem Provinciæ Provincialis. Ex Provinciâ Neapolitanâ P. M. Deodatus de Laurentiis Definitor Generalis ejusdem, et studiorum Regens in Conventu S.Mariæ Omnium Bonorum de Neapoli. Sacras deinde Conciones habuere PP. MM. Angelus Maria Berardius de Perusio; Hieronymus Scarparius de Ferrariâ; B Michael Angelus pariter de Ferrariâ; Joseph de Viglevano; Michael Angelus Gosius Romanus; Joannes Angelus pariter Romanus, & Hieronymus Oriol Hispanus. Orationem verò pro electione Superiorum habuit P. Thomas Angelinus Romanus in Conventu S. Marcelli de Urbe Baccalaureus Conventûs; Orationem verò pro gratiarum actione habuit F. Henricus Burgus de Castro novo Scriptæ Clericus Diaconus, & in Conventu S. Mariæ Servorum de Bononiâ studij Magister.

Florentiæ die 2. Februarij instituta fuit maximè solemnis supplicatio totius Cleri cum C Archiepiscopo Sanctissimæ Crucis Lignum deferente, insequentibus Serenissimis Etruriæ, & Ghisæ Principibus, Magistratibus, & universo Populo ab Ecclesiâ Cathedrali, ad Ecclesiam S. Marci, ubi venerandum S. Antonini Corpus quiescit, & ad Ecclesiam D. Annunciatæ pro gratiarum actione, ex quo tota Magni Ducis Etruriæ Ditio vindicata à contagio fuisset. Lampadem argenteam insignis ponderis eidem D. Annunciatæ obtulit die 5. Maij Serenissimus Magnus Dux, & Sacellum Virgini in Cœlum Assumptæ dicatum pro sacrâ ejusdem D. Annunciatæ supellectili custodiendâ non mediocri elegantiâ excitavit Ale- D xander quidam Medices, q. Vitalis Filius. Die 10. Julij hujus anni Eminentissimus D. Cardinalis Julius Sacchetti Ordinis nostri Protector in Ecclesiâ nostrâ de Civitellâ Sacramentum Chrismatis publicè, ac solemniter administravit.

Solemnis supplicatio in Gratiarum actionem pro liberatione à peste.

Cardin. Protector in Eccl. de Civitellâ Sacramentum Chrismatis administrat.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

1 EX *Reg. Gen. Buffotti pag. 3. & seqq. Augusti. Romer. Serv. Mar. l. 5. c. 8.*

2 *Ex monum. Conv. D. Ann. de Florentiâ, & Civitellæ.*

BREVIS CENTURIÆ IV. EPILOGUS.

QVartam Ordinis nostri Centuriam, quam ad annum usque 1609. prosequutus feliciter fuerat Archangelus Gianius immortalitati verè consecrandus, absolvere mihi tandem Deo juvante licuit. Hæc profectò memoranda quamplurima complectitur; non imparem in primis, ac in superioribus seculis per plurima Loca, tum intra, tum extra Italiæ fines Congregationis, & Ordinis dilatationem. Prætereà varias, easque gravissimas inter eosdem Ordinem, & Congregationem Controversias, ac denique mutuam utriusque sub uno Capite faustis ominibus unionem. Item incrementa cultûs erga Deiparæ Dolores, quem sanè Instituti nostri ratio propriè exigit, sive in erectione Confraternitatum, sive in raritate, & copiâ Privilegiorum iisdem concessorum, sive in majestate, quâ eorundem solemnia celebrata fuere; Ipsius Deiparæ erga sibi addictos beneficentiam miraculis adhuc expressam. Plurimos Doctrinæ præstantiâ, dignitate multiplici etiam Cardinalitiâ, & Sanctitate insignes Viros, quibus accessere quamplures eorundem Alumnæ, sanctitate pariter æquiparandæ Ordinis nostri Mulieres. Summorum Pontificum, S.R.E. Cardinalium, aliorumque Prælatorum, & Virorum Principum Privilegia, & Indulta. Singulare demum B. Virginis Mariæ Patronæ nostræ præsidium, quo Servorum suorum Ordinem admiranda quoque perpetrando in sacris præsertim sui ipsius Imaginibus, in hoc seculo non minùs, quàm in præcedentibus per ejusdem Ordinis Ecclesias expositis, protexit, fortunavit, illustravit, cui proindè totum id, quod sumus, & honorificum in nobis est, ipsi debere fateamur.

F I N I S.



INDEX

Rerum Notabilium, quæ in hoc Secundo Tomo Annalium Ord. Fratrum Servorum B. M. V. continentur.

Prior Numerus paginam, posterior Columnam, litera versum indicant.

A

M. Am-

longo

Antonio

Mona-

C

In

Cre-

D

E

F

B.Fran-

G

H

I

B. Jo-

P. Jo-

L

D. Lau-

M

Nar-

N

O

Panes

P

177.

R

B. Ra.

T

FINIS.



ERRATA	CORRIGE.
Pag. 99. Col. 2. B. fidem	finem
100. 1. G. dictum ut	dictum est
124. 1. G. Ariment.	Ariminen.
141. 2. D. ab eis reciperetur	ab eis non reciperetur
155. 2. C. Constituere	Constitutione
167. 2. C. Ita ut nullum	Ita nullum
191. 1. D. Ajacensi	Acciensi
222. 2. E. Aprilis	Augusti
248. 2. G. de Cremona	de Veronâ
285. 1. E. His verò septem &c.	Omnia illa verba His verò septem &c. delenda sunt
ibidem. Joannem Balves Andegavensis	Joannes Balves Andegavensis additur
ib. 1. D. tres	duo
ibidem. novem, qui ex eo	Octo, qui ex eo
ib. 2. D. Kal. Octobris Urbanus VIII.	17. Kal. Octobris Urbanus VIII.
330. 2. H. anno . . . . anno	anno 16. . anno 1713.
339. 2. B. Tyramnum	Tutanum
379. 1. C. Eranchi	Franchi
383. 1. A. notis	votis
384. 1. F. Vifsolus	Vivolus
388. 1. F. augebatur	angebatur
404. 2. G. Suvarensi	Svvazensi
413. 2. B. privat	privatim
503. 2. D. Serenissima	Sanctissima
ibidem. cum	cui
504. 2. G. qnòd	quam
506. 1. E. quarum rarissimè	quàm rarissimè
507. 2. B. vult	velut
ibidem tres	has
508. 1. F. piè	non piè
528. 2. F. propter	præter
539. 1. D. exposuit	exposcit
542. 2. G. pari	paci
545. 2. D. Majæ	Mariæ
548. 1. H. Perusij augetur	Tuderti augetur
ibidem. solemnis Processio	Congregatio
552. 1. G. Perpotenti	Potenti
586. 1. G. Grati	Gratz
600. 2. F. Monasterio	Monte Senatio
614. 2. H. habituros.	adituros